Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Thesaurus: explicationum omnium articulorum ac capitum, catholicae, orthodoxae, verae, ac piae doctrinae Christianae, quae hac aetate controuersa sunt : ex reuerendi vereq?(ue) Dei viri, ac summi theologi, D. Martini Lutheri ... operibus ... collectus, & in ordinem convenientissimum digestus ...

https://hdl.handle.net/1874/402646

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. fo.
139



7.

9.



Theologia

Folio n°. 139.

N. 25. B.

N° 109. H.

THESAVRVS:

EXPLICATIONVM OMNIVM ARTICVLORVM

AC CAPITVM, CATHOLICAE, ORTHODOXAE, VEræ, ac piæ doctrinæ Christianæ, quæ hac ætate controuersa sunt, ex reuerendi, vereq; Dei viri, ac summi Theologi, D. Martini Lutheri, synceræ Euangelicæ doctrinæ instauratoris fidelissimi, operibus, iam recens magna diligentia, singulari iudicio, ac optima fide, citra vllam sententiarum ac verborum autoris immutationem, collectus, & in ordinem conuenientissimum digestus, hoc tempore multiplicium certaminum fœcundissimo, panopliæ instar, omnibus sanæ doctrinæ studiosis, ad fanaticarum opinionum refutationem, per quàm vtilis ac necessarius.

PER REVERENDVM ET DOCTVM VIRVM
M. TIMOTHAEVM KIRCHNERVM, *Generosi & verè nobilis viri D. Henirici ab Asseburg, &c. Concionatorem.*



FRANCOFVRTI AD MOENVM PER THOMAM Rhebartum & Sigism ndum Feierabent, Anno Domini, M. D. LXVI.

ACADEMIA IENENSIS

THESAVRVS:

EXPLICATIONVM OMNIVM ARTICVLORVM

AC CAPITVM, CATHOLICAE, ORTHODOXAE, VERÆ, ac piæ doctrinæ Christianæ, quæ hac ætate controuersa sunt, ex reuerendi, yereq; Dei viri, ac summi Theologi, D. Martini Luthers, syncerae Euangelicæ doctrinæ instauratoris fidelissimi, operibus, iam recens magna diligentia, singulari iudicio, ac optima fide, citra vllam sententiarum ac verborum autoris immutationem, collectus, & in ordinem conuenientissimum digestus, hoc tempore multiplicium certaminum fœcundissimo, panopliæ instar, omnibus sanæ doctrinæ studiosis, ad fanaticarum opinionum refutationem, per quam vtilis ac necessarius.

PER REVERENDVM ET DOCTVM VIRVM M. TIMOTHAEVM KIRCHNERVM, Generosi & vere nobilis viri D. Henrici ab Asseburg &c. Concionatorem.



FRANCOFVRTI AD MOENVM PER THOMAM Rhebartum & Sigismundum Feierabent, Anno Domini, M. D. LXVI.

NOBILISSIMO VIRO PIETATE, VIRTVTE, PRVDENTIA, FORTITVDINE ET GENERE PRAESTANTISS. ANDREAE à Meyendorff, Domino & Patrono suo perpetua obseruantia colendo, Gratiam & pacem à Christo Domino nostro.



DAVID, regius ille Propheta inter cætera Psalm. suo 103. inquit, Benedic anima Domino, & omnia viscera mea nomẽ sanctũ eius. Benedic anima mea Domino, & ne obliuiscaris omniũ beneficiorũ eius. Hæc regij Prophetæ vox, qua seipsum ad gratitudinem Deo beneficio hominumq; generi amico præstandũ excitat, ac quasi stimulos & calcar sibi addit, & sæpe & diligenter meditanda est. Nam luce meridiana clarius est, totius generis humani cõmunem morbum esse ingratitudinem. Ac omnibus seculis hoc accidisse constat, vt quanto maioribus & illustrioribus Deus orbem terrarum beneficijs cumulauerit, tanto magis homines ingrati & beneficiorum ac meritorum eius immemores existerent. Quantum enim & quàm admirandum beneficium fuit, quod primo mundo ante Diluuij tempora præconem iustitiæ Noah dedit? Cuius prædicatione centum & viginti annis exuberantes diuitias gratiæ suæ corruptissimis hominibus largè effuseq; obtulit, sed frustra omnes bonitatis suæ thesauros, improbissimis & aduersa fronte repugnantibus obtrusit. Non solum enim ingratis animis oblatam sibi misericordiam & bonitatem immensam respuerunt, verũ indignis etiam modis contemptuq; horribili eam exploserunt & abiecerunt. Sic & nostra ætate accumulatissimè omnia viscera misericordiæ & glorioſæ gratię suæ per electum organon suum, Doctorem Martinum Lutherum, oriens ex alto in nos effudit, vt illucesceret his, qui in tenebris & vmbra mortis sub durissimo Antichristi regno sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. At quâ fide, religione, & gratitudinis cultu homines eos quos dixi thesauros exceperint manifestius est quàm vt prolixa demonstratione indigeat. Hodie enim D. Lutheri Doctrina non solum sordere incipit plerisq; principibus & ciuitatibus, quàm initio ingenti feruore animi complexi, & pro qua omnia pati ac sustinere

nere pericula forti & infracto animo parati fuerunt, quamque maximis sumptibus & laboribus propagare conati sunt, suscipiendis & fouendis synceris & constantibus Ecclesiæ Doctoribus & ministris, verum ita iam ingrata & odiosa, vt eam vel plane abijciant, aliud doctrinæ genus, quòd sapientiæ & rationi humanæ magis plausibile videtur, suscipientes, vel atrociter persequantur constantes Doctores & ministros, qui Lutheri doctrinam tueri & inuiolatam ad posteros propagare studēt, erroribus & corruptelis manifestis contradicunt (est enim propugnatio doctrinæ non minus necessaria quàm explicatio) & vitia magnatum acriter & absque προσωποληψία taxant & insectantur, eosq; ditionibus & vrbibus expellant, & omnibus inuisos reddere cupiant, ita vt nusquam ferè eis tutus pateat locus, in quem caput queant reclinare, vt verissimè Poeta dixisse videatur, vetus gratia dormit, & homines sunt immemores: Itaque serio deploranda & detestanda est horribilis illa nostrorum animorū peruersitas & ingratitudo, & omni animi contentione ac neruis annitendum est, vt pectora nostra ardentes gratitudinis flammas concipiant, idq; propter plurimas easq; grauissimas causas. Nam ordo diuinus & immotus id postulat, vt creatura suum creatorem & benefactorem, non lingua tantum, sed toto pectore, celebret. Naturaliter quoq; nota est, copulatio causæ & effectus & obligatio ad ἀντίδωρα. Et immensa illa infinitaque diuinorum erga nos beneficiorum varietas & amplitudo, animos ad gratitudinem præstandam merito excitare debet. Neq; verò iam de corporalibus & externis Dei beneficijs loquor, sed præcipue de spiritualibus & æternis, vt sunt verbi causa, patefactio per filium vnigenitum, Prophetas, Apostolos, piosq; Doctores & ministros Ecclesiæ, collectio Ecclesiæ ex colluuie generis humani per Ministerium verbi, &c. quibus bonis nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi Dei concessu atque munere, neque dabitur.

Est & vox diuina considerandа & ponderandа, quæ hunc gratitudinis cultum omnium maximè requirit, & contra extremæ ingratitudinis fœdum & abominandum crimen detestatur. Nam Deut. 31. Sic Mosi Dominus loquitur dicens: Nunc itaq; scribite vobis canticū istud, & docete filios Israël, vt memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israël, introducam enim eum in terram, pro qua iuraui patribus eius, lacte & melle manantem. Cumq;

come-

comederint & saturati crassiq; fuerint, & auertentur ad Deos alienos, detrahentque mihi & irritum facient pactum meum. Postquam inuenerint eum multa mala & afflictiones, respondebit & canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit ob liuio ex ore seminis sui. Et Ierem. 2. cap. Videte verbum Domini. Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina? qua re ergo dixit populus meus: Recessimus, nō veniemus vltra ad te? Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut Sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei, diebus inmumeris. Ad hæc Deo gratiæ agendæ sunt, vt testemur mirando & prorsus ineffabili modo, nos diligi, exaudiri & iuuari. Quis enim verbis consequi potest diuinam illam & inexhaustam Dei bonitatem, qua ab initio ministerium verbi conseruat, missis excellentibus & salutaribus Doctoribus, quorum ministerio collapsam doctrinæ vocem instaurat, idolatricos cultus, falsam impiamq; doctrinam abolet, fidem, inuocationem, confessionem, restituit? Deniq;, vt idolatricis cultibus & doctrinę dediti sonora voce refutentur, qui vociferari non dubitant humano & prauo imo satanico instinctu doctrinam hac tempestate repurgatam. Et fides quoque in imbecillis confirmetur, nostroq; exemplo alij homines ad veri Dei & patris Domini nostri Ihesu Christi agnitionem & inuocationem inuitentur.

His alijsq; grauissimis causis commonefacti stertentes & oscitantes animos nostros excitemus, ad seriam beneficiorum meritorumque diuinorum considerationem, quæ Deus opt. max. pater Domini nostri Ihesu Christi, non solum ab initio Ecclesiæ suæ exhibere dignatus est, sed præcipue in senescētem Ecclesiam hisce postremis & exulceratissimis temporibus per D. M. L. contulit, quorum tanta magnitudo & copia est, vt minimam eorum partem, non dico referenda, sed ne cogitanda quidem gratia assequi possimus: Ingenue enim fateri nos oportet & decet, tam egregios, magnos & præclaros, per hunc virum Dei in nos bonorum cumulos collatos esse, effusosque misericordiæ inexhaustæ thesauros tam perfectos ex omni parteatq; summos, & quibus nihil addi posse videatur, vt nullis dicendi luminibus satis illustrari, nulla pari orationis gloria exornari à nobis queant.

Cum verò patri Domini nostri Ihesu Christi, patri misericordiarum, à Deo totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, placere sciamus gratos pectoris motus &

tus & laudem ex ore infantium & lactentium proficiſcentem, aliqua ſaltem & quidem præcipua Dei beneficia per D. M. L. Eccleſiæ ſeneſcenti exhibita grato & læto corde & ore cõmemorabimus. Cum vt pectora noſtra quæ nimium frigidè de tantis rebus cogitant, & rariſſimè meditationem inſtituũt accendantur, tum vel maximè, vt alij quoq; ad ea cognoſcenda & celebranda adducantur. Ac deniq;, vt ad conſeruanda & retinenda illa bona tanto diligentiorem cautelã adhibeamus, quanto ea magis mundus perſequitur, nauſeat & tanquam viliſſima aſpernatur, & Diabolus per ſua organa, hæreticos, falſos fratres, placẽtinos, grata & ſuauia dicentes, aulicos phicolitas, Ahitopheles & Doegitas (omnes enim aulæ ſemper hac infelici appendice maculati ſunt quòd habent Doegitas, vt Lutherus ait in Geneſ. cap. 21.) & Tyrannos, contra ea rabioſius graſſatur & furit.

Primum verò idque præcipuum & longe maximum eſt, integra cœleſtis Doctrinæ in omnibus articulis Catholicæ & Chriſtianæ fidei ac religionis noſtræ repurgatio & inſtauratio. Quanquam enim ſub Antichriſti Romani tyrannide articuli Symboli non plane fuerũt aboliti, horrendum tamen in modum eos deprauarunt & corruperunt, vt pauciſſimi imo ferè nulli, veram, natiuamque eorum cognitionem aſſequi potuerint. Quantæ enim & quàm horribiles tenebræ, cœleſtis doctrinæ lucem ſub Papatu obſcurarint & obnubilarint non ſolum immenſi & planè Herculani Lutheri viri Dei labores, in repurgandis ſingulis articulis, abſtergendisque ſordibus Antichriſtianis exhauſti, abundè luculentiſſimeq; teſtare poſſunt, verum pontificiorum etiam ſcriptorum libri, qui ſub Antichriſti regno floruerunt, & in Eccleſia dominati ſunt, & adhuc hodie extant, lucide non obſcurè oſtendunt.

Alterum eſt reuelatio ſeu patefactio Antichriſti Romani, De quo D. Paulus in 2. ad Theſſalon. Epiſtola cap. 2. his verbis perſpicuè vaticinatus eſt, inquiens: Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iheſus interficiet Spiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, eum cuius eſt aduentus, ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute & ſignis & prodigijs mendacibus, &c. Hoc beneficium quantum quamque auguſtum ſit, vel inde conſtare poteſt, quod Spiritus Sanctus tanquam ſingulare προσωποποιΐα Eccleſiæ ſeneſcenti, ante nouiſſimum diem & extremum iudicium miniſterio & voce Lutheri cõmunicandum per Paulum prædixit. Quanta enim

& quam

& quam horrenda ac propè infinita malorum, confusionum, idolatriarū, libidinumq; agmina filius ille perditionis & homo peccati, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quòd colitur, qui in templo Dei sedet, ostendēs se tanquam sit Deus, in Ecclesiam filij Dei inundauerit, nulla mens cogitando complecti, nulla vox humana eloqui, nullo calamo scribi potest. Estq; id multoties cum in corpore doctrinæ, tum vel maximè omnibus in scriptis D. Lutheri tam euidenter & palpabiliter monstratum, vt portæ inferorum, quantumuis fremant & sæuiant, nihil tamen firmi & solidi habeant, quod contra afferre & iure opponere queāt: Hoc, inquam, beneficium quod Deus Pater Domini nostri Ihesu Christi per D. M. L. Ecclesiæ præstitit cum Spiritus Sanctus & clarè prædixerit & re postea atque eùentu comprobauerit, ardenti & prudenti consideratione est digniſſimum. Ac quo magis nos eo permoueamur ipsum Lutherum loquentem audiamus. In præfatione enim Epistolæ Hieronymi ad Euagrium in hunc modum Antichristum seu Papam Romanum describit, inquiens: Quid putas fuisset dicturus S. Hieronymus, si vidisset hodiernos Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales? Quid si Papam vidisset, non solum nullum parem Episcopum ferentem, se omnes sibi, vt Domino subijci cogentem, plusquam sicula tyrannide, Ecclesiam suis pestilentibus doctrinis opprimentem, omnium Ecclesiarum & terrarum opes rapientem, furantem dolis, fraude, & omni mendaciorum genere extorquentem, colla Regum (& quidem Christianorum) pedibus conculcantem, osculandos eisdem pedes suos offerentem, gladium vtrumq; sibi toto orbe arrogantem, pompa & splendore cunctos reges superantem, bellis & seditionibus orbem Christianum vexantem, verbum Dei, non solum negligentem, sed prorsus ignorantem, persequentem, extinguentem, Christi omnia blasphemantem, oues Christi mactantem. Breuiter horrenda crudelitate & satanica malicia in rebus, honoribus, corporibus, animabus fidelium ludentem, fallentem, ridentem, exultantem, & insatiabiliter adhuc ad maiora & peiora hiantem. Certè non hominem naturaliter viuentem, sed Satanam in specie hominis furentem esse credidisset, & stupefactus in silentium & lachrymas sese dedisset vsque ad mortem: Nam qui ferre non potest, vt Romanus Episcopus Eugubiensi Episcopo superior sit, quid quæso in Papa inueniret quod non vsq; ad mortem execraretur?

Et hæc omnia nos miſeri portenta ſacrilega & abominanda adacti ſumus adorare, veluti iure diuino firmata decreta, incurſuri alioqui, indignationem omnipotentis Dei & beatorum eius Apoſtolorum Petri & Pauli. Et tolerabilius peccatum fuit, negaſſe, blaſphemaſſe, riſiſſe etiam (vti faciunt ipſi Romæ) omnes Articulos fidei, quàm de hoc iure diuino Papæ ſubdubitare. Deniq; cogitare de Papa aliud quam eſſe eum ſanctiſſimum, æternæ damnationis peccatum fuit. Hactenus Lutherus. Hæc verò recenſenda putaui, vt huius de quo dico, beneficij magnitudo in omnium oculos incurreret, magisq; conſpicua redderetur.

Tertium eſt inſtructio & eruditio ſtatus ſeu ordinis Eccleſiaſtici, politici & œconomici. Etſi enim hi ſtatus & vitæ ordines etiam ſub Antichriſti regno extiterunt, tantis tamen, tam denſis & craſſis nebulis, maximarumq; rerum ignoratione oppreſſi iacuerunt, vt ferme omnes & dignitatem, neceſſitatem, vtilitatem, ſuiq; ſtatus proprium & debitum finem neſcirent. Nam quid docuerint de his vitæ generibus manifeſtius eſt, quam vt negari poſſet. Eos certe qui in politia & coniugio vixerũt, tanquam ſeculares, carnales & prophanos damnarunt. Ideoq; conſuluerunt, vt relicta gubernatione politiæ & œconomiæ, vitam potius Monaſticam ſectarentur, vt meliores magisque probatos & acceptos Deo cultus præſtarent. Ac quid hiſce ſuis impijs & nefarijs clamoribus effecerint, vel vniuerſo terrarum orbi conſtat. Multi enim deſerta & abiecta, in quam diuinitus collocati fuerant ſtatione, Monaſticam rationem viuendi amplexi, politias & œconomias tanquam damnata & polluta vitæ genera abiecerunt. Tandemque ad eum locum res deducta eſt, vt vel in extremo agone conſtitutos homines & morientes in ſuos cooptauerint, & receperint ordines, cucullisque ſuis fœtentibus indutos ſepelierint, certiſſima ſpe facta, quòd ſanctiores inde redderentur, faciliusque peccatorum veniam conſecuti in cœlum ſubuolarent.

Contra hæc ſtulta & impia Papiſtarum Monachorumque delirantium ſomnia, quibus plurimos ex ſummis & infimis faſcinarunt, Lutherus ſpiritu ſancto duce docuit, euidentiſſimisq; ſcripturæ doctis aſſeruit, nullum vnquam ſanctum extitiſſe, qui non vel in politia vel œconomia verſatus fuerit, ſummos enim viros intruſit Deus in aulas principum, Eliam, Eliſæum, Ieſaiam, Danielem, &c. Taceo iam de ſanctiſſimis regibus, Dauide, Salomone, Ezechia, Ioſia, & alijs. Quin Iohannem

nem Baptiſtam quoque oportuit aulicum fieri,& regium conſiliarium,ſicut textus dicit: Herodes multa faciebat audito Iohanne. Sic omnes Sanctos ſuos coniecit vel in politiam vel œconomiam,excepto vno Chriſto, qui erat ſapientia Patris, is nec vxorem duxit, nec politiam gubernauit. Quia oportuit eum aliquid ſingulare eſſe præ reliquis, & tamen vtrumque vitæ genus,nempe nuptias & Magiſtratum, honorauit. Huic quoque longè ampliſſimo & maximo beneficio celebrando, quæ oratio par reperiri poteſt?

Quartum eſt, acerrima cõtradictio & refutatio errorum ac corruptelarum, quas Satan puræ Doctrinæ implacabilis hoſtis,per organa ſua,hæreticos nimirum,falſosque fratres, ad opprimendam inſtaurationẽ doctrinæ per Doctorem Lutherum factam excogitauit, ſparſit, veritati patefactæ oppoſuit, & ad ſeducendos etiam faſcinandosque electos Dei, doctis dolis facetisque fabricis, quaſi glaucoma piorum oculis obiecturus miris coloribus & præſtigijs pinxit. De his Doctor Lutherus ipſe in præfatione ad Galatas Tom. 4. ſcribit in hunc modum: Hæreat igitur qui poteſt, in hoc vnico articulo (Iuſtificationis ſcilicet) cæteros qui naufragia faciunt ſinamus ferri quo mare & venti volunt, donec ad nauem redeant, vel ad littus enatent. Summa & finis querelæ eſt, nullam ſperare quietem, aut finem querelæ, donec Chriſtus & Belial non conueniunt. Generatio præterit, generatio aduenit, ſi cadit vna hæreſis mox ſurgit alia. Quia Diabolus non dormit, neque dormitat. Ego (quanquam nihil ſum) qui in miniſterio Chriſti fui iam viginti annis, vere poſſum teſtari, me plus quam viginti Sectis eſſe petitum,quarum aliquæ penitus corruerunt,aliquæ adhuc, velut inſectorum membra palpitant, Sed indies nouas ſuſcitat Satan, Deus ille factioſorum hominum. Et proxime hanc, quam minime omnium præuidiſſem,aut ſperaſſem,ſcilicet eorum,qui docent, Decalogum tollendum ex Eccleſia, nec homines per legem terrendos, ſed per Chriſti gratiam ſuauiter monendos eſſe, vt impleatur illud Prophetę Micheæ, Verum non arguatur vir,non ſtillabis ſuper nos. Ac ſi neſciamus, aut nunquam docuerimus, afflictos & contritos Spiritus eſſe per Chriſtũ erigendos. Duros verò Pharaones,quibus fruſtra prędicatur gratia Dei, per legẽ eſſe terrendos. Cũ & ipſimet cogantur fingere reuelationes iræ ſuper malos & incredulos. Quaſi lex aliud ſit aut eſſe poſſit,qũàm reuelatio iræ. Tãta eſt cœcitas & ſuperbia iſtorũ αὐτοθαυμαστίας hominũ.

Oportet

Oportet igitur miniſtros verbi certos eſſe, ſi fideles & prudentes haberi volent, in illo die Chriſti, S. Pauli vocem non eſſe futiliter dictam, aut de re nihili prophetatam, oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant. Sciat, inquam miniſter Chriſti, donec purè Chriſtum docebit, non defuturos homines peruerſos, qui Eccleſiam perturbare ſtudeant, etiam ex noſtris. Atque hac conſolatione ſeſe obfirmet, eſſe nullam pacem inter Chriſtum & Belial, ſeu inter ſemen ſerpentis & mulieris, imò gaudeant ſeſe pati ſectas, & ſeditioſos iſtos Spiritus perpetuo ſibi ſuccedentes: Quia gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod inuenimur ſtantes & pugnantes ex parte ſeminis mulieris, contra ſemen ſerpentis, mordeat ille ſane calcaneum noſtrum, nec ceſſet mordere, nos viciſſim non ceſſabimus conterere caput eius per Chriſtum principem, contritorem eiuſdem benedictum in ſecula. Hæc Lutherus.

Hoc quoq; quantum ſit, & quàm ineffabile beneficium, vel hinc æſtimari poteſt, quod rectiſſimè in verſu dicitur: Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri. Neq; enim minoris eſt virtutis, veritatem collapſam inſtaurare, quàm inſtauratam conſeruare. Quomodo verò conſeruari ac retineri poſſit, niſi corruptelæ contra puritatem & veritatem cœleſtis doctrinæ ſubinde exorientes & repullulantes, per verbum Dei profligentur & extirpentur non video. Eſtq́ue manifeſtum Spiritus Sancti mandatum, quod iubet contradicentes conuincere. Huic diuino præcepto, quomodo Doctor Lutherus & quàm grauiter obtemperauerit, monumenta eius luculenter teſtari poſſunt. Oppoſuit enim ſeſe Papiſtis, cœleſtibus Prophetis, ſeditioſis ſpiritibus, Enthuſiaſtis, Sacramẽtarijs, Schuencfeldio, Anabaptiſtis, Eraſmo, liberi arbitrij vim modiculam, & reipſa inefficacem defendenti (quem hodie errorem Synergiſtæ eorumq́; Sectatores renouant, & omnibus neruis ſtabilire annituntur, repertis nouis & inuſitatis, imo à ſcriptura exploſis & plane damnatis phraſibus, capacitatem, aptitudinem & modũ agendi libero arbitrio hominis carnalis affingentes) Antinomis & alijs qui fucoſas & inſidioſas cum Papiſtis conciliationes (quales poſtea tempore libri Auguſtani interim ab Adiaphoriſtis tentatæ ſunt) quærebant, operum item neceſſitatem ad ſalutem, & econtra nouam obedientiam arbitrariam ſeu liberam eſſe contendentibus, eorumq́; peſtiferos errores, vanas & Philoſophicas moderationes, ex verbo Dei egregiè & neruoſe refutauit. Quanquam autem complures noſtræ ætatis Ma-

tis Mathæologi, qui persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, plus quàm verbo Dei immoto & inconcusso innituntur, hanc Doctoris Lutheri παῤῥησίαν oderũt, & extreme in discipulis eius detestantur, & calumniando & blasphemando, & persequendo execrantur, omnes tamen boni, quibus veritas cordi est, eamq́; saluam retinere cupiunt, & ad posteros inuiolatam propagare studeant, non solum ea delectantur, eamq́; faciunt plurimi, verum toto etiam pectore intimisq́; præcordijs amant & exosculantur. Omnino enim seruandam esse censent regulam Doctoris Lutheri, quæ in Psalm. 45. enarrat. Tom. 3. folio 476. extat. Nulli sectæ cedendum est, ne in vno quidem apice scripturæ, quantumcunque clament & calumnientur, nos charitatem dissoluere, dum verba sic strictè tenemus. Quia omnis charitatis principium est, vt sceptrum æquitatis maneat. Quod si aliter obtineri nõ potest, rumpenda charitas, & si quid etiam maius est, vt tantum verbum maneat purum, stante autem hac puritate verbi & sceptro rectitudinis, volo libenter in charitate tolerare mores & vitia fratris, &c.

Quintum est præcipuorum sacræ scripturæ librorum veteris & noui Testamenti enarratio, tam perspicua, copiosa & illustris, vt etiam aduersarij eius, volentes nolentes coacti sint fateri, nullas similes enarrationes in omnium Patrum monumentis extare. Ipse enim fuit verè peritus, & Theodidactus artifex interpretandi scripturam, eiusq́; interpretationem dextrè accommodandi ad omnia tentationum & afflictionum genera. Ac Erasmus Roterodamus adfirmauit Lutheri in scripturæ sacræ libros, enarrationes longè omnium enarrationibus quæ extant antecellere.

Rectè eruditi norunt, in lectione & enarratione scripturæ, quæ Epistola est viuentis Dei, ad genus humanum missa, attentionem ardentem & prudentem adhibendam esse, & primum requiri, hanc circumspectionem, vt mens interpretis cogitet de authore scripturæ sanctæ, & nouerit historiam scripturæ à Prophanis & Gentilium historijs discernere. Deinde quid in sacris literis proponatur & quæri debeat, qualisue doctrina in ijs contineatur, quæ videlicet rationi humanæ prorsus ignota, quæ non commodis huius temporalis vitæ, sed æternæ seruiat. Nam huc omnis scriptura spectat, vt Dei benignitatem nobis commendet, qui hoc agit per filium suum, vt naturam in peccatum & damnationem pro lapsam, iustitiæ & vitæ restituat. Ad hæc, vt genus sermonis seu phrases scripturæ

sacræ

ſacræ intelligat, & ex ipſis fontibus earum linguarum, quibus Biblica ſcripta compræhenſa ſunt, natiuum & proprium verborum ſenſum eruat, ſerie & connexione, ſeu œconomia ſententiarum diligenter conſiderata, & collatis pluribus teſtimonijs, obſcurius dicta clarioribus ſcripturæ teſtimonijs explicare & illuſtrare poſſit. Poſtea, vt circumſtantiarum conſiderationem accurratè obſeruet, definitiones, diuiſiones, cauſas, effectus, cognata, pugnantia, cognoſcat & animo compræhendat. Deniq;, vt ad præſentia tempora, hominum vitam, inſtituta, mores, pœnitentiam vel impœnitentiam, prudenter applicet. Hoc verò artificiũ Doctorem Lutherum calluiſſe, & iuxta has metas ſcripturam neruoſe & copioſiſſimè interpretatum fuiſſe, tam certum eſt & manifeſtum, quàm certum eſt meridiem eſſe, cum ſol ad medium cœli peruenit.

Fatendum autem eſt, verba nobis deeſſe, quibus hoc tam inſigne beneficium celebremus. Ac vt paucis explicem atq; complectar, quod ſentio, Deus opt. max. volens ſeneſcenti Eccleſiæ egregium & excellentem dare Doctorem, cuius ſimilem ab Apoſtolorũ ætate nec habuit nec vidit: Doctorem Lutherum admiranda & prorſus diuina omnium articulorum Doctrinæ Chriſtianæ cognitione inſtruxit, Deinde eum præclariſſimo eloquentiæ dono ornauit, vt non ſolum ea quæ animo comprehẽdiſſet (Spiritu ſancto mentem eius radijs ſuis illuſtrante) diſertè & copioſe eloqui poſſet, ſed tam proprijs, ſignificantibus, & prægnantibus verbis & ſententijs vteretur, vt ſingula eius verba ſingula teſtimonia putari queãt. Ideoq; qui D. Lutheri ſcripta ardenter & prudenter legit, & attento animo res quas tractandas ſibi propoſuit obſeruat, properare aut feſtinare haud poteſt, ſed tam fortiter afficitur, quaſi adamantinis vinculis conſtrictus teneretur. Et quid multis opus eſt in re tam manifeſta verbis? ſi quis vnquã magnus atq; ſummus fuit, ſi quis ea quæ ipſæ cogitaret, ſentiret, in aliorum mentes atq; animos ita tranſtulit, vt impreſſa, non tradita, innata non inſita, propria non aliena viderentur, ſi quis, inquam, dulcis, ſi quis grauis, nullum verbum temerè proferens, ſi facundus vnquam fuit, is profecto noſter Lutherus fuit, is propè vnus alios omnes poſt ſe reliquit, & multis paraſangis præceſſit. Nihil addo, nihil fingo, ſuper ſunt monumenta, adhuc in viuis ſunt oculati & auriti teſtes, quorum voce & literis hæc quæ dixi comprobantur. Deniq; pectus eius non ſimulato veritatis amore imbuit, & Spiritus ſancti præſentia rexit, vt acerrimus inſe-

ctator

ctator Sophiſtices eſſet. Quapropter dedit ei, vt ex ipſis fundamentis & fontibus Iſraël ſingulorum articulorum doctrinam extrueret, nec flexiloquis & ambiguis definitionibus & phraſibus vteretur, ſed diſertis, claris, perſpicuis, vſitatis & ſignificantibus verbis, reiectis & repudiatis contrarijs, id quòd ſentiret etiam eloqueretur. Hoc verò tempore ſuperciliosis quibuſdam philoſophicis Theologis natiua illa & ſimplex in loquendo & Lutherana proprietas non amplius arridet, nec quicquam niſi quod ſingulare nouum & inuſitatum eſt placet. Vir Dei D. Lutherus, ſummo labore, indefeſſo ſtudio, induſtria inimitabili, planam, claram, ſimplicem & propriam Theologiam nobis reſtituerat, nunc verò paſſim fieri videmus, vt illa abiecta & profligata rurſus ad antiquam Sophiſticam & Philoſophicā Theologiam multisq; labyrinthis plenam ſponte præſens ætas ſeſe præcipitare contendat. An verò hoc ſit præclarum depoſitum, & magni precij thæſaurum à ſpiritu ſancto per Lutherum nobis commendatum cuſtodire, ſerò intelligere & deplorare incipiemus. Iuſtiſſimam certe cauſam haberemus, poſteaquam nobis tantus vir ereptus eſt diuino ingenio, admirabili doctrina, multarum rerum experientia præditus, non tam vt multa quæreremus, quæſtionumque mole & varietate nos ipſos obrueremus, quàm vt multum ſemper quereremur, ſummamq; diligentiam adhiberemus, vt bona parta & relicta cōſeruarentur, ſed ſtulti homines non agnoſcūt bonum dum eſt in manibus, priuſquam amittant, poſtea amiſſa deſiderant.

Sed deſino viri Dei D. M. L. encomion & laudationem texere. Maior enim eſt Lutherus, quàm vt à me laudari poſſit. Et arduum ac perdifficile eſt eius viri laudes oratione complecti, qui omni genere laudis maximè floruit, & cuius vnius virtutibus pares omnium hominum virtutes noſtra ſecula non habuerunt, ijs referendis omnibus, idoneum vnū hominem exiſtere. Ac omnino veriſſimum eſt, quod in Lutheri laudes ſequendas Luthero laudatore opus fuerit. Ingenue etiam fateor quod vix primis labris magnitudinem, altitudinem & amplitudinem donorum D. L. deguſtauerim. Eum mirari poſſum, imitari vel aſſequi non poſſum, plurimum ſe in Theologia profeciſſe ſciat, cui Lutherus valde placebit. Neque hæc ea de cauſa dicimus, quòd perſonam velimus in cœlum laudibus tollere, non, inquam, proſopolipſia ſeu reſpectu perſonæ ducti hæc ſcribimus, ſed vſu practico & experientia edocti ſic ſentimus, & dona illa Dei magnifica, quæ in electū organon ſuum

D.Lutherum contulit,ſic prædicamus & laudibus vehenda eſſe cenſemus, quibus etiam mundo vtiliſſimè ſeruijt,certamen ſuum certauit,curſum conſummauit.

Quod verò nonnulli queruntur eum fuiſſe Philonicum, durum,Stoicum,&c. His cum Philippo & Eraſmo reſpondeo Deum dediſſe huic poſtremæ ætati propter morborum magnitudinem acrem medicum. Ac certum eſt eos qui Lutherum hanc ob rem flagellare non verentur, in cauſis religionis poſt obitum eius ita luſiſſe,quemadmodum pueri aſtragalis ſolent ludere, & religionem ad potentum voluntatem attemperaſſe, ceſſiſſe, deq; alieno liberales fuiſſe, nec exiguorū certaminum & ſcandalorum in Eccleſia authores extitiſſe.

Sextum eſt, ſacrorum Bibliorum in linguam Germanicam conuerſio , tanta perſpicuitate & facilitate adornata, vt hæc ipſa verſio plus adferat lucis Chriſtiano lectori, quàm multorum prolixi commentarij. Quam enim diligentiam, ſedulitarem,induſtriam,in vertēdo adhibuerit,& opus ipſum, quod artificem commendare ſolet,indicat,& omnes linguarum periti candide & verè iudicantes agnoſcere & fateri cogūtur. Sed nec hoc beneficium vlla voce aut literis ſatis poteſt celebrari.

Ac, vt tandem concludam, ſummaque ſequar faſtigia rerum,dies enim me deficeret,omnia ſi beneficia quæ Deus opt. max. ſeneſcenti Eccleſiæ ante extremum iudicium per D. Lutherum exhibuit,non dicam numerando percenſere, ſed cogitando complecti velim.An non ingentia ſunt beneficia, quod omnium ferè tentationum & afflictionū, quæ excogitari poſſunt, quibusq; homines Chriſtiani obrui & premi plerunque, (ſed optimo tamen & vtiliſſimo Dei conſilio) ſolent,exquiſitiſſima, efficaciſſimaq; remedia ex ſacris literis , quæ non tantum cicatricibus,ſed vulneribus quoq; conſcientiæ medentur monſtrauit, quod mnltorum afflictis & perturbatiſſimis conſcientijs,deſperatione & alijs morbis, periculoſiſſimè laborantibus, præſentiſſimam ſalutaribus conſilijs opem tulit: quod diſcrimen cultuum diuinorum & humanorū oſtendit, quod in grauiſſimis illis de religione controuerſijs , diſſenſionibus, deliberationibus, prudentiſſimè & pijſſimè ſe geſſit alijs fide, conſtantia, veritatis intrepida confeſſione, vera inuocatione, morumq; grauitate præluxit? quod ipſo curſum ſui miniſterij inchoante ſpirituum & animarū apparitiones, quæ horrendæ idolatriæ cauſam dederunt, & multis æterni exitij fuerunt occaſio,ceſſarunt?Deniq; quòd Germanicam linguam non ſolū

plurimum

plurimū exornauit & locupletauit, ſed primam in ea laudem obtinuit, & ea vertit è Hebræo ſermone, quæ verti nō poſſe putabantur? Hæc quanta ſint & quàm illuſtria Dei opera & beneficia, cogitatione magis, quam verbis conſequi poſſumus.

Hæc omnia hisq; ſimilia cum complector animo, plures reperio cauſas, quæ ad ſedulam & diligentem monumentorū Doctoris Lutheri lectionē me aliosque inuitare, & exuſcitare debent. Bono igitur & vtili conſilio hoc doctrinæ corpus ex viri Dei ſcriptis collegi. Primum vt conſtaret Lutherum ſuis in operibus integrum Chriſtianæ doctrinæ corpus comprehendiſſe, nobisq; tanquàm præclarum depoſitum & magni precij theſaurum reliquiſſe, deq; omnibus & ſingulis articulis Chriſtianæ religionis tanta ſcripſiſſe perſpicuitate & dexteritate, vt nullus ſcriptorum Eccleſiaſticorum hanc laudem cum ipſo communem habeat.

Deinde ad retundendas quorundam calumnioſas & Sycophanticas obtrectationes, qui Doctori Luthero ſuauiter in Chriſti ſinu quieſcenti, probri loco obijciūt, quòd ex eius monumentis impoſſibile ſit, vt ſolidum & integrum corpus doctrinæ colligatur, omnia enim ſine ordine, confuſeque ſcripta eſſe. Quos certum eſt, non conſiderare & perpendere rerum geſtarum ſeriem, nec animaduertere, quibus occaſionibus, quo conſilio, tempore, loco ſuos ſcripſerit & ediderit commentarios & libros.

Ad hæc ad occurrendum ijs, qui Cainico & Satanico furore aguntur rabioſiſſimè in ſancti viri labores debacchantes, totisque viribus vociferantes, Lutherum ſcripſiſſe contraria. Quorum in numero, ſceleratus & perfidus Apoſtata Staphylus fuit, qui quanta fuerit & quàm inſana, mentiendi, fingendi & calumniandi libidine præditus, ipſius teſtantur & conuincunt libri, quos, ex hac vita fugiens tanquam fœlis malos poſt ſe fœtores reliquit. Huic verò calumniæ Lutherus, ipſe in primi Tomi præfatione, voluit occurrere, in hunc modum ſcribens. Ante omnia oro pium lectorem, & oro propter ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt iſta legat cum iudicio, imò cum multa miſeratione, & ſciat me fuiſſe aliquando Monachum & Papiſtam inſaniſſimum, cum iſtam cauſam aggreſſus ſum, ita ebrium, imò ſubmerſum, in dogmatibus Papæ, vt paratiſſimus fuerim, omnes ſi potuiſſem, occidere aut occidentibus cooperari & conſentire, qui Papæ vel vna ſyllaba obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus vt adhuc multi. Non

eram ita glacies & frigus ipſum in defendendo Papatu, ſicut fuit Eccius & ſui ſimiles, qui mihi verius propter ſuũ ventrem Papam defendere videbantur, quam quòd ſerio rem agerent. Imò ridere mihi Papam adhuc hodie videntur, velut Epicuræi. Ego ſerio rem agebam, vt qui diem extremum horribiliter timui, & tamen ſaluus fieri ex intimis medullis cupiebam.

Ita inuenies in iſtis meis ſcriptis prioribus, quàm multa & magna humillimè conceſſerim Papę, quæ poſterioribus & iſtis temporibus pro ſumma blaſphemia & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem pie lector, vel (vt ipſi calumniantur) Antilogiam tempori & imperitiæ meæ. Solus primo eram, & certe ad tantas res tractandas ineptiſſimus & indoctiſſimus, caſu enim non voluntate nec ſtudio in has turbas incidi, Deum ipſum teſtor. Hæc Lutherus.

Poſtea vt neophytis Theologiæ ſtudioſis opera & qualicunq; induſtria mea inſeruirem exemploque præirem. Non enim facilè dici queat, quantum in ea re ſit poſitum momenti, quantumque ponderis, quibus ex fontibus Theologiam initio hauriant & addiſcant. Nam quo recens imbuta eſt ſeruabit odorem teſta diu. Ac inſignes noſtri temporis Theologi vnanimi conſenſu fateri non erubeſcunt, intereſſe quam plurimum, vt iuuentus Theologiæ ſtudio addicta, ſtatim ab initio fontibus Lutheri potius aquam viuam ſcaturientibus quàm aliorum riuulis & ciſternis hortulos ſuos irriget. Mens enim in iuuentute ad alias phraſes & explicandi formas adſuefacta poſtea non facile propè diuinis ac penetrantiſſimis Lutheri phraſibus imbui poteſt.

Deniq;, vt coram toto mundo & vniuerſa Chriſti Eccleſia oſtenderem, quid in his diuerſiſſimis & varie pugnantibus ſententijs de religionis noſtræ capitibus, quibus Prothei inſtar plurimi ex Mathæologis huius ætatis in varias ſeſe formas quotidie non ſine magno & graui Eccleſiæ Chriſti ſcandalo & detrimento vertunt, ſentirem, & credendum ac ſequendũ eſſe iudicarem. Ego ſane D. Lutheri diſcipulum me eſſe (quatenus quidem homo hominis diſcipulus eſſe debet & poteſt) ingenue & abſq; vlla ſimulatione profiteor, ac fauente annuenteq; Iheſu Chriſto, Dei & Mariæ filio, in ea ſententia conſtanter acquieſcam, donec ab ipſo in cœleſtem academiam tranſlatus fuero. Non quòd (vt ſupra dictum eſt) in perſona Lutheri adeò obſtinate hæream, ſed doctrinæ cœleſti, quam filius Dei redemptor & ſaluator noſter Lutheri miniſterio his poſtremis & triſtiſſi-

triſtiſſimis temporibus Eccleſiæ ſuæ, quaſi iure poſt liminij reſtituit, tam fortiter inhæreſcendum eſſe perſuaſum habeam, exploratumq; omninò ducam.

Vt verò pio & cordato lectori aliqua ex parte ſatis fiat, nec hoc prætereundū eſt, quam videlicet rationem ſeu ordinem in huius corporis doctrinæ collectione & ſtructura fuerim ſecutus: Dedi operam, vt de præcipuis materijs, quæſtionibus, propoſitionibus, ex Tomis latinis Ienæ impreſſis, & ex Enarratione verè aurea in librum Geneſeos Noribergæ edita, quæ D. Lutheri Cygnea cantio fuit, non contemnendum optimarum rerum aceruum colligerem, & iuxta certas metas ordine diſtribuerem. Aſſignaui non ſolum folia & paginas, ſed quoq; librorum ex quibus ſingula ſunt deſumpta, titulos, capita, & ſi quæ aliæ fuerunt diſtinctiones, quæ lectori faciliorem aditum in inquirendo redderent, adſcripſi. Idq; etiam eo à me conſilio eſt factum, vt ſimul Vitebergenſem tantum editionem habentibus eadem opera inſeruirem. Ac verè teſtari poſſum, me fideliter & diligēter omnia deſcripſiſſe, nec ſtudio aut de induſtria quicquā omiſiſſe, deprauaſſe, aut immutaſſe, ſed pro ingeniolı mei mediocritate ad certas Methodi partes omnia digeſiſſe. Chriſtianis quoque & pijs lectoribus veritatem & D. Lutheri ſcripta amantibus, hunc meum qualemcunq; laborem ſubijcio, & ſpero eos pro ſua pietate & modeſtia candorem dignum viris Chriſtianis & Theologis in iudicando adhibituros eſſe. Nec alijs inuideo aut prohibeo vt meliora faciant Eccleſiæque Chriſti communicent.

Verſionibus non ſum vſus, niſi vnica tantum clariſſimi viri D. Caſparis Crucigeri, qui D. Lutheri de nouiſſimis verbis Dauidis ſcriptum in Latinam linguam conuertit, ex quo ad locum de Deo tribusque perſonis diuinis tanto lucidius tractandum quædam mutuatus ſum. Cogito enim eadem Methodo vitam, ſi mihi Deus opt. max. prorogauerit, ociumq; ſtudijs meis conceſſerit, ſeparatim etiam ex Germanicis Tomis D. M. L. Chriſtianæ doctrinæ corpus colligere & contexere, deque eo lectorem cōmonefacio, cum eam ob cauſam, vt ſciat quid in hoc corpore ſibi expectandum ſit, tum quia locum de cœna Domini, quem paulò locupletius propter præſentia certamina tractari conueniebat, ex paruo tantum Catechiſmo & alijs Latinis Lutheri ſcriptis collegi. Nam materna ſolum lingua de hac controuerſia ſcripſiſſe plus quam notum eſſe arbitror.

Tuæ autem, generoſe vir, Preſtantiæ hunc explicationum omniũ articulorum ac capitũ doctrinæ Chriſtianæ Theſaurũ, hãc potiſſimũ ob cauſam dedicare volui. Quod certis & minimè fallentibus indicijs deprehenderẽ P. T. flagrare vero & nõ ſimulatro amore ſeruandæ & propagandæ doctrinæ Lutheri, vel cœleſtis potius, quàm nobis Deus opt. max. pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, poſtremis hiſce & nouiſſimis temporibus miranda bonitate reſtituit. Etſi enim D. Lutheri nomen & doctrina multis exoſa fuit ab initio, quorum corda obtenebrauit Deus huius ſeculi, ne illuceſceret eis lux gloriæ Chriſti, ac creſcentibus corruptelis, altèque radices agentibus multo magis execrabilis eſſe incipit, peccatis Germaniæ vrgentibus & attrahentibus horribiles calamitates cùm ſpirituales tũ corporales, tamen tuam preſtantiam eam probari & plurimi maximiq; ab ea fieri, multa haud obſcure arguunt. Nocturna enim diurnaq; (quod dicitur manu) D. Lutheri ſcripta verſas, eaque quaſi in ſuccum & ſanguinem conuertis tuum. De controuerſijs religionis ex ipſis fontibus Iſraëlis, & Lutheri monumentis quotidie veram ſententiam inquiris, nec ex anteceptis opinionibus, quæ plerumque veritati vim adferunt, iudicas. Veritatis cœleſtis patrocinium ardens & conſtantiſſimum ſuſcepiſti, corruptelis, quæ tanquam cancer, &c. ſerpunt, acerrimè te opponis, plurimos vacillantes pio tuo zelo confirmas, ſtertentes & oſcitantes ſtudio & diligentia excitas, & in omnibus fortem te Chriſti militem bonam militiam militantem, fidem & bonam conſcientiam habentem exhibes & probas. Sed nolo laudum tuarum præco eſſe, ne auribus Preſtantiæ Tuæ aliquid dare videar. Et illuſtrior eſt virtus & pietas tua quàm, vt mea prædicatione opus habeat.

Habeo & hanc cauſam, quod volui hac qualicunque ratione, ſtudium, beneuolentiam & amorem erga te meum aliquo modo declarare. Innumerabilia enim Tuæ Preſtantiæ ſunt in me, reliquosq; exules Chriſti officia, quæ in hac & futura vita celebrare & predicare nunquàm deſinam. Hæc verò collegi, vt cum tibi tuorum officiorum magnitudinem propoſuiſſem, & ipſe te ad ea vehementius incitarem, ne quaſi fractus iniquis ſapientũ huius ſeculi iudicijs, & iniuſtis quorundam Mathæologorum & aulicorum criminationibus, ardorem & ſtudium bene merendi de adflictis & oppreſſis remitteres, & tu magis confideres fore nos miſeros & abiectos Chriſti legatos, qui pro Catharmatis & peripſematis in mundo habemur,

tur,tuorum in nos officiorum & promeritorum, in precibus noſtris, bene memores.

Quod reſtat, vt hoc doctrinæ Lutheri Corpus bene vole ſuſcipias, & me meaque ſtudia tibi commendata habeas,etiam atque etiam oro. Precor autem Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt Tuam Preſtantiam in vera agnitione et inuocatione filij ſui cõſeruet,et aduerſus omnia huius vitæ incommoda, cum vniuerſa familia protegat, ac per ſpiritum ſanctũ gubernet, vt ſalutare organon Eccleſiæ & Reipub. maneas, &in finem vſq; perſeueres, id faxit Deus. Datæ Amfordiæ 29. Decembris, Anno ſalutis humane 1565.

T. P

deditiſſ.

M. Timotheus
Kirchnerus.

DE VERBO DEI SEV SCRIPTVRA VETERIS ET NOVI TESTA-MENTI.

QVID SIT.



ENES. 25. TOM. 3. FOL. 1. STATVAT CHRISTIANVS SCRIpturam ſanctam non eſſe humanam ſapientiam: Sed diuinam, & ſentiet accendi animum mirabili amore & deſiderio harum rerum quas continet. Talis enim fons eſt, qui quò magis hauritur & bibitur, hoc magis ſititur. Sicut inquit ſapientia: Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Quia ea tractantur in iſto libro, in quæ deſiderant Angeli proſpicere, Sicut dicitur 1. Petr. 1. Sed ſunt abſcondita ab oculis carnaliter ſapientium, & patent tantùm Spiritui.

VNDE SIT.

Geneſ. cap. 43. Tom. 4. fol. 119. Homines profani hæc rident & contemnunt, quia non vident linum fidei fumigans, nec norunt Spiritum ſanctum, qui eſt efficax in cordibus piorum, ac linum illud fouet & excitat. Propterea dixi ſæpe reſpiciendum eſſe ad autorem harum hiſtoriarum (ſcripturæ) Spiritum ſanctum, cuius lingua non eſt leuis aut ocioſa, ſed docet de rebus grauiſſimis vtiliſſimis ſanctiſſimis.

TRIA GENERA REVELATIONIS DIVINAE.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 507. Ioel. cap. 2. Tria hic genera diuinæ reuelationis ponit. Primò Prophetiam, quæ eſt vbi clarè & rotundè prædicatur myſterium Chriſti, hoc eſt gratia per Chriſtum mundo exhibita, vt quando Ieremias ait: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & quando Paulus aut alij Apoſtoli euidenter ſcripturam interprætantur de Chriſto, hæc interprætatio eſt Prophetia. Secundò ſomnia ſunt, vbi quædam imagines in ſomnis offeruntur, quæ tamen interprete Spiritu intelliguntur, ita vt nihil dubitent ij, qui eas viderint, quin Dei ſint. Tertiò viſiones ſunt, quæ oculis ſubijciuntur, habent enim certam analogiam, cum rebus conſentientem, vt quando Ioel vidit locuſtas & erucas & bruchos, quando Eſaias vidit gloriam Domini ſupra templum.

Item Tom. 4. Ienenſ. fol. 807. Ioel. cap. 3. Quæritur de modo, quo hæc hominibus per Spiritum ſanctum ſunt patefacta. Hic primò omnium meminerimus, quia Spiritus ſancti beneficio miniſterium verbi in Eccleſia ſemper conſeruatum eſt, plurimorum animos per ipſum verbum excitatos eſſe, vt futurum Chriſti regnum in verbo vocali, tanquam in tabula adumbratum cernerent, & poſtea clarius ceu coloribus illuſtratum, & in bono lumine poſitum mundo proponerent. Sic conciones illæ Dei & Sanctorum Patrum, quas Moſes paſſim recitat, Dauidem, Eſaiam, Ieremiam, præclarè erudiuerunt.

Daniel lectione Prophetiæ, per Ieremiam reuelatæ, vt ipſe refert excitatus, cogitat de fine captiuitatis, & orans pro reliquijs populi, per Angelum edocetur

etiam de tempore aduentus Christi. Etsi igitur Angeli ministerio hoc didicit Daniel, tamen initia & quasi occasio ex diligenti verbi lectione orta sunt. Et Christus ostendit scrutantibus scripturas, reuelatum iri mysterium regni cœlorum. Hoc igitur primum medium est, quo Deus patefacit mysterium fidei, & Christi cognitionem Sanctis Prophetis. Esaias legens concionem de Semine mulieris contrituro caput serpentis, & de serpente arrepturo calcaneum Seminis ipsa diligenti cogitatione de his rebus, per Spiritum sanctum accepit illud lumen, vt de morte & passione Christi sic disertè vaticinaretur, & ostenderet simul eum natura Deum esse. Nam Satanam vincere non est hominis, sentire autem morsum serpentis, est hominis, non Dei. Dauid eandem Prophetiam legens, per Spiritum sanctum admonitus, etiam vidit hoc Semen esse Dei filium, ideò Dominum appellat Psal. 110. In 2. autem disertè ex Deo natum & æternum ostendit. Esaias quoq; legens vaticinium Iacob, quòd deficiente Sceptro & Prophetia Christus venturus esset, vidit ex radice Iesse, tanquam ex mortuo stipite, enasciturum virgultum seu frondem Filium Dei. Etsi autem quod ad Christi regnum attinet, omnia impleta sint, tamen ad diligentem scripturæ lectionem, nos exhortari hæc debebant. Videmus enim diligenti cogitatione & pia meditatione hæc illustriora fieri, non quòd ea nostra sit sagacitas, sed quòd Spiritus sanctus verbo seu organo vtitur, per quod accendit & mouet corda.

Alius Reuelationis modus est per Angelos, sicut constat Danielem de tempore Messiæ, quo Filius Dei nascendus erat, edoctum esse, sicut autem quædam noui Testamenti historiæ clarius exponunt. Angeli non semper humana forma præbuerunt se videndos, Sicut viderunt Angelos Gedeon, Manoha, & alij, nec semper locuti sunt Angeli humana voce, sicut ad Mariam, sed per somnia & visiones ostenderunt futura. Nam ista somnia fatidica, non humanum quiddam aut fortuitum sunt, sed immittuntur per Angelos bonos, sic mouentes sensus, sicut certum est malos Angelos esse instructores turpium & terribilium somniorum. Vocantur autem somnia quoque visiones aliquando, cum scilicet imagines futurorum euentuum proponuntur. Sicut Nebucadnezar videt arborem, Pincerna Aegyptius, videt se tenere vuas & porrigere regi. Propriè tamen visiones dicuntur, cum non dormientibus, sed vigilantibus obijciuntur quædam imagines de futuris, sicut Daniel vigilans videt arietem ad aquam &c. Ad hunc modum etsi Prophetia, somnium, visio, distinctæ res sunt, tamen idem omnium est finis, vt per hæc de futuris euentibus Deus doceat.

LEGEM ET EVANGELIVM COMPLECTITVR.

Tom. 3. Ienens. fol. 70. In libello, Quomodo libri Mosi legendi sint &c. Sæpe hoc dictum est, Deum bis tantum manifesto testimonio, & voce palam de cœlo sonante, tradidisse verbum suum, quod certò scirent homines esse doctrinam diuinitus patefactam. Semel cum Populo Israel & legem tradidit, & politiam peculiarem instituit. Iterum cum misso visibiliter Spiritu sancto, per Apostolos Euangelium in omnium gentium linguas spargere cœpit. Etsi enim & aliàs cum Patribus, Adam, Noha, Abraham, Isaac, Iacob, adeòque & per illos alijs locutus est, vsque ad Mosen, tamen id non est factum eiusmodi aliqua manifesta in omnium oculos incurrente specie seu pompa, & publicè de cœlo sonante voce, sed priuatim Patribus ostensa specie, verbum suum sonante, tanquam luce ipsorum cordibus affulsit, & per ministerium vocis eorundem etiam in alios sparsit, qui eos audierunt, vt pater Baptistæ Zacharias inquit, sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum, inde vsque ab initio. Quemadmodum & hodie per ministerium vocis humanæ nobis loquitur. Nam vniuersum ministerium, in Ecclesia omnibus

temporibus

temporibus mundi, nihil aliud est, quam perpetuum quoddam testimonium, & propagatio illius cœlestis vocis, quam semel Deus voluit manifestis signis palam edere.

DE FORMALI CAVSA.

VERBVM SOLA ECCLESIA HABET.

Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 1. Sola Ecclesia hoc beneficio fruitur, & habet certam cognitionem ac testimonia Diuina, de veris initijs, & mirabili propagatione doctrinæ, quam & retinet ipsa, & initiò tradidit Deus sua voce primis parentibus, ac voluit eius professionem & testimonia extare in toto illo ordine & serie patrum.

OMNIBVS SECVLIS CONVENIT.

Tom. 2. Ienens. fol. 2. Psalm. 1. In primis id in scripturis obseruandum, quàm prudenter abstineat à nominibus sectarum & personarum. Nam cum hoc Psalmo, sine dubio, Iudæorum populus taxetur primò, sicut ait Apostolus: Iudæo primum & Græco. Et Roman. 3. Scimus quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur, Non tamen dicit Beatus Iudæus, aut Beatus illevel ille, nec in consilio gentium horum vel horum, sed absolutè: Beatus vir & consilium impiorum, via peccatorum, sessio illusorum, & quicunque illi tandem sint, quia non est acceptio personarum apud Deum.

Et hoc fieri fuit summè necessarium, vt verbum Dei cum sit æternum, omnibus omnium hominum seculis conueniret. Nam etsi varient per tempora, mores, personæ, loca, ritus, Eadem tamen vel pietas vel impietas, transit per omnia secula. Sic videmus Prophetas, aduersus falsos Prophetas, Apostolus contra Pseudo Apostolos, Doctores contra hæreticos eisdem Scripturis vsos, cum tamen nec Prophetarum, nec Apostolorum, nec Doctorum, aut suorum aduersariorum nomen, sed piorum & impiorum in illis inuenirent. Deinde ne si vnius personatus nomen assumeretur, iam reliqui ad se non pertinere crederent quòd malum dicitur, Aut ad se solos pertinere quòd bonum dicitur, &c.

VNA CERTA ET SIMPLEX SENTENTIA QVAE-RENDA EST IN SCRIPTVRA.

Genes. Tom. 4. cap. 49. fol. 197. Danda est opera omnibus, præsertim in sacris literis versantibus, vt habeant vnum certum & simplicem sensum scripturæ, nec sint errones & vagabundi, sicut Rabini & Scholastici Theologi, & Professores Iuris, qui perpetuò laborant in æquiuocationibus. Ideò Scholastica Theologia nihil aliud est, quam opinio. Vel sic aiunt, vel sic docendum & credendum est. Idem fit in Iure & Philosophia. Memini enim me legere aliquando Acursium, qui cum hæreret in loco quodam obscuro, varias opiniones recitabat, vel sic accipiendum, vel sic, vel dic, nescio, id quòd liberè fatebatur ipse, & placuit mihi ingenuitas istius Iureconsulti. Id enim variare nihil aliud est quàm nescire.

Qui vero aliquid certò cognitum habet, non dubitat, nec variat, non dicit: Sic vel sic. Ideò summo studio vitandi sunt Rabini, qui impediunt studium sacrarum literarum, non dant operam vniuocationi aut proprietati. Quòd si scripturam ita incertam & æquiuocam legere debeo, legam potius Virgilium & Ouidium. Opiniones verò Rabinorum in scripturis odi & detestor. Plura vide Tom. 2. Ienens. fol. 106. Psal. 8.

PROPONIT RES QVAE SVPERANT CAPTVM HVMANAE MENTIS.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 339. Ieſai. cap. 23. Hæc eſt natura verbi Dei, quòd proponit nobis res, quæ captum noſtrum excedunt. Sic cum promittit remiſſionem peccatorum, promittit impoſſibilia, incogitabilia, & planè deſperata.

AD VERBVM ALLIGATA EST ECCLESIA.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 315. Ieſai. cap. 8. Ne putent fore, vt Deus per ſpeculationes eis reſpondeat, & mittat nouum verbum, remittit eos ad legem ſcriptam, & ad teſtimonium hoc eſt, ad vocalem prædicationem, ne fiant nimium ſpirituales, ſicut noſtri Hæretici hodie, qui clamant, Spiritus, Spiritus. Non ſic inquit Propheta, ſed ad legem & ad teſtimonium, id eſt, Niſi verbum Dei ſecuti fueritis, peribitis, & auferetur à vobis lux, id eſt verbum Euangelii, quo illuminantur, pacificantur, ſerenantur corda. Sic nos ad verbum reuocat, ne ſingulares aliquas reuelationes expectemus. Sic Chriſtus: ſcrutamini ſcripturas. Sic Paulus: Scriptura vtilis ad docendum. Sic Petrus: Habemus ſermonem Propheticum, cui attendamus. Verbum eſt quod mutat & afficit corda, Reuelationes autem inflant & arrogantes faciunt.

Ego neque ſignis neque reuelationibus peculiaribus doctus ſum, neque vnquam Deum pro ſignis rogaui, imò contrarium potius rogaui, ne efferrem me, & ne à verbo vocali abſtraherer, per impoſturam Satanæ. In verbo enim nullum periculum eſt, ſed eſt efficax & mutat corda, quæ non ſunt peruerſa, Rottenſes autem ſpiritus peruerſi ſunt, qui omnia legunt, non tanquam Diſcipuli, ſed tanquam Magiſtri, vt ſuum errorem confirment.

Quare diligenter notandus hic Prophetæ locus eſt contrà factioſos & fanaticos ſpiritus, qui Prophetant ex ſuis capitibus, Ad legem dicit Propheta, id eſt, de lege potius quærendum eſt. Deus enim nobis per Scripturam, & per hominem docentem Scripturam loquitur, quem qui audiunt non falluntur. Reuelationes autem ſingulares de fide fugiendæ ſunt, ſunt enim Satanæ impoſturæ.

Quanquam autem hæc generalis ſit comminatio, tamen potiſſimùm de Iudæis tempore Chriſti intelligitur, qui & lucem verbi & pacem cordis amiſerunt, & excæcati indignantur Chriſto noſtro, Regi ſuo, ſunt famelici, id eſt, indurati auida expectatione Meſſiæ torquentur, de die in diem ardentiores, cupidiores, & induratiores fiunt. Si ſurſum vident, Clamauerunt inquit, & ego non audiui. In terra quoque nihil niſi tribulationes cernunt. Sunt horrendæ comminationes, aduerſus eos qui verbum fidei relinquunt, quæ nos monere debent, vt humiliemur & ſimus parati doceri à verbo Dei contra Papiſtarum calumniam, qui clamant Eccleſia, Eccleſia, Nos autem clamamus, lex & teſtimonium, & ponimus infra hæc Eccleſiam, quæ Euangelium accepit. Non enim ſequitur, Eccleſia habet poteſtatem accipiendi Euangelium. Ergo habet etiam poteſtatem mutandi Euangelium, pro ſua libidine, ſicut ipſi impudenter aſſerunt.

VERBVM PERFECTE PVRVM ESSE DEBET.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 123. Fides nihil ſuffert, & verbum nihil tolerat, ſed perfectè purum

pturum esse debet verbum, sana per totum doctrina semper, vt Scopus sit vitæ & operum dirigendorum.

SCRIPTVRA EST IN TIMORE DEI ET HVMILITATE TRACTANDA.

Tom. 1. Ienes. fol. 165. de 8. Præcepto. Cum scriptura sancta velit in timore & humilitate tractari, & magis studio piæ orationis penetrari, quàm acumine ingenij, impossibile est, quòd sine domo sint, vel suo proprio vel aliorum quos docent, qui nudo ingenio freti, in eam irruunt illotis pedibus, sicut porci, tanquam sit humana quædam scientia, adeò nullo reuerentiæ discrimine versantur in illa. Indè veniunt tot promptuli ad docendum, qui statim cognita Grammatica, Theologiam sine omni studio profitentur dicentes: Hem, Biblia res facilis est. Maximè autem id faciunt, qui distenderunt ventrem suum siliquis illis porcorum (id est Philosophorum) Vndè de eis conqueritur B. Hieronymus, quòd arbitrio suo trahunt repugnantem scripturam, & iam prouerbium factum est: Scripturam habere cereum nasum.

Hoc effecerunt insulsi illi & inepti somniatores, ludentes in sensu literali, allegorico, morali, anagogico, & vocantur Doctores Scholastici, & hoc proprijssimo veroque nomine, Scolastici enim sunt, id est, ludicri & lusores, imò & illusores tam sui quàm aliorum, qui neque quid sit litera, neque quid Spiritus cognouerunt.

VERBVM CRESCIT SI ID TRACTAVERIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 275. Cantic. 1. cap. Verbum crescat tibi, si id tractaueris. Est enim verbum talis thesaurus qui tractando crescit & distribuendo, seruando autem perit, oportet vt sit in assiduo vsu. Quò enim magis docetur, auditur, discitur, eò magis & clarius intelligitur.

IN VERBO SEV DIVINIS VIDENDVM, NON QVID DICAT SED QVIS DICAT.

Genes. cap. 6. Tom. 1. fol. 126. Vsitatum præceptum est: Spectandum non quis sed quid dicat, propterea quod Sæpe Doctorum certa extent vicia: Ita cum de Dei præceptis, & vera obedientia agimus, inuertenda hæc sententia est. Hic enim non quid dicatur, aut præcipiatur spectandum est, Sed quis dicat. Si enim in præceptis diuinis spectes quid dicatur, & non quis dicat facilè impinges. Sicut Heuæ exemplum ostendit. Hæc enim cum non de præcipiente cogitat, sed tantùm in præceptum intuetur, parui momenti esse ducit, gustare pomum. Sed quantum inde toti generi humano creatum est periculum?

Qui autem respicit ad præcipientem, hic profecto etiam in speciem viliſſima, ducet esse maxima. Paptistæ exiguum quid esse putant, gubernare politiam, esse coniugem, educare liberos. Sed practica ostendit esse res maximas, quas humana sapientia nullo modo potest consequi, & videmus etiam Spiritualissimos nonnunquam fœdè lapsos. Igitur si respiciamus ad præcipientem, facilè apparebit, etsi quæ Deus præcipit, videntur communia & vilia, tamen summa esse, nec posse præstari aut impleri ab illo homine, nisi diuinitus adiuuetur.

VERBVM PROMITTENTIS ET IVBENTIS DEI DIFFERT.

Geneſ. cap. 28. Tom. 3. fol. 87. Audire verbum Dei promittentis & benedicentis, longè aliud eſt, quàm audire præceptum, quo iuberis aliquid facere aut pati. Id ſatis perſpicuum & manifeſtum eſt differre verbum promittentis, & præceptum iubentis aliquid facere. Ergo & legendæ Sanctorum, & tota vita diſtinguatur in hæc duo: In verbum Dei & opus noſtrum. Illud Dei ſolius eſt, hoc noſtrum eſt, videlicet Charitas, patientia, maceratio & Crucifixio Carnis. Hæc eſt vita ſed operum, quæ non appræhendit ſanctitatem verbi, quæ eſt vitæ anima: Ideò neceſſariò præcedit, quia eſt verbum & promiſſio Dei benedicentis, promittentis, recipientis nos in gratiam, remittentis peccata. Id nimirum debet præcedere: Remittuntur tibi peccata. Ego ſum Deus tuus, noli timere Diabolum, ego tecum ſum cuſtodiam te, non deſeram te. Poſt remiſſionem autem peccatorum ſequitur, Tolle grabbatum & vade in domum tuum. Præcedit: Confide Fili, hoc eſt, primùm agnoſce me propitium, placatum, fauentem, abſoluentem. Prius meum beneficium accipias, vt libereris à peccato, & à morte: Poſtea ſanatus tolle grabbatum, & ambula, doce, fac opera. Ita Iacob confirmatus, primùm fide de gratia & benedictione, poſtea ambulat, operatur & patitur.

REGVLAE ET OBSERVATIONES ALIQVOT AD INTELLECTVM ET EXPLICATIONEM SACRAE *ſcripturæ neceſſariæ.*

I. Tom. 2. Ienenſ. fol. 113. in Pſalm. 9. In ſacris literis oportet magis obſeruari verba, quàm nomina, pro intelligendo Spiritu, &c.

II. Tom. 2. Ienenſ. fol. 409. In confutat. contra Latomum. Figura nihil probat. Quod licet de ſacris rerum figuris dixerit (Auguſtinus) nihilominus etiam Grammaticis verborum Figuris aptari commodè poteſt. In nulla enim Scriptura, nedum diuina, figuras captare licet pro mera libidine, ſed vitari debent, & ſimplici, puræ primariæq; verborum ſignificationi nitendum eſt, donec ipſa circumſtantia, aut euidens abſurditas cogat figuram agnoſcere. Alioqui quæ erit Babylonia linguarum & verborum in Mundo? tùm præſtaret mutos eſſe, quàm eloquentes.

III. Item eodem folio. Regulare eſt in Scripturis vbi ſimpliciter & perfectiſſimè vniuerſalem abſq; ſcrupulo, excluſa Synecdoche ſeu particularitate (vt ſic dicam) ſtatuit, non contenta eſt, poſuiſſe vniuerſalem & affirmatiuam, adijcit & vniuerſalem & negatiuam. Quale eſt illud Roma. 3. ex Pſal. 14. Omnes declinauerunt, ſimùl inutiles facti ſunt, non eſt intelligens nec requirens Deum, non eſt qui faciat bonum. Quo loco Paulus hanc Regulam ſeruat & confirmat, concludens ſimpliciter omnes Iudæos & Græcos, hoc eſt omnes filios hominum, ſub peccato. Niſi enim hic excluſa eſſet Synecdoche, tota Apoſtoli diſputatio illic rueret, & nihil pro gratiæ neceſſitate quam intendit, concluderet.

IIII. Tom. 2. Ienenſ. fol. 430. contra Latomum. Scripturæ Synceritas cuſtodienda eſt, nec præſumat homo ſuo ore eloqui, aut clarius, aut ſyncerius, quàm Deus elocutus eſt ore ſuo. Qui verba Dei non intelligit in rebus Dei, per ſe loquentis, non credat ſe intellecturum verba hominis de rebus alienis loquentis. Nemo melius loquitur, quàm qui optimè intelligit. Quis autem res Dei intelligat melius, quàm Deus ipſe? Imò quantum eſt id quod homo intelligit de rebus Dei? Det potius honorem Deo miſer homo, & vel confiteatur ſeſe non intelligere verba eius, vel omittat prophanare ea uocibus ſuis nouis ac proprijs, vt pura nobis maneat genuina ſpecie amabilis ſapientia Dei.

V. Tom. 4.

V Tom. 4. Ienenſ. fol. 763. in Pſalm. 2. Perſonarum mutatio eſt in Ebræo vſitatiſſima. Vt cum dicunt, Viuat Dominus meus Rex, nihil aliud dicunt, quàm viuas tu Rex. Ita hoc in loco, ſi perſonæ mutationem excludas, facilior erit ſententia, Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion, montem Sanctum meum, vt prædicet Decretum meum. Quod ſit Filius meus, quem hodie genui. Sed Scriptura ſancta retinet ſuum morem, cui aſſueſcendum eſt, etſi nonnunquam reddit ſententiam obſcuriorem, Sicut in Pſal. 91. Dominus eſt Spes eius, Altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Clarior ſententia eſſet, ſi primo in loco etiam ſecunda perſona eſſet vſus, Dominus eſt Spes tua, Altiſſimum poſuiſti tibi in refugium.

VI. Geneſ. cap. 4. Tom. 1. fol. 76. Porrò natura ſic ordinatum eſt, vt verba teſtante etiam Philoſopho, debeant ſeruire rebus, non res verbis. Et nota eſt Hilarij ſententia, quam etiam Magiſter in ſententijs citat, Quòd verba intelligi debeant ſecundum materiam ſubiectam. Igitur in omni expoſitione primò ſubiectum conſiderari debet, hoc eſt videndum eſt de qua re agatur. Hoc poſtquam factum eſt, deinde verba, ſi ita fert Grammatices ratio, ad rem ducenda ſunt, & non res ad verba. Hæc quia Rabini, & qui eos ſequuntur non faciunt (nam res amiſerunt & tantùm in verbis hærent) ſæpe in abſurdiſſimas ſententias incidunt. Quia enim non habent cogitationes dignas Spiritualibus rebus, de quibus Sacræ literæ tractant, à re aberrant, & verba trahunt ad vanas & carnales cogitationes.

Certùm autem eſt amiſiſſe Iudæos Chriſtum, quomodo igitur quæ vel Euangelij, vel legis ſunt, rectè poſſunt intelligere? Neſciunt quid ſit peccatum, quid Gratia, quid Iuſticia, quomodo igitur huiuſmodi locos dextrè poſſunt explicare? Similes horum ferè ſunt Sophiſtæ noſtri, quid enim ſani de tantis rebus habent? Re igitur non cognita, impoſſibile eſt vt verba poſſint rectè intelligi. Etſi enim verborum cognitio ordine prior eſt, tamen rerum cognitio eſt potior. Nam mutatis rebus, etiam verba mutantur in alium ſenſum, & fit planè noua Grammatica. De hac Regula plura vide Geneſ. capite 16. Tom. 2. fol. 70. 71. 72.

VII. Geneſ. cap. 4. Tom. 1. fol. 88. Itaque hoc in omni Scriptura eſt Singulariter obſeruandum, ne ſententia poſterior pugnet cum priore.

VIII. Geneſ. cap. 25. Tom. 3. fol. 4. Nomina propria tranſeunt in appellatiua & gentilia, quod in Scriptura ſancta frequens eſt.

IX. Geneſ. cap. 30. Tom. 3. fol. 115. Hactenus ſeruauit Moſes lineam ſiue ſeriem Hiſtoricam in deſcriptione ſex annorum, ſed ea nunc mutatur, & fit ὕστερον πρότερον, quæ figura niſi diligenter obſeruetur in lectione ſacrarum, imò omnium Hiſtoriarum, ſæpe magnas obſcuritates parit. Iam enim ſecundum conſequentiam Hiſtoricam ſequi debebat Natiuitas Ioſeph, poſt Naphtali. Sed illam differt Moſes vſque in tertium Paragraphum, & redit ad Leam quæ duobus annis, & eo etiam quo naſcetur Ioſeph nihil peperit, per figuram ὕστερον πρότερον, id eſt, poſterius prius, qua ſæpe loca obſcuriſſima, in Hiſtorijs reuoluuntur. Auguſtinus libro de ciuitate Dei 16. Anticipationem & recapitulationem vocat. Et eſt vna de Regulis, ad intelligendam Scripturam ſanctam neceſſarijs.

Ioseph deberet esse prius, & poni post Naphtali, sed fit ὕστερον: Lea cum Zilpa ancilla debebant esse ὕστερον & fiunt πρότερον. Sæpe enim in Historijs res diuersæ eodem tempore, sed diuersis locis gestæ sunt: Aliud Romæ, aliud in Græcia. Ibi non describuntur certo ordine. Sed vna Historia pertexenda est ad finem, postea idem tempus repetendum, & alterius etiam narratio absoluenda est. Tempora enim sunt eadem, sed res diuersæ, quæ concurrunt eodem tempore.

X. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 72. Cæterum Regula hæc diligenter notanda est: In sacris literis, Tautologiam non esse ociosam, sed confirmationem nostræ fidei. Sicut Iesaias fere semper eandem rem dupliciter effert, non quòd affectet laudem copiæ, aut sit Tautologus, sed vt certitudinem fidei adferat, vt simus certi de Deo promittente & loquente.

FINIS SCRIPTVRAE. SEV VERBI DEI.

Tom. 4. Ienens. fol. 171. Ex præfat. in Cantic. Scimus hunc totius Scripturæ esse finem, vt doceat, arguat, emendet, ac ad iusticiam instituat, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum. Sicut Paulus dicit 2. Timoth. 3. Hunc finem qui non respiciunt, etsi opinionem eruditionis diuinationibus suis apud imperitos comparant, tamen verum Succum scripturæ non norunt. Nec dissimilis ea eruditio est, corporibus quæ Hydrope infecta sunt, Ea tumore immodica inflata, speciem succi habent, sed qui totus corruptus & vitiosus est.

Item Tom. 4. fol. 379. In præfat. Psalm. 51. Huc omnis scriptura spectat, vt Dei benignitatem nobis commendet, qui hoc agit per Filium suum, vt Naturam in peccatum & damnationem prolapsam iusticiæ & vitæ restituat. Hic nihil agitur de hac corporali vita, qui victus, quæ operæ sint suscipiendæ, quomodo regenda familia, quomodo colenda terra, &c. Hæc ante hominem in Paradyso creata sunt, & hominum in manus data, cum diceret Deus: Domini piscibus maris & volatilibus cœli. Sed agitur hic de futura & æterna vita, de Deo iustificante, reparante ac viuificante, & de homine à iusticia & vita prolapso in peccatum & æternam mortem. Qui hunc scopum sequitur in lectione sacrarum literarum, ille cum fructu sacra leget.

FRVCTVS SCRIPTVRAE VERBI DEI.

Tom. 1. Ienens. fol. 302. Galat. cap. 1. SANAT. Misit verbum suum (nempe Deus) & sic sanauit eos. Venit Homo & verbum suum, & Hæmorrhoissam prius habere facit: hoc est, vt clarè dicam, quoties verbum Dei prædicatur, reddit lætas, latas, securas conscientias in Deum, quia est verbum gratiæ, Remissionis, bonum & suaue. Quoties verbum hominis, reddit tristem, angustam, trepidam conscientiam in seipsa: quia est verbum legis, iræ & peccati, ostendens quid non fecerit & quanta debeat.

FACIT OMNIA BONA.

Tom. 3. Ienens. fol. 309. Iesai. cap. 5. Verbum est verè bonum. Primum quia docet recta, & dicit in periculis ne pereamus. Secundò est lux, quia docet in tribulationibus, non deserit omni auxilio humano destitutos.

Tertiò

Tertiò est iucundum etiam, quia est vita, & adfert animis pacem. Debebamus igitur hanc gloriam verbo, vt sentiremus verbum bonum esse. Sed contrarium fit, quod bonum est, vocant malum, lucem, tenebras &c. Quare accipiunt suas traditiones, eas docent & vrgent, tanquam iucundissimam doctrinam, quia facit ad farinam.

EST SACRA ANCORA IN TENTATIONIBVS.

Tom. 3. Ienens. fol. 324. Iesai. cap. 12. Christiani nulla alia ratione vincunt, quàm per verbum, quàm iactando & canendo Psalmum illum, vt scias nullum victoriæ momentum, in nostris viribus, operibus, iusticia & mentis esse, sed in sola prædicatione verbi vocalis & externi, quod nec Satan nec membra eius, impij homines ferre possunt. Siue igitur tristicia, siue pusillanimitas, siue aliud malum te cruciet, si potes eò perrumpere vt verbum audias, vicisti, Sicut Gedeon solo buccinarum clangore Madianitas fodit. Quare meritò à Satana obsessi iudicantur prophani illi Spiritus, qui Verbum externum contemnunt, tanquam inefficax & corrumpunt. Et prorsus idem per os molitur Satan, quod ante per Papam, tum enim inanibus somnijs obrutæ erant Sacræ literæ, Iam ex illis tenebris erutas, per vanos illos Spiritus contemnit & negligendas suadet.

EST SAGITTA SALVTARIS.

Tom. 3. Ienens. fol. 470. In Psalm. 45. Verbum est Sagitta, de qua hic Propheta dicit. Sicut nos quoque Germanica figura verbum sagittam dicimus, **Der Pfeil kompt nicht auß dem Köcher.** Item, **Ein stich der nicht blutet.** Et est Emphasis in hac figura, quòd non simpliciter verbum significatur, sed acutissima verba penetrantia & stimulantia animum sicut Matth. 7. De Christo dicunt, quòd populus stupuerit ad doctrinam Christi. Docuisse enim eum cum potentia, & non sicut Scribæ, qui quasi stertentes docebant. Sicut Erasmus aliàs eloquentissimus, in Theologia tamen ita frigidè, stupidè, & plumbeè scribit, vt appareat eum nihil seriò agere. **Das es weder hafft noch klappet / es trifft noch wundet nicht** / non ferit, non relinquit stimulos in animis lectorum. Christi autem verbum perrumpit & sauciat, omnia præsidia fiduciæ adimens, & soli Sanguini Christi redemptionem tribuens, hæc pungunt animum & vulnerant. Est autem hæc vulneratio Salutifera. Sic enim occidunt hæc arma, vt viuificent. Nam verbum Dei est efficax & penetrantius quouis gladio. Ideò sequitur, populi cadunt sub te. Id est, humiliantur sub te, deferunt sua studia, opiniones, religiones, voluptates suas, & adorant te, Hic est fœliciſſimus casus, & ruina in salutem, vt qui ante malè steterunt in fiducia propriæ iusticiæ, hi iam fœliciſſimè iaceant in iusticia Christi. Hæc autem fiunt, dicit, non in finibus, sed in medio inimicorum Regis, id est vbi minimè speratur. Penetrat enim Euangelium non solùm in domos Rusticorum, sed in aulas, in cameras & corda principum. Hæc est insignis victoria, qua declaratur potentia & efficacia verbi, quòd vrgat successum & fortunam suam, nec cessat, donec acquirat multos populos, qui percussi salutaribus sagittis, fiant alij homines, & incipiant Christum amare, quem oderant antè, incipiant timere & reuereri Christum, quem antea neglexerant. Hoc est, cadere sub eo. Est autem victoria fœlix & plena consolationis, quæ ostendit potentiam & fortunam verbi.

VERBI ET MANDATORVM DEI VIS.

Genes.

Geneſ. cap. 22. Tom. 2. fol. 191. Dauid Pſalm. 119. dicit: Verbum tuum conſolatio mea in humilitate mea, id eſt, quia habebam verbum tuum, eram animo præſenti, & alacri ad omnia pericula ſubeunda, & viuificabat me eloquium tuum.

Veriſſimum enim eſt, quando quis in vocatione ſua animo perſuaſum habet, quòd Deus velit, & verbo ſuo iuſſerit hoc, quod gerit, tantam vim & efficaciam illius diuini mandati ſentiet, quantam in nullius oratoris, nec Demoſthenis, nec Ciceronis oratione inueniet. Illud circumſtantias omnes declarat: Quid vtile, quid bonum in re ſit, oſtendit, & ſuggerit animo Deum infinitos fines exuperantes ſenſum noſtrum ſpectare, qua fiducia inſtructus animus fortiter pergit, nec de poſſibili, aut impoſſibili, facili, aut difficili ſolicitus eſt. Sicut hanc piorum confidentiam, & ſecuritatem Paulus Rom. 8. magnificè deſcripſit.

Si Gideon & Simſom non habuiſſent verbum Dei, nunquam tantas res geſſiſſent, ſed ſuccubuiſſent oneri & magnitudini rerum. Verùm quia credebant verbo, ſic cogitabant: Ego ſum ad hoc vocatus, & habeo mandatum inuadendi Philiſteos, Madianitas, &c. Pergam ergo audenter. Fides enim eſt quæ hæc miranda opera efficit. Sicut inquit Chriſtus Iohan. 14. Qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet.

Hæc autem in Ethnicis hiſtorijs non videmus, neque nos Chriſtiani ſatis intelligimus, quia ſtertimus, nec credimus mandanti, comminanti, punienti, aut promittenti Deo, ſed ſumus inſenſati. Iſti ſancti Heroes & Patres Abraham, Dauid, &c. crediderunt, ideò tam arduas res geſſerunt. Supra commemoratur quomodo Abraham quatuor reges exiguis copijs deuicerit, eam victoriam non alia re conſecutus eſt, quam fide quæ iuſſu & vocatione diuina nitebatur.

Ita in hac Hiſtoria vincit fide tentationes, quas habuit haud dubiè maximas. Scit Deum præcepiſſe, ideò properat ad executionem, nihil moraturus Saræ aut familiæ, aut vllius creaturę diuerſum iudicium. Hæret enim id infixum animo, quod in Pſalmo dicitur: Lex tua mea maxima conſolatio, quia me viuificat. Ad eundem modum qui habet Certum verbum Dei, in quacunque vocatione, credat tantùm, & audeat, & dabit Deus haud dubiè ſecundos exitus.

VERBO VIVVNT CHRISTIANI PER FIDEM.

Geneſ. cap. 27. Tom. 3. fol. 75. Oportet vt ſimpliciter pendeamus ex inuiſibili Deo, & cum gaudio agamus Deo gratias, quod habemus verbum Dei promittentis, de quo inquit Petrus: Habemus firmiorem Propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo donec dies illuceſcat & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Verbum enim eſt lux vitæ noſtræ, alioqui nihil habemus de gloria. Scio me eſſe Baptiſatum, ſcio me manducaſſe Corpus & Sanguinem Chriſti, eſſe abſolutum, vocatum, & doctum verbo Euangelij, Amplius de vita æterna nihil habeo. Nondum habeo corpus clarificatum, ſuperans ſplendorem ſolis & ſtellarum, ſed habeo animum adhuc prægrauatum, multis magnis malis & terroribus, circumfero corpus obnoxium multis infirmitatibus & morti. Nihil minus igitur cum in corpore, tum in anima apparet, quam vita æterna. Sed promiſſio non fallet nos. Hæreamus igitur & perſiſtamus in fide & ſpe, & ſimus contenti verbo promittente.

Conſolatur

CONSOLATVR ET ERIGIT ADFLICTOS.

Geneſ. cap. 31. Tom. 3. fol. 129. Neque fruſtra loquitur Deus. Nec offert verbum ſuum ocioſis & ſecuris. Sed his qui egent, qui laborant, qui adfliguntur, & ſuſtinent difficillimum certamen aduerſus carnem, & omnia apparentia, hoc eſt, ea quæ ſecundum ſenſum, & rationem humanam pugnant cum fide. Hebr. 11. vt adflicti vnico præſidio verbi Dei niti & ſuſtentari queant. Non habitat ſapientia inquit Hiob, in terra ſuauiter viuentium. Quia eſt verbum crucis, & deſperationis. Ideò pertinet tantum ad vexatos, & mortificatos, deſpectos, deſperatos, oppreſſos: Qualis fuit Iacob in exilio ſuo, apud ſocerum iniuſtum & auarum, qui nihil largiri & omnia rapere & deglubere conabatur, &c.

COLLIGITVR VERBO ECCLESIA.

Geneſ. cap. 35. Tom. 3. fol. 193. Verbum non docetur ſine fructu, ſed colligit cœtum aliquem in mundo, non tantum ex ijs, qui vocaliter audiunt, & qui ſunt in Eccleſia Patriarcharum, ſed etiam exteros & alienos, qui ſunt præordinati adducit.

DE VTILITATE VERBI VOCALIS CONTRA ENTHVSIASTAS.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 336. In Matth. cap. 13. Duo hic notanda, primum contrà Spiritus fanaticos, qui verbum vocale putant inutile eſſe, quia in plurimis non fert fructum. Stulti, ſcilicet quaſi ipſi fructus ferant, cum hoc ipſo quod verbum Dei contemnant ſint peſſimi. Hæc Hæreſis vulgata eſt, maximeque communis. Quia omnis homo ſic eſt, vt promptus ſit alios iudicare, ſeipſo neglecto. Vnde & poeta dicit: Nemo tentat in ſeſe deſcendere, ſed præcedenti ſpectatur mantica tergo. **Da wird nicht anders auß / ſolch Narrheit muß man der Welt laſſen** / quòd trabenſes iudicant feſtucenſes, **Groſſe Diebe hengen die kleinen Dieb/ groſſe Schelcke ſtraffen kleine Schelcke.** Hoc eſt, Mundus fuit, eſt & manebit Mundus. Sicut & princeps eius Diabolus accuſat, damnat & occidit Sanctos Dei, cum ipſe ſit omnium damnatiſſimus. Ita fit in Eccleſia, vt eiuſmodi homines damnent Sanctos propter aliqua, quæ propter uerbum Dei faciunt. Et quærunt Eccleſiam ſeu Sanctos ſine peccato, quam tamen impoſſibile eſt inuenire. Ideò concludunt, aut eos verum verbum non habere, aut verbum externum eſſe inutile.

Sed hic vides quod ſemen in terra bona fert fructum, imò niſi eſſet ſemen, non ſequeretur fructus in terra. Ita niſi verbum vocale eſſet in Eccleſia, nullus eſſet fructus in ea. Ideò ſumma ſapientia eſt, non offendi multitudine verbum contemnente. Nemo credit, quàm magni viri etiam hodie hoc ſcandalo pereant, qui in Eccleſia nihil niſi ſumma ſpecie ſanctum putant eſſe videndum. Sic primò Donatiſtæ ab Eccleſia receſſerunt, quia malos in ea mixtos videbant, poſtea ipſi inter ſeſe quoque diſcordes. Et receſſerunt Maximianiſtæ à Donatiſtis, quia malos inter eos inuenerunt. Eadem inſipientia Nouatiani ab Eccleſia receſſerunt, & multæ aliæ hæreſes, quibus ſemper fuit hæc cauſa, quòd malos non voluerunt ferre, de quibus Auguſtinus copiosè contra Donatiſtas. Ideò nihil mirum ſi hodie quoque iſta inſipientia perdat multos, & offendat etiam inſignes viros, vt taceam, Muntzerum & fanaticos alios. Sed inexcuſabiles ſunt, præſertim ſi Chriſtiani eſſe volunt. Quia hoc caput Matthei vel non legunt, vel contemnunt. Si enim legerent & crederent, ſatis apertè hic viderent,

Semen,

ſemen, id eſt, verbum Dei, vix in quarta parte vtile eſſe. Et tres partes habere idem verbum cum quarta, & tamen manere malos. Cur iſta vel non legunt, vel non credunt ? Haberent hic ſolutionem potentiſſimam iſtius Quæſtionis, ſcilicet, Quomodo fieri poſſit, vt verbum ſit verum & vtile, & tamen quarta tantùm pars fructificat. Quorum vitio ? Verbi ? Non. Sed terræ ſeu auditorum. Idem verbum omnes audiunt, ſed non omnes fructificant.

Nonne igitur furor eſt manifeſtus, tribuere culpam verbo, quæ eſt auditorum ? ſcilicet, Homo non curat verbum auditum, ergò verbum non eſt verum verbum. Diabolus non amat Deum, ergo Deus non eſt verus Deus. Filius non honorat patrem, Ergo Pater non eſt verus Pater. Latro non obedit principi, Ergo princeps non eſt verus princeps. Hac amentia percuti debent homines ingrati & ſuperbi, vt dicant & faciant non niſi peruerſa. Et tamen vt dixi, communis eſt iſta peſtis, quod iudicant homines de verbo, ex fructib. particularibus, & vitioſiſſimè ſic colligunt, Vbicunque non fiunt omnia verbi, ibi non eſt verbum verum. Apud hos aut alios non fiunt omnia verbi. Ergo non habent verbum. Maiorem negat præſens Euangelium, dicens, multa verbi non fieri, vt inter ſpinas, petroſa, in via. Ergo eſt falſa. Sufficit ergo ad veritatem verbi, quarta pars agri boni. Imò ſeptem milia virorum in Iſrael ſub Elia, & reliquiæ in Eccleſia. Reliquiæ enim ſalui fiunt non tota maſſa. Ergo qui totam maſſam ſpectant, meritò offenduntur verbo, ſed qui reliquias ſpectant, ſciunt quòd ſatis ſit, fructum eſſe in reliquijs, etiamſi in alijs ſit inutile. Hoc de primo.

Secundò notandum, pro nobis, id eſt, pijs, vt conſolationem habeamus ſi non omnes verbum noſtrum audiant, ne frangamur aut deſperemus, aut deſeramus verbum, quòd multi imò plurimi ipſum contemnunt, ſaltem propter electos doceamus, & ſpectemus reliquias ſaluandas, Abeant aliæ tres partes ad Diabolum. Si principes non credunt omnes, tamen vnus atque alter, Si ruſtici non omnes boni, ſatis eſt duos aut tres bonos eſſe, ſi cadunt docti & ſancti plurimi, ſufficit quòd paucos retineamus. **Es wil doch nicht anders ſein / wir werden müſſen Dornen laſſen Dornen bleiben / vnd können nicht zur guten Erden machen. Alſo müſſen wir auch** Viam **vnd** Petroſa **laſſen bleiben / vnd vns der guten Erden tröſten / welche darumb auch nicht zu Dornen wird ob jhr Nachbar Dornen ſind / vnd darumb jhre Frucht des Samens nicht verhelt / ob die Dornen den Samen erſticken.** Eſt vt dixi ſcandalum maximum, tam multos eſſe contemptores, ſed ſolatium diuinum, quòd certi ſumus laborem noſtrum non eſſe inanem (vt Paulus ait Cor. 15.) quia verbum Dei non venit vacuum, ſed eſt Virtus Dei in ſalutem credenti, & Spiritus per ipſum venit, ſaltem in quartam partem terræ.

SOLVTIO ARGVMENTI SCHVVENCKFELDII, NVLLVM EXTREMVM PRODEST AD SALVTEM.

Tom. 2. Geneſ. cap. 19. fol. 133. Hæretici hac in parte valde errant, & connectunt inconſequentia, cum de verbo vocali, & de Sacramentis diſputant, Ac Deum prorſus nudant miniſterio : Qui enim verbum tollit & id non accipit tanquam à Deo dictum, is tollit omnia. Aufer verbum de Baptiſmo, de Abſolutione, de Cœna Domini, & nihil erunt.

Non ſolùm ſtultum igitur, ſed etiam impium Sacramentariorum argumentum eſt, quòd dicunt externa nihil prodeſſe ad Salutem, & poſtea cumulant exempla & ſententias ſcripturæ. Caro non prodeſt quicquam &c. Faciendum enim diſcrimen eſt inter externa, & non ita in genere omnia externa abijcienda ſunt.

Nam

Nam externa rectè tum damnantur, quòd ad ſalutem nihil proſunt, cum ſunt humano arbitrio, ſeu potius temerariè ſine verbo Dei inſtituta. Alioqui Deus vult per ſuarum creaturarum miniſterium agere. Ideo ante omnia hoc conſiderandum eſt, an externa iſta fiant ſecundum inſtitutionem & voluntatem Dei, vel non. Si verbum ſeu inſtitutio Dei non adeſt, tunc rectè dicis externa nihil prodeſſe ad ſalutem, ſed etiam nocere. Sicut Chriſtus Matth. 15. dicit: Fruſtra me colunt mandatis hominum.

Sed ſi vides externa iſta niti verbo, & diuino mandato inſtituta eſſe, ibi genu flexo tacitus adora iſta externa & dic: hoc non iubet fieri meus paſtor non Petrus, non Paulus, ſed meus Pater in cælis, igitur in humilitate obediam, & credam obedientiam hanc profuturam ad Salutem.

Hæc diſtinctio admodum neceſſaria eſt, quam quia vel neſciunt vel negligunt Hæretici, in deformes errores incidunt. Non enim vniuerſaliter & abſolutè verum eſt, quòd Schuuenckfeldius ſic argumentatur. Nullum externum prodeſt ad ſalutem, Baptiſmus, Prędicatio Euangelij, Cœna Domini ſunt externa. Ergo nihil ad ſalutem proſunt. Maior manifeſtè falſa eſt. Diſtinguendæ enim res externæ ſunt. Aliæ enim ſunt meræ humanæ, & ab hominibus confictæ, de his maior vera eſt. De ijs autem quæ diuinitùs inſtituta & iuſſa ſunt, Maior non eſt vera: Nam nobis ad ſalutem inſtituta ſunt, ſicut Chriſtus de Baptiſmo dicit: Qui crediderit & Baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Et Paulus: Confeſſio fit ore ad ſalutem.

Sic verbum vocale eſt quidem vox hominis, ſed autoritate diuina inſtituta ad ſalutem. Vult enim Deus gubernare Mundum, per Angelos & homines creaturas ſuas, tanquam per ſua miniſteria, ſicut lucem dat per Solem, per Lunam, etiam per ignem, & candelas. Hic etiam poteras dicere nulla externa res prodeſt: Sol eſt res externa. Ergo nihil prodeſt, hoc eſt non lucet, non calefacit, &c. Tam fatuum argumentatorum quis ferret?

Manet igitur regula de qua ſupra etiam dixi, quòd Deus non amplius vult agere ſecundum extraordinariam, ſeu vt Sophiſtæ loquuntur abſolutam poteſtatem, ſed per creaturas ſuas, quas non vult eſſe otioſas. Sic dat victum, non vt Iudæis in deſerto, cùm cœlitus daret Manna, ſed per laborem, cùm diligenter facimus opus vocationis noſtræ, nec vult amplius homines ex gleba fingere, ſicut Adamum, ſed coniunctione maris & fœminæ vitur, quibus benedicit. Hanc vocant Dei ordinatam poteſtatem, cùm ſcilicet vtitur miniſterio vel Angelorum vel hominum. Sicut in Propheta Amos cap. 3. notabilis ſententia eſt, Deum nihil facere, quòd non prius ſignificet Prophetis ſuis.

Si qua autem nonnunquam fiunt extra miniſterium, vel Angelorum vel hominum: Ibi rectè dixeris, Quæ ſupra nos nihil ad nos, nobis enim ad ordinatam poteſtatem reſpiciendum, & ex ea iudicium ſummendum eſt. Poteſt Deus ſaluare ſine Baptiſmo, ſicut credimus infantes, qui nonnunquàm parentum negligentia, aut alio caſu Baptiſmum non conſequuntur, non ideo damnari, ſed nobis in Eccleſia ſecundum ordinatam Dei poteſtatem iudicandum & docendum eſt, quòd ſine Baptiſmo illo externo nemo ſaluetur. Sic ordinata potentia Dei eſt, quòd aqua humectat, ignis vrit, &c. Sed in Babylone in medio igni Danielis ſocij incolumes viuebant. Hæc fuit potentia Dei abſoluta, ſecundum quam tum agebat, ſed ſecundum hanc nihil nos iubet. Vult enim nos facere ſecundum ordinatam potentiam.

Recitatur ſententia Dioniſij in ſcholis. Deum operari per Eſſentiam: nos per qualitatem defluxam, ſed hæc quis intelliget? Qui autem illum Canonem, quem poſuimus rectè tenet, is poteſt iudicare Papam & Mundum in omni ſua ſapientia, quòd ſcilicet Deus ordinatè omnia agit, per miniſterium hominum. Ne-

mo igitur consequetur salutem, spiritualibus vt vocant speculationibus, sine externis rebus. Verbo attendendum est, Baptismus petendus, sumenda Eucharistia, Absolutio requirenda. Hæc quidem omnia externa sunt, sed in verbum inclusa. Igitur sine eis Spiritus Sanctus nihil operatur.

Ante hoc tempus priusquam Deus lucem Euangelij ostenderet, multa Scripta & dicta sunt, de vita speculatiua, & actiua: ac in Monasterijs vtriusque sexus, qui ferè fuerunt optimi, occupati sunt hoc studio, vt offerrentur eis visiones & reuelationes. Hinc etiam factum est, vt quidam omnia sua somnia annotarent: Hi scilicet omnes expectauerunt illuminationes singulares, sine externis rebus: Sed hoc quid aliud est, quàm sine scalis velle ascendere in Cœlum? Igitur præstigijs Diabolicis sæpissimè delusi sunt.

Rectè igitur Pater quidam in Heremo iudicauit, cùm enim videret Monachos suos talibus speculationibus indulgere, monuit eos hoc verbo vt abstinerent. Si inquit, videris tibi ascendere in Cœlum, & iam vnum pedem figere super limen Cœli, statim eum retrahe, nec sequaris altero pede. Hic damnauit speculationes, seu vitæ genus speculatiuum, quod indocta & imperita posteritas tantis laudibus euexit. Qui enim rectè speculari volet intueatur Baptismum suum, legat Biblia sua, audiat conciones, honoret Patrem & Matrem, fratri laboranti subueniat, non concludat se, vt sordidum Monachorum & Monacharum vulgus solet, in angulum, & delectetur ibi suis deuotionibus, ac sic putet se in Dei sinu sedere, & commercium habere cum Deo sine verbo, sine Sacramentis, &c.

Qui tales sunt contemptissimè loquuntur de vita actiua, ac mihi quidem magno constitit, donec ex hoc errore liberatus sum. Placet enim rationi, & vt Paulus appellat, videtur esse Angelorum Religio. Hipocrita Vicelius, & Blasphemus Apostata, aliquando obijciebat mihi, nos nimis externa docere, Spiritualibus insistendum esse, &c. Vult enim ratio ambulare in mirabilibus super se: Sed vos cauebitis hos laqueos Satanæ, & aliam constituetis definitionem vitæ speculatiuæ, quam in Monasterijs docuerunt, Nempè hanc: Vera vita speculatiua est, audire & credere verbum vocale, ac nihil velle scire nisi Christum, eumq; Crucifixum. Is solus cum verbo suo obiectum speculationis vtile & salutare, ab eo caue discedas, qui enim abiecta vel neglecta humanitate, seu carne Christi de Deo, vt Monachi solebant & nunc Schuuenckfeldius & alij solent, speculantur, aut ad desperationem adiguntur oppressi claritate Maiestatis, aut iubilant stultè, ac se in Cœlos positos somniant, decepti à Satana, talibus præstigijs animos ludente. Ac desperantibus quidem succurrj potest, sed istis, qui seu gaudio ebrij, se in sinu Dei sedere putant non item.

Gerson quoque Scripsit de vita speculatiua, ac ornat eam magnis titulis, ac imperiti cùm legunt talia, amplectuntur ea pro diuinus oraculis, sed reuera vt in prouerbio dicitur: Thesaurus Carbones. Igitur seu externum seu ciuilem te appellent Vani speculatores isti, nihil te hic moueat, age tu Deo gratias pro verbo, & externis istis, & relinque istas ampullosas speculationes alijs.

Ego legi tales libros cum magno studio, & vos quoque hortor vt legatis: sed cum iudicio, nec nulla causa est, cur ego hæc sic vrgeam & inculcem, vt in ordinatam Dei potentiam, & ministeria Dei intueamini, volumus enim agere cum Deo nudo, cuius viæ sunt imperuestigabiles, & abscondita iudicia Romanos vndecimo.

Ordinatam potentiam hoc est Filium incarnatum amplectemur, in quo sunt omnes thesauri diuinitatis. Ad puerum illum positum in gremio Matris Mariæ, ad Victimam illam pendentem in cruce nos conferemus, Ibi verè contemplabimur Deum, ibi in ipsum cor Dei introspiciemus, quòd sit misericors, quòd nolit mortem pecca-

tem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ex hac ſpeculatione ſeu contemplatione naſcitur vera pax, & verum gaudium cordis. Itaque Paulus dicit: Nihil iudico me ſcire præter Chriſtum. Huic ſpeculationi cum fructu vacamus.

Illa autem vnio animæ & corporis, de qua Gerſon magnificè diſputat, ſæpe cum magno periculo eſt, & merum Satanæ ludibrium, qui tales deuotiones in animis excitat.

Recitatur Hiſtoria de quadam Moniali, quæ oblectata ſpeculationibus ſuis, ſtudioſè à reliquis ſe ſeparabat, ne impedirentur cogitationes. Hæc cùm videretur ſibi aurea veſte induta, & aurea corona ornata, atque ita ceu nuptijs ſponſa læta ſederet & gauderet, reliquæ Moniales deprehendunt Satanæ ludibrium: Vident enim Coronæ loco in capite ſtercus vaccinum, quod ipſa ſomnibat auream Coronam eſſe. Siue hoc ita ſit factum ſiue non, tamen oſtendit ſæpe homines ſuis ſpeculationibus turpiter deceptos. Qui igitur ſecurus in hac parte vult eſſe, fugiat tales ſpeculationes, & magnificè ſentiat de miniſterio, per quod Deus nobiſcum agit, & ſe quaſi nobis conſpiciendum præbet.

IN VERBO SIMPLICISSIMA FIDE HAERENDVM NON DISPVTANDVM.

Geneſ. cap. 3. Tom. 1. fol. 45. Hac Regula præcipuè opus eſt, ad quam tanquam ad Sacram ancoram reſpiciendum eſt in omni vita, vt poſtquam conſtat hoc eſſe verbum Dei, quod habemus & profitemur, ſimplici fide ei aſſentiamur & non diſputemus curiosè. Nam omnis curioſa diſputatio certiſſimam ſecum adfert ruinam.

Habemus Chriſti verbum manifeſtum de Cœna Domini, vbi de Pane dicit: Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis traditur. De poculo: Hic eſt Calix noui Teſtamenti in meo Sanguine. Fanatici igitur cùm à fide horum verborum diſcedunt & diſputant: Quomodo hæc ſic eſſe poſſunt, paulatim eò labuntur, vt ſimpliciter hoc verbum Chriſti negent & impugnent, ſicut hoc in loco Heuæ accidit.

Sic cùm Arius de Deo cogitat, quòd ſit ſimpliciſſima vnitas, initiò apprehendit hanc propoſitionem. Fortè Chriſtus non eſt Deus. Deinde tantiſper abſurditates colligit, dum planè defendat & ſtatuat certò, Chriſtum non eſſe Deum. Non mouet eum quòd Iohannes clarè dicit: Verbum erat Deus. Non mouet eum, quòd Chriſtus iubet Baptiſari in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Non quòd mandatum habemus credendi in Chriſtum, adorandi & inuocandi eum. Quid autem eſt magis abſurdum, quàm quod nobis ſumimus iudicium de Deo, & verbo eius, quia à Deo iudicari debebamus. Ergo in hoc ſimpliciter conſiſtendum eſt, cùm audimus Deum aliquid dicere, vt id credamus, & non diſputemus, ſed potius captiuemus intellectum in obſequium Chriſti.

Rectè citatur Ieſaiæ ſententia cap: 7. Niſi credideritis, non permanebitis. Nam etiamſi rumpamur, tamen nunquam intelligemus, Quomodo oculus videat, quomodo auris audiat, quid anima ſit, &c. Et tamen hæc in nobis ſunt, his quotidie, & omni momento vtimur in omnibus actionibus. Quomodo igitur intelligemus illa, quæ ſupra omnes ſenſus in ſolo verbo ſunt? Sicut in ſolo verbo eſt, quòd ille Panis ſit Corpus Chriſti, quòd Vinum hoc ſit Sanguis Chriſti, credi debent, intelligi nec debent, nec poſſunt.

Sic quòd ad præſentem Moſi locum attinet, verba erant ſimpliciſſima, Ex arbore in medio Paradiſi non comedetis: Sed rationem horum verborum non intelligebat ratio, quare Deus hæc ita vellet fieri. Dum igitur curioſius inquirit Heua, non contenta eo quod audierat Dominum præcepiſſe, perijt. Quare hæc tentatio verum exemplar eſt omnium tentationum, per quas Satan impugnat verbum &

bum & fidem. Priusquam Heuam subit libido comedendi pomi, amisit verbum quod Deus ad Adamum dixit: Hoc verbum si retinuisset, mansisset reuerentia Dei & fides. Vbi contrà amisso verbo, adest contemptus Dei, & obedientia Diaboli.

Hæc vtilia sunt vt discamus, sicut Petrus dicit, in tentatione fortiter stare, & resistere tentatori, retinentes verbum forti fide, & occludentes aures, ne admittamus ea, quæ à verbo aliena sunt: Verè enim hæc παθήματα Heuæ & Adæ, nobis sunt μαθήματα, ne à verbo & fide abducti patiamur eadem.

APPARITIONES QVOMODO DIIVDICANDAE.

Tom. 2. Genes. cap. 17. fol. 101. Monachi celebrant Patrum suorum Benedicti, Bernardi legendas. Sed profectò Deus in genere, cum quouis Christiano multò copiosius loquitur & familiarius conuersatur, quàm illi iactant de suis Patribus. Imò si in manu mea res esset, non vellem Deum mihi loqui de cœlo, aut apparere mihi. Hoc autem vellem, & tendunt huc quotidianæ meæ præces, vt in digno honore habeam, & verè æstimem donum Baptismi, quod sum Baptisatus, quòd video & audio fratres, qui habent gratiam & donum Spiritus Sancti, qui consolari, erigere verbo possunt, exhortari, monere, docere. Quum enim tu optas meliorem & vtiliorem Dei apparitionem ?

Sed proh dolor, superbi Spiritus contemnunt hæc, & nos quoque communes has apparitiones in verbo, Baptismo, Cœna, &c. Non ponimus eo loco quo debebamus. Id autem duceremus nobis glorioſum, si vt Munzerus gloriabatur, Deus nobis loqueretur visibiliter, sed euentus ostendit, qualis Deus fuerit: Satan scilicet affectans Maiestatis gloriam.

Hæc inculcanda sunt sæpius, & non sine causa à me repetuntur. Abraham si conferatur nobiscum, qui viuimus in nouo Testamento, magna ex parte, modò rem æqua lance expendas, nobis minor est. Priuata quidem dona in eo maiora sunt. Sed Deus non se exhibuit illi propiorem aut familiariorem quàm nobis. Sit sanè magna Gloria habere apparitiones illas: quid inde habuit Abraham maius aut melius, quàm quòd Deus cum ipso locutus est ? Hoc autem nobis quoq; & quidem quotidie accidit, quoties & quocunque in loco volumus. Hominem quidem audis, cum Baptisaris, cum Cœna Sacra vteris: Sed verbum quod audis, non hominis: Sed viuentis Dei verbum est. Is te Baptisat, is te Absoluit à peccatis, is iubet vt speres in sua misericordia.

Magna autem ingratitudo est, has Dei facies, vt Scriptura vocat, negligere, & quærere interim apparitiones, & reuelationes alias. Itaque tales in Papatu dederunt sanè dignas pœnas, dum Satan stultis, ineptis absurdis apparitionibus eos ludificatus est, quas tamen Monachi magnificè efferunt & ornant. Pontifices autem suo testimonio comprobarunt & confirmarunt.

Sed cum iudicio talia legenda sunt, nec statim credendum quid quisque dicat: Ad normam fidei examinandæ sunt omnes apparitiones, & quærendum sint ne analogæ fidei, an verò, vt plerumq; accidit, cum verbo reuelato pugnent. Ad hunc enim modum Moses etiam Prophetas vult iudicari, vt si quid contra reuelatum verbum afferunt, non audiantur etsi signa & miracula faciant, Deut. 13.

Pono autem aliquas apparitiones esse veras, quales feruntur de Dionysio & alijs, tamen eas non curo. Non quidem quòd penitus contemnam, sed quia scio, quòd nihil sunt ad Baptismum, ad Cœnam Domini. Imò ad colloquium pium, quod habere possum cum quolibet pio fratre. Hæ enim apparitiones sunt generales, & certissimæ, quæ fallere non possunt.

Disce igitur hoc, quòd in omni vita, opere & re maximè spectandum sit verbum Dei. Patriarchis & Prophetis Deus singulariter apparuit, siue in somnis

siue

siue in visione, seu per Patriarcharum, nonnunquam etiam Angelorum vocem. Tales reuelationes seu apparitiones nos non desideramus, sed sumus contenti, ac Deo gratias quàm maximas agimus pro nostris apparitionibus & faciebus Dei, quas videmus in Baptismo & toto verbi ministerio. Ibi enim frater fratri fit Angelus, Absoluit eum à peccatis, consolatur, instruit, munit, monet, exhortatur &c.

Hæ sunt nostræ apparitiones, quas meritò facimus maximi. Agnoscimus enim per eas Deum, & consequimur vitam æternam. Distinguendæ igitur sunt legendæ seu vitæ hominum. Si enim Deus nunquam mihi apparet visibiliter sicut Abrahæ, ne quidem id cupio, & quod plus est, credere vellem Deum esse, nisi manifestò cogerer. Quia & salutem æternam mihi satis est, quòd sum Baptisatus, quòd audio Euangelium, quòd virtute clauium Absoluor.

Quòd si Deus vult me alloqui in somnio & monere de rebus temporalibus, sicut monebat Magos redituros ad Herodem. Benè. Sed ad vitam æternam nulla alia reuelatione mihi opus est, nullam igitur cupio : Etsi offerretur suspecta mihi esset ob Satanæ insidias, qui se in Angelum lucis transformare Solet. Abundè enim se mihi Deus ostendit, in Baptismo & Ministerio.

Apparuit inquit Paulus Tit. 3. Philantropia seruatoris nostri Dei, saluantis nos non ex operibus, quæ sunt in iusticia, quæ fecimus nos sed secundum misericordiam suam per balneum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos oppulenter, per Christum Iesum seruatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia, hæredes fiamus secundum spem vitæ æternæ.

Hic certus sermo est. Si igitur legeris Historias Sanctorum, & inueneris in eis mirabilia opera, & mirabiles apparitiones, cum iudicio eas lege, ac certò hoc statue, nullam apparitionem gloriosiorem esse, & augustiorem nobis quoq; conducibilorem illa generalissima omnium Christianorum, per quam consistit, alitur & conseruatur tota Ecclesia. Hæc substantialis est, & vniuersalis. Illa Abrahæ & Prophetarum accidentalis & particularis.

Taceo de nugis Monachorum indignis luce & memoria. Sunt enim maxima ex parte præstigiæ Satanæ ad fallendum & nocendum instructæ. Ideo examinandæ sunt ad analogiam fidei, & scripturæ Canonem. Apparitiones Gregorij admodum sunt celebres, quas ipse credidit veras, & impleuit suo exemplo Ecclesiam infinitis erroribus. Credidit enim Sanctorum animas se videre & audire, postulantes suffragia non Christi, sed superstitum in terra : Item operum præsidia, eleemosynas, ieiunia.

Sed examinentur hæc ad Scripturæ Canonem, quid hæc omnia ad mortuos, & futuram vitam ? Sed Gregorius neglecto hoc Canone credidit ista vera esse, & dedit exemplum omnibus Monachis sequendi ista, & docendi in Ecclesia. Obscurata igitur gloria ministerij verbi, & verarum ac salutarium apparitionum est, & amplificatæ nugæ istæ : Imò Satanæ pernicioſæ impostura.

Magnum autem donum est, quod diuina misericordia nobis hanc lucem verbi iterum accendit, vt sciamus vbi quærendus, & verè inueniendus Deus, non Romæ, non in Hispanijs vltimis, sed in Baptismo, in Euangelij voce, in vsu Clauium, imò quoque apud quemlibet fratrem, qui mecum confitetur & credit in Filium Dei. Hæ sunt Epiphaniæ, seu apparitiones omnibus Christianis communes. Ac in ista particulari apparitione, quam Moses hoc in loco describit, nihil est augustius & maius, quàm quòd Deus cum Abraha loquitur, tanquam cum familiarissimo amico.

Atque idem si volumus, habemus nos quoque, & quidem copiosius quàm Abraham. Si igitur viueret, Sine dubio indignaretur quòd tantas glorias, & tantas diuinæ misericordiæ opes tam indignè contemneremus.

Ideo Moſes quoq; hoc beneficium magnificè prædicat. Deut. 4. Non eſt alia Gens, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut Deus adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Sic Eſaias gloriatur, quòd Deus habeat ſedem, & ignem ſuum in Hieruſalem, Ieſai. 32. Sed profectò maior noſtra gloria ea in nouo Teſtamento: Non ſolùm habemus Deum appropinquantem nobis, ſed etiam corporaliter inhabitantem in nobis. Quòd ſi perſona eius non apparet, vt eum de ore ad os videamus, tamen apparent verbum & opera eius.

DE SOMNIIS IN GENERE.

Geneſ. cap. 37. Tom. 4. fol. 6. In genere eſt aliquid dicendum de ſomnijs, quam quidem materiam ſcio valde copioſam eſſe & latè patentem, ideo breuiter me expediam. Quia non ſum idoneus ad habenda, aut interpræ-tanda ſomnia, neque eam facultatem aut ſcientiam mihi expeto, & pactum feci cum Domino Deo meo, ne vel viſiones, vel ſomnia, vel etiam Angelos mihi mittat. Contentus enim ſum hoc dono, quòd habeo Scripturam ſanctam, quæ abundè docet & ſuppeditat omnia quæ ſunt neceſſaria, cùm ad hanc tùm ad futuram vitam. Huic credo & acquieſco, ac certus ſum me non poſſe falli: Neq; tamen aliorum donis derogo, ſi cui fortè præter Scripturam aliquid reuelaret Deus per ſomnia, per viſiones, per Angelos. Sint ſanè dona, ſed quæ ego nec curo, nec deſydero. Moueor enim infinita illa multitudine illuſionum, præſtigiarum, impoſturarum, quibus Mundus horribiliter ſub Papatu longo tempore deceptus eſt per Satanam: Deinde ſufficientia Scripturæ ſanctæ, cui ſi non adhibuero fidem, profectò nec Angelo, nec viſioni, nec ſomnio facilè credam. Sed vt dixi hæc ratio mihi peculiaris eſt, qua nihil alijs præſcribere auſim. Satis enim ſuperq; reuelationum habeo, cùm ſciam quid credendum, quid ſperandum, quid conſulendum alijs, qua ratione piè & honeſtè hæc vita tranſigenda ſit. Idq; pro mea tenuitate libens cum alijs communico, vt & ipſi norint & intelligant Decalogum, Symbolum, orationem Dominicam.

Aliquid tamen dicemus ex doctrina & ſententia Scripturæ Sanctæ de ſomnijs. Aliàs enim probat ſomnia, aliàs improbat. Syrach 34. Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. Item, Salomon: vbi multa ſunt ſomnia, ibi multum eſt varietatis & errorum. Tu verò Deum time. Rurſus teſtatur ſacra Hiſtoria Sanctos Patriarchas & Prophetas habuiſſe ſomnia vt Iacob, Ioſeph, Daniel, item Pharaonem & impios etiam, quæ tamen diuinitus monſtrata ſunt. Et Num. 12. Ait Dominus ad Aaron: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis Seruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquor ei. Ibi Deus confirmat ſomnia & viſiones, & eſt inſignis locus, qui accuratam & copioſiorem explicationem requirebat. Moſes inquit Deus, aliquid maius vidit, habet alias maiores reuelationes præter illa, quæ vos ex eo audiuiſtis, qui eſtis eius diſcipuli, & habetis viſiones & ſomnia. Ego noui quid Moſes & ego inuicem conferre, & colloqui ſoleamus. Moſes vidit Paſſiones Chriſti. Porrò ex eo loco ortæ ſunt vſitatæ illæ formæ loquendi in Prophetis, de ſomnijs & viſionibus. Sic Ioel de miſſione Spiritus Sancti prædicit: Iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. Non igitur poſſumus negare, quin Deus iſtis modis reuelationum vſus ſit à principio in Eccleſia Patrum & Prophetarum. Primus modus ſummus eſt. Prophetia ſiue inſpiratio & Dauidis & Prophetarum, qui illuſtrante Spiritu Sancto, doctrinam & promiſſiones apertis verbis & manifeſto ſenſu tradiderunt. Deinde ſunt viſiones, ſiue imagines quædam &

dam & ſpecies. Tertiò Somnia. Sic in nouo Teſtamento primum genus eſt doctrina, huc accedunt Sacramenta, tanquam Ceremoniæ externæ, & poſſent dici viſiones. Baptiſmus noſter, Cæna Domini, Abſolutio, ſunt quædam viſiones, quia ſunt externæ Ceremoniæ.

Cùm verò Scriptura Sancta hæc tria genera & probet & damnet videtur eadem Regula, & iudicium ſequendum eſſe de ſomnijs, quod in viſionibus & Prophetijs ſequi ſolemus, nimirum Analogia fidei. Nam & hæ aliàs veræ, aliàs falſæ ſunt, perinde vt ſomnia. Non enim ſemper, aut tantùm à Deo oriuntur, Sed etiam à Diabolo, qui eſt Simia Dei, & vt ſolet excitare Prophetas, ita mouet quoque viſiones & ſomnia, ſic permittente Deo mirabili conſilio. Verùm aliud ſpectat, etiam cùm vera loquitur, quàm Deus per ſomnia. Deus exhibet verbum & ſigna ad ſalutem & redemptionem hominum, Satan autem quærit perniciem & interitum animarum, & obſcurationem Veritatis diuinæ, propterea etiam vera dicendo mentitur. Hinc & in Ethnicorum hiſtorijs ſomnia recitantur, qualia fuerunt Bruti, Cæſaris, Syllæ, Annibalis.

Autor eſt Liuius, per ſomnium vidiſſe Annibalem iuuenem diuina ſpecie, qui ſe ab Ioue diceret ducem in Italiam Annibali miſſum, quem ſequeretur, neq; vsquam ab eo deflecteret oculos. Reſpectantem verò vidiſſe poſt ſe ſerpentem mira magnitudine, cum ingenti arborum ac virgultorum ſtrage ferri. Id verò præſagiens ſomnium & cum impreſſione quadam fuit. Quia Diabolus probè cognitum habuit ſtatum totius orbis terrarum, & facilè fuit ex antecedentibus colligere futura, & ea per ſomnium monſtrare Annibali. Tales ſunt prædictiones Lichtenbergij, & Arnoldi de villa Dei, qui habuerunt Spiritum Propheticum, quem aliàs Pythonicum appellant. Quibus interdum reſpondet euentus, interdum non, **Driffts ſo driffts / feldts ſo feldts.**

Porrò in ſomnio Annibalis Liuius & omnes Itali ſentiunt ſerpentem ſignificare Annibalem, qui vaſtaturus eſſet Italiam, Sed hæc verior interprætatio eſt, quòd voluit Diabolus, vel Deus per Diabolum ſignificare Annibalem ante ſe habere iuuenem formoſum, hoc eſt fortunam proſperam. Quaſi diceret, hactenus fuiſti fortunatus Anniabal, & geſſiſti res maximas, Sed hic ſucceſſus non erit perpetuus. Sequetur enim te horribilis beſtia, videlicet Romanum Imperium, quod inuoluet & vaſtabit totum orbem terrarum. Ita à Satana mendace ortum ſomnium tamen vera prædixit. Ipſe verò non intellexit: Et Itali auidiores gloriæ, non libenter audiunt ſignificari Romanum Imperium, tam turpi & immani beſtia. Sed nos ad imagines in viſionibus Danielis reſpicimus, Vbi regna mundi non conferuntur hominibus, aut Angelis, ſed immanibus beſtijs. Serpens igitur nequaquam Annibalem ſignificat, ſed futuram vaſtitatem per beſtiam Romani Imperij, ac hoc voluit dicere Satan: Succeſſus & fortuna tua non erit conſtans, non perficies quod cœpiſti. **Du wirſts nicht hinauß füren.** Neque opus fuit Spiritu Sancto ad hanc Reuelationem, quia Satan vidit vires, conſilia, voluntates, ſtudia, ac totum ſtatum vtriusq; Reipublicæ Romanæ & Carthaginenſis. Et Deus permiſit hoc ſignificari Annibali per hominum, ſed ſine interprætatione.

Talia multa extant in hiſtorijs Gentilium certa & incerta ſomnia. Sicut enim Deus per bonos & malos principes gubernat orbem terrarum: Ita etiam malorum pariter & bonorum Angelorum miniſterio vtitur. Inſerit igitur Deus impijs aliquando vera, aliquando falſa ſomnia, & habet Diabolus ſuos quoque Prophetas, quorum prædictiones tamen incertæ ſunt.

Alterum genus ſomniorum eſt Phyſicum, ex quibus Medici interdum con-

iecturam faciunt de certis humoribus & adfectionibus, item temperamentis corporum. Hæc vulgaria sunt & communia omnibus, de quibus præceptum Catonis obseruandum est: Somnia ne cures. Quanquam etiam quædam nonnunquam sunt significantia. Verum de his non disputo, sed remitto lectorem ad Macrobium, à quo eadem tractantur copiosius.

Tertium genus Prophetum & verum est, quod commendat Scriptura sancta, & pertinet ad salutarem gubernationem Ecclesiæ, aut ad Reuelationes necessarias huic, aut futuræ vitæ, & sunt quædam quasi Prophetiæ, quæ non sunt contemnendæ.

Sed quæritur quomodo discerni aut dijudicari possint? Quòd ad me attinet, non sum somniator, nec coniector somniorum vt antè dixi. Ideo nolo iudicare nisi à posteriori & alijs circumstantijs pertinentibus ad Ecclesiam & salutem animarum, iuxta normam & Regulam verbi Dei. Omnia enim somnia diuinitus inspirata certissimè implentur, atque ita vt sint salutaria orbi terrarum & generi humano. Itaque ab effectu rectissimè æstimantur. Nec de illis tantùm dico quæ offeruntur Sanctis, vt Danieli & Ioseph, sed etiam quæ impijs monstrantur, vt Pharaoni, Nabuchdonosori & alijs. Nam & illis respondit euentus, & habuerunt adiunctam interpretationem, quæ duo signa sunt infallibilia certorum somniorum.

Quando Deus qui inserit somnia mentibus, addit simul interpretationem & executionem. Tertiò eadem vehementer mouent somniantem, habent impressiones valde acres, quale fuit Pharaonis, in quo tanta erat consternatio animi & ἔκστασις, vt sentiret esse diuinam quandam admonitionem. Ibi Deus non permittit vt impius aut falsus Propheta, etiam impio monstratum somnium interpretetur, sed adhibet verum Prophetam, Ioseph aut Danielem, qui eius significationem edoceat, illustrante Spiritu sancto.

Quando autem Spiritus ipse interpres est eorum quæ suggessit, tum non est dubitandum de euentu aut certitudine. Horum autem nihil simile in Gentilium somnijs inuenies, præter acrem illam animi commotionem. Verùm quia habent autorem Satanam, qui etiam de futuris potest & solet monere, ideo sunt plerunque ambigua & fallacia, nec monstratur interpretatio, sicut fit in diuinis somnijs, quæ Prophetæ certò & fideliter enarrant, docente Spiritu Sancto. Sic enim Daniel Iacob & Ioseph colligunt ex somnijs monstratis doctrinam & scripturam sacram de rebus maximis: non tantum de imperijs, quæ diuinitus constitui & conseruari docent, sed etiam de Regno Christi, & præcipuis articulis doctrinæ Christianæ, **Darumb ligt es an einem guten außleger.** Ideò requiritur bonus interpres, vt Germanico prouerbio dicitur.

Consueuit igitur Spiritus Sanctus primùm suggerere somnia, postea enarrationem monstrare, tertiò exequi. Idque pulchrè ad Trinitatem Personarum accommodatur. Pater dat somnia, Filius interpretatur, Spiritus Sanctus exequitur. Hæc ego appello vera & Prophetica somnia, quæ non fallunt. Sed de his non sumo mihi iudicium, nisi à posteriori. Reliquam turbam prorsus contemno. Habeo quidem quandoque somnia, quæ aliquantum me mouent, sed vilipendo, & cum Domino Deo meo sic transegi, quòd velim credere Mosi & Prophetis. Neque enim pro hac vita desidero, neque ad futuram mihi ijs opus erit.

Interim tamen relinquo alijs sua dona. Scio enim Deum varias reuelationes Principibus & Regibus sæpè per somnia exhibuisse, ea qui volent interpretari, viderint qualis sit Spiritus, & vnde proficiscantur. Turci etiam

vtrumque

vtrumque habent, somnia & Prophetias, qui status & qui finis sit futurus Regni Turci. Sed non credo ex Spiritu Sancto oriri. Quia non habent Prophetas, neq; Turca, nec Pontifex, alioqui manifestarentur per confessionem Veræ doctrinæ & fidei. Vtcunq; igitur hæc fuerint, non curamus eiusmodi somnia, nec autorem eorum, quia non habent additam interprætationem, licet euentus & executio nonnunquam respondent. Diabolus enim est exercitatus, & instinctus infinitis exemplis gubernationis diuinæ, nouit item voluntates, studia, consilia hominum, & ea etiam gubernat. Ideò facilè perspicit deliberationum & imperiorum fata & exitus. Videt hactenus sic vel aliter cogitata successisse, nec adhuc quidem vllum vestigium apparere, quòd velit Deus obijcere impedimentum aliquod susceptæ deliberationi, ideò faciles sunt ei prædictiones de futuris. Sic Lichtenbergius prædixit bellum Bauaricum, quia Diabolus vidit consilia Maximiliani, Palatini, & aliorum Principum. Idem facit alijs temporibus, & nisi Deus singulari consilio se opponit, tum respondet exitus præuisus. Sed de hoc non est solicitus Diabolus, Vtrum sit salutare somnium rebus humanis an non: **Wens gleich alles zu scheutern gehet da fragt er nit nach.**

Cæterùm totum hoc vitæ genus, quod viuimus est merum somnium, & nox caliginosa. Nulla enim lux in toto Orbe lucet præter illam animalem & corporalem. Solis lumen nobis causa erroris est, vt credamus nos in luce esse, sed reuera velut in cæca nocte erramus. Verè igitur vita nostra somnus est & nox Spiritualiter. Sicut in somnio Ioseph parentes eius Soli & Lunæ, fratres verò Stellis comparantur fulgentibus in tenebris huius vitæ: Atque idem testatur MOSES Psalm. 90. cum ait: Inundationem in eos mittis, & sunt somnus, hoc est vita nostra fugax est, volans & transiens, sicut Albis perpetuo fluxu, aut quiuis torrens celerrimo impetu fertur, **Wie ein Wasser für vber rauschet.** Ita fecisti eos gurgitem aut torrentem transeuntem. Sic Hiob inquit: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et quod deterius est addit Moses, sunt somnus, hoc est vita nostra somnus est, comparatione vitæ æternæ.

Verè igitur in media nocte & densissimis tenebris hæremus, nisi affulgeat Lucifer ille, de quo dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Si non habemus Scripturam Sanctam prælucentem & gubernantem nostras actiones, tota hæc vita & vniuersum lumen rationis, omnis deniq; sapientia & consilia omnia sunt tenebræ & confusio. Augustus, Alexander, Cæsar, hærent in densissima caligine nesciunt quid rerum gerant. Sic etiam Nabuchdonosor, Pharao, omnesq; alij Reges & Monarchæ, nisi quòd videntur sibi pulchrè multa facere & egregiè sapere, sed sunt mera somnia, vt apud Isaiam dicitur: Sit sicut somnium Visionis nocturnæ multitudo omnium Gentium, quæ dimicabunt contra Ariel. Sic res gestæ omnium Heroum celebratæ Poematis & historijs Gentilium: Hectoris, Achillis, instar somniorum sunt. Quemadmodum somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus vacua est anima eius: Et sicut somniat sitiens & bibit & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: Sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicabunt contra montem Sion. Sic enim sæpe solet fieri vt somnians videatur sibi inuenire saccum refertum auro, aut ludere cum pulchra puella, sed euigilans sentit se deceptum esse. Ad eundem modum tota hæc vita nox est, & somnus.

Id verò fœlix somnium est, quando largitur Deus Verbum & Scripturam Sanctam in hac nocte, quemadmodum dat in naturali vita, seu somno aliquam reuelationem, qualis hæc est in somnio Ioseph. Ad hoc verò vt antè monui accedat

oportet

oportet interprætatio Spiritus Sancti & executio. Tantum enim ego de somnijs intelligo à posteriori, non amplius. Ideo non possum iudicare quando fides eis habenda sit, nisi Deus interprætetur.

SCRIPTVRAE EO, QVO SCRIPTAE SPIRITV INTELLIGENDAE ET DE AVTORITATE PA-trum in Ecclesia.

Tom. 2. Ienens. fol. 309. In Assert. contra Bullam Leon. X. Primùm Si nulli licet Sacras literas suo Spiritu interpretari, cur ergo non obseruant, nec Augustino nec vlli alij Patrum idem licuisse? Et qui Scripturas Sanctas secundum Augustinum, & non Augustinum potius secundum Scripturas Sanctas intelligit, sine dubio secundum hominem & Spiritum proprium intelligit? Si autem Scripturas non licebit secundum proprium spiritum intelligere, multò minus licebit Augustinum secundum proprium Spiritum intelligere, quis enim nos certos faciet, an rectè Augustinum intelligas? Dandus ergo erit alius interpres Augustino quoque, ne prorius Spiritus nos fallet in illius libris. Quod si ita fieri oportet dandus est & tertio quartus interpres, & quarto quintus vsque in infinitum, & coget nos proprij Spiritus periculum, nihil vnquam discere aut legere, Id quod certè impletum est, dum primò neglectis Sacris literis, soli Augustino insudatum est, post & hoc non intellecto & neglecto, Thomas Aquinas regnauit, Et hunc alij sine fine interprætes secuti sunt.

Error itaque manifestus est, hoc verbo, non licet Scriptura proprio spiritu intelligere, nobis mandari, vt sepositis Sacris literis intendamus & credamus hominum commentarijs. Hanc inquam intelligentiam, absque dubio Satanas ipse inuexit, quò nos à nostris, id est, Sacris literis, longissimè auocaret, & desperatam scientiam Scripturæ nobis faceret. Cùm sic potius sit intelligendum, Scripturas non nisi eo Spiritu intelligendas esse, quo Scripturæ sunt, qui Spiritus nusquam præsentius & uiuacius, quàm in ipsis Sacris suis, quas scripsit, literis inueniri potest.

Danda igitur fuit opera, non vt sepositis Sacris literis, humanis solùm Patrum scriptis intenderemus, imò contra. Primùm sepositis omnium hominum Scriptis, tantò magis & pertinacius insudandum erat solis Sacris, quò præsentius periculum est, nequis proprio Spiritu eas intelligat, vt vsus assidui studij victo periculo eiusmodi, tandem certum nobis faceret Spiritum Scripturæ, qui nisi in Scriptura prorsus non inuenitur. Hic enim posuit latibulum suum, & in Cœlis (id est Apostolis) tabernaculum suum. Et Psal. 1. Vir Beatus in hoc laudatur, quòd die ac nocte, non in alijs libris, sed in lege Domini meditatur. Hinc enim hausto Spiritu, iudicium suum quisque formabit, non modò super omnia Gentium, sed & S. Patrum scripta. Scriptum est enim, quòd Mosi facies glorificata fuit è consortio sermonis Domini, non vtique è consortio sermonis hominum, etiam Sanctissimorum, qui tùm erant.

Præterea cùm credamus Ecclesiam sanctam Catholicam habere eundem Spiritum fidei, quem in principio semel accepit, cur non liceat hodie, aut solum aut primùm Sacris literis studere, sicut licuit primitiuæ Ecclesiæ? Neque enim illi Augustinum aut Thomam legerunt. Aut dic si potes, quo iudice finietur quæstio, Si patrum dicta sibi pugnauerint? Oportet enim Scriptura iudice hic sententiam ferre, quod fieri non potest, nisi Scripturæ dederimus Principem locum in omnibus quæ tribuuntur Patribus, hoc est, vt sit ipsa per sese certissima, facillima,

facillima, apertissima, sui ipsius interpræs, omnium omnia probans, iudicans & illuminans, sicut scriptum est Psalm. 119. Declaratio seu (vt Ebræus propriè habet) Apertum seu ostium verborum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis. Hic clarè Spiritus tribuit illuminationem, & intellectum dari docet, per sola verba Dei, tanquam per ostium & apertum seu principium (quòd dicunt) primum, à quo incipi oporteat, ingressurum ad lucem & intellectum.

Iterum, principium seu caput verborum tuorum veritas. Vides & hic veritatem tribui, non nisi capiti verborum Dei, hoc est, si verba Dei primo loco dideris, & eis velut principio primo vsus fueris, pro omnium verborum iudicio. Et quid facit octonarius ille totus, quàm vt peruersitate nostri studij damnata, nos reuocet ad fontem, & doceat primùm & solùm verbis Dei studendum esse, Spiritum autem sua sponte venturum, & nostrum spiritum expulsurum, vt sine periculo Theologisemus? Hoc sanè verum est, superbis & impijs Scripturam sanctam semper esse maioris cæcitatis occasionem, sed quæ hominum Scripta etiam non sunt occasio maiorum tenebrarum? Aut quæ res quamlibet optima superbis & immundis non copoeratur in malum? Hos fieri in Scripturis hæreticos nihil mirum, verùm eosdem in humanis scriptis plus etiam quàm bestias fieri nihil nouum.

Sint ergo Christianorum prima principia non nisi verba diuina, omnium autem hominum verba, conclusiones hinc eductæ, & rursus illuc reducendæ & probandæ, illa primò omnium debent esse notissima cuilibet, non autem per homines quæri & disci, sed homines per ipsa iudicari. Quod si non ita est, Cur Augustinus & Sancti Patres, quoties vel pugnant vel docent ad Sacras literas ceu prima principia Veritatis recurrunt, & sua vel obscura vel infirma, illarum luce & firmitate illustrant & confirmant? Quo exemplo vtique docent. Verba diuina esse apertiora & certiora omnium hominum, etiam suis proprijs verbis, vt quæ non per hominum verba, sed hominum verba per ipsa doceantur, probentur, aperiantur & firmentur. Nisi enim ea apertiora & certiora ducerent, ridiculè sua obscura per obscuriora Dei probare præsumerent, cùm & Aristoteles istorum vniuersusque naturæ sensus id monstrent, quòd ignota per notiora, & obscura per manifesta demonstrari oporteat.

Quæ igitur est nostra tam irreligiosa peruersitas, vt Sacras literas non per se ipsas, & illarum proprium Spiritum, sed per hominum glossas, velimus discere, diuerso omnium Patrum exemplo, & in hac peruersitate gloriemur, seu religiosissima pietate? Si enim hoc volumus, concedemus Scripturas Sanctas esse obscuriores & ignotiores, quàm Patrum Scripturas. Hoc autem admisso, vlterius dabimus S. Patres suis commentarijs nihil aliud feciisse, quàm vt dum sua probant per Scripturas, notiora probarint per ignotiora, & sic tam se ipsos quàm nos mirè illuserint, prorsusque in vanum laborauerint, & erit vt plus credamus interprætantibus, quàm loquenti Scripturæ, quis ita insaniat?

Iam quanti errores in omnium Patrum Scriptis inuenti sunt? Quoties sibi ipsis pugnant? Quoties inuicem dissentiunt? Quis est qui non sæpius Scripturas torserit? Quoties Augustinus solùm disputat, nihil definit? Hieronymus in commentarijs ferè nihil asserit. Qua autem securitate possumus alicui niti, quem constiterit sæpius errasse, sibi & alijs pugnasse, Scripturis vim feciisse, nihil asseruisse nisi autoritate Scripturæ, nos omnia eorum cum iudicio legerimus? Nullus attigit Scripturæ æqualitatem, sicut nec debuit, quanquam vetusti illi propius accesserint, quòd in Scripturis diligentiores fuerunt. Nemo ergo mihi opponat Papæ aut Sancti cuiusuis autoritatem, nisi scripturis munitam. Nec statim vociferetur, me vnum velle omnib. Doctiorem videri, & scripturas proprio Spiritu intelligere. Hæc enim non sunt vociferationes,

ones quærentium Dei veritatem, sed suam vanitatem. Aut eum afferat autorem, quem constat nunquam errasse, Scripturas torsisse, alijs & sibi pugnasse, dubitasse. Nolo omnium doctior iactari, sed solam scripturam regnare, nec eam meo spiritu aut illorum hominum interprætari, sed per seipsam & suo Spiritu intelligi volo.

In qua re ne iustè videantur vociferari, præclarissimum exemplum habeo Augustini, quem sæpius adduxi, & quia surda eum aure transeunt, sæpius inculcare oportet, vbi dicit in Epistola ad D. Hieronymum: Ego solis eis libris, qui Canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt nullum eorum Scriptorem errasse firmiter credam, cęteros verò quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, ita lego vt non ideo verum credam, quia ipsi sic senserunt, sed si per Canonicas Scripturas aut ratione probabili mihi persuadere potuerunt. Cur non & hunc Augustinum arrogantiæ arguunt? qui prorsus omnes ad vnum tractatores Scripturæ contemnere audet, quatenus scripturis & rationib. non persuadent, & nobis idem faciendum docet li. 3. de Trinitate, dicens: Noli meis literis velut Canonicis inseruire.

Et Hilarius vel inter primos Patrum in suo de Trinitate lib. 1. Dicit: Optimus interpręs hic est, qui sensum è scriptura potius retulerit quàm attulerit, nec cogat hoc in dictis contentum videri, quod ante intelligentiam docere præsumpserit. Ecce hic insignis autor vult, è Scripturis referri, non afferri in Scripturas intelligentiam. Non ergo hoc est elucidare sapientiam (de quo gloriantur) multa Patrum dicta congerere, & ex ijs Scripturam intellectam præsumere, sed è Scriptura intelligentia relata, per sui solius collationem elucidata, illorum dicta iudicare. Sic & Beata Virgo conferebat verba omnia in corde suo.

Quod si, vt hoc auderemus & deberemus, Augustinus & Hilarius alijq; non docuissent, nonne Paulum habemus ad Thessalonicenses dicentem: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Galatas. 1. Si quis aliud Euangelisauerit, præter id quòd accepistis, anathema sit? Et 1. Iohan. 4. Probate Spiritus vtrum ex Deo sint. Has certè Apostolicas monitiones, necesse est omnes contemnere, si quælibet Patrum dicta oportet absq; iudicio admittere, iudicio inquam Spiritus, quod nullis nisi sacris literis voluit includi & contineri.

Atq; vt latius, quod mirentur dicam, legimus in Actis Apostolorum cap. 17. quòd ij, qui cum omni auiditate verbum Pauli audierant, quotidie scrutabantur Scripturas, si hæc ita haberent. Si ergo Pauli Euangelium seu nouum Testamentum oportuit probari per veterem Scripturam, an ita haberet, qui tamen autoritatem habuit à Deo sibi datam, sicut Apostolus, vt eius verbo crederetur, Quid nos facimus qui patrum dicta, quorum nulli fuit autoritas, noua docendi, sed tantùm accepta per Apostolos conseruandi, nolimus ad scripturæ iudicium vocari? Denique non solum ipse Paulus sua omnia per vetus Testamentum probat, vt in Epistolis eius abundè videmus, adeo vt in proæmio Epistolæ, ad Roman. testetur, Euangelium suum prædictum in Scripturis sanctis per Prophetas, sed & Petrus & omnes Apostoli, etiam concilio congregati Acto. 15. per Scripturas sua demonstrant, Quin & ipse Christus omnium Dominus, voluit per Iohannis testimonium comprobari, & voce Patris de cœlo confirmari, adhuc tamen frequentissimè sua persuadet testimonijs scripturæ, iubens etiam Iudæis vt scrutentur Scripturas, quæ testimonium perhibeant de eo.

Mira ergo nostra peruersitas, vt alijs testimonijs quàm Scripturæ, nostra velimus probare, quando Christus & Apostoli omnes sua volunt in scripturis testificari, imò quo sit insania intolerabilior, Scripturas, vnde testimonia pro nobis petenda sunt, volumus testimonijs hominum probare & tueri. Nonne hoc est aliud nihil, quàm velle humanis diuina formare & elucidare? Nonne hoc est gladium Spiritus, quo nos defensos oportuit obiecta carne brachij nostri tueri?

Non

Non tamen per hæc Sanctis Patribus volo detractam autoritatem & ingratitudinem pro Sanctis eorum laboribus repensam, Sed libertatem Spiritus & maiestatem verbi Dei illis propositam, sint Sancti viri, & Ecclesiarum Patres, Sed homines & Apostolis atque Prophetis impares, & horum autoritati non prælati, nec æquati, sed subiecti, vt quos non ipsi erudierunt aut illustrauerunt, Sed à quibus ipsi eruditi & illustrati sunt, tantùm nobis exemplo sint, vt quemadmodum ipsi in verbo Dei pro suo tempore laborauerunt: Ita & nos pro nostro sæculo in eodem laboremus. Vna est vinea, Sed diuersi diuersarum horarum operarij, omnes tamen in ipsa vinea non in sarculis aut cultris operariorum laborant. Satis est è Patribus didicisse studium & diligentiam in Scripturis laborandi, non omne opus eorum probari necesse est, Siquidem & diligentia pluribus quandoque non dat, quod dat vel vni sola occasio, & nescio quæ Spiritus incomprehensibilis impulsio.

Exemplo itaque S. Bernardi, si id poterimus, potius ex fonte ipso quàm ex riuulis bibamus, Sic enim de se confitetur, ob id non rarò patribus sanctis reluctari ausus. Alioqui si Pontificibus aut Doctoribus solis fidendum est, nec ad Scripturæ tribunal vocandi sunt, cur non Scripturas sanctas explodimus tanquam hiperfluas & obscuriores, quàm vt eas possimus consequi, Eodem exemplo tandem & Patres S. repellamus receptis in locum eorum apertioribus (vt iactant) Theologis Scholasticis, donec & his obiectis, Aristotelem & quò quisque remotior à sacris literis & S. Patribus fuerit, duces habeamus, sicut reuera habuimus & habemus. Tum reuera erit, vt Scripturas sanctas non solùm Spiritu proprio non interpretemur, Sed nihil nisi proprium Spiritum, Scripturis in totum incognitis, reliquum retineamus, & meris opinionum nostrarum turbinibus & procellis sine fine agitemur, sicut est dies hæc.

DE ALLEGORIIS

Genes. cap. 3. fol. 67. Hoc in sacris literis præcipuè est agendum & aliquam certam & simplicem sententiam inde eliciamus, præsertim in tanta varietate interprætum, tùm Latinorum, tùm Græcorum, tùm Ebræorum quoque. Hi enim ferè omnes, non solum Historiam non curant, sed etiam ineptis allegorijs eam obruunt & turbant.

Origenis & Hieronymi absurda ratio, quam in his capitibus secuti sunt nota est. Vbique enim discedunt ab Historia quam vocant literam occidentem & carnem, ac magnificè commendant Spiritualem sensum, quem non norunt. Ac secutus est Hieronymus Origenem Magistrum sicut nostro quoque seculo accidit. Quia enim hi qui vel ingenio, vel facundia volebant, in eo omnes neruos intendebant, vt persuaderent auditoribus, historias esse res mortuas, nec valere ad ædificationem Ecclesiarum : Ideo factum est, vt rueremus communi studio studio ad allegorias. Ac mihi iuueni pulchrè succedebat conatus. Nam etiam absurda licebat fingere, siquidem hi tanti Doctores Ecclesiarum, vt sunt Hieronymus & Origenes, nonnunquam indulserunt ingenijs. Qui igitur Allegorijs fingendis aptior arat, is etiam doctior Theologus habebatur. Ac Augustinus quoq; hæc opinione deceptus, sæpe præsertim in Psalmis Historicam sententiam negligit, ad Allegorias vertitur. Persuasum enim fuit omnibus, quòd præsertim in Historijs veteris Testamenti, Allegoriæ essent Spiritualis intellectus, Historia autem seu literalis sententia, esset carnalis intellectus.

Sed te quæso an non hoc est profanare sacra ? Origenes ex Paradiso cœlum, ex arboribus Angelos facit. Hoc si ita est, vbi manebit articulus creationis?

opus igitur est præsertim Tyronibus sacrarum literarum cùm ad lectionem veterum Doctorum accedunt, vt cum iudicio, vel potius cum certo consilio damnandi, quæ minus probabilia sunt, eos legant, ne autoritate nominis Patrum & Doctorum Ecclesiæ decipiantur, sicut ego deceptus sum, & omnes Theologorum Scholæ. Ego quidem ab eo tempore, quo cœpi historicam sententiam amplecti, semper abhorrui ab allegorijs, nec sum ijs vsus, nisi vel ipse textus eas ostenderet, vel interprætationes ex nouo Testamento possent sumi.

Difficillimum autem mihi fuit ab vsitato studio Allegoriarum discedere, & tamen videbam Allegorias esse inanes speculationes, tanquam spumam sacræ Scripturæ. Sola enim historica sententia est, quę verè & solidè docet, postquam hęc tractata & rectè cognita est, tunc licet etiam Allegorijs ceu ornamento & florib. quibusdam vti, quib. illustretur historia seu pingatur. Nam nudæ Allegoriæ, quæ nulla ex parte historiæ respondent, nec pingunt eam, simpliciter tanquam inania somnia sunt reijciendæ. Sunt autem ferè tales, quibus Origenes vti solet, & qui eum secuti sunt. Vbi enim ex Scriptura probari potest, Paradisum significare cœlum, Arbores autem Paradisi Angelos? An non ineptissima & sine omni fructu excogitata hæc sunt?

Qui igitur Allegorijs volunt vti, hi fundamentum earum ex ipsa historia petant historia enim est quæ ceu Dialectica vera & indubitata docet. Contra Allegoria quasi Rhetorica, pingere historiam debet, ad probandum autem nihil valet. Ad hunc modum valet Allegoria, cùm cœlum dicimus significare Ecclesiam. Terram autem Imperia & politicam consuetudinem. Nam ipse Christus appellat Ecclesiam, regnum cœlorum, & regnum Dei, Terra autem dicitur terra viuentium, vbi regnant reges & principes.

Similis est Allegoria qua Paulus vtitur, quòd Adam & Eua seu ipsum coniugium sit typus Christi & Ecclesiæ. Hæc Allegoria erudita & plena consolationis est. Quid enim potest dici iucundius, quàm quod Ecclesia vt sponsa & Christus sponsus? Significatur enim hic illa tum societas, tum communicatio lætissima omnium donorum quæ sponsus habet, & obruuntur simul peccata & calamitates omnes, quibus misera sponsa onerata est. Itaque iucundissima vox est, cum dicit Paulus 2. Cor. 11. Despondi vos vni viro, vt adducerem ad Christum castam virginem.

Sic Roman. 5. dicit: Adam erat forma futuri. Quomodo? Sicut enim per Adam multi sunt mortui, multò magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ est vnius hominis Iesu Christi, in multos superabundauit. An non pulchrè ad historiam, ceu ad fundamentum alludit hæc Allegoria?

Sic Galat. 4. Ex Sara & Agar facit duo Testamenta ad hunc modum qui volunt Allegorias afferre, fundamenta earum ex ipsa historia quærant.

Suprà audiuimus de Semine mulieris & Serpentis. Hanc historiam Christus imitatur in similitudine de homine inimico, seminante malum Semen, hoc est, impiam doctrinam & cogitationes malas. Hæc quis non videt aptiora, illustriora vtiliora, & meliora esse, quàm quæ Augustinus, Lyra & alij afferunt de portione rationis inferiore & superiore?

Ad hunc modum clausa Paradisus & Cherubim cum gladijs ad custodiendam Paradisum positi, quid aliud significant quàm quod homo extra idem in Christum positus, neq; legem, neq; Euangelium potest ferre? Sicut Paulus de Iudæis dicit, qui non poterant intueri in faciem Mosi coruscantem, & cogebatur Moses velamen ponere ante oculos.

Arbor mortis est lex, Arbor vitæ est Euangelium seu Christus, ad has arbores non possunt accedere, qui non credunt in Christum. Prohibentur enim gladio Angeli, qui Hypocrisin & venenatam iusticiam non potest tolerare. Agnoscenti autem peccatum & credenti in Christum, huic Paradisus aperta manet, affert enim

non ſuam ſed Chriſti iuſticiam, quam Euangelium ideo prædicat in omnes ea nitamur & ſoluemur.

Sed nihil neceſſe eſt huic Allegoriæ immorari, hoc monuiſſe ſit ſatis, vt qui Allegorijs vti volent, ijs vtantur quas indicarunt Apoſtoli, & quæ habent fundamentum certum in ipſa litera ſeu hiſtoria. Alioqui fiet vt ædificemus ſuper fundamentum, paleam & ſtipulas non aurum. Plura de Allegorijs & quatuor ſenſibus Scripturæ ſi cupis vide cap. 9. Geneſ. Tom. 1. fol. 147. Item Tom. 2 Ienenſ. Pſal. 22. fol. 256. 257.

DE SOPHISTARVM COMMENTO, QVOD SCRIPTVRA SIT OBSCVRA.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 168. De Seruo arbitrio. Eſſe in Scriptura quædam abſtruſa, & non omnia expoſita, inuulgatum eſt quidem per impios Sophiſtas quorum ore & tu loqueris hic Eraſme, ſed nunquam vnum articulum produxerunt, nec producere poſſunt, quo ſuam hanc inſaniam probatent. Talibus autem laruis Satanas abſterruit à legendis literis ſacris, & reddidit Scripturam Sanctam contemptibilem, vt ſuas peſtes ex Philoſophia in Eccleſia faceret regnare. Hoc ſanè fateor, eſſe multa loca in Scripturis obſcura & abſtruſa non ob Maieſtatem rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ, ſed quæ nihil impediant ſcientiam omnium rerum in Scripturis. Quid enim poteſt in Scripturis auguſtius latere reliquum, poſtquam fractis ſignaculis & voluto ab oſtio ſepulchri lapide, illud ſummum myſterium proditum eſt, Chriſtum Filium Dei factum hominem, Eſſe Deum trinum & vnum, Chriſtum pro nobis paſſum & regnaturum æternaliter ? Nonne hæc etiam in biuijs ſunt nota & cantata ? Tolle Chriſtum è Scripturis, quid amplius in illis inuenies ?

Res igitur in Scripturis contentæ omnes ſunt proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obſcura ſint. Stultum eſt verò & impium, ſcire, res Scripturæ eſſe omnes in luce poſitas clariſſima, & propter pauca verba obſcura, res obſcuras dictare. Si vno loco obſcura ſunt verba, at alio ſunt clara, Eadem verò res manifeſtiſſimè toti mundo declarata, dicitur in Scripturis, tùm verbis claris, tùm adhuc latet verbis obſcuris. Iam nihil refert, ſi res ſit in luce, an aliquod eius ſignum ſit in tenebris, cùm interim multa alia eiuſdem ſigna ſint in luce, Quis dicet fontem publicum non eſſe in luce, quod hi, qui in angiporto ſunt, illum non vident, cùm omnes qui ſunt in foro videant ?

Nihil igitur eſt, quòd de Coricio ſpecu adducis, non habet ita res in Scripturis, Et quæ ſunt ſummæ Maieſtatis & abſtruſiſſima myſteria, non ſunt amplius in ſeceſſu, ſed in ipſis foribus, & in propatulo producta & expoſita. Chriſtus enim aperuit nobis ſenſum vt intelligamus Scripturas, Et Euangelium prædicatum eſt omni creaturæ, In omnem terram exiuit ſonus eorum, Et omnia quæ Scripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, Item omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad dócendum. Igitur tu & omnes Sophiſtæ, agite & producite vnum aliquod myſterium, quod ſit in Scripturis adhuc abſtruſum, Quòd verò multis multa manent obſtruſa, non hoc fit Scripturæ obſcuritate, ſed illorum cæcitate vel ſocordia, qui non agunt vt clariſſimam veritatem videant, ſicut Paulus de Iudæis dicit 2. Cor. 4. Velamen manet ſuper cor eorum. Et iterum: Si Euangelium noſtrum opertum eſt, in ijs qui pereunt opertum eſt, quorum corda Deus huius ſeculi excæcauit. Eadem temeritate, Solem obſcurumq; diem culparet, qui ipſe ſibi oculos velaret, aut à luce in tenebras iret & ſeſe abſconderet. Deſinant ergo miſeri homines tenebras & obſcuritatem cordis ſui blaſphema peruerſitate, Scripturis Dei clariſſimis imputare.

Tu ergo cùm Paulum adducis, dicentem : Incomprǽhenſibilia ſunt iudicia eius, videris, pronomen eius, ad Scripturam retuliſſe. At Paulus non dicit: Incomprǽhenſibilia ſunt iudicia Scripturæ, ſed Dei. Sic Eſai. 40. non dicit: Quis nouit ſenſum Scripturæ, ſed ſenſum Domini. Quamuis Paul. aſſerat, Chriſtianis notum eſſe ſenſum Domini, verùm in his quæ donata ſunt nobis, vt ibidem dicit 1. Cor. 2. Vides ergo quàm oſcitanter hos locos Scripturæ inſpexeris, & tam aptè citaris, quàm aptè citas, ferè omnia pro libero arbitrio. Sic & exempla tua quę ſubiungis, non ſine ſuſpitione & oculeo, nihil faciunt ad rem, qualia de diſtinctione perſonarum, de conglutinatione naturę diuinæ & humanæ, de peccato irremiſſibili, quorum ambiguitatem dicis non dum eſſe reſectam. Si de ſophiſtarum quæſtionibus circa has res agitatis, intelligis, Quid tibi fecit innocentiſſima Scriptura, vt abuſum ſceleratorum hominum obijcias illius puritati? Scriptura ſimpliciter confitetur, Trinitatem Dei & humanitatem Chriſti, & peccatum irremiſſibile. Nihil hic obſcuritatis, aut ambiguitatis. Quibus verò modis iſta habeant, Scriptura non dicit, vt tu fingis, nec opus eſt noſſe, Sophiſtæ hic ſua ſomnia tractant, illos argue & damna, & Scripturas abſolue. Si verò intelligis de ipſa reſubſtantia iterum non Scripturas, ſed Arianos argue & eos, quibus opertum eſt Euangelium vt clariſſima teſtimonia de Diuinitatis Trinitate & humanitate Chriſti, per operationem Satanæ Dei ſui non videant.

Et vt breuiter dicam, duplex eſt claritas Scripturæ, ſicut & duplex obſcuritas. Vna externa in verbi miniſterio poſita, altera in cordis cognitione ſita. Si de interna claritate dixeris, nullus homo vnum iota in Scripturis videt, niſi qui Spiritum Dei habet, omnes habent obſcuratum cor, ita vt ſi etiam dicant & norint proferre omnia Scripturæ, nihil tamen horum ſentiant, aut verè cognoſcant, neq; credunt Deum, nec ſeſe eſſe creaturas Dei, nec quicquam aliud iuxta illud Pſal. 14. Dixit inſipiens in corde ſuo, Deus nihil eſt. Spiritus enim requiritur ad totam Scripturam, & ad quamlibet eius partem intelligendam. Si de externa dixeris, Nihil prorſus relictum eſt obſcurum aut ambiguum, ſed omnia ſunt per verbum in lucem producta certiſſimam, & declarata toti orbi quæcunque ſunt in Scripturis.

HAERESES VNDE ORIANTVR.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 344. Matth. cap. 13. Videmus in omnibus hiſtorijs iſta monſtra quòd verbum Dei nuſquam ita faſtiditur, quàm vbi copioſè docetur, **Die es nicht haben / die wündſchens / die es haben verachtens.** Imò quod peſſimum eſt, non oriuntur hæreſes niſi in Eccleſijs, & ex Eccleſijs. Quod non fit niſi quia faſtidiunt & contemnunt verbum, fiuntq; mox eius iudices. Si enim non contemnerent, cum reuerentia audirent, & hæreſes non excitarent. Sit ergo iſta conſolatio noſtra quod verbum noſtrum, Imò Dei, contemnitur ab ipſis noſtriſſimis, & quod non mirum ſit à Ruſticis, Nobilibus contemni, vt qui citò ſaturi fiunt, ſed etiam ab eruditis & ipſis domeſticis ſeu Coepiſcopis noſtris, qui nos quęrunt præcipitare de monte dum non volumus loqui & facere quæ volunt. **Es heiſt** / Propheta in Patria. Et Sicut ex Michea citat Matth. 10. Inimici homines domeſtici eius. Sed econtra conſolatur nos, quod Ieſus tranſiens per medium illorum ibat, **Sie werdens nicht enden / vnd müſſen den Propheten laſſen bleiben.**

DE DISCRIMINE HISTORIAE SACRAE ET PROPHANAE.

Geneſ. cap. 13. Tom. 2. fol. 37. 35. Ad hunc modum ſi Sanctorum Patrum hiſtorias inſpicias, & hoc inſigne Donum rectè æſtimes, non amplius exiguæ & tenues videbuntur. Sed ſuperabunt omnes omnium Monarcharum quantumuis

quantumuis in ſpeciem maximas res geſtas. Oculos quidem ſpecie & magnitudine ſua occupant: Sed cor rectè inſtitutum reſpicit ad verbum Dei, quod Sancti Patriarchæ audiuerunt Deum, quòd Deus propitius eos gubernauerit, & conſeruauerit, hoc donum antefert omnibus mundi opibus.

Intueamur igitur in hunc Sanctum Patrem Abrahamum, qui incedit non in auro, nec ſerico, ſed ornatus, circumſeptus, coronatus, veſtitus diuina luce, verbo Dei. Igitur hiſtoria eius omnibus mundi hiſtorijs anteferenda eſt, quæ cùm optimæ ſunt, tantùm offundunt quaſdam operum nubes, in ſpeciem quidem iucundas, ſed ſine vero fructu, plerumq; etiam triſtes, & metu plenas. Deſtitutæ enim ſunt verbo Dei, quod ſolum lux vera eſt, exhilarans & docens animos, & plus in eis ſpectatur iudicium & ira Dei, quàm miſericordia & gratia.

Verè igitur Chriſtiani beati ſumus, ſicut Vergilius de agricolis dicit, ſi noſtra norimus bona. Habent gentes infinita rerum à ſe geſtarum volumina in omnibus linguis Scripta. Sed nos habemus ſacras hiſtorias, conſignatas verbo Dei. Audimus enim Deum loquentem familiariter cum hominibus: Videmus Deum mirabiliter gubernantem humana, & ſeruantem ſuos in medijs periculis. Hæc dona ſi Iudæi æſtimaſſent, vt ſunt æſtimanda, an non diceres beatos eſſe? Sicut Pſalmus dicit: Beata gens, cuius Dominus Deus eius eſt. Item: Beatus populus quem elegit Dominus.

Sint igitur magni Perſæ, Græci, Romani, certè deſtituti hoc dono verbi, non ſunt beati, non enim tantùm non habent hunc Deum, ſed ne norunt quidem: Dominus non loquitur cum eis, etſi benedicit ipſorum imperijs ad tempus.

Rectè igitur Dauid: Lætabor & diuidam Sichimam, hoc eſt, gratus ero Deo meo, & lætabor in eius donis, quia Deus loquitur in Sancto ſuo. Hoc caput eſt de quo gloriatur & gaudet, quaſi dicat. Hæc noſtra prærogatiua eſt, quòd habemus Sanctuarium in quo Deus loquitur, etſi igitur alij Reges potentiores ſunt nobis: tamen hoc donum non habent, de quo nos gloriamur, quod audimus Deum loquentem nobiſcum per Prophetas ſuos.

Sic Moſes hoc ipſum donum Magnificè prædicat. Deut. 4. En populus ſapiens & intelligens, nec eſt alia natio tam magna, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi. Sicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris: Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta, vt habeat Cæremonias, iuſtaque iudicia & vniuerſam legem? Hi intellexerunt hoc ingens Dei donum

Quod ſi nos Chriſtiani etiam ad hunc modum intelligeremus hoc noſtrum tam ingens donum, verè eſſemus beati, ſicut Chriſtus dicit Lucæ 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Multi reges voluerunt ea videre, & non viderunt &c. Imò vt plus dicam, ego credo, quòd ſicut nunc Abrahamum propter hoc donum celebramus, ita ipſum longè magis nos in nouo Teſtamento celebraturum: Vidit enim diem Chriſti, vt eſt Iohan. 8. Sed vidit in fide & Spiritu tantùm.

Nos autem de facie ad faciem hanc gloriam videmus, audimus Deum nobiſcum loqui, & promittere remiſſionem peccatorum in Baptiſmo, in cœna Filij ſui, in vero clauium vſu: Hæc Abraham non habuit, ſed Spiritu vidit & credidit Maior igitur noſtra gloria eſt: Sed quia eam non curamus, neque dignas Deo reddimus pro tantis donis gratias, maius pecuniæ & opum, maius potentiæ & voluptatum ſtudium, & cura eſt: Ideo oportet venire Turcam, Papam, & innumerabiles alios Dæmones, ex Italia, Hiſpania & omnibus terræ angulis, qui vexent, fatigent & mactent nos, propter inenarrabilem & indigniſſimum contemptum.

Eſt igitur Eccleſia diſcipula Chriſti, ſedens ad pedes eius, & audiens verbum eius, vt ſciat iudicare omnia, quomodo ſeruiendum vocationi, quomodo ciuilia officia obeunda: Imò etiam quomodo edendum, bibendum, dormiendum ſit,

vt nulla pars vitæ sit in dubio, sed in lætitia & pulcherrimo lumine, vndiq; circumfusi radijs verbi perpetuò ambulemus. Sed proh dolor, dona nostra non videmus: Nisi Spirituales, hi lætantur & Deo agunt gratias: Cæteri quia carnales, ingrati, auari, superbi sunt, ab his etiam auferetur quod habent, & accedent pœnæ, vt pro Christo Sathanam, pro Apostolis hæreticos audiant, qui in verbo quærunt sapientias & glorias suas, & alia omnia, præter illud gaudium & cœlestia beneficia, quæ verbum ad nos adfert.

Hæc miseria meritò dolet Christianis omnibus, quod in tanta luce & gloria verbi, maior pars manet cœca, & tenebras plus diligit quàm lucem. Vident enim hunc esse fontem omnium publicarum calamitatum: Quòd ingruunt Turcę, quòd hæreses crescunt, quòd Papa de vindicando regno suo cogitat, quod positum est in inuocatione Sanctorum, in innumeris commutationibus & venditionibus bonorum operum, & alijs, per quæ miseras animas hactenus abduxit à verbo: Ibi enim sic laboratum, sic sudatum est, vt etiam Cataphracti pedibus, vltimas Hispanias ad Sanctum Iacobum irent. Cùm autem redirent, nesciebant stulti, quid vel fecissent, vel passi essent. Hoc diuinum iudicium iusti Dei fuit.

Accident autem hęc vel etiam his tristiora aliquantò post nobis sublatis nostris hominibus: Quia illam gratiam quam desiderauit Abraham videre, non curant, cùm tamen Abraham vix paruas guttulas harum diuitiarum habuerit, quarum nos amplum mare possidemus.

Est autem hæc vsitata fortuna Ecclesiæ, vt quantò verbum copiosius reuelatur, tantò maior hominum sit ingratitudo: Abutuntur enim eo ad suam gloriam, & ad tegenda pęccata. Ideo mittit Deus efficaces errores, sicut Papæ exemplum docet, qui loco verbi decreta, decretales suos, legendas Sanctorum & alias nugas Ecclesiæ obtrusit. Vult enim mundus decipi.

VERBVM DILIGENTER EXERCENDVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 344. Iesaiæ cap. 26. Quia in magno vsu verbi sumus, ideo in vera doctrina & spe manemus. Significat enim hic modum, quo in vera doctrina manere possint, nempe si diligenter exerceant verbum, Sicut in prouerbijs dicitur: Quando cessat diuinatio, dissipabitur populus, hoc est, cessante verbo, sequuntur sectæ & hæretici, qui dissipant populum. Quare sæpius vos moneo, vt oretis contra illam tentationem, qua fastiditur & nauseatur verbum, qua tentatione laborant ij, qui inflati scientiæ persuasione, se verbum satis intelligere existimant, & fiunt securi ac præsumptuosi, sicut videmus in Sacramentarijs & Anabaptistis qui subitò Magistri facti, verbum tanquam notam rem relinquentes, nouas excogitarunt opiniones, quibus capti & à fide & charitate exciderunt. Sic agitur cum illis, qui in vno anno repente Doctores & Magistri fiunt: Est autem horribilis casus. Statim enim quando saturi verbo sumus, vel ipsa mors animæ vel portæ & occasio mortis adsunt. Propheta igitur inquit: Nos Domine expectamus te in via iudiciorum tuorum. Boni enim pastores in Ecclesia continent populum suum in verbo. Porrò Emphaticum est, Expectamus te, Quod non videmus te, sed solum verbum habemus quo nitimur. Incedimus in fiducia & spe, quam alimus per viam iudiciorum tuorum &c.

MEMORIALE TVVM

Desiderium animæ vocat, quod ex profundo cordis & intimo affectu proficiscitur, vt sit in nobis desiderium non erga nostrum nomen, sed erga beneficia, quæ Deus in nos contulit, vt ea recolamus & recordatione eorum nos ad gratiarum actionem excitemus. Memoriale nominis Domini in lege erat, quod eduxisset

eos ex

eos ex Aegypto. Hodie in nouo Testamento memoriale & nomen Domini est, quod non pepercit proprio Filio suo, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hanc memoriam, hoc beneficium celebramus, non in concionibus solùm & lingua, sed ex desiderio animæ, quia credimus Christum nostram esse sapientiam, iusticiam, Sanctificationem, & resurrectionem, vt sic confidamus non in nostra opera, sed in Christi meritum. Hæc est iucundissima beneficiorum Christi memoria, non speculatiua, qualem Monachi fingunt, sed externa celebratio, quæ fit per prædicationem verbi publicam, quam quotidie exercemus, sicut Paulus etiam monet: Abundet verbum inter vos.

SED IN SPIRITV MEO.

Exprimit ardentem affectum, contra fastidiosos fabulatores, in quibus non est vna scintilla serij adfectus. Sicut in Erasmo videmus, qui cùm ad tractationem sacrarum literarum accedit, nihil affert nisi saccum inanium verborum, nihil nec docet, nec dicit cum affectu. Tales multi hodie sunt, in quibus cum nulla gutta veri affectus sit, tamen volunt esse nostri iudices, & omnium Theologicarum rerum. Qui si eis depugnandum sit contra Satanam, tum demum experiuntur, quales sint Theologi.

Quare ego vobis patribus & fratribus meis commendo hunc textum, vt caueatis à verbi nausea & fastidio, ne similes efficiamini illorum in deserto fastidientium Manna. Nam verbum Dei cibus est, quem qui comedit adhuc magis esurit. Abundantia igitur verbi inter nos esse debet, satietas autem non. Habemus autem certissimas tum promissiones, tum consolationes, verbum non fore ociosum, si diligenter agitetur. Quare maiore studio & ardentiore affectu in id incumbamus, nec demus locum fastidio, quo Satan nos tentat.

QVOD PAVCI CREDANT VERBO.

Et Paulò post eodem cap. Quanquam nos nullum, vel modicum admodum verbi profectum videamus tamen non cessemus à docendo. Neque enim ideo, quia impij non conuertuntur cessandum est ab officio docendi. Semper enim sunt aliqui, qui cupiunt doceri, Tum si nihil aliud fit, occupatur tamen locus, ne Satan possit suas Pestilentias docere & spargere in homines. Non igitur doctrinæ sed hominum vitium est, quòd non omnes conuertuntur. Id prædicit Spiritus Sanctus ne offendamur, & ideo cessemus à docendo. Molesta est enim pijs Doctoribus hæc tentatio, quòd vident verbum sic contemni.

VERBVM VLTRA VIGINTI ANNOS IN CORRVPTVM VIX MANERE IN VNO LOCO:

Genes. cap. 23. Tom. 2. fol. 224. Illud constat ferè omnes populos omnium Regionum, non vltra viginti annos retinere disciplinam & virtutem, & honestatem colere. Testantur id omnes historiæ profanæ & sacræ.

Quando homines semel deducti sunt ad agnitionem Dei & honestatem morum, ad summum 20. Annos studia pietatis, & bonorum morum retinent, paulatim enim magis ac magis corrumpuntur, negligentia & fastidio rerum præsentium, donec in flagitia & scelera horribilia prolabantur, lege historiam Dauidis, Salomonis, Regum omnium & Augustini quoque. Quin nostram ætatem vide, an non docet experientia, principia restauratæ doctrinæ cœlestis fuisse gratissima? Sed nunc subinde magis ac magis oboritur fastidium & nausea super cibo isto leuissimo. Sic Hebronitæ tempore Abrahæ fuerunt satis pij

& boni,

& boni. Sed postea temporibus Mose & Iosue deleti sunt, post amissam videlicet doctrinam, de Deo & solutam disciplinam.

Suprà de Sodomitis eadem narrauit Moses, quos cùm liberasset ingenti periculo Abraham, repulsis hostibus, frugi fuere aliquandiu: Sed post septem annos tanta flagitia inualuerunt, vt igni & sulphure cœlitus exusti & consumpti sint.

Nostra Germania quoq; post tantam lucem Euangelij, tantum non obsessa videtur à Diabolo. Iuuentus indomita & effrenis est, & impatiens disciplinæ, senes auaritia, vsuris, & multis sceleribus infandis impliciti tenentur. Sic scilicet referimus gratias Deo pro verbo gratiæ & Filio vnigenito. Sicut de Iudæis Moses queritur Deut. 32. Populestulte & insipiens, heccine reddis Domino?

Nihil mirum igitur est sequi pœnas & calamitates omnis generis. Sed cursus sæculi, & cursus mundi hi sunt. Nos igitur dum tempus habemus operemur bonum Galat. 6. quisq; suo loco, discendis sacris & excolendis moribus, florente & fulgente doctrina Euangelij, sicut Christus moneti Dum lucem habetis in lucem credite. Diabolus enim contrarium agit, & suas artes & tenebras omnibus ætatibus obtrudit incautis.

MVTATIO GERMANIAE IMPENDENS PROPTER CONTEMPTVM VERBI.

Genes. cap. 47. Tom. 4. fol. 174. Nos hodie opulentè donamur ministerio verbi, sed quomodo accipiatur ab auditoribus ingratis videmus. Grassatur enim in Ecclesiam tyrannis Principum, vsuræ, fraudes, rapinæ, priuatim & publicè, quæ exhauriunt vniuersam Germaniam. Ac si pergent ita homines laxare frenum omnis generis cupiditatibus, sequetur haud dubiè horribilis mutatio. **Es wirdt** Germania **viel ein ander gestalt gewinnen / solß lange also stehen.** Erit enim aliquando cùm auferentur nundinationes & luxus ædificiorum, vestium, ciborum, pomparum, sed non sine magno malo Germaniæ.

Mundus non intelligit, nec agit gratias pro innumeris & immensis beneficijs, quibus quotidie à Deo cumulatur, & peccata nimis grandia & enormia sunt. Non enim delinquitur ignorantia, vt sub Papatu fiebat. Scimus hodie & agnoscimus veritatem. Non est igitur error in intellectu, nec defectus in scientia, sed contra intellectum, nec emendantur homines doctrina & exhortationibus, quib. magna luce & copia erudire, & ad pœnitentiam agendam excitare, eos conamur. **Da hilfft kein wehren / je mehr man Predigt / je erger man wirdt.** Papistæ persequuntur sine fine agnitam veritatem, & feruntur concitati furore aduersus pios, sicut Prophetarum temporibus, accensi sunt vesania, & amentia, ideo insaniunt in suis studijs & cupiditatibus, **Also wil** Germania **hindurch.** Et sequitur Germania regnum Israel & Iuda, in quo quantumuis clarè & sedulò vrgerent verbum Dei Prophetæ, tamen nihil prorsus proficiebant, **Es halff alles nichts.** Sicut exprobrat eis Dominus horribilem vesaniam Ieremi. 2. Inspice viam tuam in valle, cognosce quid feceris Discurris vt camela tempore concupiscentiæ, & vt fera in deserto, cùm ardet suis flammis, quam nemo à cursu auertere potest, **Leufft si dahin wie ein toller Hund.** Deus subinde hoc ingeminabat. Reuertere, noli peccare, audi verbum meum, sed non audiebant illi, donec veniret Rex Assyrius, qui inhibebat cursum eorum. Sic hodie Germani non cessabunt peccare, donec aliquis externus hostis reprimat furorem eorum.

Nos qui habemus & amamus verbum, oremus & gemamus, vt Deus misereatur nostri, vel saltem colligat triticum in horreum suum, nec perdat nos cum paleis igni æterno. Iamq; adeo cœpit trituratio Dei, qui verò palearum & stipularum exitus sit futurus, sentient illi tandem, qui nullam admonitionem ferunt, nos sumus excusati.

De

DE APPELLATIONIBVS DEI IN GENERE.

IEHOVA.

Nomen Domini hic quid ſit, quærendum eſt, de quo multa multi in diuerſis quoque linguis. Ebræi decem nomina Dei iactant, teſte etiam Diuo Hieronymo, inter quæ illud magna ſuperſtitione celebrant, quod Tetragrammaton vocant, Iehoua, cuius virtute neſcio quantum tutelæ & operationis ſibi promittunt, cùm interea per impiam incredulitatem, & blaſphemiam nominis Chriſti ſine fine nomen Dei aſſumant inuanum, nec aliquid minus curant, quàm vt in nomine Domini ſalutem animarum ſibi parent. Dimanauit autem & in Chriſtianos eorundem ſuperſtitio, vt paſſim iactent, ſcalpant, figant, geſtent, quatuor iſtas literas, ſiue impij ſiue pij ſint, nihil curantes, velut Magi in literis & characteribus virtutes ſe habere præſumentes. Nos verò, ſicut decet Chriſtianos, oportet hoc ſcire, quòd ſine fidei pietate omnia ſunt ſuperſtitioſa & damnabilia, adeo vt nec Chriſtus nec Deus ipſe, vllı ſit ſalutaris, niſi per fidem habeatur. Quare quodlibet nomen Dei, imò quodlibet verbum Dei, omnipotentis eſt virtutis, in ſalutem corporis & animæ, ſi fidei reuerentia poſſideatur. Non itaq; nomen, ſed fides in nomen Domini facit omnia, nec vnum altero efficacius eſt: Si enim nomen Tetragrammaton ſolum tantæ virtutis eſt, ſtultè facit Eccleſia, quod non in ipſo, ſed in nomine potius Patris & Filij & Spiritus ſancti benedicit, Baptizat, & omnia Sacramenta ſua perficit: Mirumq; ſit Eccleſiam Chriſti, quæ Spiritum Dei habet, hæc nondum nouiſſe, quæ omnia nouit, quæ Dei ſunt.

Quod ſi dixeris, & ipſum Tetragrammaton hęc omnia in ſe continet, omniumq; perfectiones, ita vt nominato Sanctæ Trinitatis nomine, aut Dei, aut Domini ſimul ibi nominetur Tetragrammaton, cur ergo ab alijs ſecernitur, cur non efficit in omnibus quod efficit ſeorſum? An tam ſanctum eſt, & alia tam prophana, vt his mixtum polluatur? Aut tam inuidum, vt alijs hanc virtutis gloriam inuideat? Sint ergo iſta Iudæorum figmenta. Chriſtiani melius ſapiant, vnam ſcilicet eſſe omnium nominum Dei virtutem, ſi fidem piam habeas, ſine qua nec Sanctæ Trinitatis nomen tibi proſit.

Veruntamen quando omnia illis contigerunt in figura, vt nec Iota, nec apex fruſtra ſcriptus credatur, non negarem in nomine Tetragrammaton, aliam & ſingularem præ cæteris figuram fuiſſe ſignatam, in nouo ſci. Teſtamento reuelandam vnde & tunc ineffabile habitum eſt, & etiamnum habetur Iudæis, quia reuelatum eſt eiuſdem myſterium, pertinaciſſimè exhorrent. Quare vt & nos ſiue nugemur, ſiue cum eis cabaliſemus, putemus nomen Tetragrammaton eſſe Symbolum nominis ſanctæ Trinitatis, & nomen Patris & Filij & Spiritus Sancti, nunc reuelatum nunc ſub quatuor literis eſſe adumbratum. Quod vt faciamus veriſimile, ex ipſis literis, ex numero, ex ſignificatione eorum, argutemur.

Significatio eſt hęc, Iod principium, He iſta, Vaf, & He iſta, componantur Grammaticè & latinè reſultabit hæc oratio, principium iſtius & iſtius. Quod cum nomine Sanctæ Trinitatis per omnia conuenit, Quòd Pater in diuinitate ſit principium iſtius, Scilicet Filij iſtius, Spiritus Sancti. Nam iſta pronomina iſtius & iſtius obſcurius Filium & Spiritum S. repræſentant, ſicut conueniebat illi Teſtamento, in quo non erat reuelandum, ſed iudicandum duntaxat myſterium Trinitatis. Sed nec Patris nomen clarè expreſſum eſt, licet nomine principij plus notificętur, quàm Filius & Spiritus S. in quo ſimul ſignificatum eſt, nulli eſſe (Sicut Chriſtus Matth. 11. dicit) cognitum Patrem neq; Filium, niſi cui fuerit reuelatum,

ſiquidem

Siquidem nec hodie Sanctæ Trinitatis mysterium, etiam si nomen proferatur, cognoscitur, nisi docente Spiritu fidei.

Apparet itaq; illis sub nomine Tetragrammaton personarum diuinarum numerum & naturam non secus esse adumbrata, quàm nobis sub isto nomine Trinitas, vt sicut vocabulum Trinitas, si resoluatur, eius sententia dabit, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: Ita Tetragrammaton resolutum reddet principium istius & istiusobscurius quidem, tamen idem : Aeque enim tres commendantur personæ, & duæ processiones, atque in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Secundò numerus est quaternarius, Hic est quadratus planus primus: Qui constat duabus proportionibus simplis æqualibus primis, quarum prior est, vnius ad vnum, & duorum ad duo, ab vnitate incipiens & in quaternitate desinens. Sunt autem proportiones istæ iuxta Arithmeticam inæquales, sed iuxta Geometriam æquales, sed hæc ad Mathematicam.

Ita in quadrato huius diuini nominis, significatur vnitas paternæ substantiæ, ex qua vnus procedit Filius æqualis eidem Simpla proportione prima : Ex vtroque autem Spiritus Sanctus secunda processione, velut altera proportione simpla æqualis Patri & Filio, sicut proportio duorum ad duo & vnius ad vnum æqualis est Geometricè. Cùm autem proportio ista simpla omnium sit perfectissima, prima, & proportionum fons & caput, vbi neutra partium alteram excedit nec exceditur vltra, quia vnum vni, duo duobus, per omnia æqualia, Fit vt æqualitas personarum in diuinis, per duas tantum processiones & non plures subsistentium, pulcherrimi istius quadrati seu Tetragrammati Symbolo, significata sit antiquis patribus in occulto. Aequalis enim Patri Filius processione prima, æqualis vtrique Spiritus processione secunda.

Huc iam facilè est referre, quatuor istas relationes, quas Theologi habent visitatissimas, Generatio actiua, generatio passiua, Spiratio actiua, spiratio passiua, Hæc enim quatuor constituunt (vt sic dicam) Deum Trinum & vnum, sicut istæ quatuor literæ eius nomen.

Tertiò ex ipsis literis ac natura earum. Syllaba prima terminat proportionem primam literam He, quæ est lenis Spiritus, vt indicet processionem illam in diuinis esse, non carnalem, sed Spiritualem, & suauissimam ac blandissimam, Aspirationis enim litera, si proferatur aliud non est nisi quidam blandus processus venti seu flatus, vt aptissimè hanc processionem Filij significet. Similiter & totum nomen terminatur proportione secunda in eandem aspirationis lenitatem, vt & secunda processio intelligatur, Spiritualis, nec ab ea differens, nisi quòd est secunda, & à prima procedens, nec differt Spiritus à Patrè & Filio, nisi processione Sola ab vtroq;. Cùm ergo Spirituales sint istæ processiones & Spiritualissimæ naturæ, necesse totum principium in totum fluere principatum, quòd diuisibilis non sit. Ita inæstimabilis pluralitas subsistit in simplicissima vnitate.

Hæc inquam, & si qua sunt similia, videntur esse in Tetragrammato veteri figurata, nunc verò in omnibus linguis reuelata, vt iam Tetragrammato nonsit opus, non magis quàm tota lingua Ebræa, pro intelligendo Deo.

His suffragatur, quòd Burgensis dicit, Tetragrammaton idcirco ineffabile dici, quòd nullius vocis Ebrææ Etymologiam sapiat, nec Analogia liceat eius significationem agnoscere, vt appareat, consilio diuino has literas Ebræas quidem copulatas, sed tamen velut extraneam & non gentilem Iudæorum dictionem significabilem constitutam, quomodo Latinis literis liceat dictionem aliquam constituere, Grammaticis ignotam tantùm significandi & memorandi causa. Quod Valentiniani videntur æmulati in sua, abraxas, Græca dictione. Rectè ergo ineffabile

effabile nomen Domini dictum est, quod tunc non fuerit reuelatum Trinitatis Sacramentum, & si occultè insinuatum. Rectè quoq;. Soli Deo hoc vnicum nomen tributum dicitur & quòd Deum secundum substantiam, & internam naturam significat. Nam Deus verè in seipso aliud non est nisi Pater, & Filius & Spiritus Sanctus, Trinitas, & ea quæ de vnitate & processione dici solent. Quæ res in nulla creatura inueniri potest, quare nec Tetragrammaton ei aptari, cùm alioqui nomina Regis, Domini, Dei, Fortis, Excelsi, Elohim & similium, alijs conueniat & tribuantur vicem Dei gerentibus. Operib. enim Dei externis, Angeli & homines assimilari possunt, sed Trinitas in vnitate esse non possunt, Ideò & nominibus Dei fungi possunt, sed Tetragrammaton & Trinitatis vocabulo vti non possunt.

Hinc puto facilè dissolui difficultatem illam, Exo. 6. Vbi multi æstuant quid velit Spiritus, quando dicit: Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, Iacob, in Deo omnipotente, & nomen meum Adonaj non indicaui eis, cum tamen nomen Tetragrammaton longè antè etiam Gen. 4. & deinceps ponatur. Non inquam, puto, id voluisse literas illas, scilicet, non fuisse eis indicatas, Nisi fortè tunc literæ nominis eius nondum fuissent aut compositæ, aut scriptæ, sed quod vim huius nominis, id est, fidem Trinitatis & noticiam Christi non fecerit publicari tempore Patrum, nec Moisi, nec totius veteris Testamenti, sed tantùm occultè inspirari, & figuris adumbrari. Sunt qui putant Tetragrammaton esse nomen Iesu, interserta litera Schin, quod optarim esse probatum & verum. At quando Mattheus Euangelista cap. 1. Salutis Etymologiam illi tribuit, dicente Angelo ad Ioseph: vocabis nomen eius Iesum ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Tetragrammaton verò (vt dixi) nullius sit Etymologiæ prorsus, difficile idipsum tueri. Vt id taceam, quod in Ebræo vocabulo, quod salutem vel salutarem significat, necessaria & substantialis, quam vocant, litera sit, Ain, quam & Tetragrammaton non admittit, & nomen Iesus exinde constitutum, non habet. Verùm aliorum in hac re iudicium esto. Hæc pro vitanda superstitione Iudæorum dicta sunt.

ELOHIM.

Dignum obseruatione est, quòd Moses non dicit: In principio creauit Adoni Cœlum & terram, sed vtitur vocabulo pluralis numeri Elohim, quo nomine in Mose & alibi tum Angeli, tum iudices seu Magistratus appellantur, sicut in Psalm. 82. Ego dixi dij estis. Hic autem certùm est significare Deum vnum, & verum à quo creata sunt omnia cur igitur vtitur plurali nomine? Iudæi variè cauillantur Mosen, sed nobis clarùm est voluisse eum Trinitatem, seu personarum pluralitatem, in vna diuina natura rectè ostendere. Quia enim dicit de opere creationis, manifestè sequitur quòd excludit Angelos. Manet igitur illa contradictio, quod vnus est Deus, & tamen illa vnissima vnitas, verissima etiam est pluralitas, quorsum enim alioqui attinet, Mosen plurali numero vti?

Deinde vt multùm clamitent, vocabulum hoc tribui Angelis etiam & hominibus, tamen in hoc loco plurale est, & non nisi de vno vero Deo potest accipi, quia igitur de creatione, Et fuere alia multa vocabula singularia, quibus potuisset Moses vti, nisi voluisset certo consilio Spiritualibus significare, quod in natura diuina, extra creaturam sit personarum pluralitas. Non quidem apertis verbis dicit, esse Patrem, esse Filium, esse Spiritum Sanctum, vnum & verum Deum, Id enim Euangelij doctrinæ reseruandum fuit, sed satis ei fuit vocabulo plurali, quod postea hominibus quoque tribuitur, istam pluralitatem personarum ostendere.

In has

In has absurdas opiniones delabuntur animi cum fine verbo de tantis rebus volunt cogitare. Atqui eos ipsos nescimus, Sicut Lucretius ait: Nescitur adhuc quæ sit natura animæ, Sentimus nos posse iudicare, numerare, discernere quantitates & Spirituales creaturas (vt sic vocem) Verum & falsum, & tamen nondum possumus definire quid sit anima, quantò minus diuinam naturam intelligemus? Nescimus qualis voluntatis nostræ sit motus, non enim qualitatis, non quantitatis motus est, & tamen est motus quidam, Quid igitur in diuinis sciremus?

Ergo fanaticum est, sine verbo & inuolucro aliquo de Deo & diuina natura disputare, sicut solent omnes hæretici, ea securitate de Deo cogitant, qua de porco aut vacca disputant. Ideo etiam ferunt dignum præmium temeritatis, vt sic periculosè impingant. Nam qui vult tutus esse, & sine periculo in tantis rebus versari, is simpliciter se intra species, signa & inuolucra ista diuinitatis contineat, qualia sunt verbum eius & opera eius, Nam in verbo & operibus se nobis ostendit. Hæc igitur qui attingunt, isti quemadmodum muliercula sanguinis profluuio laborans, contactu vestimenti sanantur,

Qui autem extra ista inuolucra Deum attingere volunt, isti sine scalis, (hoc est verbo) nituntur ad Cœlum ascendere, ruunt igitur oppressi Maiestate, quam nudam conantur amplecti & pereunt. Sicut Ario accidit, hic cogitauit esse medium quiddam, inter creatorem & creaturam, & ab illo medio condita esse cuncta. Huc necessariò delabitur, postquam contra Scripturam pluralitatem Personarum in diuinitate negauit. Sed quia sine & extra verbum Dei ista disputat, & sola sua cogitatione nititur, non potest non impingere. Gene. cap. 1. fol. 3.

LEEL ELON.

Hic quoque obseruandum est, quòd Moses hic nouo nomine appellat Deum Dicit enim Melchisedec fuisse Sacerdotem Leel ELon Dei altissimi. Ac Psalmi sæpius hac appellatione vtuntur, quam puto factam à vocula Al, quæ suprà vel sursum significat, ad differentiam cultuum notandam, qui tum erant. Nam Rex Sodomæ, Gomorræ, Rephain, Babilonij & alij, habuerunt has certos Deos & cultus. Mundus enim semper varijs sectis plenus fuit: Sed Sancti Patres & posteri Eber, coluerunt Deum Elon, hoc est altissimum, qui suprà omnes est vnicus & æternus Deus.

Hinc Angeli quoq; canunt, Gloria in excelsis Deo, Satan cum suis Angelis damnatis volitat in aere, sed verus Deus altiorem sedem habet, quam non potest attingere.

Adhunc modum voluerunt Sancti Patres hac appellatione varietatem Deorum & cultuum excludere & damnare, siquidem eum solum coluerunt, qui est summus & altissimus. Genes. cap. 13. Tom. 2. fol. 46.

DEVS VIVENS ET VIDENS.

Hagar in signum gratitudinis, quòd velit confiteri Deum, & cultum meritum ei præstare, propter beneficium sibi à Deo collatum, dat simul & Deo, & loco nomen, & vocat puteum viuentis & videntis.

Vtrumq; nomen plenum est consolationis, si enim Deus est viuens Deus, igitur nos qui eius sumus populus, etiam viuemus ipsius, hoc est æternam vitam. Hæc cum magnum sit beneficium, illud rectè cum eo comparatur, quod viuens Deus, est videns Deus, qui non deserit adflictos, sed respicit & iuuat eos. Genes. cap 16. Tom. 2. fol. 72.

El Schadai,

El Schadai. Sed quorsum attinet noua Dei appellatio, qua hoc in loco primum Moses vtitur? Appellauit antea Deum (Elohim) hic vocat (Schadai) Sine dubio ad significandum mysterium aliquod. Id etsi pro singulorum opinione aliud ab alio fingi potest. Hoc tamen ego præcipuum iudico significatum hac noua appellatione, quòd hac de Circumcisione præceptum non pertineat ad vniuersam Creaturam, sed hunc populum hoc modo fuisse separandum ab alijs terræ populis.

Vocabulum (El) fortem significat, vsurpatur autem aliquoties substantiuè. Sicut in Deuter. Alius rapiet tuum Asinum coram te, Item: Bouem tuum abducet & mactabit, & non erit in manu tua. (El) vt id prohibeas. Prouerbiorum tertio: Cum fuerit fortitudo tua in manu tua ad faciendum, hoc est cum facultatem habebis vt facias.

Sic in primo præcepto: Deus tuus sum fortis zelotes. Hinc sunt Angelorum nomina, Raphael, Vriel, Michael, Gabriel. Item de quo paulò ante diximus Ismael. In summa significatur hoc nomine virtus & potentia Dei, quòd solus sit potens, quòd habet ex se sufficientiam omnium, quòd sit compos omnium, quòd nullius virtute indigeat, quòd omnia possit dare omnibus.

Altera appellatio (Schadai) ferè transfertur omnipotens. Nec moror hic Grammatistarum rixas, vnde deriuetur. Nam quòd ex pronomine & nomine componunt, quòd significet sufficientiam ex se habentem, non sanè repugno, & si non credo. Cum nomine Sched, quo appellarunt Dæmonia, quibus Iudæi immolarunt, prorsus nihil commune habet, nec cum (Schadat) quod uastare significat.

Sed vndecunque tandem trahat originem, mihi ideo videtur Moses noluisse generali appellatione totius generis humani (Elohim) vti: Sed singularem hanc & nouam appellationem vsurpasse, ad significandum mysterium hoc quod hoc pacto Circumcisionis, quam hic præcipit, nolit tenere vniuersum orbem terrarum, sed particulariter pertinere ad Semen Abrahæ. Genes. cap. 17. Tom. 2. fol. 74. Et fol. sequenti. Ineptum imò impium, quoque est, quòd quidam Iudæi Schadai dicunt appellatum à Schadat, vastare, quòd solus uastet cœlestia & terrestria. Hoc nomen cum hac sententia, Dæmonibus verius conuenit, quàm Deo vitæ & lucis. Est enim Deus benefaciendi, non perdendi.

Rectiùs formatur à primitiuo Schad, quod mamma sonat, Sicut Græci vocarunt πολυμαστὸν, seu mammosam Deam, Cui tribuerunt beneficium alimoniæ. & nos Deum vocamus alumnum, qui non solùm potentiam ex se habet, sed dat omnibus alijs sufficientiam vt se alant.

Hæc significatio propriè ad Iudæos pertinet, quibus solis facta erat promissio de terra Canaan. Fuit igitur his El. Satis enim habuit potentiæ ad defendendum Populum suum contra Gentes. Fuit quoque Schadai, quasi dicas vbera ad fouendos & alendos eos. Etsi enim Gentes quoque defendit & aluit, tamen Iudæos ex promissione cogebatur alere & defendere.

Hæc mihi huius nominis ratio vera esse videtur. Etsi autem me harum rixarum inter Grammaticos iudicem non constituo, tamen res conuenit, quòd Deus hunc populum fouit, defendit, & vt Paulus 1. Timoth. 6. loquitur, omnia contulit ad sufficientiam.

Elolam. Obseruandum autem est nouum nomen Dei, hoc in loco, uocauit inquit seu clamauit in nomine Domini (Elolam) Dei seculorum seu mundi, vocabulum enim (Olam) æquiuocum est, significat enim sæculum seu æternitatem & mundum. El autem etiam creaturis applicatur, & in Mose sæpe dicitur de præstantissimis & optimis fructibus, & ferè exponitur pro fortitudine. Mihi

igitur placet hoc in loco dici Deum, (Elolam) quasi dicas potentiam, & virtutem mundi, implentem omnia in mundo, sicut apud Poetam est. A Ioue principium Musæ: Iouis omnia plena, quam vocem sine dubio hausit ex antiqua traditione Patrum. Quicquid enim habet mundus, existit & seruatur diuina voce. Deus enim condidit mundum, & conseruat mundum, ita hic (Elolam) Deus est virtus mundi, per quem mundus est, & potest quicquid potest. Hoc nomen Abraham Deo tribuit doctus sua experientia. Vidit enim Deum præsenti auxilio adesse suis, ita vt etiam cor Regis & procerum inclinet quò velit. Imò qui fingat sigillatim corda, hoc est qui det omnibus consilia & motus ad faciendum ius & rectum. Genes. cap. 21. Tom. 2. fol. 187.

Respector Schnuim. Diligenter hoc obseruate, quòd Deus appellatur respector Schnuim, id est eorum qui sunt spreti & abiecti tantùm non desperent. Genes. cap. 29. Tom. 3. fol. 109.

Timor Isaac. Pachad Hebræis est timere, pauere, Psal. 14. Illic trepidauerunt timore. & Hypocritæ metuunt, vbi non est metuendum, siue vt alibi dicitur. Impius fugit nemine persequente. Sic vulgò exponitur, sed de cultu intelligendum est. Quid igitur vult Spiritus Sanctus, quòd appellat timorem Isaac?

Non dubium est quin significet Deum. Quia addit Deus Patris mei, Deus Abraham, & Deus Isaac. Coniungitur timor cum Deo, necesse est igitur idem valere quod Deus. Ideo timor hic impliciter significat Deum. Sin aliud quiddam significaret, quàm Deus, non coniunxisset Iacob cum Deo. Non enim transferendus est honos siue cultus Dei aliò. Infinitæ autem quæstiones & explicationes sunt, quare vocet timorem & reuerentiam Isaac. Et cur non Abrahæ etiam, sed soli Isaac hoc nomen tribuat. Ego verò sequar simplicem & communem sententiam, quòd sic appellarit propter insignem & singularem cultum Patris sui Isaac, qui singulari pietate timuerit & coluerit Deum. Hæc communis sententia est & mihi benè placet.

Alij sic interprætantur, quòd timuerit Isaac cùm esset immolandus. Sed est alienus sensus & impius: Quia Isaac non timuit, nec formidauit, sed sponte obedijt Patri & Deo. Non enim est terror tribuendus Sanctis, sed obedientia spontanea & fortitudo. Timor enim significat peccatum regnans, quod non fuit in Isaac, sed fuit Spiritus obediens. Et quanquam reluctata est caro, tamen vicit, & dominatus est Spiritus, qui subiecit sibi carnem.

Sed præter hanc sententiam existimo etiam significari Christum. Patres enim habuerunt hanc benedictionem distinctam à benedictione corporali. In Isaac vocabitur tibi Semen, inquit Paulus, qui etiam vrget Emphaticum vocabulum. Ismaelis enim benedictio erat corporalis in duodecim Principibus: sed in Isaac vocabitur tibi Semen, quod non est nisi Christus ipse, is est verum Semen. Quia Patres vltra benedictionem corporalem, quam habuerunt Ismael & Esau, principaliter in spiritualem, quæ est Christus ipse, respexerunt. Intelligo ergo hic Trinitatem, & alibi etiam, vbicunq; ex locis veteris Testamenti mysterium id possum eruere. Ita hic timor significat Filium Dei incarnatum, quem spectarunt in promissionibus, & docuerunt Patriarchæ & Prophetę. Sicut initiò promissus est. Gen. 3. Semen mulieris conteret caput Serpentis. Item in semine tuo benedicentur omnes Gentes. Hunc timuerunt & coluerunt Patres, tanquam gemmam & nucleum corporalium promissionum, quę erant instar testæ aut siliquę, datæ ad confirmandam fidem, de alenda posteritate propter Christum.

Significat ergo Spiritus sanctus, quòd magno desiderio expectauerit & coluerit Isaac illud Semen. Et Iacob gloriatur hic in Christo futuro, quem coluerit Pater.

Pater. Meminerimus quoque diligenter loca illa insignia referenda esse ad Christum, cuiusmodi supra aliquot in promissionibus habuimus & infra 49. dicetur de Schilo venturo, qui est filius veri, filius matricis. Nec sequamur Rabinorum interpretationes, qui horribiliter obscurant Christum. Nam Patres hanc gemmam inclusam corporalibus benedictionibus, diligenter obseruarunt & coluerunt, alioqui non dixisset hic Iacob, timor Isaac, Is enim est Filius Dei, Christus Iesus incarnatus, in secunda persona. Nec ideo sic dicit, quòd sit alius Deus, quàm Deus Abrahæ, sed ad significandum mysterium Trinitatis. Genes. cap. 31. Tom. 3. fol. 148.

QVID SIT DEVS.

Deus in seipso aliud non est, nisi Pater & Filius, & Spiritus sanctus, Trinitas, & ea quæ de Vnitate & processione dici solent. Tom. 2. Ienens. fol. 66. Eodem Tom. fol. 239. Deus est Vita, Lux, Sapientia, Veritas, Iustitia, Bonitas, Potentia, Lætitia, Gloria, Pax, Beatitudo, & omne bonum.

Speculatiuè definiunt Deum, similitudinibus quibusdam, quòd Deus sit centrum, quod vbiq; est, & Sphæra quæ nusquam est. Sed hæc Mathematica & Physica sunt, quæ nos relinquimus alijs Professoribus. Nam Theologicam definitionem quærimus, ea non est definitio essentiæ diuinæ, quæ incomprehensibilis est, sed voluntatis & adfectus, quid ei placeat, quid non placeat. Neq; enim Principem nouit, qui potentiam & opes nouit, sed qui affectus & consilia omnia Principis intelligit. Sic ante oculos sunt creatio mundi, & potentia Dei, sed hoc caput est, scire quo fine Deus fecerit ista, & quo consilio. Hanc cognitionẽ præsens versus Psalmi cum singulari suauitate proponit, quòd scilicet Deus, sit talis Deus, qui finaliter nihil faciat aliud, quàm vt contritos, vexatos, perturbatos, respiciat ac amet, & quòd sit Deus humilium & contribulatorum. Hanc definitionem, si quis animo complecti posset, is esset Theologus. Neq; enim Deus in Maiestate & potentia apprehendi potest. Ideo hæc definitio nobis voluntatem Dei aperit, quòd sit Deus non mortis sed vitæ, non perditionis, sed salutis, non hostis humilium & perditorum, sed amator & adiutor, & simpliciter, quòd sit Deus vitæ, salutis, quietis pacis, & omnis consolationis, lætitię. Ex Psal. 51. Tom. 4. Ienens. fol. 411.

Quid Deus in natura sit definire nõ possumus. Hoc benè possumus definire, quid non sit, Nempè quòd non sit vox, non columba, non aqua, non panis non vinum, Et tamen hisce visibilibus formis se nobis offert, nobiscum agit, has formas proponit nobis, ne degeneremus in erraticos & vagos Spiritus, de Deo quidem disputantes, sed eum penitus ignorantes, tanquam qui in nuda sua Maiestate non potest apprehendi. Hanc viam cognoscendi Dei videt Deus nobis esse impossibilem. Habitat enim sicut Scriptura dicit, lucem in accessibilem, & proposuit quę possumus apprehendere & intelligere. In his qui resistunt, Deum vere apprehendunt, cum illi qui visiones, reuelationes, illuminationes iactant & sequuntur, aut opprimuntur à Maiestate, aut in densissima Dei ignoratione versantur. Genes. Tom. 1. fol. 116. cap. 5.

Sophistæ disputarunt in Scolis, an Deus esset in prædicamento aliquo. Sed huiusmodi deliria ostendunt, quàm nihil intellexerint Sacrarum rerum.

Qui enim de Deo vult quærere quid sit, respiciat ad cultum Dei, qui omnis in adoratione & seruitute constituitur. Matth. 4. Gen. Tom. 2. fol. 86. cap. 17.

DEVS VNVS ET TRINVS.

Ex Comment. in Ioel. cap. 3. Tom. 4. Ienens. fol. 803. Vides hic firmamentum Symboli Athanasij, quo Ecclesia noui Testamenti, haud scio an post Apostolorum

lorum tempora grauius ſcriptum habet. Alia inquit eſt Patris perſona, alia Filij, alia Spiritus Sancti, ſed Patris & Filij & Spiritus Sancti vna eſt Diuinitas, æqualis gloria coæterna Maieſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, immenſus, æternus omnipotens, ſic Filius ſic Spiritus Sanctus, Et tamen non tres increati, immenſi æterni, omnipotentes, ſed vnus increatus immenſus, æternus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, Et tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus, &c. Hæc neceſſaria eſt doctrina non ideo ſolùm quia ſine ea Dei notitia eſſe nulla poteſt, ſed etiam propter inuocationem. Mens enim quoties Deum inuocat, debet animo intueri Deum Patrem, conditorem omnium, & Filium quem ab æterno gignit Pater, imaginem ſuam, ac deſtinat vt ſit victima pro peccatis mundi, & Spiritum Sanctum qui procedit à Patre & Filio, & vt Ioel hîc loquitur effunditur à Patre per Filium vt ſanctificet corda, &c. plura vide. Tom. 3. fol. 491. T. 4. fol. 195.

DE VNITATE ESSENTIÆ DIVINÆ, ET DE DISTINCTIONE PERSONARVM IN DIVINITATE.

To. 1. Ienen. fol. 573. 574. 1. Scriptura ſancta docet eſſe Deum ſimpliciſsimè vnum & tres (vt vocant) perſonas veriſsimè diſtinctas. 2. Harum perſonarum quælibet totus eſt Deus extra quem nullus alius eſt Deus. 3. Nec tamē dici poteſt, quamlibet perſonam ſolam eſſe Deum. 4. Hoc enim idem eſſet dicere, Deum nullum eſſe, cum qualibet perſona excluſa, totus Deus eſſet excluſus, & quælibet perſona eſſet excluſa. 5. Hîc enim ratio corrupta originali peccato captiuanda imò extinguenda eſt, cum ſua luce & ſapientia in obſequium fidei. 6. Aliud eſt dicere, vna perſona eſt totus Deus; & vna perſona ſola eſt vnus Deus. 7. Quomodo autem diſtinguatur perſona à Diuinitate ipſa, non eſt rationis inquirere, nec Angelis comprehenſibile. 8. Imò periculoſum & cauendum eſt ibi, illam eſſe putare diſtinctionem, cum ſit quælibet perſona ipſiſsimus & totus Deus. 9. Fruſtra via eſt cogitatio & nihili, Scoti & ſimilium qui formalem vel aliam diſtinctionem hîc finxerunt. 10. Neſciunt quid loquantur vel adfirment, dum talibus ſapientię Pharmacis rationem iuuare uolunt. 11. Nam vtcunq; iſta ſubtiliter dici videantur, ratio tamen non capit diſtinctionem formalem eſſe aliam quam realem, ſeu eſſentialem. 12. Quia ratio non capit, vnam rem indiſtinctam, eſſe tres res diſtinctas. 13. Excludenda eſt igitur Mathematica, & omnis totius Creaturę cogitatio in credenda diuinitate. 14. Quamuis non minus impoſsibile videatur inter has tres vnius ſimplicis eſſentię, vnam ſine alia factam hominem. 15. Verè tamen impoſsibilius eſt, vnam diſtinctam rem eſſe tres res diſtinctiſsimas. 16. Credere igitur Filium Dei eſſe hominem factum, minus eſt quàm credere, ipſum eſſe Patri & Spiritui Sancto conſubſtantialem. 17. Quod Dialectica arguit, hęc ſuis regulis non quadrare, dicendum eſt, Mulier taceat in Eccleſia. 18. Nihil mirum. Si Anius Iudęus, Mahomet & totus mundus negent Chriſtum eſſe Deum. 19. Iudicat enim cęcus de colore, & creatorem in ſeipſo ſubſiſtentē, æſtimant ſimilem creaturę, quę ex nihilo conſtat. 20. Mouent quidam an dicendum ſit Pater ſemper Genuit vel generat Filium, vel an Filius ſemper natus ſit, vel ſemper naſcitur. 21. Alterum modum loquendi qui tenent, cauſantur Filium Dei debere dici, ſemper natum, quia præteritum tempus, perfectum, præſens, imperfectum notet. 22. Hilarius & alij audent dicere, Filium ſemper naſci ex Patre, & viuum ex viuo viuere, & ex innaſcibili naſci. 23. Sed puto hanc eſſe magis Grammaticam vel Philoſophicam, quàm Theologicam controuerſiam, qua caro ſeu ratio mouetur. 24. Cum certum ſit in Diuinitate, quia ipſa ęternitas eſt, nullum eſſe locum Grammaticę vel Philoſophię, ibi idem eſt, præteritum, præſens, & futurum. 25. Vnde

Perſona quomodo diſtinguatur à Diuinitate non eſt rationis inquirere.

An dicēdum ſit Patrem ſemper genuiſſe Filium, &c.

præteritum

præteritum tempus natus de Filio idem facit q̃ naſcitur præſens, & naſcetur futurũ. 26. Quia idem Filius eſt ab æterno, in ęternũ natus, naſcens, naſciturus, id eſt æternus ex Deo Deus. 27. Sicut rectè de Deo dicitur nobis: Deus manſit, manet manebit, cùm nihil aliud ſignificetur, quàm eſſe Deum ſemper ſeu æternum. 28. Suum fuiſſe eſt ſemper eſſe, ſuum futurum eſt ſemper fuiſſe, ſuum præſens eſt ſemper fuiſſe & futurum. id eſt æternum. 29. Hoc eſt illud nomen Iehoua, quod ſacrum Tetragrammaton, & ineffabile dicunt Iudæi, etiamſi quid dicant non intelligant. 30. Sentit & Ariſtoteles, æternum ſeu infinitum in quantum eiuſmodi eſſe ignotum & incomprehenſibile. 31. Imò affirmat infinitum ſeu æternum in quantum huiuſmodi exiſtere non poſſe, & ſecundum rationem viſus eſt rectè dicere. 32. Sed conſequẽtiam non vidit, vel potius videre, voluit ſcilicet quod apud rationem ex hoc ſequitur, Deum non eſſe nec eſſe poſſe, &c.

TOM. 1. IENENS. FOL. 574.

1. Verbum in Diuinitate vocatur ſapientia Patris, vel vt S. Paulus ait, ſapientia & virtus Dei, 1. Cor. 1. 2. Non ita vt Pater in ſua perſona, per Verbum & non etiam per ſeipſum, ſapiens vel ſapientia ſit. 3. Quælibet enim perſona eſt ſapientia, virtus, bonitas Dei ſicut eſt & eſſentia, ſubſtantia & quicquid de Deo dici poteſt. 4. Non patitur fides, vt perſona Patris per ſeſe ſit ſine ſapientia, aut perſona Filij, ſine potentia & virtute, aut Spiritus Sanctus ſine vtraq;. 5. Hoc eſſet dicere, perſonas per ſeſe eſſe ſine ſubſtantia, eſſentia, æternitate, immenſitate, Maieſtate, id eſt ſine diuinitate & prorſus nihil. 6. Traditur igitur (ex S. Auguſtino) hæc Regula. Quicquid abſolutè & nõ relatiuè dicitur in Diuinis, id cõmuniter dici & intelligi oportere. 7. Etiamſi communia nonnunquam, ad diſcernendas & manifeſtandas perſonas, de ipſis dicantur, quę vocant attributa. 8. Vt quia in Filio oſtenſa eſt, per carnem ſapientia & virtus Dei tribuitur ei ſapientia & virtus Dei. 9. Ita virtus ſeu potentia perſonæ Patris tribuitur ex Creatione, cum ea ſit cõmuniter omnium trium, id eſt vnius Creatoris. 10. Sic bonitas, Spiritui Sancto & viuificatio tribuitur, cùm ab hoc communi opere Trinitatis, non excludatur Pater & Filius. 11. Sanè tamen intelligenda eſt Relatio in Diuinis & longè alia quam in Creatura vel Philoſophia. 12. Relatio in rebus, non efficit rem vt dicunt, Relatio eſt minimæ entitatis, & non per ſe ſubſiſtens, Imò ſecundum, Modernos eſt nihil. 13. In diuinis Relatio eſt res, id eſt hypoſtaſis & ſubſiſtentia, nempè idẽ quòd ipſa Diuinitas, Tres enim perſonæ, tres hypoſtaſes, & tres ſubſiſtentes ſunt. 14. Relatio hîc arguit diſtinctionem rerum, ſed res diſtinctæ probant eſſe relationem, 15. Non ſequitur Pater eſt ſapiens in ſeipſo, Ergo ſapientia Patris in ſeipſo, cùm ſit relatiua ad eum, eſt diſtincta res ab eo. 16. Sicut tamen rectè dicitur, Filius eſt relatiuus ad Patrem, ergo eſt alia hypoſtaſis à Patre, ita de Spiritu Sancto. 17. Summa per Rationem & Philoſophiam de his rebus Maieſtatis nihil, per fidem verò omnia rectè dici & credi poſſunt.

Relatio in rebus.

Relatio in diuinis.

TOM. 1. IENENS. FOL. 571. 572.

4. Indiſputabilis Veritas eſt, vnum eſſe Deum & trinum, omnium rerum extra ſe Creatorem vnicum. 5. Ac ſi hicaliquid diceretur impropriè tamen res ipſa defendenda eſt, per Scripturas contra Diabolum. 6. Hęc vnitas Trinitatis vt ſic dicamus eſt magis vna quàm vllius creaturæ etiam Mathematicę vnitas. 7. Simul nihilominus hæc vnitas, eſt Trinitas, ſeu Trium Perſonarum diſtinctarum Diuinitas. 8. Vt quælibet perſona ſit ipſa tota Diuinitas, ac ſi nulla eſſet alia. 9. Et tamen verùm eſt nullam perſonam eſſe ſolam, quaſi alia non ſit Diuinitatem. 10. Hęc diſtinctio perſonarum adeò magna eſt, vt ſola Filij perſona adſumſerit hominem. 11. Error eſt enim quòd vel Pater ſit Filius, vel Pater ſit homo factus. 12. Error eſt

itaq; vniuersa Mathematica, ipsaque fortiter crucifigenda, dum de ipso Deo quæritur. 13. Leuiter & frigidè consolantur nos Scotus & scholastici cum suis distinctionibus, formalibus & realibus. 14. Quin Magister sententiarum, non satis rectè docuit, Essentiam diuinam, nec generare nec generari. 15. Sed rectè ab Ioachim Abbate reprehenditur, quod in diuinis quaternitatem asseruerit. 16. Nec quidquam facit C. firmiter de Trinitate, probans Magistrum & damnans Abbatem. 17. Cum enim negare ex Augustino, non potuit Magister, substantiam de substantia, sapientiam de sapientia generari. 18. Nullo modo potuit negare, essentiam de Essentia, & quicquid de Deo vero tàm simile dici potest. 19. Præterquam quòd omnia alia suspecta sunt, quæ ista abominatio in loco Sancto stans determinauit. 20. Metuit (vt videtur) Magister, ne duæ vel tres Essentiæ dicerentur, si vna de alia nasceretur. 21. At similiter illi metuendum fuit, ne duo vel tres Dij fierent, si vnus de alia generaretur. 22. Concedimus Essentiam, in creatura, non dici Relatiuè (vt Augustini verbo vtar) sed absolutè tantum. 23. Sed cùm substantiam, sapientiam naturam & similia in diuinis, apud Augustinum & Hilarium accipi relatiuè videret. 24. Non erat cur Essentiam negaret relatiuè dici, & ob vnum, vocabulum tantas turbas moueret. 25. Vnde & Cardinali Cameracensi, Doctissimo inter Scholasticos, ista determinatio, non iniuria valde displicuit.

DE DISCRIMINE TRIVM PERSONARVM DIVINITATIS EX NOVISS. VERBIS DAVIDIS.

Tom. 8. fol. 162. Psalmus 110. Vnus etiam est eorum locorum quibus tres distinctæ personæ diuinitatis significanter expressæ sunt, qui intellectus tantum est Prophetarum & Christianorum patefactus & traditus per Spiritum Sanctum, Iudæis, Mahometistis, & humanæ rationis sapientiæ, intra hæc arcana non datur penetrare. Primùm enim hic audis, Deum Patrem (qui vocatur Dominus) quem ait dicere illud: Sede à dextris meis. Deinde additur altera persona Messiæ, seu Christi qui est Filius Dauidis, ad quem Deus Pater hæc loquitur. Nam Pater hic loquens, certè non est ipse Messias, seu Dauidis Filius (de quo loquitur) neq; hic Messias persona Patris loquentis est, Et is tamen iubetur sedere ad dexteram Patris, hoc est idem Regnum, eandem potentiam, eundem honorem & gloriam tenere. Cum autem diuinitas extra se neminem alium patiatur æquali potentia & Maiestate sibi adiungi, necesse est, hunc (Christum) Dauidis Filium, esse verè & natura Deum, cum Patre coæternum, adeoq; eiusdem diuinæ essentiæ, quia nō nisi vnus est Deus, vt in primo præcepto Decalogi dicitur: Non habebis Deos alienos coram me. Simul autem hic & Spiritus Sanctus est, videlicet idem quoque verè & & ille ipse vnicus Deus, qui per Dauidem & Prophetas, nobiscum loquitur, & omnem veritatem de Deo solus patefacit & docet, vt & Dauid supra dixit: Spiritus Domini per me locutus est, &c. & Christus. Matth. 22. Quomodo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum? Haud dubiè videlicet, sine Spiritu nec nominaturus, neque etiam agniturus Christum, eundem & Filium suum, & Dominum. Satis clarum est autem, Spiritum Sanctum non esse ipsam Dei Patris, neque Christi Filij personam, neque tamen alium Deum esse posse, colligitur igitur euidenter, vnicum Deum, sed personas distinctas esse, Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ab æterno in æternum. Paulò post fol. 164. 165. Sic & noster Dauid Mosen & legisse & intellexisse se fatetur cū inquit Psal. 33. Verbo Dñi cœli creati sunt & Spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Factos esse ait cœlos & omnem eorum exercitum, hoc est quicquid ab illis & intra illos continetur. Vnde quæso? Vnde nisi ex nihilo. Per quid aut quo tanquam organo? non certè

per ali-

per aliquid rerum conditarum (nihil enim erat) sed verbo illius inquit, & Spiritu oris eius. An non & Dauid hoc loco cum Mose congruit, ac velut ijsdem verbis hoc ipsum loquitur, Dixit: Deus, fiant cœli, & facti sunt. Siquidem ergo cœli & quicquid hi continent, verbo Dei dicentis extiterunt & facti sunt, Necesse est eodem verbo & terram, & quæ in ea insunt extitisse & facta esse. Constat autem id verbum Dei dicentis seu λόγου non esse cœlum aut terram aut aliquid eorum quæ cœlo terraque continentur, quęque per hoc verbum extiterunt. Quare relinquitur vt necesse sit λόγου esse ipsum conditorem Deum, sic tamen vt sit persona distincta, atque alia à persona dicentis, qui per hunc λόγου omnia, facit, vna & indiuulsa seu indistincta natura & essentia, diuinæ & æternæ potentiæ, potestatis & efficaciæ.

Postquam verò persona Filij λόγου Dei seu ex hac dicto Psalmi patefacta est, facile & tertia Spiritus Sancti vnà sese ostendet, quæ significatur in his ipsis verbis, cum ait: Et Spiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Quod enim antè simpliciter dixerat, verbo Domini, nunc repetit, Spiritu oris eius, haud dubiè ideò addita voce Spiritus, quo simul & λόγου, & Spiritum Sanctum conplectatur, Constat enim hanc personam, vbique nómine Spiritus appellari, vt & initio geneseos, Spiritus Dei ferebatur super aquas, ltē non iudicabit Spiritus meus in homine) Et significatur hunc pariter à Patre & Filio esse seu procedere, quia & Patris & Filij Spiritus vocatur, vt & hîc dicitur, Spiritu oris eius (hoc est ipsius verbi) haud dubiè & Patris, à quo est & λόγος seu verbum. Obseruetur autem & hoc, quòd semel tantum ponitur vocabulum, facti seu firmati sunt. Personę discertè ac distinctè nominantur tres, Dominus, verbum & Spiritus oris eius Sed vnus tantum factor seu conditor (sine vnius opus & factura, sine discrimine, videlicet facta esse omnia, à quo? Ab vno factore seu conditore, qui est Dominus verbum seu λόγος, & Spiritus,) Nec Dominus (scilicet prima Persona Patris æterni,) seorsim aut peculiare suum aliquod opus facit, Nec λόγος suum separatim à Patre. Neque Spiritus Sanctus, suum à Patris & verbi opere discretum.

Sunt igitur distinctæ personæ, vnus tamen & idem factore, & conditor eiusdem operis, hoc est quidquid est conditum. Suntq; res conditæ singulæ & vniuersæ trium personarum commune opus, vt vnius & eiusdem conditoris, & velut architecti: Sicut enim Dominus dicitur facere Cœlos, Sic & λόγος eosdem cœlos facit, Eosdem facit & Spiritus, non suos aliquos alios. Idem est opifex qui facit, idem & opificium à tribus personis effectum. Rursus vt ipse Dominus, omnem exercitum cœlorum condidit: Sic item & λόγος (verbum) eundem ipsum condidit. Quare, hîc diligenter considerandum est illud quod Athanasius in symbolo suo nomine edito, docet, ne vel personas confundamus, vel substantiæ vnitatem separemus, seu distrahamus in personis. Nam si vni alicui personę diuinitatis, seorsim aliquod opus, ab extra (vt vocant) in rebus conditis tribuitur, quod non simul & reliquarum opus esse intelligatur, hîc iam distracta & diuulsa est illa simplicissima, & arctissima vnitas diuinitatis & pro vno Deo tres Dij seu conditores finguntur, quod falsum & impium est, Rursus si intra ipsam diuinitatem (vt sic loquamur) & extra seu supra creaturas, non discernas singulas personas, singulis suis seu proprietatibus, non communicandis cum reliquis, iam personas confudisti, id quod similiter falsum est, & alienum à fide.

Atque huc rectè conuenit Regula Augustini, qui inquit: Opera Trinitatis ab extra, seu quæ est extra Diuinitatem siunt, in creaturis, esse indiuisa, hoc est. Non est facienda personarum diuisio, seu distinctio, iuxta opera quę agunt in Creaturis, nec singulis singula opera extra Diuinitatem sunt assignanda, sed personæ ipsę, intra ipsam diuinitatem sunt discernendæ,

ita tamen vt extra eam, singula diuinitatis opera, omnibus comnuniter & sine discrimine, asscribas.

Hoc vt exemplo fiat planius rectè dico: Deum Patrem æternũ esse meũ, suum Deum creatorem, qui me, te, & omnia condidit: Sic etiam dico eiusdem opificij quòd sumus ego & tu autorem & conditorem esse Filiũ Dei λόγου, coæternum Patri: Eodem modo & Spiritum Sanctum, idem hoc opus, me & te condidisse, esseque pariter cum Patre & Filio Deum & conditorem meum, tuum, & omnium rerum. Neque tamen tres sunt Dij seu conditores sed vnus Deus conditor.

Hac fide & confessione (quæ est perpetua & vera consensio Ecclesiæ Dei Catholicæ inde vsque ab initio) præmunitus sum aduersus Arij ac similium deliria, ne simplicissimam vnitatem essentiæ diuinæ diuidam, & velut discerpam in tres Deos aut cõditores, sed vera & syncera fide agnosco, veneror & profiteor, vnum Deum conditorem omnium rerum. Rursus cum extra & supra res conditas seu opus creationis, de interiore illo mirando & inenarrabili arcano diuinitatis cogito, hîc ex Scriptura disco (nam rationis humanæ iudicium & acumen hîc nullum est) æternum Patrem esse personam distinctam à persona Filij, in illa

Patris Persona.

simplici vnica & indiuisa diuinitate. Huius proprietas est, quod est sicut dicitur Pater, & non à Filio, neque ab alio quoquam, sed à seipso est.

Filius. λόγος.

Filius Dei λόγος persona est est distincta à Patre, eadem illa diuinitate qua Pater Deus est: Huius proprietas est quòd Filius est, hoc est ab æterno natus à Patre, & diuinam naturam non habet à seipso, aut non aliunde acceptam, sed tamen à nemine nisi à æterno Patre.

Spiritus Sanctus.

Ita & S.S. persona distincta est à Patre & Filio, eadem tamen diuinitate cum Patre & Filio. Huius proprietas est, quòd Spiritus est Patris & Filij, ab vtroque procedens, & diuinitatem habet non à sese, sed pariter à Patre & Filio, idque ab æterno & inæternum.

Distinctio Personarum contra Sabellianistas.

Hac fide & confessione munitus, caueo & Sabellij delirium, ac similium, vt & Iudæorum & Mahometistarum, & quorumuis aliorum qui se supra Deum sapere iudicant, nec ut illi, confundo personas, quasi vna tantum omnium sit persona: Sed sano & vero syncerae & catholicæ fidei sensu, tres personas, proprietatibus quas dixi distinctas, in vnitate æternę essentię ὁμοουσίου & coæternus confiteor, quę tamen si ad nos, & res omnes conditas respicias verè sunt vnicus Deus conditor effector & conseruator omnium rerum. Hęc fortasse rudioribus & vulgo non ita trita & plana sunt, & potius in scolis agitanda videri possunt. Sed quia Satanam videmus illam suam caudam Leuiathan trahere, & virus suum semel euomere conari, vt hoc extremo tempore omnium hęreseon velut sentinam comoueat: Cùmque mundus plenus sit leuibus & curiosis ingenijs, quos velut prurientes auribus delectet nouitas, quosque facilè fastidium capit sanæ doctrinæ quare iam patefactum est ostium Satanę queuis deliria inuehendi in doctrinam: Ideo vtile & necessarium est, saltem aliquos esse vel de populo, vel literatos pręcipuè pastores & doctores Ecclesiarum ac iuuentutis in scolis, qui de his pręcipuis articulis, quorum maximè necesse est extare veram notitiam in Ecclesia, rectè, proprie, & explicatè iuxta scripturam etiam in vernaculo sermone docere & loqui assuescant.

Si quis verò nondum hæc argutiora, vt videntur, capit, is cum pueris & alijs, qui in Catechesi doctrinæ Christianę instituuntur, simplici fide teneat & sequatur ea, quę in Symbolo articulorum fidei didicit, & alios adiuuet pijs pręcibus, orando contra Satanam, & ab ipso excitatos furores, ac contra Iudaica & Mahometica deliria, ne inducatur in tentationem.

Quia ergo in hanc tractationem ingressi sumus, & ad eos adiuuandos, quibus gratum futurum est nostrum studium, & ad confirmandam & confessione

nostra

nostra testificãdam fidem nostram, colligemus plura tum exempla tum imagines quę declarent, hunc ipsum articulũ, qui docet in diuinitate, neq; essentiam diuinitatis distrahendam aut diuidendam esse, neq; personarũ discrimina confundenda.

In illa admiranda & ferè omnium maxima patefactione facta diuinitùs in Baptismo Christi ad Iordanem, scribitur apertum esse cœlum, & S.S. visibili specie descendisse tanquã Columbam & sonuisse vocem æterni Patris de cœlo: Hic est Filius meus dilectus, quo delector Luce 3. Hic columbam seu illã Columbæ speciem corporalem, vt inquit Lucas (ne tantùm inanè visum, aut phantasma, seu præstigiũ somnies) constat esse creaturam, conditam non à solo S. S. (qui tamen in ea se seorsim ostendit) sed & à Deo Patre & Filio vt dictum est, opera Trinitatis ad extra indiuisa esse. Quicquid enim creatum est, id necesse est vnà à Patre Filio, & S.S. vt ab vno Deo conditum esse. Et tamen hæc columba solo vocatur S. S. seu vt Lucæ verba sequatur, solus S. S. descendit corporali specie tanquam Columba, & nullo modo patitur fidei Christianæ synceritas de illa specie descendentis Columbæ dici: Ecce, Hic est Deus Pater, aut hic est Filius Dei æternus: Sed sic necesse est dici, hic vides descendentem, S. S. tametsi verum est Patrem, Filium, & S. S. esse vnum & eundem æternum Deum, vt rectè & hoc dicas cum Columbam descendentem intueris, Hic est Deus æternus & vnicus, neq; extra hunc alius est Deus. Sed rursus tamen non rectè dicere possis. Hic est æternus Pater, aut Filius Dei æternus: Sed tantum hoc dici necesse est, vt persona discernatur, Hic est, Deus S.S. seu hæc est S.S. persona. Sic & vox, quæ clamat: Hic est Filius meus dilectus &c. Creatura est condita, nõ solùm à Deo Patre, sed etiam à Filio & S. S. iuxta regulã, Opera Trinitatis sunt indiuisa hoc est extra ipsam Diuinitatem, omnes res creatæ, pariter ab omnibus tribus personis, tanquam ab vnica diuinitate conditæ sunt, & ipsę tres personæ respectu creaturarum, sunt vnus æternus Deus. Ac vicissim res omnes cõditæ relatæ ad personas diuinitatis, tantum vnicũ, non triplex aut triparitum opus sunt. Et tamen vox cœlestis sonans de Christo, vt dicitur esse vox solius Patris. Nec Orthodoxum esset & Christianum de hac voce dicere. Hic est (vel sonat) Filius Dei, cur persona. S. S. Sed necesse est dici, hæc est vox Dei Patris, etiamsi & S. S. & Filius, cum Deo Patre sint vnus & idem æternus Deus. Vt hîc quoq; rectè dicatur de hac voce sonante. Hic est verus Deus, neq; extra hunc est alius. Rursus tamen non rectè dicatur, Hic est Filius Dei æternus, aut hic est S. Sanctus, sed hoc vnum necesse est dici, Hanc vocem sonat, seu in hac voce est Deus Pater. Ad hunc eundem modum, & de humana Christi natura sentiendum & dicendum est: Videlicet eam reuera esse creaturam conditam pariter à Deo Patre, & Filio, & SS. Neque sine detrimento patitur fides dici, vel Patrem solum vel solum Filium, vel etiam Spiritum Sanctum solum cõditorem fuisse huius opificij scilicet humanæ naturę in Christo: Sed est opus indiuisum Trinitatis, quòd & pariter omnes & singulę personę, tanquam vnicus Deus, & conditor eiusdem vnici operis condidit, vt Gabriel Angelus ad virginem Lucę 1. inquit: S S. desuper veniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Non solus inquit S S. adest tibi desuper veniens, sed & ipse altissimus hoc est Deus Pater æternus obũbrabit tibi, virtute seu potentia diuina, hoc est per Filium seu λόγον, Itaq; & quod in te nascetur, ipse Filius altissimi vocabitur. Sic ergo tota diuinitas, vnicus est factor seu conditor, & vnum idemque opus, videlicet naturam humanam condidit, & tamen sola persona Filij seu λόγα, cum ea vnita est, eamque assumsit, non persona Patris neque Spiritus Sancti.

Quare neque de hoc homine, Iesu Nazareno rectè dici potest, Hic est Deus Pater, aut hic est Deus Spiritus Sanctus, sed necessariò dicitur, hic est Filius Dei λόγος, etiamsi verum est Patrem λόγος, & Spiritum Sanctum, vnum & eundem Deum esse,

Deum esse, vt hic quoque rectè & verè affirmetur de hoc ipso homine, hunc esse Deum, neque vllum esse alium extra hunc, & tamen non rectè dicatur, hunc esse Deum Patrem, aut Spiritum Sanctũ, sed necesse sit dici, esse huc Filium Dei, λόγῳ, vt Paulus ad Colosſ. 2. loquitur: In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis. Neque tamen propterea Patris, aut Spiritus Sancti diuinitati quidquam decedit aut detrahitur, sed vterque vnà cum Filio Dei, & eodem homine Christo, vnicus est æternus Deus.

Ex his opinor posse intelligi, quomodo tres personas æternæ diuinitatis, intra ipsam diuinitatem distinctas credi, nec in vnam personã confundi oporteat: Ita tamen ne ipsam essentiæ diuinæ vnitatẽ diuidas, aut tres Deos fingas. Sed ab extra seu cum ad creaturas respicis, vnum esse Conditorem seu Creatorem confitearis, eumq; simpliciter tam vnicè vnum, vt etiam hæ creaturæ, in quibus se seorsim & distinctè vnaquęque persona, ostendit (vt in Baptismo Christi dictum est) communiter trium personarum, vt vnius æterni Dei, opificium sint. Hæc arcana, vt vtcumque à rudibus tanquam picta cogitari possint, scriptorum quidam, præcipuè Bonauentura, crassa imagine vtuntur. Vt si tres sint puellæ quæ vnam inter ipsas noua veste induant, sic vt tres simul omnes eidem vesti manus admoueant, & tertia vnà cum reliquis duabus sibi eam vestem inducat. Hic tres puellæ vnà tertiam veste induunt, sic tamen vt vna tantum, non item reliquæ, ea veste induatur. Ad hanc imaginem intelligatur & hic, quod tres personæ diuinitatis, videlicet vnius Deus Creator & opifex, illius vnius & eiusdem opificij, autores sint, hoc est humanæ naturæ Christi, & eam cum Filio Dei λόγῳ in eandem personam vniuerint, ita vt solus Filius λόγος non Pater, nec Spiritus Sanctus humanam naturam assumserit. Eodem modo, intelligantur quæ leguntur de Columba, in cuius specie Spiritus Sanctus, in Baptismo Christi se ostendit. Item de flatu vehementi & linguis igneis, in quibus se idem Spiritus in Pentecoste visibiliter exhibuit, Et si quæ alia tribuuntur Spiritui Sancto, testimonia seu patefactiones, quæ in Ecclesia, seu in scriptura per prophetas efficere dicitur. Sed hic non abs re quæri potest, quare vulgò in professione fidei seu symbolo dicatur imò cur scriptura sic loqui nos doceat: Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ &c. vbi propriè Filius non vocatur Creator. Item credo in Iesum Christum conceptum de Spiritu Sancto, (non Deo Patre) Item in Symbolo Niceno dicitur, Spiritum Sanctum, (non Patrem aut Filium) locutum per Prophetas &c. Hîc certè singulis personis, tanquam propria & à reliquis distincta opera attribuuntur, vt & reuera inter se discernuntur, Sed hæc imperitioribus fortasse etiam nimis subtilia videbuntur, quos si plura nõ assequuntur, satis est hãc simplicem fidei doctrinam tenere, quod etsi tres sunt personæ, Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus, tamen eædem sunt vnicus ac idem Deus æternus, &c. Verùm in doctrina Ecclesiæ necesse est etiam hæc aliquo modo explicari vt de ijs rectè & loqui & intelligere discamus, vt Diaboli corruptelę & hæreticorum delíria caueantur, & refutari possint, primùm ergo certum & indubitatum est, Deum sic velle & in hac vita per fidem, & in futura palàm & æterno contuitu agnosci, quod sit vnica æterna mens, & tres distinctæ personæ, quæ ipsa agnitio nobis est vita æterna vt Iohan. 17. dicitur. Vt ergo agnoscatur, verbum suum & scripturam nobis tradidit, testimonijs miraculorum & operum diuinorum confirmatam, vt hinc quod de se sciri voluit discamus.

Bonauentura.

Deus tantum secũdum patefactionem, rectè agnoscitur.

Nam ad hoc vt rectè agnosci posset opus fuit patefactione & doctrina, qua se nobis ostenderet, & velut conspiciendũ præberet. Ex nobis ipsis ac nostra sapientia non eramus penetraturi intra illud arcanum cęleste, nec perueſtigaturi quid sit Deus, aut quæ sit ratio essentiæ diuinitatis. Sed vt hæc incõprehensibilia aliquo

modo

modo cogitatione sequi possimus, ad ea describẽda vtitur velut imaginibus sumtis à rebus creatis & uisibilibus. Nam res inuisibiles non mouent sensus & cogitationem nostram. Duplex est autem creaturæ siue rerum conditarum omnium consideratio. Primum absolutè, vt vulgò loquuntur, & per sese vel sua natura aliquod opus cogitatur, sic aut aliter à Deo conditum. Hac ratione omnes creaturæ sine discrimine sunt, & dicuntur Dei (seu diuinitatis) id est trium personarum communiter, facta seu opera, vt satis dictum est. Nam hæc consideratio non adfert ullam distinctam notionem alicuius vnius personæ seorsim, cùm vnaquæque rerum conditarum pariter & communiter sit opus trium personarum siue vnicę diuinitatis.

Secundò, eædem res conditæ etiam relatiuè considerantur, non vt sua natura sunt, sed vt vsu discernuntur, quo Deus ijs erga nos, ad se patefaciendum vtitur. Sic enim Deus creaturam suam, videlicet trium personarum & vnicæ diuinitatis, commune opus, adhibet ad hunc vsum, vt se his tanquam imaginibus & simulacris, seu specie ostendat ac patefaciat.

Hoc modo igitur fiunt creaturæ visibiles imagines, seu signa, seu testimonia & patefactiones personarum inter se distinctarum. Ita in illa miranda reuelatione facta in Baptismo Christi, visus est Columba, vt esset imago seu signum patefactionis, qua se Spiritus visibiliter ostendit. Est itaq; hæc distincta seu propria & incommunicabilis species, qua peculiariter Persona S S. non Patris aut Filij ostenditur. Sic enim æterno Deo & Patri & Filio & S S. visum est, vt hæc species Columbæ seorsim S S. personam solam nobis significaret & exhiberet, videlicet vt propositis distinctis imaginibus certi redderemur, ipsam diuinitatem siue æterni Dei vnicam essentiam, verè esse tres personas ab æterno distinctas. Propterea diserte inquit Lucas: Spiritum Sanctum (non Patrem aut Filium) descendisse specie corporali, tanquam Columbam, &c.

Ad eundem modum de persona Filij Dei rectè dicimus, videlicet quòd se patefecerit assumta hac nostra humana natura, seu vt Paulus ait, in forma serui, habitu, seu ut ipse significantiùs loquitur Schemate, id est omni gestu & consuetudine vitæ, inuentus vt qui verè esset homo. Hæc igitur forma seu natura humana assumta à Christo, non est Dei Patris, nec S S. species seu ostensio, etiamsi verè est vtriusq;, & Patris & S S. sicut & Filij, idem opus seu creatura, sed propriè & seorsim est species, siue forma solius Filij Dei. Sic enim placuit Deo æterno, videlicet Patri, & Filio & Sancto Spiritui, ut hac specie seu forma humanę naturæ, Filius Dei humano generi patefieret, & agnosceretur, vt persona distincta à persona Patris & Spiritus, in vna tamen coæterna, indiuisa essentia diuinitatis. Similiter & de persona Dei patris dicendum est, quòd sese patefecerit nobis voce de cœlo sonante. Nam hæc species seu forma, non est Filij aut Spiritus sancti forma seu ostensio, Sed solius Dei patris, qui hac specie seorsim exhibita, sese patefacere voluit, tanquam persona, & à Filij & Spiritus sancti persona distincta, vnicæ tamen & indiuisæ diuinitatis.

Sumito si placet, huius discriminis pinguius & crassius exemplum, ex ipso communi & vsitato sermone nostro, quo vtimur in Ecclesia, Cùm minister Euangelij Baptismum aut Absolutiõem alicui impertit his verbis: Baptiso aut Absolúo te à peccatis, in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hęc ipsa verba omnia certè sunt creatura & opus conditum à Deo in nostro ore, vt & nos ipsi & quidquid est nostrum. Nec illum horum propriè aut distinctè est, vel solius Dei Patris, vel Filij, vel Sancti Spiritus, sed trium personarum commune, adeoq; vnicæ diuinitatis idem opus.

Sed

Sed si significationem & patefactionem spectes, seu ipsas res his uerbis significatas, non rectè dixeris hac uoce (in nomine Dei Patris) significari pariter tres Personas, sed seorsim & peculiariter Dei Patris personam. Sic etiam hac voce (filij) diserte significatur persona Filij Dei seu λόγος: & hac voce (S S) propriè tantum sancti Spiritus persona significatur, tres inquam personæ sigillatim & distinctè notantur, vnius tamen & eiusdem diuinitatis per has uoces seu signa, seu notas, videlicet, quòd sint vnicæ diuinitatis tres distinctæ personæ. Non enim dicitur, in nominibus, tanquam plurium, aut quasi seorsim vnaquæq; persona peculiaris essentiæ nomen habeat ab alia distinctæ, sed in nomine patris, & Filij, & S S, dicimus, quòd videlicet vnicæ & indiuisæ essentiæ idem sit nomen, & tamen tres personæ, distinctæ.

Ex hoc exemplo satis clarè intelligi puto, quòd dixi res conditas duplici ratione cõsiderari, videlicet vt res, & vt signa, hoc est, & vt per se subsistunt sicut à Deo Creatæ sunt, & vt vsurpantur vt aliquid aliud significent, aut doceant, quod ipsæ sua natura, non sunt. Fumus (verbi causa) est & res à Deo condita, per se seu sua natura, & simul etiam signum alterius rei, Cuius naturam ipse non habet sed eam significat & ostendit, videlicet ignem. Quod genus multa Augustinus colligit in libris de doctrina Christiana.

Sed in hac miranda patefactione diuinitatis, aliud amplius, quàm in his vsitatis exemplis intelligendum est. Nam humana natura (in qua se patefecit Filius Dei) non tantum est nudum signum, aut inanis species alterius arcanæ rei, scilicet personæ Filij Dei, sicut & de columba apparente, non est intelligendum, esse inane Signum seu speciem, & vox de cœlo sonans, non est inanis sonitus aut imago, Sed hæc humana natura, in quà persona Filij Dei distinctè, & propriè patefacta est, plenè & integrè, cum diuina natura, in eadem persona copulata seu unita est, videlicet ea, quæ in omnem æternitatem sedet ad dexteram Dei patris, regnans in eius regno æterno, sicut supra Dauidi promissum fuisse audiuimus. Columba apparens, species est, à S S. ad tempus assumpta, vt per eam se patefaceret, non tamen cum ipso vnione personali, nec perpetuo copulata est, sed postea ab eo deposita, perindè vt Angeli aliquando specie humana assumta apparent, quam postea rursus deponunt. Idem etiam de voce patris cœlestis iudicetur. Hîc enim non edita est promissio, aut decretum diuinitus (ut de persona Filij) hanc fore perpetuam coniunctionem seu vnionem personalem, sed fuit tantùm exigui temporis ostensa patefactio. Cùm igitur in vsitato Symbolo dicitur: Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Non hoc intelligatur, quasi persona Dei patris sola, dicatur esse omnipotens, conditrix rerum, aut quasi hæc sola sit nobis Pater, Nam & Filius æquè & pariter est omnipotens, & Creator & pater omnium rerum conditarum, sic & S S. omnipotens & Creator & pater est.

Nec tamen tres sunt omnipotentes, (vt ait Athanasius) aut Creatores, aut tres Patres: sed vnus est omnipotens, Creator, pater cœli, terræ, & nostrûm omnium. Sicut & Deus pater, Saluator & redemptor noster, & Filius saluator & redemptor, itemq; & S S. seruator ac liberator est.

Neq; tamen, tres Saluatores seu liberatores, sed vnicus est Saluator & Redemptor seu liberator, prorsus vt & pater Deus noster est, sed & Filius noster Deus, & S S. Deus noster est, non tamen tres Dij, sed vnicus æternus Deus est, Ad eundem modum S S. sanctificat Ecclesiam, sed & Pater, & Filius sanctificant Ecclesiam, neque tres sunt sanctificantes, sed vnicus est sanctificator. Nam vt dictum est, opera Trinitatis ab extra seu erga Creaturas sunt indiuisa.

Hæc ideo sic dicuntur & explicantur vt diserte ac distinctè tres personas

vnicæ

vnicæ diuinitatis agnoscere, credere & confiteri, nos intelligatur, nec personas permiscendo confundere, aut rursus vnitatem essentiæ diuidere aut distrahere. Nam personæ Patris proprietas, qua Pater à persona Filij distinguitur, vt satis iam est dictum, hæc est quòd diuinitatem non aliunde sed à seipso habet, & eam per generationem æternam Filio communicat. Quare & Filius vnà & æqualiter cum Patre Deus est creator omnium rerum, sed hoc ipsum à Patre habet ab æterno: Nam quòd Pater Deus est & conditor, id non à Filio acceptum habet, sed quæ Filius Deus est & conditor rerum, id æterno Patri acceptum fert. Sic Pater & Filius, quòd vterque Deus est & creator, id non habet à Spiritu Sancto, sed è regione, quòd Spiritus Sanctus Deus & creator est, id pariter à Patre & Filio ab æterno accepit.

Hac ergo de causa in symbolo, primùm, cùm mentio fit personæ Patris, adduntur hæc verba Pater, omnipotens, creator, quæ non item adduntur personæ Filij, aut Spiritui Sancto, vt concideretur esse discrimen personæ Patris, à persona Filij, & Sancti Sanctus, intra ipsam simplicissimam vnitatem diuinitatis. Postea in mentione personarum Filij & S.S. rursus adduntur peculiares notæ discriminis, quo & persona Filij à Patre, & Spiritus Sancti & rursus persona S. S. à Patris & Filij persona distincta esse intelligatur. Videlicet ita, quòd prima persona vocatur Pater & creator, quia ab ipso est hoc ipsum, quòd & Filius & Spiritus Sanctus sunt Pater & creator omnipotens, ita vt Pater intelligatur esse velut origo, principium & fons (si liceat his vocabulis de Deo loqui vt interdum veteres Ecclesiastici scriptores locuti sunt) diuinitatis, à quo & Filius vt Spiritus Sanctus, eandem diuinitatem habet ab æterno, non autem Pater à Filio, aut Spiritu Sancto. *Pater prima persona à quo sunt reliquæ.*

Hæc dixi de proprietatibus qua personæ intra ipsam diuinitatem discernuntur, sed præter hęc vt sic vocem, interiora discrimina, sunt etiam quæ sanè vocemus exteriora seu extrinsecus ostensa discrimina, in patefactione & beneficijs erga Ecclesiam, videlicet quòd persona Filij patefacta est in natura humana: Hãc enim solus Filius Dei λόγος assumsit, conceptus & vt Græci dixerunt εἰσαρκωθεὶς, incarnatus de Spiritu Sancto, natus ex virgine, pro nobis crucifixus mortuus, & reliqua quæ docet confessio symboli. Sic tamen vt piè & rectè hoc quoque dicatur, Deum esse pro nobis passum, crucifixum &c. Quia Filius verè est vnicus Deus, extra & præter quem alius Deus nullus est, sed personæ in eadem illa diuinitate præter hanc sunt aliæ, & Patris, & sancti spiritus. *Idiomatum communicatio.*

Ita S.S. persona distinctè & seorsim patefacta est in linguis igneis, & varijs donis, & testimonijs miraculorum exhibitis in Ecclesia, Etiamsi verum est & naturam humanam assumtam à Filio Dei esse opus totius diuinitatis, conditam à Patre, Filio, & Spiritu Sancto, sic & flammas apparentes specie linguarum, & dona S.S. totius trinitatis seu trium personarum opus & factura sunt, vt sæpe iam & vt in breui tractatione satis à nobis dictum est. Nam si quis plura requirit extant libri in hoc argumento præclarè scripti ab Augustino, Hilario, Cyrillo. Et hæc ipsa doctrina articuli singulari Dei beneficio, rectè & incorruptè, in Ecclesia etiam à Scholasticis scriptoribus, qui sic vocantur, tradita & propagata est, vt in eo non fuerit nobis ab ipsis dissentiendum.

Hic quidam in hac quæstione laborant, vtrum personam Dei Patris propriè & distinctè compellant cùm recitant præcationem vsitatam Pater noster qui es in cœlis, &c. an verò simul votam diuinitatem & cõiunctim etiam reliquas personas complectantur. Nec verò mirum est in hoc tam mirando & stupendo arcano & procul supra captum humanæ rationis posito articulo, variè mentem humanam exerceri, & velut iactari cogitationibus quarum interdum aliquæ aliquid deerrant velut à tramite veræ & rectę sententiæ interdum etiamsi sententia tenetur ta-

men modo loquendi alieno, aut nõ satis propríjs & idonei verbis res effertur. Sed tamen cum ipsa Fidei veritas, tanquam fundamentum certum & firmum retinetur, hæ velut festuculæ aut stipulę deerrationum (tanquam in sano & speciosо corpore quidam næuuli) non oberunt saluti nostræ.

Sed fundamentum illud, cui fides innititur, hoc est, vt certò credas & confiteare tres esse personas vnicæ æternæ diuinitatis, & earum quamlibet verè esse eundem vnicum æternum, & per omnia verum Deum, ita videlicet vt neque personarum fiat confusio, nec virtus essentię, seu diuinitatis distrahatur vnitas, sed vt & personę distinctę intelligantur, & non tollatur essentię simplicissima vnitas, seu quod vetus Ecclesia vocauit ὁμοούσιον. Hoc enim est illud ipsum místerium arcanæ & mirandæ sapientię, quo ne Angeli quidem ipsi contuendo & mirando expleri possunt, vt ait Petrus eos sine fine delectari, tanquam pronis & fixis oculis in ea intendere: & hoc ipso contuitu ęternum beati sunt, adeo, vt si finem tam mirandę rei peruidere possent, iam etiam finis futurus esset fęlicitatis ipsorum, vt & nos summo Dei beneficio, idem etiam in illa ęterna consuetudine cum Deo contuebimur, & eo contuitu sine fine salui & beati perfruemur. Sicut Christus ipse Iohan. 17. inquit: Hęc est vita ęterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Sed priusquam coram ęterno conspectu fruamur, necesse est interea fidem verbo niti quo se patefecit diuinitas, & in eo velut apprę-hendere vitam promissam.

Ratio in his tantis rebus, nihil aliud nouit ac potest, nisi quòd argutula reclamat & cauillatur, hęc esse impossibilia, & tanquam tecum pugnantia non consistere, quòd tres sint (quas vocamus personas) quarum vnaquęque sit perfectè & per omnia verus Deus, & tamen hi tres sint non plures Dij, sed vnicus ęternus Deus, quodęp harum personarum vna duntaxat, videlicet Filius Dei λόγος adsumserit naturam humanam, & verè sit homo. Quisquis autem Deum Patrem, & Filium ex verbo cognouit, huic simul & Spiritus Sanctus, videlicet ab eodem Patre & Filio innotescet.

Et suprà satis dictum est, quòd vt Deus Pater est omnium nostrûm, adeóque omnium naturarum conditarum Deus, Pater, & autor, sic & Filius λόγος, idem est omnium Deus conditor, & Patre, & Spiritus Sanctus itidem Deus est & creator, seu autor, & Pater omnium. Nec tamen est nisi vnicus Deus & Pater nostrûm omnium. Nam essentia non est alia aut distincta. Quare quamcunque trium personarum nomines aut cogites, simul verum vnicum Deum seu totam diuinitatem & nominasti & cogitatione complexus es. Cum vnaquælibet personarum sit idem ille vnicus æternus & per omnia verus Deus. Neque hic periculum est erroris aut offensionis, nam Iesus Christus (Filius Dei) non est alius Deus aut creator aut Pater uniuersæ creaturæ à Deo Patre & S. S. etiamsi persona alia est idem etiam de Patre & de Spiritu Sancto. recte iudicabis.

Quare non solum error & falsum est, sed etiam impossibile & reipsa nihil est si Dei Patris personam vt à reliquis distinctam & solam appelles Patrem nostrum nec simul & coniunctim cum Patre & Filij & sancti spiritus personam complecti velis. Sic enim veram essentiam diuinam seu ipsam diuinitatem quasi distractam & diuisam cogitares excluso ab ea Deo Filio & Spiritu Sancto. Quod prorsus reijciendum est vt alienum à fide. Cęterum alia res est loqui de personali (vt sic dicam) paternitate Dei Patris quæ est proprietas personalis, iuxta quam Deus Pater seorsim dicitur Pater. Secundum hanc enim est & dicitur vnius seu vnici Filij ab ęterno geniti (domini nostri Iesu Christi) vnicus Pater. Verùm eo modo non est tibi mihi & aliorum Pater, nec tu aut ego aut alij ei sumus Filij: Sed vnicus est Filius à Patre ab ęterno genitus vt in psal. 2. inquit:

Tu es

Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Et tamen idem iuxta humanam naturã, & eius ætatem, videlicet natus annos triginta cùm baptizaretur ac deinceps, quadraginta quinquaginta, & nunc amplius mille quingentos, Postquam eam naturam assumsit: Idem inquam certo tempore ex virgine natus, Filius dici potest totius diuinitatis, seu trium personarum, quæ sunt idem & vnicus Deus.

Quia vt opera trinitatis ab extra sunt indiuisa, sic etiam agnitio & cultus trinitatis ab extra est indiuisus, Et quidquid Deus erga creaturas agit, id agunt, faciunt, sine discrimine simul, tres personæ, propterea quòd harum est vnica æterna diuinitas. Et è regione, quòd nos, aut quæuis creaturæ erga vnam quamuis personam agimus, credendo, inuocando & omni cultu spirituali, id agimus & erga vnicum Deum, seu totam diuinitatem, & erga tres personas sine discrimine: Quia nobis (seu erga nos) est indiuisus & vnicus æternus Deus, & tamen eiusdem diuinitatis intra sese tres sunt personæ inter se distinctæ. Sic de hoc cultu Christus ipse loquitur Iohan. 14. Philippe, qui videt me videt & Patrem meum. An non credis quòd ego in Patre sum & Pater in me est? Et Ioh. 5. vt honore afficiant Filium, sicut Patrem honore adficiunt. Rursus Iohan. 10. Ego & Pater vnum sumus id est (quòd nos nostris verbis diceremus) vna eademque natura æterna, seu essentia, videlicet vnus Deus, vnus Dominus vnicè colendus. Vt hanc ipsam vocem intelligentes Iudæi propter eam Christum tanquam palàm blasphemum lapidandum esse iudicant, Item Iohan. 5. cum inquit Pater meus huiusq; etiam modo operatur, & ego vnà operor, multò magis (inquit Iohannes) cogitabant occidere eum vt qui non tantum sabbatum violaret, sed etiam diceret Patrem suum esse Deum, & palàm sese Deo æquaret.

CANON OBSERVANDVS, ABSTINENDVM ESSE A SPECVLATIONE MAIESTATIS.

De Patre.

Ad retinendam simplicitatem & proprietatem doctrinæ de discrimine personarum, & ad exemplum Apostolicæ formæ, & consuetudinis in Ecclesia imitatione Apostolica receptæ, conueniens est sequi ac tenere hunc ordinem, vt iuxta seriem, qua recensentur personæ diuinitatis, instituentes in vocationem, & alias in docendo, aut exponenda confessione fidei nostra, primùm nominemus, personam Dei Patris, sicut in forma à Christo tradita, dicimus: Pater cœlestis &c. Quia hæc persona est velut scaturigo, & fons diuinitatis (vt sic liceat loqui) in Filio & in Spiritu Sancto, nec potest nominato Deo Patre, seiungi, aut abesse Filius, sed necesse est hunc etiam tanquam vnà nominatum intelligi, Ita & Spiritum Sanctum, nominato Patre & Filio intelligi oportet vnà adesse & nominatum esse: Cùm nulla trium personarum ipsa diuinitate ab alia seiuncta, aut extra aliam seorsim, tanquam alius Deus esse possit. Sic ferè Apostolos Paulum & Petrum loqui videmus: Benedictus Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater omnis misericordiæ &c. Et Christus ipse passim in concionibus Euangelicis mentionem, seu nomen Patris suo anteponit, & ad eum se & sua omnia refert: Et tamen idem clarè inquit Filium honorandum esse perindè vt honoratur Pater. Item quæcumque habet Pater mea sunt. Et quæ Pater operatur, similiter operatur & Filius. Videlicet prorsus tota diuinitate æqualem Patri se faciens, nisi quòd intelligi vult, primam personam diuinitatis esse Patrem, à qua Filius est & habet hoc ipsum quòd Filius est, non econtra Pater à Filio &c. Possem plurima dicta de persona Patris ad scribere sed cùm ea omnia quæ scitu sunt necessaria de hac persona contineantur in

Ex nouiß. uerbis Dauidis, T. 8. f.

tur in loco præcidenti de tribus personis de industria me cohibui, & breuitati studere malui inde igitur petas amice lector.

Sæpe audistis à nobis, hunc canonem in sacris literis diligentissimè obseruandum, vt abstineamus à speculatione Maiestatis, quæ humano corpori intolerabilis est, multò magis menti, Non videbit me homo dicit scriptura & viuet, Papa, Turcæ, Iudæi, & omnes iustitiarij hunc canonem negligunt, ideo remouentes ex oculis Christum Mediatorem, de solo Deo loquuntur, coram Deo orãt, viuunt & agunt omnia. Vt Monachus cogitat, Hæc opera quæ facio placent Deo, ista vota mea respiciet Deus, & propter ea me saluabit. Turca, si seruauero ea quæ in Alcorano præcepta sunt, acceptabit me Deus, & vitam æternam dabit, Iudæus, si fecero quæ lex præcipit, habebo Deum propitium & saluus ero. Sic homines hodie, Phanatici, iactantes spiritum, illuminationes, visiones, & nescio quæ alia portenta ambulant in mirabilibus super se. Hi noui Monachi, nouam crucem & opera excogitant, & propter illa se Deo placere somniant. In summa, Quotquot ignorant articulum iustificationis, tollunt è medio Christum propitiatorem, Deum in sua maiestate, iudicio rationis apprehendere, & operibus placare volunt. Christiana autem & vera Theologia, vt sæpe moneo, non ingerit Deum in Maiestate, vt Moses & aliæ doctrinæ non iubet scrutari naturam Dei, Sed Agnoscere voluntatem eius, propositam in Christo, quem voluit assumere carnem, nasci, mori propter peccata nostra, & hoc prædicari in omnes gentes. Quia cùm sciret mundum, Deum in sapientia non agnoscere per sapientiam, placuit ei per stultam prædicationem saluos facere credentes. Quare nihil est periculosius, cum agendum est in agone, contra legem, peccatum, & mortem cum Deo, quàm nos vagare nostris speculationibus in cœlo, & considerare Deum ipsum, in sua incomprehensibili potentia sapientia & maiestate, quomodo creauerit & gubernet mundum. Si sic Deum apprehenderis & eum volueris, excluso propiciatore Christo, placare, & tuis operibus, ieiunijs, Cucullo & rasura te interponere, aliter fieri nequit, quin casum Luciferi facias, & in horribili desperatione, Deum & omnia amittas. Nam Deus in sua natura, vt est immensurabilis, incomprehensibilis, & infinitus, ita intollerabilis est humanę naturę. Quare si tutus esse & sine periculo conscientię & salutis esse voles, prohibe istum sensum speculatiuum, & apprehende Deum, vt Paulus apprehendere docet. 1. Corinth. 1. Nos prędicamus Christum crucifixum. Iudęis scandalum, Gentibus stultitiam, Ipsis autem vocatis Iudęis & Gentibus, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Ibi igitur incipe vbi Christus ipse incepit, nempe in vtero virginis, in pręsepi, in vberibus matris &c. In hoc enim ipse descendit, natus, conuersatus inter homines, passus crucifixus mortuus est, vt sese omnibus modis nobis ob oculos proponeret, & oculos cordis nostri in sese figeret, vt per hoc ascensum in cœlum & speculationem Maiestatis prohiberet. Itaque cum versaris in loco iustificationis & disputas de inueniendo Deo, qui iustificat seu acceptat peccatores vbi & quomodo is quęrendus sit Tum prorsus nullum Deum scito, extra istum hominem Iesum Christum, hunc complectere, & toto corde in eo hęre omissa speculatione Maiestatis. Scrutator enim Maiestatis opprimitur à gloria. Ego expertus scio quid dico. Sed phanatici homines, qui excluso Mediatore Christo cum Deo agunt, mihi non credunt. Christus ipse dicit, Iohan. Cap. decimoquarto: Ego sum Via, Veritas & Vita, Nemo venit ad Patrem nisi per me, præter hanc igitur viam CHRISTVM, simpliciter nullam inuenies aliam viam ad Patrem sed errorem, non Veritatem, sed hypocrisin & mendacium, non vitam, sed

Vbi quærenda Dei voluntas.

vitam, sed æternam mortem. Quare diligenter memineris, in causa iustificationis vbi nobis omnibus res est cum lege, peccato, morte, Diabolo & malis omnibus vincendis, nullum Deum cognoscendum esse, præter hunc incarnatum & humanum Deum.

Aliâs extra hunc locum iustificationis si quanto disputandum est, cum Iudæis, Turcis, hæreticus, de sapientia, potentia, &c. Dei vtere tunc omni arte tua, & quantum potes sis subtilis & argutus disputator, tum enim es in alio argumento. In causa autem conscientiæ, iustitiæ vitæ (quod significanter dico) contra legem, peccatum, mortem & diabolum, vel in causa de satisfactione, de remissione peccatorum, de reconciliatione, de salute æterna, omninò abducas animum, ab omnibus cogitationibus & speculationibus Maiestatis, & simpliciter intuere in istum hominem, qui sese nobis mediatorem proponit, & dicit: Venite ad me omnes qui laboratis &c. Hoc si feceris, videbis amorem, bonitatem, dulcedinem Dei, videbis sapientiam, potentiam ac Maiestatem Dei dulcificatam & tuo captui attemperatam, Omniaq; in isto iucundo spectro inuenies, Iuxta illud Pauli ad Coloss. 2. Omnes thæsauri sapientiæ & scientiæ, sunt in Christo absconditi, Item in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hoc mundus ignorat, ideò sine promissione de Christo inquirit voluntatem Dei, suo maximo periculo. Nemo enim nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare.

Atque hoc est cur Paulus, tam frequenter solet coniungere Iesum Christum cum Deo Patre, vt scilicet nos doceat Christianam religionem, quæ incipit non à summo, vt omnes aliæ religiones, sed ab imò iubet nos ascẽdere per scalam Iacob, cui Deus ipse innititur, cuius pedes tangunt ipsam terram, iuxta caput Iacob. Quare cum voles cogitare & agere de salute tua, sum omissis speculationibus Maiestatis, omissis omnibus cogitationibus operum, traditionum, Philophiæ & legis etiam diuinæ, accurras ad præsepe, & gremium matris, & appræhendas istum infantem, & filiolum virginis, spectesq; eum nascentem sugentem, crescentem, conuersantem inter homines, docentem, morientem, resurgentem sublatum supra omnes cœlos, potestatem habentem supra omnia. Hoc modo poteris excutere, vt nubes sole dispelluntur, omnes pauores, omnes denique erroris vitare. Et hoc spectaculum retinet te in via rectà, vt quò ipse Christus abierit, tu sequaris. Paulus igitur optando, Gratiam & pacem, non à Patre solum, sed etiam à Iesu Christo, Primum hoc docet vt abstineamus à speculatione diuinitatis. Nemo enim Deum nouit, sed vt Christum audiamus qui est in sinu Patris & reuelat nobis ipsius voluntatem, Qui & in hoc constitutus est à Patre Doctor, vt omnes eum audiamus.

DE APPELATIONIBVS IESV CHRISTI.

MIRABILIS, dicitur Regnum enim eius supra omnem experiẽtiam est, quod non sentitur sed creditur. Quid enim magis mirabile dici potest, quàm vt nitamur aliena iusticia, & desperemus de nostra iusticia seu operibus nostris.

CONSILIARIVS. Per verbum suum nobis in omnibus periculis consulit.

VIRTVS. Qui verbo suo sustentat exhaustos tentationibus. Consulit suis tali verbo, quod vim habet & est efficax. Sic autem sunt hæc duo nomina distinguenda, quòd El significat virtutem substãtiuam, qua sustinet alios. Gibbor autem seu Gigas significat virtutem actiuam, seu operatiuam, qua resistit inimicis, quòd fugat & perdit eos.

GIGAS. Qui nos defendit & est potens contra aduersarios. Porrò notabis,

primum nomen ad omnia alia referendum esse. Sicut enim est mirabilis Consiliarius, & mirabiliter potens, sic etiam est mirabilis Gigas, quia contrarium apparet, Gigas est, & sinit se crucifigi & occidi à Satana, Gigas est & sinit Ecclesiam suam ab Hæreticis opprimi. Sunt igitur omnia fide accipienda.

Aeternus Pater. Hoc nomen non significat personã, sed opus personæ, vt sit æternus Pater, q̃ semper generat, semper Regnũ & Ecclesiã suã auget, semper manet Pater, nõ est neq; fiet aliquando Iudex, sed est in eo paternus affectus sine fine.

PRINCEPS PACIS. Qui consolatur corda, remittit peccata, &c. Notabis aũt, si æternus est Pater, si est princeps pacis, Ergo non potest esse Rex corporalis aut mundanus. Sic etiam in pace & æternitate mirabilis est. To.3. Ienens.f.317. Esai.9.

SERVVS. Esai. 53. dicitur, non qualis fuit Moses aut hodie sunt Iusticiarij, & Monachi, qui iactant se Deo seruire, sed quòd sit in ministerio verbi, & quòd publicum docendi officium habeat. Tom.3. Ienenf. fol. 422.

VIRGVLTVM. Perinde est inquit Propheta, cum hoc Christo, atq; si quis elegans surculus ex arido quodam loco proueniret. Est igitur Christus surculus, & crescit non coram mundo, neque enim habet speciem illam, sicut iam dicit, sed coram Eo. Hîc enim latet Emphasis, quòd illa gloria Christi sit Spiritualis. Ita fit, vt Christus in nulla specie, sit tamen speciosissimus, in humilitate glorioſissimus, in paupertate opulentissimus. Tom.3. Ienenf. fol. 423.

ADONAI. est nomen sanctum, quod in hac forma qua hic est positum, non appropriatur, nisi vni vero & naturali Deo, testibus omnib. Iudæis. Quia aũt clarè tribuitur hoc nomen Christo, magis exasperat hæc probatio Iudeos, quàm assumta propositio, quia dicit contraria, Homo est Deus. Propheta igitur hoc loco secundum Iudæos & rationẽ, Incredibile & absurdũ probat per aliud magis absurdum & incredibile. Sed Deus non curat, quid impij sentiant de suo verbo. Sed per verbum suum hic statuit & pronunciat, quod semper est absurdum rationi. Est autem nostrum, humiliter audire & assentiri, quod cũ fecerimus, intelligemus, hanc probationem esse efficacissimam. Ipse dicit hunc Regem Christum esse Deum, non igitur mentietur. Si autem est Deus, ergo omnia debent ei cedere, Moises, Lex, & quicquid est in tota Ecclesia iusticiarum & legum. Est igitur hoc alterum argumentum scandalosum, quòd appellat Christum Deum & Regem, suprà aũt hominem vocauit, Tu es speciosus præ Filijs hominum. To.3. Ien. Psal. 45. fol. 490.

MALEDICTVM, PECCATVM, AGNVS DEI TOLLENS PECCATVM. dicat aliq̃s. Valde absurdum & cõtumeliosum est, Filiũ Dei appellare peccatorẽ & maledictũ. Respondeo. Si vis negare eum esse peccatorẽ & maledictũ, Negato etiam passum, crucifixum & mortuũ. Non enim minus absurdum est dicere, Filiũ Dei (vt fides nostra confitetur & orat) crucifixũ, pænas peccati & mortis sustinuisse, quàm peccatorem aut maledictũ dicere. Si verò non est absurdum confiteri & credere Christum crucifixum inter latrones, neq; absurdum fit, eum dicere maledictũ & peccatorem peccatorum. Certè non sunt inanes voces in Paulo: Christus factus est pro nobis maledictum. Deus fecit Christum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum, vt efficeremur iusticia Dei in ipso. 2. Cor. 5. Ad eundem modum vocat eum Iohannes Baptista, Agnum Dei tollentem peccata mundi. Ipse quidem innocens est, Quia est immaculatus & incontaminatus Dei agnus, sed quia portat peccata mundi, præmitur eius innocentia peccatis, & reatu totius mundi. Quæcunq; peccata ego, tu, & nos omnes fecimus, & in futurũ faciemus, tã propria sunt Christi, quàm si ea ipse fecisset. In summa, Oportet peccatum nostrum fieri Christi proprium peccatũ, aut in æternum peribimus. Hãc veram cognitionem Christi, quam tradiderunt Paulus & Prophetæ clarissimè, obscurarunt impij Sophistę. Esa. cap. 53. de Christo loquitur. Deus inquit posuit omnium nostrũ iniquitates in ipsum. Nõ

debemus

debemus ista vocabula extenuare, sed relinquere in propria significatione. Deus enim non iocatur verbis Prophetæ, sed seriò loquitur & ex magna charitate, videlicet quòd ille agnus Dei Christus, debuit portare iniquitates omnium nostrûm. At quid est portare? Respondent Sophistæ, puniri. Benè. Sed quare Christus punitur? An nõ ideo, quia peccatũ habet & gerit? Quòd aũt peccatũ habeat Christus, testatur etiam S. S. Ps. 40. Cõprehenderunt me iniquitates meę, & nõ potui vt viderem. Multiplicatę sunt super capillos capitis mei. Et Psal. 41. Ego dixi, Dñe miserere mei, sana animã meam quia peccaui tibi. Et psal: 69. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. In his psalmis loquitur Spiritus Sanctus in persona Christi, & manifestis verbis testatur eum peccata habere. Sunt tamen hæc testimonia psalmorum, voces non innocentis, sed patientis Christi, qui personam omnium peccatorum gerendam suscepit, ideoq; reus factus est peccatorum totius mundi. Quare Christus non solùm crucifixus est & mortuus, sed & per diuinam charitatem ei impositum est peccatum. Peccato ei imposito, venit lex & dicit: Omnis peccator moriatur. Itaque si uis Christi spondere, reus esse, & pœnam ferrè pro peccatoribus, feras etiam peccatum & maledictionem. Rectè ergo Paulus generalem legem adducit ex Mose de Christo: Omnis pendens in ligno est maledictum Dei, Christus pependit in ligno, Ergo Christus est maledictum Dei. Et hæc consolatio piorum summa est, &c. Tom. 4. Ienens. fol. 91. Galat. cap. 3.

SACERDOS, PASTOR, MARITVS. Sicut Prophetę alibi Christũ fingunt, quòd sacerdos, qui & oret pro peccatis sui populi & sacrificet, Sicut Pastorem ouium appellant, qui non ideo baculum gestat, vt oues malè mulctet, sed vt lupũ arceat, & eis quieta reddat pascua, sicut Doctorem vocant donatum suaui lingua, vt erigat tristes & pauidas mentes, sicut Regem appellant, qui tamen adflictus sit & iustus: Ita Propheta hîc eum comparat marito, à quo etsi discesserit adultera vxor & alienos amores fectuta est, tamen obliuiscitur huius summę ingratitudinis & offensæ, & iterum secum ea cõiungit. Quid potuit fingi suauius? Qua alia similitudine Dei misericordia æquè potuit commendari? Suauissimum est, quòd ipse Christus dicit de ouicula perdita. Sed hæc culpæ significatio tam illustris, abyssos misericordiæ diuinæ clarius ostendit. Nobiscum qui sumus gentes, hoc coniugale pactum non habuit Deus, quod cùm Iudæis habuit, & tamen nos quoque, tanquam immundus partus à Domino mundati & ornati sumus. Tom: 4. Ienens. in Hose. Cap. 3. fol. 622.

BRACHIVM DOMINI. Esai. 53. Christum appellat brachium Domini. Et ps. 98. Saluabit sibi dextera eius, & brachium Sanctum eius. Paulus 1 Cor. 1. Virtutem & sapientiam Dei, Rom. 1. Euangelium virtutem Dei vocat. Summa verbum Dei, quòd Christus est prædicatus nobis, est quo velut dextera inuicta, petra immobili fundamento inconcusso, lapide angulari, cornu victoriosissimo, seruamur, consistimus, ædificamur & copulamur, vincimus in omnibus & per omnia. Tom. 2. Ienens. psal. 17. fol. 187.

SCHILO. Vocabulum (Schilo) etiam variè torquent, sed placet mihi sententia Bernhardi Ziegleri, qui deducit à (Siliah) sicut ex Rabinis quidam eo argumento appugnat diuinitatem Christi, cum fuerit in (Siliah) vtero matris suæ ac capite vsque ad pedes, quomodo potuit esse Deus? Nos vocamus secundinam, vt Deut. 28. Mulier tenera & delicata deuorabit (Siliah) secundinam suam, hoc est Filios, qui sunt fructus Siliah suæ. Ibi continens pro contento ponitur, secundina pro infantibus & paruulis. valde igitur delector Grammatica illa Etymologia.

Sed obijciunt alij, (Iod) & literam finalem (He) esse notas fœminini generis in quo (Schilo) hic ponitur. Verùm me illud nihil mouet. Nam & Latini multa

masculina habent, præsertim propria, quorum terminatio est fœminina, vt Cotta, Cinna, &c. ideo magis mihi placet vt ponatur (Siloh) quam (Silo). Nam & pro loco tabernaculi quidam ex Rabinis (Siloh) exponunt, quod scimus à temporibus Iosuæ alias in Silo, alias ibidem fuisse, sicut ait Dominus ad Dauidem ædificaturo ipsi domum: Neq; enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Aegypti, vsque in diem hanc, sed ambulabam in tabernaculo & tentorio per cuncta loca, quæ transiui cum omnibus filijs Israel, &c. Vbi significat tabernaculum non fuisse vno & certo loco & tribu ante Dauidem. Referunt igitur hanc particulam (donec veniat Schilo) ad Saulum, ad Dauidem & Hierobeam, qui fuerunt post destructam Silo. Sed cum interpretatione hac pugnat res ipsa, & tota historia, sicut ipsi satis intelligunt, nisi quod tenebras simplicibus & imperitis conantur offundere in verbis & sententia clarissima.

Schiloh enim significat Filium vteri, aut secundinæ, terminatione fœminina, propter primam promissionem factam Adæ: Inimicitias ponam inter te & Mulierem, & Semen tuum & Semen illius, ipsum conteret caput tuum. Et Heua postea: Possedi virum Domini. Ibi clarè dicitur semen Mulieris, hoc est Filium virginis venturum, & destructurum potentiam & regnum Diaboli.

Hanc promissionem accuratè inspexerunt Sancti Patres & Prophetæ, eamq; acuerunt, sicut inquit Esaias, cap. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium &c, eandem & Abraham & Isaac diligenter excoluerunt, exercuerunt & inculcarunt posteris, vt fieret eis familiarissima & notissima. Non enim viri semen futurus erat, nec natus est ex Patre, sed Virginis Filius est.

Et in hunc modum loquitur Iacob quoque, Regnum illud leoninum & leo ordinatus diuinitus stabit, & gubernabitur à ducibus Senioribus & Consiliarijs donec veniat Virginis Filius, hoc est secundinarius vt sic dicam, seu vteralis Filius. Nos non sumus Filij vteri, non Semen secundinæ, sed viri semen transfusum ex lumbis Patris in secundinam. Ille surgit & nascitur sine virili semine, sicut inquit Angelus ad Mariam. Quod ex te nascetur, &c. non ex Ioseph. Filius tuus erit Virginis Filius, erit fructus secundinæ, erit Schiloh, id est fructus materni vteri tantùm, Patrem non habebit.

Vide igitur quales & quàm præclaras conciones ex vno hoc verbo hauserint Patres, ante & post diluuium, qui omnes cum Prophetis faciunt Messiam verum sanguinem Dauid, sed ita vt sit tantum Filius secundinarius, & respexerunt ad tertium & quartum caput Geneseos, vbi dicitur: Ipsum conteret caput Serpentis, & possedi virum Domini. Ac sanè insignis locus & pulcherrima argumenta sunt, quibus confirmatur fides nostra, & monstratur quid docuerint Sancti Patres ab initio, vsque ad Prophetas & Christum ipsum, imò ad nostra tempora, & in finem vsque.

Reijcimus igitur & detestamur insaniam hominum pessimorum, qui hanc doctrinam nobis obscurare conantur. Non enim frustra Iacob singulari vocabulo vsus est, sed voluit celebrare istum Filium promissum ipsi & Patribus. Et nos hodie Dei beneficio fruimur Lucæ Euangelij clarissima, qua illustratur & exponitur vox Schiloh, quòd significet Filium Virginis & Dei simul. Hæc Grammatica mihi placet, & in ea summa fiducia acquiesco. Gene. Tomo 4. Cap. 49. fol. 223. 242.

λόγος, Seu verbum appellatur, quia promissionem de exauditione dicitur è cœlo ad nos attulit. Item Imago Dei, quod in Christo se patefecit Deus, quo ergò nos sit animo, quòd non (vt in lege pingitur) aderit nos, sed diligat, & liberatos à peccatis per Filium velut saluare. Ideo enim mittit Filium suum. Tom. 4. Ienens. cap. 3. Ioel: fol. 809.

IESVM

IESVM CHRISTVM ESSE VERVM DEVM.

Ex Comment. Psal. 45. Tom. 3. Textus clarus est, quia ipse est Dominus Deus tuus & adorabis eum, videtur quidem posse per calumnias eludi, Dauid etiam est adoratus. Ergo adorare non est proprium Dei. Sed Testimonia Scripturæ sunt duplicia. Quædam sumpta sunt à priori, quæ manifestè dicunt: Christum esse Filium Dei & verum ac naturalem Deum, qualia multa sunt in Iohanne, Quæ si quis euertere volet, is sciat quòd Scriptura sancta euertenda sint, & non ratione humana, Quid clarius esse potest quàm quòd dicit: In principio erat verbum. Item omnia quæ facta sunt, per verbum illud facta sunt, ergo ipsum Verbum non est factum sed semper fuit. Deinde alia testimonia sumpta sunt, à posteriori hoc est ab effectibus, sicut Paulus clarè dicit: Filium regnare super omnia, sicut in Psalmo quoque est: Omnia posuisti sub pedibus eius: Item sede à dextris meis. Item apud Iohan. vbi dicit: Se similem Patri, omnia Patris sua esse, se etiam facere quæ Pater faciat, viuificare, iustificare. Hæc sunt argumenta à posteriori quæ probant Christum Deum esse. Sunt autem diligenter tenendi hi loci, & muniendæ conscientiæ, contra Sagittas Diaboli, videmus enim quod multi qui hos locos non tenuerunt sint subuersi à Diabolo, sicut Arriani, Sabellij, Eùnomiani, & ante eos Samosatenus.

In Comment. ad Galat. Tom. 4. fol. 13. Alterum quod hic Paulus docet, est confirmatio fidei nostræ. Quod Christus est verus Deus. Et huismodi sententiæ de diuinitate Christi diligenter colligendæ & obseruandæ sunt, Non solùm contra hæreticos, Arrianos & alios qui fuerunt aut futuri sunt, sed etiam ad confirmandos nosipsos, Quia Satan non omittet, quin omnes articulos fidei in nobis impugnet, antequam moriamur. Infensissimus hostis est fidei, qui eam nouit esse victoriam quæ vincit mundum, Ideo oportet nos dare operam, vt fides nostra certa sit diligenti & assidua tractatione verbi, & inuocatione crescat & confirmetur, vt Satanæ resistere possimus. Quòd autem Christus verus Deus sit, hinc clarè ostenditur, Quia Paulus eadem ei æqualiter tribuit, quæ Patri videlicet potentiam diuinam, quòd donet gratiam remissionem peccatorum, pacem conscientiæ, vitam, victoriam peccati, mortis, Diaboli, inferni. Hoc nullo modo liceret, imò sacrilegium esset, nisi Christus esset verus Deus, Iuxta illud: Gloriam meam alteri non do. Deinde, Nemo dat alijs quod ipse non habet, Cum autem, Christus donet gratiam, pacem, Spiritum Sanctum, liberet à potestate Diaboli, à peccato & morte, Certum est quod habeat infinitam, & diuinam potentiam, per omnia æqualem potentiæ Patris. Neque Christus donat Gratiam & pacem, vt Apostoli prędicando, Euangelium ea afferunt, sed vt autor & creator, donat, Pater creat & dat vitam, gratiam, pacem. Hęc eadem creat & largitur Filius. Dare autem Gratiam, pacem, vitam ęternam, remittere peccata, iustificare, viuificare, liberare à morte & Diabolo, non sunt vllius Creaturę opera, sed vnius & solius Maiestatis, Angeli ista nec creare nec donare possunt. Ideo opera ista solùm pertinent, ad Gloriam summę Maiestatis, creatricis omnium. Cùm verò Paulus tribuat Christo eandem, & ęqualem cùm Patre potentiam, creandi & donandi ista omnia, sequitur eum esse verè & natura Deum. Talia multa sunt argumenta, in Iohanne, vbi ex operibus quę ęqualiter tribuuntur Filio cum Patre, probatur & concluditur quod eadem sit diuinitas Patris & Filij. Itaque aliam rem aut donum aliud à Patre non habemus quàm à Filio, sed vnum & idem à Patre & Filio proficiscitur, Aloqui aulus Paliter locutus fuisset, nempe sic.

Gratia

Gratia à Deo Patre, & pax à Domino Iesu Christo, sed vtrunq; connectens, tribuit æqualiter tam Patri quàm Filio. Hoc ideo tam diligenter admoneo, quia periculum est, ne in tot erroribus & tanta varietate, & confusione Sectarum, succedant hæretici Arriani, Eunomiani, Macedoniani, &c. Qui sua subtilitate noceant Ecclesijs. Fuerunt profectò Arriani acuti homines, concesserunt Christum habere duplicem naturam, vocari Deum, de vero Deo, sed nuncupatiuè, seu nominaliter. Christus est Creatura (dixerunt) supra Angelos, nobilissima, & perfectissima, per quam Deus postea creauit cœlum & terram & omnia. Sic & Mahometes de Christo, magnificè loquitur, sed ista nihil sunt, nisi speciosæ cogitationes, & verba humanæ rationi iucunda, & plausibilia, quibus fanatici Spiritus imponunt, incautis hominibus, sed Paulus aliter loquitur de Christo, Vos estis inquit radicati & constabiliti, in ista cognitione, quòd Christus non sit perfectissima Creatura, sed verus Deus, Quia ea facit quæ Deus. Habet opera diuina, non creaturæ sed Creatoris, quia dat gratiam & pacem. Ea autem dare est peccatum damnare, mortem destruere, Diabolum conculcare. Ista nullus Angelus donare potest, cum autem Christo hæc tribuantur, necesse est eum esse natura Deum.

CHRISTVM ESSE VERVM DEVM PROBATVR MVLTIS RATIONIBVS.

1. Vincere peccatum mũdi, mortem, maledictionem, & iram Dei, in semetipso, non est vllius creaturæ, sed diuinę potentiæ opus. Igitur necesse est illũ, qui in seipso ista vicit, verè & natura Deũ esse. Oportet enim istæ summæ potentiæ (peccato, morti, maledictioni) quæ per sese regnat in mundo, & in tota creatura, opponi aliam potentiam superiorem, quæ nulla potest inueniri aut, esse nisi diuina. Quare abolere peccatum, destruere mortem, auferre maledictionem in seipso, & donare iustitiam, vitam in lucem producere, afferre benedictiõem hoc est, in nihilum redigere hæc, & creare illa, sunt solius diuinæ potentiæ opera. Quia verò Scriptura tribuit Christo, ideo ipse est vita, iustitia & benedictio ista omnia, quæ naturaliter & substantialiter est Deus, Quare negantes diuinitatẽ Christi, amittunt tandem totũ Christianismum, fiunt prorsus Gentiles ac Turcæ, locus igitur Iustificationis, vt sępe moneo, diligenter discendus est. In eo enim cõpræhenduntur omnes alij fidei nostræ Articuli, eoq; saluo salui sunt & reliqui. Quare cum docemus homines per Christum iustificari, Christum esse victorem peccati, mortis & æternæ maledictionis, testificamur simul eum esse natura Deum. Galat. 3. Cap. Tom. 4. fol. 92.

2. Cum Christus in propria sua persona legem vicerit, necessariò sequitur eum esse natura Deum. Nemo enim siue sit homo siue Angelus, est supra legem præter solum Deum. At Christus est supra legem, quia vicit ac iugulauit eam, Igitur est Filius Dei, ac natura Deus. Galat. cap. 4. Tom. 4. fol. 121.

3. Christus verus Deus quia Propheta Michæas tribuit ei nomen veri Dei Iehoua. in Commentarijs Michæ. cap. 4. Tom. 4. fol. 565.

DE AETERNA CHRISTI GENERATIONE A PATRE.

In tribus Symbolis. Theologi hanc natiuitatem Filij, immanentem: natiuitatem nominant, non excedentem ex diuinitate, sed ex solo Patre procedentem in diuinitate manentem, &c. plura ibid.

AN LICEAT

AN LICEAT SCRVTARI AETERNAM FILII DEI GENERATIONEM.

Ex Psal. 2.

Tom. 4. fol. 766. De particula hodie genui te, variè disputarunt Doctores, alij enim de natiuitate Christi exponunt. Alij de resurrectione & tempore noui Testamenti, sed nos retineamus ῥητὸν seu literam. Verbum Ebræum enim, significat propriè gignere. Id hoc loco non potest intelligi de natiuitate naturali, seu temporali, (non enim de hominibus sed de Deo dicitur) significat igitur natiuitatem æternam & inuisibilem. Igitur eiusmodi verbum est quod intelligi, aut comprehendi humana ratione non potest. Filius narrat nobis sed nisi crediderimus nunquam intelligemus. Est enim Verbum allatum ad nos, ex illa inaccessibili luce, quam Deus habitat. Tum intelligitur cùm inter homines de hominibus dicitur. Sed hîc cum Pater æternus qui Spiritus est, de Filio suo hoc verbum loquitur, intelligi non potest. Vides autem hoc ipso in loco duplicem prædicationem, prima est interna quando Dominus cum Filio loquitur, Eam nos neque audimus neq; intelligimus, sed tantùm intelligitur ab eo qui dicit & ad quem dicitur. Altera prædicatio est externa quando Filius nobiscum loquitur, Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Hanc audimus quidem sed etiam non intelligimus, sola enim fide apprehendi vult & potest. Accipio igitur locum hunc de æterna generatione. Augustini disputatio non displicet, vbi comparat Verbum præteriti temporis, cum aduerbio præsentis temporis, & dicit coram Deo neque præteritum neq; futurum esse, sed extra tempus & in æternitate, omnia esse præsentia. Et tamen tempore preterito voluit Spiritus Sanctus, vt ad notandam perfectionem natiuitatis. Alioqui, si, vt res est, loqui volumus, hodie, quotidie, & semper nascitur, & natus est Filius Dei. Nam æternitas neque præteritum neq; futurum habet. Ad hunc modum accipienda particula Hodie est, pro tempore scilicet Dei non nostro. Non enim nobiscum loquitur Deus, sed cum illo qui est extra tempus apud Deum. Nos habemus ista, temporum discrimina, vt aliud sit hodie, aliud heri, aliud cras. Hanc differentiam nescit æternitas, vbi nullũ est tempus, neque præteritum nec futurum, sed perpetuum hodie, sicut Petrus dicit: Vnus dies apud Dominum sicut mille anni & mille anni sicut vnus dies. Nam principium finis & mediũ temporis, apud Deum sunt vnum momentum. Hæc verba sicut Psitaci loquimur sine intellectu. Sumus enim tẽporales, seu vt veriùs dicam vna exigua particula temporis. Nam quod fuimus abijt, quod, autem futurum est, eo caremus, Ita de tempore nihil habemus nisi momentaneum quiddam quod prẽsens est. Pertinet igitur aduerbium Hodie ad illam æternam natiuitatem Filij, quæ manifestè conuincit eum non esse creaturam, siquidem hodie hoc est in æternum est natus sine principio & sine fine, in præsentissima vt sic dicam, natiuitate. Dixi autẽ supra si conferas hæc quod & ab æterno natus sit hic Filius, & tamen sit Rex in Zion, sequi duplicem eius esse natiuitatẽ, extra tempus & in tempore, & simul verum hominem & verum Deum esse, hãc personam ex Maria virgine natam. Id quomodo aut factum sit aut potuerit fieri, Caue disputes subtilius, verbum sequere simplici fide, quod de his rebus sic nos docet, & disputationes fuge. Non enim hominum hoc figmentum est, vt de hoc homine ex Maria nato dicatur esse Deum, esse à Patre ab æterno genitum: Scriptura sola nos hoc docet. Credamus igitur tanquam articulum nobis diuinitus, sine nostro inuẽto traditum & ostensum, nec æstimemus tantas res ex nostra mendicitate, qui tantum breue momentum de tempore habemus, æternitatem autem ne intelligimus quidem. De æterna generatione Christi à Patre vide plura Tom. 2. latin. fol. 14. Tom. 5. Ger. fol. 18. 528. Tom. 7. fol. 92. 301.

IESVM

IESVM CHRISTVM ESSE VERVM DEVM ET VERVM HOMINEM.

I. Ex annotat. in Matthæ. cap. 16. Tom. 4. fol. 359. Nihil prodest ad salutem, si de Christo sentias humana opinione, quòd sit iustus, Sanctus, bonus vir, aut Propheta, etiam maximus. Sed addenda est reuelatio Patris è cœlo, quòd sit Christus Dei Filius, id est homo verus & Deus verus, deinde Rex & Sacerdos ille promissus, Et in paucis istis verbis, (Tu es Christus Filius Dei viui) compræhenditur vniuersa doctrina fidei Christianæ. Quod enim Filius Dei viui est, verum Deum significat, id quod Scriptura alibi latiùs probat. Quod autem homo est, per se manifestum est. Quia inter homines conuersatus, inuentus est vt homo, Et vt ipse dicit: Quem dicunt esse Filium hominis? sed quia Filius Dei simul est, non potuit nasci in peccato, sicut cæteri ex masculo concepti, Ergo de virgine sine Patre ex Spiritu Sancto natus est. Deinde homo inter homines mortalis fuit. Sed quia Deus necessariò in morte manere aut mori non potuit. Hoc de Filio Dei.

II. Ex Comment. in Michæam cap. 2. Tom. 4. f. 553. Cùm Propheta constituat Christum esse (Porez) seu perruptorem, ostendit eum esse verè hominem & luctari cum periculis tanquam hominem, sicut testantur agoniæ illæ in morte & cruce. Quia autem vincit in periculis illis, & per eam victoriam sibi parat populum & regnum. Ideo dicitur Rex noster. Sed idem etiam hic appellatur (Iehouah) quod nomen soli Deo tribuitur. Itaque hoc testimonium obseruent, sacrarum rerum studiosi, quo Christi diuinitas certò adfirmatur.

III. In Enarrat. Psal. 2. Tom. 4. fol. 764. Psalmus vocat Christum Regem, & disertè dicit Regem constitutum in Zion, ergo sequitur bona & certa consequentia, eum esse hominem alioqui quomodo posset corporalis loci Rex esse? Huc facit quod, dicit à Deo constitutum Regem. Dei autem non est constitui sed constituere, est enim creator. Hic autem Rex constitutus est, Ergo est homo est creatura. Hoc arguit ipsa constitutio & inunctio & si locus corporalis vt sit verus, visibilis & palpabilis homo, qui humana etiam voce doceat. Nec ea de re dubium fuit, hominibus vnquam, nec opus ad eam rem fuit fide. Nam oculis viderunt esse hominem habentem carnem, ossa, sanguinem, & quæ non Dei sed hominis atque adeo creaturæ sunt. Sed hoc an de isto Rege satis est scire? nullo modo satis est, sed etiam est Filius Dei, ab æterno genitus. Hoc oculis cerni non potuit, Igitur ipse Rex hoc docuit & fide opus est. Ne autem eludi possit textus verba pensanda sunt, Filius meus es tu hodie genui te. Est Deus extra tempus, est natura Spiritualis, igitur nihil temporale, nihil corporale ex se potest gignere, sed gignit sibi simile hoc est æternum & Spirituale. Quia autem hæc verba dicit ad illam personam, constitutam in Zion, vt esset Rex in corporali & visibili loco, quid inde sequitur? Nonne hoc quod hic homo in tempore natus, ex Maria virgine, antequam in vtero Mariæ conciperetur, per Spiritum Sanctum, extitit & quidem ab æterno. Nam hodie apud Deum non habet initium, non habet finem. Sic in hac persona coniungit textus præsens, diuinitatem & humanitatem, vt vnum sint, vt rectè dicas, hic homo est Deus. Hanc sententiam in Psal. hoc ostensam retineamus firmiter, contra Satanæ linguas, quæ hunc articulum conatæ sunt labefactare, Imò etiam contra nostræ rationis stultitiam. Cum enim stulti homines, de Maiestatis perfectione, disputare incipiunt, labuntur & ruunt, tanquam Lucifer de cœlo in blasphemias. Quid enim de tantis rebus nos miseri, vel cogitare possumus, postquam à verbo discesserimus? Quin potius sequimur hunc Psalmum, qui iam annis ter mille, contra omnes hæreses firmus & inuiolatus stetit, & clarè & rotundè pronuncians,

Pronuncians, hunc regem esse & hominem & æternum Deum. Huic definitioni assentiamur nos quoque, & quidquid præterea vel audimus vel cogitamus ab hac definitione dissentiens, id tanquam fanaticum blasphœmũ & à satana ex cogitatum, execremur & damnemus. Tulit impius Arius nomen Filij Dei, sed interea retinuit & defendit, blasphœmum dogma, eadem ratione nos quoq; Filios Dei esse. Quantò rectius Paul. nos adoptione Filios esse dixit, hunc aũt natura Filiũ esse, Itaq; ἐικόνα seu imaginem, inuisibilis Dei appellat. Deinde Epist. ad Ebreos, quàm appositè, quàm grauiter, huius psalmi testimonio vtitur, cũ inquit: Cui Angelorum, vnquam dixit Deus, Filius meus es tu, hodie ego genui te? Extollit enim hunc Regem etiam super Angelicã naturam, quæ tamen inter creaturas, primum locum obtinet, ac meritò, Nam per Dei Filium, Angeli & Archangeli sunt conditi. Et Paulus Coloss. 1. ideo πρωτότοκον πάσης κτίσεως, primogenitum totius creaturæ, vocat Filium, & eum extra & supra Angelos, & omnes alias creaturas collocet. In hac simplicitate viuamus & non committamus nos huic alto, & vastissimo Pelago disputaturi de tantis rebus. Est enim hic articulis admodum lubricus, primùm propter subtilitatem, deinde etiam propter nostram, infirmitatem. Mera igitur stulticia est & periculosissimus conatus, velle hæc scrutari subtilius. Si enim hoc possemus non opus esset nobis duce scriptura, Imò hoc doctore & Rege nihil nobis opus esset. Qui autem scripturam negligunt & fiducia ingenij, tantes res aggrediuntur, hij sunt Magistri Dei & non discipuli, itaque sicut Phaeton gubernaturus Solem præcipitantur & ruunt. De hac temeritate conqueritur Deus, cùm apud Prophetam inquit: Cui assimulastis me? Nam hoc omnium hæreticorum hypocritarum & sectarum proprium est, vt sibi imaginem aliquam dei fingant. Monachus ore cõfitetur, quod credat Christum esse Dei Filium, sed huic Filio Dei affingit, aliquid ex sua voluntate, & statuit eum probare cucullum & hoc vitæ genus singulare, ac pro eo redditurum æternam vitam. Sed O hypocrita quis iussit te Filio Dei talem vt sic vocem, Nasum affingere? Quis certum te fecit, Deum tale aliquid abs te velle. Nihilo igitur Monachus quando secundum Regulam suam sanctissimò viuit, sanior aut melior est Ario, dicenti quòd Deus tantum vnus sit, Christum aũt dici, Dei Filium, quòd sit perfectissima & prima creatura, per quam omnes aliæ creaturæ factæ sunt. Si enim Christus Dei Filius est, & in eo vno, nobis acquiescendum est, quod Deus eum miserit saluatorem, cur addit Monachus, talem fiduciam, suo operi à se delecto? Hæc incommoda inde nascuntur, quòd omisso aut neglecto verbo, animi de Deo speculantur, Omnis enim speculator est figulus, & fingit quòd in veritate non est sequitur enim rationem suam, Cum in his rebus tantum sit sequendum verbum. Ratio enim neque capere tantas res per se nec vincere, speculationes suas, aut superare, potest.

IIII. Ex Enarrat. Psal. 45. Tom. 3. folio 472. Christus Rex cùm sit verus homo, (quia vt dicit esse speciosum præ Filijs hominum,) sequitur habere eum aliam vitam quàm hæc est inqua nos viuimus tribuit enim Christo æternam sedem. Et tamen quia scriptum est, esse eum speciosum & apparet esse hominem, & perconsequens etiam esse mortalem, & tamen quoque æternum, quia sedes tua in æternum Deus. Hæc iam inter se compara. Textus enim dicit, Eum esse inter Filios hominum vbi mors regnat, ergo necesse est eum mori, & tamen dicit æternum fore. Concluditur ergo ex hoc loco resurrectio mortuorum, quòd noster Rex eiusmodi sit, qui verus Deus, homo factus, tandem sicut alij homines moriatur, & relinquat hanc vitam, ac resurgens, ex morte recipiat vitam æternam, vt sit Rex vitæ æternæ, qui tamen in hac mortali vita vixerit. Sicut dicit in Iohanne:

Desero mundum, & vado ad Patrem, id est derelinquam hoc ministerium, quod hactenus in mundo inter vos gessi, & ibo ad Patrem, hoc est, accipiam Regnum & aliam vitam, vt sim Rex æternæ vitæ, pro omnibus meis fidelibus, quam æternam vitam hîc quoque incipit in corde nostro. Nam cùm incipimus credere in Christum postquam baptizati sumus tunc secundum fidem & verbum sumus liberi à morte, à peccato & à Diabolo. Ergo principium vitæ æternæ, & primitias habemus in hac vita, & tenuem quendam gustum irrupimus ad vestibulum, mox exuti hac carne, omnia plenissimè præcepturi. Patet igitur ex hoc loco Christum esse verum hominem, & tamen esse quoque Regem non temporalem, sed æternum, hoc est verum etiam Deum, qui quanquam mortuus sit tamen resurrexerit à morte. Nam mortem vincere non est hominis aut creaturæ. Sicut enim tota creatio, vnius Dei est, ita quoque vitam quæ ipsa quoque creatura Dei est nemo præter Deum, creat. consequitur igitur Christum esse verum Deum, siquidem creat vitam & mortem deuorat. Ideo expressè, hîc Deum nominat & eum sic describit, quòd sit Deus & homo, & naturaliter Deus & Dominus mortis qui mortem in semetipso, pro omnibus nobis vicit, quem mors tenere non potuit sicut Petrus dicit, quia tenuisset diuinam personam, compositam, (Quanquam sophistæ vetant sic loqui,) seu vnitam ex duabus, Naturis vt vnam personam constituat, quæ sit verus Deus & verus homo, quàm si vorasset Satan, diceretur vorasse diuinitatem seu diuinam personam. Deus autem nescit mori, sic nec humanitas, cum diuinitate vnita mori potuit &c.

Ex Comment. Ioel Cap. 3. Tom. 4. fol. 815. Neutiquam negligendum est hoc in loco illustre testimonium de Christo, ad conuincendum pertinacem Iudæorum errorem. Audiunt Prophetæ vaticinium, Dominum (Iehoua) ex Zion locuturum, Respondeant autem quando id sit factum. Quia enim negare non possunt, quin Zion & Ierusalem iam olim sit vastata, nonne cogentur etiam hoc fateri, Prophetiam hanc stante adhuc Ierosolima, esse impletam? sed per quem aut quomodo impleta est? Num Dei vox sic infirma fuit, ad quam tamen cœlum & terram contremiscere, Propheta dicit, vt eam ipsi non exaudirent? Si autem audierunt, num sic fuerunt peruersi, vt audire nellent & contemnerent? Nonne quoque siquidem de Messia, seu Christi regno Prophetam loqui certum est Messiam exhibitum, iam olim stante adhuc Zione, & Ierosolima, res ipsa loquitur? Sed cæci Iudæi, tanquam in densa caligine errantes, quo se vertant, nesciunt.

Nos autem qui credimus Christum esse exhibitum, & agnoscimus eum non solum hominem, sed æterni Dei æternum Filium nos inquam scimus per Christum Iesum, ex Maria virgine natum, hanc prophetiam impletam esse, & ipsum esse verum (Iehoua) sicut testantur plures loci, noui Testamenti, Iohan. 14. inquit: Creditis in Deum, in me credite. Item verba quæ ego loquor non loquor de meo, Pater qui in me est facit opera, Credite mihi quod ego in Patre sum, & Pater in me est, Item Philippe qui me videt, videt Patrem meum. Sicut autem hæ sententiæ non debent eludi, quasi tantum de ministerio à Patre demandato, loquatur Christus, Ita præsens quoque locus simpliciter intelligendus est quòd ipse (Iehoua) Deus loquitur cùm Christus loquitur, & quod ipsum verum æternum Deum audiunt, quicunque hanc vocem sonantem in Zion audiunt. Non enim est Deus extra Christum quærendus & quanquam personarum discrimina, sunt tamen non est nisi vnus æternus Deus, sicut Paulus dicit in CHRISTO habitare plenitudinem diuinitatis. Hæc definitio personæ

hoc loco

hoc loco neutiquam negligenda fuit. Habes igitur, hæc de nouo Testamento, quod scilicet ex Zion egredietur, noua doctrina, & quod Doctor qui eam primus spargetsit Deus. Includitur autem hic tertium quoque. Quia enim & corporalis loci mentionem Ioel facit, & vaticinatur de voce quæ auribus hauritur, certum est hunc doctorem hominem quoque esse. Hinc sequuntur omnia historica illa noui Testamenti, quod cùm homo sit mori eum necesse fuit, Quia autem non tantum homo sed Dei æternus Filius est, non potuit in morte manere, sed resurgere eum oportuit, & expiato per mortem peccato, victa autem & abolita per resurrectionem morte, possidere æternum Regnum. Hæc omnia certissima consequentia sequuntur.

QVAESTIO.

VTRVM CHRISTVS EX CARNE PVRA AN IMPVRA SIT NATVS.

Disputant Doctores Scholastici vtrum Christus natus sit ex carne peccatrice an mundo. An seruauerit Deus à condito mundo aliquam puram guttulam carnis ex qua Christus nasceretur. Respondeo ergo, Christum verè natum esse ex vera & naturali carne & sanguine humano, qui corruptus fuit originali peccato, in Adam, sed sic vt posset sanari. Sicut nos credimus & speramus, qui sumus circumdati carne peccati, futurum vt in die redemptionis nostræ ea purgetur & separetur ab omnibus infirmitatibus, morte & ignominia, sunt enim peccatum & mors mala separabilia. Itaque cùm ventum fuit ad virginem, vel guttam illam sanguinis virginalis impletum est quod dixit Angelus: Spiritus Sanctus veniet super te, & obumbrabit tibi. Non quidem, natus est Messias virtute carnis & sanguinis, sicut Iohan. 1. dicitur. Non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, &c. Sed tamen ex massa carnis, & ex isto sanguine corrupto, voluit nasci. In illo autem puncto conceptionis virginalis Spiritus Sanctus, purgauit & sanctificauit massam peccati, & exterfit Venenum Diaboli, & mortis, quod est peccatum. Etsi mansit mors in ea carne, propter nos, tamen fermentum peccati expurgatum est, & facta est purissima caro per Spiritum Sanctum purificata, & vnita cum diuina natura, in vna persona. Est igitur verè natura humana, non alia quàm in nobis. Et Christus est Filius Adæ & de Semine & carne eius, sed vt dictum est, Spiritu Sancto obumbrante, operante, & purgante, vt apta esset ad hanc conceptionem innocentissimam, & mundam ac sanctam natiuitatem, qua nos purgaremur & liberaremur à peccato.

Ex 38. Cap. Genes.

DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO ET DE COMMVNICATIONE *Idiomatum.*

Postquam hoc tanquam fundamentum, tenes, vt Christum fide agnoscas, ac confitearis verè esse Deum & hominem, iuxta scripturæ doctrinam. Iam porro diligenti animaduersione & cautione opus est, vt & de naturis & persona Christi recte iudices, ne aut personam tanquam diuellas & dilaceres, aut naturas distinctas, diuinam & humanam in vnam confundas, sed vt cum distinctione naturarum, simul personæ indiuisam vnitatem retineas.

Ex nouiss. verbis Dauidis Tom. 8. German.

Nam in hoc ipso à multis à veritate aberratum est, vt aut diuinam & huma-

nam naturam confuderint, sic vt vnam & eandem esse docerent, & nihil esse discriminis dicerent, Aut contra ex vna persona duas facerent, vt in hoc Nestorius fecit, in illo Eutyches, & in vtroque alij quidam delirant. Nostræ verò illius Iudaicæ fecis reliquiæ, & ab altera parte Mahometis discipuli, tanquam nunc post alios primùm de cœlo delapsu, vnde multo diuiniore spiritu adflati, longè sublimiorem sapientiam hauserunt, qua nos Christi nomen professos, tanquam extremè stupidos, ex alto derident, cùm illa sua acumina nobis proferunt. Si Deus est (inquiunt) vester Messias, quomodo fieri potest vt tanquam homo moriatur? cum Dei maximè proprium sit mori non posse. Si verò homo est quomodo fieri potest, vt Filius Dei sit natura? Cùm Deus vnicus sit, sine coniuge aut consorte, vnde Filium gignat?

Hic dum sibi digito cœlum videntur attingere, atque adeo in ipsa diuinæ sapientiæ penetralia irrepsisse, eò quod deprehenderint, nostræ de Messia sententiæ quædam rationi absurda, & ab humanis iudicijs abhorrentia posse affingi, digni sunt, qui omnium irrisione laudantur, non minus, quàm ranula illa, quæ vt in Germanico prouerbio est conspecto fortè teruncio æris insidens, tanquam de Persicis gazis glorians, arroganter exclamasse fertur, Ergo pecuniam comitatur dignitas.

Gratia scilicet habenda est his ter maximis, absolutissimis, sapientissimis, ab omni laude fœliciſsimis & diuiniſsimis Magistris, atque doctoribus, vtpote à quibus nos Christiani miseri, hebetes, plumbeo cerebro, nescio an dicam homines, imò trunci, lapides, fungi, & inutilia terræ pondera, docemur illa interiora, reconditiora, ac diuiniora mysteria, scilicet, Deum non posse mori, neque esse maritum. Itaque gratulemur ætati posteritatique nostræ, de his singularibus, eximijs, incomparabilibus, lectiſsimis, præstantiſsimis, & omni laude cumulatiſsimis doctoribus ac magistris, quorum monitis & monstratione ad hunc excellentem sapientiæ gradum peruenimus, quod antea vix optandum nobis videbatur, vt nunc demum intelligamus, nec intermori diuinam naturam, nec vxorem habere.

Age verò, num post hac cuiquam admirationem debet mouere? Mirum profectò omnibus nobis videri debet, quòd vbicunque Iudæus vel Mahometista solo impresserit vestigia, non protinus ipsa tellus, perinde ac si Numinis alicuius præsentiam ac maiestatem sensisset, incredibili elata gaudio, cœlum atque illas superioris mundi machinas inusitato atque inaudito motu transilire conspicitur.

Rursus autem quod non cœlestia corpora, & ille Sol, Luna, cæterique astrorum ignes certatim Semideis talibus applaudentes ad pedes, Iudæorum, & Turcarum, sese abijciunt, vel etiam ad inferos imanique sceleratorum sedem atque regionem præcipitant.

Nam omninò incomprehensibilis, atque immensa sapientia est, intelligere Deum non habere Vxorem, nec esse mortalem, longè supra captum vecordium Christianorum posita, imò quam vix cuiusquam mens aut cogitatio capere potest. Dicant enim qui Christo diuinitatem tribuunt, si genitus est quis, & vnde ei vagienti in cunis nutricem adduxit? Vnde postea ancillulam lusitanti, & iam fari & ingredi discenti adhibuit? Deinde si mortalem Deum fingunt, quis ei mortuo iusta faciet? vel quis exequias illius funeris prosequetur? Quis celebranti nuptias hymenæum canet? & ad tibiarum neruorumque cantum choreas instituet? Quis funebria Sacrificia, vel vt hodie appellant, Missam pro defuncto factitabit aut peraget? Heu quantus est stupor veternus, quanta temulentia &

tia & incogitantia, Christianorum, qui Deum mortalem colunt, eumque maritum esse somniant. Econtra ter & amplius beati, suspiciendi, atque pleno ore laudandi sunt, Mahometus & Rabini, qui nobis ruentibus in tenebras, & in maximis erroribus versantibus, hæc diuinæ sapientiæ mysteria enunciant. O furorem Mahometi ab omnium auribus repellendum, O dementiam incredibilem, O detestandam impudentiam.

Audes ne tu Propheticum Spiritum iactare, cùm tam puerilitèr, ineptè, futiliter, insulsè, turpiter & flagitiosè nugeris, hallucineris, & delires? Hic verò audis ipsa Dei sapientia, magis diuinam, vt verè dici potest illud, quod in Germanico prouerbio est, ranulam teruncio emptis insidentem, tanquam de persicis gazis gloriantem dixisse, gloriam adesse pecuniæ. Quantũ enim necesse est, hanc arcanam sapientiam putas, hoc est quòd illi omnibus summorum doctissimorum, sapientissimorum, ter & multò amplius maiores, Doctiores, sapientiores nos docent, Deum non posse mori, & Deum non esse maritum. Quid nos miseri, cæci, asinis hæbetiores, & fungis stupidiores, qui Christiani dicimur? quando vnquam intra illud arcanum cœlestis sapientiæ pertingere daretur, nisi nobis asinis & fungis omnibus diuinis diuiniores Magistri contigissent. Sed omissos illos miserandos potius quàm ridentes fatuos sinamus frui suo illo inani somnio sapientiæ. Pius lector teneat immotam veritatem fidei nostræ, quæ firmis testimonijs scripturæ diuinitus traditę nixa, docet Iesum Christum Dominum nostrum esse verum & natura Deum, Filium Dei Patris æterni, & verum hominem, Dauidis ex virgine Maria Filium: Non tamen geminum esse, aut duos Filios, seu duas personas. Sed vnicum eundem Filium in eadem persona, vera coniunctione siue vnione duarum naturarum, diuinæ & humanæ, quarum tamen vtraque suis proprietatibus, ab altera discernitur.

Nam sicut dixi, de articulo trium personarum & diuinitatis, cauendum esse, ne distinctas personas in vnam confundas, & rursum, ne eandem diuinitatem seu essentiam distrahas, tanquam tres Dij intelligendi sint, sed retinendam esse, trium personarum distinctionem in vna indiuisa essentia: Ita & hîc, de Filio Dei, è regione cauendum est, ne illam vnicam personam distrahas in duas, & rursum, ne distinctas in eadem persona naturas in vnam confundas, & tanquam duos Christos facias. Sed retinendum est duarum naturarum discrimen, in admiranda vnitate personæ.

Hoc tamen etiam sciendum est, quòd sicut ambæ naturæ in vna persona, Filij Dei copulatæ seu vnitæ sunt: Ita etiam vocabula in sermone seu formis loquendi in Ecclesia receptis, quæ tribuntur naturis, seu vt vulgò vocantur, prædicata conueniunt & quasi conpulantur cum ijs, quę de interga persona dicuntur. Quas formas loquendi vsitatè vocant communicationem Idiomatum seu proprietatum, hoc est cum id, quod est proprium alteri naturę, & de ea seorsim in abstracto dicitur, tamen in concreto tribuitur toti personę. Vt sicut rectè & verè dicimus: Hominem natum esse ex virgine Maria, & à Iudeis crucifixum, Ita hęc eadem vocabula seu prędicata, rectè etiam tribuuntur Filio Dei, & rectè dicitur, Filiũ Dei esse natum ex virgine, crucifixum à Iudeis, propterea quòd Deus & homo vna persona est, seu vnus Christus, Filius Dei & virginis, non duo Christi, nec duo Filij, alter ęterni Dei Patris, alter virginis, sed idem & vnicus Filius Dei & virginis. Etsi verum est nomen hominis per se propriè de natura humana intelligi, sicut Dei nomen (de natura diuina) seorsim diuinę naturæ tribuitur.

Idiomatum communicatio.

Nunc si negare velis, vt Nestorius impiè delirauit Deum seu Dei Filium Iesum Christum, natum esse ex virgine, aut crucifixum à Iudæis, & contendas hominem dun-

nem duntaxat esse virginis Filium, crucifixum &c. Hoc ipse iam personæ indiui-duam vnitatem distraxisti, in duas, quarum altera sit nata ex virgine, & adfixa cruci, altera verò quæ nec nata nec passa sit : Intelligiturque hoc modo vtraq; natura seorsim esse perspona per se subsistens, & iam non vnus sed duo Filij.

Quod prorsus idem est ac si neges Filiũ Deum seu Dei factum esse hominem, & talem, distractionem in Christo facit, ac si Deus sit persona seorsim cogitanda, seu reuera & perfecte seiuncta ab homine, quasique rursum homo sit personaliter seiunctus à persona diuina. Quòd palam veritati contrarium & impium est adfirmare.

Clarè enim hoc refutat scriptura quæ sic loquitur Iohan. 1. Et verbum caro factum est. Et Lucæ 1. Quod in te nascetur, Filius Dei vocabitur. Et in symbolo vsitato, quod vocant Apostolorum : Credo in Iesum Christum, Filium Dei vnicum, conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria virgine, passum, crucifixum &c. Non ait alium esse Filium Dei, & alium hominem natum, sed eundem esse Filium Dei, qui natus est ex virgine, & iam etiam virginis Filius.

Rursus, si ab altera parte in Eutychis delirium relapsus, neges hunc hominem Iesum Christum, esse conditorem cœli, terræ & omnium rerum, aut non esse Filium Dei, qui sit adorandus & inuocandus. Quemadmodum his proximis annis meminimus quendam fanaticum tragicis clamoribus tumultuantem, & se iactantem in hoc loco, quàm periculosè à nobis fieret, qui creaturam pro creatore adoraremus, cùm tales nec in Propheticis & Apostolorum scriptis tradita attentè legant, nec sermonis in Ecclesia recepti & explicationis dogmatum rationem vllam habeant: Sed ex tuo parum sano cerebro gignant nobis dogmata, & quidquid ægri somniarum de tantis rebus obtrudant orbi videlicet, non θεοδιδακτοι sed αυτοδιδακτοι Magistri.

Sed vt dixi, in hoc Eutychiano delirio rursus personæ vnitas distrahitur, & reuera duæ persona finguntur, Filij Dei & virginis, sed alio quodam modo. Nam Nestorius sic discerpit personam, vt humanam naturam abstrahat & diuellat à diuina, lacerans unionem seu copulationem, & ex vtraque natura faciat peculiarem personam, seorsim cogitandam, cùm adfirmat seorsim tantum hominem, non Deum hoc est non integram personam, seu totum Christum, crucifixum esse. E regione, Eutyches ita seiungit ac diuellit diuinam naturam ab humana, vt hic quoque laceret copulationem seu vnionem personalem, & duas distinctas personas imaginetur, cum contendit Deum, non hominem adorandum esse, videlicet Christum ab humana natura separatum.

Verùm Scriptura Prophetica & Apostolica & nostræ fidei Symbolum ac confessio sic docent : Nos cùm Christum natum ex virgine videlicet hominem adoramus, non adorare aliquem purum, vt vocant, seu merum hominem, seu alium à Filio Dei, qui seorsim extra Deum, seu præter & extra Deum, sit persona quædam separata, seorsim adorandæ, sed adorari à nobis æternum, verum, vnicum Deum, qui cum Patre æterno & Spiritu Sancto, vnus est Deus, æternus, & cum humana natura assumta ex virgine, vna est persona seu vnus Christus. Hunc fidei nostrę, seu doctrinę de Filio Dei verum intellectũ quisquis non habet eum necesse est tanquam toto cœlo à sententia scripturę Propheticę & Apostolicę deerrare. Neque vnquam rectè iudicabit de dictis quę de Christo aliàs alia forma loquuntur.

Quàm sæpe in Prophetis Messias dicitur seruus Dei vt Esai. 42. Ecce seruus meus, quo delectatur anima mea, &c. Et ca. 53. Ecce seruus meus intelliget &c. Quid? quòd etiam vocatur vermis vt de sese inquit Psal. 22. Ego autem vermis sum, & non homo. Quodque multò, vt videtur, absurdius, & atrocius est etiam peccator dicitur: Psal. 41. Ego dixi miserere mei Domine, sana animam meam, quia peccaui tibi seu tibi sum peccator & reus. Et Psal. 69. Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Ex mox: Opprobria approbrantium tibi ceciderunt super me. Ac rursus Psal. quadraginta. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei & cor meum dereliquit me.

Hic verò rationis humanæ sapientia Iudæi, Mahometici, sibi videntur meritò reclamare, Ista quomodo de Deo seu persona diuina intelligi possunt? Quo pacto fieri potest qui Deus sit, eum esse seruum? Quid verò etiam, vt dicatur peccator? Quis hominum ad hæc tam absurda, tetra, non obstupescat auribus & animo perhorrescens? Quod vnquam genus hominum stultius aut magis execrandum tulit hic orbis & natura rerum, quàm hos qui se Christianos vocant? Scilicet nulla sunt magis tetra portenta & monstra hominum, iudicio illorum sapientum, Sanctorum, summorum, & qui se solos homines esse putant, quòd non vt nos creaturam, sed ipsum Deum creatorem adorent.

Nunc ita verè res est, non est hæc miranda doctrina nata & prolata ex hominum arcana sapientia, tanquam ex tenebris, & quodam Trophonij specu eruta: Nec ex Iudaicis & Thalmudicis lacunis, ex quibus illi suum illud Schemhamphores hauserunt: Neque etiam ex Mahometici prostibuli lustris, in quibus impurus ille qui se Dei Prophetam dicere audet, sese studiosè exercuit, adeo, vt sine fronte & obscæno ore etiam gloriari audeat, sibi à Deo suo (Diabolo principe mundi) tantum masculi roboris datum esse vt ne quadraginta quidem Mulieres in vnam noctem ei sufficiant. O Magistrum castum, & exemplum pudicitiæ, cuius tetram spurcitiam, & quauis latrina olentiorem, vbique redolet & resipit totus illius Liber Alcorani, videlicet non dissimulanter præ se ferens, sese illum suum Prophetícum Spiritum, non aliunde nisi ex olentibus & abominandis bachanalium lustris hausisse. Nunc qui tales Præceptores audit & in talibus libris legendis operam sumit, quid mirum est, eum nihil neque de Deo, neque de Messia rectè intelligere? Cùm ne ipsi quidem Magistri sciant, quid aut doceant aut viuant.

Nos verò qui Filium Dei, quem ipse æternus Pater certissimis testimonijs & voce de cœlo sonante audiri iussit, Doctorem sequimur, ingenti Dei beneficio scimus, hunc Messiam esse vnici æterni Patris vnicum coæternum Filium, missum in mundum, adsumta humana natura, vt pro peccatis nostris in se deriuata ira Dei λύτρον & victima fieret, & ipsum peccatum & mortem in nobis aboleret. Vt Esai. 53. clarè dicitur: Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam, sed Dominus posuit in ipsum iniquitates omnium nostrûm. Item ponet animam suam pro peccato.

Hoc ergo cum certum sit, læti & vero pectore hoc gloriamur, & prædicamus Filium Dei, vnicum verũ Deum, vnà cum æterno Patre, & cũ S. S. pro nobis esse factũ hominẽ, seruum, vermẽ, & opprobriũ hominum, deniq; etiam peccatorẽ, seu vt Paul. loquitur, peccatũ & maledictũ. Itẽ & illud rectè, piè, & pia cõfessione dicimus:

Deum pro nobis esse mortuum, Deum crucifixum pro nobis, in suo corpore tulisse peccata nostra, Deum nos redemisse suo sanguine. Nam hic iam vna est persona, Dei & hominis, seu diuina natura, & humana copulatæ sunt in vnam personam, & Christus reuera est Deus & homo. Quod igitur facit, patitur, loquitur homo, idem verè facit, patitur, loquitur Deus æternus.

Rursum quod facit, quod loquitur Deus, idem facit, loquitur homo, videlicet, idem Filius & Dei æterni & hominis virginis, vna individua persona, sed distinctarum naturarum.

Hæc nobis inquam, certa & firma sunt, quantumuis offendantur, qui verbum Dei non audiunt, quamuis furenter reclament, quamuis maledicè blasphæment, vel ipse Satan vel eius impurus assecla, lenonum & prostibulorum Patronus, Mahomet, aut nostri, Schamhageristæ Iudæi & alij. Sed breui impuritatis ac obscœnitatis & blasphæmioris in imo tartaro pœnas daturi.

CVR MEDIATOREM OPORTEAT ESSE DEVM ET HOMINEM.

Per Semen Mulieris conteretur caput Serpentis, per Semen Mulieris scilicet, ita vt sicut per mulierem conditam de Viro sine Matre, genus humanum in hunc miserandum lapsum Diabolus pessundedit: Ita hoc Semen ex Muliere, sine Viro nasciturum, rursum ipsum Diabolum conculcet. Hoc igitur Semen Mulieris, necesse est esse verè hominem, & masculam prolem ex muliere natam. Nam humani Seminis appellatione iuxta Phrasin Scripturæ Propheticæ, constat nihil aliud significari, nisi fœtum seu prolem natam ex homine. Sed hoc loco illud singulare est, quòd hæc proles, seu hic homo dicitur, Semen Mulieris, cum alioquí vocabulum Semen, vbique viri seu Patris Semen, id est è Viro seu Patre ortam sobolem significet vt Semen Abrahæ, Semen Dauid adeoq; passim in tota Scriptura Prophetica de Semine seu sobole viri dicitur. Quare Moses hoc quidem loco prorsus cum Luca & Matthæo congruens, clarè significat hanc Mulierem seu Matrem virginem fore, quæ sine virili Semine futura sit Mater sui solius Seminis seu Filij. Cumq; hæc sententia cum scriptis Apostolicis noui Testamenti consonet, nos qui Christiani sumus iuxta supra traditam regulam, nullam aliam admittamus. In summa, hoc Semen mulieris verè & natura esse hominem iam certum est, sed eundem necesse est etiam verè & natura esse Deum, Alioquí Mosen non Dei fidelem & verum, sed Satanæ mendacem, & idololatricum Prophetam iudicari oporteret, Cùm huic Semini hanc potestatem, ac vim tribuat, quæ solius Dei propria est, videlicet quod sit aboliturus & mortem in genere humano, & mortis autorem, adeoq; & peccatum & iram Dei, & iustitiam ac vitam instauraturus. Hoc certè neque vnus aliquis Angelus cœlestis, neque vniuersus cœtus Angelorum, efficere possunt, sed necesse est personam esse maiorem, & præstantiorem, ac potentiorem Angelis & omnibus creaturis. Rectè ergo hoc dico ac repeto Moisen tanquam idolatricum Doctorem & Prophetam damnandum & execrandũ esse, si hanc potestatem & vim & mortem & peccatum abolendi, & hac abolita iustitiam & vitam æternam reddendi, Semini mulieris tribuit, quòd nihil aliud nisi creatura sit, non etiam ipse vnicus Deus, qui solus est Viuificator, seu vitæ dator & effector, vt Iohan. 1. de Filio Dei λόγῳ ait: In ipso vita erat. Nam hoc etiam iudicio & confessione rationis humanæ, necesse est sequi, Quod in cuius potestate est mortem conculcatam abolere in eiusdem etiam potestate sit vitam restituere: Et cuius sit peccatum tollere, eiusdem esse & iustitiam reddere, cum reipsa mortem auferre nihil aliud sit, quam vitam amissam reparare,

Ex nouiß. verb. Dauidis. Tom. 8. German.

reparare, & peccati abolitio sit ipsa iustitiæ restitutio, cuius velut è possessione serpens, seu potius per serpentem Diabolus primos parentes cum omni posteritate generis humani deiecit, & mendacio circumuentos, in peccati noxam, & mortem æternam coniecit, vt clarè ait vox, mandati diuini: Quacunque die, &c. Et paulò post. In hoc dicto omnes Gentes benedicentur in Semine Abrahæ plane idem significatur quod ad primos parentes dictum erat: Semen Mulieris conteret caput Serpentis, hoc est per hunc tolli & aboleri peccatum & mortem, & iustitiam ac vitam æternam reddi. Nam peccatum & mors æterna sunt illa ipsa maledictio cui subiectum erat totum genus humanum post miserandum lapsum primorum parentum sine fine, Nisi per hoc Semen rursus benediceremur, hoc est noua iustitia & vita donati, Sancti ac salui essemus. Sic ergo in hoc Semine Abrahæ nos Gentes (qui in hac promissione vocamur Goim) de hac benedictione gloriamur & eam nobis arrogamus fide, & ea confisi etiam superbimus, ac animosi despicimus Satanam, & eius potentiam, peccatum & mortem, & quidquid est nobis aduersarium, & tanquam iam victis & triumphatis omnibus læti canimus hoc ἐπινίκιον nos in hoc Semine Abrahæ, Dauidis & Mulieris Virginis, habere remissionem peccatorum, & eorundem perpetuam ablutionem, denique & liberationem à peccato & morte.

Hic enim nobis factus est à Deo, vt ait Paulus, vt sit iustitia nostra, sapientia nostra, redemptio nostra, sanctificatio nostra, benedictio nostra, spes nostra, vita & lætitia æterna, De quo Deo æterno sit laus & gloria in perpetuum, Amen.

Cùm igitur hoc Semen Abrahæ hanc tam efficacem benedictionem adferat & largiatur omnibus Gentibus, Necesse est eum non solum esse hominem, qui tantùm, quod est hominum, verbis nobis bene precetur, sed & ipsum verum, vnicum, æternum Deum, cuius in manu & potestate, sit verè efficere, ac impertiri hanc benedictionem. Nam peccatum & mortem abolere, & iustitiam ac vitam reddere, non est hominis, ac ne Angelicæ quidem naturæ opus, sed solius vnicæ æternæ diuinitatis, conditricis omnium rerum.

Rursus, cùm hic ipse autor, & donator benedictionis dicatur & sit Abrahæ Semen seu Filius, ex ipsius posteritate natus, necesse est eum non tantùm habere diuinam naturam, sed verè & natura esse etiam hominem ex carne & sanguine Abrahæ, hoc est in eadem persona verè simul esse vnitam diuinam & humanam naturam.

Plura de hoc loco vide in Genesi Luth. Cap. 22. In Postillis. In Galatis To. 4. folio 92. 121. 816. Tom. 3. German. fol. 205. 206. 462. 463. 465. 495. 503. Tom. 7. German. fol. 92.

CVR FILIVS, NON PATER AVT SPIRITVS SANCTVS NATVRAM HVMANAM *adsumserit.*

Non vult ac ne potest quidē Deus iuxta nostras cogitatiōes rectè agnosci, sed ita, vt sese ipse patefecit. Ac præcipuè voluit Deus filiū suū patefieri, & à nobis agnosci, in Scriptura & veteris & noui Testamēti. In hunc Filiū omnia respiciunt. Propter hūc enim Messiā, seu propter hoc Semen mulieris, omnis scriptura tradita est, per quē videlicet restituerētur quæcunq; per serpentē destructa sunt, aboleretur peccatū, mors, placata

Ex nouiss. verbis Dauidis Tom. 8. German.

placata horribili ira Dei, & noua iustitia, vita, immortalitas & lætitia in æterna consuetudine cum Deo restitueretur, adeoque vt Paulus loquitur fieret illud, vt omnia velut sub hoc vnum caput coniuncta redigantur Coloss. 1. Nam sicut primum lapsus hominis, præcipuè & propriè in Filium Dei offendit, & tamen eò ipso simul etiam aduersus totam diuinitatem peccatum est: Ita Deus in illo suo arcano consilio de liberatione humani generis hoc admirandum decretum fecit, vt peculiariter & solum Filius adsumeret naturam humanam, videlicet vt per & propter eundem homini redderetur liberatio, & instauratio integritatis, de qua exciderat, contra quem lapsu suo initiò impegerat: Ita tamen vt hæc ipsa liberatio seu instauratio hominis, facta per Filium, totius diuinitatis, hoc est trium personarum, commune opus fuisse intelligatur.

Cùm enim serpens Diabolus hominẽ ad præuaricandum contra Dei mandatum sollicitaret, præcipuè vsus est hac arte, vt cum contemtu & odio contra Filium Dei incenderet, cùm diceret ad hominem: Nouit Deus quòd quacunque die comeditis de hac arbore, eritis sicut Deus, scientes bonum & malum. Hoc verò erat lædere gloriam Filij Dei, & ea sibi vsurpata, ipsum de eius possione velle deiicere. Nam huius vnius est hæc prærogatiua, quòd ipse Filius Deo similis est, seu vt Paul. ait coloss. 1. Imago seu εἰκὼν Dei inuisibilis, & character substantiæ, & ἀπαύγασμα, seu fulgor gloriæ eius, Ebr. 1. Ac ante hunc ipsum lapsum hominis iam Diabolus, cum fuisset inter bonos Angelos, sese auerterat à Deo, cum simili lapsu, contra hanc ipsam imaginem Filium Dei rueret. Non enim contentus, que in hac præstanti natura vnà cum reliquis præstantibus electis Angelis erat imago Dei (non tamen vt Filius Dei, coæterna & substantialis, sed condita imago) sed ausus est horribili superbia appetere etiam hanc gloriam illius æternæ imaginis, intra ipsam essentiam diuinitatis, vt quidam scriptores locum Esai. 14. sub nomine Regis Babylonici de diaboli lapsu enarrant, tanquam & velut alluserit propheta cùm inquit: Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: In cœlum ascendam. Item Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo. Propterea igitur seorsim edita est patefactio de Filio Dei & ipse adsumsit naturam humanam, vt per eundem in carne humana rursus restitueretur, humanum genus, quod in ipsius diuinam naturam horribili suo lapsu incurrerat & offenderat.

Est ergo totius scripturæ Propheticæ, vt ex ijs quę hactenus dicta sunt, satis intelligi potest, velut scopus, & summa in Christo Filio Dei & virginis. In hoc (inquam) sunt omnia, & propter hunc omnia, ac præcipuè ob hanc causam, editę sunt patefactiones, & tradita doctrina prophetica, vt hunc Dominum agnoscamus, & quidem sic, vt persona discernatur, & tamen per hunc etiam Patrem æternum & Spiritum Sanctum, vtquę huius vnici æterni Dei conspectu in omnem æternitatem fruamur. Si quis igitur hunc Filium Dei rectè agnouit, huic iam tota prophetica scriptura, tanquam interius illud adytum arcanum remoto velo aperta est, & quò magis crescit quoque firmior fit fides in Filium Dei, eò clarius hęc lux scripturę suis velut radijs effulget.

CHRISTI VERA DEFINITIO.

Paulus diserte ac propriè definit Christũ hoc modo. Christus est Filius Dei ac virginis, traditus & mortuus pro peccatis nostris. Hic si diabolus attulerit aliã definitionem Christi, dicas definitio & definitum sunt falsa, ideo hanc definitionem non recipio. Non frustra hoc dico, scio cur tam diligenter vrgeam, vt Christum propriè ex verbis Pauli discamus definire. Est enim reuera Christus non exactor, sed propiciator

cap. 1. 4 fol. Ex Gal. 1.

piciator peccati totius mundi. Quare si peccator es, vt certè omnes semper sumus, ne statuas Christum in Iride iudicem, alioqui pauefies & desperabis, sed apprehende veram eius definitionem, eam videlicet, Quòd Christus, Dei & Virginis Filius, persona sit, quæ non terret, non adfligit, non condemnat nos peccatores, non exigit rationem à nobis malè transactæ vitæ, sed quæ seipsam trâdidit pro peccatis nostris, Atque vnica oblatione aboleuit peccata totius mundi, crucifixit & in semetipso extinxit. Hanc definitionem diligenter disce, & præcipuè hoc pronomen, Nostris, ita exerce, vt hæ duæ syllabæ (nostris) creditæ tuum quoque peccatum totum hauriant & absorbeant, Hoc est vt certissimè noris, Christum non solum quorundam hominum, sed etiam tua & totius mundi peccata abstulisse. Etiamsi omnes homines non hoc credant, tamē traditio facta est pro peccatis totius mundi. Sint ergo peccata tua non solùm peccata, sed verè tua, hoc est vt credas Christum non tantùm pro aliorum peccatis traditum sed & pro tuis. Hoc mordicus tene, neque vllo modo ab hac dulcissima definitione Christi, quæ Angelis etiam in cœlo iucunda est, patiaris te auelli. Nempè quod Christus secundum suam propriam definitionem, non sit Moses, non exactor, non Carnifex, sed propiciator peccatorum, donator gratiæ, iustitiæ, vitæ, qui seipsum dedit, non pro meritis, sanctimonia, iustitia, sancta vita nostra, sed pro peccatis nostris. Interprætatur quidem legem Christus, sed hoc non est proprium & principale eius officium. Hæc, quod ad verba attinet, scimus & loquimur, sed in agone vbi Diabolus obscurare Christum, & ex corde verbum Gratiæ eripere solet, experimur nos ista nondum rectè scire. Qui tum Christum propriè definire posset, & eum magnificare, ac inspicere vt dulcissimum Saluatorem ac pontificem, non vt Seuerum iudicem, is vicisset omnia mala, & iam esset in regno cœlorum. Sed hoc posse in agone præstare, est omnium difficillimum. Ista expertus loquor, Noui siquidem astutias Diaboli, quod non solum legem tunc soleat inflare, vt nos terreat, Item quod ex festuca multas & magnas trabes, hoc est ex non peccato infernum faciat (Est enim mirabilis artifex aggrauandi peccatum & inflandi conscientiam, etiam in benefactis) sed quòd soleat etiam terrere nos per ipsam personam mediatoris, in quam transformat se, Et citato aliquo Scripturæ loco, vel Christi dicto, subitò percellens cor, sic sese nobis ostendit ac si esset verus Christus, sinitq; nos in hoc spectro hærere, quod conscientia iurarèt eum esse Christum, cuius hæc sententia seu dictum sit. Insuper ea est calumniatoris astutia, quòd tantum partem Christi, non totum Christum proponat scilicet eum esse Dei Filium, natum hominem ex virgine. Deinde subitò assuit aliquid alienum, hoc est opponit dictum aliquod Christi, quo ipse peccatores terret. Quale illud est Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Sic veram Christi definitionem, inficiens veneno & vitians, hoc efficit, vt etiamsi credamus Christum Mediatorem esse, tamen reuera conscientia afflicta sentiat, & iudicet eum Tyrannum & iudicem. Hoc modo decepti à Satana, facilè amittimus dulcissimam imaginem Pontificis & Saluatoris Christi, qua amissa, exhorrescimus eum non minus quàm ipsum Diabolum. Atque ea est causa, cur tam vehementer vrgeam, vt benè & propriè Christum definire discatis, ex his verbis Pauli: Qui dedit seipsum pro peccatis nostris. Si seipsum pro peccatis nostris in mortem dedit, tum profectò non est Tyrannus aut Iudex, qui condemnabit nos propter peccata, non est afflictorum contristator, sed lapsorum erector, contritorum propiciator, & consolator.

Alioqui mentiretur Paulus cum dicit: Qui seipsum tradidit pro peccatis nostris. Si sic Christum definio, rectè definio, & verum Christum apprehendo & habeo.

Item

Item omitto ſpeculationes Maieſtatis diuinæ, & hæreo in Chriſti humanitate, Atque ita verè diſco agnoſcere voluntatem Dei, Ibi tum nullus terror eſt, ſed mera ſuauitas, lætitia &c. ſimulq; aperitur lux, quæ oſtendit, cognitionem Dei, mei ipſius omnium creaturarum, & omnis iniquitatis regni Diaboli &c. Nihil noui docemus, ſed vetera & quæ ante nos Apoſtoli & omnes pij Doctores docuerunt, inculcamus & ſtabilimus. Et vtinam benè poſſemus inculcare & ſtabilire, vt non ſolum in ore, ſed in profundo corde, ea benè meditata haberemus, & præcipuè in agone mortis vti poſſemus.

SPIRITVS SANCTVS CVM PATRE ET FILIO VERVS DEVS.

Ex Comment. Ioel. cap. 3. Tom. 4. fol. 803. Omnis vis in eo eſt quod dicit: Effundam meum Spiritum, Petrus immutauit paululum verba de meo Spiritu, ſed res prorſus eſt eadem. Nam omnis vis in pronomine eſt poſita. Id cùm Petrus quoque retinuerit, ſententia manet eadem. Hîc omnium primo obſerua differentiam perſonarum. Audis enim qui promittat ſe effuſurum Spiritum ſuum. Et tamen hoc quod effunditur, non eſt is qui effundit, ſed quiddam differens. Sic enim loqui neceſſe eſt, vt conſtituamus perſonarum differentiam quæ neutiquam confundenda eſt. Sic ſuprà quoque dixit: Gaudete in Deo veſtro, qui vobis dat Doctorem iuſtitiæ. Hic neceſſe eſt conſtituere duas perſonas, Nempe dantis & docentis. Filius qui docet non eſt Pater, qui donat, Doctorem, & Pater qui donat non eſt Filius qui docet. Et tamen dicit Chriſtus ego & Pater vnum ſumus. Non credis Philippe quia Pater in me eſt & ego ſum in Patre? Ad hunc modum hic quoque perſonæ ſunt ſeparandæ, Alia perſona eſt quæ effundit Spiritum, & Spiritus qui effunditur, alia eſt perſona quàm quæ effundit. Hæc certa vera ſunt ac firmiter tenenda: Addendum tamen poſtea eſt, quod non ſimpliciter dicit, Effundam Spiritum, ſed addit meum Spiritum. Eſt igitur hic Patris Spiritus. In Patre autem nihil eſt quod non ſit diuinum, æternum omnipotens. Igitur hic Dei Spiritus, qui non eſt ipſe Pater, eſt æternus & omnipotens Deus.

Vides igitur hic firmamentum Symboli Athanaſij, quo Eccleſia noui Teſtamenti haud ſcio an poſt Apoſtolorum tempora grauius ſcriptum habet. Alia inquit eſt Patris perſona, Alia Filij, alia Spiritus Sancti, ſed Patris & Filij & Spiritus Sancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna, Maieſtas. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus Sanctus, Et tamen non tres increati, immenſi, æterni, omnipotentes, ſed vnus increatus, immenſus, æternus, omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres Dij ſed vnus eſt Deus. Hæc neceſſaria eſt doctrina, non ideo ſolùm quia ſine ea Dei notitia eſſe nulla poteſt, ſed etiam propter inuocationem. Mens enim quoties Deum inuocat, debet animo intueri Deum Patrem, conditorem omnium, Et Filium quem ab æterno gignit Pater, imaginem ſuam, ac deſtinat vt ſit victima pro peccatis, mundi & Spiritum Sanctum, qui procedit à Patre & Filio & vt Ioel hic loquitur: Effunditur à Patre per Filium vt ſanctificet corda.

De Eſſentia Spiritus Sancti plura vide Tom. 1. Germ. fol. 251. Tom. 7. fol. 90. 95. Tom. 3. Germ. fol. 556. Tom. 8. fol. 154. Tom. 6. fol. 579.

DE OFFICIO SPIRITVS SANCTI.

Dei Spiritus cur Sanctus dicatur.

Ex Comment. Ioel. cap. 3. Tom. 4. fol. 804. Scriptura Dei Spiritum Sanctum vocat, vt ſicut Filij officium, in eo oſtenditur quod vocatur Doctor iuſtitiæ, Ita Dei Spiritus ab officio Sanctus vocatur. Quia ſanctificat nos qui per peccatum prorſus

prorſus prophani & impij naſcimur & ſumus. Peccati enim venenum diffuſum, eſt non per corpus tantum, quòd ex immortali vitioſum morbidum & mortale fecit, ſed etiam Spiritum noſtrum corrupit. Nam intellectus amiſit notitiam Dei, vt quaſi cœli in Sole meridiano ambulemus, voluntas autem ſic deprauata eſt, vt perpetuò pugnet cum lege Dei, nec poſsit ei ſubdi. Agimur igitur malo Spiritu, qui & delectatur peccato & iudicium Dei odit. Spiritus autem Dei officium eſt, hæc naturæ mala ſanare, & prophanos animos Sanctificare. Id fit præcipuè tribus rebus. Primùm eximit ex animis ſecuritatem & inſtillat timorem Dei. Nam naturaliter omnes delectamur peccato & ſecurè ei indulgemus. Dauidem vide, is benè ſecum putat actum, quod occiſo vria eius vxorem ſine querela obtinere poſsit.

Quomodo Spiritus Sanctus ſanctificet? tribus modis.

Paulus poſtquam literas impetrauit, vt etiam Damaſci ſeuire in Chriſtianos liceat triumphat, ac ſe beatum ducit. Auarus cùm occaſio inſignis, etiam iniuſti lucri oſtenſa eſt, cupidè eam amplexatur & vrget. Quid multa? vitioſa natura occaſiones peccatorum ſolicitè quærit, & captat ſecura, de Deo & iudicio Dei. Sanctus autem Spiritus hoc primam ſolet, ſecuros animos arguit de peccato vt peccati fœditatem intueantur, & vt pœnas ſecuris peccatoribus inflictas, conſiderent. Hac ratione fit vt odiſſe peccatum incipiamus & emendemus, quæ hactenus impiè facta ſunt, Imò vt cupidè poſtulemus à Deo, & gratiam præteritorum peccatorum, & facultatem verè obædienti voluntati Dei, Etſi igitur peccatum ſolicitare nos non ceſſat, tamen adiuti Spiritu Dei reſiſtimus peccato & id mortificamus. Hæc cùm in animis per Spiritum Sanctum, ſunt facta, non enim humanæ induſtriæ aut ſapientiæ ſunt, Poſtea accendit in animis nouum fidei lumen, vt ſtatuamus per Chriſtum condonata nobis peccata, & placatum nobis Patrem in cœlis. Hoc quoque non naturæ ſed Spiritus Sancti opus eſt. Nam animi cùm peccata ſua intuentur, naturaliter refugiunt à Deo, & metuunt iram eius. Hanc animorum diffidentiam corrigit Spiritus Sanctus oſtendens Chriſti ſacrificium, & excitans per id nos, vt etiamſi peccatorum grauiſsimorum, nobis ſumus conſcij, non tamen fugiamus à Deo, aut diffidamus eius bonitati, ſed cum fiducia ad eum accedamus, propter mediatorem Chriſtum. Hac fide vt ait Petrus purificantur corda & verè Sanctificantur. Quia enim remiſsionem peccatorum, fide accipimus, reputamur per Chriſtum Sancti & iuſti. Fidem autem ſequitur confeſsio ſicut dicit Pſalm. Credo ideo & loquor. Confeſsio autem certa ſecum adfert pericula & tentationes, odit enim eam Satan, & concitat mundum contra pios, qui cùm potentia, dignitate, & opibus valeat, grauiter adflígit Eccleſiam. Hic igitur Spiritus Sancti officium, & beneficium eximiè ſentitur, confirmantis & conſolantis animos in mediis periculis, ne deſperent, aut confeſsionem abijciant. Apoſtoli confirmati Spiritu Sancto minas ſacerdotum contemnunt, potior eis cura eſt docendi alios de Chriſto, quàm ſeruandæ vitæ ſuę. Sancti Martyres, ſicut Prudentius de Laurentio, Agnete & alijs commemorat, in ipſis tormentis inſultat Tyrannis. Stephanus iam lapidandus vitam ſuam negligit, ſolicitus de ſalute, tam ſecurè peccantium. Hęc non humana ſunt ſed certa Spiritus dona, qui ex alto per Chriſtum ad nos venit, ac imbecillam naturam confirmat. Deſtituti autem Spiritu Sancto quid in periculis ſoleant, præſertim cùm mors accedit, notum eſt, Trepidant, querulantur, pauent, nuſquam vident in quo acquieſcant. Hęc naturalia ſunt, ſed Sanctus Dei Spiritus, naturam etiam hac in parte corrigit, & ſanat, non eo modo vt cruciatus mitiget, aut corpora ſine ſenſu mali eſſe faciat (quanquam id quoque alicubi ſolet) ſed vt in ſenſu ipſo mali, non concidat animus & in meliorem ſpem intuentes, ipſi nos conſolemur & erigamus, per inuocationem, ſicut ideo à Zacharia appellatur Spiritus gratiæ & præcum. Gratiæ qui confirmet ani-

i. *Timorem Dei docet Spiritus Sanctus.*

ii. *Accendit fidem.*

iii. *Spiritus Sanctus conſolatur in periculis.*

mos, de remissione peccatorum, per Christum, præcum qui in periculis ad orationem exuscitet, ac spe liberationis præsentia commoda mitiget.

Atque hîc longum agmen virtutum Christianorum, connectitur, libertas in confitendo, patientia in ferenda cruce, Inuocatio cum certa spe liberationis, fides certa de Dei fauore etsi fortuna diuersùm loquatur, Exercitium verbi dum promissionibus infirma fides se erigit. & quis enumeret omnes Spiritus Sancti dotes, in hac nostra imbecillitate? Excitare autem nos hæc debent ad agnoscendam Dei ingentem misericordiam, qui miseros nos peccatores, tot modis amplectitur, iuuat, fouet, regit, tuetur. Non enim satis ei est dedisse nobis corpus, mentem, voluntatem, sermonem, etiam Filium donat, qui docet iusticiam & fit victima pro nobis etiam spiritum suum cœlo demittit, qui morbos naturæ insanabiles, mortiferos & æternos, sanet ac curet. Hunc vult habitare in animis nostris, vt nos regat, gubernet, & seruet, qui tot modis impetimur & sollicitamur contra Deum. Ingens & ineffabilis planè hæc est bonitas, quam si non agnoscimus, si non de ea cogitamus, sæpius & gratias agimus, prorsus ingrati sumus.

Docent autem hæc quoque de vera inuocatione Spiritus Sancti, cuius insigne exemplum proponit Psal. 51. in quo propheta queritur de naturæ miserabili depravatione, per peccatum, quod subinde non solicitat tantum nos, sed vi quoque impellit, contra legem Dei, vnde posteà tot & tam varij etiam in Ecclesia existunt horribiles lapsus, & scandala penè infinita. Quare magna nobis incumbit necessitas, in tot periculis constitutis, sedulò vt pro gubernatione, Spiritus Sancti, Dauidis exemplo oremus.

Is primùm petit abscondi peccata, & deleri iniquitates. Tales enim sumus vt quandiu in hac vita sumus, sine peccatis esse non possimus. Nulla igitur alia medicinæ via relinquitur, quàm vt peccata quæ in nobis sunt, Dominus abscondat & deleat, acquasi claudat oculos, ne cogatur ea videre. In hac indulgentia Dei consistit salus nostra, nobis acquisita per Filium Dei, qui se dedit victimam pro peccatis totius mundi. Quia autem, hunc thæsaurum, vt Paulus vocat, portamus in vasis fictilibus, quæ leui momento franguntur, opus est alio cœlesti dono, Spiritu Sancto, qui nos in hac gratia seruet, ne ab ea excidamus. Ideo pergit Dauid orare: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum firmum restaura in corde meo. Postulat Dauid creari in se cor mundum. Hæc manifesta confessio est quod cor habeat immundum, hoc est dissidens à lege Dei, & quod delectatur peccato. Id cupit mutari, ac creari nouum, vt non amplius immundum sit, hoc est vt immundicies hæc condonetur, ac ad eam rem opus esse dicit, (ruach nacon) Spiritu firmo, qui subinde accendat fidem, ne propter peccata dubitet de beneuolentia Dei, sed vt certam ac perpetuam spem remissionis peecatorum retineat. Vtitur autem verbo (Chiddesch) quod restaurare significat. Quia enim in tanta infirmitate, consistere non possumus quin sæpe labamur, Spiritus Sanctus autem per lapsus contra conscientiam, excutitur. Necessaria hæc præcatio est, vt restauretur subinde in nobis donum Spiritus Sancti, ne dubitemus quin peccata nostra per Christum nobis, remissa sint. Complectitur autem hęc particula fidem, quam supra secundo loco posuimus. Postea Dauid orat pro alio dono, inquiens: Ne projicias me à facie tua & Spiritum Sanctum tuum ne auferes à me. Hîc primum obserua gradus. Est in nobis cor immundum. Fide autem purificans corda, vt etsi peccatum adsit, tamen non imputetur. Quia autem peccatum subinde nos solicitat, & in nobis pugnat contra legem Dei, non solum fide opus est, qua statuamus per Christum nobis condonata esse peccata, sed etiam alio dono Spiritus Sancti indigemus nos vt sanctificet, hoc est vt confirmet nos & excitet ne pareamus

peccato

peccato ſolicitanti Sed ei reſiſtamus & id mortificemus niſi enim id fiat ſi indulſerimus peccato, abijcit nos Dominus à facie ſua, hoc eſt, ſecurè peccantes relinquit ſuis deſiderijs, ſicut exempla ante oculos ſunt. Hoc tantum malum deprecatur Dauid & petit contra id Spiritum ſanctificantem.

Tertiò addit, Redde mihi læticiam Salutis tuæ, & Spiritu prompto confirma me. Hoc nimirum eſt tertium illud de quo ſuprà diximus. Quia enim omnes, qui volunt piè in Chriſto viuere, perſecutionem patientur, hîc quoque Spiritu Sancto nobis opus eſt, qui impleat animos lætícia ſalutis Dei, vt quanquam variè exercemur in hoc mundo, tamen nos certa ſalute per Chriſtum parta conſolemur. Hoc enim eſt, quæ Paulus ait: Spes non confundit. Cum hac ſpe coniungit Dauid (Ruah nediba.) promptum, voluntarium, liberalem Spiritum, qui non defatigetur ferenda cruce. Ea enim eſt fortuna piorum, vt tentatio tentationem excipiat, ſicut illuſtri figura Pſal. 41. oſtendit. Comparat enim Eccleſiam nauigio in procelloſo mari, quod fluctus ſubinde ex omni parte concutiunt, nec finis eſt periculi, vna procella alteram vrgente, ſicut dicit, abijſſus abijſſum vocat. Oportet igitur Spirtum eſſe (nadib.) non humilem & abiectum, qui ad primum impetum cedat, ſed generoſum, altum, infractum, qui non defatigetur periculis, ſed promptus & alacris ſit.

Ad hunc modum nos quoque quotidie orare decet, vt & augeat Dominus in nobis fidem & Spiritu ſuo adiuuet, ne cedamus peccato, ſed contra peccatum pugnantes, triumphemus. Tertiò, vt in cruce ſimus alacres, & conſtantes, nec defugiamus vlla pericula propter confeſsionem. Niſi enim adiuuerit nos Dei Spiritus, impoſsibile eſt nos conſiſtere. Meritò autem reprehendimus ſinguli noſtram ignauiam. Quotus enim quiſq; de his periculis aut cogitat aut ſolicitus eſt? Quam multos inuenias paſsim, qui nunquam Spiritum Sanctum inuocarunt? Excitemus igitur nos, & hoc Filij Dei munus quod pro nobis accepit à Deo Patre, vero corde petamus, & dabit nobis Dominus Spiritum ſuum, qui hoc pacto gubernet, tueatur, & confirmet nos ſicut dicit Chriſtus: Pater meus dabit Spiritum Sanctum petentibus ſe Luc. 11.

Vt autem hoc quoque addam de in inuocatione, nulla differentia eſt, ſiue à Patre, ſiue à Filio Spiritum Sanctum poſtules. Nam eſt Spiritus, qui procedit à Patre & Filio. Ideo Chriſtus vtrumque dicit, Iohan: 14. Spiritus quem mittet Pater in nomine meo. Item rogatus à me, dabit alium paracletum. & Act. 2. dicit Petrus: Chriſtus accepit promiſsionem Spiritus à Patre. & Pſal. 68. Accepiſti dona pro hominibus. Rectè igitur petitur Spiritus Sanctus à Patre, ita tamen, vt in nomine Chriſti petas, hoc eſt, vt propter Chriſtum hoc donum donari tibi petas. & Iohan: 16. dicit Chriſtus: Niſi ego abiero, non veniet ad vos paracletus, Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et Cap. 15. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam nobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. Rectè igitur à Chriſto hoc beneficium petes, Nec eſt differentia, ſiue dicas: Aeternæ Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, dona mihi Spiritum Sanctum tuum, qui accendat in me fidem, gubernet & confirmet me, &c. Siue dicas: ô Fili æterni Patris Ieſu Chriſte, dona mihi Sanctum Spiritum tuum. Eccleſiæ autem exemplo inuitamur ad ipſius Spiritus Sancti inuocationem. Sic enim orat: Veni Sancte ſpiritus reple tuorum corda fidelium. Et citat Baſilius Euſebij paleſtini verba, Sanctum Deum lucis conditorem per Saluatorem noſtrum Ieſum, cum Spiritu Sancto inuocantes. Hæc Eccleſiæ teſtimonia, etſi non extarent, tamen ſatis firma & certa ratio eſt, quod qui confitentur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, hi etiam cum vnam perſonam tantùm nominant, tamen Deum ſe inuocare norunt. Sicut Eccleſia baptiſa-

uit in Christi nomine. Hæc attingere paucis libuit, ne simplices dum orant, sibi laqueum nectant.

Diximus hactenus, quid sit Spiritus Sanctus, & cur mittatur Spiritus Sanctus. Deinde exemplo Dauidis ostendimus, quæ beneficia Spiritus sint roganda. Restat iam quarta particula, vt etiam de mediis, & quasi instrumentis doceamus per quæ Spiritus Sanctus est efficax. Est autem hæc quoque doctrinæ pars admodum necessaria. Nota enim sunt non Monachorum tantùm somnia, qui ieiunijs & orationibus se præparabant, sed etiam aliorum (qui purioris doctrinæ possessionem sibi sumebant) phanaticæ opiniones. Hi enim neglecto Ministerio, quod Deus in sua Ecclesia esse voluit, abdebant se in angulos, & vacabant contemplationibus, nescio quibus, eoq; modo expectabant promissionem Spiritus per certos gradus, quos portentosis nominibus appellabant. His rationibus tantùm profecerunt, vt non sancto, sed alio malo spiritu implerentur, qui attonitos, & tantùm non fatuos efficiebat. Sicut nota sunt exempla in ijs locis, ubi Muntzerus, Carlstadius, Storchius, & alij phanatici homines docuerunt, ac maior pars postea ad Anabaptistas, nihilo illis saniores, transierunt. Hisce erroribus occurrendum, & de tantis rebus ex Scriptura certa testimonia petenda sunt.

Memineris igitur, quæ suprà de Spiritus Sancti certis & indubitatis operibus diximus, Quòd primum accendat in animis fidem, ne propter peccata desperent. Secundò, adiuuat nostrum Spiritum, vt resistamus peccato, & mortificemus peccatum. Tertiò, consolatur in rebus aduersis. Nam, si quid naturæ soleamus, interroges, notum est peccati sensum parere desperationem, notum est, & delectari nos peccato, & in periculis concidere animos ac trepidare. Hanc naturæ depravationem corrigit Spiritus Sanctus & sanat, non in ijs, qui monasticas præparationes & solitarias contemplationes secuti sunt, sed qui studiosè audierunt verbum Dei. Vide enim Matthæum publicanum, cur relinquit quæstuosum, & peccatis plenum vitæ genus, & se adiungit ad Christum? Nonne, quia Christum sollicitè audiuit? Sic peccatrix mulier, cùm antea occasiones peccatorum studiosè sectata esset, & vltrò captasset, anxia plorat, dolet de admissis peccatis, & quærit rursus Christum etiam in aliena domo, in corona grauium virorum, quo accedere saltem pudor, si quis inesset, proluberet, Ac secura de iudicio aliorum, cupit audire vocem de remissione peccatorum. Quis ita mutauit animum eius? Nonne verbum, quod ex Christo audiuit? Zachæus quoq; delectatus hactenus iniustis lucris, dimidiam bonorum partem promittit pauperibus, Defraudatis autem restaurationem.

Paulus quoque cum arderet ira contra Christianos, ad Christi vocem, statim fit alius, & promittit se facturum imperata, & omissurum institutas rationes. Sic tria millia Iudæorum ad Petri concionem respondent, Quid faciemus viri? Ergo verbum Dei instrumentum perpetuum est, per quod mouere, accendere, illuminare homines, vult Deus, imò prorsus mutare, vt qui hactenus fuerunt securi, primò incipiant metuere iram Dei, & iudicium, ac emendent vitam. Deinde qui fuerunt pauidi ob metum iudicij Dei, vt se consolentur sacrificio Filij Dei contra peccatum. Tertiò, vt etiam in periculis, & in ipsa morte, spem Salutis retineant.

Sic Paulus dicit, Rom. 10. Fides est ex auditu, Auditus autem ex verbo, constituenda tamen hic definitio verbi est. Lex etiam est verbum Dei, sed per eam, dicit Paulus, in Galatis, Spiritum Sanctum non dari, sed per verbum Euangelij. Ideò dicit Esaias: Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem. Verè enim Ministerio Ecclesiæ, nihil suauius, nihil præciosius, quod affert Spiritum Sanctum, qui fidem &

fidem & noticiam Dei accendit, mortificat peccatum, & consolatur in periculis. Est enim sicut pluuia, quæ nunquam cadit in aridum locum, quin sequatur certus fructus. Si igitur donum Spiritus Sancti consequi optas, si optas familiæ & liberorum certam emendationem, hanc viam insiste. Audi verbum studiosè, adhibe tuæ fidei creditos ad verbum. Solus enim Spiritus Sanctus est, qui corda peccato vitiata, sanat, sanat autem per verbum Euangelij, in quo arguimur peccati, iusticiæ, & iudicij, peccatum cùm audimus in nobis esse, consternimur animis, & pauemus, Iustitia autem Filij Dei nos contra peccatum erigimus, & certam retinemus salutis spem in omnibus periculis. Scimus enim Principem mundi iudicatum & victum, qui nocere amplius non potest his, qui sunt in Christo Iesu, etsi tentare & molestare eos possit, & crebrò soleat.

Sorrò cum de verbo Euangelij loquimur, etiam Sacramenta includimus. Habent enim annexam promissionem Spiritus Sancti & remissionis peccatorum. Ideò Petrus cùm interrogaretur, quid faciendum esset, respondet: Agite pœnitentiam, & baptisetur vnusquisque in nomine Iesu. Et Christus dicit: Nisi quis renatus fuerit per aquam & Spiritum, non veniet in regnum Dei. Hæc manifesta sententia est, Spiritum Sanctum per Baptismum velle efficacem esse in animis, sicut Petrus quoque dicit, Et accipietis donum Spiritus Sancti. Atq; hæc quoq; causa est, cur ad Baptismum, exemplo Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ adhibemus etiam infantes. Quia enim certum est, Spiritum Sanctum per aquam Baptismi efficacem velle esse, statuimus tamẽ non impediri Spiritus Sancti actionem per infantium ἀναισθησίαν, quam nos adulti nostris viribus & sensibus, Spiritus Sancti opus non reddimus perfectius.

Extant autem exempla etiam nondum natos in vtero materno sanctificatos esse, imò etiam Christi noticiam habuisse. Quia autem certum est, Spiritum in infantibus immundum esse, propter peccatum, cur inuideremus eis sanctificationem, quam Christus cum aqua Baptismi promittit, & sine qua saluos eos fieri impossibile est?

Maneat ergo hæc sententia rata & firma, quòd Spiritus Sanctus per Ministerium Ecclesiæ, hoc est, per prædicationem Euangelij & Baptismum contingit. Inde petant eum, quotquot potiri eo cupiunt. Non negligant publicos coetus, vbi Euangelij vox sonat, Adiungant vota sua ad Ecclesiæ, in nomine Christi congregatæ, preces, ac cùm audiunt sacras conciones, petant diserte, Spiritus Sanctus vt eas infigat animis, & digito suo in corda nostra scribat. Sicut Hieremias promittit futurum, cùm docebitur Euangelium, vt inscribatur Lex Dei in carnem & corda nostra, non vt Lex Mosi in dura saxa. Sed hîc & de nostra imbecillitate & insigni Dei bonitate, Imò vt Paulus dicit, de immensis misericordiæ diuitijs cogitemus. Induit nos Baptismus pura & immaculata veste, per Christum enim condonatur quicquid in nobis vitiosum est. Sicut autem per lubrica & immunda luto loca qui ambulant, facilè aut labuntur, aut polluuntur ab alijs: ita sæpè excidimus à Gratia, & amittimus per peccata contra conscientiam admissa Spiritum Sanctum. Sic accidit Dauidi, ideò agnoscens periculum, orat, ne tollat Dominus Spiritum Sanctum suum. Hic quoque cauit nobis misericordia diuina. Nam per Christum datæ sunt Ecclesiæ claues, vt dubitantes de remissione peccatorum suorum, audiant sententiam Christi, quam pronunciari vult super omnes, qui & dolent de peccatis suis, & ijs leuari cupiunt. Clauium igitur vsus etiam eò pertinet, vt restauretur in nobis donum Spiritus Sancti, ac accendatur extincta per peccatum fides.

Ad hunc modum cœna quoq; à Saluatore noſtro inſtituta eſt, in qua duæ res nobis exhibentur. primùm corpus & ſanguis Chriſti cum pane & vino. Deinde ſignis promiſsio, quæ ſingulis cœna vtentibus, dicit corpus Chriſti pro nobis traditũ, & ſanguinem eius ad remiſsionem peccatorum noſtrorum effuſum. De hac promiſſione ne dubitent animi, ſingulis cœna vtentibus, ipſum precium pro peccatis traditum exhibetur, vt tantò ſtatuant & credant certius pro ſe datum corpus Chriſti, & ſanguinem pro peccatis noſtris effuſum. Hæc quoque via eſt, qua ad remiſſionem peccatorum pateſit aditus, & ad donum S.S. recuperandum, quia mittitur per peccata contra conſcientiam admiſſa. Sicut autem ſupra diximus, S.S. non venire ſolùm, ſed adducere ſecum agmen pulcherrimarum virtutũ, Ita hîc quoq; dico, qui cupiunt ſeriò inuocare Deum, qui cupiunt mortificare carnẽ, & præſtare patientiam in cruce, nec frangi animis, Hi ſedulò hoc agant, vt verbum ſtudioſè audiant & crebrò vtantur tum clauibus, tum cœna Domini. Non enim nuda aut ocioſa ſpectacula ſunt, ſed inſtrumenta, per quæ Spiritus Sanctus in nobis eſt efficax, & ſanctificat nos. Qui igitur hiſce mediis vtuntur rarius, aut etiam, quod multi faciunt, leuiter de toto Miniſterio ſentiunt, Hos certum eſt non bono, ſed malo ſpiritu agi, vtcunq; pallient factum ſuum.

SIGNA PRAESENTIAE SPIRITVS SANCTI.

Ex Commentarijs ad Galat. Cap. 4. Tom. 4. folio 121. 122. 123. Spiritus Sanctus dupliciter mittitur. In primitiua Eccleſia manifeſta ac viſibili ſpecie miſſus eſt, Quomodo deſcendit ad Iordanem ſuper Chriſtum, in ſpecie Columbæ, ſuper Apoſtolos & alios credentes in ſpecie ignis. Iſta fuit prima miſsio Spiritus Sancti, neceſſaria in primitiua Eccleſia, quam manifeſtis ſignis fundari oportebat, propter infideles, vt Paulus teſtatur, Corint. decimoquarto. Linguæ inquit ſigni vice ſunt, non ijs qui credunt ſed incredulis, poſteà verò vbi Eccleſia fuit congregata & iſtis ſignis confirmata, non opus erat iſtam viſibilem miſsionem Spiritus Sancti perdurare. Altera eſt qua Spiritus Sanctus, per verbum mittitur in corda credentium, vt hic dicitur, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda, &c. illa fit ſine viſibili ſpecie, quando videlicet per verbum vocale concipimus ardorem & lucem, qua alij & noui efficimur, qua nouum iudicium noui ſenſus & motus in nobis oriuntur.

Iſta mutatio & nouum iudicium non eſt opus humanæ rationis, aut virtutis, ſed donum & effectus Spiritus Sancti, qui cum verbo prædicato venit, qui fide purificat corda, & Spirituales motus in nobis parit. Ideo maxima differentia eſt inter nos, & eos qui vi & dolis Euangelium perſequuntur, Nos gratia Dei certò ſtatuere & iudicare poſſumus, ex verbo de voluntate Dei erga nos, Item de omnibus Legibus & Doctrinis, de vita noſtra & aliorum.

Contra Papiſtæ & fanatici Spiritus, de nulla rè certò iudicare poſſunt. Hi enim deprauant & peruertunt, illi verò perſequuntur & blaſphæmant verbum, ſine verbo autem nihil certi de vlla rè iudicari poteſt.

Licet autem non appareat coram mundo, nos renouatos eſſe mente, & Spiritum Sanctum habere, tamen ipſum iudicium, locutio & confeſsio noſtra ſatis arguit, Spiritum Sanctum cum ſuis donis in nobis. Nam anteà prorſus de re nulla

rectè iudicare potuimus. Non sic locuti & confessi sumus, omnia nostra esse peccata, & damnata, solum Christum esse meritum nostrum, congrui & condigni, vt nunc lucente veritatis Sole, facimus. Quare nihil nos moueat quòd mundus, cuius opera testificamur esse mala, iudicet nos esse hæreticos pestilentissimos, & seditiosos homines, euersores Religionis & publicæ pacis, obsessos à Diabolo, qui ex nobis loquatur & omnes actiones nostras gubernet. Contra hoc peruersum iudiciũ mundi, satis sit hoc testimonium conscientiæ nostræ, quo certò scimus diuinum esse donum, quòd non solum credimus in Iesum Christum, sed palam eum etiam prædicamus & confitemur coram mundo. Vt corde credimus ita ore loquimur iuxta illud Psalm. Credidi ideo locutus sum. Ego autem humiliatus sum nimis.

Exercemus deinde nos ad pietatem & vitamus peccata quantum possumus. Si peccamus non consultò, sed per ignorantiam peccamus, & dolemus. Labi possumus, quia Diabolus insidiatur nobis dies noctesq; , Item reliquiæ peccati hærent adhuc in carne nostra. Quantum igitur ad carnem attinet, peccatores sumus, etiam post acceptum Spiritum Sanctum. Nec ita magnum est discrimen inter Christianum & hominem ciuiliter bonum. Nam opera in speciem vilia sunt, facit officium iuxta vocationem suam, gubernat Rempublicam, regit domum, colit agrum, consulit, largitur, & seruit proximo. Ea opera carnalis homo, non magnifacit sed putat esse vulgaria, & nihili, quæ laici, imò Gentiles etiam faciant. Mundus enim non percipit ea quæ spiritus Dei sunt, ideo peruersè iudicat de operibus piorum. Monstrosam illam hypocritarum superstitionẽ, & eorũ electitia opera, non solum admiratur etiam religiosè de eis sentit, & ea magnis impensis fouet. Contra piorũ opera (in speciem quidem vilia, & exilia, tamen verè accepta Deo cùm fiant in fide, lætitia, animi obedientia & gratitudine erga Deum,) tantum abest vt agnoscat esse bona, vt etiam vituperet & damnet ea tanquam summam impietatem & iniustitiam. Ideo mundus nihil minus credit quàm nos habere Spiritum Sanctum. Tempore tamen tribulationis, seu crucis & confessionis fidei, (Quod proprium & præcipuum opus est credentium) cum vxor, liberi, res, vita relinquenda sunt, aut Christus negandus est, palam fit nos virtute Spiritus Sancti sconfiteri fidem, Christum, & verbum eius.

Non debemus igitur dubitare Spiritum Sanctum habitare in nobis, sed certò statuere, & agnoscere nos esse templum vt Paulus ait Spiritus Sancti. Nam si aliquis sentit amorem erga verbum, & libenter audit, loquitur, cogitat, dictat, & scribit de Christo, is sciat hoc non esse opus humanæ voluntatis, aut rationis sed donum Spiritus sancti. Impossibile est enim ista sine Spiritu Sancto fieri. Contra vbi odium & contemptus verbi est ibi, Diabolus Deus huius seculi regnat, excæcat & captiua tenet corda hominum, ne illis fulgeat lux Euangelij, gloriæ Christi. Id quod hodie in vulgo videmus qui nihil afficitur verbo, sed securissimè cõtemnit, ac si prorsus nihil ad se pertineret. In quibus verò est aliqua flamma & suspirium erga verbum, illi agnoscant cum gratitudine, istum affectum per Spiritum Sanctum sibi infusum esse. Cum isto enim affectu non nascimur, neque vllis legibus erudiri possumus, vt eum acquiramus. Hæc planè & simplicitur mutatio est dexteræ Excelsi. Itaque, cùm libenter audimus prædicari de Christo, Filio Dei, qui propter nos factus est homo, & subiecit sese legi, vt nos redimeret, tum Deus per & cum ista prædicatione certò mittit. S. S. in corda nostra. Ideo maximè expedit pijs scire, se Spiritum Sanctum habere. Hæc dico pro confutanda Sophistarum & Monachorum pernitiosa doctrina, quam docuerunt & statuerunt, videlicet, Neminem certò posse scire, etiamsi pro virili sua benè operetur & inculpatè viuat, vtrum in gratia sit. *Contra dubitationem Papisticam.*

Et ista sententia vulgatissima, & receptissima, fuit principium & articulis, quidam Fidei in toto papatu, quo doctrinam fidei prorsus obruerũt fidem euerterunt cõscientias perturbarunt, Christum ex Ecclesia sustulerunt, omnia beneficia & dona Spiritus Sancti obscurarunt, & abnegarunt, verum cultum Dei abrogarunt, Idolatriam contemptum, & blasphæmiam Dei in cordibus hominum erexerunt. Nam qui de voluntate Dei erga se dubitat, & non certò statuit se esse in Gratia, is non, potest credere se habere, remissionem peccatorum se Deo curæ esse, se posse saluari.

Doctrina Sophistarum de dubitatione quantũ damni det in Ecclesia.

Augustinus rectè & piè dicit, vnumquemque fidem suam, certissimè videre, si eam habet. Hoc ipsi negant, Absit aiunt vt certò statuam quòd sim in Gratia, quòd sim sanctus, quòd habeam Spiritum Sanctum, etiamsi sanctè viuam & omnia faciam. Hanc impiam opinionem qua totum Regnum Papæ nititur, vt nocentissimam pestem vos iuniores fugite, & exhorrescite, quia ea nondum imbuti estis. Nos senes in ea à puero educati sumus, eamque ita imbibimus, vt coaluerit, in imis visceribus cordis nostri, ideo nõ minori labore dediscimus eam quàm veram fidem discimus. Omninò autem nos certò statuere oportet, quòd simus in Gratia, quòd placeamus Deo propter Christum, quòd habeamus Spiritum Sanctum. Qui enim Spiritum Christi non habet hic non est eius. Deinde quicquid dubitans cogitat, loquitur & operatur, peccatum est, Quia omne quòd non fit ex fide peccatum est. Quare siue sis verbi minister, siue gubernes Rempub. certò statuere debes, tuum officium placere Deo. Illud autem, nunquam statuere poteris nisi habeas Spiritum Sanctum. At dicis, Non dubito, officium placere Deo, quia est ordinatio diuina, sed de persona dubito an illa placeat? Hîc consulenda est Theologia, quæ præcipuè hac agit vt certos nos reddat, quod non solum officium personæ, sed etiam persona ipsa Deo placeat. Quia persona baptizata est credit in Christum, sanguine eius ab omnibus peccatis mundata est, viuit in societate Ecclesiæ. Item non solùm amat puram verbi doctrinam, sed vehementer etiam gaudet eam propagari, & numerum credentium augeri. Contra odit Papam & fanaticos Spiritus, cum impia sua doctrina, Iuxta illud: Iniquos odio habui legem autem tuam dilexi. Ideo statuere certò debemus, non solum officium nostrum placere Deo, sed etiam personam nostram. Quicquid ea etiam priuatim dixerit, gesserit, cogitauerit, placet Deo. Non quidem propter nos, sed propter Christum, quem, credimus pro nobis factum esse sub legem.

Sumus autem certissimi, Christum placere Deo eum Sanctum esse &c. Quatenus igitur placet Christus, & in eo hæremus, eatenus nos Deo placemus ac Sancti sumus. Et quanquam hæreat peccatum adhuc in carne, & præterea etiam quotidie adhuc labamur, tamen Gratia vberior & potentior est peccato, Misericordia & veritas Domini super nos regnat inæternum. Quare peccatum non potest terrere, aut dubios nos reddere de gratia Dei in nobis. Christus enim Gigas potentissimus, sustulit legem, peccatum damnauit, mortem & omnia mala abolevit, donec ille est in dextera Dei, interpellans pro nobis, non possumus de gratia Dei erga nos dubitare.

Testimonia interna & externa nos esse in gratia, & habere Spiritum Sanctum.

Deinde quoque misit Deus, Spiritum Filij sui vt Paulus hîc ait, in corda nostra. Christus autem certissimus est in Spiritu suo se Deo placere, &c. Ideo & nos cùm eundem Spiritum Christi habeamus, debemus certi esse, nos esse in gratia, &c. propter eum qui certus est. Hoc de testimonio interno, quo cor certissimè statuere debet, se esse in gratia, se habere Spiritum Sanctum. Externa vero signa, vt supra dixi sunt: libenter audire de Christo, docere, gratias agere, laudare, cõfiteri eum, cum dispendio etiam rerum & vitæ. Deinde secundum vocationem pro virili facere officiũ in fide, gaudio, &c. non delectari peccatis nõ irrumpere in alienam vocationem sed pro-

sed propriæ seruire, adiuuate fratrem egentem, consolari tristes &c. Istis signis certi reddimur & confirmamur à posteriori, nos esse in gratia. Imaginantur & impij se ista signa habere, sed nihil minus habent. Ex his satis constat, Papam sua doctrina tantùm perturbare & ad extremum in desperationem adigere conscientias. Quia non solùm docet, sed etiam præcipit eas ambigere &c. Ideo in ore eius vt Psamus ait nihil est certi. Et alibi, Sub lingua eius est labor & dolor. Videmus autem hîc quanta sit adhuc infirmitas in pijs. Nam si certò possemus statuere nos esse in gratia, nobis peccata esse remissa, nos habere Spiritum Christi, nos esse Filios Dei, tum profectò læti ac Deo grati essemus, pro hoc innerrabili dono. Quia verò sentimus contrarios, motus, timorem, dubitationem, tristiciam, &c. Ideo non audemus hoc certò statuere. Imò conscientia iudicat magnam præsumptionem ac superbiam esse, hanc gloriam sibi arrogare. Ideo res, ista tum demùm rectè intellígitur, cùm ad vsum transfertur. Sine experientia enim nunquam discitur. Quare vnusquisque adsuefaciat se quòd certò statuat se esse in gratia, & personam suam placere cum operibus. Si autem sentit te dubitare, exerceat fidem & luctetur contra dubitationem, ac nitatur ad certitudinem, vt dicere possit scio me acceptum esse, Spiritum Sanctũ habere. Non propter meam dignitatem aut meritum, sed propter Christum, qui propter nos subiecit se legi, & tulit peccata mundi. In hunc ego credò, si ego peccator sum & erro, ipse iustus est errare non potest. Deinde libenter audiò, lego, canto, scribo de eo, nihil magis cupio quàm Euangelium ipsius innotescere mundo, & multos conuerti.

Hæc certò testantur Spiritum Sanctum adesse. Talia enim non fiunt humanis viribus in corde, nec vllis exercitijs, aut laboribus acquiruntur, sed per Christum contingunt, qui primùm notitia sui iustificat nos. Deinde creat cor mundum, parat nouos motus, donat certitudinem, illam qua statuimus nos placere Patri propter ipsum. Donat item certum iudicium, quo probamus ea, quæ prius ignorabamus aut prosus contemnebamus. Debemus igitur, quotidie magis magisque luctari ab incertitudine ad certitudinem, & operam dare vt istam pestilentissimam opinionem (quòd homo dubitare debeat de gratia Dei) quæ totum mundum deuorauit funditus extirpemus. Nam si dubitemus nos esse gratia, nos placere Deo propter Christum. Negamus Christum nos redemisse, Negamus simpliciter omnia eius beneficia. Vos iuniores facilè puram Euangelij doctrinam capere & illam pestiferam opinionem vitare potestis, Quia nondum estis infecti.

Clamantem Abba Pater) Potuisset Paulus dicere: Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, inuocantem Abba Pater, sed consultò dicit clamantem, vt indicaret tentationem Christiani, qui ad huc infirmis est, & infirmiter credit. Rom. 8. vocat hunc clamorem gemitum inenarrabilem, Similiter & Spiritus adiuuat infirmitates nostras, inquit: Nam quid oremus, vt oportet, nescimus, sed ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. &c.

Est autem grauissima consolatio, quòd Paulus hic dicit Spiritum Christi, missum à Deo in corda nostra, clamare Abba Pater, &c. Item Rom. 8. adiuuare infirmitates nostras & intercedere pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui hoc certò crederet ille in nulla adflictione quantumuis magna deficeret. Sed multa hanc fidem impediunt. Primùm quòd cor nostrum natum est in peccatis. Deinde quòd hoc malum nobis naturaliter ingenitum est, quòd de diuino fauore erga nos dubitamus, non possumus certò statuere nos placere Deo, &c. Præter hæc obambulat aduersarius noster Diabolus, edens terribiles rugitus & dicit: Tu es peccator ideo Deus irascitur tibi & damnabit te in æternum.

Cõtra hos maximos & intollerabiles clamores, nihil planè habemus, quo nos erigamus &

gamus & ſuſtentemus, niſi nudum verbum, quod proponit nobis Chriſtum victorem peccati, mortis & omnium malorum. Sed huic adhærere firmiter in iſto certamine & pauoribus conſcientiæ, hoc opus, hic labor eſt. Nulli ſenſui tunc oſtenditur Chriſtus, Non enim videmus eum, non ſentit cor in tentatione eius præſentiam & auxilium, imò tunc apparet Chriſtus iraſci nobis & deſerere nos. Deinde ſentit homo in tentatione vim peccati, infirmitatem carnis, dubitationem, ſentit ignita tela Diaboli, terrores mortis, ſentit iram & iudicium Dei. Iſta omnia fortiſsimos ac horribiles clamores edunt contra nos, vt nihil prorſus videatur reliquum quàm deſperatio ac mors æterna. At in mediis iſtis terroribus legis, tonitruis peccati, concuſsionibus mortis, & rugitibus Diaboli, incipit clamare (ait Paulus) Spiritus Sanctus in corde noſtro Abba Pater. Et clamor ipſius longiſsimè ſuperat, & perrumpit clamores fortiſsimos ac horribiles legis, peccati, mortis, Diaboli, &c. penetrat nubes & cœlum, ac pertingit vſque ad aures Dei &c. Significat ergo Paulus his verbis, infirmitatem adhuc in pijs eſſe. Idem docet Rom. 8. cùm ait Spiritus adiuuat infirmitates noſtras. Cùm igitur ſenſus contrariorum fortis ſit apud nos, hoc eſt cum plus ſentiamus Deum iraſci, quàm fauere nobis, &c. Ideo mittitur Spiritus Sanctus in corda noſtra, qui non ſuſpirat, non inuocat, ſed fortiſsimè clamat Abba Pater, & intercedit pro nobis ſecundum voluntatem Dei, gemitibus inenarrabilibus. Quomodo? In ſerijs pauoribus & certaminibus conſcientiæ, apprehendimus quidem Chriſtum, & credimus eum Saluatorem noſtrum. Sed lex tum maximè terret & peccatum conturbat nos, impugnat denique Diabolus nos omnibus machinis ac ignitis telis ſuis, & conatur totis viribus eripere nobis Chriſtum, & omnes conſolationes excutere. Ibi parum abeſt ne ſuccumbamus & deſperemus. Sumus enim tum arundo illa contrita, & linum fumigans. Interim tamen Spiritus Sanctus adiuuat infirmitates noſtras, & interpellat pro nobis gemitu inenarrabili, datque teſtimonium Spiritui noſtro, quod ſimus Filij Dei. Hoc modo in terroribus erigitur mens, ſuſpirat ad Saluatorem ac Pontificem ſuum Ieſum Chriſtum, vincit infirmitatem carnis, atque iterum conſolationem concipit, & dicit Abba Pater. Iſtum ergo gemitum quem nos vix ſentimus, vocat Paulus clamorem & gemitum inenarrabilem, qui replet cœlum & terram. Deinde etiam clamorem & gemitum Spiritus vocat, quia nobis infirmis & tentatis, excitat Spiritus hunc clamorem in corde noſtro.

Vt maximè igitur lex, peccatum, Diabolus, magnos & terribiles edant contra nos clamores, qui videntur totum cœlum & terram replere, ac longiſsimè vincere gemitum cordis noſtri, tamen non poſſunt nocere nobis. Nam quò plus hi hoſtes noſtri inſtant, accuſant & cruciant nos ſuis clamoribus, hoc magis ingemiſcentes apprehendimus Chriſtum, corde & ore inuocamus eum, hæremus in eo, & credimus eum pro nobis factum ſub legem, vt nos à maledicto legis redimeret, vtq; peccatum & mortem deſtrueret. Atq; ſic apprehenſo Chriſto fide, clamamus per eum Abba Pater, Isque clamor noſter longè ſuperat, clamorem Diaboli, &c. Verùm vſque adeo non putamus iſtum gemitum, quem edimus in his terroribus, in hac imbecillitate noſtra eſſe clamorem, vt ægrè deprehendamus eſſe gemitum. Fides enim noſtra quæ ſic in tentatione aſpirat ad Chriſtum, infirmiſsima eſt, quantum ad ſenſum noſtrum attinet. Ideo hunc clamorem non audimus. Verbum ſolum habemus quo apprehenſo in illa lucta reſpiramus paululum ac ingemiſcimus, Hunc q; noſtrum gemitum, aliquo modo ſentimus, clamorem verò non audimus. Ille vero inquit Paulus qui ſcrutatur corda, intelligit quid Spiritus deſideret, &c.

Huic cordium ſcrutatori, iſte exilis, vt nobis apparet gemitus, eſt fortiſsimus clamor, & inenarrabilis gemitus, in cuius comparatione maximi, & horhorribiles rugitus legis, peccati, mortis, Diaboli, inferni, prorſus nihil ſunt, nec audiri

nec audiri possunt. Non frustra ergo Paulus hunc gemitum, pij cordis afflicti vocat clamorem & gemitum inenarrabilem Spiritus. Replet enim totum cœlum, ac tam fortiter clamat, vt Angeli putent se nihil vsquam audire, præter istum clamorem.

Contra, apud nos est omninò contrarius sensus, non videtur iste exiguus noster gemitus, ita penetrare nubes, quod solus audiatur in cœlo, à Deo & Angelis, imò putamus, præsertim durante tentatione, Diabolum horribiliter contra nos rugire, cœlum mugire, terram tremere, omnia collapsura esse, omnes creaturas minari malum, infernum aperiri, ac velle nos deglutire. Hic sensus est in corde nostro, has horribiles voces, hanc terrificam faciem nos audimus & videmus. Atq; hoc est quod Paulus 2. Corinth. 12. dicit: Potentiam Christi in infirmitate nostra perfici. Est enim Christus tum verè omnipotens, tum verè regnat ac triumphat in nobis, quando nos tam infirmi sumus, vt vix gemitum edere possimus. Verùm Paulus dicit eum gemitum in auribus Dei esse fortissimum clamorem, qui totum cœlum ac terram repleat. Vocat & Christus Lucæ decimo octauo in Parabola de iniquo iudice istum gemitum cordis pij, clamorem & talem clamorem, qui indesinenter die ac nocte clamet ad Deum, cùm inquit: Audite quid iudex iniquus dicat, Num igitur Deus non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte & patientiam haberet super illis? Dico vobis citò faciet vindictam illorum. Nos hodie in tanta persecutione, & contradictione Papæ, Tyrannorum ac fanaticorum Spirituum, qui impugnant nos à dextris & sinistris, nihil possumus, quàm edere tales gemitus, ac isti fuerunt bombardæ ac instrumenta nostra bellica, quibus dissipauimus tot annis consilia aduersariorum, quibus demoliri cœpimus Antichristi regnum, illi etiam prouocabunt Christum accelerare Diem aduentus sui glorioſi, quo abolebit omnem principatum, potestatem ac virtutem, ponetque omnes inimicos sub pedes suos, Amen. Item Exod. 14. loquitur dominus Mosi ad mare rubrum, dicens: Quid clamas ad me? Certè Moses non clamabat sed tremebat ac penè desperabat. Erat enim in summis angustijs. Incredulitas videbatur regnare in eo, non fides. Videbat enim populum Israel ita montibus, exercitu Aegyptiorum ac mari conclusum, vt nusquam posset aufugere.

Hic Moses ne mutire quidem audebat, quomodo igitur clamauit? Quare non debemus iudicare secundum sensum cordis nostri, sed secundum verbum Dei, quod docet Spiritum Sanctum, ideo donari adflictis, conterritis, desperabundis, &c. vt eos exigat ac consoletur, ne in tentationibus & omnibus malis succumbant, sed ea vincant, non tamen sine maximis pauoribus & laboribus. Papistæ somniarunt, Sanctos ita habuisse Spiritum Sanctum vt nunquam senserint, aut habuerint tentationem. Hi speculatiuè tantum, vt & hodie fanatici homines de Spiritu Sancto loquuntur. Sed Paulus dicit: Virtutem Christi in nostra infirmitate perfici. Item Spiritum Sanctum adiuuare infirmitatem nostram, & interpellare pro nobis gemitu inenarrabili &c. Ergo tum maximè habemus opus Spiritus Sancti auxilio & consolatione, tumq; maximè adest nobis, cùm maximè sumus impotentes, ac desperationi proximi. Si quis forti ac læto animo mala perfert, in eo iam fecit officium suum, Spiritus Sanctus, In his autem proprie exercet opus suum, qui vehementer conterriti sunt, & appropinquauerunt vt Psalmus ait vsque ad portas mortis. Vt de Mose iam dixi qui videbat præsentissimam mortem in aquis & quoquò vertebat vultum. Fuit igitur in summa angustia & desperatione, proculque dubio sensit in corde fortissimum clamorem Diaboli, contra se, dicentis: Iste totus populus hodie peribit, nusquam enim potest elabi. Huius maximi mali tu solus eris autor, quia eduxisti eum ex AEgypto. Adhæc accessit clamor populi qui dixit: An non erant sepulchra in Aegypto?

In quibus Spiritus Sanctus officium suũ faciat, & quo tẽpore.

Tu ideo

Tu ideo eduxisti nos vt hîc moreremur in deserto. An non melius fuisset seruire Aegyptijs, quàm hic miserè nos mori in deserto? Ibi Spiritus Sanctus non fuit speculatiuè in Mose sed reuera, qui pro ipso interpellauit gemitu inenarrabili, vt suspiraret ad Deum & diceret: Domine tuo iussu eduxi populum fer igitur opem. Hunc gemitum vocat Scriptura clamorem. Ista copiosius tractaui vt clarè ostenderem quod sit officium Spiritus Sancti, & quando hoc præcipuè exerceat. Debemus igitur in tentatione nullo modo iudicare, de illa re ex sensu nostro, seu ex clamore legis, peccati, Diaboli, &c. si hic sensum nostrum sequi, & istis clamoribus credere volumus, iudicabimus nos destitutos omni auxilio Spiritus Sancti, ac planè proiectos à facie Dei. Quin potius meminerimus tunc quod Paulus dicat, Spiritum adiuuare nostras infirmitates &c. Item clamare Abba Pater, hoc est, edere infirmissimum quendam singultum ac gemitum cordis, vt nobis apparet, qui tamen sit coram Deo maximus clamor, & inenarrabilis gemitus. Quare in omni tentatione ac infirmitate tua, hære saltem in Christo ac geme is dat Spiritus Sanctus qui clamat Abba Pater. Isq; exiguus, gemitus, in auribus Dei fortissimus est clamor & ita cœlum & terram replet, vt præter eum Deus nihil audiat, præterea compescit omnes omnium aliarum rerum clamores.

Obseruabis etiam quòd Paulus dicit Spiritum non multis verbis, aut longa oratione intercedere pro nobis, in tentatione, sed tantùm gemitu, inenarrabili tamen, nec voce fortiter testari clamorem cum lachrymis & dicere: Miserere mei Deus, &c. Sed tantûm ipsam clamoris, ac gemitus vocem edere, quæ est Ah Pater, Quæ quidem breuissima vox est, sed omnia complectitur. Non os sed adfectus ibi loquitur ad hunc modum. Etiamsi angustia sint mihi vndique & videar desertus, ac prorsus à facie tua proiectus, sum tamen Filius, tu Pater, propter Christum, sum dilectus propter dilectum. Quare vocula Pater formaliter dicta in corde, est eloquentia, quam Demosthenes, Cicero, & quiq; eloquentissimi qui vnquam fuerunt in mundo, non possunt exprimere. Res ista non verbis sed gemitibus exprimitur, qui omnibus verbis omnium Rhetorum non exprimuntur. Sunt enim inenarrabiles.

QVAESTIO D. M. L. PROPOSITA IN DISPVTAT. *de operibus Legis & gratiæ anno 1537.*

QVAERO AN SPIRITVS SANCTVS ADSIT IN NOBIS ESSENTIALITER, *an verò virtualiter.*

Responsio.

Magister Sententiarum ex lib. primo distinct. 17. sentit, quòd charitas qua diligimus Deum & proximum sit Spiritus Sancti essentia. Sed hæc eius sententia reprobata est à Theologis Parisiensibus. Querit idem Magister sententiarum, & alij multi, sit ne in nobis Spiritus Sanctus per substantiam suam, an verò per operationem tantum. Hac de re multæ sunt opiniones multorum. Ego sic respondeo, Spiritus Sanctus manifestauit se Prophetis, in commotione & sibilo, Apostolis in linguis igneis, Christo in specie columbæ. Sicut Pater fuit præsens, & coram loquens cum baptizaretur Filius, Iesus Christus in Iordane, sicut Filius Dominus & Seruator noster adfuit σωματικῶς, corporaliter, & substantialiter. Ita quoque Spiritus Sanctus adfuit. Ita & nunc reuera adest & operatur in nobis per Verbum & Sacramenta, Spiritus Sanctus, suis inuolucris tectus & vestitus, vt possit capi ab hac valetudinaria, infirma & læprosa natura, ac intelligi à nobis. Si veniret ad nos in sua Maiestate, non possemus eum capere, & hanc tantam lucem ferre. Itaque venit ad nos per Prophetias, adest verè corporaliter, seu substantialiter, & operatur in nobis

per Verbum

per verbum & sacramenta. Hæc enim nunc eius sunt inuolucra. Oculi nostri sunt mali, hæbetes, lippi, obscuri, non possent eum aspicere. Ideo vt iam dixi tectus ad nos venit, facit nobis nebulam & vmbram, sicut dicit ad Mariam, Spiritus Sanctus obumbrabit tibi. Post hanc verò vitam (vt anteà quoque dixi) videbimus eum, sicut est, & feremus suam maiestatem. Nam tum oculi nostri erunt purgati, & cor nostrum innouatum. Neque tantum venit ad nos, sicut artifex aliquis, qui ædificat domum, & posteà abit & tradit eam alteri possidendam, sed semper adest nobis, fulcit & conseruat nos, **Denn er hat immerdar an vns zu halten/vnd wie an einem alten bösen Peltz zu flicken.**

Itaque cùm infundit nobis fidem, spem, charitatem, modestiam, libertatem, beneficentiam, longanimitatem, non discedit, sed manet in nobis, **Es were denn daß wir jn selber mutwilliglich mit vnsern Sünden von vns jagten.** Hoc tantum bonum, summa cum veneratione & gratiarum actione agnoscendum est, & cauendum nè amittamus. Et vt Spiritus Sanctus nobis adest, ita adest Pater, Filius, in suis involucris concluſi & tecti, veluti puer in fascijs.

REGVLAE DE DEO.

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS.

Vbi Deus aut Dij loquitur de Deo, ibi exprimuntur tres personæ & vnus Deus. Deum autem cui faciendum est altare, intelligimus Filium Dei, qui est vnus & verus Deus cum Patre & Spiritu Sancto. Sicut suprà de viro luctante cum Iacob diximus. Hæc nos erudiunt & confirmant egregiè. Moses enim non fuit ebrius cùm hæc traderet, nec Spiritus Sanctus qui per eum locutus est. Et siue Angelus siue Moses loquatur nobiscum, est Dei verbum, Hoc igitur vult dicere dominus, si celebraueris illum Deum, qui apparuit tibi in Bethel, celebrabis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Quando enim dicitur Elohim, Dij locutus, significatur pluralitas personarum in diuinitate. Genes. cap. 35. Tom. 3. fol. 194.

ALIA REGVLA.

Hæc generalis regula est, omnibus in Psalmis et tota Scriptura obseruanda. Quòd in veteri Testamento non erat Deus, nisi in Zion, seu loco tabernaculi, & quòd omnes orationes ad Deum sedētem & habitantem inter Cherubim fiebant, destructo autem templo hoc, posuit Deus aliud templum, quod est Christus, in quo vult quæri, adorari, coli. Extra hoc templum non est Deus, sed Diabolus queritur ac inuenitur. Et animi aut in desperationem incidunt, si accedat conscientia mala, Aut in præsumptionem per hypocrisin, sicut idolatræ Iudæi, & nostri Papistæ præsumunt multum de sua iustitia & Dei fauore. Tom. 4. lenen. fol. 490. Psalm. 130.

ANTHROPOMORPHITAE IMMERITO DAMNATI.

Decretum damnat ἀνθρωπομορφίτας, quòd de Deo loquerentur tanquam de homine, tribuerent ei oculos, aures, brachia &c. Iusta verò damnationis causa. Quomodo enim aliter homines inter homines de Deo loquantur. Quod si hoc modo de Deo sentire hæresis est, profectò actum est de salute puerorum omnium, ita puerliter de Deo cogitantium & loquentium. Sed mitte pueros & da mihi Doctorem doctissimum, quomodo is aliter de Deo docebit & loquetur?

Iniuria igitur bonis hominibus facta est, quod cùm crederent Deum omnipotentem & saluatorem, Ideo tamen damnati sunt, quod dicerent Deum habere oculos, quibus aspiciat egenos, habere aures quibus audiat orantes, &c. Quomodo

enim ſubſtantiam ſpiritualem hæc noſtra natura poteſt intelligere. Et Scriptura paſſim hoc ipſo genere ſermonis vtitur. Igitur immeritò ſunt damnati, & laudandum potius eſt ſtudium ſimplicitatis, quod in doctrina maximè neceſſarium eſt. Neceſſe enim eſt, vt Deus cum ſe nobis reuelat, id faciat per velamen & inuolucrum quoddam & dicat: Ecce ſub hoc inuolucro me certò apprehendes. Id inuolucrum cùm amplectimur, cùm ibi adoramus, inuocamus, ſacrificamus, Deum inuocaſſe, Deo ſacrificaſſe rectè dicimur.

Sic non dubium eſt primos Parentus adoraſſe Deum mane cùm ſed oriretur, admirantes creatorem in creatura, vel vt clarius dicam per creaturam admoniti. Poſteri morem retinuerunt, ſed ſine intellectu, ita in idolatriam iſte mos abijt. Cauſa huius non eſt ſol ipſe, qui eſt bona Dei creatura, ſed quod doctrina paulatim extincta eſt, quam Satan non poteſt ferre. Sic cùm Heuam abduxit Satan à verbo, ſtatim in peccatum prolapſa eſt.

Vt igitur redeam ad Anthropomorphitas, nequaquam eos damnandos cenſeo, quia etiam Prophetæ pingunt Deum ſedentem in Solio. Hoc cùm audiunt ſimplices, ſtatim cogitant de Solio aureo, mire ornato, quanquam ſciam nihil tale materiale eſſe in cœlo. Sic Eſaias dicit ſe vidiſſe Dominum in ampliſsima veſte, qua Deus in abſoluta ſeu intuitiua viſione non poteſt pingi nec cerni. Ideo tales figuræ Spiritui Sancto placent, & opera Dei proponuntur quæ apprehendamus. Talia ſunt quòd condidit cœlum & terram, quòd miſit Filium, quòd per Filium loquitur, quòd baptizat, quòd per verbum à peccatis abſoluit. Hæc qui non apprehendit, is Deum nunquam apprehendet. Genes. Cap. 1. fol. 4.

CVR PROPHETAE MALA A DEO VENIRE DICANT.

Eſt autem hic magnus ſcrupulus, cur Prophetæ ſingulari ſtudio hoc obſeruent, vt pronuncient mala ab ipſo Deo venire, cum tamen verum ſit, Deum per ſe mala nonfacere, ſed vti medijs inſtrumentis. Nam ſic in Hiob dicit Dominus Tu: me coegiſti vt eum afflígerem fruſtra. Hiob. 2. Cùm tamen hiſtoria clarè oſtendat, Diabolum incendiſſe Domum occidiſſe liberos, Suaſiſſe deſperationem & murmur contra Deum. Hæc inquam verè Diaboli opera ſunt, & tamen dicit Dominus: Ego adflixi eum. Ad eundem modum dicit hic Dauid quoque: Tu contriuiſti oſſa mea, cum tamen Deus nihil aliud fecerit, quàm quòd ſubtraxerit manum & Spiritum ſuum, & reliquerit Dauidem exercendum ignitis telis Satanæ, quibus cor ita impleuit triſtitia & deſperatione, quibus ita perturbauit & confudit mentem vt nullus pateret exitus, Eſt enim pater mendacij & homicida. Tale inſtrumentum ſeu medium eſt lex quoque, per quam accuſantur & damnantur peccata. Vtitur autem his medijs Deus ideo, vt humiliet nos & eximat præſumptionem noſtrorum operum, vt ſimpliciter diſcamus nos ſola gratia & benignitate Dei viuere.

Sed reſpondeamus ad argumentum Cur iſta tribuuntur Deo, cùm ea propriè non faciat, Sed vtatur medijs ſuis, Satan occidit, lex accuſat & tamen Deo vtrumque tribuunt ſacræ literæ. Eius rei hæc cauſa eſt, vt retineamur in articulo fidei noſtræ, quòd tantum ſit vnus Deus, ne cum Manichæis plures faciamus Deos. Hi enim ponebant Duo principia, quorum vnum bonum, alterum malum eſſet. In bonis currebant ad bonum Deum, in malis ad malum Deum. Vult autem Deus nos tum in ſecundis, tum in aduerſis rebus in ſe vno habere fiduciam. Non vult nos inter eos eſſe, de quibus Eſaias dicit: Non eſt populus cõuerſus ad percutientem ſe. Nam hoc ſolet natura noſtra, in ſubitis terroribus & periculis à verò Deo auerti tur, quia credit eum eſſe iratum ſicut Hiob, Es mihi factus in crudelem Hoc autem eſt

alium fin-

alium fingere Deum, & non manere in simplicitate fidei, quòd sit vnus Deus. Neq; enim Deus est crudelis, sed est Pater consolationis. Quia autem suspendit auxilium, ideo mox corda nostra, ex Deo semper sui simili, & constanti, faciunt idolum iratum Hoc volunt Prophetæ prohibere, cùm vno ore dicunt: Ego Dominus qui creo bonum & malum. Ne cogitemus, cum Sol impeditur nubibus, omninò Solem è mundo sublatum, aut ex lucido corpore atrum & obscurum factum esse, retinet enim Sol lumen suum, sed nubibus impedimur nos, ne id possimus videre. Sic Deus est bonus, iustus & misericors, etiam cum percutit. Qui hoc non credit, is discedit ab vnitate fidei, quòd sit vnus Deus, & fingit sibi alium Deum, qui sui sit dissimilis, iam bonus, iam malus. Sed donum insigne Spiritus Sancti est, credere Deum cùm mala immittit, esse propitium & misericordem. Tom. 4. Ienens. Psal. 51. fol. 401.

SOPHISTARVM CAECITAS ET ERROR DE DEO ET EIVS VOLVNTATE.

Theologistæ nostri multa disputant de definitionibus personalibus diuinitatis, &c. Sed illa omnia rationis sunt humanæ, quæ sine verbo & vera Dei noticia cogitantur, nunquam eò deueniunt vt aut doceant aut cogitent, quid Deus nobiscum agat. Hinc sunt istæ horrendæ sententiæ, inter ipsos notissimæ. Nescit homo, vtrum amore vel odio dignus sit, & similes, sed quæso quid hoc est de Deo disputare, si nescias quid de te cogitat aut constituat? Hoc verò est Deum sic concludere & abscondere, vt nusquam eam nec audias nec videas, Verbum itaque est, ex quo statuere possumus de voluntate Dei quid nobiscum gerat, quid ei placent, quid velit, &c. Qui ad hanc cognitionem non veniunt, sunt Theologi haud multò meliores, quàm asinus Cytharedus. Itaque illam ignorantiam & fœdam inscitiam, secuta sunt alia æquè absurda, vt crederent se Deo placituros, si hunc aut alium ordinem vitę Monasticę susciperent, si huius aut illius Sancti Patrocinium peregrinationibus compararent, &c. Hoc chaos infinitorum errorum & malorum sequitur, vbi non est verbum & vera Dei noticia, quæ tantum ex verbo sumi potest. Hoc amisso nescitur quid Deo placeat aut displiceat, sequuntur igitur illa monstra idolatriæ, quæ in papatu experti sumus. Tom. 4. Ienens. fol. 431. Psal 3. Grad.

ACTIONES SEV OPERA DEI COMMVNIA.

OPERA DEI VIDENTVR RATIONI STVLTA ET absurda. Gene. Cap. 40. Tom. 4. fol. 56

Initium operationis Diuinæ hoc est, quòd auertit faciem suam, nec videtur esse Deus sed Diabolus. Sic in præsenti Historia facies eius conuersa est ad meretricem & Tyrannum, hos solos fouet neglecto Ioseph. Sicut Hieremias quoque queritur: Propè es tu ori eorum. Ideo iactitant Deum sibi adesse propitium & faciem. **Hie wonet Gott schreyen sie.** Sed Ioseph, Iacob, Abraham non habent in se conuersam hanc faciem. **Da heist hie wonet der teuffel**/faciem meam non videbis &c. Quia sic consueuit Deus ducere & gubernare suos. Sicut in Cantico Habacuc describitur: Semitæ tuæ in aquis multis & vestigia tua nō cognoscuntur. Item Esaiæ 36. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Et Christus ad Petrum inquit: Quòd ego facio tu nescis modo, scies autem posteà. **Du wilt mir** in faciem **schenn** / vis me facere quod tibi commodum & bonum videtur. Verùm Sic agam, vt videatur tibi fatuus aliquis hæc fecisse non Deus, **Du solt mir inn rucken sehen / nicht inn das angesicht.** Non debes videre opera & consilia mea quibus te fingo & refingo in beneplacitū meum.

Es ſoll dich nerriſch duncken. Non aliter ea accipies & intelliges, acſi eſſent mors & Diabolus ipſe.

Diſcamus igitur hanc regulam & ordinem gubernationis Sanctorum vſitatum Deo. Nam & ego ſæpe certas rationes conatus ſum Deo præſcribere, quibus vteretur in ad miniſtratione ſiue Eccleſiæ, ſiue aliarum rerum. Ah Domine, Dixi, hoc velim ita fieri hoc ordine, hoc euentu, &c. Sed Deus prorſus contrarium faciebat ab eo quod petiueram. Ibi tum cogitabam. Atqui meum conſilium non eſt alienum à gloria Dei, ſed plurimum faciet ad Sanctificandum nomen, colligendum & augendum regnum tuum, ad noticiam verbi propagandam, breuiter, pulcherrimum eſt, & optimè cogitatum. Sed riſit haud dubiè dominus hanc ſapientiam, ac dixit: Age verò noui te eſſe prudentem & eruditum, Sed mihi nunquam hic mos fuit, vt aut Petrus, aut D. Martinus, aut quiuis alius me doceret, formaret, gubernaret, duceret. Non ſum Deus paſsiuus, ſed actiuus, qui conſueui ducere regere, formare.

Acverò moleſtum admodum eſt, quod ſapientia mea tantum eſt paſsiua, & quòd eam mortificare & occidere iubeor, ac propterea ſanè multi horribiliter lapſi ſunt, cùm hanc mortificationem non poſſens ferre.

Superbis reſiſtit. Hac Dei iudicium & ſingularis gubernatio eſt, qui deponit potentes de ſede & exaltat humiles. Neq; enim vult nec poteſt ferre ſuperbiam. Quin potius eoſdē deijcit & euertit, quos paulò ante in ſedē collocauerat. Vtrumq; enim facit, erigit humiles, & collocat in ſedem, & eoſdam præcipitat ex ſede.

Quare autem hoc facit Deus, & quare ſecum ipſe pugnat? Reſpondeo. Quos propter humilitatem exaltat, eoſdem propter ſuperbiam deponit. Nullus Imperator tam potens eſt, quem non poſsit humiliare. Ac facillius ei eſt Monarcham aliquem euertere, quam mihi muſcam accidere. Sic enim inquit ad Saulo: Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, &c. Sed nunc ſuperbis, nec obedis voci meæ, ideo te depono. Eſt igitur Dei hoc opus, exaltare humiles, & econtra. Idem teſtantur omnes omnium gentium hiſtoriæ. Cōſtituit inquit Daniel, & tranfert regna. Dum ſunt reges humiles, tuetur eos, & conſeruat regnum. Quando ſuperbiunt & perſequuntur Sanctos ſuos, tranfert. Genes. cap. 26. T. 3. f. 50.

Ponit modum & terminum tentationi. Exemplum Laban inſigne eſt, quo docemur quomodo poſsit Deus frenare impetus & furores Diaboli & membrorū eius, ne pro libitu ſuo ſæuiant. Sic enim Deus frangit & reprimit animum Laban iam inflammatum, vt ne mutire quidem aduerſus Iacob auderet.

Idq; nobis in conſolationem proponitur, vt certam ſpem habeamus in bonitate & miſericordia Dei, qui vt inquit Paulus fidelis eſt, qui non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, Sed dat vnà cum tentatione exitum, vt poſsimus ſuſtinere. Deus imponit modum tentationi, ne ſupra vires, aut vltra voluntatem & conſilium ipſius tentemur. Diabolus & Laban certa ſententia definierant, Iacob meritum eſſe extremum ſupplicium. Mitigaſſent autem pœnam, ſed ita ſi in perpetuam ſeruitutem ſe dedidiſſet cum tota familia quæ ſeruitus ipſa morte fuiſſet acerbior. Verùm dum de opprimēdo eo cogitant, adeſt Deus & conſilia ac conatus crudeles diſsipat.

Nequaquam hoc facies Laban, inquit. Imò ne verbum quidē aſperius aut acerbius cum eo commutabis. Sic ponit terminum furori eius, quemadmodum de fluctibus & procellis marinis. Deus ad Hiob loquitur: Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, Et dixi vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Mare enim vento & tempeſtatibus agitatum intumeſcit, ac minatur, quaſi aggeri ſiue littori circumfuſo, fluctibus ſuis turgentibus, tanquam iam exundaturum per omnes regiones terræ, ſed ego poſui ei terminum inquit Deus, Ideò littus non metuit minas & tumorem maris. Sic Diabolus inſurgit ad-

git aduersus Ecclesiam, & dira minitatur, ac molitur vim & exitium pijs, sed qui posuit terminum mari, hos quoq; fluctus componit, ne possit grassari pro libitu Satan. Ad hunc modum totum impetum & furorem Laban reprimit Deus vno somnio, & tam placidum reddit quàm ouem, quantumuis inuitum & frementem. Nõ enim permittit Deus, hos qui credunt & habent verbum eius, adfligi aut tentari supra vires. Est fidelis custos eorum, qui custodiunt & seruant verbum eius. Nouem conuentus acti sunt ab eo tempore, quo cœpit Euangelium renasci & adfulgere Germaniæ, aduersarijs horribiliter furentibus & dira minitantibus. Quin Augustæ apertè dixerunt, **Sie wolten gut vnd blut zusammen setzen.** Ac sanè viuos deglutiuissent nos, sicut in Psalmo dicitur, nisi Deus nos seruasset, & consilia eorum fecisset irrita. Quoties vidimus tumultuantem Incendiarium, & pessima quæque molientem, donec electus est sua ditione. Sic deinceps plura tentabunt, nec quiescent, donec Turca eos dissipet. Genes. cap. 31. Tom. 3. fol. 138.

Corrigit errata Sanctorum. Hoc est opus & artificium Dei, vt corrigat & emendet, quod errore Iacob perditum erat. **Er kan böse sachen gut machen / wenn wirs verderbet vnd verwahrloset haben.** Sicut in tanta infirmitate rerum humanarum, non possint etiam Sancti esse sine multis & magnis lapsibus. Ego sanè sæpe multa imprudenter & stultè egi, de quibus postea vehementer conturbatus sum. Nec poteram videre, quomodo eluctarer aut extricarer rebus impeditis mea stulticia. Sed Dominus inuenit modum & viam, vt corrigeretur erratum. Ita Raheli ex inconsiderata permissione mariti, fuit ingens & certum periculum creatũ. Quæ enim erat immanitas nequissimi hypocritæ, aut sęuijsset in filiã, aut generum, pro salute aut vita eius dedi sibi voluisset in seruitutem. Sed Deus sic gubernat Sanctos suos, vt errent & hallucinentur quidem, sed exitus tamẽ sint salutares, aut sine magno detrimento. Omnia enim cooperantur electis, & his qui credũt in bonum, etiam errores & peccata, hoc est certissimum. Quia Deus solet ex nihilo facere omnia. Ideo ex malo potest elicere & producere bonum. Sicut Augustinus in primis hac cogitatione delectatur. Tanta inquit Dei bonitas est, vt nullum malum permitteret fieri, nisi illud verteret in bonum. Genes. cap. 31. Tom. 3. fol. 144.

Numerat lachrymas. Non solum vigilantes & operantes Deus custodit & curat, sed etiã in somnis, cum nihil agimus, quando nescimus nos viuere, tum obseruat nostra somnia, numerat omnes curas & gemitus etiam dormientium. Equidem odi carnem meam, quod hæc scio vera esse, & ijs tamen non seriò adsicior. Quem enim tanta cura & solicitudo Dei pro nobis non moueat, quod non tantum capitis capillos, verum etiã lachrymas numerat & colligit in vtrem. vt testatur Psal. 56. Numera fugas meas, repone lachrymas meas in vtrem tuum, certò tu numeras. **Kein trenichen muß vmb sonst geschehen/ Es wird angesetzet mit grossen mechtigen Buchstaben** in cœlo. Non igitur frustra gemimus, lachrymamur, patimur, omnia sunt scripta & annotata in Cõmentarijs Dei, **das heist ja genaw darein gesehẽ/** Deus nõ à lõgè, sed prope nos intuetur, & numerat meas phãtasias & cogitatiões, tristiciam & dolores etiã noctu, & vult remunerari longè opulẽtius, quã ego petij aut intellexi. Hinc Paulinũ illud natum est, quod perpetuò animis nostris obuersari debebat, Nimis exiguũ & leue est, quod patimur, cum sciamus maiorẽ fore gloriam & redemptionẽ, quã vllis cogitationib. aut verbis consequi possimus, & tamen leue illud & minutũ obseruat Deus.

Cuius igitur culpa fit, vt tam misere excruciemur & angamur? nimirum imbecillitatis fidei, spei, ac maliciæ carnis. **O schlag todt lieber Herre Gott/ sol ich ein solchen Gott haben/** qui adeò curiosus est, vt etiam noctu dormientem & somniantem custodiat. An non satis est, quod vigilantes tuetur, & dirigit gressus nostros, insuper etiã quietem & somnia curat? Illud certè est Deum propicium & custodientem habere, qui non permittit, vt capillus de capite cadat, vel vt stillet pupilla oculi, aut certè sin-

gulas guttas labentes ex oculis, in numerato habet, **Weinestu/so hat er ein gülden Becken oder Schüssel/vnd fecht die threnen auff.** At cuius lachrymas colligit? Peccatorũ. Quis? Deus Creator omnium. Hæc igitur sæpe cogitanda erant ad excusitandam fidem, spem, & charitatem in nobis, cum habeamus verbum, exempla, & propriam experientiam immensæ bonitatis Dei. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 66.

Destruit consilia sapientißima & infirma erigit. Non est consilium contra Dominũ, quando vult nos adfligere. **Es hilfft kein** consilium, **kein** ratio, **kein** sapientia contra Deum, **wenn er vns plagen wil.** Erat sanè hoc consilium Iacob optimum & sapientissimum, sed fuit infœlix **es hilfft nicht.** Quia Dominus est destructor sapientissimorum consiliorum, & ædificator infirmissimorum, desperatissimorum, reiectissimorum. Idque requirit à nobis, quod mandauit in Psal. 50. & alibi. Inuoca me in die tribulationis, & ego exaudiam te. Item cõmenda Domino viam tuam. Reijce in Dominum curam tuam, & ipse faciet. Quando enim desperata & conclamata sunt omnia, & iuxta 107. Psal. Omnis sapientia eorum deuorata est, **wenns alles verderbt ist/daß man schreiet wir müssen verderben vnd zu grund gehen/** ibi adest Deus, & dicit: Nolo te in consilijs tuis quantumuis splendidis, iuuari, aut perire. Possum enim destruere pulcherrima consilia, & abiectissima excitare & adiuuare. Sic in præsenti exemplo, res erant desperatissimæ, ipsi consilij & auxilij inopes, putabant se damnatos, & iamiam perituros esse, sed mox sequetur illud: Ego sum Ioseph, ad hanc vnicam vocem reuiuiscunt, & instaurantur miserrima & perditissima consilia. Antea verò secuti erant, neque quicquam periculi metuebant. Sed Deus inuenit culpam & causam contra eos rebus optimè deliberatis & constitutis. Confidendum itaque est Deo, etiã cũ sumus instructi consilijs prosperrimis & prudentissimis, neq; desperandum est, quando sapientia & ope humana destituimur. Sed sic statuamus: Credo in Deum omnipotentem, qui pulcherrima consilia potest redigere in nihilũ, & cõmutare in infernum, & vicissim ex abiectissimis cœlum facere, quia est Creator omnipotens. **Ich kan jm nicht zu tieff fallen/er kan mich herauß heben. Ich kan jm nicht zu hoch sitzen/er kan mich stürtzen.** Ergo nõ est quod præsumamus & superbiamus de sapiẽtia nostra, aut de peccatis desperemus. Quia ipse est supra & extra & infra omnia. Corã eo omnia sunt nihil & nihil est omnia. Viuificat enim mortuos, & vocat ea quæ non sunt, vt sint. Ge. c. 42. T. 4. f. 99.

Addit & frangit animum præliantibus. Exod. 15. Dominus vir bellator, Dominus nomen eius. **Wenn der ins feldt kompt/so hüte sich Roß vnd Mann.** Econtra scriptum est de eo, Psal. 76. Qui aufert Spiritum principum, & est terribilis Regibus terræ. Tum sanè infœliciter pugnatur, quia ibi confregit potentias, arcum, scutum, gladium, bellum. Dormierunt somnum suum, &c. **Lassen Harnisch vnd Spieß fallen.** Ac adfirmant rei militaris periti, ante prælium siue conflictũ, certis signis deprehendi posse, vter exercitus sit victurus. In altero enim qui profligandus est, silentium & stuporẽ quendam deprehendi, cùm in equis tùm in viris, non exaudiri vllum fremitum, aut clamorem hominum aut equorum. In altero verò miram esse alacritatem ad confligendum, & animum quodammodo præsagientem, ac promittentem sibi victoriam. Quia Dominus est vir bellator, qui gubernat manus ad prælium & dando, & auferendo Spiritum principum. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 77.

Benefacit impijs propter pios. Solet Deus etiam indignos & impios benedicere, propter vnum aliquem pium & bonum virum. Sicut suprà Iacob, ad socerũ suum dixit: Modicum habebas cum venirẽ ad te: sed Dominus ad pedem meum te locupletauit: Interea dũ in domo tua cucurri & laborauí, multiplicata est substantia tua. Vt igitur Iacob fuit benedictio in domo Laban: sic Ioseph apud Dominum suũ Aegyptium. **Das ist vnsers Herrn Gottes weise.** Ita diligit suos qui inuocant eum, & expectant ab eo auxilium & dona, vt propter vnum aliquem hominem, toti terræ benefaciat. Quanquam Ioseph ipse nihil accipit, sed manet seruus, nisi fortè manumissus sit, cum præficeretur domui & rebus Potipharis.

Quic-

Quicquid verò boni accidit, toti mundo agnoscendum est, & prædicandum gratis animis, & sciendũ, Deum & pacem & alia beneficia præstare multis millibus causa electorum suorum. Tametsi ijs quidem non parcit, sicut Ioseph seruire sinit tot annis, & tandem pro præcio seruitutis in carcerem conijci summa ignominia. Sic nimirum remunerat sanctissimos, qui plurimum prosunt, imò ipsa benedictio mundi sunt, die kriegen so schendlichen lohn. Diligenter igitur obseruandum est, Deum benedicere impijs propter Ecclesiam. Si enim absque ea esset, & nisi doceretur & discereturr Euangelium, iam diu perijsset mundus. Sic nobiscum hodie Deus est, habemus enim verbum & sacramẽta, loquitur & operatur per nos, multos liberat à morte & æterna damnatione, nos sumus saluatores mundi: Et quicquid boni habet Germania, non suæ potentiæ, non virtuti, non sapientiæ, sed abiectis, contemptis & maledictis illis hominibus, qui dicuntur Christiani acceptum ferat.

Papa & cardinales ac tota illa camarina pessimorum hominum, fruitur gloria opibus, potentia, voluptatibus, tantùm beneficio Euangelij, atque idem nostri homines fateãtur oportet. Et tamen illi hoc summis viribus agunt, vt nobis debitã gratiã referant ferro, igni, fame & omnis generis exquisitis supplicijs. Quin nostros auditores vide. Rustici & nobiles, ciues & Magistratus diripiunt ac spoliant eos ipsos, quos alere, iuuare, ac fouere accõtribuere debebant, ad sustentãdam Ecclesiam, vnde tota ipsorum salus pendet. Es muß so sein da wird nicht auß. Gen. cap. 39. T. 4. fol. 45.

DE CREATIONE.

QVOD MVNDVS NON EXTITERIT AB AETERNO, SED COEPERIT.

Deus hanc sapientiæ maiestatem & sanum intellectum huius capitis, sibi soli reseruauit, relicta ista generali noticia nobis, quòd scimus mundum cœpisse, & conditum esse per Deum ex nihilo. hæc generalis noticia ex textu clarè sumitur Genes. Cap. 1. fol. 1. Et paulò post. Nos ex Mose scimus, mundum ante sex millia annorum nondũ extitisse. Id Philosopho homini nullo modo poterit persuaderi. Quia secundum Aristotelem, primus homo & vltimus non potest dari, Quanquam autem Aristoteles, relinquit dubium Problema hoc esse. An sit mundus æternus, tamen in eam sententiam inclinat quod sit æternus. Neque enim humana ratio altius potest ascendere, quàm vt statuat mundũ esse æternum, & infinitos homines processisse nos, ac sequi, hic cogitur subsistere. Sed ex hac ipsa sentẽtia, sequitur periculosissima opinio, Quòd anima sit mortalis, Quia Philosophia nescit plura infinita. Necesse enim est rationem humanam maiestate harum rerum obrui & impingere.

Plato fortasse, vt videtur, collegit in Aegypto scintillas, quasi ex Patrũ & Prophetarum sermonibus, Ideoq; accessit propius. Is materiam quidem ponit & Ideam æternam, mundum autem dicit cœpisse & factum esse ex materia. Sed desino Philosophorum opiniones allegare, nam istas Lyra recitat, quanquam non explicat.

QVIS CREAVERIT VNIVERSA.

Genes. Cap. 1. fol. 1. Scimus mundum conditum esse per Deum, Item. Decalogus & tota scriptura testatur, Deum sex diebus fecisse cœlum & terrã & omnia quę in eis sunt. Et paulò post, Omnia quæ sunt à Deo creata sunt.

Instrumentum autem seu medium, quo Deus vsus est, est eius omnipotens verbũ, quòd cum Deo fuit ab initio, & sicut Paulus loquitur, ante constitutionẽ mundi. Ergo quod dicit Paulus, per Ipsum sunt condita omnia (vtitur enim præpositione, in Ebreorũ more pro per, sic enim Ebrei vsurpant literã Beth) & similia loca ex hoc loco Mosi sunt desumta, qui loquitur de verbo prolato, quo iubetur & precipitur aliquid.

Id verbum est Deus, & est omnipotens verbum, prolatum in diuina essentia. Hoc proferre nemo audiuit, nisi Deus ipse, hoc est, Deus Pater Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Ac dum prolatum est, generata est lux, non ex materia verbi, nec

ex natura dicentis sed ex tenebris ipsis, sic vt Pater intus diceret, & foris fieret statim, atq; existeret lux. Hoc modo etiam alia creata sunt postea. Genes. Cap. 1. fol. 6.

CREATIO EST OPVS TOTIVS TRINITATIS.

Augustinus & Sancti Patres præcipuè obseruarunt, quòd Moses his tribus verbis vtitur, Deus dixit, fecit, vidit. Quasi hoc modo, tres diuine maiestatis personas voluerit ostendere. Verbo dicit significatur Pater, ille generat verbum in æternum, & in tempore, constituit per illud verbum, hunc mundum. Ideo accommodarunt Filij personæ verbum Fecit. Filius enim in se habet exemplar, non solùm Maiestatis diuinæ, sed etiam exemplar omnium rerum creatarum, ideo dat esse rebus. Et sicut à Patre res dicuntur, ita per Filium & verbum illud Patris res omnes subsistunt, Adiungitur autem his tertia persona Spiritus Sancti, qui res creatas videt & probat Genes. Cap. 1. Ibidem Magnis Ecclesiæ consensus est de mysterio trinitatis hîc prodito. Pater per Filium quem & verbum Mose vocat, creat cœlum & terram ex nihilo His Spiritus Sanctus incubat, sicut enim Gallina incubat ouis, vt pullos excludat, oua calefaciens, & calore quasi animans: Ita Scriptura dicit Spiritum Sanctum, quasi incubasse aquis, vt ista corpora, quæ animanda & ornanda erant, viuificant. Nam Spiritus Sancti officium est viuificare.

In nouiss. verbis Dauidis Tom. 8. Germ. fol. 165. clarè hanc quæstionem explicat & tractat his verbis.

Creatura est condita non solum à Deo Patre, sed etiam à Filio & Spiritu Sancto iuxta regulam: Opera trinitatis sunt indiuisa, hoc est extra ipsam diuinitatem, omnes res creatæ, pariter ab omnibus tribus personis, tanquam ab vnica diuinitate conditæ sunt, & ipse tres personæ respectu creaturarum, sunt vnus æternus Deus. Ita vicissim res omnes conditæ, relatæ ad personas Diuinitatis, tantum vnicum non triplex aut tripartitum opus sunt. Paulò post fol. 167. Cùm in vsitato Symbolo dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, Non hoc intelligatur, quasi persona Dei Patris sola dicatur esse omnipotens conditrix rerum, aut quasi hæc sola sit nobis Pater. Nam & Filius æquè & pariter est omnipotens & creator & Pater omnium rerum conditarum, sic & Spiritus Sanctus omnipotens & creator & Pater est. Nec tamẽ tres sunt omnipotentes (Vt ait Athanasius) aut creatores, aut tres Patres, sed vnus est omnipotens creator Pater cœli & terræ & nostrum omnium, sicut & Deus Pater, Saluator & redemptor noster.

Item fol. 170. scimus certum & indubitatum hoc esse, ac ita Deum ipsum illustribus testimonijs sese patefecisse, quod sit vnicus æternus Deus, conditor & parens omnium rerum cœli & terræ, quodque idem vnicus creator & Pater vniuersæ naturæ conditæ, sit verè & natura æternus Pater vnici Filij sui intra ipsam diuinitatem Et rursus quod in eadem diuinitate ille idem Deus conditor Pater naturæ rerum, sit vnicus verè & natura æternus Filius æterni Patris: Denique quòd & idem Deus conditor Pater omnium rerum sit vnicus Spiritus Sanctus ab æterno Patre & Filio procedens & vtrique coæternus. Nam hæ tres distinctæ personæ reuera sunt vnicus æternus Deus conditor, Pater omniũ rerum, & vnaquælibet persona, verè est ille ipse, vnicus æternus Deus cõditor, Pater vniuersi opificij mũdi &c. plura vide ibidẽ.

DE CAVSSA MATERIALI, VNDE.

De hoc caussa clarè dicit D. Lutherus Gene. Cap. 1. fol. 1. Scimus mundum cœpisse, & conditum esse per Deum ex nihilo. Et Paulo post. Præter istam generalem sententiam, Quòd mundus ex nihilo cœperit esse, nihil ferè est de quo pariter inter omnes Theologos cõstat. Et abiectis omnib. alijs opinionibus hoc statuamus, Deum ex nihilo cõdidisse cœlum & terrã, quasi rudẽ massam. Iterũ Moses vocat cœlũ & terrã, nõ qualia nũc sunt, sed rudia adhuc & informia corpora, Aqua fuit tenebrosa, & quia natura leuior est, quasi lutũ seu densa nebula circũdedit terrã informẽ ipsam quoq;

Hanc

Hanc quasi primam materiam (vt sic vocem) futuri operis, Deus condidit, secundum Decalogi manifesta verba, non extra dies, sed in principio primi diei. Mosis igitur simplicissima est sententia hæc, omnia quæ sunt esse creata à Deo, ac principia primi diei, creatam esse rudem molem luti seu terræ, & nebulæ seu aquæ, quibus postea per reliquium primi diei spacium, infuderit Deus lumen, & fecerit apparere diem, quo ostenderet istam rudem molem cœli & terræ, non dissimilem rudi Semini, sed tamen apto ad producendum aliquid. Iterum. sentio Mosen voluisse significare, initium temporis, vt sit in principio idem, ac si dicat eo tempore cùm nullum esset tempus, seu cùm inciperet mundus, sic incœpit, vt cœlum & terra primum à Deo conderentur ex nihilo, in forma rudi non sic exculta vt nunc sunt. Quanquam non ita diu iacuerunt inculta, sed statim primo die cœpta sunt ornari luce. Genes. fol. 6. inquit. Ergo nobis satis sint ista, cum de mundo & eius conditione quæritur, Quod ad materiam mundi attinet, ex nihilo esse factum, sic ex non luce factum esse lucem, ex nihilo factum cœlum & terram, sicut Paulus dicit: Vocat ea quæ non sunt vt sint.

DE CAVSA FORMALI.
QVOD MVNDVS NON SIT CREATVS SVBITO ET SIMVL SED SVCCESSIVE
per sex dies.

Hilarius & Augustinus, quasi duo maxima Ecclesiæ lumina, sentiũt mundum creatum subitò & simul, non successiuè per sex dies. Ac Augustinus mirabiliter ludit in tractatione sex dierum, quos facit mysticos dies, cognitionis in Angelis non naturales. Hinc in scolis & Ecclesijs vsitatæ sunt disputatiões, de cognitione vespertina & matutina, quas Augustinus inuexit, & à Lyra diligenter recitantur, qui volet eas scire petet ex Lyra.

Hæc etsi subtiliter disputantur, tamen nihil faciunt ad rem, Quid enim opus est facere duplicem cognitionẽ: Nec etiam vtile est Mosen in principio tam facere mysticum & allegoricum, Quia enim nos vult docere, non de creaturis allegoricis & mundo allegorico, sed de creaturis essentialibus, & mundo visibili ac exposito sensibus, appellat vt prouerbio dicitur scapham, scapham, hoc est diem & vesperã vocat, sicut nos solemus sine Allegoria. Sicuti Euangelista Matthæus capite vltimo, hanc phrasin quoq; retinet cum scribit, Christum resurrexisse vesperà Sabbathorum, quæ in vnam Sabbathorum illucescebat, si non satis assequimur rationem dierum, nec intelligimus, cur interuallis his temporis Deus voluerit vti, fateamur potius ignorantiam nostram, quàm vt verba præter rem, ad alienum sensum torqueamus.

Quod igitur ad hanc sententiam Augustini attinet, statuimus Mosen propriè locutum, non allegoricè aut figuratè, hoc est mundum cum omnibus creaturis intra sex dies, vt verba sonant creatum esse. Quod si causam non adsequimur maneamus discipuli, & relinquamus magisterium Spiritui Sancto.

Hi autem dies sic sunt distincti. Quod primo die creata est massa rudis cœli & terræ, cui postea addita lux est, secundo firmamentum. Tertio, Terra producta ex aquis cum fructib. suis. Quarto, ornatum cœlum, creatione Solis Lunę & Stellarũ. Quinto, pisces maris, & volucres cœli. Sexto, animalia terrę & Homo est conditus. Omitto autem illud quoq;, quod ista distinguunt in opus creationis, distinctionis & ornatus, quia haud scio an vbique bellè ista quadrent. Et tamen si quem ista delectant Lyram consulat. Genes. cap 1. fol. 1.

ALIA DISTINCTIO EX QVA BENIGNITAS ET SOLICITVDO DEI PRO NOBIS COGNOSCITVR, ET SIMVL
causa finalis creationis mundi iudicatur.

Mihi magis placet, vt consideremus curã & benignitatẽ diuinã pro nobis, quòd domici-

domiciliũ tam elegãs futuro homini inſtruit, priuſquã homo ſit conditus, vt cùm poſtea homo creatur, paratam & inſtructam domum inueniat, in quam à Deo deducitur, & iubetur fruiomnib. diuitijs tam amplæ domus. In tertia die inſtruitur culina & victus. In Quarta homini dãtur in miniſteriũ & ſeruitutem Sol & Luna. In Quinta, traditur dominium in piſces & volucres. In Sexta traditur dominium in omnes beſtias, vtiſtis omnib. opib. fruatur pro neceſsitate ſua gratis, tantum vt homo ex iſta liberalitate agnoſcat Dei bonitatem, & viuat in timore Dei. Genes. cap. 1. fol. 11.

DE CAVSA FINALI, CVR CREATVRAE OMNES A DEO CONDITAE.

Vt ex talibus operibus cognoſcamus qualis ſit noſter Deus, nempè Omnipotens, qui admirabile cœlum ex rudi cœlo fecerit, & omnia pro ſua voluntate ſit operatus. Gene. 1. cap. fol. 8. In enarratione Pſalm. 2. To. 2. Ienenſ. dicit: Creatura tota data eſt ad erigendum illuminandumq; hominem. At ipſe illa vtitur ad excæcandum & incuruandum ſeipſum. Et Tom. 4. Ienenſ. fol. 34. Tota creatura eſt larua Dei.

QVID DEVS ANTE INITIVM MVNDI FECERIT.

Ariani imaginati ſunt ante initium conditos fuiſſe Angelos & Filium Dei, ſed hæc blaſphema omittamus. Omittamus etiam aliam quæſtionem, quid Deus ante principium mundi fecerit, quieuerit ne an non? Ad quam ſic reſpondiſſe quendam, refert in confeſsione Auguſtinus, Deum præparaſſe infernum, curioſa ſcrutãtibus, ſcilicet vt eluderet (ait Auguſtinus) violentiam quæſtionis. Placet ergo Auguſtini modeſtia, qui profectò candidè dicit, ſe in huiuſmodi quæſtionibus contrahere ſui ingenij vela. Quia etiamſi in infinitum ſpeculemur & diſputemus, tamẽ manent hæc incomprehenſibilia. Quòd ſi etiam illa quæ videmus & gerimus, non ſatis planè intelligimus, quantò minus hæc aſſequemur? Quid enim extra tempus & ante tempus fuiſſe ſtatues? Aut quid Deum antequã tempus eſſet feciſſe cogitabis?

Quare abijciamus iſta, & ſentiamus Deum ante conditionem mundi, fuiſſe incomprehenſibilem in ſua eſſentiali quiete. Nunc autem poſt creationem, eſſe intra extra & ſupra omnes creaturas, hoc eſt eum eſſe incomprehenſibilem. Aliud dici non poteſt. Quia noſtra intellectus, quid ante tempus ſit, non intelligit. Ideo Deus quoque ſe nõ manifeſtat, niſi in operibus & verbo, quia hæc aliquo modo capiuntur, reliqua quæ propria diuinitatis ſunt, capi aut intelligi non poſſunt, vt ſunt eſſe extra tempus ante mundum, &c. fortè Adæ apparuit, nudus, ſed poſt peccatum in Sibilo apparuit, quo ceu inuolucro, fuit inuolutus. Sic poſtea inuolutus fuit in tabernaculo, propitiatorio, in deſerto, nube & igni. Quare Moſes iſta etiam vocat Dei facies, per quæ ſe Deus manifeſtauit. Et Cain vocat faciem Dei, locum in quo immolauerat antea. Hæc enim natura, ſic eſt peccato deformata, imò corrupta & perdita, vt non poſsit Deum nudum cognoſcere, ſeu comprehendere qualis ſit. Ideo inuolucra iſta neceſſaria ſunt. Et inſania eſt diſputare multa de Deo extra & ante tẽpus, quia id eſt velle comprehendere, nudam diuinitatem, ſeu nudam eſſentiam diuinam. Hoc quia impoſsibile eſt, ideo inuoluit ſe Deus in opera, & certas ſpecies, ſicut hodie ſe inuoluit in Baptiſmum, in Abſolutionem. Ab his ſi diſcedas, tunc abis extra menſuram, locum, tempus, & in meriſsmum nihil, de quo ſecundum Philoſophum non poteſt eſſe ſcientia. Genes. cap. 1. fol. 3.

QVO TEMPORE ANNI MVNDVS CREATVS.

Hîc quæritur de tẽpore anni quo mundus creatus eſt. In Vere ne an Autumno, ſit creatus? Et quanquam varient ſententiæ, tamen vtraque pars habet ſuas cõiecturas. Qui

ras. Qui enim autumnum malunt, illi suam sententiam probant per hoc, quòd arbo resproduxerunt fructus. Nam Adam & Heua poma eo mederunt. Ad hoc comprobandum etiam illud adferunt, Dei perfecta sunt opera. Alij malunt tempus Veris, quia tum est formosissimus annus, & mundi quasi infantia seu pueritia. Hinc Poeta quoque vernascentis mundi originem fuisse scribit. Sed neutra pars, sufficientes habet rationes, vtrumq; enim textus confirmat, & quo d terra germinauerit, id profectò non est autumni, sed Veris, & quod fructus tũ extiterint. Quare illud dicimus miraculum mundi fuisse, quòd subitò ista omnia extiterunt, vt & germinaret terra, ac florerent arbores, & subitò etiam subsequerentur fructus. Id miraculum tum cessauit. Nam species istæ sicut tum creatæ sunt, propagantur per semina sua. Ergo malè arguunt, ab effectu naturali ad supernaturalem. Hoc enim creatori tribuendum est, & primo creationis operi, quod maturauerit partes veris & autumni, quoad herbas & fructus arborum. Porrò hæc causa est quæ mouit Hilarium & alios, vt statuerent mundum subitò extitisse perfectum, nec sex dierum naturalium interuallo, ad creationis opus Deum vsum esse. Cogit enim nos textus vt fateamur arbores vnà cum fructibus, eo die quo Adam cõditus est stetisse. Hoc etsi sit citius factum quàm hodie solet (nam semestri ferè apud nos opus est) tamen non solùm verbo fructificandi sed germinandi etiam verbo textus vtitur.

Quod igitur attinet ad quæstionem suprà positam, maximè verisimile est, Veris id fuisse tempus, quo mundus cœpit, sicut ludæi quoque suum annum incipiunt, & primum Mensem Veris tempus faciunt, cùm terra quasi aperitur & omnia pullulant. Genes. 1.

QVANDO SINT CONDITAE ARBORES INFRVGIFERAE SEV STERILES, ITEM *nocentes bestiæ, &c.*

Ego etsi nihil definio, tamen sententiam meam ostendam. Sentio autem omnes arbores, initiò fuisse bonas & fœcundas, & bestias agri cum Adamo, quasi communem habuisse mensam, ac siligine tritico & alijs nobilioribus fructibus, pastas esse, fuit etiam maxima opulentia omnium Creaturarum. Post peccatum aũt Adæ, primùm ad terram dictum est, vt ferat spinas & tribulos. Quare non dubium est, eam quoque peccati esse pœnam, quod habemus tam multas arbores & herbas, quarum nullus sit vsus ad pabulum. Atq; hinc accidit, quod quidã Paradisum dixerunt, totam terram, propter primæ creationis benedictionem & opulentiam. Expulsionem autem ex Paradyso, dixerunt esse, quod Adam ex fœlici mundo, inter spinas positus sit, vbi etiam post multum laborem, sæpe nullum operæprecium fiat. Ergo quod ad præsentem quæstionem attinet, libenter in eam sententiam inclino, omnes arbores initiò fuisse frugiferas Genes. cap. 1. Quæritur etiam de nocentibus vel vermibus vel bestiolis, sicut sunt bufones, muscæ, papiliones, in quibus admirabilis est fœcunditas, & ferè accidit, vt quantò quæq; est nocentior, tantò etiam sit fœcundior. Ego enim credo eo tempore, istas molestas & noxias creaturas, nondum extitisse (scilicet ante lapsum) sed postea in pœnam peccati, ex maledicta terra esse procreatas, vt nos affligerent, & cogerent ad inuocandum Deum. Genes. cap. 1.

DE PROVIDENTIA.

Quando textus dicit: Et vidit Deus quod esset valde bonum, significat ipsam conseruationem. Quia creatura non posset stare, nisi S. S. diligeret eam, & ista complacentia Dei, in suo opere, conseruaret opus. Neque enim Deus ita creauit res, vt creatas deserat, sed amat eas & approbat.

Igitur simul est, agitat, mouet, & conseruat singula, pro suo modo. Genes. 1. fol. 14. Et Genes. cap. 35. Tom. 3. fol. 117. Monet nos Spiritus Sanctus exemplo Iacobi, mi-

cobi, migrantis de ciuitate Sichem quam gladio percusserant Filij, vt rectè discamus articulum Creationis, nimirũ quòd omnia sint in manu Dei, & adsuefaciamus, atq; excuscitemus nos, ad fiduciam Creatoris nostri, quæ in nobis sanè adhuc perexigua, & imbecillis est. Si enim firmiter statueremus, Deum esse Creatorem, certè crederemus eum habere in manibus suis, cœlum & terram, & omnia quæ his continentur.

Quin si videremus factum ruere orbem, cum omnibus elementis, & imminere ceruicibus nostris, tamen diceremus etiam ruendo non rues, nisi Deus velit, & si capiti incumberet, nihil nocebis, nec opprimes me, diceremus, aut si sic visum est Deo, vt obruar mole tua, fiat sanè quod bonum est in oculis Domini. In manibus eius tempora mea. Sin aliter visum est insultabo tibi O cœlum & terra, Cum Turcicis & Pontificijs alijsq; furoribus omnibus, totius mundi.

Sic enim domui Iacob, certa & extrema vastitas impendebat. Nec enim vires, vel voluntas, Cananæis deerant, nec cõsilia, nec arma, nec manus, sed quid obstabat? Dominus inquit: Nolo. Huc vsque venient tumentes fluctus tui, & confringentur sicut inquit Hiob & Psal. 65. Qui compescit strepitum marium, strepitum vndarum eorum, & fremitum populorum. Turbabuntur Gentes & timebunt qui habitant terminos à signis tuis. Nos viuimus in ipso mari, & sicut aquæ diluuij quindecim cubitis superiores fuerunt altissimis montibus. Ita etiamnum oceanus superat terram trium vlnarũ altitudine. Sed quare non obruit nos? Quia Deus posuit terminum mari. Tument quidem fluctus eius, & allidũtur littoribus, veluti iamiam empturi in terram, sed cohibetur & reprimitur impetus ille diuinitus. Idem videre est in omnibus furoribus mundi, tumultuantis aduersus Ecclesiam. Turca est instar Pelagi tumentis & turgentis fluctibus, qui si nostris viribus reprimendus esset, iam diu de nobis actum foret.

Quia nos Germani stertimus somno vinoque sepulti, & sumus destituti ducibus, qui sapientia, consilijs, robore animi, tantis rebus gerendis pares esse possent. Ac si procederet Turca iamdudum totam Germaniam occupasset. Nemo enim est qui possit nos tueri, nec Imperator, nec Reges, nec Principes, solus Deus pugnat pro nobis. Nec grassabitur in Germaniam, nisi iuxta definitam Dei sententiam, & voluntatẽ, alioqui sine omni negocio, iam diu oscitantes oppressisset. Nam & Principes & Nobiles, luxu, voluptatibus, & auaritia sunt perditissimi. Quod autem seruamur id fit virtute & bonitate Dei, & hanc defensionem impetrat oratio & fides Ecclesiæ. Sic Imperator in Belgico, non progredietur, nec sæuiet vlterius quàm Deus præfiniuit. Hæc igitur traduntur à nobis in consolationem, & ad fidem nostram excitandam, vt maiore ardore inuocemus & credamus.

Et lucet prouidentia & gubernatio Dei, etiam in Ethnicorum historijs. Hannibal potuisset potiri Roma, sine omni negocio & difficultate, cæsis bellicosissimis ducibus, & exercitibus Romanorum, sed reprimebatur diuinitus. Quod cum alij non intelligerent clamabant, vincere scis Hannibal, victoria nescis vti. **Aber er solts nicht höher bringen.** Carolus Regem Galliarum, ingenti prælio ad Ticinum superatum cœpit, anno 1525. Altero ab hoc Romam expugnauit & arripuit exercitus eius. Ita duos potentissimos Monarchas, in sua potestate habuit. Nec defuit occasio & vires, rem præclarè gerendi aduersus Turcicum Tyrannum, anno 1532. contracto exercitu selectissimo ab extremis orisRomani imperij, verũ ea nõ est vsus, & frustra olim eã captabit. Quia Deus est qui aufert S. principum, & est terribilis regib. terræ Hic vno verbo aut nutu frangit animos magnorũ bellatorũ Pyrrhi, Hannibalis, &c.

Hæc est vera cognitio & fides creationis, quæ doctrina diligenter meditanda & exercenda est, vt nos ad inuocationem & credendum excuscitemus. Impia enim & inanis fiducia est, in munitionibus, vallis, bombardis. Et si quãdo ita fuerit visum, vt Turca grassetur in Germaniam, nõ tuebuntur nos aggeres isti, magno sumptu & labore con-

labore congesti, nec liberet sanè mihi, tum in hoc oppido commorari, Wolt ehe hinauß kriechen. Sed quando genua flectimus, & clamamus ad creatorem nostrum, is poterit igneis muris nos circumdare, sicut testatur Psal. 124. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsque in seculum. Item Angelus Domini in circuitu timentium eum. Ego odi molem istam vallorum & munitionum. Quia nihil aliud est quàm perditio pecuniæ, & ostentatio extremæ stulticiæ. Id potius agendum est, vt firmiter statuamus nos esse in manu creatoris, & non tantùm nos sed etiam hostes & Diabolos, cum omnibus portis inferorum. Si enim Diabolus potestatem liberam grassandi haberet nemo nostrum vno momento superstes maneret. Discamus igitur fiduciam collocare in Deum creatorem & protectorem, non in munitiones, Bombardas, sapientiam, potentiam. Es ist lautter torheit. Turca & Diaboli sine omni negocio perrumpunt & vastant hæc omnia. Quia Deus non vult suos in aliud quicquam confidere quàm in se. Propterea quod professi sunt hanc fiduciam in creatorem per Filium per quem susceptit nos in gratiam, & inijt fœdus nobiscum quod est confidere vitam nostram, aduersus omnes insidias & potentiam Satanæ & mundi, pendere à solo Deo, qui si vult me extinctum, non opus est vt mittat milites, sin minus, Trotz allen Türcken / Todt vnd Teuffeln in der Helle. Meminerint igitur hi, qui habent, promissionem diuinam, confidendum sibi esse quòd Deus velit esse noster Curator, Defensor, Pastor, & Pater, propter Filium, sicut testatur Christus, Pater amat vos, quia me amastis. In mundo præsuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Si mundus vos odit, scitote quia me prius, quàm vos odio habuit. Et tamen etiam vita vestra, huius corporis peccati est in manu mea. Quare ergo trepidamus & exhorrescimus hostium minas, & potentiam, quin potius lætamur in domino, qui vocauit nos vocatione sua sancta, & docuit nos confidere & vincere in ipso.

SOLVTIO QVAESTIONIS QVOMODO DICATVR DOMINVS QVIEVISSE DIE SEPTIMO AB

opere quod fecerat Gen. cap. 2. fol. 21.

Hic quæstio oritur, Moses dicit quieuisse Dominum die septimo ab opere quod fecerat, hoc est cessasse operari in septimo die. Contra Christus Iohan. 5. dicit. Pater meus operatur vsque modo, & ego operor. Facit autem ad hunc locum, quod Epistola ad Ebræos cap. 3. & 4. Disputat de requie. Si introibunt, non quidem in terram promissionis, sed in requiem meam &c.

Sed nos simpliciter sic respondemus, solutionem afferri ab ipso textu, cum dicit: Perfecti sunt cœli & terra. Sabbatum enim seu quies Sabbati, hoc significat, quod Deus sic cessauerit, ne conderet aliud cœlum & aliam terram, non hoc significat, quod Deus cœlum & terram tum conditam desierit conseruare & gubernare. Nam de modo creationis, superiore capite clarè nos docuit Moses, Deum per verbum condidisse omnia, producat mare pisces, terra herbam, bestias, & c. Item, crescite, replete terram, mare: Hæc verba vsque hodie durant Ideo videmus multiplicationem sine fine. Itaque si mundus consisteret infinitis annis, virtus horum verborum non interiret, sed esset perpetua multiplicatio, vt istius verbi seu primæ vt hic loquar, fundationis.

Facilis itaque est solutio. Quieuit Deus ab opere suo, hoc est contentus fuit illo cœlo, & terra tum condita per verbum, non creauit nouos cœlos, non nouam

terram, non nouas ſtellas, non arbores nouas. Et tamen operatur Deus adhuc, ſiquidem ſemel conditam naturam non deſerit, ſed gubernat & conſeruat virtute verbi ſui. Ceſſauit igitur à conditione, ſed non ceſſauit à gubernatione. In Adamo cœpit genus humanum, in terra cœpit per verbum genus animale, vt ſic dicam, in mari cœpit piſcale & volatile. Sed in Adamo & primis beſtiolis, ſeu animalibus non deſierunt iſta. Manet adhuc hodie verbum ſuper genus humanum dictum. Creſcite & multiplicamini, manet verbum producat mare piſces, & aues cœli. Omnipotens igitur verbi vis & virtus eſt, quod totam creaturam ſic conſeruat & gubernat.

Clarè igitur oſtendit Moſes, quòd verbum in principio fuerit. Quia autem creſcunt, multiplicantur, conſeruantur & reguntur adhuc omnia eodem modo, quo à principio mundi manifeſtè ſequitur, verbum adhuc durare nec eſſe mortuum. Quòd igitur dicit: quieuit Deus ab opere, non eſt referendum ad iſtum curſum rerum, quomodo conſeruantur & gubernantur, ſed ſimpliciter ad initium, quòd ceſſauerit Deus ad ordinibns condendis, vt vulgò loquuntur, & à nouis ſpeciebus, ſeu nouis creaturis. Ego ſi meam perſonam ſpectes, ſum quiddam nouum, quia ante annos ſexaginta nihil fui, ſic mundus iudicat, ſed Dei aliud eſt iudicium, nam coram Deo ſum generatus & multiplicatus, ſtatim in principio mundi, Quia hoc verbum, Et dixit Deus: Faciamus hominem, me quoque creauit. Quicquid enim Deus voluit condere, hoc tum, cùm diceret fiat condidit. Non ſubitò noſtris oculis apparuerunt omnia. Sicut enim ſagitta, aut globus, qui ex Bombarda mittitur (nam in hoc maior celeritas eſt) vno quaſi momento ad metam dirigitur, & tamen per certum interuallum mittitur: Ita Deus per verbum ſuum currit ab initio vsque ad finem mundi. Non enim apud Deum ſunt prius & poſterius, citius aut tardius, ſed omnia ſunt eius oculis præſentia. Eſt enim ſimpliciter extra temporis rationem.

Ergo verba illa, Dixit Deus, fiat, creſcite, multiplicamini, ſic conſtituunt creaturas, vt nunc ſunt & erunt vsque ad finem mundi. Ceſſauit autem à condendis nouis. Non enim condidit nouam terram, non cœlum nouum ſed ſicut Solem & Lunam voluit currere, ita adhuc currunt. Sicut tum repleuit mare piſcibus, cœlum volatilibus, terram pecudibus: ita ſunt iſta conſummata, & manent adhuc ac conſeruantur. Sicut Chriſtus dicit: Pater operatur vsque modo, & ego operor, verbum enim quod in principio dixit, adhuc eſt. Sicut Pſalm. 12. ait: Ipſe dixit & facta ſunt.

Sed hic opponitur aliud, nempè, Quomodo verum ſit Deum nihil noui condidiſſe, cùm tamen conſtet Arcum ſeu iridem tempore Nohæ conditam. Item poſt Adæ lapſum, minatur Dominus futurum, vt terra producat tribulos & ſentes, quos non fuerat productura, ſi Adam non peccaſſet. Item de ſerpente dicitur, quòd debeat repere pronus humi, qui proculdubiò, ſicut initiò conditus fuit, rectus inceſſit, ſicut hodie cerui & pauones incedunt? Hæc certè & noua conditio, facta per nouum verbum. Item ſi Adam non eſſet lapſus in peccatum, non fuiſſet iſta luporum, leonum, vrſorum ferocitas, planè nihil in tota creatura homini aut moleſtum aut noxium fuiſſet. Nam textus clarè dicit: omnia à Deo condita fuiſſe bona. Nunc quæſo, quantæ moleſtiæ ſunt? Ipſum corpus quot & quantis incommodis, morborum ſaltem eſt obnoxium? Omittam pulices, muſcas, araneos, quantum periculorum eſt

à reliquis,

à reliquis truculentis & venenatis beſtijs. Sed vt nihil homini ſit, certè hoc maximè eſt nouum, quod Virgo parit Filium Dei. Ergo Deus ſeptimo die non ceſſauit, ſed operatur, non tantùm conſeruando creaturam, ſed etiam mutando & nouando creaturam. Nec eſt verum, quod ſuprà poſuimus, abſtinuiſſe Deum, à nouis ordinibus condendis?

Reſpondeo. Moſes hic loquitur de natura incorrupta. Si igitur homo ſtetiſſet in ea innocentia, qua erat conditus, non extitiſſet ſpinæ, non tribuli, non morbi, non vis beſtiarum vlla. Sicut ex eo ſatis apparet, quòd Heua ſine metu, non aliter cum ſerpente loquitur, quàm nos cum delicata auicula, aut blando catello. Nec mihi dubium eſt, ſerpentem fuiſſe pulcherrimam creaturam, cum ſingulari hoc dono ornatam, vt inter reliquas beſtias habent primam laudem calliditatis, ſicut calliditatis laudem habent Vulpeculæ, Muſtelæ &c.

Ergo cùm Adam adhuc eſſet Sanctus & innocens, omnia animantia cum ſumma voluptate ei cohabitarunt, parata ad omnis generis officia. Nec fuiſſet, ſi ita permanſiſſet, metus à diluuio, & per conſequens neque Iris ſeu arcus extitiſſet. Sed peccatum cauſa extitit, cur multa Deus aliter faceret. Ac in extremo die, longè maior totius creaturæ mutatio & renouatio erit, quæ ſicut Paulus dicit, Rom. 8. Propter peccatum nunc vanitati ſubiecta eſt.

Quod igitur Moſes dicit: Quieuiſſe Dominum, loquitur de conditione originalis mundi. In eo quia non fuit peccatum, ideò nihil noui creatum eſt, non fuerunt tribuli, non ſpinæ, ſerpentes & bufones, etſi erant, tamen erant ſine veneno, & ſine cupiditate nocendi. Ad hunc modum loquitur de creatione mundi in ſua perfectione. Erat tum mundus purus & innocens, propter hominem purum & innocentem. Nunc cùm alius ſit homo propter peccatum, etiam mundus capit eſſe alius, hoc eſt lapſum hominis ſecuta eſt corruptio & maledictio creaturæ. Maledicta terra ait Deus ad Adam propter te, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Et ad peccatum vnius maledicti Cain, maledicitur terra, vt etiam culta non reddat virtutem ſuam. Poſteà ad peccatum totius mundi venit diluuium, & deletur vniuerſum genus humanum, paucis iuſtis ſeruatis, ne promiſſio de Chriſto non impleretur. Sicut autem apparet terram deformatam eſſe per peccatum: Ita credo ego Solis quoq; lumen clarius & pulchrius fuiſſe cum crearetur ante peccatum hominis.

Eſt vſitatum verbum in Scholis Theologorum, diſtingue tempora & concordabis Scripturas. Quare multò aliter loquendum nobis eſt, de mundo poſt talem miſeram corruptionem quæ per peccatum ſecuta eſt, quàm de illo originali puro & integro mundo. Conſideremus exemplum quod ante oculos eſt, Terram promiſſionis qui viderunt hodie, dicunt nihil ſimile eſſe illi commendationi, quæ extat in ſacris literis. Itaque cum eam comes Stolbergenſis ſingulari diligentia perluſtraſſet dixit, ſibi ſuum agrum quem in Germania haberet, eſſe gratiorem. Nam propter peccatum, propter impietatem & maliciam hominum terra in ſalſuginem eſt poſita, vt ait Pſalm. 107. Sic Sodoma, antequam igni de cœlo perijt, fuit ceu Paradiſus quædam. Geneſ. 13.

Sic in genere peccatum ſequitur maledictio, maledictio autem mutat res, vt ex optimis fiant peſſima loquitur itaque Moſes, de creaturarum conſummatione, qualis fuit ante peccatum. Si enim homo non peccaſſet, omnes beſtiæ

manſiſſent in obedientia, donec Deus hominem tranſtuliſſet de Paradiſo ſeu terra, ſed poſt peccatum omnia ſunt mutata in deterius.

Ad hunc modum manet ſolutio ſuprà poſita. Quòd Deus in ſex diebus conſummauit opus ſuum, hoc eſt quod deſijt à conſtituendis ordinibus, & quicquid facere voluit, tum fecit. Non dixit denuò: Fiat noua terra, nouum mare, &c. Quòd autem virgo Maria peperit Filium Dei, manifeſtum eſt, eius quoque beneficij cauſam fuiſſe calamitatem noſtram, in quam per peccatum incidimus. Sic autem Deus illud mirabile & ingens opus fecit, vt prius id per verbum ſuum ſe oſtenderet facturum eſſe.

De prouidentia plura reperies. Geneſ. Tom. 3. fol. 108. 154. 197. Tom. 4. in Geneſ. fol. 10. In Enarratione Pſalm. 127. Tom. 4. Ienenſ.

QVOD LIBERE AGAT DEVS IN CREATVRIS.

Etſi Deus omnia verbo ſuo ordinauerit & creauerit, tamen non ideo alligatus eſt ad iſtas Regulas, poteſt enim eas pro ſua voluntate mutare. Gene. cap. 1. fol. 8. Et fol. 9. Hoc tantum dicimus iſta ſic creata eſſe, & conſeruari verbo, Verbo tamen etiam adhuc hodie mutari poſſe, ſicut illa tota natura tandem immutabitur.

DE INTERITV HVIVS MVNDI.

Pſalm. 102. dicitur. Initiò tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Cœlum & terra paulatim mutantur & veteraſcunt, ac tendunt ad corruptionem poſtea verò induent nouam veſtem. Deus enim non ſolùm terram, ſed & cœlum ipſum longè pulchrius faciet, vbi veteri indumento fuerit exutum. **Das iſt nur ſein Werckelkleidt / hernach werden ſie ein Oſterrock / vnd Pfingſtkleidt anziehen.** Hodie non eſt tanta claritas & ſplendor luminis ſolaris, quanta poſt hanc vitam erit, neq; tantæ ſunt vires reliquarum creaturarum, quantæ initiò creationis fuerunt. Sicut teſtantur Ruſtici naturam paulatim ſeneſcere, ac arbores ſiue in ſaltibus, ſiue in hortis citius ſuccreuiſſe ante triginta aut quadraginta annos, quàm nunc, & incrementa ſex aut ſeptem annorum in arboribus horum temporum, vix æquare annuum augmentum ſuperioris ſeculi. Terra igitur alio indumento ornabitur, & cœlum quoque ac luminaria longè erunt ſplendidiora. Vt apud Iſaiam dicitur cap. 30. Sed & lux Lunæ erit ſicut lux Solis, & lux Solis ſepties clarior erit. **Ein alten Rock der zerriſſen / muß man mit einem newen flicken.** Geneſ. cap. 45. Tom. 4. fol. 159.

DE SIGNIS PRAECESSVRIS FINEM MVNDI.

Cunctis diebus terræ ſementis & meſſis, frugis & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non ceſſabunt. Hic rextus benè notandus eſt, contra vulgatas opiniones de ſignis præceſſuris extremum diem. Ibi enim neſcio quot dierum Eclypſes fingunt, nugantur toto ſeptennio nullam mulierem parituram &c. Sed hic

hic textus dicit, non quieturam noctem, non diem, non æstatem, non hyemem. Ergo manebunt istæ vices naturæ, neque vlla vnquam Eclypsis totum diem hominum oculis adimet. Nec ocioſum est, quòd dicit: Cunctis diebus terræ ſubindicat enim hos terræ dies aliquando ceſſaturos, & ſecuturos alios dies cœli. Stantibus igitur terræ diebus, terra ſtabit, & manebunt iſtæ vices temporum. Sed ceſſantibus his diebus terræ, ceſſabunt iſta omnia, & ſequentur dies cœli, hoc eſt æterni dies qui erunt Sabbatum ex Sabbato, vbi non occupabimur corporalibus laboribus, ad parandum victum, erimus enim ſicut Angeli Dei. Sed noſtra vita erit agnoſcere Deum, delectari ſapientia Dei, & frui præſentia Dei. Conſequimur autem eam vitam fide in Chriſtum, Geneſ. cap. 8. fol. 141.

QVOMODO PERITVRVS SIT MVNDVS.

Præſentis mundi erit alia pœna (non enim aqua peribit) ſicut color Iridis oſtendit. Infimus color cuius finitum ſpacium eſt, eſt aqueus. Sic enim graſſata aqua eſt in diluuio, vt tamen pœnæ modus ſtatueretur, & abolitis peccatoribus redderetur terra habitanda pijs reliquijs. Sed alter exterior circulus Iridis, qui eſt infinitæ capacitatis, habet colorem ignis eius ſcilicet elementi, quo totus mundus conflagrabit. Sequetur tamen hanc corruptionem melior mundus, qui in æternum durabit & ſeruiet pijs. Geneſ. cap. 6. Tom. 1. fol 122.

DE POSTREMIS MVNDI TEMPORIBVS.

Quid futurum putamus ante diem extremum, ſiquidem nunc reuelato Euangelio, tanta contemptorum eſt copia, vt verendum ſit ne breui præualeant & repleant mundum erroribus, & verbum omninò extinguatur. Profectò Chriſti horribilis vox eſt, dicentis: putas ne, quòd Filius hominis, cùm venerit, inueniet fidem? Lucæ. 18. Et Matth. 24. Comparat poſtrema tempora temporibus Noah. Sunt horribiles hæ voces, ſed mundus ſecurus, ingratus, omnium promiſſionum & comminationum Dei contemptor, abundat omnibus iniquitatibus, & quotidie magis ac magis deprauatur. Poſtquam enim pontificum regnum deſijt apud nos, qui tantum formidine pœnę rexerunt mundum, contempta ſana doctrina, degenerant homines, tantum non in bruta & beſtias. Numerus Sanctorum & piorum prædicatorum minuitur, omnes indulgent cupiditatibus ſuis. Fiet autem vt nouiſſimus dies, ſicut fur obruat mundum, & deprehendat homines in ſecuritate, indulgentes ambitioni, tyrannidi, libidinibus, auaritiæ, & omnibus vicijs. *Geneſ. cap. 5. Tom. 1. fol. 97.*

Porrò ipſe Chriſtus hæc prædixit, non itaque eſt, vt eum mentitum eſſe putemus. Quòd ſi primus mundus, qui tantam copiam ſummorum Patriarcharum habuit, ſic miſerè corruptus eſt, Quid nobis non eſt metuendum, in tanta imbecillitate naturæ?

Det igitur Dominus, vt in fide & confeſſione Filij ſui Ieſu Chriſti, quam citiſſimè colligamur ad Patres illos, & intra vinginti annos moriamur, ne horribiles illas poſtremi temporis miſerias & calamitates, tum Spirituales tum corporales videamus. Amen.

DE ASTROLOGICIS PRAEDICTIONIBVS LVTHERI IVDICIVM GENES.

Cap. 1. fol. 13.

Sed hic quæri ſolet de Aſtrologicis prædictionibus, quas ex hoc loco confirmant & probant. Ego ſi quis eas defendat minùs pertinaciter, non valde repugno. Oportet enim ingenijs ſuos luſus concedi. Igitur ſi ſuperſtitionem tollas, non valde offendit me, ſi quis ingenij cauſa iſtis prædictionibus ludat. Quod tamen ad rem attinet, mihi nunquam perſuadebitur, Aſtrologiam inter ſcientias numerandam eſſe, ſequar autem hanc rationem, quòd nullam planè demonſtrationem habet. Nam quod allegant experientiam nihil me mouet. Omnes enim Aſtrologicæ experientiæ ſunt meræ particulares: Nam iſtas tantùm artifices notarunt & retulerint in literas, quæ non fefellerunt, reliquas experientias vbi falſi ſunt, nec ſecuti ſunt effectus, quos prædixerunt certò futuros, non notarunt. Sicut autem Ariſtoteles dicit: vnam hirundinem non facere ver : Ita ego ex talibus particularibus obſeruationibus, non puto ſcientiam conſtitui. Sicut enim venatorum dictum eſt. Quotidie venationes exerceri poſſe, ſed non quotidie ſecundas venationes eſſe : Idem planè de Aſtrologis & eorum prædictionibus dici poteſt, quia ſæpiſſime fallunt.

Sed etiam ſi quid certi habent iſta, quæ ſtulticia eſt valde de futuris eſſe anxium ? Nam fac futura poſſe ſciri per Aſtrologicas prædictiones, ſi mala ſunt, profectò multis modis eorum ignoratio melior eſt quàm ſcientia, ſicut Cicero quoque diſputat. Et præſtat eſſe ſemper in timore Dei, ac orare, quàm diſcruciari metu, futurorum euentuum. Sed hæc aliàs. Quare exiſtimo Aſtrologicas prædictiones non ſatis tutò hoc in loco fundari, ſunt enim ſigna rationaſia, vt ſic vocem, hoc eſt per rationem collecta. Magis autem proprium eſt, ſi intelligamus Moſen de ſignis, quæ Deus oſtendit, vt homines in genere vel admoneantur vel terreantur.

DE ANGELIS BONIS.

QVID.

Angeli boni ſunt Spiritus adminiſtratorij & miniſtri creaturæ, qui præliantur pro incolumitate & ſalute mundi & piorum.

VNDE SEV A QVO CREATI ANGELI.

Geneſ. cap. 1. fol. 7. Moſes videtur ſui oblitus, quòd de duabus maximis rebus nihil agit, nempe de creatione & lapſu Angelorum, ac tantùm corporalium rerum conditionem perſequitur, Cùm tamen non dubium ſit, Angelos eſſe creatos. De creatione autem, de pugna & lapſu eorum, nihil omninò extat in Scriptura, niſi quòd Chriſtus dicit: In veritate non ſtetit. Et paulò poſt. Satis nobis ſit iſta ſcire, eſſe Angelos bonos & malos. Deum autem creaſſe omnes pariter bonos, &c.

DE OFFICIO ANGELORVM.

Appellantur Angeli, exercitus, milites στρατίωται, vigiles, rectores, gubernatores in creatura Dei. Id enim eſt eorum officium inferius. Superius eſt, canere gloria in Excelſis Deo. Inferius erga nos & creaturas eſt vigilare, gubernare, milita-

re, militare, non tantùm pro pijs sed etiam pro impijs. Sicut ex Daniele patet, vbi dicit Angelus se reuerti, vt prælietur aduersum Principem Persarum. Angelus autem bonus non resistit bono Angelo. Ideo Princeps Persarum fuit malus Angelus, & de numero illorum, de quibus inquit Christus : Princeps huius mundi eijcietur foràs. Satanas Deus huius seculi, habet maximos exercitus Diabolorum, & est etiam inter malos Angelos quædam Monarchia.

Res enim loquitur ipsa, & Scriptura non obscurè ostendit, siquidem videmus mundum horribiliter misceri, turbari, confundi, collidi horribilibus flagitijs, hoc inde fit : Quia vbique regnant mali Angeli in aulis, Papæ, Cæsaris, Regum, Principum, quin etiam in ædibus priuatis. Hæc sunt & dicuntur opera Diaboli, quæ videmus & experimur. Sed mundus non videt autore & impulsore Diabolo, fieri cædes, & alia infinita scelera. Effectum vident omnes, causam verò non vident. Certùm igitur est, principes bonos inter Angelos militare aduersus duces malorum Angelorum, id enim testatur experientia. Sicut etiam Gentes aliquam vmbram huius cognitionis retinuerunt, quando finxerunt lares, aut genios bonos & malos. Deus est creator & gubernator omnium, qui etiam impiorum, vt Babyloniorum, Assyriorum, Persarum imperia administrat per Angelos, sicut testatur Daniel, & in nostris aulis ac regiminibus idem apparet. Vnde fit, vt sæpe etiam optimæ causæ in aulis variè impediantur, turbentur, & protrahantur, & tandem tamen fœlices exitus sortiantur, ductu & consilijs bonorum Angelorum. Atque hæc sunt mirabilia consilia Dei, de quibus non est disputandum, cur hac aut alia ratione gubernet mundum.

Sic enim definit eos Epistola ad Hebræos : Nonne omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis. Non sunt Dij aut Deæ, sed sunt ministri administrantes orbem terrarum. Idque propter eos qui æternam salutem hæreditabunt. Quicquid enim rerum in hac vita geritur, hoc omne propter homines pios, & eos qui saluandi sunt geritur. Propter eos lucet Sol, conseruantur & stabiliuntur regna, fœcundatur terra, contagia contrahuntur. Breuiter omnia quæ sunt in cœlo & in terra, ad hunc finem ordinata sunt, vt colligantur iusti, & numerus saluandorum impleatur. Hæc vita que verè cœlestis doctrina est, non rationis & sapientiæ humanæ, quòd in hac vita ministerio Sanctorum Angelorum, & imperia & politiæ, oeconomiæ, denique quæ habet hic mundus omnia gubernentur.

QVAESTIO SEV OBIECTIO CONTRA PRAEDICTA.

Iam verò oritur quæstio : Si hæc sunt vera & certa, vt sunt profectò, sequitur Erasini & omnium Epicureorum sententiam esse falsissimam. Illi enim moti infinita rerum inæqualitate & confusione in hac vita, qua vident improbos fœliciores esse bonis & pijs, eò delabuntur, vt negent hanc custodiam, & ministerium Angelorum, quin ipsam Dei Prouidentiam. Sed & communis experientia testatur, & etiam Sanctorum querelæ, quòd quantò quis est sceleratior, tantò est fortunatior. Sic Cicero ait : Optimè cogitata pessimè cadunt, sic Iulij Cæsaris, Demosthenis & aliorum, qui fuerunt sapientia, doctrina, virtute, ingenio præstantissimi, quærelæ extant de successu & exitu consiliorum infœlici, quin ipsorum quoque exitus, pro summis erga Rempublicam meritis fuerunt tristissimi. Sic pij opprimuntur, Ecclesia adfligitur & duriter exercetur. Impij emergunt, florent & abundant opibus & potentia.

Quæ igitur hæc est Angelorum administratio ? Quis non videat fortuitò & temere omnia ferri & misceri ? Quin potius Satanæ hanc gubernationem esse ? Sicut Christus eum principem mundi appellat, & Paulus Deum huius seculi. Quomodo ergo stat Angelorum administratio ? Respondeo : Hæc est vt antea dixi admiranda & compræhensibilis sapientia Dei, quam non assequitur sapientia humana. Quanquam si velimus aperire oculos hæc perspicere & iudicare possemus, Diabolum esse vinctum & captiuum teneri, tanquam iniectis pedibus & manicis, ita vt ne capillum quidem capitis nostri possit attingere, nisi volente & permittente Deo. Si quid autem aduersi accidit, nequaquam id negligentiæ Angelorum in ministerio eorum tribuendum, sed potius ad tentationem referendum erat, quibus solent in hac vita pij singuli, & tota Ecclesia exercere. Neque enim tanta potentia est Diaboli, quanta in speciem apparet. Nam si esset ei plena potestas pro libitu sæuiendi, non viueres vnam horam, non vnam pecudem, non segetem in campo, non frumentum in horreo, nihil denique eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, saluum aut integrum retineres.

Iam verò vniuersum ordinem naturæ, & totius huius vitæ animo perpende, ac perlustra omne genus hominum, pecudum, volucrum, Piscium, & inuenies plura esse bona quàm mala, videbis etiam minimam partem subiectam esse potentiæ Diaboli. Cogitur enim pisces in fluminibus, volucres in aere, homines & iumenta in pagis & ciuitatibus relinquere, quod non faceret si absque præsidio Angelorum esset. Atqui interdum magnas turbas dat, committit inter se regna & Monarchas, prouincias, ciuitates, familias conturbat ? Turbat sanè, tamen hoc quod maximè cupit, non potest efficere, vt euertat omnia, & cœlum terræ misceat, tam firma vt valla, munitiones, & sepes Angelorum in circuitu nostro & omnium rerum.

Si igitur conferantur mala cum bonis, quæ accidunt in hac vita, longè maior numerus & copia bonorum erit quàm malorum, præter ea quæ ad tentationem aut pœnas & castigationem peccatorum pertinent, si quando peccata præualent, & traduntur regna, ciuitates, ac principes in pœnam & vastitatem. Sicut Sodoma & vicinas ciuitates Deus perdidit, ibi tum cessant valla & castra Angelorum. Cæterùm in Republica & omnibus ordinibus vitæ, excitat varios tumultus, impellit homines ad adulteria, furta, cædes, periuria. Sed tamen non omnes seducit, aut subuertit. Quia est redactus in ordinem vt non possit etiam ex malis quos vult occidere. Si enim in manu eius essent omnia, etiam impios, licet iam anteà suis vinculis irretitos perderet.

Tolerat igitur Deus etiam improbos & peccatores ad declarandam immensam suam bonitatem, & tolerantiam, sed vsque ad illud tempus, quod est destinatum pœnæ, quando iam impletæ sunt iniquitates eorum, Da zeucht er die hand ab.

Ad hunc modum responderi potest ad quæstionem illam, si sunt Angeli castra Dei & Spiritus administratorij, quare tam multa mala eueniunt, quæ displicent Deo. Impijs benè est, donantur vita, honoribus, dignitatibus, abundant opibus. Ista profectò omnia dantur per bonos Angelos hominibus pessimis. Sed respondeo : Non esse disputandum de diuinis consilijs, cùm malis etiam largiatur bona, & dispergat sua dona pariter in bonos & malos, in gratos & ingratos. Sicut ait Christus Matth. 5.

Ideò

Ideo enim hoc fit, vt ostendat se non habere humanam tantùm & suis limitibus circumscriptam bonitatem, sed potius immensam, infinitam, & incomprehensibilem.

Relinquamus igitur ipsi suam administrationem, & prædicemus maximam misericordiam, siquidem palam est, plus boni euenire, quàm mali, etiam in malis & blasphemis, qui & ipsi sua bona corporalia habent. Si enim vel vno die non gubernaret Deus orbem terrarum per Angelos, subitò vniuersum genus humanum, occisione occideret, raperet, ageret, perderet fame, peste, bellis, incendijs. Et hæc ferenda essent non malis tantùm sed & bonis. Quòd verò ab his tantis periculis securi & tuti esse possumus, præsidio castrorum & exercituum cœlestium id fieri certò statuamus. Permittunt quidem interdum Angeli, vt aliqua mala accidant, sed ideò vt tentemur, vt fides nostra probetur & exerceatur, atque adeò vt discamus Deum agnoscere in mirabilibus consilijs & operibus suis, eique pro miranda gubernatione gratias agamus. Quemadmodum docet nos hoc exemplum Patriarchæ Iacob, Is enim pergit lætus & confidens, propterea quod illuxit ei Sol, & oblati sunt cœlestes exercitus, sed aliquantò post rursus Sol occidet. Iam regnat & triumphat plenus fide & gaudio Spiritus: Sed mox in summam miseriam, & perturbationum conijcietur.

Eodem modo ducit & gubernat & pios & impios. Quando iam iam videntur ruitura omnia: Non tamen obijcienda est prorsus omnis spes & fiducia. Sed expecta, perfer & perdura. Deus adhuc viuit, Angeli regunt & defendunt. Et quanquam videntur obliti muneris & custodiæ demandatæ: tamen reuera non cessant. Sed est tentatio & probatio, qua Deus non solùm pios, sed etiam impios exercet. Quanquam impij quidem non intelligunt. Perinde vt in tempestatibus subitis ventorum & imbrium, ac fulminum impetus minantur cœlo & terræ conflagrationem, aut ruinam totius orbis terrarum. Verùm sedata tempestate, germinat terra, & ostendit plurimum ad fœcunditatem profuisse tempestatem quantumuis horridam.

Hæc igitur est doctrina, quæ hoc loco traditur: quod sint Spiritus administratorij, & ministri creaturæ, qui præliantur pro incolumitate & salute mundi, & piorum. Itaque inferius eorum officium est: Superius autem est canere: Gloria in excelsis Deo, & te Deum laudamus &c. Item in cœlis vident faciem Patris. Idque faciunt cum gloria Dei & gaudio, & suo & omnium credentium. Illam verò admirandam gubernationem huius vitæ, ipsi præclarè intelligunt, quàm conueniat fœlicitas impiorum, cum aduersa fortuna piorum, quod nos non possumus perspicere in hac carne sed in fine mundi, & post hanc vitam, videbimus pulcherrimam illam harmoniam, & concentum huius administrationis.

Perinde vt homo agrestis mirabilem Symphoniam tot vocum in organis aut Cithara non intelligit, propterea quod totius harmoniæ rationem ignorat. Sic nos arbitramur temerè omnia ferri, existimamus Deum dormire, & Diabolum vigilare & regnare. Et accedit simul iudicium rationis, quod statuit nec Deum nec hominem esse huius mundi rectorem, sed agi mortalia casu. Hæc est carnis sapientia, non cœlestis illa & inæstimabilis cognitio gubernationis Dei, quæ monstrat maiorem esse numerum eorum quæ conseruantur, quàm quæ pereunt in mundo, esse item maiorem Dei bonitatem, quàm maliciam Diaboli. Sed ratio & caro etiam in Sanctis hæsitat & labascit, cùm videt tantas confusiones, & dissimilitudi-

dissimilitudinem fortunæ. Hoc inde fit, quia nondum sumus in illa luce, qua Angeli fruuntur, & perspiciunt quomodo peccatum & iusticia, mors & vita, tenebræ & lux conueniant.

Discamus igitur gubernationem Angelorum esse certam, & superari maliciam Diaboli immensa Dei misericordia, conseruantis hanc rerum naturam mirabiliter aduersus omnem furorem & impetum Diaboli. Sic enim in omnibus partibus huius vitæ videmus. Paterfamilias interdum iacturam facit pecudis, gallinæ, pecuniæ. Retinet tamen domum & agros, & potissimam partem rei familiaris. Hactenus de custodia Angelorum, cuius cognitio & fiducia in primis vtilis & necessaria est. Sicut Iacob magno gaudio hosce cœlestes exercitus conspexit, & iam lætatur & triumphat, desuperatis omnibus molestijs & Diabolis, sub iniquo socero Laban. Lætus & securus est in Domino, & habet socios huius gaudij & testes Angelos.

Sed obseruandæ sunt diligenter vicissitudines & alterationes in vita Sanctorum vsitatæ, Aliàs enim læta & iucunda, aliàs tristia & molesta obijciuntur. Cuiusmodi etiam vices in tota rerum natura sunt, vt diei & noctis, lucis & tenebrarum, montium & vallium, vt est in Psalmo: Ascendunt montes & descendunt campi in locum quem fundasti eis Interdum audimus ea quæ exhilarant nos, si non in mundo, tamen in cœlo per verbum Dei. Interdum redit tentatio & adflictio spiritus. Ad hasce vices assuescendum est pijs, statim enim mirabilis mutatio sequetur. Genes. cap. 32. fol. 153. Tom. 3.

POTENTIA ANGELORVM.

Genes. cap. 19. fol. 132. Tom. 2. Angeli quasi gloriantur quod sint missi ad perdendas ciuitates, Nos inquiunt perdemus locum istum. Item misit nos Dominus vt perdamus istum. Hoc perinde est ac si glorientur se esse carnifices Dei, perditores & vastatores.

Pertinet autem hoc ad descriptionem officij & potentiæ Angelorum. Nam Helias, Helisæus & alij, sicut Hebræor. 11. est, etiam faciunt miracula grandia, sed non propria virtute. Oportet accedat oratio & fides ad hæc, tanquam ad causam sine qua non, vt Philosophi appellant, sequuntur miracula. Sic Petrus orat & in fide Christi iubet claudum surgere, sed Angeli sunt potentes, vt faciant mirabilia sua virtute concreata ipsis.

Est autem hæc magna gloria, tanta potentia instructos esse, nota enim est historia, Quod Angelus Domini vna nocte & vno impetu sub Rege Ezechia centena & octuaginta quinq; millia Assyriorum occiderit. Et Christus prædicat Angelorum potentiam, cùm ad Petrum dicit Matth. 26. de duodecim legionibus, Cùm vnus Angelus ad vertendos & perdendos hostes Christi satis fuisset.

SVNT PARANIMPHI IN NVPTIIS.

Genes. cap. 24. Tom. 2. fol. 237. Hæc cura eis demandata est, & si crediderimus eandem experiemur singuli. Sic enim videmus Abrahamum certò persuasum habere, adesse sibi Angelos & ministrare non secus, ac si ante oculos adstarent, cùm tamen sint inuisibiles. Tanta est eius fides, & qui eandem

dem fiduciam habet, versari inter nos Angelos, & administrare omnia, is certissimè videt Angelos, sed oculis Spiritualibus non carnalibus.

Est autem hæc insignis commendatio cœlestium spirituum quod adhiberi se patiuntur ad tam humilia ministeria, ipsis vt videntur indigna. Ac sanè quæ nostra superbia est meritò gratias Deo agimus, quòd non creati sumus Angeli, non enim ferre potuissemus ministerium tam abiectum, ac Luciferum omnes secuti essemus. An non enim abiecta & sordida res est, adducere mulierem sponsam Isaac ? Præterquam enim quòd humana natura, corrupta & horribiliter deformata est peccatis & pœnis, hic sexus præ viris singulares calamitates & crucem sustinet. Num igitur tam Sanctus Angelus patietur se mitti ad mulierem ? Indignum omninò est Maiestate Angelica.

Sic nos solemus qui nihil aliud quàm lutum, putredo & vermes sumus, si qui antecellunt alios donis eloquentiæ, sapientiæ, ingenij, imò opum aut formæ, quantò fastu super eos qui hisce carent, se efferunt, quibus tamen pares sunt peccatis & calamitatibus.

Sic Diabolus existimauit indignum esse Maiestate Angelica seruire Rebeccæ, non ad petitionem Abrahæ, sed ad votum tantùm, cùm dicit : Vade Angelus Domini tecum erit, iustissima causa videtur superbiendi & irascendi.

Cæterùm hinc apparet, quæ sit natura bonorum Angelorum, quam sit humilis, suauis, & benigna natura, quæ non dedignatur seruire peccatoribus miserrimis viris & fœminis quia ardent luce & sapientia diuinæ bonitatis, quicquid Deus iubet, id eximium & optimum esse intelligunt, quia placet Deo.

Sic Gabriel non recusat mitti ad virginem longè se inferiorem, & adferre nuncium & mandatum à Deo. Quia scit Deo placere, siue singulare, siue vulgare mandatum sit, nihil moratur. Mali Spiritus contemnunt non ministeria tantùm, sed ipsum etiam Dominum & Deum.

Nos igitur cùm intelligamus Angelorum consuetudine, custodia & amicitia nos frui, agamus Deo gratias, & imitemur eorum virtutes, & officia Charitatis & beneuolentiæ mutuæ. Nemo hominum tam benignus, & ad omnia obsequia, & beneficentiam paratus est, quàm Angeli, sed non credimus, nec tribuimus eis has virtutes. Sed certum est Rebeccam & Isaac fideliorem amicum & custodem Angelorum habuisse quàm seruum & cognatos. Serui fides ipsis fuit satis perspecta, sed nihil fuit ad Angeli fidem & beneuolentiam.

Discamus ergo optimos & constantissimos amicos nostros esse inuisibiles, Angelos videlicet, qui fide & beneuolentia, & omnibus officijs amicitiæ longè superant visibiles amicos. Sicut mali Angeli & Diaboli inuisibiles infensiores hostes sunt, quàm visibiles, quicquid mali fit, ab illis oritur potius, quàm ab ijs quos oculis cernimus, econtrà, si quid boni accidit, id totum per bonos Angelos administratur.

Adsunt ijs qui tentantur à Satana, & ministrant, significantes, sese fauere nobis in agonibus talibus, & gaudere de victoria nostra. Tom. 4. Ienens. fol. 296. Matth. cap. 4.

Sunt & erunt Messores in extremo die. Filius hominis mittet Angelos suos, quod est idem, quod eos fieri Messores, & colligent de regno eius omnia scandala & eos qui faciunt iniquitatem, id est tam dogmata impia, quàm omnes malos. Et mittent eos in caminum ignis. Matth. cap. 13. Tom. 4. Ienens. fol. 342.

Quibus

QVIBVS ANGELI ADESSE SOLEANT.

Genes. cap. 24. Tom. 2. fol. 236. Abraham sic colligit. Cuicunque loquitur Deus, huic ministrant Angeli & omnes creaturæ : Mihi locutus est Deus. Igitur ministrabunt mihi Angeli.

Hæc pulcherrima conclusio est ex promissionibus diuinis, qua certò statuit Angelos adfore seruo. Ego enim habeo Deum, qui habet Angelos, is dabit Angelum, qui te comitetur & adiuuet. Mirabilis omninò vox & fiducia est, qua credit Angelis iam hoc opus mandatum, vt præstò sint seruo. Ego quod meum est faciam cogitauit, dabo seruo dona quæ ferat sponsæ, & arrhas, Deus adiunget Angelum qui reliqua curet.

Sic plena & perfecta fide committit causam Deo & Angelis, Illo vili, carnali, & stulto, vt apparet opere, sentit occupatos cœlestes illos Spiritus & principes. Et tam certus est de eorum ministerio, vt non solùm sciat & credat se domi Angelos habere, sed etiam præstò adesse, quocunque miserit seruum. Quia habemus Deum cœli & terræ, Ergo Angeli sunt defensores, curatores, imò ministri, vbicunque fuerimus.

Hinc in Psalmis manarunt dulcissimæ voces : Castra metatur Angelos circa timentes eum. 34. Angelis suis mandauit de te. 91. Dauid enim Paulò altius hasce historias introspexit, quàm Papa & nos solemus, qui putamus Angelos nos non curare, sed ludere ociosos in cœlo. Sic natura omnes iudicamus, & accessit ad vicium illud peccati originalis, ipsa consuetudo ita docendi & cogitandi, quod longissimè à nobis absint, cùm videamus defensione & ministerio eorum seruari, & regi quicquid habemus, & sæpe horribiliter perire homines, quando eorum ministerio destituuntur.

Quis vnquam similem fidem audiuit aut habuit, qui tam certò sibi persuaderet hoc, quod Abraham sibi promittit? Nihil ad hunc Ambrosius, aut Augustinus, aut similes. Et quæ sint eius opera, vides, Est Oeconomus & pastor, viuit inter homines vsitata & vulgari ratione vitæ, facit id quod omnibus parentibus in more est, vt prospiciant & curent nuptias liberorum, nihil hic spirituale appareret, non cucullus, non rasura, aut similes nugæ. Pertinent igitur hæc ad excitandam fidem nostram, & inuocationem, vt coniugium ingressurus, Deum inuocet & credat eum daturum, quam petit vxorem, moribus suis aptam. Itaq; cum fiducia sic statuas. Scio Domine additurum te mihi Angelum, qui gubernet omnia, ego addam manum, linguam, & quæ mearum partium sunt faciam, reliqua tibi curæ erunt.

Sic & Ecclesiasticas aut politicas functiones subituri cogitemus. Quia vocor ad munus pastoris aut doctoris, faciam quod possum, Angelus aderit, qui gubernabit omnia. Ad hanc fidem sequitur pax, securitas & gaudium spiritus, in qualibet tentatione. Quia certus sum, etsi multa mala me præmunt, tamen Angelos esse inspectores, & Episcopos, ipsi ergo viderint de fœlici euentu & liberatione.

Hoc qui credit, eum verè beatum pronunciabimus. Sed turpissimum vitium est incredulitas & cæcitas, quæ tanta beneficia nec agnoscit nec credit, ideo etiam tam ingrati sumus, inhumani & ferrei, vt ea officia quæ Angeli hominibus præstant, inter nos prorsus frigeant, neque alter alterius commodis eodem studio inseruiat, quo cœlestes illi Spiritus quotidie & singulis momentis ministerium suum diligentissimè peragunt. Ideo dabimus tandem pœnas huius ingratitudinis.

Et tamen

Et tamen certa est de præsentia Angelorum, de qua ne semel quidem ambigendum erat. Certùm est eos non solùm aduentum nostrum in futuram Patriam expectare, sed verè nobiscum versari in hac vita, curantes & gubernantes nostra negocia, si modò firma fide id credimus.

Et Paulò post fol. 237. Si credimus & sumus pij, Angeli boni nobis sunt amicissimi. Sicut Isaac & Rebeccæ fuerunt, qui & ipsi peccatores & indigni erant tanto præsidio, sed quia credebant, habebant adiunctos Angelos ministros. Sic nos quoque consuetudine cœlestium Spirituum frui statuamus, quantumuis deformatos peccatis, & indignos tam excellentis creaturæ ministerio.

OBIECTIO. CVSTODIA ANGELORVM NON CONSPICITVR *oculis. Ergo.*

Genes. cap. 32. Tom. 3. fol. 155. Atqui non video inquies me esse circundatum ministerio Angelorum, imò contrarium sentio, & videor mihi traditus in potestatem Satanæ, & ad infernum deductus. Nequaquam sic statuas. Si enim esses traditus Satanæ, ne horam quidem sineret te esse superstitem, sed præcipitem ageret in omnia flagitia, quinetiam tantum spacij non concederet, vt sceleribus & peccatis te inuolueret, sed confestim vocaret. Quòd vero viuis Angelorum tutelæ & custodiæ debes. Aut si ex hac vita emigrandum est, & succumbendum furori Sathanico Deo ita permittente. Ingens tamen beneficium est, quòd habes Deum confortantem & consolantem per verbum.

Ista igitur traditio in manus Satanæ, quæ oculis & animo tuo obijcitur, est tentatio ad horam & momentum temporis, non in perditionem, sed in probationem, in salutem, & fructum immensum. Sicut inquit Christus Iohan. 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem fuerit mortuum multum fructum adfert. Sic enim Christus traditus est in manus latronum, sed ad horam tantum & in salutem. Itaque si sentis te vexari & tantari à Diabolo ora, & gratias age, quòd non es consumptus, sed tantùm tentatus & probatus, iuxta illud Thren. 3. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Item 2. Cor. 4. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcimur sed non perimus &c.

Idem docet exemplum Hiob, cui rapit primùm Diabolus omnia bona, cum liberis, & relinquit vxorem morosam, molestam & maledicam, adfligit & valetudinem vlcere pessimo. Tamen inquit Diabolus ad Deum: Nonne tu circumuallasti eum. Ibi queritur pios imò etiam impios, circumuallari. Ac minitatur cum indignatione tacita excidium corpori & bonis, Quasi diceret, Si in mea manu esset Hiob, ostenderem quid valerem, & quomodo ille laudes tuas sonare deberet, efficerem vt in faciem tuam malediceret. Permittit autem Dominus, vt corpus excruciet, & facultates rapiat, sed vitam non eripiat.

Eiusmodi igitur exempla docent omnem maliciam & vexationem Diaboli esse tantùm eruditionem & castigationem, qua excitemur ne stertamus, & torpescamus, atque ita inter oscitantes opprimamur. Confirmatur autem simul, & manet salua ac certa doctrina hæc, quod Angeli sint castra Dei, non obstante eo, quòd multa mala accidunt in hac vita propter malos Angelos.

QVOMODO CVSTODIA DEO TRIBVATVR CVM TAMEM ANGELORVM ETIAM MINISTERIO *ad eam vtatur.*

Sed hic monendum est, Deo tribui custodiam vitæ nostræ, regnorum, pacis, vrbium, cum tamen eam faciat mediantibus primum Angelis, Deinde principibus, parentibus, &c. Fit autem id ideo, vt statuamus ista media nihil valitura esse in custodiendo & curando, nisi supremam curam horum negociorum susciperet Deus. Vtitur itaque ministerio Angelorum & principum, sicut pane & vino Nam sicut panis & vinum per se vitam non conseruant, alioqui nemo moreretur, & tamen propter Dei ordinationem, & naturæ nostræ conditionem, ad conseruationem vitæ sunt necessaria, Ita quoque, Angelorum, Principum & aliorum mediorum custodia per se nihil esset, nisi custos Israel vigilaret & custodiret. Tom. 4. Icnens. 2. Psalm. Grad. fol. 429.

QVAESTIO CVR RARO APPARVERINT ANGELI IN NOVO TESTAMENTO.

Gene. cap. 22. Tom. 2. fol. 197. Cæterùm hoc loco quæri potest cur apud nos & invniuersum in nouo Testamento rarius apparuerint Angeli, quàm in veteri Testamento. Respondeo, ideo hoc fieri, quia apparuit & missus est Filius hæres omnium. Antea quidem præmissi sunt ministri & nuncij, vt solet fieri à principibus & regibus in mundo, qui monerent populum de aduentu Domini. Ipso autem præsente, nihil opus est ministris & præcursoribus.

Postquam Deus misit Filium, reuelauit omnia, repleuit orbem sapientia cœlesti, attestantibus signis & miraculis à Christo editis. Sicut inquit Paulus. 1. Timoth. 3. Deus manifestatus est in carne, iustificatur in Spiritu &c. Ideo non expetendæ sunt Angelorum apparitiones.

Post Christum exhibitum, Diabolus horribiliter mundo illusit immissis spectris, & malis Angelis, vt testantur exempla superioris ætatis. Sed fuit ea pœna ingratitudinis hominum, qui Dominum ipsum præsentem contempserunt, & inani curiositate nouas reuelationes quæsiuerunt.

Sic initiò renati Euangelij Monetarius, Caroloſtadius & Sacramentarij exorti sunt, qui relicto Euangelio, tradito per Spiritum Sanctum de cœlo, peculiares illuminationes sectati sunt. Quidam eo dementiæ peruenerunt, vt gloriarentur se vocem Dei in cœlo loquentis audire.

Hic necessariò opponenda fuit veritas & lux Euangelij, & pugnandum contra eiusmodi fanaticos, qui sine verbo voluntatem Dei scrutandam putabant. Tales fuerunt olim Enthusiastæ, item Manichæus & omnes hæretici, qui voluerunt similes esse Patriarchis, quibus subinde clarius reuelata sunt oracula Dei, donec Christus lux ipsa prodiret in hunc mundum.

Sic Pontifices noua deliria commenti sunt ex promissione Christi malè intellecta, cum dicit Iohan. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Finxerunt non omnia per Christum & Apostolos tradita esse, quæ sunt ad salutem nostram necessaria. Sed multa oracula reseruata esse Episcopis & sibi, subinde clarius Ecclesiæ proponenda.

His

His delitijs omnibus opponatur vox Christi: Habent Mosen & Prophetas. Item Dominus ipse venit, hic tollantur portæ vt intret. Non enim est seruus qualis Moses, aut Spiritus ministrantes sunt, sed Dominus ipse.

Hæc tradenda & ad posteros quoque propaganda sunt, vt fugiant & detesten tur reuelationem nouarum Doctrinarum, & custodiant mandatum illud cœleste. Hunc audite, id est Euangelistas, Apostolos. Hos legant & audiant. Item vetus Testamentum, quod fert de istis omnibus fidele testimonium.

Quod si præter hæc aliquid reuelatur, oportet vt habent Analogiam fidei, & fit reuelatio intellectus Scripturæ. Alioqui Diabolica est. Satan me quidem sæpe tentauit, sicut & Augustinum, qui deprecatur ne Angelus sibi appareat, vt postularem signum à Deo. Sed absit à me, vt huic tentationi adsentiar. Martyres sine Angelorum apparitione solo verbo confirmati, mortem oppetierunt pro nomine Christi. Cur non eodem & nos acquiescamus? Satis euidens & illustris apparitio est Baptismus, Eucharistia, Claues, Ministerium verbi, æquale imò exuperans omnes omnium Angelorum apparitiones, quorum collatione Abraham guttulas tantùm & micas habuit.

Ego igitur non curo Angelos, & soleo Deum quotidie precari, ne quenquam ad me mittat, quacunque de causa. Quod si offerretur aliquis, non audirem sed aduersarer, nisi de politica necessitate aliquid significaret, sicut somnia omnia iucunda & læta in rebus ciuilibus interdum solent nos exhilarare. Et tamen haud scio, an etiam in tali casu auscultare, & credere ei velim. Verùm in rebus Spiritualibus non requiramus Angelos. Quia promissio Dei abundè in Christo exhibita & patefacta est. Reliquit is mihi verbum, quo me erudio & confirmo. Nec est quod verear eum varium aut mutabilem esse, qui subinde aliam atque aliam doctrinam edat. Sicut Num. 23. dicitur: Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Habemus sermonem Dei, Eucharistian, Baptismum, Decalogum, coniugium, politicas ordinationes & oeconomiam. His acquiescamus, & exerceamus nos vsque in finem mundi.

Gregorius vt videre est in eius Dialogis, credidit simpliciter omnibus apparitionibus. Sicut inter reliqua de Festo S. Michaelis multa commenti sunt. In monte Gargaro Michaelem templum consecrasse, & Bouem confodisse, qui eo die Festo arauerat. Ego dixissem: Quid tibi cum monte Gargaro, cuius Dominus est Rex Apuliæ? Tu non es Michael, sed Diabolus.

Talibus mendacijs referti sunt Papistarum libri, & accidit id nostra culpa. Quia noluimus audire Dominum, & postulauimus Angelos, reuelationes, & apparitiones, ideo magna copia quod quæsiuimus offendimus magno nostro malo.

Sic enim Paulus iudicat 2. Thessa. 2. Eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, Ideo mittet illis Deus efficaciam erroris, vt credant mendacio. Comtempsimus illum Doctorem, de quo dictum est: Hunc audite. Item Spiritus Domini super me &c. Habuimus aures prurientes, & à veritate auditum auertentes, ad fabulas conuersi sumus. Ideo inuenimus qui aures fricarent.

Ego si essem Rex, & misissem alicui filium meum vnicum oblato simul regno & omnibus bonis, & is tantum beneficium aspernaretur, mitterem ei crucem & omnis generis mala. Sic nos cùm Euangelium confirmatum signis è cœlo non receperimus, An non digni fuimus, qui acciperemus totam legionem Diabolorum pro vno Angelo bono, quem vidit Abraham?

CHERVBIM ET SERAPHIM QVID.

De Cherub quantum ego potui ex lectione conſequi meam ſententiam dicam. Videtur enim mihi Cherub ſignificare faciem illam floridam, quæ eſt in puellis, & iuuenibus in prima ætate, ſicut etiam pinguntur Angeli ſimiles infantibus, vt Cherubin intelligas Angelos, qui apparent facie non rugoſa, non triſti, ſed læta & exporrecta fronte, facie plena & pingui, ſiue ſit ea humana facies, ſiue alia. Eſt igitur Cherub nomen generale, quod non conſtituit nomen ſigulare inter ordines Angelorum, ſicut Dioniſius ſomniat, ſed ad apparentiam pertinet, quod florida ſpecie & iuuenili facie ſe offerunt hominibus.

Atque hæc etiam Ebreorum ſententia eſt, qui dicunt Cherub eſſe Chaldaicum ac Kappa, eſſe ſeruilem literam. Rub autem ſignificare formoſum adoleſcentem, qui ſit plena & florenti facie, lætos hinc Kembin appellari Angelos, quaſi florentes facie, lætos & iucundos, ſicut etiam pinguntur ferè.

Si Seraphim etiam generale nomen eſt Angelorum, ab igni ſeu ardore propter qualitatem formæ, ſicut oſtendit locus Num. 21. Immiſit Deus in populum Hannehaſchim, Ha Seraphim, ſerpentes Seraphim hoc eſt vrentes vel ignitos vt intelligas Seraphim Angelos, non ſolùm formoſa & plena facie, ſicut ſunt Cherubim, ſed etiam fulgentes, ſicut in Euangelio pinguntur ad ſepulchrum Domini ſediſſe. Erat inquit textus, forma eius ſicut fulgur. Matth. 28. Huc pertinet Pſalmus 103. Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis, hoc eſt rutilantem ignem. Sicut Lucæ 2. dicitur. Quod cùm Angelus venit ad paſtores, circumfulſit eos claritas Domini. Talis etiam fuit Chriſti facies in monte Tabor. Tales erunt noſtræ quoque facies, cùm excitabimur in extremo die ad gloriam à Chriſto nobis partam.

Quod autem in libris Regum eſt de chenibicis cortinis, intelligit etiam facies iſtas plenas & vegetas Angelorum, vnà cum alis. Non quòd habeant Angeli alas, Sed quòd aliter pingi non poſſunt. Sicut Eſai. 6.

Cherub appellatur Angelus, qui venit volans, læta & formoſa facie, quales in tapetis pinguntur. Quod ſi etiam accedat rutilanti, vt ſic dicam, qualis Stephani facies fuiſſe dicitur læta & hilaris, ex cuius oculis meræ læticiæ radiabant, tum dicuntur Seraphim. Nos Germanicè poſſumus dicere facies. **Die bluehen vnd gluehen.**

Tales nos quoque erimus, lucebunt facies noſtræ ſicut Sol in meridie, non erunt rugæ illæ, non contracta frons, non oculi purulentia, ſed ſicut Apocalypſis 21. dicitur: Abſterget Dominus omnem lachrymam ob oculis noſtris, vt non mors, non luctus, non querelæ, non labor vllus ſit reliquus. Hanc ſpem retineamus, & viuamus in timore Dei, donec liberati ex hac calamitoſa vita, viuamus illam Angelicam & æternam vitam, Amen. Gene. cap. 3. fol. 68.

ANGELI SOLENT ASSVMERE HVMANAM FORMAM.

Quis Angelus fuerit, qui cum Hagar locutus eſt, Moſes non explicat, Hilarius ſentit fuiſſe ipſum Deum, & ferè huiuſmodi apparitiones Angelorum accommodat ad myſterium Trinitatis.

Eſt

Etsi autem homines quoque vocantur Angeli, tamen Angelum hunc indutum specie hominis hunc fuisse existimo. Cùm enim se ostendunt hominibus, speciem corporis, in qua apparent, assumunt.

Sic oculis cerni potuit Angelus, qui Paradiso iustus est additus. Item duo illi, qui eduxerunt Lothum è Sodomis, qui adsederunt ad sepulchrum Domini, qui docuerunt discipulos de reditu Christi ex nubibus.

Mos enim hic perpetuus est Angelis, vt appareant in forma humana, siue iuuenili siue senili. Sicut enim nos non semper eadem veste vtimur. Sed nunc hac, nunc alia induti, nihil amittimus, aut mutamus de corpore nostro: Ita Angeli manent ijdem Spiritus, licet non semper eadem specie sese hominibus offerant, sed quasi vestem mutent. Genes. cap. 16. Tom. 2. fol. 68.

ANGELI BONI DIMICANT CVM MALIS.

Moses significat esse mirabilem dimicationem & certamen in omnibus diuinis operibus, & quòd Deus omnia efficiat per Angelos, tanquam disceptando cum Satana, vt exemplum ex Daniel. 10. declarat. Habemus enim Angelos adiunctos, sed sunt in perpetua disputatione & redargutione cum Diabolo, qui nititur impedire hoc opus, quod Angeli promouere cupiant.

Videbat Diabolus Rebeccam esse puellam piam, pudicam, & honestissimè educatam, eamque futuram coniugem Isaac, & matrem benedicti seminis, ideo enim aderat seruus cum mandatis, vt eam abduceret, Id conatus est impedire, fuit igitur opus disputatione & redargutione boni Angeli, qui cum seruo erat, & seruus id vnum optabat & precabatur, vt Dominus certando cum Dæmone per bonos Angelos tandem vinceret.

Hæc significatio verbi (Hochachta) propria, & genuina huius loci sententia est. Quòd disputata sit puella, vt sic dicam, id est disputando acquisita. Propterea quòd inter Angelos bonos & Dæmones perpetua disputatio est. Boni Angeli proponunt & promouent bonum: Mali opponunt malum, & horum obiectiones impias soluunt pij, & reprehendunt aduersariorum Spirituum consilia & conatus. Genes. 24. Tom. 2. fol. 240.

DIFFERENTIA INTER SPIRITVALEM ANGELORVM CONDITIONEM ET ADAE *innocentiam.*

Est magna differentia inter spiritualem Angelorum conditionem & Adæ innocentiam. Angeli vt nunc sunt non possunt cadere. Adam autem potuit cadere. Fuit enim in tali statu, in quo poterat fieri immortalis (erat enim sine omni peccato) & ex puerili gloria, in immortalem vitam transferri in qua non posset posthac peccare. Poterat enim ab ista innocentia puerili ruere in maledictionem, peccatum, & mortem sicut accidit. Immortalis erat Adam, quia habebat conditas arbores, quarum fructus ad conseruationem vitæ valebant. Sed immortalitas hæc, non sic ei erat confirmata, vt impossibile esset eum cadere in mortalitatem.

Quare autem Deus in hoc medio statu voluerit hominem condere, non est nostrum definire aut scrutari curiosius. Sicut neque illud. Quod homo sic est conditus, vt ab vno per generationem, propagentur omnes. Angeli non sic sunt

conditi, non enim generant, nec propagantur, viuunt enim ſpiritualem vitam. Dignum autem admiratione eſt conſilium Dei in creando homine, quem, cum condidiſſet ad animalem vitam & actiones corporales, addidit tamen potentiam intellectiuam, quæ in Angelis quoque eſt, vt ſit homo mixtum animal, ex brutali & Angelica natura. Geneſ. cap. 2. fol. 32.

ANGELOS CONDITOS ESSE IN MEDIO STATV.

Porrò quoniam in mentionem de natura Angelorum incidimus, non diſſimulandum eſt, quod Patres ſcribunt, ſimilitudinem aliquam fuiſſe inter conditionem hominis & Angelorum. Sed hæc ſimilitudo neutiquam referenda eſt ad propagationem, quæ in ſpirituali natura non eſt, ſed ad imperfectionem. Sicut enim de homine conſtituto, quaſi in medium, dixi, ita quoque Angeli, cum primùm ſunt conditi, non ſunt ita conſtabiliti in ſua natura, vt non poſſent peccare.

Ideo Chriſtus Iohannis 8. dicit: Non ſtetiſſe eum in veritate. Hinc imaginati ſunt ſancti Patres, ortam pugnam ſeu ſeditionem inter Angelos, quibuſdam fouentibus partes pulcherrimi Angeli, efferentis ſe ob certa dona ſuper omnes. Veriſimilia hæc ſunt, neque enim abludunt ab eo quod Chriſtus dicit, eum in veritate non ſtetiſſe, & quod Iudas dicit in ſua Epiſtola, deſeruiſſe eos ſuum domicilium & Apoſtataſſe.

Atque ad hanc ſententiam accommodarunt quoque locum Eſai. 14. Sed quod ad Eſaiam attinet, certum eſt eum loqui de rege Babylonis, qui voluit ſedere in Solio Dei, hoc eſt Dominari populo Sancto & templo. Siue igitur diſſenſio fuerit, ſeu quod mihi magis probatur, ſuperbi Angeli offenſi in humilitate Filij Dei, voluerunt ſe ei præferre, certum eſt fuiſſe Angelos quoque in tali ſtatu innocentiæ, qui tamen mutari potuit. Poſtquam autem mali ſunt iudicati & damnati, boni ſic ſunt confirmati, vt non poſſint amplius peccare. Omnes enim ſunt electi, reprobis reiectis.

Quod ſi Draco, ſiue mali Angeli perſtitiſſent in innocentia, etiam ſic eſſent poſtea confirmati, ne poſſent cadere. Ad hunc modum Patres loquuntur, quod ſint Angeli in iuſticia creati, & poſtea in ea etiam confirmati. Sed eos qui lapſi ſunt, ſecundum Chriſti dictum, in veritate non ſtetiſſe. Non autem putabimus, paucos numero fuiſſe. Nam Chriſtus in Euangelio dicit, quod Satan habeat regnum, & quòd ſicut inter latrunculos vnus eſt qui gubernat omnia autoritate & conſilijs, ita quoque mali Angeli, habent principem ſuum Baalzebub, qui ſeditionis iſtius caput fuit. Geneſ. cap. 2. fol. 32.

DE LAPSV ANGELORVM.

De pugna & lapſu Angelorum, nihil omninò extat in Scriptura, niſi quòd Chriſtus dicit: In veritate non ſtetit. Et Moſe infrà cap. 3 commemorat miſerabilem hiſtoriam de ſerpente. Mirum igitur eſt tacere de his tantis rebus Moſen.

Hinc factum eſt cum nihil certi haberent homines, vt aliquid fingerent, nempe, quod nouem fuerint Angelorum chori, ac tanta multitudo, vt nouem totos dies ceciderint. Finxerunt etiam de pugna maxima, quomodo boni Angeli reſtiterint malis. Hoc puto ſumptum eſſe ex pugna Eccleſiæ, quòd ſicut pij Doctores pugnant contra malos & fanaticos: Ita etiam ſomniant inter Angelos fuiſſe pugnam contra malos, qui voluerunt vſurpare diuinitatem. Sed ita fit vbi nulla cla-

ra teſtimonia extant, ita plerumque exiſtimant homines temerarij ſibi licere fingere quælibet.

Hinc etiam de periculo & metu Angelorum meditantur ex loco Eſaiæ, vbi Lucifer dixit: Aſcendam in cœlum, ſuper aſtra Dei ponam ſolium meum, &c. Etſi Propheta ibi de ſuperbia regis Babyloniorum vaticinetur. Et Bernhardus cogitat Luciferum vidiſſe in Deo, fore vt homo ſuper angelorum naturam eleuaretur. Hanc homini fœlicitatem ſuperbum ſpiritum inuidiſſe, ac ſic eſſe lapſum. Sed valeant iſta quantum merentur. Ego neminem coegerim talibus opinionibus aſſentiri. Hæc tamen ſunt certa, & lapſos Angelos, & Diabolum ex Angelo lucis eſſe factum Angelum tenebrarum. Fortè etiam inter ipſos Angelos bonos & malos concertatio fuit.

Sed quia Moſe ſcripſit rudi & nouo populo, quæ ſcitu erant neceſſaria & vtilia ſcribere voluit. Alia quæ non erant neceſſaria, de Angelorum natura & ſimilibus præterijt. Quare à nobis quoque, de hac tota re nihil debet expectari amplius, præſertim cum nouum quoque teſtamentum parcius de hoc loco agat, nihil enim addit quàm quòd ſint damnati, & teneantur quaſi in carcere vincti, vsque ad iudicij diem. Igitur ſatis nobis ſit iſta ſcire, eſſe Angelos bonos & malos. Deum autem creaſſe omnes pariter bonos. Hinc ſequitur neceſſariò, malos Angelos eſſe lapſos, & non ſtetiſſe in veritate. Quomodo autem id ſit factum, neſcitur, veriſimile tamen eſt, ex ſuperbia eſſe lapſos, quod verbum ſeu Filium Dei contemſerunt & ſe ei voluerunt anteferre, plura non habeo. Gene. cap. 1. fol. 7.

CAVSA LAPSVS.

Extat Bernhardi dictum de lapſu malorum Angelorum, qui fingit ſicut poetæ figmenta habent, illam fuiſſe occaſionem lapſus Satanæ de cœlo: Quia viderit Filium Dei incarnandum eſſe, & aſſumpturum hanc miſeram maſſam humani generis, Deinde Angelis demandari miniſterium, & curam naturæ humanæ, quæ ipſis longè erat miſerior, indignitate igitur rei motum, contempſiſſe Filium Dei, ideoque cœlo excidiſſe.

Satis pulchra & pia cogitatio eſt & videmus id malum à Satana quoque poe peccatum omnibus hominibus inditum, quo quis eſt locupletior, doctior, formoſior, hoc inſoleſcit magis. Sicut poeta Ethnicus teſtatur: Nec ſeruare modum rebus ſublata ſecundis. Homines igitur monendi ſunt, vt fugiant hunc Diabolicum faſtum, & agnoſcant ſuam miſeriam. Si enim Angeli lapſi ſunt, propter illam ſuperbiam & magnitudine & præſtantia donorum, etiam hominibus ea exitio erit, & præſertim ijs, qui de rebus diuinis ſibi iudicium temere ſumunt, & cum vix vnciam ſapientiæ habeant, centenarium ſe poſſidere putant. Geneſ. cap. 24. Tom. 2. fol. 237. plura vide. Geneſ. cap. 28. Tom. 3. foli 84.

PECCATVM DIABOLI.

Voco autem hoc Diabolicum peccatum & non humanum, quia Diabolus in æternum odit, accuſat & damnat Deum, ſe autem iuſtificat. Nec poſſibile eſt vt ex corde dicat: Domine peccaui, ignoſce mihi. Alioqui vt in Martini hiſtoria legitur,

non esset desperandum ei de venia, quæ venia impossibilis est, dum peccatum non agnoscit, & Deum blasphemat, tanquam sine causa exercentem iniustam crudelitatem in creaturas. Genes. cap. 3. fol. 52.

QVANDO ACCIDERIT.

De lapsu Angelorum incertum est, quo die acciderit, secundo ne an tertio? Hoc tantùm ex Euangelio ostendi potest, cecidisse eum de cœlo, sicut Christus testatur, vidisse se quomodo de cœlo ceciderit.

An autem perfecti tum fuerint cœli, & an rudes adhuc & imperfecti, nescimus. Genes. cap. 3. fol. 43.

DIVERSA DAEMONIORVM GENERA.

Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur nisi ieiunio & oratione, hoc sonat. q. d. Alia genera Dæmoniorum eijci possunt sine ieiunio & oratione sed hoc genus non potest &c. Quasi manifestè asserens diuersa esse genera Dæmoniorum. Deinde cogitatio mea est, quod Christus istis verbis voluerit significare, politiam inter Dæmones, scilicet, quòd quidam sint deputati isti peccato, alij alijs, vt alij sint Spiritus superbiæ, alij inuidiæ, alij auaritiæ, alij fornicationis, Et ita singuli præfecti inter illos, singulis vitijs præsint, veluti prouincijs sibi commissis. Igitur sicut Italiæ Spiritus, est Spiritus superbiæ, Germaniæ Spiritus crapulæ & ebrietatis, Græciæ Spiritus mendacij & leuitatis, Galliæ libidinis & perfidiæ &c. Ita & singulis hominibus, singula vicia habent suos Spiritus, & præcipuè istum Spiritum, cuius vitio homo iste laborat. Tom. 4. Ienens. fol. 371.

PROPRIETATES MALORVM ANGELORVM.

INEST EIS HORRIBILIS SECVRITAS.

Genes. cap. 3. fol. 43. Manifestum est, fuisse in serpente aliquid deterius, quod propriè possit aduersarius vocari Dei, mendax & homicida Spiritus, in quo maxima & horribilis est securitas, quòd non veretur deprauare mandatum Dei, & sollicitare hominem ad idolatriam ex qua nouit totum genus humanum periturum esse. Verè horribilia hæc sunt cum rectè à nobis æstimantur. Acvidemus etiamnum in Papistis & alijs Sectis exempla similis securitatis, qua verbum Dei deprauant, & homines seducunt, &c.

CALLIDITAS ET ASTVCIA SINGVLARIS.

Genes. cap. 3. fol. 42. Satan imitatur Deum. Sicut enim Deus erat concionatus Adæ, ita ipse quoque concionatur Heuæ. Verum enim est, quod prouerbio dicitur: In nomine Domini incipit omne malum.

Significat autem hoc Moses per verbum, Dixit. Hoc enim egit Satan, vt per suum dicere, abduceret Heuam ab eo, quòd Deus dixerat, ac sublato verbo, corrupit optimam voluntatem, quam antea habuit homo, vt fieret rebellis, corrupit etiam intellectum, vt dubitaret de voluntate Dei. Ex his sequitur postea rebellis manus, contra mandatum Dei extensa, ad pomum carpendum. Deinde os & dentes rebelles. In summa omnia mala sequuntur incredulitatem seu dubitationem

nem de verbo & Deo. Quid enim potest esse peius, quàm inobedientem esse Deo, & obedire Satanæ? Hanc astuciam & maliciam Satanæ imitantur omnes hæretici, &c.

Tom. 2. Ienens. fol. 80. Psalm. 6. Dæmones verè sunt callidissimi incitatores animarum ad inobedientiam, sub specie obedientiæ. Quando proprium est eis, se transfigurare in Angelum lucis, tum maximè quando minimè oportet, id est in tribulatione.

MALITIA DIABOLI EST INFINITA.

Tom. 4. Ienens. fol. 313. Matthæ. cap. 10. Satan est mille artifex semper nouas subinde calumnias inueniendi, vt nulla regula certa possit, vllus prædicator satis muniri, quid vel quomodo sit respondendum.

Quia paratus est semper ex quolibet verbo nouas deprauationes torquere, & est eius malicia infinita. Et ita fit, vt præmeditata omnia frustrentur, & aliud veniat in accusatione, quàm putassemus. Ideo opus est præsente Spiritu Sancto, qui istum vertumnum & Protheum capiat, vel saltem ab eius versutijs, tutos seruet, ne nos capiamur, &c.

CANON THEOLOGICVS DE DIABOLI INSIGNI MILICIA GENES. CA. 21.

Tom. 2. fol. 174.

Est autem hic Theologicus Canon Satanam afflictis addere afflictionem, & errantes corpore, facere vt etiam corde errent: Sic enim solet vt Germanico prouerbio dicimus, vbi sepes humilis est in ea parte transcendit eam, & qua in parte inclinat currus, in eam incumbit vt penitus euertat.

Accesserunt igitur ad has calamitates cogitationes tristissimæ, quarum egregius instructor Satan est, quo ibo nunc cogitauit, (Hagar) ego miserè eiecta mulier? Neque Deus in cœlis est, qui miseratur nostri, neque homo in terra, Deus odit nos, igitur sinet nos mori hic, & perire in deserto siti & fame, &c.

Hæc est illa Pestilens additio, à qua Satan nomen habet, quod vocatur Leuiathan, quòd ex corporali facit spirituale, & oneri addit maius onus. Dicit autem Hiob: Hamo eum capi non posse, hoc est humanis viribus non posse repelli. Est Leuiathan seu adiector, qui semper ad alteram lancem libræ aliquid addit & deprimit, & inclinatum currum euertit.

Sic autor Apocalypseωs appellat Satanam accusatorem fratrum nostrorum, qui enim securi sunt hos facit adamantinos planè, sicut nostri Antinomi sunt. Qui verò imbecilli & timido sunt animo, hos terroribus, ceu impetu fulminis prosternit. Plura vide. Gene. Tom. 3. cap. 28. fol. 82.

AD LAPSVM SANCTORVM GAVDET.

Tom. 2. Ienens. fol. 151. Psal. 13. Quomodo Dæmones exultent, quos credimus damnationem suam vbique secum ferre, alijs relinquo explicandum. Satis abundant exempla, fuisse eos ad lapsum Sanctorum gauisos, Et si exempla non essent, tamen huius Scripturæ autoritas (Psalm. 13.) sufficit ad rei veritatem astruendam fidelibus.

MALIGNITAS QVOD INSTAT.

Tom. 4. Ienens. fol. 423. in 1. Psal. Graduum. Sic enim solet maligNus Spiritus, quos magnitudine vel multitudine tentationum vincere nequit, superat tædio. Itaque multi inexperti bellorum spiritualium, in principio quidem pugnant fortiter, sed in fine languent & deficiunt.

SVPER-

SVPERBIA.

Est Superbissimus Spiritus, qui non potest in illam humilitatem respicere, (Videl. incarnationis Filij Dei.) Vt boni Angeli, sed perpetuò in cœlum suspicit & vult esse similis altissimo. Ideo etiam tam horribiliter lapsus est. Genes. cap. 28. Tom. 3. fol. 85.

POTENTIA.

Genes. cap. 19. Tom. 2. fol. 132. Quod si absque custodia esset Angelorum, & Dominus hoc modo Satanæ furorem non arceret, non viueremus vno momento. Nam quid possit Satan, & quid cupiat maximè, satis certum documentum ex Hiobis historia sumi potest, excitat tempestates, mittit fulmina, seu vt Scriptura loquitur, ignem deijcit de cœlo, immittit hostes, etiam ipsum corpus corrumpit, & replet vlceribus.

Et Tom. 3. Ienens. fol. 372. Iesai. cap. 35. Satan longè potentissimus hostis est & intolerabilis, propter varias artes & indefessam assiduitatem. Ideo Paulus in Thessa. & Mattheus πειράζοντα vocant, quod nunquam cessetà tentatione, sed subinde noua pericula & fraudes nouas excogitet, in quas nos inducat, semel victus statim redit, in nouum certaminis genus prouocans. Quare nobis quoque danda est opera, quoniam tam impar congressus est, vt diuinis armis, verbo, fide, ac oratione instructi, ei occurramus, ne incauti per fraudem oppressi, succumbamus. Plura vide. Genes. cap. 27. Tom. 3. fol. 69.

NON DORMIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 342. Matth. cap. 13. Admoniti esse debemus, Diabolum non dormire, sed circumire quærentem quem deuoret. Quia non est sperandum quòd cessabit seminare inter Ecclesiam malos, ideo vigilandum & orandum est.

OCCVPAT LOCA SANCTA.

Genes. cap. 28. Tom. 3. fol. 92. Diabolus est superbus Spiritus, ideo libenter occupat loca sancta & munda, qualis iste fuit. Sicut testatur vox Iacob: Terribilis est locus iste, &c.

HABET GLADIVM CRVENTVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 468. Psalm. 45. Arma Diaboli sunt deformia & terribilia, quia sunt arma mortis, peccati, iniquitatis, tristitiæ. Nam Satan etiam habet gladium, sed cruentum, turpissimum & pessimum. Nostri autem Regis arma sunt gratiosa. Nostri enim Regis gladius, non ideo pecutit, vt perdat homines, sed vt saluet.

MIRVS ARTIFEX EXTENVANDI PECCATVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 19. Galat. cap. 1. Diabolus ipse non venit vt Diabolus præsertim candidus ille, Imò ater etiam Diabolus, & manifesta flagitia impellens, operculum facit homini, vt peccatum quod commissurus est, vel committit extenuet. Homicida non videt in furore, tam grande & horrendum peccatum

catum esse homicidium, vt reuera est, quia habet operculum. Adulteri, fures, auari, ebriosi, &c. Habent suas blandicias & opercula. Ita Satan etiam ater in omnibus operibus & consilijs suis, prodit personatus & fucatus. At in spiritualibus vbi non ater, sed candidus Angelica & diuina specie prodit Satan, Ibi callidissima dissimulatione, ibi miris artificijs fallendi vincit seipsum, suumque nocentissimum venenum, venditare solet pro doctrina gratiæ, pro verbo Dei, pro Euangelio Christi, &c.

OPERA SEV ACTIONES SATANAE.

ODIT FILIVM DEI ET PERSEquitur.

Genes. cap. 3. fol. 56. Hoc odium Satanæ & furorem hunc prædicit hoc in loco Dominus, cùm admonet de inimicitia posita. Nam Satan primùm per omnes gentes & populos totius orbis semen mulieris infesto odio quæsiuit. Deinde cùm ad Abrahæ posteritatem promissio translata est, videmus quàm variè promissionem sit conatus impedire. Ac tribus Iuda, ad quam tandem promissionem Dominus transtulit, quàm horribilibus calamitatibus excepta & agitata est, donec tandem videretur tota subuersa & eradicata esse. Ac sub tempus Christi nascendi, pauper Maria longè à Hierusalem in ignobili oppidulo Nazareth viuebat, Hierosolymis dominabantur impij. Rectè igitur comparatur tribus hæc emortuo trunco, sed tamen quia Deus mentiri non potest, efflorescit Radix illa sic desperata.

Nondum igitur de crudelitate, odio, & inimicitia sua, contra Semen mulieris quiescit Satan, in curris positum per Herodem quærit, ita vt Christo inter gentes in Aegypto viuendum esset. Postea omnia conatur ac tentat, donec deprehensum in horto, Iudæis obijciat, ac cruci affigat. Sed ne morte quidem eius satiari potest inexhaustum odium, etiam à sepulto metuit, tam acres sunt inimicitiæ ei cum Filio Dei. Quem cùm nunc videt ad dexteram Dei sedere, & esse quod dicitur ἐξωβελῶν, sæuit omni genere furoris contra misera eius membra & Ecclesiam. Horum periculorum omnium hic vaticinia sunt, in quibus tamen fiducia Filij Dei, conterentis Satanam, magno nos animo decet versari.

EST HOMICIDA ET MENDAX.

Tom. 4. Ienens. fol. 417. Psalm. 1. Graduum. Porrò homicidium varium est, quo Satan Ecclesiam adfligit. Alios sensu mortis, alios calumnijs, alios iniurijs inimicorum, odijs, periculis, & alijs calamitatibus exercet. Hæc omnia ad vim pertinent.

Ad mendacium autem pertinent, quæ per suos ministros, maximè intra ipsam Ecclesiam, facit per falsa dogmata, quibus perturbat conscientias, Item per tentationes interiores, cum fatigat pios venenatis suis telis desperationis, diffidentiæ, blasphemiæ, & sic sub nomine Dei, occidit & ad infernum abripit. Hæc enim omnia complectitur mendacium. Atque de his periculis videmus Ecclesiam non solùm in Psalmis, sed in omni Scriptura accerbissimè conqueri, quod petatur vi, dolo, sectis, hæresibus.

ODIT

ODIT EVANGELIVM ET INCITAT IMPIOS CONTRA ILLVD.

Gala. ca. 1. Tom. 4. Ienenſ. fol. 7. Diabolus non poteſt non vehementer iſtam doctrinam impugnare vi & dolis, neque quieſcit donec eam opprimat, aut per Tyrannos, aut certè per fanaticos Spiritus deprauet, ac tandem pro ea, ſub ſpecie tamen pietatis, impiam hominibus ſecuris & ſtertentibus obtrudat. Et propter hanc vnicam cauſam, quod doctrinam Euangelij purè tradimus, habemus Diabolum infenſum, qui contra nos ſæuitiam mundi, & hæreticorum acerbiſſimum odium excitat.

EST HOSTIS FIDEI.

Gala. ca. 1. Tom. 4. Ienenſ. fol. 13. Satan non omittet, quin omnes articulos Fidei in nobis impugnet, antequam moriamur. Infenſiſſimus hoſtis eſt fidei, quia eam nouit eſſe victoriam, quæ vincit mundum. Ideo oportet nos dare operam, vt fides noſtra certa ſit, diligenti & aſſidua tractatione verbi & inuocatione creſcat & confirmetur, vt Satanæ reſiſtere poſſimus.

VARIIS INSIDIIS TENTAT FIDEM.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 15. Noui aſtucias Diaboli, quòd non ſolùm legem tunc (in agone) ſoleat inflare, vt nos teneat. Item quòd ex teſtuca, multas & magnas trabes, hoc eſt ex non peccato infernum, faciat, (Eſt enim mirabilis artifex aggrauandi peccatum, & inflandi conſcientiam etiam in benefactis) ſed quòd ſoleat etiam terrere nos, per ipſam perſonam Mediatoris, in quam transformat ſe, Et citato aliquo Scripturæ loco, vel Chriſti dicto ſubitò percellens cor, ſic ſeſe nobis oſtendit, ac ſi eſſet verus Chriſtus, ſinitque nos in hoc ſpectro hærere, quod conſcientia iuraret eum eſſe Chriſtum, cuius hæc ſententia ſeu dictum ſit. Inſuper ea eſt calumniatoris aſtucia, quòd tantùm partem Chriſti, non totum Chriſtum proponat, ſcilicet, eum eſſe Dei Filium, natum hominem ex virgine. Deinde ſubitò aſſuit aliquid alienum, hoc eſt opponit dictum aliquod Chriſti, quo ipſe peccatores terret. Quale illud eſt Luc. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Sic veram Chriſti definitionem inficiens veneno & vicians, hoc efficit, vt etiamſi credamus Chriſtum mediatorem eſſe, tamen reuera conſcientia afflicta, ſentiat & iudicet eum Tyrannum & iudicem. Hoc modo decepti à Satana, facilè amittimus dulciſſimam Imaginem Pontificis & Saluatoris Chriſti, qua amiſſa exhorreſcimus eum non minus, quàm ipſum Diabolum.

PLVS NOCET A DEXTRIS, QVAM A SINISTRIS.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 19. Diſcamus hoc eſſe proprium artificium Diaboli, Quod ſi non poteſt nocere perſequendo & deſtruendo, facit hoc corrigendo & ædificando. Sic hodie vi & gladio perſequitur nos, vt nobis deletis, Euangelium non ſolùm obſcuret, ſed prorſus euertat. Sed hactenus nihil effecit. Quia multos occidit, qui conſtanter confeſſi ſunt, hanc noſtram doctrinam eſſe Sanctam & diuinam, quorum ſanguine Eccleſia non deleta, ſed rigata eſt. Cum igitur hac via nihil promouerit, ſuſcitat nequam Spiritus, impios Doctores, qui primùm noſtram doctrinam probant, & eam nobiſcum communi conſenſu docent. Poſtea

Postea verò dicunt, Hanc esse nostram vocationem vt traderemus prima rudimenta doctrinæ Christianæ, sibi autem reuelata esse diuinitus vera mysteria Scripturæ, & in hoc vocatos, vt ea mundo perirent. Hoc modo impedit Satan Euangelij cursum à dextris & sinistris. A dextris tamen, vt dixi, plus nocet ædificando. & corrigendo, quàm à sinistris persequendo & occidendo. Quare nobis indesinenter est orandum, legendum, hærendum in Christo & verbo ipsius, vt astucias Diaboli, quibus nos adoritur à dextris & sinistris vincamus. Non enim est nobis lucta aduersus carnem & sanguinem, &c. Ephes. 6.

REDVCIT HOMINES A FIDE AD LEGEM.

Tom. 4. Ienens. fol. 120. Galat. cap. 4. Nos assiduo ac diligentissimè inculcamus, vrgemus & acuimus, prædicando, prælegendo, scribendo doctrinam fidei, discernimus puriſſimè Euangelium à lege, & tamen parum efficimus Culpa est Diaboli, qui mirus est artifex seducendi homines. Nihil minus ferre potest, quàm veram gratiæ cognitionem & fidem Christi. Ideo vt Christum è conspectu & corde auferat, proponit alia spectra, quibus sensim reducit homines à fide & cognitione gratiæ, ad disputationem legis. Hoc vbi effecit Christus ablatus est.

PERSEQVITVR EVANGELIVM VI ET DOLO.

Tom. 4. Ienens. fol. 147. Gal. cap. 4. Quamprimum verbum Dei in lucem prodit irascitur Diabolus, iratus vtitur omnibus viribus & dolis ad persequendum & prorsus obruendum illud. Ideo aliter fieri non potest, quin exuscitet infinitas sectas & scandala, item persecutiones & cædes. Est enim mendacij Pater & homicida. Mendacium spargit in mundum per impios doctores, homines occidit per Tyrannos, sic vtrumque regnum, spirituale & corporale occupat, hoc per mendacium impiorum Doctorum (interim non dicam, quòd perpetuò suis ignitis telis vnumquemque priuatim sollicitat, ad hæreses & impias opiniones) illud per gladium Tyrannorum, atque ita vtrinque concitat contra filios liberæ, pater mendacij & cædis, spiritualem & corporalem persecutionem.

QVOS VI NON POTEST VINCERE ASSIDVITATE VINCIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 177. Gal. cap. 5. Diabolus cùm vi non potest superare tentatos, assiduitate superat. Nouit enim nos esse vasa testacea, quæ frequentes & diu durantes ictus & impetus perferre non possint, ideo assiduitate multos vincit. Ad hanc ipsius assiduitatem vincendam, opus est longanimitate, Quæ vt emendationem illorum qui vim inferunt, ita quoque finem tentationum, quas Diabolus mouet patienter expectat.

SINE MORA SVIS CVLTORIBVS AVXILIATVR.

Gene. cap. 25. Tom. 3. fol. 2. Diabolus operatur alia & contraria regulæ. Statim enim solet præstò esse suis sacerdotibus & prophetis, quando volunt, nec differt id quod petunt. Sic subitò sæpe à Veneficis tempestates & toni-

trua concitantur, Qua ratione dementat ac capit homines, vt libenter ipsi seruiant quia mox iuuat & exaudit, Et quod pessimum est, diuinitus id fieri iudicatur. Diligenter igitur diuersitas ista operationum Dei & Satanæ attendenda est. Deus vult nos expectare, &c.

AVGET TENTATIONES.

Genes. cap. 35. Tom. 3. fol. 205. Quando videt Diabolus animos tentatos & territos, mox ignita sua & venenata tela in eos torquet, vt cogitent Deum sibi irasci & aduersari.

DISTRAHIT ANIMOS CONIVGVM.

Genes. 39. Tom. 4. fol. 51. Solet Satan plerunque spargere semina odiorum & rixarum, quibus distrahuntur animi, vt adulterijs & vagis libidinibus sese polluant. Initiò antequam contrahant matrimonium mutuo feruore inflammati ardent, postquam verò fœdus coniugij inierunt, mox adest Diabolus, qui feruorem illum varijs modis conatur restinguere. Potest enim ex eodem ore & calidum & frigidum efflare. Ac quando iuuentus furit amore & libidine, non est simplex & naturalis amor, sed est halitus Diaboli, sicut inquit Hiob: Halitus eius pennas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. Inflat igitur in Sanguinem meretricis & scortatoris, & vehementissimum ardorem excitat, econtra in coniugum animos inflat frigidum halitum, vnde refrigescit feruor ille amoris coniugalis. Hinc illæ voces adulterorum & similes natæ sunt, vxor est honestatis nomen, mulier verò voluptatis, In talibus cessat furor mulieris ad virum & econtra. Quia Diabolus spirat à Septentrione horribile frigus & gelu. Itaque qui volet ducere vxorem, petat à Deo gratiam habitandi cum muliere, & diligendi se mutuo, ne distrahantur animi. Ac quando manet concordia inter coniuges, Das der Teuffel mit seinen Eißzapffen nicht darein kumpt. Tum est manifesta benedictio & donum diuinum.

Bernhardus autem loquitur, de non copulatis coniugio, quos magis exercet Satan vagis amoribus & libidinibus, qui nondum quid fellis aut mellis amori insit gustarunt, & plus sperant quàm inueniunt postea, quando fiunt voti compotes.

CONATVR TIMOREM DEI EXTINGVERE.

Genes. cap. 39. Tom. 4. fol. 52. Id enim agit Diabolus, vt timorem & reuerentiam Dei, quibuscunque artibus extinguat in animis hominum, eoque ad omnis generis scelera impellat. Quod si à dextris pariter & sinistris repellitur, tamen assiduitate nititur defatigare eos, quos semel oppugnare cœpit.

PROPHETANDI FACVLTATEM SIBI VENDICAT.

Genes. cap. 40. Tom. 4. fol. 58. Diabolus etiam prophetandi per visiones & somnia facultatem sibi vendicat. Nouit enim ordinem causarum, videt præsentes & instantes causas, inde colligit futuros euentus, Cernit odia & simultates Principum, machinationes Cæsaris, & inde ratiocinatur secuturos

secuturos motus in Germania, nec fallitur sanè, nisi Angelus bonus impediat. Sic argumentatur & concludit ex causis visibilibus.

SOMNIA OFFERT, SED FIDEM IN CORDE NON POTEST PERSPICERE.

Gene. cap. 37. Tom. 4. fol. 7. Spiritus immundus etiam somnia monstrat, quia cognitione multiplici, & varia experientia nobis longè est instructior. Nos consilia & studia Principum & aliorum ignoramus, imò mea vix noui. Sed Diabolus callidissimus est, & omnes deliberationes Regum, Sapientum, Iureconsultorum, Theologorum exactissimè tenet, hoc vnico excepto qualis sit fides mea & spes in Deum, **Wie ich mit Gott daran bin.** Quia fides & verbum Dei, est ei caligo & nubes, in quam non potest penetrare sua luce. Id quod ipsemet ostendit per Christalla & specula Mercurialia, in quibus monstrat ciuitatem aut personam aliquam, sed obscuram aut tectam nebula aut pluuia, qua fit vt non possit agnosci nec cerni, perspicitur quid ibi fiat, Sic verò illudit hominibus, & simul tamen fatetur, quòd non possit intueri in cor hominis. **Da verbrent er das Maul vnd die Nasen.** In hanc sententiam Angelus ad Mariam inquit: Spiritus Sanctus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Eris prægnans & concipies Filium, sed hoc modo vt sit absconsio & obumbratio eiusmodi, vt nec Angeli, nec Dæmones possint perspicere aut intelligere. Igitur in verbum & cor fidele non penetrat acies lucis Diabolicæ, & eam ob causam ego magis delector verbo & fide, quàm somnio. Et oraui Dominum, ne mihi daret somnia, quia sunt fallacia. Verbum autem est certum vmbraculum & caligo, quam non possunt intueri Spiritus maligni, quantumlibet sublimes.

DVPLICITER TENTAT PIOS.

Tom. 3. Ienens. fol. 371. Iesai. cap. 35. Primò, impetu quodam, vt velut vno rictu eos hauriat. Sic vnumquemque nostrum sæpe impetit, vt de fide & spe ad tristiciam & desperationem nos deijciat. Ibi si inuenit cor munitum verbo, impingit quasi in silicem & frustratur impetu suo. Decurrit igitur ad aliam viam, & quando vi ac impetu non successit, vertitur ad actum, & continuat vexationem. Sicut Cyprianus de quibusdam Martyribus scribit, quod lentis supplicijs affecti sint, & cupientibus mori non sit permissum mori.

Hac arte etiam Satan aduersus Sanctos vtitur, & quæ vi subuertere non potest, fatigando frangit, vt succumbant. Hoc grauissimum tentationis genus est, quando ita assiduitate nos superare nititur. Ibi sunt conferendæ vires, & mutuis orationibus intercedendum pro periclitantibus in hac graui lucta. Eiusmodi enim Antagonista est, vt semel apprehensum non dimittat è manibus, nec prius persequendi finem faciat, quàm prostratus hostis iaceat. Hic oportet Christianum verbo se confirmare, & dicere: Etiamsi centum annis mihi in acie standum sit, non tamen cedam. Si tu continuando & fatigando assiduus es, Christus meus magis assiduus erit confirmando virtutem suam ne succumbam.

CVR SATAN NOS OPPVGNET.

Hoc autem vnicum his assiduis oppugnationibus agit Satan, vt gloriam Domini corrumpat, hoc est cognitionem Christi vel obscuret, vel planè tollat, quam per verbum habemus & accipimus. **Es ist alles vmb das** verbum **zuthun.** Ver-

 bum Dei

bum Dei petitur, quo sublato scit se triumphaturum, Ideo priuatim etiam singuli impugnamur, infirmitate fidei, conscientia peccati, scrupulis conscientiæ, tædio paupertatis, libidine, auaritia, ambitione &c. Ita non quiescit priuatim & publicè oppugnando Ecclesiam. Tom. 3. Ienens. fol. 371.

DAEMONES PERMITTENTE DEO NOCERE POSSVNT.

Quod ex Scriptura satis probari potest. Primò Iob. 1. Vbi ignis de cœlo cecidit, & pecora cum seruis occidit, & ventus irruit, & domum euertit, filiosque eius oppressit. Item tandem in corpore eius percussit vlcere pessimo. Nouissimè autem in anima eum tentauit, grauissima desperationis tentatione. Et tamen textus ibi clarè exprimit vtrunque, scilicet, quòd Diabolus hæc operatus fuerit, accepta licentia à Deo. Et quòd Deus hæc eadem fecerit, sicut ibidem dicit: Ignis Dei cecidit de cœlo, &c. Et ipsemet infrà. Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Cùm tamen Dominus ibi dicat ad Diabolum: Ecce in manu tua sunt omnia, quæ habet. Et ipse, tantùm ne in animam eius extende manum. Si ergo ignem & fulgura de cœlo potest Satan iacere & tanta mala facere, Deo permittente, cur non & nunc idem non possit ad pactum suum adiuratus?

Secundò Aegyptiorum plagas per Angelos malos esse factas, testatur Psa. 78. Misit iram & indignationem, immissiones per Angelos malos. At ille plagæ fuerunt maiores, quàm nunc faciant vllæ maleficæ.

Tertiò. Quot obsessi recitantur in Euangelio? Quot animas quotidie occupat erroribus & peccatis? An minus est animam immortalem perdere, quàm membrum moriturum aut aerem vexare.

Quartò. Nonne omnes Sanctos Martyres ipse persecutus est & occidit? Denique ipsum Dominum assumpsit, & de deserto in montem, de monte in pinnaculum templi transtulit. Item, cum Michaele & Angelis eius pugnat.

Quintò. Passio Christi hæc omnia fortius probat, si enim Filius Dei tanta sustinuit à Dæmonibus & membris eorum. Quid mirum si horrea nostra possit destruere, & membra percutere, eadem permissione Dei?

Sextò. Illud vide. Quomodo Deus dat tam multis malis hominibus potestatem abutendi rebus, diuitijs, potestate, dominio, in aliorum perniciem & suum peccatum. Multò magis Dæmonibus permittit, rerum abusum contra nos, siue vt puniat, siue vt erudiat nos. Verum est autem quod sine Dei permissione nec folium arboris mouere possit, quia, vt Christus ait, sine voluntate Patris sui, nec arboris folium cadit in terram. Ideo Christianos oportet nosse, hæc mala per Dæmones & magas suas quidem inferri, sed tamen à Deo sic ordinari. Bonum facit Deus per seipsum, malum per malos. Vnde Iob (vt Augustin. ait) non dixit: Dominus dedit, Diabolus abstulit. Sed dominus qui dedit idem abstulit. Tom. 1. Ienens. fol. 125. In enarratione Decalogi.

Sine Dei permißione nihil poßunt.

CVR DEVS PERMITTIT DAEMONIBVS TANTAM VIRTVTEM VT HOMINI *nocere poßunt.*

Meritò quæri possit, cur Deus permittat Dæmonibus, tantam virtutem, vt nobilissimam creaturam hominem tam horribilibus & indignissimis modis obsidere

obsidere & vexare possint, cum interim nec porcum, nec muscam possint vexare aut turbare.

Respondetur autem Deus odit incredulitatem & diligit fidem vehementissimè. Ideo permittit Diabolo tantam vim in homine, vt percutiantur increduli, & impij & indurati homines, discantque timere & credere & inuocare. Nisi enim hoc faceret, Homo non putaret se Deo indigere, sed beatum fingeret & diceret: Pax, pax & securitas. Ideo ostendit eis quàm inuictus sit Diabolus (Si desit eius manus & gratia,) vt terret & humiliet, humiliatos autem liberet & saluet.

Sicut pater ostendit filio rebelli lictorem aut aliud terribile, vt filio terrefacto & humiliato, eò plus benefaciat fidenti & patrem inuocanti. Rursus vbi filius iam patri charus & liberatus est, ostendit ei quàm infirma sit furia istius tam horribilis hostis, Ecce inquit: qui voluit te vorare, tam nihil est, vt nec porcellum, nec setam porcelli possit auferre. Quare disce fili, me timere, mihi fidere, me amare, Et nihil mali tibi accidet ab isto Satana. Sed si me contempseris, non credideris, oderis, tum respice, quid (me iratcente) possit, in istis duobus obsessis, Me præsente nihil potest, me absente omnia potest. Time ergo & inuoca me, sic saluus eris. Tom. 4. Ienens. fol. 302. Matth. cap. 8.

QVAESTIONES ALIQVOT DE DIABOLIS EX ANNOTAT:

In Matth. cap. 8. Tom. 4. Ienens. fol. 302.

I. Cur Dæmones dicant, Ihesu Fili Dei, An scierint esse Deum?
II. Cur dicant, Quid nobis & tibi?
III. Cur dicant, venisti ante tempus torquere nos?
IIII. Cur porcos petant?
V. Cur deprecentur abyssum vt dicit?
VI. Cur Christus permisit eis porcos alienos?

Respondetur ad primum, Spiritus sunt mendacij, Ideo nihil est eis credendum, vocant eum Filium Dei, primò tentatiuè, quasi inflaturi eum gloria vana, quasi diceret. O Iesu quàm magnus es tu, cui nos Dæmones credimus. Quia Diabolus magnos viros tentat Philautia frequentissimè, vt quos aliàs non potest, per superbiam deijciat. Secundò vt est Spiritus amphibolus, potest Filium Dei appellare, vt quemlibet Sanctum hominem Scriptura appellat, quem tamen metuere cogitur propter fidem illius. Nihil igitur certi loquitur Satan, Tentat & metuit simul, vt solent etiam homines dubij facere.

AD SECVNDVM.

Quid nobis & tibi? Hic etiam acccusat tanquam furens Christum, quasi Christus inuadat regnum Diaboli, q. d. Nostri sunt isti homines peccatis seruientes, nullo iure nobis eripis hanc potestatem, quantumlibet tu sis Sanctus. Quia iusti Deo, peccatores nobis debentur. Et hanc iuridicam actionem absque dubio multis verbis egit Diabolus, defendens suum regnum super impios.

AD TERTIVM.

Ante tempus venisti, id est non satis permittis iusticiæ Diuinæ. Nam etiamsi sis Sanctus, & missus ad saluandas animas, tamen peccata impiorum maiora

sunt, quàm vt tam citò liberari debeant. Et sic istæ quæstiones tres, complectuntur tres actiones. Prima est, An Christus sit persona & vocata ad faciendum? Secunda, Si sit persona vocata, An hoc opus suæ vocationi conueniat? Tertia, Si hoc opus conueniat, An hoc tempore fieri conueniat? Singulæ harum actionum, parerent maximas disputationes, si Christus vellet eas audire. Sed ipse pertransit hæc peremptoriè, & nihil disputans cum Satana, procedit in opus. Sic & nos facere oportet, postquam vocati sumus. Hic victus Satanas & sentiens nec tentationes, nec quæstiones, nec disputationes suas valere, frangitur & cedit, petitque vt in porcos mittatur.

Et sic ad quartum dicitur. Quod voluntate diuina Satan (vt victus) confusus nescit quid petere debent, nisi porcos fortè conspectos, sed sese dignos hospites. Quia virtute diuina Diabolus ipse sese cogitur definire, quo loco dignus sit. Nempe non humano corpore, sed porcino. Quod inter omnia animalia maximè terrenum est, & præter ventrem nihil vtile, vt etiam Gentes dixerunt, hoc animal habere animam pro sale. Nam nec cantu vt volucres, nec labore, nec vlla seruitute homini prodest, sicut equus, vacca, gallinæ, &c. Tantùm vorat quæ sunt apud homines, præsertim in lege Mosi (vbi prohibitum est) sicut apud nos sunt culices & pediculi, qui vorant & nihil prosunt, significante Christo, quod Diabolus in hominibus habitet tantùm porcinis, qui ventres sunt & nulli prosunt. Hæc per genera hominum amplificanda sunt, quia in quolibet statu, plena sunt omnia porcis, quorum Deus venter est.

Ad quintum. Abyssum, id est aquas & deserta horrent Dæmones, quia ibi nihil est quòd agant pro sui voto. Votum autem eorum est, nocere humano generi. Imò inter domesticos esse cupiunt, & porcos eligunt domesticum animal. Vnde & adhuc lyluæ & aquæ plenæ sunt Dæmonibus, Nixis & alijs monstris. Et singulariter notandum est, quod Dæmones hominem quidem vexauerunt, sed non occiderunt. Porcos autem simpliciter occidunt & suffocant in aquis, significante Spiritu, quod Diabolus potest affligere homines, ad Christum pertinentes, sed non perdere, sibi verò deditos porcos perdit, & talem mercedem reddit, qualem lictor suo seruo.

Sextum. Cur in alienos porcos? Respondetur, Christus est Dominus omnium, & nihil habet alieni, Imò & porci erant sui. Si itaque Dominus fuit obsessi hominis, & Dæmonis obsidentis, qui tamen & ambo non erant sub eo iure politico & Oeconomico, &c. Quantò magis porci erant eius, etiamsi iure politico erant aliorum. Sed qui est Dominus iuris politici, est etiam Dominus omnium quæ sunt subiecta iuri politico, secundum illud: Qui dominatur superiori, etiam dominatur inferiori.

Si Rex dominatur principi, etiam dominatur Principum subiectis. Etiam potuit Christum fortè mouere lex Mosi, quæ prohibet Iudæis porcos, Ideo puniuerit eos, tanquam legis contemptores. Sicut princeps approbat, si viator occidat latronem grassantem in se, &c.

A DIABOLO SPIRITVALITER OBSESSI SVNT INCORRIGIBILES.

Tom. 4. Ienens. fol. 328. Matth. cap. 12.

Sed ecce quanta sit vis Diaboli in cordibus à se possessis, quàm sint incorrigibiles. Conuicti sunt sapientia (Pharisæi) verbi diuina, conuicti sunt potentia Dei

Dei manifesta, hoc est, audiunt responsum, quod negare non possunt, vident opus, quod reprobare non possunt, Responsum est hominem esse meliorem oue, Et si ouem licet seruare in Sabbato, multò magis hominem. Quid contra hæc potest dici, & tamen sunt excæcati & indurati. Opus est, quod in oculis eorum, publicè coram omnibus sanat aridam manum. Quid potest contra hoc cogitari? Et tamen isti boni viri non solùm non conuertuntur aut quicquam mouentur, imò contra peiores fiunt, & consilium ineunt, non quomodo discant & audiant, sed quomodo occidant. O boni viri, qui ipsa veritate tam verbi quàm facti, palam & in conscientia conuicti, tamen furore contra veritatem pro mendacio feruntur. Quid mirum si hodie similia faciat Satan, sibi semper similis, licet dissimilibus organis suis. **Also sols gehen / das / wen sie gleich selbst bekennen müssen / es sey die warheit / dennoch sollen sie verstocket / jhre lugen mit Mordt vnd blut verteidigen.** Alioqui non essent filij digni suo Patre Diabolo, qui autor est mendacij & mortis.

DE METAMORPHOSI ANICVLARVM.

Tom. 1. Ienens. fol. 126. In Decalog. Nimium credunt, qui vetulas mutari in catos posse credunt, aut quascunque alias formas, & ad conuiuia vehi nocte. Et ad hoc est expressus textus. 25. q. 6. cap. Nec mirum, ne vllus credat, sunt enim illusiones Diaboli, non autem res vera. Sicut pulchrè patet ex quodam exemplo, quod Iohannes Keiserberg recitat. Quod quædam vetula, vt prædicatorem argueret mendacij, qui talia docuit esse falsa, serò eo vocato, & in oculis eius sese vngens, sedensque in lintre pistorio, iamque volens vehi, ecce statim obdormiuit, & quibusdam gestibus mouebatur donec caderet de scamno, & vulnus in caput acciperet, tandem reuersa ad se, conuicta est de illusione ex vulnere & casu, quantumlibet vidisse se iactasset mirabilia sua.

Idem patet ex vitis patrum, de virgine à parentibus ad S. Macarium ducta, quæ ab eo visa est esse puella, cum alijs vacca videretur. Et tales præstigiæ plures hodie quoque fiunt, vt ille qui Iudæo debebat, & dormiens, passus est sibi crus totum à corpore rapi, vt Iudæum confunderet. Idem de Monacho quodam refertur, qui plaustrum fœni propè consumpsit. Multa de ijs vbiq; referuntur, potest enim Diabolus se mutare de persona in personam, & miris modis ludere sensum, de quo in legenda S. Martini. Vbi vnus omnium sensus illusit cœlesti quadam veste à Diabolo, sub nomine Christi donatus. Simile de quadam moniali, quæ in suo cubiculo sedens, visa est ab alijs lacinioso pallio seminuda, & bubalo stercore caput velata, quæ tamen sese credebat, & fulgentissima veste ac corona aurea sedere, à Christo decorata.

Item & illud in legenda S. Andreæ, quomodo informa speciosæ mulieris tantum virum illusit. Item de equestri illo, qui serò in hospitium veniens, iucundo conuiuio inter puellas & choreas & epulas sibi visus, mane iacuit in profundo luto, equus eius ad arborem ieiunus ligatus.

Sed omnium efficacissimum est, quod in legenda S. Germani Altisiodonensis Episcopi, (vide catalogum Sanctorum lib. 6. cap. 9.) cum enim aliquando hospitatus fuisset, & iam dormituri adhuc mensam pararent suis (vt requisiti ab eo dicebant) vicinis in nocte futuris. Tandem ille venientes adiurauit, excitato patrefamilias cum suis, percontatus an nossent istos? Illis vero assentientibus, iussit vt ad vicinos irent videre, an domi essent. Et inuenti sunt omnes dormientes in lectis suis. Et sic euidenter illusio Dæmonum & patuit & disparuit eo iubente.

At vt contentiosis quoque satisfaciam. Dicunt enim mulieres in catos fuisse mutatas, eo argumento verum esse, quòd quidam audaculus in vacua domo dormiens, plures vulnerauerit tales catos, mane autem facto, multæ vetulæ sint inuentæ sic vulneratæ. Vel enim id fictum est, vel Dæmones verè vetulas ipsi vulnerauerunt, vt rei mendaci fidem faciant, ac si verè vetulas ille vulnerasset, qui catos (id est Dæmones) visus est vulnerare. Potest inquam fieri, vt vetulæ, in somno vel ectasi discurrere, vulnerari sibi videantur, cùm tamen in lecto iaceant quietæ, & verè vulnerentur à Dæmonibus, vt postea credant sese verè discurrisse, & ab alio vulneratas.

Tale est quoque de equitando super scopam. De Herodiade & laribus satis manifestum est, scilicet esse Dæmones.

De Incubis & Succubis tradunt insignes autores, quod potest Satan in specie mulieris succumbere viro, & accepto semine rursum incumbere fœminæ, & ita generare, sed monstra non hominem verum. Sic enim sollicitauit quendam Eremitam, vlque ad obscœnitatem, & postea euanuit, vt recitat S. Iohannes primus Eremitarum apud Hieronymum. Quin dicitur, quandoque Diabolus in specie infantis fuisse, & vix quinque nutrices ei satisfuisse. Genes. cap. 6. Tom. 1. fol. 106. Ad hunc modum de Succubis & Incubis scribit.

Quod autem ad Incubos & Succubos Dæmones attinet, non nego, sed credo posse fieri, vt Dæmon sit vel succubus vel incubus, audiui enim multos recitantes sua ipsorum exempla. Ac Augustinus quoque dicit, idem se audiuisse à fide dignis hominibus, quibus coactus sit credere. Gratum enim Satanæ est, si ludificari nos in hunc modum sumpta specie, vel iuuenis vel mulierculæ possit. Sed quòd ex Diabolo & homine possit aliquid generari, hoc simpliciter falsum est. Quòd igitur de monstrosis partubus, Dæmonum simillimis dicitur, quorum aliquos ego vidi, eos aut à Diabolo deformatos, non autem à Diabolo generatos esse sentio, aut sunt veri Diaboli, habentes carnem vel fictam, vel aliunde furatam. Si enim Deo permittente, Diabolus totum hominem potest possidere, & mentem mutare, quid mirum est, si etiam deformet corpus, si vel cæcos, vel claudos nasci faciat?

Potest igitur ludificari homines prophanos, & sine timore Dei viuentes, vt cùm Dæmon in lecto sit, existimet adolescens se habere puellam, aut puella adolescentem. Sed quòd ex illo concubitu aliquid possit generari, hoc non credo. Nam multæ veneficæ passim igni subiectæ & crematæ sunt, quòd cum Dæmone consuetudinem habuerunt. Si enim potest ludificari oculos & aures, vt putes te videre & audire aliquid, quod tamen non est, Quantò facilius ei est ludificari sensum tactus, quem hæc natura habet crassissimum? Hactenus ex Genesi.

De ijs, qui vehuntur pallio propè dubito, potest fieri, vt vehantur paruo spatio, nescio an in longinquo, saltem tam breui tempore vt dicitur. Hoc scio etiamsi non verè vehantur, posse eum sic ludere omnem sensum, vt ille qui vehitur, sit quietus, & tamen existimet se vehi ad Dominam suam, atque cum ea omnia peragere, quæ tamen mera sint Phantasmata.

Simile iudicium mihi est, de afferentibus à longè cibos & potus, nec obstat, quod postea agnoscant verè loca, vbi fuisse se dicant, quia potuit similes species sensibus ingerere.

Sic

Sic etiam de miniſtris, quos adducit, cuius id iudicium videtur, quia non permittitur aliquis eos alloqui, ne videlicet euaneſcant ſicut fumus.

vltimò de ijs, quæ in Criſtallis vel ebore vel vngue videntur, certum eſt eſſe præſtigium Diaboli, figuras fingentis in Criſtallis, quantùm ſibi permittitur, non enim ſemper, nec coram omnibus id poteſt, vt ſatis compertum eſt.

Sed ex ijs cætera iudicentur. Infinita enim ſunt, & quotidie augeſcunt eiuſmodi portentorum genera, defectu operariorum in vinea Domini.

Hæc autem omnia faciliora & leuicula ſunt apud Diabolum, putà, quibus carneos ſenſus & Phantaſias illudit, infimas partes hominis. Sed maiori ſubtilitate, vt & maiori periculo, illudit mentibus & intellectibus. Et quanquam ſunt plurimi, quorum ſenſus illuſionibus eius patent, tamen multò plures illudit mente, ſcilicet doctos in Scripturis, Sanctos in operibus. Ita vt ab Apoſtolo proprio titulo inſigniatur: corruptor mentium, Sicut Heuam ſeduxit aſtucia ſua, a deo, & vt in Angelum lucis ſeſe transfiguret. Vnde & B. Ambroſius ſerm. de Pon.

Supplantatores inuiſi per omnes vias extendunt laqueos, innumerabilibus mortibus extimeſcendos, Animalia puſilla cum magnis, & reptilia, quorum non eſt numerus, Ita vt impoſsibile ſit vllum hominem eſſe tutum, in quocunque opere, ſenſu, intellectu ſuo, niſi qui aſsiduè ſibijpſi ſuſpectus timet in omnibus, & cum Hiob omnia opera ſua veretur.

QVAESTIO, QVANDO SATAN EXPELLATVR VIRTVTE DEI ET QVANDO *ſimulet ſe expelli, &c.*

Tom. 4. Ienenſ. 332. Matth. cap. 12. Sed hic quæſtio incidit non contemnenda. Quid ſi Dæmones ſimulent ſeſe expelli, ſicut hactenus factum eſt multis in locis, & à multis peſsimis. Sub nomine S. Cyriaci & aliorum? Quia hoc argumento ſoluitur Chriſti ratiocinatio, ſcilicet quæ ſequitur, ſi Satan expellatur, ergo non fiat à Satana, cum ſe ſinat expelli fallaciter, &c. Hic vrgendum eſt verbum iſtud, regnum Satanæ, tanquam finalis cauſa expulſionis. Diſtingue igitur finalem cauſam.

Si agitur de confirmando regno Chriſti, de fide, de verbo Dei, hic non cedit Diabolus, nec ſinit ſe expelli vllis viribus, niſi Dei. Sed ſi eſt confirmandum mendacium, error, idolatria, & regnum Diaboli, hic libenter ſimulat ſeſe expelli corporaliter, vt ſeptuplo confirmetur in poſſeſsione Spirituali. Sic fingit ſe expelli per impios exorciſtas, vt confirmet eos in errore contra Chriſtum. Ideo obſeruandum, an res agatur de Chriſti Regno, vel de Diaboli Regno. Quia Chriſtus hic loquitur de Regno Diaboli, non de ſimulatione eius. Et hæc ſigna mendacia prædixit Chriſtus & Paulus, ne crederemus ideo eſſe verum, ſi videremus Dæmones expelli, ſed cauſam obſeruaremus, ob quam ipſe expelleretur aut cederet, & ita non falleremur. Hoc neglecto, ſeducti ſumus, credentes omnem expulſionem Dæmonum eſſe virtutem diuinam, cùm fuerint omnia ſimulationes Dæmonum cedentium, accedentium, recedentium.

SATA-

SATANAE TENTATIONES QVOMODO VINCENDAE.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 375. Ieſai. cap. 36. Optimum igitur eſt, qualiſcunque tandem tentatio, animum turbet, recurrere ad lectionem ſacrarum literarum, & meditationem verbi Dei, Quanquam autem abhorrebit animus, à lectione & meditatione verbi Dei (Satan enim impedire conatur, & nauſeam legendi obijcit) tamen ipſe te cogas, vt ſi non animus tamen lingua, aures & oculi occupati interim, aliud videant, audiant & agant, quàm animus cogitat. Certò autem ſenties animum occupatis ſenſibus externis verbo Dei facilè poſtea acquieturum.

Atque hic in primis cernitur vis & potentia verbi, quod animum Satanæ telis ſaucium, reſtituit & pulchrè ſanat. Ideo Eſai. 9. Inter nomina Chriſti, etiam hoc ponitur quòd ſit Conſiliarius afflictorum. Conſolatur enim per verbum, ſicut dicit Eſai. 59. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam verbo cum ſuſtentare qui laſſus eſt. Et Paulus. Roman. 15. docet, conſolatione ſcripturarum ſpem concipi & augeri, quam Satan in tentatione vnicè cupit ereptam piorum animis. Quare cum in tentationibus nullum ſit præſentius remedium, quàm quoquo modo moleſtas cogitationes animo eijcere, vna ad eam rem via eſt, ſi diligenter verbum Dei legamus. Ita enim commodiſſimè Satanæ ignita tela reſtinguuntur.

Hoc conſilium qui ſequi nolunt, & indulgent cogitationibus ægri animi, illi nihil aliud faciunt, quàm vt materiam incendio ſuggerant, donec feſſi & victi à Satana, qui mille artifex eſt, ſuccumbant. Hoc enim vnum pugnæ genus in nos intendit, quod cogitationibus iræ diuinæ, fidem noſtram conatur labefactare. Ad hanc ſpiritualem luctam, ſi tu carnalia auxilia afferas, præter verbum Dei, nihil aliud facis, niſi quòd nudum te potenti Spiritui obijcis. Hic igitur, ſi libet, inſtitue collationem tuarum virium cum Satanæ potentia, & facilè apparebit, quàm impar hic congreſſus ſit, neglecto verbo (in quo ſolo diuina potentia eſt, Rom. 1.) humanis viribus & conſilijs cum Diabolo, tot, ab initio mundi, victorijs claro, tanto belli vſu docto, contendere.

Omitte igitur cogitationes, quibus tuum cor occupat, & caue cum eo diſputes, poteſt enim ſe in Angelum lucis transformare, & Chriſti glorioſam perſonam induere, & quia etiam ſacras literas nouit, ſicut apparet Matth. 4. Nonnunquam ipſis Chriſti verbis, quibus nihil ſuauius eſt, contra Chriſtum & fidem tuam vtitur. Hic niſi ſimpliciter animum reuoces, & dicas: Neſcio alium Chriſtum quàm eum, qui à Patre datus, pro me & pro meis peccatis eſt mortuus, hunc ſcio non iraſci mihi, ſed amare me, alioqui non ſuſtinuiſſet pro me mori, &cet. Hæc inquam, niſi obijcias, & ſimul ad diligentem lectionem ſcripturæ te conferas, certè ſuccumbes. Facilè enim eſt ei, infirmam fidei noſtræ ſcintillam obruere, niſi eam verbo Dei alamus.

Leue præceptum hoc quoque eſt, ſed tamen neceſſarium & vtile, vt afflicti animi fugiant ſolitudinem, & captent colloquia amicorum qualiacunque. Adferunt enim & colloquia aliquid ad auertendum animum, à grauioribus cogitationibus. Ideo ſolitudo imprimis peſtilens eſt, & rectè dixit ille: Væ homini ſoli, ſi ceciderit, non erit qui erigat eum. Verbum enim fratrum magnam vim habet, & debent tentati meminiſſe, vt fratrum voces tanquam Dei voces audiant, eisque credant. Quod ſi nemo ſit, qui nos de verbo Dei doceat, tamen ſatius eſt qua-

leſcunque

leſcunque aliorum ſermones audire, quàm audire Satanam, blaſphemias & igneta ſua tela in cor noſtrum loquentem.

Hæc tanquam generalia præcepta Spiritualium tentationum propoſui, reliquum eſt, vt vnuſquiſque ita inſtituat animum ſuum contra Satanam, vt ſentiat ſe aliquid hoc noſtro conſilio adiutum eſſe. Neque enim eſt quod quiſquam putet, qui Chriſti fidem ſequitur, ſe ſine tentationibus victurum eſſe. Verum enim eſt illud Pauli : Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Ac corporales tentationes quidem, vt ſunt inopia, cupiditas gloriæ, opum, ignominia, & ſimiles facilius ſuperantur.

Hic autem labor hoc opus eſt, cùm diuinam iram nobis ſpectandam Satan exhibet. Ad quam accedit etiam noſtræ conſcientiæ teſtimonium, quod Satan deinde auget varijs diuinæ iræ exemplis, quæ hinc inde in diuinis literis habentur, & quæ quotidie vſus huius vitæ offert. Hæc longè grauiſſima pugna eſt, in qua Satan omnes ſuas vires & artes omnes effundit, ſeque in imaginem irati Dei transformat. Hic ſi incipias ſequi cogitationes tuas, quas ipſe ſuggerit perijſti. Et quia multi hoc faciunt, videmus quò prolabantur. Cupiunt enim quoquo modo grauiſſimo onere harum cogitationum de ira Dei leuari. Quare vel laqueo vel ferro vel alia ratione vitam ſibi eripiunt. Is finis eſt conſiliorum Satanæ, & hoc ſpectat, vt cùm Chriſtum oculis eripuerit, in deſperationem adducat.

Quare eijcienda animo cogitatio illa de peccato, & ira Dei eſt, & diuerſum potius cogitandum eſt. Quemadmodum legimus in Vitis Patrum de quodam. Is cùm hac tentatione deſperationis ob admiſſum peccatum grauiter vexaretur, obfirmato tandem animo dixit : Non peccaui. Non quòd negaret peccatum, ſed quòd videretſe alia ratione à triſtibus illis cogitationibus liberari non poſſe, quàm ſi eas abijceret & diuerſum cogitaret. Et ſanè ſi fiducia mortis & meriti Chriſti, hanc vocem edidit, inſigne exemplum fidei eſt, quod nos in huiuſmodi periculis, imitari oportet, vt nos quoque diſcamus, non eſſe cum Satana diſputandum, alioqui ita obruentur infirmæ mentes cogitationibus, vt ſibi mortem conſciſcant. Neque enim animus humanus iram Dei, quam Satan nobis obijcit, & vrget, ſuſtinere poteſt.

Quicquid igitur ſuggeſſerit, ſimpliciter auertendus eſt animus, claudendi oculi & aures, ne quicquam vel videamus vel audiamus, præter verbum promiſſionis de Chriſto, & de bona voluntate Patris, qui Filium ſuum pro nobis tradidit. Sicut dicit Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum ſuum Filium daret, &c.

Quicquid præter hanc voluntatem placati & fauentis Dei Satan ſuggeſſerit, hoc tanquam volatiles & inanes cogitationes animo eijce.

Idem ferè Gerſon quoque monet, qui ſolus ex recentioribus, de conſolandis ægris animis, & infirmis conſcientijs cogitauit. Reliqui ferè omnes in alto ocio & pace verſati, nunquam huius rei meminerunt. Proponit autem illuſtrem ſimilitudinem, & comparat has Satanæ cogitationes, quibus tanquam ignitis telis pia corda ſollicitat, cani latranti, quem ſi lapide vel ferro petas, magis irrites. Idem inquit fit in cogitationibus, ſi eis indulgeas.

Sicut autem tutiſſimum eſt, canem latrantem contemnere & præterire : Ita vna vincendi ratio eſt, contemnere cogitationes Satanæ, neque cum eis diſputare diutius, ita fiet, vt ſua ſponte excidant, quantò enim magis

magis eas animo agitas, tantò vehementius vrgent, neque vlla ratione possunt superari, & Satan nihil minus ferre potest, quàm sui contemptum. Quare rectissimè faciunt qui hic fortes esse, & contemnere malignum spiritum possunt.

Nec dissimile est, quod in vitis patrum legimus, ibi cùm quidam grauibus cogitationibus vexari queretur, consulit fratrem. Is in hunc modum monet, vt quemadmodum cogitationes spontè non accersitæ incidunt. Ita rursus excidere eas sinat, neque eis indulgeat. Quemadmodum enim inquit, in tua manu non est prohibere aues, ne supra caput in aere volent, hoc autem in tua manu est, prohibere ne in capite nidificent. Ita etiam cogitationes Satanicas cauere non potes. In hoc intende, ne illæ altius animo infigantur, & occupent prorsus animum. Hoc enim si fit, perijsti. Rectè hic monuit, & omninò nisi periculum certum adire velimus, idem nobis præstandum. Quantò enim plus cogitationibus indulgebis, eò minus patebit exitus, sed ceu in labyrinthum conclusus, nunquam te expedies.

Idem hoc loco fieri videmus. Volunt Rabsacem optima ratione & consilio compescere, sed frustra, redditur enim furiosior. Commendo igitur vobis hunc locum, vt sciatis, quomodo vexatis conscientijs sit consulendum. Vidi multos, qui cùm grauissimè tentarentur, hanc artem non norunt, quod contemnendæ cogitationes essent. Hinc factum est, vt inciperent furere, cùm scilicet organa sensuum, vehementibus cogitationibus essent læsa, quidam etiam sibi conscierunt mortem. Sunt autem huiusmodi cogitationes mera ludibria Satanæ, quæ nos non facimus, sed patimur, nec sunt actiones humanæ, sed passiones. Quod qui discere nolunt, de ijs actum est, coguntur enim succumbere. Diabolus enim talis claumniator est, qui non fatigatur, donec vicerit. Qui igitur eum non contemnunt, sed fiunt eius spectatores, ijs vnum spectaculum post alterum exhibet, vnam cogitationem post aliam obtrudit, donec obruantur. Qui autem effugere eius insidias volunt, dicant, nec spectator, neque actor tuus ero. Sic enim monuit Christus. Matth. 18. Nisi fueritis sicut paruuli &c. Sic Rabsaces, quia habet hos spectatores & disputatores, confidentior redditur & furiosior. Ezechias autem infrà obiurgat eos, Quare respondens ei, &c.

DE HOMINE ANTE LAPSVM.

QVID SIT.

Homo est creatura Dei, carne & anima spirante constans, ab initio ad imaginem Dei facta sine peccato, vt generaret & rebus dominaretur, nec vnquam moreretur. Tom. 1. Ienens. fol. 538. Ex disput. de homine.

Philosophia, sapientia humana, definit hominem esse animal rationale, sensitiuum, corporeum. Neque disputare nunc necesse est, an propriè vel impropriè homo vocetur animal. Sed hoc sciendum est, quòd hæc definitio tantum mortalem, & huius vitæ hominem definit.

Et sanè verum est, quod ratio omnium rerum res & caput, & præ cæteris huius vitæ optimum & diuinum quiddam sit. Quæ est inuentrix & gubernatrix omnium Artium, Medicinarum, Iurium, & quicquid in hac vita sapientiæ, potentiæ,

tentiæ, virtutis, & gloriæ ab hominibus possidetur. Vt hinc meritò ipsa vocari debeat differentia essentialis, qua constituatur homo differre ab animalibus & rebus alijs.

Quam & Scriptura Sancta constituit talem dominam, super terram, volucres, pisces, pecora, dicens: Dominamini, &c. Hoc est vt sit Sol & numen quoddam ad has res administrandas in hac vita positum. Nec eam Maiestatem Deus post lapsum Adæ ademit rationi, sed potius confirmauit, Tamen talem sese Maiestatem esse, nec ea ipsa ratio nouit à priore, sed tantùm à posteriore. Ideo si comparetur Philosophia seu ratio ipsa ad Theologiam, apparebit nos de homine penè nihil scire. Vt qui vix materialem eius causam videamur satis videre. Nam Philosophia efficientem certè non nouit, similiter nec finalem. Quia finalem nullam ponit aliam, quàm pacem huius vitæ, & efficientem nescit esse creatorem Deum. De formali verò causa, quam Animam vocant, nunquam conuenit, nunquam conueniet inter Philosophos. Nam quòd Aristoteles eam definit, actum primum corporis viuere potentis, etiam illudere voluit lectores & auditores. Nec spes est, hominem in hac præcipuè parte sese posse cognoscere quid sit, donec in fonte ipso, qui Deus est sese viderit. Et quod miserabile est, nec sui consilij, aut cognitionem plenam aut certam habet potestatem, sed in his subiecta est casui & vanitati. Sed qualis est hæc vita, talis est & definitio & cognitio hominis, hoc est exigua, lubrica & nimiò materialis. Tom. 1. Ienens. fol. 537.

A QVO SIT HOMO CONDITVS.

Genes. 1. cap. fol. 16. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hic iterum noua phrasi Moses vtitur. Non dicit, Mare agitetur, herbescat, aut producat terra, sed FACIAMVS, Ergo includit manifestam deliberationem & consilium, cuius nihil simile fecit in prioribus creaturis. Ibi enim sine deliberatione & consilio dixit: Agitetur Mare, producat Terra, &c. Hic autem Deus se ad consilium vocat, & indicit quasi deliberationem cum homine creare vellet.

Primùm igitur significatur hic, insignis differentia hominis, ab omnibus alijs creaturis. Magnam similitudinem cum homine habent bestiæ, simul habitant, simul aluntur, simul comedunt, & ijsdem vescuntur, dormiunt & quiescunt apud nos. Si igitur conuersationem, victum & alimoniam consideres, magna est similitudo.

Sed insignem differentiam inter ista animalia & hominem Moses hic ostendit, cum dicit: Singulari Dei consilio & prouidentia hominem esse conditum. Ac significat hominem esse creaturam longè excellentem reliqua animalia, quæ viuunt corporalem vitam, præsertim cùm adhuc natura esset incorrupta. Epicurus sentit hominem tantùm procreatum ad edendum & bibendum. Hoc autem est hominem non separare ab alijs bestijs, quæ etiam suas voluptates habent & sequuntur. Textus autem hic potenter separat hominem, cum dicit: Deum certo consilio de homine faciendo cogitasse, Nec id solùm, sed de homine faciendo ad imaginem Dei. Hæc imago longè aliud est, quàm cura ventris, cibus & potus, quæ bestiæ etiam intelligunt & appetunt. Et fol. 17. Omnes tres personæ hic concurrunt, & dicunt: FACIAMVS, nec Pater facit alium hominem, quàm Filius, nec Filius alium quàm Spiritus Sanctus, sed Pater, Filius & Spiritus Sanctus vnus & idem Deus, autor & creator est eiusdem operis.

EX QVALI MATERIA HOMO SIT CONDITVS.

Genes. cap. 1. fol. 24. Formauit igitur Deus hominem de puluere terræ, &c. Hic redit Moses ad opus sexti diei & ostendit vnde cultor terræ venerit, Nempe quòd Deus eum finxerit ex gleba, sicut figulus manu ex luto fingit olam. Ideò suprà non dixit, sicut de alijs creaturis, producat terra hominem, sed faciamus hominem vt ostendat excellentiam generis humani, & reuelet Dei consilium singulare, quo vsus est in condendo homine, Etsi posthac homo crescit & multiplicatur eodem modo, quo reliquæ bestiæ. Nam semen in matrice coagulatur, & formatur eadem ratione. Hic nulla dissimilitudo est inter vaccam fœtam, & grauidam mulierculam. Sed in prima conditione ostendit Moses maximam esse dissimilitudinem, siquidem singulari tum consilio, tum sapientia, humana natura condita & digito Dei formata est.

Hæc dissimilitudo, quæ inter originem hominis & pecudum est, etiam ostendit immortalitatem animæ, de qua paulò antè diximus. Etsi enim omnia reliqua opera Dei plena admirationis & valde magnifica sunt, tamen hominem hoc arguit esse præstantissimam creaturam, siquidem Deus in eo condendo consilium adhibet, & nouo modo vtitur. Non relinquit eum fingendum terræ, sicut bestias & arbores. Sed ipse eam format ad imaginem sui, tanquam participem Dei, & qui fruiturus sit requie Dei. Itaque Adam antequam à Domino formatur, est mortua & iacens gleba, eam apprehendit Deus, & format inde pulcherrimam creaturam, participem immortalitatis.

Hæc si Aristoteles audiret solueretur in cachinnum, & iudicaret esse, etsi non insuauem, tamen absurdissimam fabulam, Quod homo quò ad originem suam primam, fuisset gleba, formatus autem sit diuina sapientia, & sic conditus vt esset capax immortalitatis. Nam etiamsi quidam ex Philosophis, vt Socrates & alij, asseruerunt immortalitatem animarum, tamen à reliquis Philosophis irrisi & tantùm non explosi sunt. Sed an non magna est fatuitas, sic offendi rationem, cum videat adhuc hodie, plenam admirationis esse hominis generationem? Annim non absurdum iudicabis, hominem qui in æternum victurus est, nasci quasi ex vna guttula seminis in lumbis patris? Maior in hoc ferè absurditas est, quàm quòd Moses dicit de gleba, digitis Dei formata. Sed ratio hoc modo ostendit, se planè nihil scire de Deo, qui sola cogitatione ex gleba facit, non semen hominis, sed ipsum hominem, & quòd postea Moses dicit, ex costa viri facit fœminam. Hæc prima hominis origo est.

Creato autem sic masculo & fœmina, postea ex eorum sanguine diuina benedictione generatur homo. Quanquam autem hæc, cum brutis communis generatio est, non tollit tamen illam gloriam originis nostræ primæ, quòd sumus vascula Dei, ab ipso Deo ficta, quod ipse est figulus noster, nos autem lutum eius, sicut Iesaias 64. loquitur. Idque non solùm ad originem nostram attinet, sed per omnem vitam, & vsque ad mortem, & in sepulchrum manemus lutum huius figuli.

Sed hic noua quæstio oritur, Sicut enim Moses noua phrasi hic de homine loquitur: Formauit Deus hominem de limo terræ. De alijs autem animantibus

tibus, suprà non sic loquutus est. Ita quoque hic peculiare quiddam de homine dicit inspirasse Deum in faciem eius spiraculum, quod de reliquis bestijs non dixit, cùm tamen omnibus bestijs, sicut homini insit Spiritus in naribus.

Quæritur igitur cur hoc Moses sic voluerit dicere? Secundò quæritur id quoque (quanquam eodem pertinet) cùm per totam scripturam, omnia animalia vocentur animæ viuentes, cur tantùm de homine hoc in loco dicatur, Factum eum esse in animam viuentem? Suprà quidem dixit: Producat terra animam viuentem, vnumquodque in suo genere. Sed hic multùm mutat & dicit: Homo factus est in animam viuentem.

Hæc absque dubio mouerunt Patriarchas, Sanctos Patres & Prophetas, vt huiusmodi locos diligentius excuterent, Quod ista singularis loquendi ratio significat Mosen insigne quiddam voluisse ostendere. Nam si animalem vitam, de qua hic Moses loquitur, respicias, nulla differentia est inter hominem & Asinum. Habet enim animalis vita opus cibo & potu, habet opus somno & quiete, corpora pariter cibo & potu saginantur & crescunt, inedia marcescunt & pereunt. Stomachus cibum accipit, & coctum transmittit ad epar, quod sanguinem gignit, quo restaurantur omnia membra.

Hæc cùm consideramus, nulla inter hominem & bestiam est differentia. Et tamen hominis vitam Moses ornat hoc modo, quod de eo solo dicit, Esse eum factum in animam viuentem, propterea quod ad imaginem Dei est conditus, quæ imago procul dubio in statu innocentiæ singulariter reluxit in facie Adæ & Heuæ, sicut post peccatum, tamen Gentes, ex positu corporis, quod solus homo erectus incedit, & attollit oculos ad cœlum, collegerunt hominem præstantiorem esse creaturam inter omnes reliquas creaturas.

Huc respexit Paulus, cùm hunc locum citat. 1. Corinth. 15. Scriptum est, Primus homo Adam, factus est in animam viuentem, vltimus autem Adam in Spiritum viuificantem. Animam viuentem vocat vitam animalem, quæ est edere, bibere, generare, augescere, quæ omnia etiam in brutis sunt. Per Antithesin autem dicit, vltimum Adam factum esse in Spiritum viuificantem, hoc est talem vitam, quæ istis animalis vitæ conditionibus non indigeat.

Docet etiam Paulus, etiamsi Adam non peccasset, tamen victurum fuisse corporalem vitam, indigam cibi, potus, quietis, crescentem, generantem, & cætera, donec per Deum ad vitam spiritualem esset translatus, in qua vixisset sine animalitate, vt sic dicam, nempe ab intra, ex solo Deo, & non ab extra, sicut antea ex herbis & fructibus. Idque sic vt tamen homo habeat carnem & ossa, & non sit merè Spiritus, sicut Angeli sunt.

Respondeo igitur ad quæstionem, Deum per os Mosi, etiam hoc in loco voluisse ostendere spem futuræ & æternæ vitæ, quam Adam, si in innocentia perstitisset, post animalem hæc vitam habiturus fuerat, quasi diceret Moses: Factus est homo in animam viuentem, non simpliciter sicut bestiæ viuunt, sed quam Deus posthac viuificaturus erat, etiam sine animali vita. Hanc spem immortalitatis per Christum habemus nos quoque, quanquam propter peccatum morti & omnibus calamitatibus sumus subiecti.

Adæ melior fuerat futura conditio. In terra suauiter & cum summa voluptate vixisset. Deinde sine vlla molestia esset translatus de animali vita in spiritualem. Nos ex animali vita, non nisi per mortem & post infinita pericula ac cruces transferimur.

MVLIER EX QVALI MATERIA FACTA.

Genes. cap. 2. fol. 37. Dicit itaque Moses, profundo somno oppressum Adamum, ita vt procumbens in virentem terram, longos duxerit Spiritus, sicut solent qui benè & suauiter dormiunt. Hunc somnum inquit, fecit Dominus super eum cadere. Est enim somnus verè diuinum & pulcherrimum donum, quod desuper tanquam ros defluit, & humectat totum corpus. Cùm itaque sic dormiret Adam, tulit Dominus vnam de costis eius. Vocabulum Ebræum *zela*, costam & latus significat. Quare sic accipio, quòd nudam costam, sed uestitam carne acceperit Dominus, sicut Adam infrà dicit: Hoc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Porrò hoc quoque fecit Dominus, per verbum suum, ne putemus eum Chirurgi more sectione aliqua vsum esse. Dixit: Ex isto osse sic induto carne, fiat mulier & ita factum est. Atque eum hiatum lateris postea clausit carne.

Hic disputatio oritur inter glossatores, mirabiliter nugaces, dicunt musculum in vno latere plus habere costarum, quàm in altero. Sed hoc melius sciunt Medici, qui Anatomian norunt. Lyra disputat. Num ea costa in corpore Adæ fuerit superflua? Sed hoc si fuit, inquit, monstrosum fuit, Si non fuit, sequitur Adamum postea diminutum fuisse costa, sed id quoque monstrosum est inquit. Tandem respondet, Illam costam fuisse superfluam ratione indiuidui, Itaque sublata ea, fuisse corpus Adæ integrum, & tamen corpus Adæ indiguisse hac costa, propter mulierem ex ea formandam.

Sed nos ad hæc omnia respondemus, per verbum, Dixit Deus. Hoc verbum soluit omnia huiusmodi argumenta. Quid enim necesse est disputare, vnde reliquam materiam acceperit Deus, qui vno verbo potest & condit omnia. Oriuntur autem hæ quæstiones ex Philosophia & Medicina, quæ sine verbo de Dei operibus disputant. Fit autem hoc modo, vt amittatur gloria Scripturæ Sanctæ, & maiestas creatoris.

Quare omissis his disputationibus, simpliciter manebimus in historia, sicut à Mose exponitur, quod Heua sit condita ex costa Adæ, & quòd ea pars corporis iterum clausa sit carne.

Sicut Adam ex gleba, ego ex guttula sanguinis Patris mei factus sum. Quomodo Mater me conceperit, quomodo in vtero formatus sum, & incrementa sumpserim, hoc gloriæ conditoris relinquo.

Verè enim incredibile est, ex gutta sanguinis hominem nasci, & tamen est verum. Si igitur ex gutta sanguinis, ista potentia generandi existit, cur non etiam ex gleba? Cur non ex costa?

DE CAVSA FORMALI HOMINIS.

Quæstio de loco in quo Homo conditus est. Genes. cap. 2. fol. 26. Sed agitata quoque hæc quæstio est, in quo loco terræ Deus condiderit hominem? Ac sunt qui magno conatu defendant, eum in agro Damascено esse conditum, eò quòd audiuerunt, glebam Damascenam esse rutilam ac fertilem. Sed ego huiusmodi verè inanes & ociosas quæstiones omitto.

Nobis enim satis est scire, quòd homo sexto die per animalia ex terra conditus, & in hortum Eden positus sit. Vbi autem conditus sit, quid necesse est scire? Extra Paradisum est conditus, sic enim dicit textus, eum in Paradisum esse translatum seu positum, antequam Heua esse condita, quam in Paradiso conditam esse Moses hic ostendit. Hæc scire satis est.

DE IMAGINE DEI AD QVAM HOMO EST CONDITVS.

Genes. cap. 1. fol. 17. Agitatur hic quasi mare quæstionum. Quid sit imago illa Dei, ad quam Moses hominem dicit factum esse? Ac Augustinus in hoc loco explicando multus est, præsertim in libro de Trinitate. Doctores autem reliqui, ferè Augustinum sequuntur, qui Aristotelis diuisionem retinet, Quod Imago Dei sint potentiæ animæ, memoria, mens vel intellectus & voluntas.

In his tribus dicunt consistere imaginem Dei, quæ in omnibus hominibus est. Sicut enim in diuinis (inquiunt) verbum nascitur ex substantia Patris, & Spiritus Sanctus est complacentia Patris: Ita in homine ex memoria procedit verbum cordis, quod est mens, Eo producto prodit voluntas, quæ videt mentem & ea delectatur.

Similitudinem autem dicunt esse in donis gratuitis. Sicut enim similitudo est quædam perfectio imaginis: Ita dicunt naturam perfici per gratiam. Itaque similitudo Dei est, quod memoria ornatur spe, intellectus fide, & voluntas charitate. Ad hunc modum inquiunt, homo est creatus ad imaginem Dei, hoc est, homo habet mentem, memoriam & voluntatem.

Item homo est creatus ad similitudinem Dei, hoc est intellectus est illuminatus fide, memoria confirmata spe ac constantia, & voluntas ornata charitate.

Tertiò faciunt etiam alias diuisiones, Memoriam esse imaginem potentiæ Dei, mentem sapientiæ, & voluntatem iusticiæ, &c. Ad hunc modum Augustinus præcipuè, & post eum alij, eò incubuerunt, vt diuersas trinitates in homine excogitarent, putauerunt enim hoc modo imaginem Dei, facilius posse conspici. Sicut autem hæ non iniucundæ speculationes arguunt acuta & ociosa ingenia, ita minimè faciunt ad imaginem Dei rectè explicandam.

Quare etsi istam diligentiam & cogitationes has, non damno nec reprobo, quibus omnia rediguntur ad Trinitatem, tamen haud scio an sint valde vtiles, præsertim cùm ea postea longius ducantur. Nam huc quoque affertur disputa-

tio de libero arbitrio, quæ ex imagine ista nascitur. Ita enim dicunt, Deus est liber, ergo cùm homo ad imaginem Dei sit conditus, habet etiam liberam memoriam, mentem & voluntatem. Ad hunc modum multa excidunt, quæ aut impropriè dicuntur, aut postea impiè accipiuntur. Ita nata est hinc periculosa sententia, qua pronunciant, Deum ita gubernare homines, vt eos proprio motu sinat agere. Ex hoc dicto multæ incommodæ opiniones enatæ sunt. Simile est quod citatur: Deus qui creauit te sine te, non saluabit te sine te. Hinc conclusum est, liberum arbitrium concurrere tanquam causam præcedentem & efficientem salutis. Non dissimile est Dionisij dictum periculosius superioribus vbi dicit. Quanquam Dæmones & homo ceciderunt inquit, tamen naturalia manserunt integra, vt sunt mens, memoria, voluntas, &c. Sed si hoc verum est sequitur, quòd homo viribus naturæ possit facere, vt saluus fiat.

Hæ tam periculosæ Patrum sententiæ in omnibus Ecclesijs & Scholis agitatæ sunt, neque sanè video, quid Patres voluerint per eas efficere. Quare consulo vt cùm iudicio legatur. Sæpe loquuntur ex affectu & proprio sensu quem nos non habemus, nec habere possumus, cùm occasiones similes non habeamus. Imperiti igitur sine iudicio omnia arripiunt in suo sensu, & non in eo quem Patres habuerunt, sed omitto hæc & ad rem venio

Vereor autem, ne postquam hæc imago per peccatum amissa est, non satis eam possimus intelligere. Memoriam, voluntatem & mentem habemus quidem sed corruptissima & grauissimè debilitata, imò vt clarius dicam, prorsus leprosa & immunda. Si enim istæ potentiæ sunt imago Dei, sequetur etiam Satanam ad imaginem Dei conditum esse, qui profectò illa naturalia longè habet validiora, quàm nos habemus, sicut est memoria & intellectus summus, & voluntas obstinatissima.

Ergo est imago Dei, longè aliud nempe opus Dei singulare. Si qui tamen contendunt has potentias esse imaginem istam, fateantur eas quasi leprosas & immundas esse. Sicut leprosum hominem, tamen hominem appellamus, quanquam in carne leprosi omnia penè mortua sunt & stupent, nisi quòd ad libidinem commouentur vehementius.

Quare imago Dei, ad quam Adam fuit conditus, fuit res longè præstantissima & nobilissima, cùm scilicet nulla lepra peccati, neque in ratione, neque in voluntate hæsit. Sed & interiores & exteriores sensus omnes fuere mundissimi, Intellectus fuit purissimus, memoria optima, & voluntas sinceriſſima, in pulcherrima securitate, sine omni metu mortis, & sine sollicitudine vlla. Adhæc interiora accessit etiam illa corpus & omnium membrorum pulcherrima & excellentissima virtus, qua omnes reliquas naturas animatas vicit. Planè enim existimo ante peccatum Adæ oculos ita fuisse acutos & claros, vt Lincem & Aquilam superaret. Leones autem & vrsos, quorum maximum robur est, ipse fortior tractauit, non aliter quàm nos catulos tractamus. Fructuum quoque, quibus vsus est in cibo, longè maior fuit tum suauitas, tum virtus, quàm nunc.

Sed post lapsum irrepsit mors, tanquam lepra in omnes sensus. Ita vt ne intellectu quidem imaginem istam possimus assequi. Adam non cognouisset suam Heuam, nisi securiosissimo animo erga Deum, & voluntate obediente Deo, sine omni viciosa cogitatione. Nunc post peccatum, norunt omnes, quantus sit furor in carne, quæ non solùm furiosa est in concupiscendo, sed etiam in fastidiendo

endo, postquam nacta est quod voluit. Vtrinque igitur nec ratio, nec voluntas integra cernitur, sed furor plusquam beluinus. Hæc an non grauis & noxia lepra est, qua Adam caruit ante peccatum? Præterquam quod habuit maiores vires & acriores sensus, quàm reliqua animantia. Apri quantùm hodie auditu? Aquilæ quantùm visu? Leo quantùm viribus hominem antecellit?

Ergo Imaginem Dei sic intelligo. Quod Adam eam in sua substantia habuerit, quòd non solùm Deum cognouit, & credidit eum esse bonum, sed quòd etiam vitam vixerit planè diuinam, hoc est quòd fuerit sine pauore mortis & omnium periculorum, contentus gratia Dei. Sicut in Heua apparet, quæ cum serpente sine omni metu loquitur, sicut nos cum agno, aut cane. Ideo etiam istam pœnam proponit Deus, si transgrediantur præceptum. Quacunque die comederis ex ligno hoc, morte morieris, quasi dicat. Adam & Heua, vos nunc viuitis securi, mortem non sentitis, nec videtis. Hæc est imago mea, qua viuitis, sicut Deus viuit. Si autem peccaueritis, amittetis hanc imaginem & moriemini.

Nunc igitur videmus quanta pericula, quot mortes & mortis occasiones misera hæc natura cogatur experiri, & sustinere, præter fœdam concupiscentiam, & alios furores peccati, ac inordinatos motus, qui in omnium animis sunt. Nunquam sumus securi in Deo, terror & pauor etiam in somnis nos exercent. Hæc & similia mala sunt imago Diaboli, qui ea nobis impressit. Adam autem in summa voluptate & securitate vixit, non ignem, non aquam metuit non metuit alia incommoda, quibus hæc vita infestatur, & nos nimium metuimus.

Extenuent igitur peccatum originis qui volent, profectò apparet tum in peccatis, tum in pœnis, longè esse maximum. Inspice solam libidinem, an non est vastissima, tum concupiscendo, tum fastidiendo?

Quid autem de odio erga Deum, & blasphemijs dicemus? Hi enim sunt lapsus illi insignes, qui verè arguunt imaginem Dei amissam esse.

Ergo cùm de imagine illa loquuntur, loquimur de re incognita quam non solùm non sumus experti, sed perpetuò contraria experimur, & nihil præter nuda vocabula audimus. Fuit enim in Adam ratio illuminata, vera noticia Dei, & voluntas rectissima ad diligendum Deum & proximum, sicut Adam Heuam suam complexus est, & statim agnouit vt suam carnem.

Adhæc accesserunt alia leuiora, sed longè maxima, si cum nostra infirmitate conferas, nempe cognitio naturæ perfecta, animalium, herbarum, fructuum, arborum & aliarum creaturarum.

Hæc omnia simul coniuncta, an non talem virum constituunt & faciunt, in quo imaginem Dei relucere senties? Maximè cùm addas etiam imperium in creaturas. Vt sicut Adam & Heua Deum agnouerunt Dominum, ita postea ipsi reliquis creaturis, in aere, aqua, terra, dominati sunt. Hanc maiestatem quis poterit verbis assequi. Nam ego credo Adam ita potuisse vno verbo imperare leoni, sicut nos imperamus assuefacto cani. Ac liberum ei fuit terram colere, ad proferenda ea quæ vellet. Nam spinas & tribulos tum non fuisse, sequentia probabunt, sicut neque bestias tam immanes tum fuisse puto, vt nunc sunt.

Sed peccati originalis ista culpa est, quo vitium contraxit tota reliqua creatura, vt Solem ante peccatum clariorem, aquam puriorem, arbores fertiliores, agros fœcundiores esse existimem: Per peccatum autem & illum horribilem lapsum non solùm caro lepra peccati deformata est, sed omnia quibus hæc vita vtitur, corrupta sunt, sicut infrà clarius dicemus.

Hoc autem nunc per Euangelium agitur vt imago illa reparetur. Et paulò post. Ergo fuit præstantissimum quiddam illa imago Dei, in quam inclusa fuit vita æterna & securitas æterna & omnia bona. Ita autem per peccatum hæc imago obscurata & viciata est, vt eam ne quidem intellectu possimus assequi. Nam etsi vocabula sonamus, quis est qui intelligere possit, quid sit esse in vita secura, sine pauoribus & periculis, sapientem, rectum, bonum, liberum ab omnibus calamitatibus, tum spiritualibus, tum corporalibus? His autem maius fuit, quòd etiam æternæ vitæ capax fuit.

Nam ita fuit conditus, vt quandiu in hac corporali vita viueret, terram coleret, non tanquam opus molestum faciens, aut labore defatigans corpus. Sed cum summa voluptate, non tempus fallens, sed Deo obediens, & eius voluntati parens.

Hanc corporalem vitam exceptura erat spiritualis vita, in qua nec vteretur cibis corporalibus, nec alia quæ in hac vita solent, faceret, sed viueret Angelicam & spiritualem vitam. Nam ita pingitur nobis futura vita, in Scriptura sancta, quod nec bibemus, nec comedemus, neque alias corporales actiones exercebimus. Ideo Paulus dicit: Primus homo factus est in animam viuentem, hoc est viuit vitam animalem, quæ indiget cibo, potu, somno, &c. Sed secundus renouabitur in Spiritum viuificantem, hoc est erit spiritualis homo, vbi redibit ad imaginem Dei. Erit enim similis Deo, in vita, iusticia, sanctitate, sapientia, &c. Nunc sequitur, Dominetur piscibus maris, &c.

Hic pulcherrimæ creaturæ, quæ cognoscit Deum & est imago Dei in qua lucet similitudo diuinæ naturæ, per rationem illuminatam, per iusticiam & sapientiam, tribuitur regnum, & fiunt Adam & Heua rectores terræ, maris & aeris. Committitur autem eis hoc dominium non solùm consilio, sed etiam expresso mandato. Vbi primùm excludiuam hanc diligenter consideremus, quod nulli bestiæ dicitur, vt dominetur, sed simpliciter omnia animalia, imò terra cum omnibus terra nascentibus, subijcitur Adæ, quem Deus vocali mandato & expresso constituit regem, super totam creaturam animalem. Nam ista verba auribus audierunt Adam & Heua cùm diceret Deus: Dominamini. Ergo nudus homo, sine armis & muris imò etiam sine vestitu omni, in sola sua nuda carne, dominatus est omnibus volucribus, feris & piscibus.

Hanc Imaginis diuinæ particulam etiam amissimus, ita vt ne intelligamus quidem illam plenitudinem læticiæ & voluptatis, quam ex totius creaturæ animalis inspectione Adam habuit. Sed omnia leprosa, imò stupida & planè mortua hodie sunt. Quis enim potest cogitare istam quasi portionem diuinæ naturæ, quòd Adam & Heua, omnes omnium animalium affectus, sensus & vires omnes intellexerunt? Quale enim regnum fuisset, nisi hoc sciuissent? Atque in Sanctis in hac vita aliqua Dei cognitio ex verbo & Spiritu Sancto cernitur. Sed illa naturæ cognitio, vt omnes vires arborum, herbarum, naturas omnes bestiarum perspiciamus, hæc in hac vita planè est irreparabilis.

Si igi-

Si igitur volumus prædicare insignem Philosophum, prædicemus primos nostros parentes, cùm adhuc essent à peccato puri. Hi enim cognitionem Dei perfectissimam habuerunt, quomodo enim nescirent eum, cuius similitudinem in se habebant & sentiebant? Deinde etiam stellarum & totius Astronomiæ rationem certissimam habuerunt.

Hæc fuerunt in Heua, æque atque in Adamo, sicut ostendit ratio Heuæ cùm serpenti respondet de ligno in medio Paradisi. Ibi satis apparet nouisse eam suum finem, ad quem esset condita, & autorem ostendit, per quem id sciat, ait enim: Dominus dixit. Igitur non ex solo Adamo hæc audiuit, sed ipsa natura adeo fuit pura & plena cognitione Dei, vt verbum Dei per se intelligeret & videret.

Huius cognitionis nos hebetes & quasi emortuas reliquias habemus. Animalia autem cætera omninò hac cognitione carent, nesciunt creatorem, originem & finem suum, vnde & cur creata sint. Ergo prorsus carent illa similitudine Dei. Ideo Psalmus quoquo hortatur: Nolite fieri sicut equus & mulus.

Etsi igitur imago ista penè tota sit amissa, tamen maxima est differentia hominis & cæterorum animalium. Tum autem ante peccatum, longè maior & illustrior fuit differentia, cùm cognoscerent Adam & Heua Deum & omnes creaturas, & quasi absorpti essent toti in bonitate & iusticia Dei. Hinc inter ipsos quoque insignis animorum & voluntatum coniunctio fuit.

Nec alia species in toto mundo Adæ suauior & venustior visa est quàm Heua sua. Nunc vxor est sicut gentes dicunt, necessarium malum. Ac cur malum vocent satis manifestè cernitur, sed causam mali nesciunt, Satanam scilicet, qui hanc naturam sic deprauauit & corrupit.

Quæ autem efficimus in vita, ea non fiunt per dominium, quod Adam habuit, sed per industriam & artem. Sicut videmus dolo & fraude capi aues & pisces, sic arte cicurantur bestiæ. Nam quæ maximè domestica sunt, vt anseres, gallinæ, tamen per se & sua natura fera sunt. Ergo leprosum hoc corpus, habet adhuc Dei beneficio, speciem aliquam dominij in alias creaturas.

Sed id perexiguum est, & longè inferius illo primo dominio, vbi non arte, non dolis opus fuit, sed simpliciter diuinæ voci paruit creatura, cùm iuberentur Adam & Heua dominari eis.

Ergo nomen & vocabulum dominij retinemus ceu nudum titulum. Ipsa autem res ferè tota amissa est. Et tamen bonum est ista scire & cogitare, vt suspiremus illum venturum diem, in quo hæc nobis restituentur, quæ in Paradiso per peccatum amisimus. Expectamus enim eam vitam, quam expectasset quoque Adam.

Atque hoc rectè miramur, & Deo ob id gratias agimus, quod nos peccato sic deformati, sic hebetes, stupidi, & mortui quasi, per beneficium Christi expectamus eandem gloriam vitæ spiritualis, quam Adam expectaturus erat, si mansisset in sua animali vita, quæ imaginem Dei habebat.

ET CREA-

ET CREAVIT DEVS HOMINEM AD IMAGINEM SVAM.

Ad imaginem Dei creauit illum.

Hic non vtitur vocabulo similitudinis, sed tantùm imaginis. Fortè autem voluit vitare ἀμφιβολίαν, & ideo repetiuit nomen imaginis. Aliam causam repetitionis nullam video, nisi eam accipiamus pro Emphasi, vt sit significatio Creatoris gaudentis & triumphantis in isto pulcherrimo opere quod fecit. Vt significet Moses, Deum non sic delectatum in alijs creaturis, sicut in homine, quem ad suam similitudinem creauit, cætera animalia dicuntur vestigia Dei, solus autem homo est imago Dei, sicut est in sententijs. Nam in cæteris creaturis, cognoscitur Deus ceu in vestigio. In homine autem præsertim in Adamo, verè cognoscitur, quia in eo est sapientia illa, iusticia & omnium rerum cognitio, vt rectè dicatur μικρόκοσμος. Intelligit enim cœlum, terram & totam creaturam. Hoc igitur delectat Deum, quod si pulchram fecerit creaturam.

MASCVLVM ET FOEMINAM CREAVIT EOS.

Ne videretur mulier ab omni gloria futuræ vitæ, comprehendit Moses vtrumque sexum, videtur enim mulier quoddam diuersum esse animal à viro, quod & membra habet dissimilia, & ingenium longè infirmius. Ac quamuis Heua fuerit præstantissima creatura similis Adæ, quod ad imaginem Dei attinet, hoc est, ad iusticiam, sapientiam, & salutem, tamen fuit mulier. Sicut enim Sol præstantior est Luna (quanquam Luna quoque sit præstantissimum corpus) Ita mulier etsi esset pulcherrimum opus Dei, tamen non æquabat gloriam & dignitatem masculi.

Ideo autem coniungit hic Moses vtrumque sexum, & dicit Deum creasse masculum & fœminam, vt significet Heuam quoque à Deo factam, fuisse consortem imaginis & similitudinis diuinæ, Item imperij super omnia. Sic adhuc hodie mulier est consors futuræ vitæ, sicut Petrus dicit, quod sint cohæredes eiusdem gratiæ. Et in Oeconomia est vxor Domini consors, & habet communem possessionem prolis, substantiæ, & tamen magna differentia est sexus. Mas est ceu Sol in cœlo, fœmina velut Luna, animalia sunt ceu stellæ, quibus Sol & Luna dominantur.

DIFFERENTIA INTER IMAGINEM ET SIMILITVDINEM DEI.

Genes. cap. 5. fol. 98. Porrò suprà diximus, quid similitudo Dei fuerit. Etsi autem ferè omnes pro eodem accipiant, similitudinem & imaginem Dei, tamen quantùm ego diligenti obseruatione potui deprehendere, est aliqua inter hæc duo vocabula differentia. Nam *Zelem* propriè vocarunt imaginem seu figuram. Vt cùm dicit Scriptura: Destruite aras imaginum vestrarum. Ibi vocabulum nihil significat aliud, quàm figuras seu statuas, quæ eriguntur. *Demuth* verò, quod similitudinem significat, est perfectio imaginis. Exempli causa, cùm loquimur de imagine mortua, quales sunt in nomismatibus, dicimus hæc est imago Bruti, Cæsaris, &c. Sed ea imago non statim refert similitudinem, non ostendit lineamenta omnia.

Quod

Quòd igitur Moses dicit, hominem etiam ad similitudinem Dei factum esse ostendit quòd homo non solùm referat Deum, in eo quòd rationem seu intellectum & voluntatem habet, sed etiam quòd habet similitudinem Dei, hoc est voluntatem & intellectum talem, quo Deum intelligit, quo vult quæ Deus vult, &c.

Ad hanc tum imaginem tum similitudinem Dei perfectam conditus homo, si non lapsus esset, vixisset in æternum lætus & gaudio plenus, habuisset voluntatem hilarem & expeditam ad obediendum Deo. Sed per peccatum tum similitudo tum imago amissa est. Reparantur tamen aliquo modo per fidem, sicut Paulus dicit. Incipimus enim agnoscere Deum, & adiuuat nos Spiritus Christi, vt cupiamus obedire mandatis Dei.

Sed horum donorum tantùm primitias habemus. Hæc noua creatura in nobis tantùm incipit, non absoluitur dum sumus in hac carne. Erigitur voluntas aliquo modo ad laudandum Deum, ad agendas gratias, ad confessionem, pacientiam &c. Sed tantùm secundum primitias. Nam caro suo more, sequitur quæ sua sunt, & ijs quæ Dei sunt repugnat. Ita tantùm incipiunt in nobis hæc dona reparari. Decimæ autem seu plenitudo huius similitudinis, contingent in futura vita, postquam caro peccati per mortem abolita fuerit.

HOMO AD CERTVM CVLTVM CONDITVS.

Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.

Instituitur Ecclesia sine muris & sine pompa aliqua, in loco spaciosissimo & amœnissimo. Post institutam Ecclesiam, etiam Oeconomia constituitur, cùm Adæ additur socia Heua. Sic templum prius est quàm domus, sicut etiam potius est. Politia autem ante peccatum nulla fuit, neque enim ea opus fuit. Est enim politia remedium necessarium naturæ corruptæ. Oportet enim cupiditatem contringi, vinculis legum & pœnis, ne liberè vagetur. Ideo politiam rectè dixeris regnum peccati, sicut Paulus Mosen quoque vocat ministrum mortis & peccati. Hoc enim vnum & præcipuum agit politia, vt peccatum arceat. Sicut Paulus dicit: Potestas gerit gladium, in vindictam malorum. Si igitur homines non essent per peccatum mali facti, politia nihil fuisset opus, sed Adam vixisset cum posteris suis in summa tranquillitate, ac plus effecisset moto vno digito, quàm nunc omnes gladij, cruces, secures, possunt efficere. Nullus fuisset tum raptor, Homicida, Fur, obtrectator, mendax. Quid igitur legibus, quid politia fuisset opus? Quæ est ceu cauterium & horribilis medicina, per quam noxia membra præscinduntur, vt reliqua saluentur. Adæ igitur in Paradiso, post Ecclesiam etiam Oeconomiæ administratio esset demandata. Ideo autem Ecclesia primò instituitur, vt ostendat Deus hoc quasi signo, hominem ad alium finem esse conditum, quàm reliqua animantia. Quia enim instituitur verbo Dei, certum est, quod sit conditus ad immortalem & spiritualem vitam, ad quam raptus seu translatus esset Adam sine morte, postquam in Eden & reliqua terra, ad societatem, & tamen sine molestia vixisset: Non fuisset in eo illa fœda libido, quæ nunc est, fuisset simplex & purus amor, Sexus ad sexum. Generatio extitisset sine vitio, tanquam obedientia quædam. Matres sine dolore peperissent, infantes non sic miserè & magno cum labore essent educati.

Sed

Sed quis illam innocentiæ gloriam quam amisimus, potest verbis consequi? Manet quidem in natura appetitus masculi ad fœminam, Item fructus generationis, sed cum horribili fœditate libidinis, & ingenti dolore partus. Accedunt pudor, turpitudo, confusio, etiam inter coniuges, quoties licita consuetudine frui volunt. Adeo vbique præsens est, peccati originalis grauissimum malum. Bona quidem est creatio, bona benedictio, sed per peccatum sic sunt hæc corrupta, vt sine pudore coniuges non possint ijs vti. Hæc omnia in innocentia Adæ non fuissent, sed sicut sine pudore, coniuges simul edunt & bibunt: Ita fuisset honestas singularis, non pudor, non confusio in generatione & partu.

Instituitur hic vt dixi, Ecclesia antequam esset Oeconomia. Nam Dominus concionatur hic Adæ & proponit ei verbum. Idetsi breue est, tamen dignum est, in quo immoremur paululum. Hæc enim concio Adæ & omnibus nobis, si in innocentia perstitisset, fuisset tanquam Biblia, nec opus habuissemus Papyro, atramento, calamis, & illa infinita multitudine librorum, qua hodie indigemus, nec tamen millesimam partem eius sapientiæ consequimur, quam Adam habuit in Paradiso. Totum studium sapientiæ hæc breuis concio absoluisset, ac ostendisset nobis, tanquam in tabula pictam bonitatem Dei, qui sine illis incommodis naturam hanc creasset, quæ postea per peccatum sunt consecuta.

Hanc concionem si vt textus ostendit, Adam solus audiuit, sexta die habita est, ac Adam eum postea cum Heua communicauit. Et nisi peccassent Adam porrò toti posteritati hoc vnicum præceptum proposuisset, & extitissent inde optimi Theologi, doctissimi Iureconsulti, & expertissimi Medici. Hodie librorum infinitus est numerus, in quibus instituuntur Theologi, Iureconsulti, Medici. Sed quicquid adiuti libris discimus, vix feces merentur dici, comparatione illius sapientiæ, quam ex hoc vnico verbo hausit Adam. Sic omnia per peccatum originis sunt corrupta.

Hæc igitur scientiæ boni & mali, seu locus in quo magno numero huiusmodi arbores fuerunt consitæ, fuisset Ecclesia, ad quam Adam cum posteritate sua, die Sabbato conueniisset, & post refectionem ex arbore vitæ prædicasset Deum, & laudasset eum pro tradito dominio omnium creaturarum super terram. Sicut Psalmus 148. & 149. Quandam formam talis gratiarum actionis proponunt, vbi Sol, Luna, Stellæ, Pisces, Dracones, iubentur laudare Dominum. Quanquam nullus tam eximius est Psalmus, quo non vnusquisque nostrum, meliorem & perfectionem potuisset componere, si in innocentia ab Adamo propagati essemus.

Prædicasset Adam summum beneficium, quod esset cum posteritate sua conditus ad similitudinem Dei.

Hortatus esset, vt Sancti & sine peccato viuerent posteri, vt operarentur fideliter in horto, ac custodirent eum diligenter, vt summo studio caverent sibi ab arbore scientiæ boni & mali.

Hunc externum locum, ritum, verbum, cultum, habuisset homo, postea redijsset ad operationem & custodiam, donec præfinitum tempus impletum esset, quo esset translatus in cœlum cum summa suauitate.

Sed

Sed loquimur de his bonis tanquam de thæsauro perdito, & meritò suspiramus ad eum diem, in quo restituentur omnia. Vtile tamen est meminisse tum bonorum quæ amisimus, tum malorum quæ sustinemus, & in quibus miserrimè viuimus, vt excitemur ad expectationem illam redemptionis nostrorum corporũ, de qua Apostolus loquitur Rom.8. Nam quòd ad animam attinet, sumus per Christum liberati & eam liberationem retinemus in fide donec reueletur.

Vtile autem est vt hoc quoque consideremus, Deum Adæ verbum, cultum & religionem dedisse nudissimam, purissimam & simplicissimam, in qua nihil laborio sum, nihil sumptuosum fuit. Non enim præcipit mactationem taurorum, non fumum thuris, non vota, non ieiunia, non alias afflictiones corporis. Hoc tantùm vult, vt laudet Deum, vt gratias ei agat, vt lætetur in Domino, & ei in hoc obediat, ne ex vetita arbore comedat.

Huius cultus reliquias habemus aliquo modo per Christum restitutas in hac carnis nostræ infirmitate, quòd nos quoq; laudamus Deũ & gratias ei agimus de om nibenedictione spirituali & corporali. Sed verè nihil hæc sunt quã reliquiæ. Cùm autem post hanc miseram vitam veniemus ad choros Angelorum, tum sanctius & purius hos cultus præstabimus. Sic sunt reliquiæ huius fœlicitatis, quòd per coniugium cauemus & vitamus adulteria, quòd hæc corporalis vita non solum victum, quanquam laborioſum habet, sed etiam custodiam & defensionem aliquam, contra incommoda varia, quibus alioqui opprimeremur. Reliquiæ hæ sunt, sed profectò miseræ reliquiæ, si ad primam conditionem respicias.

ORIGINALIS IVSTITIA QVID.

Genes.Cap.2.fol.32. Sed hîc nascitur quæstio, de qua omnium Sopistarum libri nugantur & tamen nihil explicant, nempè, Quid sit iustitia originalis? Alij faciunt eam qualitatem aliquam, alij aliud, sed nos, si Mosen sequimur, definiemus Originalem iusticiam dici, quòd homo fuit iustus, verax, rectus, non solùm corpore, sed magis animo, quod agnouit Deum, quòd obediuit Deo, cum summa voluptate, quod intellexit opera Dei, etiam non admonitus. Sicut illustre eius rei exemplum est, cum Adam profundissimum somnum dormiret, & Deus ex costa eius conderet Heuam, statim vt euigilat Adam, agnoscit opus Dei dicens: Hoc est os ex ossibus meis. Hîc an non excellens intellectus est, statim primo obtuitu intelligere & agnoscere opus Dei? Ad hanc originalem iusticiam pertinet, quod insigni & purissimo affectu diligebat Adam Deum, & opera eius, quòd viuebat inter creaturas Dei in pace, sine timorn mortis, sine omni metu morborum, quod habebat quoque corpus obedientissimum, repugnans malis affectibus & fœdæ libidini, quam nunc sentimus. Sicut pulcherrima pictura & certissima Originalis iusticiæ potest sumi, à corruptione ista, quam iam in natura nostra sentimus.

ORIGINALIS IVSTICIA FVIT CONNATVRALIS.

Genes.Cap.3.fol.47. Scholastici disputant, Quòd Iusticia Originalis non fuerit connaturalis, sed ceu ornatus quidem additus homini, tanquam donum. Vt si quis formosæ puellæ coronam imponat. Corona certè non est pars naturæ virginis, Sed quiddam separatum à natura, quod ab extra accedit, & sine violatione naturæ potest iterum adimi. Quare disputant de homine & dæmonibus, quod etsi originalem Iusticiam amiserint, tamen naturalia pura manserunt, sicut initio condita sunt. Sed hæc sententia, quia peccatum originis extenuat, ceu venenum fugienda est.

Quin hoc statuamus, iusticiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ita vt natura Adæ

esset, diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, &c. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quàm naturale est quod oculi lumen recipiunt. Quia autem si oculum vitiosum reddas inflicto vulnere, rectè dicas naturam violatam esse: Ita postquam homo ex iustitia in peccatum lapsus est, rectè & verè dicitur: Naturalia non integra, sed corrupta esse per peccatum. Sicut enim natura oculi est videre: Ita natura rationis & voluntatis in Adamo fuit, nosse Deum, fidere Deo, timere Deo. Hæc cũ iam amissa esse constet, quis tam amens est, qui dicat naturalia adhuc esse integra? Et tamen hæc sententia in Scholis nihil fuit vsitatius, nec receptius. Quantò autem absurdius est, hoc de dæmonibus affirmare, quos Christus dicit in veritate non stetisse, & quos nouimus acerrimos hostes esse Christi & Ecclesiæ.

Integra naturalia in homine, fuerunt cognitio Dei, fides, timor, &c. Hæc Satan per peccatum ita corrupit, vt sicut lepra carnem inficit: ita voluntas & ratio per peccatum, sic viciata est, vt non solùm non diligat amplius Deum, sed eum fugiat & oderit eum, & cupiat sine eo esse & viuere.

Pulchrè igitur hic ea corruptio describitur, habet quę successit originali iustitię & gloriæ, gloria enim fuit non videre se esse nudum. Quæ autem potest esse maior corruptio, quàm quod nuditas, quæ antea gloria fuit, nunc vertitur in summam turpitudinem? Nemo erubescit ob oculos sanos & integros, distorti oculi, aut hebetes, minus honesti habentur, & inducũt pudorẽ. Sic in statu innocentiæ honestissimum fuit ingredi nudum, Nunc post peccatum cum se nudos esse Adam & Heua vident pudefiunt, & quærunt perizomata, quibus turpitudinem tegant. Quantò autẽ maior turpitudo in eo est, quod voluntas saucia, intellectus corruptus, & ratio tota viciosa, & in aliud mutata est? Hoc ne est esse naturalia integra? Sed vide quid sequatur ex illa sentẽtia, si statuas iustitiam originalẽ non fuisse naturæ, sed donum quoddam superfluum superadditum. An non sicut ponis iustitiam non fuisse de essentia hominis: Ita etiam sequetur peccatum quod successit nõ esse de essentia hominis? An non igitur frustra est mittere redemptorem Christum, cum iustitia originalis, tanquam aliena res à natura nostra ablata est, & integra naturalia manent? Quid potest indignius Theologo dici?

Quare fugiamus deliria ista, tanquam veras pestes, & corruptelam Sacrarum literarum, & sequamur potius experientiam, quę docet, quod nascimur ex immundo semine, & contrahimus ex ipsa natura seminis, ignorantiam Dei, securitatẽ, incredulitatem, odiũ erga Deum, inobedientiam, impatientiam, & similia grauissima vitia. Hęc sic in carnem nostram sunt implãtata, hoc venenum sic latè per carnem, corpus, animam, neruos, sanguinem, per ossa & medullas ipsas, in voluntate, in intellectu, in ratione diffusum est, vt non solum eximi plenè non possit, sed ne quidem agnoscatur peccatum esse.

Nota Comici sententia est, Non est flagitium adolescentem scortari, sed venia debetur homini Ethnico. Hoc verò indignissimum est, quod Christiani & Sacrarũ literarum periti, in eam sententiam inclinarunt, quod simplex scortatio non sit peccatum. Ac collegia Canonicorum magno consensu eandem sententiam, vita & moribus suis, comprobant. Hoc cũ fit in externo peccato, quid iudicabimus de immundicia cordis, & internis motibus, quos homines impij non intelligunt esse peccata?

Sic non intelligit homo, gloriam nuditatis per peccatum esse amissam. Nam quod Adam & Heua nudi incesserunt, fuit summus ornatus coram Deo, & omni creatura. Nunc post peccatum, non solùm fugimus hominum cõspectum nudi, sed etiam corã nobis ipsis verecundamur, sicut de Adam & Heua hic Moses dicit. Testatur aũt hic pudor, amissam esse in corde fiduciam erga Deum, quam ante peccatum nudi habuerunt. Quare Adam etsi cęcus fuisset, tamen veritus esset se nudum ostendere oculis Dei & hominum. Quod per inobediẽtiam, fiducia erga Deũ esset amissa.

Porrò

Porrò hæc omnia probant, originalem iustitiam fuisse de natura hominis, ea tamen per peccatum amissa, manifestum est naturalia non mansisse integra, sicut scholastici delirãt. Sicut enim naturæ hominis fuit incedere nudum, plenum fiducia & securitate erga Deum, & sic placere Deo & hominibus: Ita nunc post peccatum sentit homo hanc nuditatem, innocentis naturæ, displicere Deo, sibi & omnibus creaturis, ideo parat perizomata, & tegit corpus. Hæc an non naturę est immutatio? Manet quidem natura, sed multis modis corrupta; siquidẽ fiducia erga Deum amissa est, & cor plenũ est diffidentia, metu, pudore. Sic mannet in natura membra eadem, sed quæ antea nuda cum gloria conspiciebantur, nunc tanquam turpis & inhonesta velantur, propter interiorem defectum, quod natura fiduciam in Deum per peccatum amisit, si enim crederemus non erubesceremus.

CAVSA FINALIS HOMINIS.

Genes. Cap. 2. fol. 23. Homo præcipuè est conditus ad noticiam & cultum Dei. Non enim Babbatum propter oues & boues, sed propter homines institutum est, vt in eis notícia Dei exerceretur & crescerét. Etsi igitur per peccatum homo noticiam Dei amisit, tamen Deus mandatum de sanctificando Babbato voluit manere, voluit die septimo exerceri tum verbũ, tum alios cultus ab ipso institutos, vt primùm cogitaremus de conditione nostra, quod potissimùm ad agnitionem & glorificationem Dei natura hæc sit condita.

Deinde vt etiam certam spem futuræ & æternæ vitæ animo retineremus. Nam omnia quæ in Sabbato Deus voluit agi, sunt euidentia signa alterius vitæ post hanc vitam. Quid enim necesse est Deum per verbum suum nobiscum loqui, si non viuendum est in futura & æterna vita? Nam si non est speranda futura vita, cur non viuimus sicut quibus cum Deus non loquitur, & qui Deum non agnoscunt? Sed quia diuina maiestas cum solo homine loquitur, & solus homo agnoscit, & apprehendit Deum, necessariò sequitur esse aliam vitam post hanc vitam, ad quam consequendam nobis opus sit verbo & cognitione Dei. Nam hęc temperalis & præsens vita, est vita animalis, qualem viuunt omnes bestiæ, quæ verbum & Deum non norunt. Item. Genes. Cap. 1. fol. 16. Mose significat nos ad excellentiorem vitam esse conditos, quàm hæc corporalis esset futura, in natura etiam integra. Benè autem dicunt doctores. Si Adam non esset lapsus per peccatum, tunc finito certo numero Sanctorum ab animali vita ad spiritualem vitam Deum translaturum fuisse. Nam Adam non erat sine cibo, potu & generatione victurus. Cessassent autem ista corporalia præfinito tempore, post impletum numerum Sanctorũ, & Adam cum posteritate sua esset translatus, ad æternam & spiritualem vitam. Ista autem opera corporalis vitæ, edere, bibere, procreare, & fuissent quædam seruitus Deo grata, quam etiam Deo sine vicio concupiscentiæ, quæ nunc post peccatum est, præstitissemus sine omni peccato, & sine metu mortis. Hæc profectò iucunda & suauis fuisset vita, de qua re cogitare quidem licet, assequi autem in hac vita eam non licet. Hoc tamen habemus, quod spiritualem vitam & finem vitæ in Paradiso cogitatum & destinatum à Deo, post hanc vitam credimus, & certò expectamus per meritum Christi.

Obseruandus igitur est præsens textus, quo ita magnificè ornat, & ab omnibus alijs creaturis seperat Spiritus Sanctus humanam naturam. Corporalis quidem seu animalis vita, similis erat futura bestiarũ vitæ. Nam sicut bestiæ cibo, potu, quiete indigent ad reficiẽda corpora: Ita Adam quoq; in innocentia his vsurus erat. Sed quod additur, conditum esse hominẽ ita in animalem vitam, vt esset tamẽ factus ad imaginem Dei & similitudinem, hęc est significatio alterius, & melioris vitę quã animalis.

Habuit igitur Adam duplicem vitam, animalem & immortalem, sed nondum reuelatam planè, sed in spe. Interim edisset, bibisset laborasset, generãsset, &c.

Ad laborem conditus. Genes. 2. Cap. fol. 29. Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in hortũ Eden, vt operaretur & custodiret eum: Mandat Adę duplicem curam, vt operetur seu colat hortũ hunc, & etiam vt tueatur ac custodiat. Huius mandati in miseris reliquijs, quas nos habemus, quædã vestigia manent. Nam adhuc hodie hæc coniuncta esse debent, vt terra non tãtùm colatur, sed vt quæ culta sunt defendantur quoque. Sed infinitis modis vtrunque deformatum est. Non enim cultus solùm sed defensio quoque plenissima est omnis generis molestiarum & miseriarum. Quæ autem eius rei causa sit infra in 3. Cap. satis ostendetur. Ibi enim videbimus operationem hanc terræ perturbatam & defœdatam esse, spinis, tribulis, sudore vultus, & infinita miseria. Nam vt de victu parando taceam, quantum difficultatis, laborum & molestiarum in eo est, vt infantem educes? Si igitur Adam mansisset in innocentia, coluisset terram, plantasset areolas aromatum, non solùm sine molestia, sed quasi per lusum & cum summa voluptate. Nati liberi non ita diu vsi lacte materno, forte statim, sicut in Gallinarum pullis videmus, se coniecissent in pedes, & quæsiuissent victum sine parentũ labore vllo. Nunc videtis quanta sit miseria nostrę originis.

Si de victu disputes non solùm eum communem nobiscum habent bestiæ, sed homines hominibus eum subducũt & per fraudem furantur. Ideo muris, sepibus, & alijs munitionibus opus est, & tamen ægrè seruari possunt quæ magno labore coluisti. Ita reliquam habemus operationem, sed longè dissimillimam illi priori. Non solùm quòd cum summa molestia cõiuncta est, sed etiã quod terra quasi inuita & parcedat, quæ Adamo cum summa voluntate dedisset, & in maxima copia, siue intra hortum, siue extra in relinqua terra seminasset, nullum fuisset periculum à furibus & homicidis, omnia fuissent in tuto.

Videmus igitur etiam hac in parte, quantum malum sit peccatum originis, cum inspicimus spinas sentes, sudorem vultus, &c. Sicut enim homo per peccatum in Spiritu cecidit, sic etiã in corpore cecidit in pœna. Nam labor est pœna, qui in statu innocẽtię fuisset ludus & voluptas. Ac nunc in ista naturæ miseria experimur, si quis amęnum hortũ habet, quod neq; serere, nec plantare, nec fodere labor est, sed fit cũ studio & voluptate quadã. Quanto id in horto isto, in statu innocẽtię, fuisset perfectius?

Prodest autem hìc quoque admonere, quòd homo non ad ocium, sed ad laborẽ etiam in innocentiæ statu conditus est. Quare meritò ociosum vitæ genus damnatur quale Monachorum & Monialium est.

Sicut autem de labore & operatione diximus, eam sine molestia futuram fuisse: Ita quoque defensio seu custodia fuisset iucundissima, quę nunc plenissima periculi est, vno verbo imò nutu etiam vrsos & leones fugasset Adam. Hodie habemus quidem defensionem, sed planè horribilem. Opus enim est ad eam gladijs, hastis, bombardis, muris sepibus fossis, & tamẽ vix possumus cum nostris in tuto esse: Obscura igitur & penè euanida vestigia extant, tum operationis tum custodiæ.

CONTRARIA.

Vtile est videre, quàm non possit longius progredi ratio, seu sapientia nostra in ęstimatione creaturę. Quid enim quęso nouit Philosophus de cœlo & mundo, si quidem nescit vnde sit & quo tendat? Imò quid nos de nobis ipsis scimus? Videmus nos esse homines, sed quod hunc Patrem, hanc matrem habeamus, an non credi hoc debet, sciri autẽ nullo potest modo? Sic omnis nostra cognitio seu sapientia tantum ex posita in noticia causę materialis & formalis, quanquã in his quoq; non nunquam turpiter hallucinamur. causam efficentẽ & finalem planè non possumus ostendere, præsertim quod miserabile est, cum de mũdo in quo sumus & viuimus, item de nobis ipsis est disputandum aut cogitandũ. Hęc an nõ misera & egena sapientia est?

Dicit Aristoteles, Homo & Sol generant hominẽ. Bellè dictum, sequere hanc sapientiam & eò deuenies, vt statuas hominem ac solem esse æternum & infinitum.

Nunquam enim

Nunquam enim inuenies hominem, qui sit vel principium vel finis, sicut ego principium & finem meæ personæ, non possum inuenire, si certò scire id & non credere potius volo. Qualis autem sapientia, qualis notícia est, ignorare causam finalem & causam efficientem? Nam quòd formæ notíciam habemus, sic vacca nouit domum suam (Sic vt germanico prouerbio dicitur) intuetur & agnoscit ostium. Apparet itaque hîc quoque quàm horribilis lapsus sit peccati originalis, quo amisimus eam noticiam, vt neque principium, nec finem nostri videre possimus.

Quòd igitur Plato, Cicero, & alij Philosophi, qui melioris notæ sunt dísputant, Hominem incedere erecto capite, cum cætera terram prona ſpectent, quod prædicant rationem seu vim intelligendi & iudicandi in homine, & postea concludunt, Esse hominem singulare animal, conditum ad immortalitatem. Quæso quàm hoc exile & penè futile est? Totum enim à notícia formæ sumtum est. Si autem postea etiam de materia cogites. An non coget te ratio, vt statuas naturam hanc iterum dissoluendam esse, & non posse esse immortalem?

Ergo díscamus veram sapientiã esse in scriptura sancta & in verbo Dei. Id enim non solùm de materia, non solùm de forma totius creaturę, sed etiam de efficiente & finali causa, de principio & de fine omniũ rerũ docet. Quis creauerit, & ad quid creauerit. Sine harum duarum causarũ cognitione, sapientia nostra non multùm differt à bestijs, quæ etiam oculis & auríb. vtuntur, sed principium & finem planè ignorant.

Insignis itaque hic textus est, qui quãtò videtur cum tota experientia & ratione magis pugnare, tantò diligentius obseruandus & certius credẽdus est. Hîc enim docemur de principio hominis, quòd primus homo non extiterit per generationem, sicut Aristoteles & reliqui Philosophi, à ratione decepti somniauerunt. Propagatio posteritatis per generationem fit, sed primus masculus ex gleba agri, prima fœmella ex costa viri dormientis effícta & condita est. Hîc igitur inuenimus principium, quod per Philosophiam Aristotelis non possibile est inuenire.

Hoc principio constituto, sequitur deinde propagatio, non minus admirabilis per coniunctionem masculi & fœminæ, vbi ex gutula humani corporis procreatur vniuersum genus humanum. Sicut Paulus ex hoc loco eleganter inter Philosophos Athenis Philosophatur Actor. 17. Deus ipse dat omnibus ζωὴν καὶ πνοὴν Spíritum & vitam in vniuersum, facitque ex vnius sanguine omne genus hominum, vt habitet super vniuersam terrã, vt quærant Deum, si fortè palpent eum, aut inueniant, quamvis non longè sit ab vnoquoque nostrum. Hîc Paulus loquitur de propagatione, facta per primum hominem, sicut dicit ex vnius sanguine. Si igitur ex guttula sanguinis generatur homo, sicut experientia omnium hominum in toto orbo terrarum testatur, profectò non minus hoc est admirabile, quàm quod primus homo ex gleba, & fœmella ex costa viri condita est. Sed cur hoc de Adæ & Heuæ conditione, sic incredíbile & admirabile videtur, & alterum de Propagatione quod omnes homines norunt ac vident non sic admiramur? Nimirum ideo quod sicut Augustínus dicit: Miracula assiduitate vilescunt. Sic non admiramur illam admirabilem Solis lucem, quia quotidiana est, non admiramur alia creationis dona infinita, obsorduimus enim ad hæc, sicut Pythagoras benè dixit, mirabilem concentũ, & suauissimum ædi ab illa harmonia motuum, quia sunt in orbíbus cœlestíbus. Sed quia homines assiduo audiunt hunc concentem obsurdescũt ad eum perinde, vt qui ad Catadupas Nili sunt, sonitu & fragore aquę, quem assiduo audiũt nõ afficiuntur, cum alijs non assuefactis esset intolerabilis. Sine dubio ex Patrum traditione, hanc ipsam vocem accepit, qui non voluerunt, quasi edatur sonitus illo motu cœlestium corporum. Hoc voluerunt, conditionem eorum esse suauissimam & planè admirabilem, sed à nobis ingratis & insensatis, non obseruari, non agi Deo gratias dignas pro ista admirabili conditione & conseruatione creaturę.

Sic magnum miraculum est, quod exiguum semen seritur, & inde altissima quercus enascitur. Sed quotidiana hæc sunt, viluerunt sicut ista ipsa propagationis nostræ ratio. Quid enim non dignissimum admiratione est, quod mulier semen accipit, quod semen concrescit, acsicut eleganter dixit Hiob coagulatur, deinde formatur & alitur vsque dum ferendo aeri maturus sit fœtus. Edito fœtu per partum, non quidem nouum alimentum, sed noua via & nouo modo venit, quod ex vberibus geminis, tanquam ex fonte lac promanat, quo infans alitur. Omnia hæc plenissima admirationis, penitus incomprehensibilia sunt, sed assiduitate viluerunt, nosque ad hunc suauissimum concentum naturæ verè obsorduimus.

Quòd si vera fide hæc à nobis inspicerentur & æstimarentur vt sunt, profectò non viliora essent, quàm quod Moses hîc dicit Dormienti Adæ exemptam ex latere costam, & Heuam inde esse cõditam. Quin si placuisset eadem ratione nos formare, qua Adam ex limo terræ formatus est, nunc quoque desijsset id nobis esse miraculi loco, & magis admireremur istam rationem propagationis per semen viri. Verum enim est quod barbarè, sed profectò non temere confecto versiculo dicitur: Omnium rarum carum, vilescit quotidianum, Si non singulis noctibus, aut omnibus in locis orirentur stellæ, quantus esset concursus ad id spectaculum? Nunc nemo nostrum, ne quidem fenestram eius rei causa aperit.

Meritò igitur damnatur ingratitudo nostra, si enim credimus causam efficientem & finalem esse Deum, an non opera eius admirari, ijs delectari, & ea semper & vbique debebamus prædicare? Sed quot sunt qui id faciunt verè & ex animo? Audimus Deum apprehendisse glebam, & fecisse hominem hoc admiramur, & præ admiratione ducimus esse fabulosum. Quòd autẽ apprehendit adhuc hodie guttam de sanguine patris, & creat hominem hoc non admiramur. Quia hoc quotidie fit, illud semel factum est, cum tamẽ vtrumque eadem arte & eadem potentia fiat, ab eodem autore. Nam qui ex gleba formauit hominem, idem adhuc hodie creat homines ex sanguine parentum.

Frustra igitur Aristoteles nugatur, Quod Homo & Sol generant hominẽ. Nam nisi Solis calor fouet corpora, tamen generandi causa longè aliud est, nempe verbum Dei sic iubentis, quod dicit ad hunc maritum: Iam sanguis tuus fiat masculus, fiat fœmella. Hoc verbum ratio nescit. Itaque non potest non pueriliter nugari de causis tantarum rerum. Sic medici Philosophos secuti, generationem referunt ad conuenientem mixturam qualitatum, quæ in materia prædispositа operantur. Id etsi ratio non potest negare, nam videt fictas & frigidas naturas ad generationem ineptas, contrà humidas & moderatè calidas aptiores, tamẽ primam causam non attingunt. Altius enim quàm in naturam, quàm in qualitates, & temperamẽta earum, nos ducit Spiritus Sanctus, cùm verbum proponit, in quo omnia creantur & conseruantur. Quod igitur ex gutta sanguinis homo, non bos, non asinus nascitur, verbi virtute fit, quod à Deo prolatum est. Itaque verè sicut in oratione Dominica etiam Christus docet, Deum vocamus Patrem nostrum & creatorem nostrum sicut Symbolum appellat. In hanc causam cum respicimus, tum castè, purè & cum gaudio de ijs rebus possimus loqui, quarum alioqui hac causa omissa, sine fœditate & obscenitate non possimus meminisse.

Ergo pulcherrima & iucundissima hęc est fabula in aurib. rationis, qua ad delicias vsque abusi sunt Philosophi, si eam audierunt, sicut quidam audierunt, præsertim qui Aegyptiorum literas & sapientiam didicerunt. Sed inæstimabilis sapientia nobis, scire, quod nobis, hæc quantumuis ridicula (vt mundus iudicat) fabula ostendit, nempè quod initium generationis humanæ constiterit per verbum, siquidem Deus apprehendit glebam & dicit: Faciamus hominem. Sic postea apprehendit costam Adæ & dicit: Faciamus homini adiutorium.

Et Paulo

Et paulò post. Diximus satis cōpiosè hactenus de conditione Heuæ, quæ etsi rationi fabulosa videtur, tamen est certissima veritas, quia in verbo Dei est prodita, quod solùm verè docet, vt dixi, de duabus principalibus causis efficiente & finali, quarum cognitio etiam in naturalibus, sicubi haberi potest, plurimum momenti habet. Quid enim prodest scire quàm pulchra creatura sit homo, si finem ignores, quod scilicet est conditus ad cultum Dei, & vt cum Deo in æternum viuat? Aliquid dicit Aristoteles, cum ponit hominis finem esse fœlicitatem, quæ in actione virtutis consistit. Sed in hac naturæ imbecillitate, quis ad hunc finem peruenit? cum etiam qui optimi sunt, varijs incommodis obijciantur, quæ tum fortuna, tum hominum malicia & prauitas conciliat. Requirit ea fœlicitas tranquillitatem animi, sed eam quis perpetuè in tanta fortunæ iactatione retinere potest? Frustra igitur hic finis præscribitur, quem nemo attingit.

Principalis igitur finis est, quem Scriptura ostendit, quod homo sit conditus ad similitudinem Dei, vt cum Deo in æternum viuat, & hîc in terra Deum prædicet, ei agat gratias, & verbo eius obediat in patientia. Hunc finem vtcunq; quamuis infirmiter, apprehendimus in hac vita. In futura autem vita perfectè eam consequemur. Hæc Philosophi non norunt. Itaq; mundus in summa sua sapientia est stultissimus, quando sacra Scriptura seu Theologia caret. Nam neq; principium, nec finem suum homines norunt, quando verbo carent, taceo de reliquis creaturis.

REFVTATIO FABVLAE IVDAICAE QVOD HOMO SIT PRINCIPIO CONDITVS *cum vtroque sexu.*

Genes. cap. 1. fol. 20. Lyra recitat Iudaicam fabulam, cuius in Platone etiam alicubi fit mentio. Hominem principiò creatum cum vtroque sexu, & postea virtute diuina quasi discissum seu dissectum, sicut docti & spinæ forma videntur testari. Hæc alij obscænioribus nugis auxere, sed secūdum Caput hos nugatores redarguit. Nam hoc si verum est, quomodo constabit sumpsisse Deum vnam de costis Adæ, & ex ea edificasse mulierem? Thalmudica hæc sunt & tamen attingenda fuere, vt videamus Diaboli maliciam, qui tam absurda suggerit hominibus.

Cum hac fabula conuenit, quod Aristoteles appellat mulierem virum occasionatum, & alij monstrum dicunt. Sed sint ipsi monstra & monstrorum filij, qui sic calumniantur & rident creaturam Dei, in qua ipse Deus delectatus est, tanquam in nobilissimo opere. Item, quam videmus singulari consilio conditam esse. Sed arguunt ista gentilia, quam ratio nihil possit certi de Deo & operibus Dei statuere, sed tantùm rationes contra rationes fingit, neque quidquam perfectè aut solidè docet.

QVAESTIO. AN ADAE IN INNOCENTIAE STATV FVERIT LEX POSITA.

Genes. cap. 2. fol. 31. Porrò hîc monendi estis contra Pseudoprophetas, per quos Satan sanam doctrinam variè conatur deprauare. Recitabo autem exemplum meæ historiæ, quomodo à fanatico Spiritu, sub initia huius doctrinæ, sim vexatus. Habet quidem textus verbum præcipiendi, va Iezaf Iehoua. Et præcepit Dominus, & tamen ille sic colligebat. Iusto non est lex posita, Adam fuit iustus, Ergo Adæ iusto non est lex posita. Ex hoc postea illud nectebat, hanc non legem sed tantùm admonitionem esse. Porrò quia præuaricatio non est, vbi lex non est, eò sensim ferebatur, vt negaret peccatum originale. Ac in ista sententiarum connexione magnos agebat triumphos, tanquam qui Thesaurum toti mundo hactenus incognitum reperisset. Vtile aūt est videre Satanæ molimina, vt eis prudenter discamus obuiā ire.

Ambæ ſententiæ ſunt Pauli, Quod iuſto non ſit lex poſita, & quod vbi Lex non eſt, ibi quoque non ſit tranſgreſsio. Sed boni Dialectici eſt, obſeruare dolos ac ſtudium Diaboli, quod poſtea etiam eius mancipia miſeri Sophiſtæ vſurpant. Nituntur quidem Scriptura, Nam ridiculum eſſet nihil præter ſua ſomnia hominibus obtrudere. Sed eam non integram producunt, ſemper ea arripiunt, quæ in ſpeciem pro ipſis faciunt, hoc autem quod contra ipſos eſt, aut callidè diſsimulant, aut vafris gloſſematis deprauant.

Sic cùm Satan Chriſtum audiret niti fiducia miſericordiæ Dei in magna fame, conabatur eum ad prohibitam fiduciam, hoc eſt ad tentandum Deum inducere, vtebatur ſententia Pſalmi ſibi commoda: Mandauit Angelis ſuis de te, vt portent te in manibus, & non offendas ad lapidem pedem tuum. Hoc autem quod contra Satanæ inſtitutum erat, quod ſcilicet cuſtodia hæc Angelorum eſſet in vijs noſtris, ſeu vocatione noſtra, id callide diſsimulabat. In eo enim totius argumenti ſolutio eſt, Nempe quod Angeli cuſtodes noſtri ſunt, ſed in noſtris vijs.

Hanc ſolutionem Chriſtus eruditè oſtendit, cum opponit præceptum: Non tentabis Dominum Deum tuum. Significat enim hominis viam non eſſe volare in aere, ea enim volatilium via eſt, ſed gradus qui erant de tecto templi, ad id facti, vt facilis & ſine periculo deſcenſus eſſet. Cum ergo ſumus in vocatione & officio, ſiue mandato diuinitus, ſiue per homines, qui vocationis legitimum ius habent, ibi credamus præſidium Angelorum, non defuturum nobis eſſe.

Hęc vtilis regula eſt, quoties cum fanaticis eſt diſputandum. Nam incauti fallun tur, cum homines vafri ſuo more aut à diuiſis ad coniuncta transferunt orationem, aut vtuntur fallacia compoſitionis & diuiſionis, nec integras adducunt ſententias.

Idem in hoc argumento fit, cum ſic colligitur. Iuſto non eſt lex poſita. Adam fuit iuſtus, Ergo ei non fuit poſita lex, ſed tantùm admonitio quædam fuit. Qui hîc non benè prudens & cautus eſt, irretitur præter ſuam expectationem, in horribilem concluſionem, quod ne quidem peccatum fuerit, de pomo illo comedere, ſiquidem non lex fuit. Verum enim eſt vbi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſsio.

Atq; haud ſcio an non etiam noſtro tempore, quidam hoc ipſo argumento decepti ſint. Sic enim de peccato originali loquuntur, ac ſi nõ ſit culpa, ſed tantum pœna. Sicut Eraſmus quoque alicubi diſertis verbis diſputat, eſſe peccatum originale pœnam inflictam parentibus primis quam nos poſteri quoque cogimur ſuſtinere propter alienam culpam, ſine noſtro merito. Quemadmodum puer ex ſcorto natus, cogitur ſuſtinere infamiam, non ſua culpa ſed matris. Quid enim peccauit qui nondum fuit? Abblandiuntur hæc rationi, ſed ſunt plena impietatis & blaſphemiæ.

Quod igitur eſt vicium huius Syllogiſmi? Hoc ſcilicet commune, quod textus non eſt integrè citatus, ſed cũ ſumma perfidia mutilatus. Nam textus integer ſic habet. Non eſt lex iuſto poſita, ſed homicidis adulteris, &c. Ex hoc quid aliud ſequitur, quàm quod Paulus loquatur de ea Lege, quæ poſt peccatũ eſt lata, & non de hac Lege, quam tulit Dominus, cũ Adam adhuc eſſet integer & iuſtus. Iuſto inquit lex non eſt lata. Ergo ſequitur irrefragabiliter legem latam eſſe naturæ nocenti & peccatrici.

An non autem ingens ſcelus eſt, ſic confundere in grauiſsimis cauſis ſententias? Adam poſt peccatum non eſt, qui fuit ante peccatum, in ſtatu innocentiæ, Et tamen iſti nullum diſcrimen faciunt inter legem ante peccatum & poſt peccatum latam. Sed quod Paulus dicit de lege, quæ poſt peccatum ſubintrauit, mendaciter & cum blaſphemia transferunt ad legem in Paradiſo latam. Niſi enim peccatũ extitiſſet, illa lex peccatũ prohibens etiã nõ extitiſſet, ſicut ſuprà dixi, politia & legib. ceu cauterio, & vt Paulus vocat Pędagogo, non fuiſſe opus in integra natura. Puer quia malus eſt, opus habet Pædagogo & virga. Sic quia Princeps habet inobedientes ciues, lictoribus & carni-

bus & carnificibus opus est. De tali lege propriè Paulus loquitur, qua post naturam peccato corruptam opus fuit. Dixi autem suprà quoque, cur hoc mandato de arbore scientiæ boni & mali opus habuerit Adam, Nempe vt esset externus cultus, & opus obedientiæ externum erga Deum. Sic Angelus Gabriel est sine peccato, purissima & innocens creatura, & tamen accipit à Deo mandatum vt Danielem de maximis rebus doceat, vt Virgini Mariæ nunciet, quod futura sit mater Christi, promissi patribus. Hæc sunt verè præcepta, quæ innocenti naturæ proposita sunt. Sic Adæ hic præcipitur à Domino ante peccatum, ne edat de ligno scientiæ boni & mali, id quod libenter & summa cum voluptate fecisset, si fuisset absque fraude Satanæ. Sed Paulus de alia lege loquitur, clarè enim dicit se loqui de lege quæ est posita non iustis sed iniustis. Quis iam tam aut stupidus, aut insanus est, qui inde velit colligere, Adæ non esse positam legem, cum audiat Adam esse iustum? Nihil enim aliud inde sequitur, quàm legem quæ iniustis est posita, eam legem non esse positam iusto Adę. Cùm autem Adæ iusto posita lex sit, sequitur eam esse aliam legem, quàm quæ post hoc iniustis est posita.

Est itaque in hoc argumento vicium compositionis & diuisionis, quia mutilis textus adducitur. Deinde est ibi duplex æquiuocatio. Prima in eo, quòd aliud est lex ante peccatum, & aliud post peccatum. Secunda quod iustus quoque non eodem modo dicitur post peccatum & ante peccatum. Hæc vtile est obseruare, & artes hoc modo transferri debent ad vsum in grauibus disputationibus, Non enim ad illas ociosas contentiones in Scholis excogitatæ sunt, sed vt grauissima negocia per eas rectè possint explicari. Sicut hoc ipso argumento Satan magnam rem agit, vt peccatum originale neget, Atque hoc verè est negare passionem & resurrectionem Christi. Nihil ergo impediat nos Pauli sententia, quin cum Mose statuamus Adæ iusto esse positam legem, ne de ligno scientiæ boni comederet, sicut Angelis dantur mandata. Hoc mandatum quia transgressus est, peccauit, & peccatores postea ex se propagauit.

ADAM QVASI MEDIVS CONDITVS.

Genes. cap. 2. fol. 32. Adam fuit vt sic dicam medius, qui tamen poterat decipi per Satanam, & cadere in illam calamitatem in quam cecidit, Tale periculum lapsus non erit in illa perfecta innocentia, quæ erit in futura & spirituali vita. Atque hoc significat hęc pænæ comminatio: Quacunque die comederis de ligno hoc, morieris. Quasi dicat, potes quidem manere in vita, ad quam te condidi, & tamen nec sic es immortalis vt Angeli. Est vita posita ceu in medio, potes in ea manere, & postea rapi ad inamissibilem immortalitatem. Contrà si non parueris, mortem incurres & immortalitatem amittes. Ergo est magna differentia inter spiritualem Angelorũ conditionem & Adæ innocentiam. Angeli vt nunc sunt non possunt cadere. Adam autem potuit cadere, Fuit enim in tali statu, in quo poterat fieri immortalis (erat enim sine omni peccato) & ex puerili gloria, in immortalem vitam transferri, in qua non posset posthac peccare. Poterat enim ab ista innocentia puerili ruere in maledictionem, peccatum & mortem sicut accidit. Immortalis erat Adam, quia habebat conditas arbores, quarum fructus ad conseruationem vitæ valebant, sed immortalitas hæc, non sic ei erat confirmata, vt impossibile esset eum cadere in mortalitatem.

Quare autem Deus in hoc medio statu voluerit hominem condere, non est nostrum definire, aut scrutari curiosius, sicut neque illud, Quod homo sic est conditus, vt ab vno per generationem, propagentur omes.

VOLVN-

VOLVNTAS IN HOMINE RECTA SED NON PERFECTA.

Genes. cap. 2. folio 33. Adam cum adhuc esset natura integra, fuit sagacissimo ingenio, vt qui Heuam statim intellexit, carnem suam esse, & omnium creaturarum exactam noticiam habuit, fuit iustus, rectus, intellectu præstanti, voluntate recta, & tamen imperfecta. Nam perfectio differebatur post illam animalem vitam ad Spiritualem.

DE LAPSV ADAE ET HEVAE.

DE CAVSIS LAPSVS.

Genes. cap. 3. folio 43. Initium peccati originalis fuit tentatio Diaboli, cum à verbo Dei abduxit Heuam, ad Idolatriam, contra primum, secundum & tertiũ Præceptum. Huc enim propriè pertinent verba hæc, scilicet: Præcepit vobis Deus. Est horribilis audacia Diaboli, fingentis nouum Deum, & negantis priorem verum & æternum Deum, cum tanta securitate & fiducia. Quasi dicat: profectò fatui estis, si creditis Deum ita præcepisse. Deus enim nullo modo talis est, vt tam sollicitè curet, siue edatis, siue non. Quia enim est arbor scientiæ boni & mali, quomodo potest in eum cadere tanta inuidia, vt nolit vos esse sapientes?

Porrò ineffabilis hæc malicia satis arguit, etsi Moses tantùm Serpentis, & non etiam Satanæ mentionem facit, Satanam huius negocij architectum fuisse. Ac Patres & Prophetæ Sancti, quantumuis inuoluta hæc essent, tamen Spiritu Sancto eos illustrante, facilè viderunt, non esse hoc negocium Serpentis, sed fuisse in Serpente Spiritum illum, hostem innocentis naturæ, de quo Christus in Euangelio clarè concionatur: Quod non steterit in veritate, & quod homicida & mendax sit. Euangelij enim fuit, ista explicare clarius, & ostendere hunc hostem Dei & hominum.

Viderunt autem Patres hoc ipsum ex tali ratiocinatione. Certum est fuisse tum omnes creaturas in perfecta obedientia, secundum sententiam. Et vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Hic autem in Serpente prodit se talis Spiritus, qui sit hostis Dei, & verbum Dei deprauet, vt eo modo innocentem hominem in peccatum & mortem inducat.

Manifestum igitur est, fuisse in Serpente aliquid deterius, quod propriè possit vocari aduersarius Dei, mẽdax & homicida, Spiritus, in quo maxima est & horribilis securitas, quod non veretur deprauare mandatum Dei, & sollicitare hominem, ad idolatriam, ex qua nouit totum genus humanum periturum esse. Verè horribilia hæc sunt, cum rectè à nobis æstimantur. Ac videmus etiamnum in Papistis & aliis Sectis exempla similis securitatis, qua verbum Dei deprauant & homines seducunt.

OBIECTIO CVR DEVS PASSVS SIT TENTARI HEVAM.

Genes. cap. 3. folio 41. Porrò hîc quoque mare quæstionum oritur. Nam homines curiosi quærunt, Cur Deus permiserit hoc Satanæ, vt tentaret Heuam? Cur autem Satan per Serpentem potius, quàm aliam bestiam Heuæ insidiatus sit, &c. Sed quis reddere potest rationem eorum quæ videt diuinam Maiestatem permisisse fieri? Cur non potius discimus cum Hiob: Non posse Deum vocari in ius, nec ipsum cogi posse, ad reddendam nobis omnium quæ facit aut permittit fieri rationem? Cur non eadem ratione cum Deo expostulamus, quod non per totum annum terra germinat, & arbores virent? Sicut in Paradiso omnino existimo perpetuum

perpetuum ver futurum fuisse, sine illa hyeme, niue & frigoribus, quæ hodie sunt post peccatum. Sed sunt ista omnia posita, in potestate & voluntate diuina, hoc scire satis est, accuratius autem ea inquirere, est impia curiositas. Quare nos lutum manuum eius, cessemus disputare de talibus. Non iudicemus Deum nostrum, sed sinamus nos ab eo potius iudicari.

Responsio itaque ad omnia huiusmodi argumenta hæc vna esse debet. Quòd Domino sic placuit, vt periclitaretur Adam, & exerceret vires suas, sicut adhuc hodie, eum baptizati & in regnum Christi translati sumus, non vult Deus nos ociosos esse, vult exerceri verbum & dona sua. Ideo permittit nos infirmos à satana cribari. Ad hunc modum videmus Ecclesiam repurgatam verbo, assidue periclitari. Excitantur sacramentarij, Anabaptistæ & alij fanatici Doctores qui Ecclesiam exercent varijs tentationibus. Accedunt etiam internæ vexationes. Hæc ita permittit Deus fieri, non quod constituerit Ecclesiam aut deserere, aut perire velle, sed sicut, sapientia dicit, illa certamina Ecclesiæ & pijs obijciuntur, vt vincant, & ipso vsu discant, quoniam omnium potentior est sapientia.

Alia quæstio hîc est, de qua fortasse minore cum periculo, fructu autem maiore disputari potest, nempe, Cur scriptura ista sic inuoluat, & non potius aperte dicat, Angelum qui cecidit, inuasisse serpentem & per serpentem locutum esse, & decepisse Heuam? Sed respondeo. Ista sic inuoluta esse, vt omnia reseruarentur Christo, & eius Spirituí, qui per totum orbem debebat lucere, sicut Sol meridianus, & omnia Scripturę mysteria aperire. Hic Spiritus Christi, quia in Prophetis fuit intellexerunt Prophetæ sancti talia scripturæ mysteria. Diximus autem supra serpentem (sicut etiam bestiæ sua differentia dona habent) excelluisse dono calliditatis. Ideo ad hunc Satanæ ludum aptior fuit. Et huius rei satis euidẽs testimonium est, hic Mosi textus, qui dicit singularem præ omnibus bestijs terræ, calliditatem in serpentem fuisse.

IN QVIBVS HOMINIS PARTIBVS COMMISSVS SIT LAPSVS.

Genes. Cap. 3. fol. 42. Hoc egit Satan vt per suum dicere, abduceret Heuam ab eo, quòd Deus dixerat, ac sublato verbo corripit optimam voluntatem, quam antea habuit homo, vt fieret rebellis, corrupit etiam intellectum, vt dubitaret de volũtate Dei. Ex his sequitur postea rebellis manus, contra mandatum Dei extensa ad pomum carpendum. Deinde os & dentes rebelles. In summa omnia mala sequuntur incredulitatem seu dubitationem de verbo & Deo. Quid enim potest esse peius, quàm inobedientem esse Deo, & obedire Satanæ?

Genes. Cap. 3. fol. 46. Heua per incredulitatem in mendacium ruerat. Itaque coram oculis Dei iam mortua. Tenente autem Satana animum & oculos, mortem non solũ non videt nec sentit, sed paulatim etiam magis incenditur cupiditate pomi, & delectatur in idolatria ista, & peccato. Si igitur Heua à verbo non discessisset, abominatio ei fuisset sic inspicere pomum, vt eo vesci cuperet. Nunc cum voluptate hoc peccatum in animo versat, vbi prius refugisset, si quem alium vidisset extendentem manus ad arborem istam. Nunc more impatiens est, sic discendente peccato ad inferiora membra, & prorumpente ex corde. Hæc igitur delectatio & cupiditas comedendi pomi est tanquam morbus ex peccato natus, quem postea mors sequitur, licet eam Heua interim dum peccat non sentiat, sicut sequitur. Vidit itaque mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & vide quomodo peccatũ paulatim diffundatur in omnes sensus.

Quid enim omittit Heua, quòd ad peccatũ augendum attinet, postquam Satanę contra Dei

contra Dei verbum credit, futurum vt non moriatur, sed potius vt aperiantur oculi, & cognoscat malum & bonum? Oculi non possunt satiari aspectu. Parum ei est quod habet cognitionem Dei, & rectam rationem, etiam mali cognitionem optat accedere. Hoc vero est Satanæ ipsissimum venenum, quod optat sapere supra id quod ei præceptum erat. Est enim hæc sapientia mors, & inimica sapientiæ Dei in præcepto traditæ. Facit enim hæc sapientia, vt quod peccatum est, iudicet esse iusticiam, & quæ extrema insania est, sentiat esse optimam sapientiam. Emphasis igitur in eo est, quod tamen Latinus textus omisit, quod scilicet arbor ideo videbatur delectabilis, quia prudentes faceret. Hoc enim Diabolus, in omnibus tentationibus solet, vt quando homo à verbo discedit longius, tantò videatur sibi doctior & sapientior.

Non igitur audiendi sunt, qui disputant, crudelitatem esse quod propter pomi morsum, natura hæc sic miserè corrupta sit, & demersa in mortem & reliquas calamitates. Nam Epicurei cum hæc audiunt, tanquam fabulam rident. Sed diligenti lectori facile apparet, pomi morsum non esse causam, peccatum causa est, quo peccat Heua contra vtramque tabulam, & contra ipsum Deum & verbum eius, ac peccat eo modo, vt verbum Dei abijciat, & se totam præbeat Satanæ discipulam.

Hæc nullo modo possunt extenuari, sunt enim vt dicunt prægnantes causæ harum pœnarum, quas sustinemus, tam horribile peccatum & tam horribilis auersio à Deo. Hanc intueri animo debebamus, & non tantùm hærere in decerpto ac vorato pomo. Qui enim solum opus & non peccatum, ex quo opus hoc secutũ est intuentur, hi non possunt Deum non accusare crudelitatis, quod ob tantillum peccatulum, tantas pœnas vniuerso generi humano inflixerit. Quare oderunt Deum & desperant, Aut sicut Epicurei hæc tanquam fabulam rident.

In verbum igitur respiciendum est. Est autem id Dei verbum, quàm magnum igitur est verbum, tam magnum etiam est peccatum, quod contra Verbum admittitur. Huic peccato vniuersa natura succumbit. Quomodo enim id posset vincere, est enim inexhaustæ magnitudinis. Quare ad vincendum hoc peccatum eo opus est, qui afferat secum inexhaustum iusticiam, hoc est Filio Dei.

Atq; hoc etiam Satanæ astris ostendit. Neq; enim Heuam statim sollicitat, suauitate pomi, summam virtutem hominis primum inuadit, fidem in verbum. Radix igitur & fons peccati est incredulitas, & auersio à Deo, sicut econtra fons iusticiæ & radix est fides. Et Satan primum abducit à fide ad incrudelitatem. Hac vbi confecit, vt non crederet Heua præcepto à Deo tradito, facilè fuit etiam id perficere, vt inuolaret in arborem, & pomum decerptum comederet. Nam peccatum per incredelitatem consummatum in corde, sequitur etiam externa inobedientia: Ad hunc modum peccati ratio consideranda est, secundum suam magnitudinem veram, in qua nos omnes perijmus.

QVOMODO ACCIDERIT LAPSVS.

SEV DE CAVSA FORMALI.

Quo die peccauerint Adam & Heua.

Genes. cap. 1. fol. 20. Multi Doctores hac quoque putant, Adamum sexto die peccasse, & celebrant sextum diem duplici nomine, quod sicut Adam sexto die peccauit: Ita Christus quoque sexto die passus sit. Hæc an vera sint ipsi viderint. Hoc Moses manifestè dicit, hominem in sexto die creatum, & ei Vxorem additam esse. Mihi sicut infra dicam, similius vero videtur, quod Adam peccauerit septimo die, hoc est in Sabbato, sicut adhuc Sabbatum Ecclesiæ infestat Satan, cùm docetur verbum, sed ne hoc quidem ex Mose manifestò ostendi potest. Sunt igitur vtrinque rationes

rationes contra rationes, sicut Cæsar Maximilianus solebat dicere. Quare relinquo ista dubia, ita vt sint, in vniuscuiusque arbitrio. Cap. 3. fol. 41. Quod ad historiam lapsus attinet, dixi antea sententiam meam, Quod mihi videtur hanc tentationem esse factam in die Sabbato, Ita vt in sexto die Adam & Heua sint conditi, Adam citius, Heua sub vesperam. Sequenti die Sabbato mane Adam Heuæ concionatus est, de voluntate Dei, quod benignissimus Dominus totã Paradisum condiderit ad vsum & voluptatem hominũ, quod etiam lignum vitæ singulari bonitate creauerit, cuius vsu restaurarentur vires corporis, & retineretur perpetua iuuenta. Vnam autem arborem scientiæ boni & mali esse prohibitam, ex qua non licet comedere, hanc obedientiam tam benigno conditori præstandã esse. Hæc fortè cum dixit in paradiso Heuam suam circumducens Adam, prohibitam arborem ei ostẽdit. Ita Adam & Heua florentes innocẽtia & iustitia originali, pleni securitate, propter fiduciam in Deum tam benignum, deambularunt nudi, tractantes verbum & mandatum Dei, & benedicentes Deum, sicut in die Sabbato decet. Ibi proh dolor interuenit Satan, & intra paucas horas subuertit ista omnia.

DE GENERE HVIVS TENTATIONIS, QVALIS NAM FVERIT.

Genes. Cap. 3. fol. 42. Disputant Sophistæ quoque de genere huius tentationis, qualis nam fuerit. Num peccauerunt idolatria, num superbia seu securitate, an verò simplici pomi comestione? Sed nos, si ista, vti debent, paulò diligentius considerabimus, inueniemus summam & acerrimam omnium tentationum hanc fuisse, quia Serpens inuadit ipsam voluntatem Deo bonam, & nititur ex interdictione arboris, probare, Dei voluntatem erga hominem non esse bonam. Ipsam igitur imaginem Dei & summas vires, quæ in natura incorrupta erant, petit, ipsum summum cultum, quem Deus ordinauerat, conatur euertere. Frustrà igitur disputamus, de hoc aut illo peccato, sollicitatur enim Heua simpliciter ad omnia peccata, cum cõtra verbum & voluntatem Dei bonam sollicitatur.

Itaque Moses cautissimè loquitur, & inquit: Dixit serpens, hoc est verbo impugnat verbum. Verbum quod Adæ dixerat Dominus hoc erat: De ligno scientię boni & mali ne comede. Hoc verbum erat Adę Euangelium & lex, erat eius cultus, erat seruitus & obiedientia, quã poterat Deo in ista innocentia præstare. Hęc petit Satan, hæc conatur euertere. Nec tantùm hoc agit, quod imperiti cogitant, vt ostendat arborem, & inuitet ad fructum decerpendum, ostendit quidem, sed addit aliud & nouum verbum, sicut adhuc solet in Ecclesia.

Quando enim Euangelium purè prædicatur, tunc homines certam fidei suæ regulam habent, & idolatriam cauere possunt. Sed ibi Satan varia conatur & tentat, quomodo aut à verbo abducat homines, aut deprauet verbum. Ita in Græca Ecclesia etiam Apostolorum tempore excitatæ sunt variæ hæreses. Alius negauit Christum esse Filium Dei, alius negauit eum esse Filium Marię, sicut Anabaptistę hodie impiè negant, Christum de carne Mariæ aliquid sumpsisse. Ac Basilij temporibus præcipuè conati sunt, Spiritum Sanctum negare, quòd Deus sit.

Eadem exempla nostra ætas etiam vidit, postquam purior Euangelij doctrina illuxit, impugnatores operum & verbi Dei non vnius generis exorti sunt. Non quidẽ cessant aliæ tẽtationes, quod sollicitat Satan ad scortationem, adulteria & similia flagitia. Sed hæc tentatio, cum Satan verbum & opera Dei petit, longè est grauior & periculosior, & propria Ecclesię & Sanctorum.

Ad hunc igitur modum Adam & Heuam petit hic Satan, vt verbum eis eripiat, & vt mendacio credant amisso verbo & fiducia in Deum. Hoc cum accidit, quid

mirum est postea fieri superbum: esse contemptorem Dei & hominum: fieri adulterum, homicidam, &c. Verè igitur hæc tentatio caput omnium tentationum est, quæ secum affert ruinam seu violationem totius Decalogi. Fons enim omnium peccatorum est incredulitas, hanc cum Satan excusso aut deprauato verbo excitauit, nihil ei non facile est.

Sic cum Heua verbum sibi esset passa per mendacium excuti, facillimum fuit accedere ad arborem, & pomum ex ea decerpere. Itaque stultum est cogitare, sicut Sophistæ & Monachi de hac tentatione cogitant, quod Heua, cum arborem esset intuita, paulatim cœperit incendi cupiditate decerpendi pomi, donec tandem victa cupidate, pomum ori admouit. Nam tentatio summa fuit, audire aliud verbum, ac discedere ab eo, quod Deus prolocutus erat, futurum vt morerentur, si ex ea comedissent. Sed videamus ordine verba Mosi. Primò Satan imitatur Deum. Sicut enim Deus erat concionatus Adæ, ita ipse quoque concionatur Heuæ. Verum enim est, quod prouerbio dicitur: In nomine Domini incipit omne malum. Sicut igitur ex verbo Dei vero salus est: Ita etiam ex verbo Dei deprauato est perditio. Voco autem verbum deprauatum, non solùm vocale ministerium, sed etiam persuasionem internam, seu opiniones à verbo dissidentes.

Significat autem hoc Moses per verbũ dixit: Hoc enim egit Satan, vt per suum dicere, abduceret Heuam ab eo, quod Deus dixerat, ac sublato verbo corrupit optimam voluntatem, quam antea habuit homo, vt fieret rebellis, &c.

Et paulo post. fol. 43. Secundò consideranda etiam est astucia singularis, quæ in hoc primùm deprehenditur, quod Satan inuadit summas hominis vires, & ipsam Dei similitudinem impugnat, nempè voluntatem rectè de Deo sentientem. Fuit serpentis astucia (inquit textus) maior, quàm omnium animalium terræ.

Sed hęc astucia supra illam naturalem astuciam serpentis est, quod cum homine disputat de verbo & voluntate Dei. Hoc serpens ex natura conditionis suæ non potuit, qui fuit subditus hominis imperio. Spiritus autem qui in serpente loquitur, sic callidus est vt hominẽ vincat, & persuadeat comedere, de fructu ligni prohibiti. Nõ igitur creatura Dei sic loquitur, quæ bona est, sed hostis acerrimus Dei hominũ, qui quidẽ etiam creatura Dei est, sed non sic mala creata à Deo, nõ enim stetit in veritate, vt Christus dicit Iohan. 8. Hęc plena cõsequentia ex Euãgelio & hoc textu sequũtur.

Deinde deprehenditur astucia etiam in eo, quod Satan inuadit infirmã partem humanæ naturę, Heuam fœminã, & non Adam masculum. Quanquam enim ambo æqualiter iusti creati sunt, tamen Adam Heuæ præstitit. Sicut enim in tota reliqua natura mascula virtus, excedit alterum sexum: Ita etiam in integra natura masculus præstitit nonnihil fœmellæ. Ideo Satan quia Adamum præstantiorẽ esse vidit non audet eũ inuadere, metuit enim ne frustra cedat conatus. Ac credo si primũ tentasset Adamum, Adami victoriam fuisse futuram. Pede contriuisset potius serpentem & dixisset: Tace tu, Dominus aliud iusit. Satan igitur Heuam tanquam infirmiorem partem adoritur, & tentat eius fortitudinem, videt enim eam sic confidere viro, vt non putet se posse peccare.

Porrò hîc quoq; admonemur de permissione diuina, quod Diabolo permissum est inuadere bestias, sicut hîc inuasit serpentem. Non enim dubiũ est, verùm serpentem fuisse, in quo Satan fuit, & cum Heua collocutus est. Quòd autem disputant an fuerit humana facie, ridicula sunt. Fuit serpens bestiola pulcherrima, alioquí non sic securè cum eo esset collocuta Heua. Post peccatum autem, non solùm illa serpentis pulchritudo immutata est, minatur enim Deus futurum, vt repat humi, qui antè rectus incessit sicut Gallus. Item vt comedat terram, qui prius vescebatur melioribus fructibus, sed etiam securitas illa amissa est, fugimus enim à serpentibus, sicut vicissim serpentes nos fugiunt. Hæc vulnera naturæ propter peccatum

inflicta sunt

inflicta sunt, sicut nos nuditatem rectam voluntatem, sanum intellectum amisimus. Ac de astucia quoque plurimùm serpentẽ amisisse credo, quam Moses hîc tanquam singulare donũ creatoris prædicat. Sicut igitur serpens hodie malus est inter bestias, ita tum pulchrum, bonum, benedictum & amabilem fuisse iudico, cum quo non homo solùm, sed cæteræ quoque bestiæ libenter & cum voluptate vixerunt. Quare Satanæ quoque ad hanc rem, quam instituit, aptissimus fuit vt per eum loqueretur & ad peccatum Heuam sollicitaret.

Hæc mea est cogitatio de serpente naturali, quo Satan abuti voluit, qui fuit tum pulcherrima bestiola, sine venenata cauda, sine squamis illis fœdis. Hęc enim propter peccatum postea accesserunt, sicut videmus in Mose pręceptum esse, vt bestię quę cædem fecissent occiderentur, non aliam ob causam, quã quod Satan per eas peccauit occidendo hominem. Ita serpens in testimonium huius lapsus & malitiæ Diabolicę punitus est.

Quod ad Grammaticam attinet, latinus, particulam Aphki, vertit, cur. Etiamsi autem id à sententia non multùm abludit, tamen minus proprium est. Nam prima & maxima tentatio est, quãdo disputatur de consilio Dei: Quare Deus hoc vel illud fecerit. Mea autem sententia, Emphasis non est posita in illa particula, cur vel num, sed potius in nomine Elohim Deus. Id enim facit tentationem fortiorem.

Quasi dicat: Profectò benè fatui estis, si cogitatis Deum voluisse, vt de hac arbore comederetis, qui super omnes Paradisi arbores vos constituit Dominos, imò vestra causa eas condidit. Quomodo qui fauit vobis omnia huius vnius arboris fructus inuidere vobis potest, tam iucundos & suaues? Eò enim respicit Satan, quomodo eis verbum eripiat, & cognitionem Dei, vt statuant non est hęc voluntas Dei, Deus hoc non præcepit. Hanc enim sententiam sequentia quoque comprobant, vbi dicit: Non moriemini. In hoc enim Satanæ posita sunt omnia, quomodo à verbo & fide, hoc est à vero Deo abducat ad falsum Deum.

Hanc rationem Satanæ sequuntur omnes fanatici Spiritus. Sic Arius. Putas ne quod Christus sit Deus, quiclarè dicit, Pater maior me est? Sic sacramẽtarij, putasne quod panis sit corpus Christi, & vinũ sanguis Christi? Profectò sic absurda Christus ne cogitauit quidem. His cogitationibus, cùm postea indulgent homines, paulatim à verbo discedunt, & incidunt in errorem.

Cùm igitur caput tentationis sit, dubitare an Deus hoc dixerit, rectius Emphasis ponitur in nomine Deus. Particula quare, languidiusculam sentẽtiam facit. Magis igitur mihi placet vt vertas, Non, vel num Dixit Deus, nõ comedetis de omni ligno horti? Non enim hoc agit propriè, vt quærat causam quare Deus hoc dixerit? Illud potius agit, vt Heua statuat, Deum hoc simpliciter non dixisse, vt ita verbũ ei eripiat. Videt enim rationem hoc modo facilè posse falli, quando sub Dei nomine & verbo, Deus & verbum amittitur.

Porrò hoc quoque insidiosissimè dictum est, quod in genere loquitur, & includit vniuersaliter omnes arbores. Quasi dicat. Habetis vniuersale dominiũ in omnes bestias, & scilicet Deus, qui vniuersale hoc dominiũ in omnes bestias, vobis tradidit, non tradidit simul oẽs arbores? Quin hoc potius cogitabitis: Sicut Deus omnẽ terrã, & pecudes omnes vobis subiecit, ita etiam concessit vsum omium terra nascentium.

Hæc sanè magna tentatio est, qua Heuę animũ sic conatur solicitare, vt statuat Deum non esse dissimilem sui. Itaque si tradidit aliarum creaturarũ vniuersalitatem, tradidit quoque vniuersalitatem arborum. Sequitur igitur mandatum de arbore non gustanda, non esse Dei mandatum, aut saltem non sic intelligendum, quasi nolit ex ea arbore comedi. Sic gemina tentatio proponitur, qua tamen Satan idẽ agit. Prima est Deus hoc nõ dixit. Ergo licet ex arbore hac comedere. Secũda est, Deus dedit vobis omnia. Ergo habetis omnia. Ergo vna hæc arbor vobis non est prohibita, &c.

Tendit autem vtraq; ad id, vt à verbo & à fide abducatur Heua. Nam hoc præceptum quod eis à Deo traditũ est, de non gustanda hac arbore, arguit Adã cum suis posteris victurũ fuisse etiã in integra natura in fide, donec ex corporali hac vita esse trãslatus ad spirituale. Vbi enim verbũ est, ibi necessariò etiã est fides. Hic est verbũ, Ne gustet hãc arborẽ, alioqui eum moriturũ esse. Oportet igitur Adamũ & Heuam credere, quòd arbor hęc esset saluti inimica. Sic inclusa est in hoc ipsum præceptum fides.

Nos qui ex peccato transferimur in iustitiam, & ex mortali corpore ad corpus immortale etiam in fide viuimus, sed verbum habemus aliud, quod Adam in integra natura nõ habuit, qui simpliciter ex animali vita erat transferendus ad vitã spiritualẽ. Ideo suprà dixi hanc arborem in medio paradisi futurã fuisse, ceu tẽplum in quo hoc verbum prædicaretur, quòd aliæ arbores omnes essent salubres, hæc autem esset exitiosa. Quare discerent obedire Deo & hunc cultum Deo præstare, ne ex ea gustarent, Deum enim prohibuisse.

Ad hunc modum natura incorrupta, quæ Dei noticiam veram habuit, tamen habuit verbum seu præceptum, quod esset supra intellectũ Adæ, & credi oporteret. Ideo autem hoc præceptum traditum est, innocenti naturę, vt haberet Adam signum seu formã colendi Deum, Deo gratias agendi, & instituendi filios suos. Hoc videns Diabolus & sciens, quòd hoc præceptum esset supra intellectum hominis, tẽtat Heuam, vt ipsa cogitet, sit ne hoc Dei mandatũ & volũtas, an non? Est autem hęc omnis tẽtationis origo & caput, cũ de verbo & Deo ratio per se iudicare conatur sine verbo.

Voluerat Deus vt hoc præceptũ esset homini occasio obediẽtię & cultus externi. Item vt arbor ista esset ceu signũ, quo testaretur homo se Deo obedire. Sed Satan quia disputationẽ mouet, An Deus hoc præceperit, ab hac obedientia hominẽ conatur abducere ad peccatũ. Hic vnica salus fuisset, si Heua vrsisset mandatũ Dei, nec passa se esset ad alias disputationes abduci. Num Deus hoc mandasset? Nũ cùm omnia hominis causa cõdiderit Deus, vna hęc arbor ad hominis perniciẽ sit cũdita? Sapientia quidem esse videtur, hæc perscrutari accuratius, sed cùm primũ huiusmodi disputationibus indulget animus, actum est. Sed audiamus quid respõderit Heua. De fructu lignorũ quę sunt in paradiso vescimur. De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus, ne comederemus, neq; tangeremus illud, ne fortè moriamur.

Initia satis secunda sunt, distingũt inter reliquas arbores & hãc, recitat mandatũ Dei. Sed ibi labascit, cum ad pœnæ cõmemorationem est ventum. Non enim recitas pœnam, sicut à Domino proposita fuerat, simpliciter enim dixerat: Quacunque die ex ea comederetis, morte moriemini. Ex hac absoluta sententia facit ipsa non absolutam, sed addit: Ne fortè moriamur.

Hoc notabile & non prætereundum vicium est, arguit enim quod à fide deflexerit ad infidelitatem. Nam sicut promissio exigit fidem, ita etiam comminatio exigit fidem. Statuere debebat Heua, Si manducauero certò moriar. Hanc fidem sic invadit Satan insidiosa oratione, vt Heua addat particulam (fortè) sic enim persuasa erat à Diabolo, vt cogitaret Deum neutiquam tam esse crudelẽ, vt propter pomum gustatum occidat, sic veneno Satanæ cor Heuæ nunc infectum est.

Noster textus ideo hîc quoq; parũ benè trãslatus est, quod sonat quasi Heua verba sua recitet cum recitet verbũ Dei, & de suo ad verbũ Dei addat particulam (fortè) sue cessit itaq; dolus mendaci Spiritui, quod enim præcipuè quęsiuit, quomodo Heuam à verbo & fide abduceret, id nunc eò vsque perfecit, vt Heua deprauet verbum Dei, hoc est vt Pauli verbis vtar, auertit eam à voluntate diuina vt post Satanam eat. 1. Timoth. 5. Initium autem ruinæ est auerti à Deo, & cõuerti ad Satanam, hoc est non constanter manere in verbo & in fide. Hæc initia cùm videt Satan, incumbit iam summa vi tanquam in inclinatum parietem, vt penitus eam opprimat.

Et dixit serpens ad mulierem, Nequaquã moriemini sed scit Deus quod ea die, qua ex hac arbore

arbore comedetis, aperientur oculi vestri. Et eritis sicut Dij scientes bonũ & malum.

Hæc est Sathanica Rhetorica, qua miseram mulierculam penitus obruit, cum videt eam auersam à Deo, & inclinatam ad alium doctorem audiendum, suprà cum diceret: Num Deus vobis hoc præcepit, non manifestè negauit verbum, sed per modum quæstionis in dubitationẽ conatus est Heuam abducere. Nunc postquam hoc se effecisse videt, incipit cum summa temeritate simpliciter Dei verbũ negare, & Deũ mendacij & crudelitatis arguere. Non satis ei est Heuam addidisse particulã (fortè) sed ex particula (fortè) nunc facit negationem & dicit. Non moriemini.

Videmus igitur hîc quàm horribilis res sit, cùm Diabolus incipit hominem tentare. Ibi enim ruina ruinam trahit, & in speciẽ leuis offensio ingentem ruinam commouet. Magnum erat auerti à Deo & verbo eius, & præbere aures Satanæ. Sed lõgè maius est, quod nunc fit, vt assentiatur Heua Satanæ, arguẽti Deum mendacij, & impingenti quasi colaphos in faciem Dei. Non igitur amplius auersa est Heua, vt in prima tentatione, sed cum Satana incipit contemnere Deum, negare verbũ Dei, & credere Patri mendaciorum contra verbum Dei.

Hæc nobis documento sint, & discamus quid sit homo si enim accidit hoc in natura integra, quid putabimus de nobis futurum esse? Et exempla ante oculos sunt. Qui nobiscum initiò gratias Deo agebant pro reuelato verbo, horum multos videmus non solùm cecidisse, sed etiam nunc auersari nobis.

Et paulò post. Quare hac regula præcipuè opus est, ad quam tanquã ad sacram ancoram respiciendum est, in omni vita, vt postquam constet, hoc esse verbum Dei quod habemus & profitemur, simplici fide ei assentiamur, & nõ disputemus curiosè. Nam omnis curiosa disputatio certissimam secum affert ruinam.

Sic quòd ad præsentẽ Mosi locum attinet verba erant simplicissima. Ex arbore in medio paradisi non comedetis. Sed rationem horum verborum non intelligebat ratio, quare Deus hæc ita vellet fieri. Dum igitur curiosius inquirit Heua, non contenta eo quod audierat Dominum præcepisse perijt. Quare hæc tentatio verum exemplar est omnium tentationum, per quas Satan inpugnat verbum & fidem. Priusquam Heuam subit libido comedendi pomi, amisit verbũ, quod Deus ad Adamum dixit. Hoc verbum si retinuisset, mansisset reuerentia Dei & fides. Vbi contra amisso verbo, adest contẽptus Dei, & obedientia Diaboli. Hęc vtilia sunt vt discamus, sicut Petrus dicit, in tentatione fortiter stare, & resistere tentatori, retinẽtes verbum forti fide, & occludentes aures, ne admittamus ea, quæ à verbo aliena sunt. Verè enim hęc παθήματα Heuę & Adæ, nobis sunt μαθήματα, ne à verbo & fide abducti patiamur eadẽ.

Quòd sequitur in textu. Scit Deus quòd aperientur oculi vestri, duplicem sententiam habet. Aut enim intelligi potest, quod dixerit hoc ad mouendam inuidiam Deo, qui tam vtili fructu noluit vesci hominem, vt Heua hoc modo inciperet odisse Deum, tãquam parùm fauentẽ. Aut sicut ego intelligo, laudat Deum, vt eò facilius Heuam in fraudem inducat. q. d. profectò Deus non est talis, vt velit vos tanquam in tenebris viuere, sine cognitione boni & mali. Bonus est, nihil vobis inuidet, quod ad vos iuuandos aliquo modo cõducibile est, equo animo feret vos ipsi esse similes.

Ad hunc modum cum Satã Deum laudat, tum verè habet nouaculam in manu, vt gulam præcidat homini. Hîc enim lapsus facillimus est, vbi ad id quod cupiditas suadet, etiam prætextus verbi & voluntas Dei accedit. Atque hoc facit vt potius intelligam hæc à Satana dici ad persuadendam Heuam, quàm ad inuidiã mouendam Deo. Et tamen liberum vobis facio, vt sequamini quodlibet. Summa certè hæc est, quod conatur à verbo abducere & persuadere, vt Heua id faciat, quod per verbũ erat prohibitũ. Est enim acerrimus verbi Dei hostis, quod nouit in obedientia verbi nostram salutem esse positam. Sed hîc mouetur quæstio non sanè absurda. Qui fiat quo Heua peccatum suum nondum sentiat? Etsi enim pomum nondum vorauerat

tamen peccauit contra verbum & fidem, sequidem à verbo auersa est ad mendacium, à fide ad incredulitatem, à Deo ad Satanam, à cultu Dei ad idolatriam. Hoc cum caput peccati sit: Nam pomum decerpere nõ fuit peccati caput, qui fit quod mors non statim sequitur? Qui fit quod peccatum suum non sentit? Imò qui fit, postquam ipsa pomum comedit, quod mortem non sentit, priusquam Adamum etiam persuaserit ad comedendum?

Scholæ varia disputãt de rationis portione superiore, & inferiore, quod Adam sit superior portio rationis, Heua inferior. Sed his ineruditis & scholasticis rationibus omissis, quæramus veram sententiam, ea autem hæc est. Primùm Deus est longanimis. Itaque non statim punit peccatũ. Alioqui fieret vt in peccatis statim periremus. Hac longanimitate Dei Satã abutitur, cui vtile est ad institutũ suum, vt homo peccatum suum non statim sentiat: Fit itaque vt quia pœna cessat, Satan animum impleat securitate, vt non solùm homo à se peccatum esse, sed vt etiam in peccatis suis gaudeat & exultet. Sicut videmus in Pontificibus, hi si carnificinam conscientiarum, imò interitum hominum, in quem per impiam doctrinam eos adducunt, oculis & animo cernere possent, sine dubiò emendarent doctrinam. Iam autem Satan oculos quasi perstringit, ne iram Dei, & iudicium suum videre possint. Itaque in his ipsis grauissimis peccatis, cum summa securitate, cum gaudio & lętitia viuunt, ac quasi rebenè gesta, magnificos triumphos agunt.

Idem planè hîc Heuæ accidit, per incredulitatem à verbo in mendacium ruerat. Itaque coram oculis Dei iam mortua. Tenente aũt Satana animã & oculos, mortem non solùm non videt, nec sentit, sed paulatim etiã magis incenditur cupiditate pomi & delectatur in idolatria ista & peccato. Si igitur Heua à verbo non discessisset, abominatio ei fuisset, sic inspicere pomum vt eo vesci cuperet. Nunc cum voluptate hoc peccatum in animo versat, vbi prius refugisset, si quem alium vidisset extendentem manus ad arborem istam. Nunc moræ impatiens est, sic descendente peccato ad inferiora membra, & prorumpente ex corde. Hęc igitur delectatio & cupiditas comedendi pomi, est tanquam morbus ex peccato natus, quem postea mors sequitur, licet eam Heua interim dum peccat, non sentiat.

DE EFFECTIBVS ET DAMNIS HVIVS LAPSVS.

Nuditas corporis. Genes. 3. cap. fol. 48. Pulchrè hîc ea corruptio describitur, quæ fuc, cessit originali iusticiæ & gloriæ. Gloria enim fuit, non videre se esse nudum. Quæ autem potest esse maior corruptio, quàm quod nuditas quæ antea gloria fuit, nunc vertitur in summam turpitudinem? Nemo erubescit, ob oculos sanos & integros. Distorti oculi aut hebetes, minus honesti habẽtur, & inducunt pudorem. Sic in statu innocentiæ honestissimum fuit ingredi nudum. Nunc post peccatum, cum se nudos esse Adam & Heua vident, pudefiũt, & quærunt perizomata, quibus turpitudinem tegant. Quantà autẽ maior turpitudo in eo est, quod volũtas saucia, intellectus corruptus, & ratio tota viciosa, & in aliud mutata est? Et paulò post. Ex hac corruptione quæ per peccatum secuta est, natum est aliud malum, vt Adam & Heua nõ solùm erubescerent ob nuditatẽ, quę antea fuit honestissima & singularis ornatus hominis, sed etiam vt facerent sibi cinctoria, ad eam corporis partem, tanquã turpissimam velandam, quæ natura sua honestissima & dignissima erat. Quid enim in tota natura nobilius est, quàm opus generationes? Hoc opus diuinitus attributũ est non oculis non ori, quas iudicamus honestiores partes corporis, sed ei parti quã nos per peccatum sic edocti, pudendi appellamus, & studiosè inuoluimus, ne conspiciantur. Sicut aũt in innocenti natura totum opus generationis sanctissimũ & purissimum fuisset: Ita post peccatum, lepra libidinis, hanc corporis partẽ inuasit. Qui igitur extra coniugium viuunt ardent turpissimè. Qui in coniugio viuunt, nisi moderent affectus, & sollicite

& sollicitè custodiant beneuolentiam mutuam, quàm variè tentantur? An non igitur sentiemus tandem, quàm fœda & horribilis res sit peccatū, siquidem sola libido nullo remedio potest curari, ne quidem coniugio, quod diuinitus infirmæ naturæ pro remedio ordinatum est. Maior enim pars coniugatorum viuit in adulteriis, & canit de coniuge notum versiculum, Nec tecum possum viuere nec sine te. Hæc horribilis turpitudo ex honestissima & præstantissima parte corporis nostri, præstantissimam appello, propter opus generationis, quod præstantissimum est, siquidem conseruat speciem: Per peccatum itaque vtilissima membra turpissima facta sunt.

Non enim hæc sic fuissent in Adam & Heua. Erant pleni fide erga Deum. Itaque quoties liberis voluissent operam dare conueniissent non incitati furore illo, qui nunc in leprosa carne est. Sed admirantes Dei ordinationem & obedientes ei, cum summa moderatione, sicut cùm iam conuenimus ad audiendum verbum Dei, & cultum Dei. Hæc omnia per peccatum ita amisimus, vt solùm priuatiuè, & non positiuè, ea possimus intelligere. Ex malo enim quod retinemus, cogimur colligere quantum bonum sit quod amisimus. Debemus aũt Deo gratiam, pro reliquiis, quantumuis corruptæ generationis, adhuc manẽtibus, quibus Ecclesia & politia opus habet.

Fuga Dei & pauor. Genes. cap. 3. fol. 49. Adam igitur & Heua, postquam conscientia per legem conuicta est, & sentiunt turpitudinem coram Deo & se, amissa fiducia erga Deũ, sic pleni sunt metu & pauore, vt cùm spiritum seu ventum audiãt, statim cogitent Deum adesse vltorem, & se abscondant. Atque existimo vocem Domini ambulantis, dici à Mose ventum seu sonum venti, qui præcessit apparitionem Domini. Sicut Christus in Euangelio de vento dicit, vocem eius audis. Cùm enim audiuerunt folia crepantia, tanquam à vento impulsa, cogitauerunt: Ecce iam aduenit Dominus expetiturus à nobis pœnas.

Itaque cùm Moses addit postea, ad auram diei, videtur mihi quod se exponat, Quasi dicat: Erat vox sicut ventus diei, vt Emphasis in vocabulo diei sit. Non enim dicit de ventis in nocte, vt exaggeret ingentem pauorem, qui peccatum secutus est, quasi dicat: Ita pauidi fuerunt, vt in clara luce diei, metuerent à sonitu folij. Quid accidisset si Deus in tenebris & nocte venisset, ibi enim terror longè maior est. Sicut enim lux animosos facit: Ita tenebræ augent pauorem. Hic pauor quo Adam & Heua in ipso diei lumine post peccatum excipiuntur manifestum signum est, cecidisse eos prorsus à fide. Hanc existimo veram sententiam esse huius loci, & conuenit cum illa comminatione Mosi, vbi in Leuit. 26 concionatur de pœnis secuturis peccatum, quòd à sonitu folij volantis peccatores timebunt, & fugient tanquam à gladio. Cùm enim conscientia verè est perterrefacta, ita opprimitur homo, vt non solùm nihil facere, sed ne cogitationem aliquam instituere possit. Sicut dicunt in acie fieri, ibi metu oppressi milites non manum mouere possunt, sed præbent se macta ndos hosti. Tam horribilis pœna sequitur peccatum, vt à sonitu folij metuat conscientia: Imò vt pulcherrimam creaturam, ipsum lumen diei sustinere non possit, quo tamen natura recreamur.

Vides igitur hîc iterum magnitudinem peccati originalis, nobiscum nati, & nobis per peccatum primorum parentum implantati. Facit autem hoc quoque incommodum ad intelligendam priuatiuè, seu à contrario iusticiam originalem. Fuit enim in homine pulcherrima fiducia erga Deum, nec potuisset homo timere, etiamsi cœlum vidisset ruere.

Quanta cum securitate audit Heua Serpentem? Nos nõ cum catello domi educato & assuefacto, non cum pullo tam familiariter loquimur. Non igitur ante peccatum quærebant latibula, sed sapientes, recti, stabant erecta facie, laudantes Deum. At nunc à sonitu folij terrentur. O quàm grauis casus, labi ex summa securitate, fiducia & delectatiõe Dei in tam horribilem pauorem, vt homo à conspectu Dei plus,

quàm à Diaboli conſpectu & præſentia refugiat. Non enim Diabolum fugiunt Adam & Heua, Deum conditorem ſuum fugiunt, eum iudicant ſibi grauiorem & formidabiliorem eſſe Satana, Satanam autem meliorem Deo, à Satana enim non fugiunt. Ergo pauor hic verè fuga & odium Dei eſt.

III. *Excuſatio peccati.* Geneſ. cap. 3. fol. 50. Sicut ſtultè cœpit fugere, ita etiam ſtultiſsimè reſpondet, adeò deſtitutus eſt per peccatum omni ſapientia & conſilio. Vult Deum docere quòd nudus ſit, qui eum nudum creauerat. Sic ſeipſum confundit, prodit & condemnat proprio ore. Dicit audiuiſſe ſe vocem Domini & timuiſſe. An non autem audiuerat antea quoque vocem Domini prohibentis, ne de arbore vetita comederet? Cur igitur tum non timuit? cur tum ſe non abſcondit? cur tum ſtabat lætus & erectus, cùm Deum præſentem videret & audiret? Nunc autem ad ſonitum folij pauet. Sequitur igitur, non eſſe Adamum eum amplius, qui fuit, ſed mutatum, & alium eſſe factum, qui mendacem cauſam accerſat ad defenſionem. Quomodo enim verum eſt, cauſam timoris eſſe vocem, cum antea vocem non timuerit, ſed cum voluptate audiuerit Deum?

Diſcamus igitur hanc peruerſitatem & ſtulticiam ſemper comitari peccatum, vt excuſando peccatores ſe accuſent, & defendendo ſe prodant, maximè corã Deo, ſicut Adam hîc, vult tegere crimen, & ſe ornare, dicit cauſam fugæ eſſe, non quod peccarit, ſed quod audiuerit vocem Domini, & ea ſit perterrefactus, & erubeſcat, quod nudus ſit. Non cogitat miſer ſe hunc timorem antea non habuiſſe, nec erubuiſſe ob nuditatem, quæ cùm Dei creatura eſſet, cur veretur in eo, quod Deus fecit. Nudus antea in conſpectu Dei, & omnium creaturarum in Paradiſo obambulauerat, ſecurus de voluntate Dei, & ſe oblectans in Deo. Iam pudefit quod nudus ſit, fugit à Deo & abſcondit ſe. Hæc omnia certa argumenta ſunt, quibus Adam ſeipſum condemnat, & peccatũ ſuum prodit. Et fol. 51. Etiam Heuæ exemplum proponitur, quæ peccato corrupta, nihil melior eſt quàm Adam. Adam voluit videri innocens, & reiecit culpam in Deum, qui Vxorem addiderat. Heua etiam conatur ſe excuſare ſit Serpentem, qui etiam Dei creatura erat. Fatetur quidẽ ſe comediſſe pomum, ſed Serpens inquit quẽ tu creaſti, quem tu permiſiſti in Paradiſo obambulare, impoſuit mihi. Hoc an non eſt accuſare creatorem, & culpam à ſe remouere? Sic videmus peccatum, vbiq; idẽ eſſe & agere, non vult eſſe peccatũ, non vult puniri pro peccato, ſed vult eſſe iuſticia. Hoc cũ obtinere nõ poteſt, in Deum reclinat culpam, vt Deum arguentem peccatũ, mendacij arguat. Ita ex peccato humano fit peccatũ planè Diabolicũ, & incredulitas vertitur in blaſphemiã, inobedientia in contumeliam creatoris.

Voco autem hoc Diabolicum peccatum & non humanum, quia Diabolus in æternum odit, accuſat & damnat Deũ, ſe autem iuſtificat. Nec poſsibile eſt vt ex corde dicat: Domine peccaui, ignoſce mihi. Alioqui ſicut in Martini hiſtoria legitur, non eſſet deſperandum ei de venia, quæ venia impoſsibilis eſt, dum peccatum non agnoſcit, & Deum blaſphemat, tanquam ſine cauſa exercentem iniuſtam crudelitatem in creaturas.

Sic videmus Adam & Heuam ita lapſos & demerſos in peccatũ, vt non poſsint demergi altius. Incredulitatem enim ſequitur inobedientia omniũ virium, & membrorum in homine. Inobedientiam hanc ſequitur poſtea excuſatio & defenſio peccati. Defenſionem ſequitur accuſatio & condemnatio Dei. Hic vltimus gradus peccati eſt, Deum afficere contumelia, & tribuere ei quod ſit autor peccati.

IIII. *Dolores in pactu.* Geneſ. cap. 3. fol. 57. Valde multiplicabo dolorem tuum cum eris grauida, &c. Hæc pœna mulieri eſt impoſita, ſed profectò læta & hilaris, ſiquidem non diſſentit à priore ſententia contra Satanam lata. Si enim hoc manet, quod Serpenti caput conterendum eſt, certa eſt ſpes reſurrectionis à morte, & tollerabile eſt, quicquid hac ſpe manente ac firma, homini imponitur.

Atque

Atq; hæc quoque causa est, quod Scriptura sancta sic diligenter cauet, ne quid dicat in puniẽda muliere contra sententiam prius de Serpente latam. Imponit pœnam mulieri, & tamen relinquit spem resurrectionis & vitæ æternæ. Mortem autem, quam per peccatum meruerat, transfert in alteram, & ignobiliorem partem hominis, scilicet in carnem, vt Spiritus propter fidem viuat in iustitia.

Mulier itaque obnoxia est morti quò ad carnem, sed quò ad spem est à morte libera. Manet enim certa sententia, qua Diabolo comminatur Deus contritionem capitis. Itaque animalis vita habet hic crucem & mortem suam. Sicut Paulus quoque 1. Corinth. 15. dicit: Corpus animale mori, sed resurrecturum Spirituale. Ita in hac animali vita manent coniugia, ac mulier experitur pœnas, quas propter peccatum hic infligit Dominus, vt à tempore conceptionis in partu & tota reliqua vita, qua liberis seruitur variè periclitetur, sed omnia hęc tantum ad animalem vitam, seu ipsam carnem pertinet, manente interim spe spiritualis & æternæ vitę post hanc vitam.

Et fol. 58. Altera maledictionis pars est incohabitatione. Quod si non peccasset Heua, non solùm sine dolore peperisset, sed etiam ipsa cum viro cõiunctio tam honesta fuisset, quàm honestum hodiè est, cum Vxore in mensa edere aut colloqui. Educatio quoque fuisset facillima, & plena voluptatis. Hęc bona per peccatũ amissa sunt, & successerunt nota illa mala, doloris & laboris, qui in gestando, enitendo, educando est. Sicut enim elegans puella, sine molestia, imò cum magna voluptate & superbia quadam, pulchram coronam ex floribus contextam in capite gestat: Ita sine omni molestia, & cum magna voluptate Heua, si non peccasset, in vtero gestasset fœtum. Nunc ad illos gestationis & enixionis dolores, accidit etiam, quod Heua potestate viri subiecta est, quæ antea liberrima, & nulla in parte viro inferior erat, socia omnium donorum Dei.

Hæc etiam pœna est, ex peccato originali nata quam mulier æquè inuita portat, ac dolores & molestias illas carni impositas. Regnum itaq; manet penes maritũ, cui Vxor mandato Dei parere cogitur, Is gubernat domum, politiam, gerit bella, defendit sua, colit terram, ædificat, plantat, &c. Contrà mulier ceu clauus parieti infixus, domi sedet, sicut Paulus Tit. 2. ideo οἰκουρὸν vocat. Et Gentes pinxerunt venerem insistentẽ conchæ marinæ. Quod sicut concha suam domũ secum portat: Ita Mulier domi assidua esse, & domestica curare debeat, tanquam quæ spoliata sit ratione gubernationis eorum quæ foris & publica sunt, vltra priuatissima officia non progreditur.

At si Heua in veritate stetisset, non solùm non subiecta imperio viri esset, sed ipsa quoque socia gubernationis fuisset, quæ nunc sola masculorum est. Sunt autem fœminæ ferè huius oneris impatientes, & naturaliter affectant, quod per peccatum amiserunt. Ac cum plus non possunt saltem impatientiam murmure ostendunt. Hoc tamen non possunt vt administrent virilia officia, vt doceant, vt regant, &c. Procreandæ, alendæ & fouendæ sobolis Magistrę sunt. Ad hunc modum Heua puniri, sed vt initiò dixi est pœna læta, si respicias ad spem æternæ vitæ, & gloriam maternitatis relictam.

V. *Maledictio terræ.* Genes. 3. fol. 59. Primùm terra maledicitur propter ipsum Adam. Apparet autem hìc, quanta calamitas peccatum secuta sit. Siquidem terra quę innocens est & nihil peccauit, tamen cogitur sustinere maledictionem, & sicut Paulus Roman. 8. loquitur vanitati subiecta esse, à qua tamen vindicabitur in nouissimo die quem expectat. Vocat enim Plinius benignam, mitem, & indulgẽtem matrem, Itẽ perpetuam ancillam vsus mortaliũ. Sed ipsa sentit vt Paul. ostendit, maledictionem suam, primũ in eo, quod illa bona non fert quæ tulisset, si homo non esset lapsus. Deinde in eo quoque, quod multa noxia fert, quæ non tulisset, sicut sunt infœlix lolium, steriles auenę, zizania, vrticę, spinę, tribuli, adde venena, noxias bestiolas, & si

qua sunt

qua sunt alia huius generis. Hæc omnia per peccatum inuecta sunt. Nec dubito, quin ante peccatum aura purior & salubrior, aqua fœcundior, imò quoq; Solis lumen pulchrius & clarius fuerit: Ita vt nunc tota creatura in omni parte nos admoneat maledictionis per peccatum inflictæ. Manserunt tamẽ reliquiæ quædam prioris benedictionis, quod improbo labore quasi coacta terra, ad vsum nostrum necessaria producit, etsi ea sentibus & spinis, hoc est inutilibus & noxijs quoque arboribus, fruticibus & herbis, quas diuina ira serit, deformata sint. Ac maledictio hæc postea aucta est per Diluuium, in quo omnes bonæ arbores euulsæ, perditæ, arenæ cumulatæ, & tum herbæ tum bestiæ noxiæ multiplicatæ sunt. Vbi igitur Adam ante peccatum inter fœcundissimas arbores, in amœnissimis pratis, in florib. & rosis ambulauit, ibi nunc vrticas, sentes & alia molesta germina pullulant, cum tanta copia, vt fere quæ bona sunt obruantur.

Nam agrum vide iam præparatum aratro ad accipienda semina, cùm primùm consitus est, citius Zizania & lolium prorumpunt, quàm vitæ vtiles fruges. Ac nisi sedula agricolæ cura euellantur, quotidie paulatim ita occupant agrum noxia illa, vt bonum semen stranguletur. Est quidem terra innocens, ac libentius proferret quæ optima sunt, sed impeditur maledictione, propter peccatum homini inflicta.

Sicut igitur Mulier peccati pœnam, sed profectò tolerabilem, in corpore suo fert, dum affligitur in officio pariendi: Ita maritus fert pœnam in Oeconomia, dum cum difficultate, & molesto labore gubernat domum, & alit familiam. Nam propter eum ager maledictus est, cùm ante peccatum nulla pars terræ sterilis, nec vitiosa, sed omnia mirè fœcunda & fertilia essent. Nunc non solùm in multis locis terra sterilis est, sed etiam fœcunda loca, lolia, Zizania, sentibus ac spinis deformantur. Est hęc magna calamitas, quæ Adamum & nos omnes meritò ad laqueum adigent, sed mitigatur promissione Seminis, dum pœna æternę mortis, quæ infinito maior est, tollitur.

Quod additur. In dolore comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, facilis est sententia. Quis enim nescit, quàm laboriosum sit esse agricolam? Non satis est parare terram ad sementem, quod tamen multo & vario labore indiget, etiam cum iam seges in herba est, penè singuli dies suas certas operas postulant. Taceo incommoda cœli penè infinita, noxias bestias, & similia, quæ omnia hũc dolorem seu ærumnam augent.

VI. *Mors.* Genes. 3. fol. 63. Donec reuertaris in terram quoniam ex ea sumtus es. Quoniam puluis es & in puluerem reuerteris. Sic lapsus Adæ fuit à vita in mortem, à sanitate in morbos. Et tamen fuit adhuc verè aureum seculum, si nostrum spectes. Nam paulatim degenerauerunt omnia, sicut etiam ostendit id statua Danielis. Quantò enim mundus suo fini est propior, tantò homines fiunt deteriores. Ideo fit etiam vt pœnæ duriores de nobis sumantur.

VII. *Eiectio ex Paradiso.* Genes. 3. cap. fol. 65. Pertinent hæc quoque ad nostram correptionem & admonitionem, sicut Paulus dicit Rom. 15. Quod quæcunque scripta sunt, propter nos scripta sunt. Magnum enim periculum in eo est, si obliti priorum, iterum in ea demergamur. Sicut etiam Christus Iohan. 5. admonet, cum dicit: Vide sanatus es noli amplius peccare, ne quid tibi peius accidat, Et Petrus 2. Petr. 2. de sue lota, & de cane reuerso ad vomitum. Item, 2. Petr. 1. Qui obliuiscuntur peccatorum suorum veterum.

Hęc & alia scripturę loca, sunt admonitiones de peccato in futurum cauendo, propterea quod sicut in morbis, recidiuatio difficilius curatur, quàm primus morbus. Ita hoc in loco variè admonetur Adã & tota eius posteritas, vt postquã per promissionem Seminis spem vitę acceperunt, caueant, ne per peccatum eam iterũ amittant.

Nota enim

Nota enim est parabola de domo purgata, post eiectum Satanam, quam iterum occupat, assumptis secum septem Spiritibus nequioribus.

In hunc finem vtitur tanta acerbitate Dominus, Quasi dicat: Prohibui antea, ne Adam & Heua attingerent arborem mortis, sed ea petulantia fuit, vt ne à suo incommodo abstinerent. Profectò nunc danda opera est, ne etiam ad arborem vitæ accedant, fortè etiam ab ea non abstinebunt. Ideo sic cauebo id, vt simul prohibeam vsum omnium arborum Paradisi. Exite igitur foras & comedite herbas agri, & si quid aliud terra producit. Non solùm arborem vitæ, sed ne quidem reliquas arbores Paradisi, posthac licebit gustare, &c.

Ostendit autem hic locus arbores Paradisi neutiquam similes earum fuisse, quas reliqua terra tulit. Nunc itaque etiam victus, quo Adam & Heua vsi sunt, eos admonet peccati & miserrimæ conditionis, in quam per peccatum coniecti sunt. Tam variè calamitates nostræ pictæ sunt, vt etiam vestitus & victus, non solùm illa Spiritualium donorum carentia, nos eorum admoneant.

ANIMA QVID.

Genes. cap. 45. fol. 143. Tom. 4. Anima præstantius quiddam est corpore, nec potest corpus ferre motum & affectum illum gaudij in summo gradu. Quid autem anima sit speculatiuè, vel vt Philosophi loquuntur, Metaphysicè non possumus scire, sed ex affectibus & fructibus colligimus, esse nobilissimum & mirabilissimum quoddam ens, tam præsens ac potens, vt corpus nequeat sustinere eius impetum. Vt cum insignis & immodicus animi dolor, dominatur homini, necessariò extinguitur corpus, atque idem fit in lætitia nimia. Sicut testantur exempla plurima in Gentilium historijs.

Tanta igitur vis est animæ, vt ea sola dominante, corpus cum omnibus sensibus, visu, auditu, tactu &c. obstupescat. **Es ist ein wunderlich Creatürlichen.** Speculatiuè quidem facilè definitur ab Aristotele: Anima est actus primus, corporis organici, Physici, &c. Sed non potest exprimere quid sit, nisi obiectiuè tantùm. Intelligere autem & sentire animam, quo ad affectus suos, & vehementissimos motus, non est speculatiuæ & obiectiuæ, sed practicæ cognitionis, vt cum immensa lætitia occupat, & propemodum occidit corpus, aut cum lachrymæ præ gaudio manant ex oculis, de quibus Monachi & deuotarij multa scribunt, nihil esse dulcius lachrymis gaudij. Econtra verò nihil tristius & acerbius fletu lugentium. Ideo anima mirabile quiddam est & nobis incognitum.

ANIMA HOMINIS AN SIT EX TRADVCE.

30. Tom. 1. Ienens. fol. 575. ex disputatione, &c. Qui putant vitium & peccatum in natura hærere, quod sit ex nihilo factũ, parum absunt à contumelia Creatoris, cum tale non sit in Angelis, Sole, Stellis, & toto cœlo.

31. Qui cogitauerunt Animam ex traduce esse, videntur non penitus aliena à Scripturis sensisse.

32. Imò facilius defendent propagationem originalis peccati, quam ij, qui aliter sentiunt, cum (Augustino autore) peccatum originale etiam impietas sit.

33. Augustinus fatetur sese ignorare, vtra sententia certior & verior sit, nec fuit hactenus, qui eam quæstionem determinauerit.

34. Nam quod Hieron. sequuntur alij ex Psal. 33. Qui finxit sigillatim corda eorum, nihil ad rem facere satis patet.

35. Determinationes verò Papæ & suæ Synagogæ, pro exterminatione seu exe
cratione, iustissima causa habemus.

36. Neque

36 Neque enim ius, neque facultatem habet in doctrina fidei quicquam decernendi, aut in Ecclesia Dei aliquid faciendi.

37. Ius non habet, quia vocatus non est, neque à Deo neque ab hominibus, sed propria temeritate sese intrusit idolum & abominatio.

38. Facultatem non habet, quia bestia indoctissima, & venter surdus ad Scripturam sanctam est, sicut Asinus ad lyram.

39. Nec ferendus est in Ecclesia Pythagorismus ille, Ipse dixit, quo solo regnat Papa, sed qui loquitur sermones Dei, vt ait Petrus, hic audiendus est.

40. Igitur Papa est nullus & omnia quæ dicit & facit sunt nullitates ipso iure, vt ius & natura vnà cum verbo testantur.

41. Melius in hac re decerneret ratio & poeta dicens : Patrem sequitur sua proles.

42. Constat prolem lege communi nõ modo faciem, sed & mores & ingenium parentum referre.

43. Vt nihil sit quod dicitur: Anima intellectiua creando infunditur, & infundendo creatur.

44. Quis hoc probauit, aut quis prohibebit simile posse dici, de omni alia Anima?

45. Et difficiliorem facient quæstionem. Quomodo Deus non sit iniquus, qui Animam puram copulet carni, & ab extrinseco polluat.

46. Quamuis istam rem sine periculo Christianus ignoret, cum S. Augustino & vniuersa Ecclesia.

47 Abstinendum tamen est ab ea temeritate, quæ vergere possit in contumeliam Creatoris.

48. Cùm certum sit, Deum etiam Angelos ex nihilo creasse, victuros æterna vita sine corruptione.

49. Quæ difficultas Deum moretur, ne Animam intellectiuam tum ex nihilo, tum ex Semine corrupto possit educere?

50. Sicut spicam vredine vitiatam educit ex grano vitiato, vt & multa alia vitiosa ex vitiosis proueniunt.

RESOLVTIONES ARGVMENTORVM ALIQVOT, QVAE OPPOSITA SVNT IN DISPVTATIONE habita à D. M. Luthero, Anno 1546. quo obijt.

ARGVMENTVM.

Si Anima esset ex traduce, tunc simul cum corpore periret.
Sed Anima rationalis non perit cum corpore.
Ergo Anima non est ex traduce.

Responsio D. Martini Lutheri.

Nego consequentiam scilicet Animam ex traduce simul cum corpore perire, quia si Adam permansisset & non cecidisset, tunc omnes essemus nati vt ille, & nemo fuisset mortuus. Res argumenti quærit cum anima sit ex traduce, an necesse sit Animam perire simul cum corpore, quod est ex traduce. Respondeo autem. Nos omnes sumus quod ad corpus ex traduce, ibi non est dubium, & tamen omnes sumus immortales, quia surgemus in nouissimo die. Probatio autem argumenti. Quia omne generabile est corruptibile.

Si Anima generatur ex traduce.

Igitur est

Igitur est corruptibilis. Respondeo. Et Philosophica imaginatio, & nihil ad rem, nos disputamus de traduce, non quod velimus esse dogmatistæ eius rei, sed quod velimus repugnare Papistis audacibus, qui affirmant hoc quod ignorant. Augustinus diligenter & copiosè tractat istam rem, Dogmatistę Romanistę, & Papistę arrogant sibi authoritatem quod quicquid statuerunt, sit certum & ratū, vt non licet cõtradicere, sed nos volumus cõtradicere & nõ admittere, quod hanc partẽ statuant pro articulo fidei. Nos volumus cum Augustino sentire & pugnare, non esse pro articulo fidei statuendum. Augustinus non vult affirmare, nec tamen negare, sed dogmatistę affirmant, & statuunt nobis articulos fidei affirmant, quod ignorant, nesciunt an sit & tamen alteram partem audacter affirmant. Ita disputamus nos, vt cum Augustino inclinemus ad hanc opinionem, quod sit anima ex traduce, sicut corpus est ex traduce, non sic quod pater faciat corpus, sed Deus facit, veruntamẽ ex semine patris, ita etiam animam Deus ex traduce, vel ex semine patris creat, non autem ideo hoc dicimus, quod planè affirmemus, sed potius quod nobis placeat illa doctrina, contra dogmatistas istos audaces, qui parum in his rebus sunt attenti. Augustinus vt antea dixi multa hîc disputat, & dicit neutram partem esse affirmandam, sed esse suspendendam cognitionem, quanquam magis inclinat in eam sententiam vt ex traduce oriatur anima, & tamen non vult certò asseuerare, quo & nos inclinemus, ne simus audaces & temerarij, vt Papa cum suis.

Ego quidem pro mea credulitate sentio quod anima sit ex traduce, sed sciamus quod in Ecclesia loquendum sit cum reuerentia & timore Dei, & vereri Deum, in cuius conspectu loquimur. Non facile est statuendum hoc quod ignoramus. Hæc est sententia de traduce, quæ nihil pro certo affirmat, aut tanquam pro articulo fidei habet. Ideo & nos cum Augustino eò inclinemus, quod anima sit ex traduce, & totus homo cum corpore & anima. Deo enim non est impossibilè ex semine humano facere animam immortalẽ, cum ex fluxa materia, faciat corpus mortale, nonne etiam ex semine faceret Deus animam.

ARGVMENTVM.

Homo non potest simile sibi facere.
Ergo anima non est ex traduce.

RESPONSIO D. LVTHERI.

Pater non facit corpus filij sui, pater generat filium, sed non corpus sui filij, neque oculos, neque manus, neque vllum membrum, verum ministrat Semen, guttulam paruã, quæ guttula humida & calida est ex parente Adam, & procedit in omnes homines, hoc est facere nostrum, sed Deus accipit istam guttulam seminatam in corpore excitat & perficit, & quia in peccato est concepta, ideo fit ex vitiosa guttula, vitiosum corpus, & vitiosa anima, hæc est vitiosa propagatio peccati originalis, vt dicitur Psal. 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Ergo nos omnes propagamur ex traduce, & tota scriptura certissimos nos facit de propagatione carnis, si nos propagamur ex traduce, & tota scriptura certissimos nos facit de propagatione carnis, vnde est peccatum? Ibi recenset Augustinus multa argumenta in vtramque partem, & dicat sanè quicquid velit, dicat quod sit, & quod non sit, modò non impingat in hunc scopulum, quæ esset summa contumelia aduersus Deum, quod Deus animam puram creat de nouo, & misceat ac copulet carni impuræ & pollutæ. Ibi laborat Augustinus, non vult affirmare nec negare, Quia si affirmaret animas sine traduce creari de nouo, tunc anima sit rea sine vllo reatu, & Deus esset causa & autor peccati. Hoc non est dicendum, quod Deus purã creatam & innocentem animam creat de nouo, coniungat & copulet peccatrici carni, sed quando anima propagatur ex se, sequitur qualis est natura, talis & res,

ex vitioso panno fit vitiosa tunica. Quando anima pura & carni peccatrici copulatur, tunc Deus facit peccatum, & est autor peccati. Verùm minimè nos sic dicere oportet. Ergo ille scrupulus vehementer mouit Augustinum. Si anima traditur inuita à Deo volente in carcerem pollutum & impium, anima per se non peccat, quia est pura & innocens, solùm hoc facit causam damnabilem & ream, quod Deus pollutæ carni infundit animam. At hoc non est Deo tribuendum, sed potius defendenda est iusticia diuina.

ARGVMENTVM.

Natura separabilis & superstes corpori, non est ex traduce.
Sed Anima est separabilis, & superstes corpori.
Ergo. *Non est ex traduce.*

RESPONSIO D. LVTHERI.

Argumentum deficit in hoc.
Sanguis est separabilis in corpore.
Ergo. *Non est ex traduce.*

Non sequitur, separabilitas non facit ad rem. Culmus est ex propagine grani, granum est ipsum semen, ex culmo spica nascitur, in spica est granum, si illa non separabilia essent, citò moreremur, sic anima ex eodem semine est, ex quo corpus, & tamen est separabilis à corpore, sed postea iterum vniuntur, Deus est Creator, qui ex mortali & peritura re, potest condere immortalem animam, ipse ex nihilo potest aliquid formare, idem Deus potest facere animam ex corrupto semine.

Apud me priuatim concludo, animam nasci ex traduce, quia alias difficile est ponere peccatum ex traduce, sed hoc apud me retineo, nõ autem publicè affirmabo.

ARGVMENTVM PRO ASSERTIONE EX TRADVCE.

Quid amplius opus est relinquere in dubio, cum habeamus manifesta testimonia scripturæ, animam esse ex traduce. 1.Cor.15. dicitur. Corpus animale est corpus ex Adam, & corpus spirituale est ex Christo. Non dicit sine anima omnes homines sunt ex Adam, & per præuaricationem inciderunt in peccatum & condemnationẽ. Ergo omnes animæ nostræ sunt ex Adam, & corpus non est sine anima, Ergo etiam omnes animæ sunt ex anima Adami, nam homo ex carne tantùm non est homo, sed etiam ex anima.

In Psal.50. Dauid dicit : Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in iniquitatibus concepit me mater mea. Ibi loquitur de toto homine, de se cum corpore & anima. Ergo esset affirmandum, quod anima esset ex traduce.

RESPONSIO D. LVTHERI.

Ego concludo apud me, sed non sum autor nostræ affirmationis, & ista omnia quæ attulistis, possunt eludi per Synecdochen, omnes homines, scilicet quod ad carnem, quamuis est valdè frigida Synecdoche, quia homo non est homo sine anima, ita Dauid dicit : Ecce in iniquitatibus, vbi dicit, ego & non mea caro, caro appellatur totus homo, vt apparet ex cap.1. Iohannis.

INSTANTIA ARGVMENTO CONTRARIO.

Si anima est ex traduce vt iam probaui, sequitur hoc, quod ego qui sum Christianus sanctificatus, ablutus ab omnibus peccatis per sanguinem Christi, & Spiritum Dei nostri, sum filius & hæres vitæ æternæ, & ideo genero Filium meum absque

absque peccato, si non secundum corpus tamen secundum animam, quia corpus filij concipitur non tantùm ex corpore meo, sed etiam ex anima mea purificata fide, ergo non indiget renouatione.

RESPONSIO D. LVTHERI.

Vellem quod concluderet argumentum, sed non potest & hoc vult. Adam est iustificatus post lapsum, habet remissionem & iusticiam, & tamen generat peccatores. Augustinus facit similitudinem, circumcisus Iudæus non gignit circumcisum Iudæum, sic iustificatus Christianus, non generat iustum filium, sed obnoxium iræ Dei, qui postea fide in Christum iustificatur.

Theologica.

HOMINIS DEFINITIO.

HOMO QVID.

20. Tom. 1. Ienens. fol. 538. ex disput. de Homine. Theologia de plenitudine sapientiæ suæ hominem totum & perfectum definit.

21. Scilicet quod HOMO EST CREATVRA DEI, carne & anima spirante constans, ab initiò ad imaginem Dei facta sine peccato, vt generaret & rebus dominaretur, nec vnquam moreretur.

22. Post lapsum verò Adæ subiecta potestati Diaboli, peccato & morti, vtroq; malo suis viribus insuperabili & æterno.

23. Nec nisi per Filium Dei, Christum Iesum liberanda (si credat in eum) & vitæ æternitate donanda.

24. Quibus stantibus pulcherrima illa & excellentissima res rerum, quanta est ratio post peccatum, relicta sub potestate Diaboli tamen esse concluditur.

25. Vt homo totus & omnis, siue sit Rex, Dominus, seruus, sapiens, iustus, & quibus potest huius vitæ bonis excellere, tamen sit & maneat peccati & mortis reus, sub Diabolo oppressus.

26. Quare ij, Qui dicunt Naturalia post lapsum remansisse integra, impiè Philosophantur contra Theologiam.

27. Similiter qui dicunt hominem faciendo quod in se est, posse mereri gratiam Dei & vitam.

28. Item qui Aristotelem (nihil de homine Theologico scientem) inducunt, quod ratio deprædetur ad optima.

29. Item quòd in homine sit lumen vultus Dei super nos signatum, id est liberum arbitrium, ad formandum rectum dictamen & bonam voluntatem.

30. Item quòd hominis sit eligere bonum & malum, seu vitam & mortem, &c.

31. Omnes istiusmodi neque quid sit homo intelligunt, neque de qua re loquantur ipsi sciunt.

32. Paulus Roman. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absque operibus, breuiter hominis definitionem colligit, dicens: Hominem iustificari fide.

33. Certè qui iustificandum dicit, peccatorem & iniustum, ac ita reum coràm Deo asserit, sed per gratiam saluandum.

34. Et hominem indefinitè, id est vniuersaliter accipit, vt concludat totum mundum, seu quicquid vocatur homo sub peccato.

35. Quare homo huius vitæ est pura materia Dei, ad futuræ formæ suæ vitam.

36. Sicut & tota creatura, nunc subiecta vanitati, materia Deo est ad gloriosam futuram suam formam.

37. Et qualis fuit terra & cœlum in principio, ad formam post sex dies complétam, id est materia sui.

38. Talis est homo in hac vita ad futuram formam suam, cum reformata & perfecta fuerit imago Dei.

39. Interim in peccatis est homo, & indies vel iustificatur vel polluitur magis.

40. Hinc Paulus ista rationis regna nec mundum dignatur appellare, sed schema mundi potius vocat.

HOMO SECVNDVM PHILOSOPHOS.

Tom. 4. Ienens. fol. 534. Psal. 90. Philosophi hominem definiunt esse animal rationale. Sed hoc quis dicit in Theologia esse verum? Ibi enim verè homo est statua salis, sicut Vxor Loth. Quia illam magnam iram Dei non intelligit & ruit imprudens in mille pericula mortis, imò sæpe volens & sciens. Hanc calamitatem nostram Moses hîc nobis ob oculos ponit, quod simus coram Deo accusati & damnati, vt aperiamus oculos, & credentes hoc, exuamus securitatem, & oremus pro liberatione. Siquidem sic oppressi sumus, morte æterna & peccatis, & tamen id non sentimus, nisi admoneamur, admoniti autem non credamus. Nam cum temporalia illa, de calamitatibus huius vitæ, non intelligamus nec credamus, Quantò minus credemus spiritualia, de æterna morte & æterna vita?

RENOVATIO HOMINIS QVO-MODO FIAT.

Genes. 1. cap. fol. 18. Hoc nunc per Euangelium agitur, vt imago illa reparetur. Manserunt quidem intellectus & voluntas, sed valde vitiata vtraque. Euangelium igitur hoc agit, vt ad illam & quidem meliorem imaginem reformemur, quia in vitam æternam, vel potius in spem vitæ æternæ renascimur per fidem, vt viuamus in Deo & cum Deo, & vnum cum ipso simus, sicut Christus dicit.

Neque verò ad vitam solùm renascimur, sed etiam ad iusticiam, quia fides arripit meritum Christi, & statuit nos per Christi mortem liberatos esse. Inde alia iusticia nostra oritur, nempe illa vitæ nouitas, qua studemus obtemperare Deo, edocti verbo, & adiuti per Spiritum Sanctum. Sed hæc iusticia in hac vita incipitur tantùm, neque potest in hac carne esse perfecta. Placet autem Deo non tanquam perfecta iusticia, aut tanquam præcium pro peccatis, sed quia proficiscitur ex corde, quod nititur fiducia misericordię Dei, per Christum. Deinde hoc quoque fit per Euangelium, vt conferatur nobis Spiritus Sanctus, qui resistit in nobis incredulitati, inuidiæ & alijs vitijs, vt seriò optemus ornare nomen Domini & verbum eius, &c.

Ad hunc modum incipit imago ista nouę creaturæ reparari per Euangelium in hac vita, sed non perficitur in hac vita, cùm autem perficietur in regno Patris, tunc erit voluntas verè libera & bona, mens verè erit illuminata, & memoria constans. Tunc fiet etiam, vt omnes creaturæ alię, magis nobis sint subiectæ, quàm in Paradiso Adæ fuerunt.

Antequam hoc in nobis impleatur, non possumus satis scire, quid illa imago Dei per peccatum in Paradiso amissa fuerit. Hoc autem quod dicimus fides & verbum docent, quę tanquam ex longinquo ostendunt illam gloriam diuinę imaginis. Sicut autem cœlum & terra initiò quasi rudia corpora fuerunt priusquam lux esset addita: Ita pij illam imaginem rudem intra se habent, quam Deus perficiet in nouissimo die, in ijs qui verbo crediderunt.

DE

DE PECCATO ORIGINIS.

APPELLATIONES PECCATI.

Ex Præfatione Epistolæ ad Romanos.

Peccatum in Scripturis non solùm significat opus externũ, sed totam illam vim, & natiuam energiam, incredulitatem seu cognatam prauitatẽ, qua ex veteri Adam impellimur & rapimur ad peccandum: nempè cor ipsum prauum, & totam rationẽ, cum omnib. & optimis & summis viríb. suis, quibus nihil aliud possimus, quàm peccare, sic vt tũ facere peccatum dicamur, quando hac energia ceu impetu quodam totiferimur & impellimur ad malũ. Neq; vllum peccatum externum fit, nisi primũ hac natiua ví totus homo, totoq; affectu, ceu rotetur, & transuersus auferatur ad peccandũ. Hanc prauitatem cordis & propensionem natiuã, hoc vitiũ, & hanc incredulitatem ceu fontem & caput omniũ peccatorum respicit scriptura & Deus, quando de peccato loquitur. Quemadmodum ergo sola fides iustificat, solaq; impetrat & affert Spiritum & vim faciendæ legis, & faciendi opera verè bona: sic & sola incredulitas facit peccatum, & excitat seu accendit carnem ad peccandum, & opera mala, quemadmodum Adæ & Euæ contigit in Paradiso Genes. 3.

Quare Christus in Euangelio solam incredulitatem peccatũ vocat, Ioan. 16. Spiritus (inquit) mundum arguet de peccato, quia nõ crediderunt in me. Quamobrem opera verè bona, veluti boni fructus, non possunt aliundè proficiscí, nisi ex arbore bona id est ex fide, in corde agente & operante. Mala non possunt aliundè proficiscí nisi ex arbore mala, id est incredulitate in corde. Proinde & hæc prauitas & incredulitas in corde, passim in Scripturis caput Serpentis & antiqui Draconis vocatur, quod per Semen illud mulieris benedictum nempe Christum conterendum sit.

Pesa & Hete. Hebreæ linguæ peritis commendo, vt differentiam duarum dictionum inquirant, Pesa & Hete. Colligunt enim Rabini tredecim vocabula, quę omnia significant impietatem, ac transgressionem, quæ nõ sunt huius loci. Hæc duo autem quibus Moses vtitur, sic distingui solent. Pesa significat culpam omissionis. Hete peccatum commissionis, & complectuntur originale peccatum. Pesa significat omittere facienda. Hete, facere omittenda.

Sic 4. Reg. 1. dicitur, pręuaricatus est Moab in Israel. Sunt enim Moabitæ tributarij populi Israel. Sed prævaricatus est, hoc est desijt obedire & soluere tributũ. Item Isai. 1. prævaricati sunt in me, hoc est debebant reuererí me, & mihi obedire tanquam parenti, sed negligunt obedientiam mihi debitam. Adoptaui eos in filios, vt seruirent mihi, sed deficiunt à me, & eligunt Deos alienos. Hoc quod minimè debebant facere faciunt, & quod debebant pro officio facere omittunt. Item Hierem. 2. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas. Me debebant colere, tanquam fontem viuũ, sed omittunt, **lassen mich faren.** Deinde alios fontes quærunt. Hoc non debebant facere. Gen. cap. 31. To. 3. fo. 145.

Ascham. Est generale vocabulum, quo Moses & Iesaias crebrò vsi sunt (Ascham) delictum, Iesai. 53. Si posuerit delictum animam suam, videbit semen longæuum. Vbi sicut in Mose propriè sacrificium significat pro delicto aut peccato. Latinè reatus. Dicunt igitur nos sumus rei, culpabiles sumus in reatu ad mortem & damnationem. Quia peccatum contra nos est, quod propriè delictũ aut melius reatus appellatur. Tenemur adhuc, nondum satisfecimus, nondum res composita & pacata est. **Vnser Herr Gott hat noch ein zuspruch zu vns/wir haben vns verschuldet.** Sic nos quoq; rei & debitores sumus quotidie, & quanquã iusti sumus, tamen manent debita. Sicut docet Christus Matth. 18. Sic & Pater vester cœlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisque fratri suo delicta eorum. Sumus quidem iusti, & declarati filij regni, sed peccatum originis manet adhuc rebellans in nobis. **Vnser Herr Gott hat noch ein**

 kerbholtz/

kerbholtz/ein Regiſter wider vns. Non ſumus puri ab omnibus vitijs & inquinamentis. Hic eſt reatus, **Das wir vnſerm Herr Gott noch ſchüldig ſein.** Iam ſi addideris ſuperbiam, ingratitudinem, inclementiam erga fratrem, reuiuiſcit totum peccatum, & debitum tibi non eſt remiſſum. Tum autem remittitur, cum tu remiſeris conſeruo tuo, **ſo ſol das** debitum **nit ſchaden.** Seruus debet decies mille talenta, ſed Dominus remittit, **ſchadet jm nu nicht**/non tenetur ſoluere aut ſatisfacere, debitum iam non eſt debitum. per quid? per remiſsionem. ſed vbi ille conſeruo centum denarios non remittit, rurſus vniuerſum debitum exigit paterfamilias. Sic nos non ſumus abſq; debitis, ſi Deus iure & non ſecundum miſericordiam, vult nobiſcũ agere. Sed ſi petiuerimus nobis ignoſci, ac crediderimus, fratriq; remiſerimus condonantur omnia delicta noſtra, etiamſi ſint debita. **Wenn ich aber wil ſtoltzieren vnd bochen / ſo ſtehet das** debitum **wider da.**

Hæc eſt vis vocis illius (Aſcham) quam Chriſtus ſapientia Patris, qui eſt optimus Grammaticus & Hebræus reddidit debitum in oratione Dominica. Geneſ. cap. 42. Tom. 3. fol. 103.

QVID SIT.

Sophiſtæ cùm de peccato originis loquuntur, tantùm de miſera & fœda libidine ſeu concupiſcentia loquuntur.

Sed PECCATVM ORIGINALE eſt verè totus lapſus naturæ humanæ, quod eſt intellectus obſcuratus, vt non agnoſcamus amplius Deum & voluntatem eius, vt non animaduertamus opera Dei. Deinde quod etiam voluntas mirè eſt deprauata, vt non fidamus miſericordiæ Dei, vt non metuamus Deum, ſed ſecuri omiſſo verbo & voluntate Dei, ſequimur concupiſcentiam & impetus carnis. Item quòd conſcientia non amplius tranquilla eſt, ſed cùm de iudicio Dei cogitat, deſperat, ſequitur & quærit illicita præſidia & remedia. Hęc peccata ſic altè in naturã fixa ſunt, vt in hac vita non poſsint penitus euelli, & tamen miſeri Sophiſtæ, ne quidem verbo ea attingunt. Ad hunc modum (ſicut correlatiuorum natura eſt) peccatum originale demonſtrat, quid ſit iuſtitia originalis & econtra, nempe quod eſt amiſsio iuſtitię originalis, ſeu priuatio, ſicut cęcitas eſt priuatio viſus.

Hoc longè patet latius, quàm Monachi cogitant, qui iuſtitiam originalem tantùm intelligunt de caſtitate. Anima inſpicienda erat primùm, poſtea etiam corpus concupiſcentia ſic defœdatum. In anima autẽ præcipuum eſt, quod amiſſa eſt cognitio Dei, quod non ei vbiq; & ſemper gratias agimus, quod non delectamur eius operibus & factis, quod non confidimus ei, quod cum meritas pœnas infligit, incipimus Deum odiſſe & blaſphemare, quod quando cum proximo agẽdum eſt, obſequimur cupiditatibus noſtris, ſumus rapaces, fures, adulteri, homicidæ, crudeles, inhumani, immiſericordes, &c. Eſt quidem furor libidinis pars quędam peccati originalis, ſed maiora ſunt illa animi vitia, incredulitas, ignorantia Dei, deſperatio, odium, blaſphemia. Has calamitates ſpirituales Adam in ſtatu innocentię neſciuit.

Deinde annumerandę hîc ſunt pœnę originalis peccati. Nam originale peccatũ rectè vocatur, quicquid eſt deperditum de ijs conditionibus, quas Adam cùm adhuc eſſet natura integra, habuit, quod fuit ſagaciſsimo ingenio, vt qui Heuam ſtatim intellexit carnem ſuam eſſe, & omnium creaturarum exactam notiçiam habuit, quod fuit iuſtus, rectus, intellectu præſtanti, voluntate recta & tamen imperfecta. Nã perfectio differebatur poſt illam animalem vitam ad ſpiritualem. Geneſ. cap. 2. fol. 32.

VNDE SIT.

Geneſ. cap. 2. fol. 31. Deus peccatum non creauit, ſi itaq; Adam paruiſſet mandato, nunquam eſſet mortuus, Nam mors per peccatum venit. cap. 3. Geneſ. fol. 43.

Initium

Initium peccati originalis fuit tentatio Diaboli, cùm à verbo Dei abduxit Heuam, ad Idolatriam contra primum, secundum & tertium Præceptum.

Genes. Cap. 21. Tom. 2. fol. 187. Deus dat omnibus consilia & motus ad faciendum ius & rectum. Excipitur tamen hîc peccatum, Cuius Deus autor non est. Actionũ omnium dicimus esse autorem quæ iustæ sunt, peccatum autem non est actio, sed priuatio.

Tom. 4. Ienens. fol. 672. Hoseæ. cap: 13. Sed peccati porrò quæ causa sit, si roges, Sacræ literæ ostendunt, id ex Satana esse, cui contra verbum Dei assenserunt nostri parentes, & Deo inobedientes facti incurrerunt in horribiles pœnas. Nam per peccatum illud non solùm corpora nostra sic infirmata sunt, vt ex immortalibus mortalia fierent, sed etiam mens deprauata est. Amisit enim homo veram Dei noticiam, & voluntas quoque tum admodum est deprauata, vt nihil quàm malum appetat, hoc est vt Paulus dicit, vt oderit legem Dei, & peccato delectetur. Nam de naturalibus appetitionibus, quales sunt studium conseruadi sui & suorum, in fame desiderium cibi, in nimia fatigatione quietis desiderium, &c. hîc nihil agimus. Voluit enim Deus hęc etiam in natura integra existere, quanquam nunc aliquid admixtum sit vicij, propter peccatum, nec semper hæ appetitiones se intra suos limites continent, sicut vsu discimus.

Hæc igitur vera mali seu peccati causa est, quòd voluntas per peccatum deprauata, & mens agnitione Dei, ac ipso Dei Spiritu est destituta. Hinc enim non modo, tanquam ex perenni fonte, omnis generis peccata emanant, sed etiam reliqua mala oriuntur, quæ in hac misera vita patimur & patientur damnati in æternum. Accendit autem Satan voluntatem contra Deum, & tanquam equo sua natura indomito subijcit calcaria, &c.

MATERIALIS. PECCATI ORIGINIS.

OMNES HOMINES ESSE PECCATORES.

Tom. 4. Ienens. fol. 393. Psal. 51. Summa doctrinæ Christianæ est vt scilicet agnoscamus nos totos esse in peccato positos, imò esse peccatum, etiam tum cùm concipimur & formamur in vtero matris.

Et paulò post. Instituit Propheta generalem confutationem, quasi habeat in conspectu aliquem, qui contra doctrinam iam traditam hæc obijciat. In genere damnas omnes, cùm tamen constet, multos bonos & sanctos esse, quorum vita & mores integri & sine querela sunt. Num Solus tu sapis? Sicut nobis hodie obijciunt in simili argumento. Num Soli vos estis Ecclesia? Num soli habetis scripturam? omnis enim contentio est de nomine Ecclesiæ. Id nomen quia affert secum iudicium de religione, de salute & vita æterna, ideo furiosè pro eo aduersarij dimicant. Non volunt videri quòd errarunt, aut impia docuerunt. Et quanquam negare non possint manifestos abusus, qui paulatim inualuerunt, tamen non ideo volunt de Ecclesiæ nomine cedere. Sic Turca pertinaciter retinet hoc nomẽ, quod colat verum Deum, sic Synagoga, sic nostri aduersarij etiam vi & armis hoc defendunt, obijciunt cultus suos, & gloriantur sicut Paulus de Iudeis dicit, se habere zelum & studere vigilijs, elemosinis, sacrificijs, orationibus, ceremonijs, asperitate victus & alijs, peruenire ad promissiones Patrib. factas. Hæc (inquã) obijciũt nobis an nõ sancta & bona sunt? Cur igitur dicis omnes esse peccatores? Cur omnes pronuncias dãnationi esse obnoxios?

Respondet igitur in hoc versu fides & Spiritus Sanctus. Hæc esse sapientiam mundi, non esse sapientiam Dei. Ideo nihilominus veram manere, hanc vniuersalem. Omnes esse peccatores. Mundus enim sic iudicat, Esse sanctitatem si sordidè vestias, si duro victu affligas corpus, & te maceres, si angulum aliquem quæras, semotum à

ſemotum à frequentia hominum & turbulentis negocijs, atque ibi aliquid inſolitum inſtituas. Hæc mendacia & fricatam hanc ſanctimoniam intelligit caro & admiratur Ideo fit etiam, vt aſpera vita & inſolitis moribus longè citius homines capiantur, quàm ſana doctrina & verbo. Coram mundo enim nihil ſanctum eſt, niſi quod quàm longiſsimè à communi conſuetudine vitæ diſcedit. Hinc celibatus, hinc monaſteria, hinc monſtroſa illa veſtitus & victus ratio, hinc innumeræ aliæ ſtulticiæ profluxerunt non apud nos ſolùm, ſed & apud Iudæos olim, & hodie apud Turcas, qui prodigioſiſsima quæque comminiſcuntur, & faciunt, vt ſingularem opinionem ſanctitatis apud ſuos colligant. Quanquam nihil opus eſt à Turcis petere exempla, Cucullatum Monachum inſpice, & rectè excute, ibi & miraberis & videbis ea, poſt quam de vera & Chriſtiana ſanctitate rectè eruditus es, quæ aduerſarij noſtri magnis titulis ornant & prædicant, imò propter quæ coniugia & ciuilia officia negligunt, tanquã impedimenta ſuæ ſanctimonię. Hi igitur ſunt qui cùm audiunt vniuerſalem hanc, quod omnes ſint peccatores, plenis buccis obijciunt vitam & obſeruãtias ſuas. Num inquiunt, omnes nos damnabis? Num nos obijcies omnes Satanæ?

Ita inquit Propheta, damno omnes, vos, cum omni veſtra ſapientia, cum ſanctitate & iuſticia veſtra omni, Quia tu es Deus, qui diligis ſeu exigis abſconditam veritatem. Ita enim ſonant verba in Hebræo, non diligis mendacium, hypocriſin & fucum. Ergo vocabulum veritatis ſimpliciter præcedit & damnat, quicquid præſumitur extra hanc doctrinam. Item quicquid operũ & iuſticiæ eſſe poteſt apud Turcas, Iudæos, Papiſtas, extra verbum Dei, iſtas omnes iuſticias & ſanctitatem iſtam ſimpliciter vocat mendacium, quod non ſolùm non diligat, verùm etiam ſummè oderit & execretur Deus. Neque enim vocabulum veritas, ad verba tantùm referendum eſt, ſed in genere ad omnem vitam, vt quicquid dicimus, cogitamus, viuimus & ſumus, ſit certum & verax, quo non ſolùm non fallatur mundus, ſed ne nos quoque.

In mundo quoque eſt veritas Politica, quæ verbis & vita præſtatur, ſed ea eiuſmodi eſt, vt multa habeat admixta vitia. Sic Pomponius Atticus, Ariſtides, Socrates, fuere homines veraces, & ſine fuco, Sic multi inter gentes fuere verè coniuges, qui fidem datam vxoribus egregriè præſtiterunt. Sic inuenies alicubi mercatorem veracem. Hanc politicam veritatem Deus requirit, & quotidiana exempla oſtendunt, non impunè ſi quis aliquid contra ciuilem veritatem faciat. Sed neque pura eſt hæc veritas, ſi ſpectes iudicium Dei, hærent enim in ea multa fœda vitia, & Deus longè maiorem veritatem requirit, ideo addit: Tu diligis eam veritatem quæ in abſcondito eſt. Quaſi Dicat veritas Politica, quæ in mundo eſt, poteſt præſtari, & intelligitur ſaltem ab hominibus, Ideo Ariſtides, Pomponius, magni nominis fuere inter ſuos. Econtra audimus quotidianas querelas, de perfidia, mendacijs & fraudibus, quibus homines inter ſe vtuntur.

Sed illa veritas, quam Deus diligit, ea non eſt ita expoſita oculis, ſed eſt in abſcondito & latet. Ergo Mahomet etſi politicè fuiſſet verus, tamen coram Deo fuit mendax. Ego etſi verè & ſine fuco Monachus fui (pono enim me in exemplum, ſicut Paulus ſe verè Phariſæum fuiſſe ſcribit) tamen coram Deo fui mendax, propter ſuperſtitionem & hypocriſin, quam non videbam. Latebat enim abſcondita, ſub ſpecie ſanctitatis (ſicut etiam veritas abſcondita latet) donec per verbum argueretur & reuelaretur veritas hæc abſcondita. Ad tales reſpicit Propheta, cum dicit: Diligis veritatem in abſcondito. Quaſi dicat illi alij fucati ſancti qui incedunt in zelo legis irrepræhenſibiles, & ſperant ſe diligi, qui pro iuſticijs ſuis parati ſunt mori, & putant ſe ac ſtudia ſua eſſe Deo in delicijs, hi ſunt quos extremè odiſti, diuino & inſuperabili odio Quia tu tantum diligis abſconditam veritatem, iſtos hypocritas & ſuperbos ſanctos, qui incedunt in religione ficta, non diligis. Ad hunc modum cum

confutatione

confutatione, doctrinam & conſolationem Dauid coniungit. Nam nos qui veritatem Dei gratia habemus, & confitemur nos eſſe peccatores, Deum autem iuſtũ eſſe, non poſſumus ita plenè ſtatuere nos à Deo diligi, ſicut iſti in mendacijs poſiti ſtatuunt & pleno ore iactant ſe diligi. Imò cùm videmus multitudinem impiorum ita præfractam eſſe, & ſic præſumere de iuſticijs ſuis, & Dei dilectione, ſæpe deijcimur animo. Sed hoc faciẽdum erat potius, vt lęticias & triumphos iſtos cõtemneremus, & ſtatueremus, eos eſſe ceu ſtercora in oculis Dei, & abominationem, quia Deus fucum tam in doctrina, quàm vita odit. Ergo hypocritarum pietas eſt ſumma impietas, eorum veritas eſt ſummum mendacium. Contrà qui ſentiunt infirmitatem ſuam, & agnoſcunt peccatum, hi ſunt in veritate.

Cur igitur pauent? Cur non confidunt? Cùm hîc audiunt dici. Tu Deus es, qui diligis veritatẽ abſconditam. Vtrumque igitur peruerſo modo fit, fucati Sancti præſumunt de dilectione, cùm ſint in odio. Econtrà qui in veritate ſunt, qui credunt & confitentur, ſecundum quod audiunt in verbo Dei, quod ſcilicet ſint peccatores à tempore conceptionis, & quod ſolus Deus iuſtus ſit, hi de dilectione dubitant, & metuunt iram, quia natura aliter non poteſt cogitare, cùm videt peccatũ ſuum, quàm quod Deus peccatores oderit. Hæc eſt ſapientia noſtra, ſed Dauid aliam ſapientiam docet, cœleſtem, nempe, quod Deus peccatores veros, nõ abijcere ſed diligere velit. Econtrà qui hanc confeſsionem impugnant, & nolunt eſſe peccatores, eos mẽdaces eſſe & Deum odiſſe eos. Nam cur paueat peccator, aut cur iram metuat, cùm Deus miſerit Filium ſuum, vt pro peccatis ſatisfaceret? Non igitur de iuſticia nobiſcum vult diſceptare, ſed hoc requirit, vt agnoſcamus nos eſſe peccatores. Hæc agnitio ſeu confeſsio eſt veritas, non Philoſophica, quam audit & videt ratio, ſed Theologica & abſcondita, quam tantum videt & audit Spiritus. Igitur Deus veritatem hanc diligit. Contrà quicquid non eſt in hac veritate hoc odit, ſicut alibi dicit: Non volens iniquitatem tu es Deus.

MATERIALIS IN QVA.

Geneſ. 3. Cap. fol. 40. 41. Horribilis fuit ruina Adæ & Heuæ, per quam amiſimus pulcherrimè illuminatam rationem, & voluntatem conformẽ verbo & voluntati Dei. Amiſimus quoque illam dignitatem corporum, vt iam extrema turpitudo ſit nudum conſpici, quod tum fuit pulcherrimum, & ſingularis prærogatiua generis humani, præ omnibus alijs beſtijs.

Sed grauiſsima iactura in eo eſt, quòd nõ ſolùm iſta amiſſa ſunt, ſed auerſio quædam voluntatis à Deo ſecuta eſt, vt homo nihil eorum velit aut faciat, quę Deus vult & præcipit. Item quòd neſcimus quid Deus, quid gratia, quid iuſticia, denique quid ipſum peccatum ſit. Hi ſunt profectò horribiles defectus, quos qui non intelligunt nec vident, talpa cæciores ſunt. Experientia quidem docet nos de his calamitatibus, ſed tamen magnitudinem earum plenè non ſentimus, niſi reſpicimus ad illam qualemcunque imaginem ſtatus innocentiæ, in quo voluntas bona & ratio recta fuit, denique ſumma dignitas corporis humani. Horum donorum priuationem ſeu amiſsionem cùm conſideramus in contrario, tum æſtimari aliquo modo malum peccati originalis poteſt. Magnorum itaque errorum cauſam præbent, qui hoc malum extenuant, & loquuntur de natura corrupta Philoſophorum more, quaſi non ſit corrupta. Sicut dicunt non ſolùm in hominis natura, ſed etiam in Diabolo naturalia manſiſſe integra, ſed hoc palam falſum eſt. Quid & quantillum remanſerit aliquo modo videmus & ſentimus. Sed quantum amiſerimus profectò non vident, qui diſputant naturalia manſiſſe integra. Nam voluntas bona, recta, Deo complacens, Deo obediens, fidem in Creatore & creaturis re-

creaturis rectè cum gratiarũ actione vtens amissa est, adeo vt ex Deo nostra voluntas faciat Diabolum, & horreat ad mentionem nominis eius, præsertim cùm premitur iudicio Dei. Hoc num quæso est naturalia esse integra?

Sed considera inferiora, coniunctio maris & fœminæ diuinitus est constituta, sed quàm fœda ea nunc est post peccatum? quàm ipsa caro furiosè incenditur? Itaque nunc post peccatum coniunctio hæc, non tanquam Dei opus, in publico fit, sed honesti coniuges, quærunt sola loca, remota ab oculis hominum. Ad hunc modum corpus habemus, sed quàm miserũ quàm variè læsum? Habemus volũtatem quoq; & rationem, sed quàm multipliciter vitiatam? Sicut enim ratio ignorãtia multiplici oppressa est, ita voluntas non perturbata solùm, sed auersa à Deo & inimica Dei est, quę cum voluptate ad malum fertur, Vbi diuersum faciendũ erat. Non itaq; hæc naturæ multiplex corruptio extenuanda sed magis amplificanda est. Quod homo ab imagine Dei, à notitia Dei, à notitia aliarum creaturarum omnium, ab honestissima nuditate, in blasphemias, in odium, in contemptũ Dei, imò quod plus est, in inimicitiam erga Deum, lapsus est. Taceo iam de Tyrannide Satanæ, cui propter peccatum, misera hæc natura subiecta est. Amplificanda inquam hæc sunt, propterea, quod nisi rectè cognoscatur magnitudo morbi, remedium quoq; non cognoscitur, nec desideratur, Quantò enim magis peccatum extenuaueris, tantò quoque gratia magis vilescet.

Ad hanc autem amplificationẽ propriè pertinent, quę Moses suprà dixit. Quod Adam & Heua nudi non erubescebant. Non excitabatur in eis illa fœda libido, sed alter alterum inspiciens, agnoscebat Dei bonitatem lętabatur in Deo, securus erat in bonitate Dei. Vbi nunc solùm peccato carere non possumus, sed etiam laboramus desperatione & odio Dei. Hic tam horribilis casus clarè ostendit, quàm non integra sint naturalia.

Sed quantò impudẽtius, hoc ipsum de Diabolo Sophistę adfirmant, in quo etiã maior erga Deum inimicitia, odium & furor est, quàm in homine. Cum tamen non malus creatus sit, sed habuerit volũtatem conformẽ voluntati Dei. Hanc voluntatẽ amisit, amisit quoq; pulcherrimũ & clarissimũ intellectum, & versus est in horribilẽ spiritum, furentem contra suum creatorem. An non enim maxima corruptio est, ex amico Dei, fieri acerbissimum & obstinatissimum hostem Dei?

Sed opponunt Aristotelis sententiam. Ratio deprecatur ad optima, hanc etiam quibusdam sacris sententijs conãtur confirmare. Item, eo quod Philosophi disputãt. Rectam rationem esse causam omnium virtutum. Hæc quidem non nego esse vera, cum transferuntur ad res rationi subiectas, ad gubernandas pecudes, ædificandam domum, cõserendum agrum. Sed in rebus superioribus non sunt vera. Quomodo enim rectà ratio dici potest, quę odit Deũ? Quomodo volũtas bona dici potest, quę Dei voluntati resistit, ac Deo parere recusat? Quomodo igitur dictat, Ratio deprecatur ad optima? Dic tu optima politicè, hoc est de quibus ratio potest iudicare, Ibi dictat & ducit ad honestum, & vtile corporale seu carnale. Cæterùm cùm plena sit ignorationis Dei, & auersionis à voluntate Dei, quomodo potest in hoc gradu bona dici? Notum autem est, cum prędicatur noticia Dei, & hoc agitur vt ratio restituatur, tunc qui optimi sunt & melioris vt sic dicam, rationis ac voluntatis hi tanto acerbius Euangelium oderunt.

In Theologia itaq; sic dicamus, rationem in hominibus esse inimicissimam Dei Deinde honestam voluntatem esse maximè aduersariam voluntati Dei, sicut hinc oriuntur odium verbi, & persecutio piorum ministrorum. Quare vt dixi non extenuemus, sed amplificemus potius hoc malum quod natura humana ex peccato primorum parentum contraxit, tum fiet, vt & deploremus hanc nostram conditionem, & suspiremus ad Christum medicum nostrum, qui in hoc à Patre est missus, vt quæ Satan

quæ Satan per peccatum mala nobis inflixit, ea per ipsum sanentur, & nos restituamur in amissam & æternam gloriam.

Genes. Cap. 8. fol. 138. Quoniam figmentum cordis humani malum est, ab adolescentia sua. Hîc est insignis locus de peccato originali, quod qui extenuant hi profectò, sicut cæci in Sole errant, & quæ quotidie agunt & experiuntur nõ vident. Nam incunabula nostra inspice, quã varia in prima ætate se prodit peccatũ? Quanta mole virgarum est, dum quasi in ordinem redigimur, & retinemur in officio?

Huic ætati succedit adolescentia, ibi maior rebellio sentitur, & accidit indomitũ malum, furor libidinis & concupiscentia. Si vxorem ducas, sequitur fastidium tuę & furor in alienas. Si Reipublicæ gubernatio commendatur, ibi demum vberrima vitiorũ seges est, æmulatio, ambitio, insolentia, spes lucri, auaritia, ira, indignatio, &c.

Itaq; sicut Germani prouerbio dicunt: vna cum annis etiam peccata crescunt. **Je lenger je erger / je elter je kerger.** Atque hæc omnia eiusmodi vitia sunt, tam crassa & pinguia, vt iudicari possint & intelligi. Quid dicemus de interioribus, quod crescit incredulitas, securitas, neglectus verbi, impiæ opiniones.

Et tamen insignes Theologi habentur & haberi volunt, qui peccatum originis Sophisticè extenuant. Profectò hæc tot & tanta vicia non possunt extenuari, non enim leuis hic morbus seu defectus est, sed extrema ἀπαξία, cuius simile tota reliqua creatura, exceptis Dæmonibus non habet.

Sed habent ne isti extenuatores testimonia scripturæ quibus nituntur? Mosen hîc videamus. Is sicut suprà quoque in sexto capite, non libidinem, non tyrannidẽ, nõ alia peccata vocat mala. Sed figmẽtum cordis humani, hoc est industriam, sapientiam, rationem humanã, cum omnibus viribus, quibus etiam in optimis actionibus ratio vtitur. Nam etsi œconomica & politica opera non damnamus, tamen ea ipsa bona opera viciat cor humanum, cum ijs vtitur ad gloriam, vtilitatem, tyrannidem, vel contra proximum vel contra Deum.

Nec potest hic locus eludi, quod tales fuerint, qui perierunt diluuio, generis vocabulo vtitur Deus & dicit: Cor hominis tale esse. Erant autem tum homines non alij, quàm qui in arca seruati erant, & tamen dicit: Figmentum cordis humani esse malum.

Ergò non excipiuntur hîc ne Sancti quidem: Nam in tertio filio Ham postea se figmentũ hoc prodit quale sit. Nec fuerunt alij fratres natura meliores. Hoc tantum interest, quod alij per fidẽ Seminis, spem de remissione peccatorũ retinent, & malo cordis figmento non indulgent, sed ei resistunt per Spiritum Sanctum, qui ad hoc datur, vt pugnet contra hanc maliciam naturæ, & eam vincat. Hanc naturam quia sequitur Ham totus malus est, & etiam perit totus. Si autem & Iaphet, quia Spiritu contra eam pugnant, etsi etiam mali sunt, tamen non sunt toti mali, habent enim Spiritum Sanctum, quo contra malum pugnant, & ideo sancti sunt.

Diligenter itaque hic locus obseruandus est quia aperte ostendit naturam hominis corruptam esse. Hæc enim corruptæ naturæ cognitio inprimis necessaria est, nec potest sine ea misericordia & gratia Dei rectè intelligi.

Itaque digni odio Sophistæ sunt, & non temere accusamus Interpretem, qui huic errori occasionem dedit, dum vertit, Cogitationem humani cordis non malam, sed ad malum pronam esse. Hac enim occasione deprauant Sophistæ & eludunt locos Pauli in quibus dicit: Omnes esse filios iræ, omnes peccare & sub peccato esse.

Sic enim ex hoc loco argumentantur. Moses non dicit naturam esse malam, sed pronam ad malum. Hæc siue procliuitas seu inclinatio est in potestate liberi arbitrij, nec cogit hominem ad malum, seu vt ipsorum verbo vtar, non necessitat hominem.

Postea

Postea quærunt causam huius sententiæ & asserunt, In homine esse etiam post lapsum bonam voluntatem & rectam rationem. Nam naturalia mansisse integra, non in hominibus solùm, sed etiam in Diabolo. Atque ad hanc sententiam detorquent tandem Aristotelis dictum, rationem depræcari ad optima.

Ac sunt harum opinionum semina etiam in Patribus, qui ex Psal. 4. vbi de lumine vultus Dei super nos signato loquitur, ponunt distinctionē portionis superioris, quæ de Deo speculatur, & inferioris quæ exercetur in externis & politicis negocijs. Ac delectatur hac distinctione Augustinus quoque, sicut diximus suprà vbi de lapsu hominis disputauimus.

Sed si scintilla cognitionis Dei in homine mansisset integra, longè essemus alij, quàm nunc sumus. Inæstimabilis igitur Sophistarū cæcitas est, qui manifestas Pauli sententias ita cauillantur. Nam si hunc ipsum locum sicut in latinis Biblijs habetur, rectè æstimarent, & piam mentem afferrent, profectò desinerent patrocinari tam malæ causæ. Non enim exiguum aliquid dicit, qui sensus & cogitationem humani cordis ab adolescentia ad malum pronam esse dicit. Præsertim cum capite sexto dixerit Moses: Cunctam cogitationem cordis intentam esse ad malum omni tempore, hoc est studere malo, & esse in intentione, studio & conatu ad malum: Sicut adulter cum ardet cupiditate, etsi occasio, locus, persona, tempus eum destituunt, tamen nihilominus agitatur æstibus libidinis, nec potest cogitationibus suis in aliam rem incumbere. Talem naturam dicit Moses esse omni tempore ad malum, Num igitur naturalia sunt integra, siquidem ad malum homo semper intentus est?

Ergo si Sophistæ tam æqui essent sacræ doctrinæ, quæ Propheticis & Apostolicis scriptis prodita est, quàm sunt æqui suis Doctoribus, qui liberum arbitrium & merita operum statuunt, profectò non essent passi tam leui occasione, propter vnam vocalem se à vero abduci, vt statuerunt contra Scripturam esse naturalia integra, hominem sua natura non esse sub ira, non sub damnatione. Quanquam ipsi quoque hanc absurditatem animaduertisse videntur. Etsi enim ponerent naturalia integra, tamen dixerunt requiri gratiam gratum facientem, hoc est docuerūt, Deum illa naturali bonitate hominis non esse contentum, nisi sit formata charitate.

Sed quid necesse est longius contra istorum amentiam disputare, cum sciamus textum ex Hebræa veritate non dicere, quod sensus & cogitatio humani cordis sit prona, sed quod figmentum cordis humani malum sit ab adolescentia.

Vocat autem figmentum, sicut aliquoties suprà dixi, ipsam rationē cum voluntate & intellectu, etiam tum cum de Deo cogitat, cum honestissimis operibus exercetur, siue politicis, siue œconomicis. Semper enim est contraria legi Dei, est in peccatis, est sub ira Dei. Nec liberari ab hoc malo potest suis viribus, secundum sententiam Christi: Liberi eritis, si vos Filius liberauerit.

Si igitur hominem voles verè definire, ex hoc loco definitionem sume, quod sit animal rationale, habens cor fingens. Quid autem fingit? Respōdet Moses, malum contra Deum scilicet seu legem Dei & homines. Tribuit igitur scriptura sancta homini rationem non ociosam, sed semper aliquid fingentem. Figmentum autem hoc vocat malum, impium, sacrilegum. Contra Philosophi vocant bonum, Sophistæ vocant integra naturalia.

Ergo textus hic diligenter notādus, & contra cauillatores Sophistas vrgendus est, quod Moses dicit: figmentum cordis humani esse malum. Clarè enim sequitur si malum est, quod naturalia non sint integra, sed corrupta. Non enim Deus hominem malum condidit, sed integrum, sanum, sanctum, agnoscentē Deum cum recta ratione & bona voluntate erga Deum.

Cum igitur clara testimonia extent, quòd homo malus & à Deo auersus sit, quis tam est amens vt dicere ausit: Naturalia in homine mansisse integra? Hoc enim idem est, ac

est, ac si dicas, hominis naturam adhuc integram & bonam esse, quàm tot exemplis discimus & experimur, extremè esse vitiatam.

Ex hac praua sententia multa periculosa dicta nata sunt, quædã etiam manifestè falsa & impia, vt cùm dicunt: Quando homo facit quod in se est, tum Deus infallibiliter dat gratiam. Hoc quasi classico excitarunt homines, ad orationes, ieiunia, afflictiones corporum, ad peregrinationes & alia similia. Sic enim persuasum fuit mundo, si homines facerent quantùm possent natura, mereri gratiam, si non de condigno tamen de congruo. Meritum congrui autem eò retulerunt, quod opus non esset contra legem Dei, sed secundum legem Dei. Nam malo non debetur meritum sed pœna. Condigni meritũ tribuerũt nõ operi, sed qualitati operis, si fieret in gratia.

Tale etiam est Scoti dictũ, quòd homo ex puris naturabilis possit timere Deũ super omnia. Fundamentum enim dicti huius est, quòd naturalia sint integra. Sic autem colligit, homo puellam diligit quę est creatura, sicut autem perditè diligit, vt se & vitam suam pro ea in discrimen ponat. Sic mercator diligit opes, & quidem tam impensè, vt mille mortis pericula subeat, dum modò lucrari aliquid possit. Si igitur tantus creaturarum amor est quæ longè infra Deum sunt positæ, quantò magis amabit homo Deum, qui summum bonum est? Ergo ex puris naturalibus diligi potest Deus. Bella consequentia & digna Franciscano Monacho. Ostendit enim quod nesciat tantus Doctor, quid sit diligere Deum. Natura etiam sic corrupta est, vt Deũ nõ agnscat amplius, nisi verbo & Spiritu Dei illuminetur, quomodo igitur sine Spiritus Sancto amare Deum potest? Verum est enim quod ignoti nulla fit cupido. Natura igitur Deum quem nescit, amare non potest, Amat autem idolum & somnium cordis sui. Deinde in creaturarũ amore, ita implicita tenetur, vt Deum etiam postquam ex verbo agnouit, tamen negligat, & contemnat verbum eius. Sicut exempla nostrorum hominum ostendunt.

Sunt igitur huiusmodi absurda & blasphema dicta, certum argumentum, quod Theologia scholastica planè degenerauerit in Philosophiam quandam, quæ nullam veram Dei cognitionem habet, sed quia verbum ignorat, etiam Deum ignorat, & versatur in tenebris. Sicut enim Aristoteles & Cicero, qui tamen in hoc genere summi sunt, multa de virtutibus docent, & eas magnificè commendant, propter politicum finem, quod vident & priuatim & publicè eas esse vtiles, de Deo autem nihil docent, quod magis eius voluntas & mandatum, quàm vel priuata vel publica commoda spectanda sint. Hanc enim voluntatem Dei qui verbum non habent ignorant. Planè ad eum modum, scholistici Theologi philosophicis imaginationibus capti, neque Dei, nec sui veram agnitionem retinuerunt, Ideo in tam horribiles errores sunt prolapsi.

Ac sanè facilis lapsus est, postquam à verbo discesseris. Nam ille splendor politicarum virtutum mirabiliter capit animos. Erasmus ex Socrate tantùm non perfectum Christianum facit. Et Augustinus immodicè laudat. M. Attilium Regulum ob fidem hosti seruatam. Omnium enim virtutum veritas pulcherrima est, & accedit hoc in loco summa commendatio, quòd coniunxit hanc virtutem cum amore erga patriam, quæ ipsa quoque singularis, & laude dignissima virtus est.

Inuenias autem multos claros viros, qui hanc veritatis laudem non habent, sicut certè Themistocles eam non habuit, etsi heroicus vir esset & Patriæ vtilis. Itaque admiratur Attilium Augustinus, videt enim rationem & voluntatem rectam, in summo gradu, hoc est quanta in hanc naturam potest cadere. Quid igitur hîc vicij est, aut quid est malum? certè opus repræhendi non potest.

Primùm in regulo est ignorantia Dei, & quanquam rectè facit, tamen videan non etiam finis à Theologo repræhendi possit. Cum hoc enim studio iuuãdę Patrię etiam cupidas gloriæ coniuncta est. Contemnit enim vitam vt hoc modo sibi paret

immortalem ad posteros gloriam. Si igitur hoc quasi somnium vitę, & externam hãc laruam consideres, pulcherrimũ factum est. Sed coram Deo est fœda idolatria, sibi enim huius facti gloriam arrogat, Et quis dubitat, fuisse cum hoc gloriæ studio etiã coniuncta alia vicia?

Ergo Attilius hanc summam virtutem veritatis & studij in patriam præstare nõ potest, nisi furens & insaniens ad malũ. Malum enim est, quod gloriam Deo eripit & sibi arrogat. Hoc spolium diuinitatis, ratio videre non potest. Ergo discernendæ sunt virtutes Gentilium, à virtutibus Christianorum. Verum est vtrinque impelluntur animi diuinitus, sed hos diuinos motus magnorum hominum, corrumpit postea in Ethnicis gloriæ studium & ambitio. Si igitur Rhetor accedat, qui causam efficientem amplificat, contra finalem hanc vicioſam causam dissimile, quis non videt duabus potissimis causis formali & finali dissimulatis, miserã hanc virtutis quasi vmbram, ab homine eloquente ornari posse? Sed Dialecticus facilè deprehẽdet fucum, videt enim deesse causam formalem, hoc est rectã rationem, quia Deus non agnoscitur, nec est recta voluntas erga Deum. Causam autẽ finalem videt vitiosam esse. Non enim spectatur verus finis, obedientia erga Deum & dilectio proximi. Qualis autẽ hæc virtus est, in qua penè omnes causæ desiderantur, præter naturalem, quæ est tantùm passio, hoc est impetus seu impulsus, quo mouetur animus, ad præstãdam hosti fidem? Habent autem hos impetus vt dixi, etiam impij. Igitur si pro patria suscipiuntur, fiunt virtutes, si contra patriam, fiunt vitia, sicut Aristoteles eruditè disputat.

Hæc eò dico, vt hunc locum obseruent studiosi sacrarum literarum, qui diserte pronunciat naturam corruptam esse. Nam illa virtutum simulachra, quæ in gentibus sunt, diuersum videntur probare, quod scilicet in natura aliquid integrum relictum sit. Accurato itaque iudicio ad hæc distinguenda opus est.

Quod addit Moses ab adolescentia, ea ratione fit, quia hoc malum in prima ętate latet & quasi dormit. Sic enim nobis transigitur puericiæ tempus, vt ratio & voluntas quasi dormiant, & tantùm bestialibus motibus rapiamur, qui prætereunt sicut somnus. Vix dum euasimus quintum annum, cùm quærimus ocium, lusus, lasciuiam, cupiditates, disciplinam autem fugimus, obedientiam conamur excutere, & odimus virtutes omnes, præcipuè autem illas superiores, veritatem & iusticiam. Euigilat enim tum quasi ex alto somno ratio, & videt quasdam voluptates, sed nondum veras, & mala quædam, sed nondum summa, quibus capitur. Vbi autem iam quasi adoleuit ratio, ibi post confirmata aliquo modo, cætera vitia, accedit etiam libido, & fœdus carnis furor, heluationes, ludi, rixæ, pulsationes cædes, furta & quid non? Sicut igitur apud parentes virga opus erat, ita nunc Magistratus carcere & vinculis indiget ad cohercendam malam naturam.

Prouectioris autem ætatis vicia quis non videt? ibi enim vno agmine ingruũt, auaritia, ambitio, superbia, perfidia, inuidia, &c. Sunt autẽ hæc vicia tantò nocẽtiora, quantò ea ætas callidior est ad tegenda & ornanda ea. Igitur hic gladius Magistratus non satis est. Ignis gehennę requiritur, quo tot & tanta flagitia puniantur. Recte igitur suprà in sexto capite dicitur: Cor hominis seu figmentum cordis, esse tantùm malũ per singulos dies, seu omni tẽpore. Et hîc. Esse malũ ab adolescentia. Etsi autem latina trãslatio mitiore vocabulo vtitur. Tamen satis dicit, qui ad malũ pronũ dicit. Sicut apud Comicũ est: Omnium hominũ ingeniũ, à labore ad libidinẽ procliue esse.

Qui autem hoc vocabulo abuti volunt ad extenuandum peccatum Originale, hos conuincit experientia omnium hominum, magis tamen gentilium seu impiorum. Si enim homines spirituales, qui tamen habẽt adiutorium diuinum de cœlo, vix stare possunt contra flagitia, & contineri disciplina, Quid faceret homo sine hoc auxilio? Si auxilium diuinum militat, & sudat contra captiuitatẽ legis peccati, Quæ amentia est somniare integra naturalia sine hoc auxilio diuino?

Igitur ratio

Igitur ratio non dictat recta per se, nec voluntas per se recta vult, sicut cæca Philosophia disputat, quæ nescit vnde horribiles hi impetus ad peccatum in pueris, adolescentibus & senibus existant. Igitur excusat eos, vocat tantùm affectus seu passiones, non vocat maliciam naturæ.

Deinde in magnis viris qui moderantur hos impetus & gubernant vocat virtutes. In alijs qui relaxant cupiditatibus frena, vocat vicia. Hoc autem est verè ignorare quòd natura sit mala. Scriptura autem sancta consentit cum experientia & dicit. Cor hominis ab adolescentia esse malum, sic enim experientia docet, quod etiam Sancti ægrè consistunt, sed sæpe etiam in crassa peccata inuoluuntur, oppressi ista naturæ malicia.

Vocabulum Neurim, significat eam ætatem, qua homo incipit ratione vti, id ferè fit anno sexto. Sicut etiam *nearim* vocant iuuenes & pueros, aptos ad ministeria parentum & præceptorum vsque ad virilem ætatem. Non autem inutile est, vt respiciamus ad eam ætatem singuli, & consideremus quàm libenter paruerimus mandatis parentum, præceptorum, quàm fuerimus in discendo seduli, quàm patientes, quoties castigarunt petulantiam parentes. Quis enim fuit cui non longè gratius fuerit deambulare, ludos agere, garrire, quàm templa ex parentum iussu frequentare?

Etsi autem disciplina aut corrigi aut frenari hæc possunt aliquo modo, tamē non penitus possunt ex corde euelli, sicut testantur vestigia postquā succreuimus. Verus enim versiculus ille barbarus est : *Angelicus iuuenis, senibus sataniſat in annis.* Impellit quidem Deus quosdam ad naturales bonos motus, sed id fit supra naturam. Sicut cùm Cyrus impellitur ad restitutionem cultus Dei & Ecclesiæ conseruationē. Sed hæc non sunt naturæ. Vbi enim Deus est cum suo Spiritu, ibi non amplius est figmentum cordis humani, sed figmentum Dei. Habitat enim ibi Deus per verbum & Spiritum Dei. De talibus Moses hoc in loco non loquitur, sed tantùm de hominibus extra Spiritum Sanctum, hi mali sunt, etiam cùm sunt optimi.

DE CAVSA FORMALI SEV DE PROPRIETATIBVS PECCATI ORIGINIS.

I *Est priuatio originalis iusticiæ.* Genes. cap. 2 fol. 32. Peccatum originale demonstrat, quid sit iusticia originalis & econtrà. Nempe quod est amissio iusticiæ originalis, seu priuatio, sicut cæcitas est priuatio visus.

II. *Est totalis naturæ humanæ corruptio.* Psal. 51 Tom. 4. Ienens. fol. 389. constituuntur hîc illę duæ principales totius scripturæ sententiæ. Primò quòd tota natura peccato dānata & perdita sit, nec possit suis viríb. aut studijs ex hac calamitate & morte emergere. Altera quòd Deus solus sit iustus. Qui ergo à peccati volūt liberari, hi per confessionem peccati debent ad iustum Deum confugere & misericordiam eius exemplo Dauidis implorare. Et paulò post eodē folio. Natura humana litigat cum Deo, An hoc verbum verum sit, quod pronūciat omnes homnies sub peccato esse, Deum autem solum esse iustum. Nam natura huic sententiæ reclamat, nec statim assentitur, quod omnia sua opera in iudicio Dei sint mala & peccatum, sicut scholastici acerrimè hanc sententiam defendunt. Hominem habere rectum lumen rationis & naturalia integra. Hoc autem est non solùm negare peccatum, quod diuinitus reuelatum est, sed etiam negare ipsum Deum esse solùm iustū, qui nos pronunciat esse peccatores.

In hac contradictione perpetua viuit totus Papatus & omnes Scholę Sophistarum, Nolunt agnoscere se nihil nisi peccatores esse, sed contendunt rationem habere suum lumen integrum, & si quid vitij sit in natura, inferiorem tantùm portionem corruptam esse, eam trahi libidine & concupiscentia, sed superiorem portionem habere inextinguibilem & puram lucem. Hoc si quis de ciuilibus actionibus affir-

maret, aliquo modo verum esset, sed non simpliciter. Nam in illis quoque sentimus, quantùm per peccatum ademptum sit naturæ. Sed cùm de cognitione Dei & peccati seu humanæ naturæ agitur, nihil minus verum est.

Gen. cap. 3. fol. 49. inquit. Hîc iterum apparet quàm recta sit voluntas & intellectus post peccatum. Voluntatem deprauatam esse ostēdit ipsum factum quod appetunt diuinitus prohibita & sic appetunt, vt Deo inobedientes, Satanæ autem obedientes fiant. Nec de intellectu deprauato dubitare possumus, cùm videamus consilium, quo Adam & Heua se tutos putant. An non enim extrema stultitia est. Primùm tentare impossibilia, dum conantur Deum fugere, quem non possunt fugere. Secundò tentare fugam, tam stulto modo, vt inter arbores se tutos credant, quos ferrei muri & montium ingentes moles non poterant saluare. Ad hunc modum amissa fiducia Dei, sequitur in voluntate horribilis pauor, & amissa sapiētia & intelligentia, pulcherrimis dotibus, sequitur extrema stultitia, vt stultissimis rationibus impossibilia tentent. Adeo inexhaustum malum est peccatum originis, &c.

III. *Est amissio similitudinis Dei & acquisitio similitudinis Satanæ.* Hoseæ. 2. cap. Tom. 4. Ienens. fol. 607. Antequam per fidem ad Christi regnum accedimus, non sumus filij Dei sed Satanę filij. Sumus quidē à Deo conditi ad ipsius imaginem, hoc est sancti & iusti, ac etiam immortales. Sed per peccatum cuius autor & causa Satan & nostra voluntas est, ita sumus deformati, vt amplius Dei filij nō simus. Siquidem Dei similitudinem amisimus, & Satanæ similitudinem accepimus, qui etiam in veritate non stetit. Quid autem inobedientiam hāc seu peccatum secutum sit, notum est. Natura enim ad vitam cōdita, morti & infinitis calamitatibus subiecta est. Mens in qua Dei noticia lucebat, per peccatum ita excęcata est, vt Deum amplius non agnoscat. Voluntas quoq; ad eum modū est deprauata, vt diuersum concupiscat à lege Dei. Itaq; mirabilis ἀταξία omnium affectuum seu motuum est, qui etsi omnes per se vitiosi non sint (Nam appetitus cibi & potus, amor coniugis, liberorum & parentum, & similes affectus, etiam in integra natura extitissent) tamen nunc non ita puri sunt, semper enim adhæret vitiosum aliquid, legi Dei aduersum. Ideo etiā Sancti varijs calamitatibus subijciuntur in hac vita, vt peccati reliquię & puniātur & paulatim extinguātur.

Hæc incommoda omnia per peccatum accepta sunt, per quod primi parentes, ex quibus propagati sumus, desierunt esse filij Dei, ac similitudinem Dei amiserunt. Itaq; scriptura totam naturam accusat, sicut est in Psal. 14. & contumelioso nomine appellat, hominum non Dei filios, Prospexit Dominus de cœlo super filios hominum, vt videat num sit aliquis intelligens, qui requirat Deum, sed omnes declinauerunt, inutiles facti sunt, non est aliquis qui faciat bonum, ne vnus quidem. Hæc sentētia cōmune iudiciū, de toto genere humano proponit, nec quisquam excipitur, non Iudæi, non maiores eorū sancti & primi Patres. Eadem enim ratione propagati sumus omnes ex carne per peccatum corrupta. Itaq; omnes sumus natura non Dei, sed hominum filij, hoc est peccatores, qui caremus gloria Dei Rom. 3.

IIII. *Est propagatio non tantùm imputatio reatus peccati Adæ.* Genes. cap. 5. fol. 98. Quod Moses diserte dicit de Adam, Genuitq; in similitudine sua, iuxta imaginem suam. De eo variè disputant Theologi. Sed simplex sentētia hæc est. Quod Adam fuit creatus ad imaginem & similitudinem Dei, vel creata imago à Deo, non generata, non enim habuit parentes. Sed in hac imagine non mansit, excidit ab ea per peccatum. Itaque sed qui postea nascitur, non nascitur ad imaginem Dei, sed patris sui Adæ, hoc est, est similis Adæ, refert patrem Adam, non solùm oris figura, sed etiam similitudine, vt non tantùm habent digitos, nasum, oculos, gestus, vocem, loquelam sicut pater, sed etiam similis esset reliquis cōditionibus, tum animi tum corporis, moribus, ingenio voluntate, &c. In his non refert sed similitudinem Dei, quam Adam habuit, & iterum amisit, sed similitudinem sui patris Adam.

Includit au-

Includit autem hæc imago peccatum Originis, & pœnam mortis æternæ propter peccatum Adæ inflictam. Sicut autem Adam per fidem in futurum Semen, recuperauit imaginem amissam. Ita sed quoq; postquam adoleuit, Deus per verbum ei impressit similitudinem suam.

Psal. 51. Tom. 4. Ienens. fol. 392. In iniquitatibus conceptus sum. Quid possit dici clarius aut significantius? Non dicit, occidi vriam, Non dicit, commisi adulteriũ, sed totam humanam naturam ceu vno fasce complexus, addit, In peccatis conceptus sum. Non enim de operibus quibusdam, sed de materia simpliciter loquitur & dicit: Semen humanũ, massa illa ex qua formatus sum, tota est vitio seu peccato corrupta, Materia ipsa est viciata, Lutum illud vt sic dicam, ex quo hoc vasculum fingi cœpit damnabile est, Quid vis amplius? talis sum ego, tales sunt omnes homines, ipsa conceptio, ipsa augmentatio fœtus in vtero, antequam nascimur, & homines esse incipimus, est peccatum.

Porrò non loquitur de peccato coniugali, seu parentum quod parentes accuset peccati, de se dicit: Ego in peccatis cõceptus sum. Nõ dicit mater mea peccauit, cùm cõciperet me, neq; dicit: Ergo peccaui cum conciperer, sed de ipso rudi semine loquitur, & pronunciat id peccato plenũ, & massam perditionis esse, vt sit vera & germana sententia, Sum peccator, non quia adulterium cõmisi, nõ quia Vriam obieci, sed ideo adulterium, ideo cœdem commisi, quia sum peccator natus, imò conceptus & formatus in vtero. Sic nos non ideo sumus peccatores, quòd iam hoc, iam illud peccatum designamus, sed ideo ista designantur à nobis, quia antea sumus peccatores. Hoc est arbor vitiosa & vitiosum semen, etiam fructum vitiosum afferunt. Nec potest ex radice mala, aliud quàm mala arbor enasci. Et paulò post. Hic igitur versus Psalmi nos de causa peccati docet, quare simus peccatores. Palam enim fatetur Propheta, se suo proprio non parentũ tantũ vitio, vitiosum fuisse, dum gestaretur adhuc embryo in vtero, & dũ adhuc formaretur, ita vt mater sanguine suo in vtero adhuc peccatorẽ aluerit, antequã edidisset partum. Idem sentiendum est simpliciter de omnib. qui nascuntur, & nati sunt, & nascentur in hunc mundum, excepto vno Christo. Nã quod Iohannes & alij in vtero sanctificati sunt, non tamen hoc tollit, quod in peccatis non sint concepti, sicut etiam in adultis sanctificatis spiritu & fide, caro tamen vitiosa est.

V. *Est quiddam inseparabile nec potest expiari nisi per Filium Dei.* Genes. cap. 2. fol. 32. Peccatũ originis sic altè in naturam fixum esse dicit, vt in hac vita non possit penitus euelli. Et Genes. cap. 42. Tom. 4. fol. 95. Hæret in nobis malum originis, contractum in Paradiso, fermentum illud Diaboli, quo natura infecta est, hæc est stultitia cordis & voluntatis, oscitantia nimirum & securitas & contemptus Dei, quòd somniamus nos puros & mundos ab omnibus inquinamentis, ibi necessaria est virga disciplinæ, & eruditio pueri, vt agnoscat suum peccatum & errorem, quòd non timeat, nec redamet patrem, tantopere ipsum diligentem, non vt satisfiat pro peccato, sicut Papistæ nugantur, sed vt corrigatur & aboleatur stultitia.

Quia nascitur nobiscum horribilis caligo, ignorantia & auersio à Deo: Ibi dicit Dominus: Ego ignosco tibi gratuitò, sine vllis meritis tuis, neq; propter contritionẽ neque propter satisfactionem, non enim est expiabile, aut vt ita dicam satisfactibile peccatum per nos, sed per filium Dei. Sed hoc faciam, vbi remisero tibi peccatum, faciam te hæredem & Filium regni Dei, vt meum erga te amorem declarem, ita tamen vt prius eluã sordes tuas. **Ich muß dich vor wischen vñ waschen.** Sicut mater infantem non collocat in cunas, nisi prius lotum & mundatum, nec mouetur eiulatu & fletu, quò minus eum purget.

Sic nos vocati sumus ad regnum Dei, habemus remissionẽ peccatorum, sumus Filij & hęredes Dei, sed hęret adhuc in nobis ignauia & veternus corporis & animi quam luem cogitat Deus tollere in vniuersa vita nostra.

Hæc verò doctrina olim sub Papatu planè ignota fuit Sophistis, & eorum auditoribus. Et cùm initiò propositionib. editis docerem totã vitam fidelium esse pœnitentiam, penè in rabiem acti sunt Papistæ, quia docuerunt ipsi, peccatũ originale esse remissum & ablatũ in Baptismo, & nihil reliquũ esse nisi fomitem, id est naturalem quandam infirmitatem, ideo nihil cogitabant, nec docebant de expurgãdo peccato. Actualia verò vt furta, scortationes & similia, iubebant expiare operib. bonis, & satisfactionibus, vigilijs, orationibus, votis monasticis, &c. Hæc fuit illorum doctrina de pœnitentia, pro peccatis satisfaciendũ esse nostris meritis & virtutib. Cùm tamen longè maior expiatio & satisfactio requiratur, videlicet Filius Dei. Verùm ipsi cùm nescirent quid esset peccatum, extenuauerunt id, & imbecillitatem quãdam siue defectum, & languorem naturæ esse somniarunt, de expurgatione parum soliciti. Ita miserabili caligine & deprauatione sanę doctrinæ homines horribiliter seducti fuerunt, paucis seruatis, quibus lux illa diuinitus affulsit, Sola fide iustificari hominem.

Nos igitur diligenter hoc tradimus de repurgatione fermenti per totã vitam, nihil verò docemus de dignitate nostrarum virium & satisfactionis, quibus tolli possit peccata nugati sunt Papistæ, originali peccato per sanguinem Christi & Baptismum sublato. Eòq; accõmodarunt dictum Hieronimi, lapsis veluti naufragio facto secundam tabulam pœnitentiæ, hoc est contritionis & satisfactionis arripiendam esse.

Hæc est ignorantia peccati & impuritas doctrinæ monasticę, qua persuaserunt hominib. nihil peccati in ipsis esse reliquum, prꝛter fomitem quendam, qui sanè pessimus & teterrimus error, ac merum mendacium est. Sumus enim recepti in gratiam per Baptismum, non solùm ad remissionem peccatorum, sed etiam ad expurgationem. Remissio est gratuita, quæ cõtingit propter solùm Filium Dei, sine vlla dignitate, merito & contritione nostra. Hanc remissionem sequitur vexatio, angustia, tribulatio, mortificatio, quæ omnia eò pertinent, vt aboleatur peccatum, ita vt non solùm sit remissum & condonatum diuina gratia & misericordia, sed etiam dono Spiritus sancti expurgetur, & vt discas intelligere, quanta sit malicia & deprauatio humanæ naturæ. Caligo enim & cæcitas illa nobis innata, nec miseriam nostram, nec misericordiam Dei immensam nos sinit agnoscere, sed est stupor quidam, qui pentitus oppressit corpus & animam nostram.

VI. *Vult pro iusticia haberi.* Genes. cap. 42. Tom. 4. fol. 109. Hæc est natura peccati & mali originis, quod non vult esse peccatum. Ac apud Papistas sanè prævaluit in hoc Diabolus, quòd vitium originis prorsus extinctum est, neque amplius pro re damnata habetur. Ignorantia autem peccati, necessariò secum trahit ignorantiam Dei, Christi & Spiritus Sancti & omnium rerum. Nemo enim putet se fore Theologum, vel lectorem vel auditorem scripturæ sanctæ, qui malum illud originale extenuat, aut non rectè intelligit, imò nemo hominum vim eius satis cogitare aut assequi potest. Non enim rem leuiculam esse putabimus, propter quam misit Deus Filium suum, vt fieret victima ad redimendos nos.

Papistæ docent in Baptismo sublatum est peccatum originis & manere tantùm fomitem & infirmitatem carnis, siue pronitatem quandam ad peccandum. Proinde neq; quid gratia, siue remissio peccati, neque quid Spiritus Sanctus & Deus sit intelligunt. Hoc autem capite memorabilis descriptio est horribilis istius mali seu peccati, quod est profundum venenum in anima & corpore, ita vt etiam velit pro iustitia haberi, sicut significat Dauid, cum ait: Vt iustificeris in sermonibus tuis.

Quare enim sic loquitur an nõ Deus mundus est & iustus? Rectè sanè. Sed apud nos non est talis. Nos potius iusti sumus. Deus verò iniustus est, adeo scilicet ornat se peccatũ, & tegit impuritatem suam. Vt apparet in hisce fratribus, qui non volunt culpari aut damnari, quanquam dicunt meritò ista patimur: & quid hoc facit nobis Deus, &c. tamen tegunt & dissimulant scelus suum, & hîc corã parente neutiquam peccasse videri volunt. Atqui

Atqui Deus non potest esse mundus aut iustus, nisi nos iniusti & immundi simus, hoc est Deus non cognoscitur esse iustus, nisi agnoscamus nostram immunditiem. Non quòd nunc demum me iniustum fieri oporteat, Nam antea immundus fuim. Sed hæc est quæstio, an etiã in Spiritu velim fieri immundus, hoc est agnoscere & fateri peccatum. Sicut enim initiò malũ illud originis tegi & ornari voluit, ita sequuntur etiam actualia peccata, veluti proles suam matrem & patrem, ac mordicus hoc retineat quod dici solet: Si feciſti nega. Qui enim negat aut dissimulat peccatũ coram hominibus, is iam iustificatus est, sed est reuera Diabolus transfigurans se in Angelum lucis. **Es wil alles rein ſein/ vnd was Gott thut das ſol vnrein ſein.** Ad extremum verò stabiliri hanc sententiam tamen oportet: Domine Deus tu es iustus, tu es mundus. Ego sum iniustus, immundus. Atq; illud cum Dauide sonandum est: Tibi soli peccaui, vt iustificeris in sermonibus tuis.

Sed hic locus egregiè tractatus est à Paulo. Ro. 3. Atq; inde apparet quàm absurda & horribilis hæc doctrina sit in auris. hominum carnaliũ. Sic enim dicebant quidã, Apostolos docere peccandũ esse & facienda esse mala, vt veniant bona, si nostra iniusticia cõmendat iusticiam Dei, **ſo wil ich getroſt drauff ſundigen.** Verùm hæc non est Philosophica doctrina, sed spiritualis & diuina. Tunc enim fies iniustus, quando senties, agnosces & confiteberis te verè peccatorem esse, & dices, peccaui, ignosce. Hanc Metaphysicam, seu potius ὑπερμεταφυσικὴν requirimus. Nam hos fratres vide, quanto dolore & luctu affecerint patrem suum, & tamẽ non possunt adduci, vt conſunctim fateantur scelus suum, non hortantur se inuicem vt adeant patrem, ostendãt se esse fratricidas, qua confessione & Deus & pater ipsis fuisset placatus.

Necesse igitur est vt sciens & volẽs dicas: Ego sum peccator & iniustus. Quare? Vt iustificeris in sermonibus tuis. Tantùm oculos in terrã deiecito, & dicas: Miserere mei Deus, quoniam in peccatis natus sum, & tota natura mea corrupta est, plena cęcitate, concupiscentia & ignorantia sui, & peccati.

Ac si vultis fœliciter versari in Theologia, ac sacrarum literarum studijs, neque impingere in scripturam clausam seu obsignatam, antea omnia discatis peccatũ rectè intelligere, ac Epistola ad Romanos sit vobis ianua, & clauis ad scipturam sanctam, alioqui ad eius intellectum & cognitionẽ nunquam penetrabitis. Tum verò intelligetis, quantum malum sit peccatum, propter quod Deus misit Filium suum, vt purgaretur sanguine Filij Dei, & ineffabili illa victima. Ideo enim & malũ ipsum inenarrabile esse necesse est.

Sicut autem fratres hi obstinati scelus suum tegere pergunt, ita horribilis illa plaga & miseria per totum mundum grassatur, quod peccatum non vult nudari, & hoc esse quod est, vult enim purum & mundum esse cõtra suam naturã. **Es wil ſchön ſein.** Idem videmus vsu uenire in oeconomia, & politia, quicquid enim delinquitur hoc in neminẽ reiicitur. Quia nemo facilè patitur argui & reprædendi malefacta sua; **Sind alle from̃/ es wil niemands vnrecht gethan haben.** Ita etiam in actualibus peccatis, conspicitur viciata & corrupta natura. Quis igitur peccauit? Quis luet? Solus Filius Dei est peccator. Nemo alius, solus ipse fert peccatum & dicit: Miserere mei, quia peccaui tibi. Item. Multiplicatæ sunt iniquitates meæ, super capillos capitis mei. Ille seriò agnoscit & confitetur peccatum (non de sua persona quæ sancta & iusta est sed tanquam patronus aut aduocatus coram iudice) & satisfacit pro nobis.

Ideo diligenter discite locum de peccato originali. Neq; disputetis quare Deus id permiserit, quod solent inquirere ingenia curiosa, sed potius quomodo eripiamur & liberemur ab hoc malo, & sciamus Deum nobiscũ loqui, vt excitet nos ad agnoscẽdũ illud, quo agnito dicit: Remissa sunt tibi peccata, confide fili, quia dedi Filiũ meũ, agnum immaculatũ ab initio. Si agnoueris & cõfessus fueris, iniquitatẽ & delicta tua tum erit filius meus propiciatio pro peccatis tuis, erit sanctificatio, redemtio, iusticia, sapientia, 1. Cor. 1.

VII. *Non finit animum ad Deum refugere.* Genes. cap. 3. fol. 51. Vide malitiam & naturam peccati, quàm bellè hîc picta sit, quòd nullo modo possit ad confessionem peccati cogi, sed negat peccatum, aut excusat, quamdiu videt aliquam excusationis vel spem, vel speciem relictam esse. Non autem mirum est, quòd initiò sperat peccatum regi posse, & potius Deum accusat, quàm vt agnoscat se peccasse. Hoc mirum est, postquam conuicit eum conscientia, & ipse etiam ex Deo audit peccatum suum, quòd tamen perstat in excusatione. Non enim dicit: Domine peccaui, dimitte debitum. Esto misericors (Nam natura peccati est, vt non sinat animum ad Deum refugere, sed cogat potius ad fugam à Deo) sed transfert culpam in mulierem.

Notum autem est in Scholis Rhetorum tradi, quòd obiectum crimen aut negandum, aut defendendum sit, quod iure sit factum. Vtrumque Adam facit: Primùm negat crimen, & dicit, se voce Domini terreri, non suo peccato. Cùm autem conuincitur, ita vt negare factum non possit, conatur iure defendere factum. Si inquit mihi non addidisses hanc mulierem non comedissem. Sic iterum quod ipse peccauit, in Deum reiicit, & eum accusat de suo peccato. Adeo nullus finis est peccandi, vbi semel à verbo deflexum est. Peccarat inobedientia & incredulitate, nunc gemmat contumelias, & blasphemiam dicens: Ego non audiui Serpentem, non delectatus sum in inspiciendo arborem illam, non extendi manum meam ad decerpendum pomum prohibitum. Hæc omnia Mulier fecit, quam tu mihi dedisti. In summa, Adam non vult agnoscere peccatum, sed purus & mundus haberi vult.

Pertinet itaque hæc quoque particula ad descriptionem peccati seu naturæ peccati. Quando enim non adest promissio remissionis peccatorum seu fides, tunc peccator non potest aliter facere. Si dixisset Deus: Adam peccasti, sed condonabo tibi peccatum, ibi Adam cum summa detestatione peccati, humiliter & candidè agnouisset peccatum. Sed quia spes remissionis peccatorum nõdum adest, propter transgressionem præcepti, nihil sentit nec videt, quàm ipsam mortem. Eam autem quia natura non potest non auersari, ideo Adam ad confessionem peccati non potest adigi, sed omnes vias tentat, quibus sperat culpam amoliri posse. Sic omnis peccator odit pœnam suam. Quia autem odit pœnam, simul odit iustitiam Dei & ipsum Deum, & conatur omnibus viribus persuadere Deo & omnibus, quod innocenter patiatur.

Ad hunc modum extenuat hîc Adam peccatum, quòd non audiuerit Serpentem, quòd non decerpserit pomum. Mulier quam mihi dedisti inquit, dedit mihi de ligno hoc. Ab hoc sensu non multùm absunt homines desperati, qui cùm ad cognitionem peccati veniunt, aut laqueo abrumpunt vitam, aut Deo maledicunt. Notæ sunt Hiob voces: Maledicta dies in qua natus sum. Cur non mater mea mihi sepulchrum facta est? &c. Culpam enim peccati transferunt in Deum, murmurant contra Deum, quòd conditi sint ad interitum & damnationem. Aliter homo non potest facere, cùm non adest spes veniæ & promissio gratiæ. Quia enim mors naturæ intolerabilis est, ideo parit desperationem & blasphemias.

Est igitur vox plena doloris & irarum contra Deum: Mulier quam tu mihi dedisti, quasi dicat: Hoc incommodo tu me oneraſti. Si Mulieri dedisses proprium aliquem hortum, nec me eius cohabitatione oneraſſes, mansissem sine peccato. Quòd igitur peccaui tua culpa est qui addidisti mihi Vxorem. Proponitur igitur Adam hîc, ceu exemplar omnium peccantium & in peccato desperantium, Non enim possunt aliter, quàm Deum accusare & se excusare. Siquidem vident Deum omnipotentem esse, & ista peccata prohibere potuisse. Tam horribilis res est peccatum, vbi non in tempore eriguntur animi promissione remissionis peccatorum.

VIII. *Facit arrogantes, superbos, &c.* Genes. capite nono, fol. 152. Hæc prauitas propria peccati originalis, quòd facit arrogãtes, superbos, & sapientes vltra mensuram. Cùm sicut Paulus

ſicut Paulus Rom. 12. monet, ſapiendum ſit cum moderatione, ſeu ſobriè, ſecundum menſuram fidei, quam ſingulis diſtribuit Deus. Sed in hoc gradu peccatum originale non patitur conſiſtere ipſum Ham. Itaque arrogat ſibi vltra ſuam menſuram iudicium in patrem.

Idem videmus in Abſolone, priuſquam ſeditionem mouit contra patrem Dauid, iniquè iudicat de eius gubernatione. Hanc diſplicentiam vt ſic vocem, quam ex patris gubernatione haurit, ſequitur poſtea manifeſtus contemptus, & aperta vis ad opprimendum patrem. Hoc veneno cùm cor Ham plenum eſſet, quod tanquam araneus ex patre, ceu optima roſa colligit, ſequitur talis fructus.

IX. *Fugit lucem.* Geneſ. cap. 42. Tom. 4. fol. 107. Tantus eſt ſtupor, ſiue furor, & veſania Originalis mali, quòd non vult dehoneſtari, nec turpitudinem ſuam conſpici. Ac prorſus contra naturam peccati eſt, fateri ſe peccaſſe.

Sic ferunt S. Martinum Diabolo reſpondiſſe, cùm illuderet ei, ac reprehenderet facilitatem illam in remittendis peccatis peſsimorum & ſceleratiſsimorum hominum. Si tu quoque poſſes dicere pœnitet me peccati, etiam te abſoluere vellem. Eſſet enim ſaluus Diabolus, ſicut nos omnes, ſi poſſet ſincero corde dicere: Miſerere mei Deus. Abſolutio & remiſsio peccatorum certa eſt, tantùm agnoſcas & fatearis te peccaſſe. **Aber da kom̃t der Teuffel nit hin.** Adam & Heua hoc non potuerunt. Sic enim inquit Adam: Vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui eò quod nudus eſſem. Non ait: Quia tranſgreſſus ſum tuum præceptum, donec Deus ipſe vrgeat eum, & quærat amplius: Quis tibi indicauit quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comediſtis? **Noch wil er nicht ſtincken.** Neque tamen obiectum crimen agnoſcit aut fatetur, ſed transfert in Vxorem: Mulier inquit quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Etiam territus, pauens, tremens, ſentiens ſe peccaſſe, tamen non fatetur peccatum. Simile exemplum eſt Saulis quoque, qui ait: Peccaui coram Deo, ſed honora me coram Principibus Iſrael, tege peccatum, **hilff zudecken.** Hoc nihil valet ne quidem coram hominibus. Quia facere peccatum & negare duplicat, imò ſeptemplicat vt ſic dicam, peccatum. Homines non extremè mali quando ſunt offenſi, facilè ignoſcunt deprecantibus & agnoſcentibus, **So iſt die Sünd alßbald todt.** Sin tegitur & ornatur peccatum, magis irritantur animi. Syrach inquit: A mortuo quaſi nihil perit confeſsio. Talis eſt natura conſcientiæ, tametſi ſentiat peccatum, teneatur & excutiatur cor vſque ad damnationem, tamen non fatetur delictum.

Quilibet igitur diſcat in nomine Domini, ſi peccauit, fateri id, & non modò erit remiſſum peccatum, verumetiam omnes homines condolebunt, & commiſerabuntur lapſum eius. Sed nemo eſt qui velit hoc facere, niſi in genere tantum. Singulariter verò culpam & reatum agnoſcere, non eſt huius naturę corruptæ, vtcunque fateatur ſe ream eſſe coram Deo. Id enim teſtatur exemplum horum fratrum. Ludit cum eis Ioſeph, & variè animos eorum verſat, ſed non cogitant hunc eſſe Ioſeph, quem iam diu extinctum putant. Sentiunt quidem Deum recordari ſceleris ſui, ſed nondum eſt pura confeſsio. Ideo vrget & inſtat Ioſeph, vt extundat & extorqueat agnitionem peccati, qua poſsit eis aditus eſſe ad remiſsionem.

At quanta hæc miſeria & dementia eſt, quod ad ipſum ſalutis noſtræ aditum ita refugimus. Quod ſi ſaperemus, & ſi eſſet abſque lue & peſte illa Originali, neque conſcientia tam obſtinata & contumax eſſet in nobis, tum peccata pijs verè eſſent Spiritus ſancti emendationes, eruditiones & operationes in bonum, vt inquit Paulus Rom. 8. Sanctis omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, Quare? Quia lapſus illi humiliant, erudiunt & reddunt nos cautiores, imò etiam gratiores Deo, ſi confiteamur & pœniteamus. Adeo multiplex fructus eſt in peccatis, ſi quis ſpiritualiter ijs poſsit vti. Eſt quidem mors & damnatio in vſu legali, ſed vſus ſpiritualis

adhibendus

adhíbendus eſt, hoc eſt agnoſcendum eſt peccatum, aperiendum cor, confitendum, quærendum remedium, tum proderit peccatum, & quò magis humiliaberis, eò citius impetrabis veniam & remiſsionem.

Dauid etiam tacuit aliquandiu, vt de ſe inquit, Pſal. 32. **Jch wolts verbergen.** Occideram vriam, ſtupraueram eius coniugem, **Jch ſchmiret vnd wolt nicht hinan.** Id peccatum cælabam, tegebam, ornabam. Quia peccatum originale non vult conſpici ſuam deformitatem. Nec Diabolus fert turpitudinem & fœtorem ſuum prodi. Sed vtrumque vult pro innocentia & iuſticia haberi.

Id non poteſt ferre Deus. Ideo addit Dauid: Quia tacui inueterauerũt oſſa mea. **Jch wer ſchier zu grund gangen.** Quia cruciatus & Erynnis conſcientiæ malæ non cõpeſcitur tacendo, diſsimulando, tegendo. Quando igitur Nathan venit & dicit: Tu ille es, qui hæc deſignaſti, Ibi terretur & occiditur, & tamen per ſpiritualem vſum dicit: Peccaui. Id verbum vbi audit Propheta, quod non veretur ſeipſum deformare, confundere & damnare, ibi ſtatim adíjcit: Dominus remiſit tibi peccatum tuum. Quod ſi excuſaſſet aut ornaſſet ſe vt Saul, & voluiſſet tegere delictum, nec haberi peccator, ſed iuſtus & innocens, perijſſet in æternum. **Darumb iſt er ja ein frommer Gott / Weñ wir** peccatum originale **recht brauchen kõnten /** & ſi quis eſſet lapſus, mox ad vſum ſpiritualem conuerteretur, **ſo iſt er drumb ein reicher Gott mit ſeiner gnad vnd vergebung.**

X. *Eſt rationi incognitum.* Tomo 4. Ienenſ. folio. 393. Pſal. 51. Locus de peccato originis, vnus ex illis inſignioribus locis eſt, quos ratio neſcit. Diſcitur autem, ſicut alij ex lege & promiſsionibus Dei. Solus autem Paulus ex Apoſtolis eſt, qui hunc locum ex profeſſo magna grauitate tractauit.

Fortè autem ideo à reliquis Apoſtolis prætermiſſus eſt, quòd hæc doctrina per manus quaſi poſteris tradita ſit. Moſes quoque attingit hunc locum in ſua oratione Pſal 90. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo. Ibi enim nõ obſcurè ſignificat, nos coram Deo eſſe in ira, & ferre mortem propter iram Dei, quæ inde excitatur, quod peccata noſtra Deo nota ſint. Horum peccatorum & iræ Dei cauſa hæc eſt, quod caro hæc in Paradiſo lapſu Adæ vitiata eſt, vt ſit peruerſo timore & amore erga Deum & ſeipſum. Hæc doctrina ſicut dixi, per manus tradita eſt poſteris, Moſes tamen & Dauid etiam literis eam mandarunt, & poſt eos Apoſtolus Paulus. Sine dubio autẽ hanc ſapientiã, hauſerunt ex primo præcepto, & ex promiſsione Abrahæ facta & Adæ. Ex his enim manifeſtum fit, quia benedictionem promittunt, hanc naturam eſſe ſub maledictione, & ſub regno Diaboli, in quo ſunt tenebræ, odium Dei, diffidentia, &c.

Continet igitur hic verſiculus cauſam, cur nos omnes debeamus confiteri, quod ſimus peccatores, ac omnia noſtra ſtudia coram Deo damnabilia, ſolus autem Deus ſit iuſtus. Atque hæc doctrina ſummè neceſſaria eſt in Eccleſia, neque Papa, neque Turca eam credit. Nam hoc poſſum teſtari meo exẽplo, me cùm multos annos Doctor Theologiæ fuiſſem, hanc doctrinam nõdum ſciuiſſe. Diſputabant quidẽ de peccato originis, ſed dicebant in Baptiſmo ſublatum eſſe, & extra Baptiſmum in natura lumen eſſe reliquum quod ſi quis ſequatur, dari infallibiliter gratiam. Quin docebãt in Dæmonibus quoque manſiſſe naturalia integra & tantùm gratiam eos amiſiſſe. Quis autem non videt, ſummè contraria hæc eſſe, dicere, Quod naturalia ſint integra, & naturam eſſe peccato corruptam, voluntas eſt quidem res naturalis, ſed ipſi non ſimpliciter de velle diſputant, ſed de velle bonum, idque vocant naturale, in eo error eſt, Manet voluntas in Diabolo, manet in hæreticis, hoc fateor eſſe naturale, ſed ea voluntas non eſt bona, neque intellectus rectus aut illuminatus manet.

Ergo ſi verè volumus de Naturalibus loqui, ſecundum hũc Pſalmum, & ſecundũ S.S. modum, tunc vocemus Naturalia hoc ipſum, quod in peccatis & morte ſumus,

quod

quod corrupta & mala volumus, intelligimus & expetimus. Hæc enim cum præsenti Psalmi loco conueniunt, & ex eo probari possunt. Hæc satis sint de confessione peccati originalis, seu nobiscum nati, quod tamen toti mundo absconditum est, nec reuelatur viribus, rationibus aut speculationibus nostris, sed potius obscuratur, defenditur & excusatur. Ideo opus est verbo Dei de cœlo, quo reueletur hæc naturæ immundicies, seu vitium. Quin verbo credentes, confiteamur hęc sic habere, etiamsi tota natura reclamet, sicut cogitur reclamare. Hęc huius Psalmi, imò totius Scripturę seu Theologiæ difficillima doctrina est, sine qua impossibile est, scripturam rectè intelligi, sicut recentiorum somnia probant.

XI. Est res infinita & omnium malorum causa. Psal. 90. Tom. 4. Ienens. fol. 532. Porrò hîc præcipuè obseruanda hæc sententia est, quod nullus homo omnia sua peccata videre possit, præcipuè si magnitudinem peccati originalis spectes. Neq; id mirum est, Quis enim vnicum peccatum libidinis, omnib. notũ, satis describere potest, etiamsi omnes essemus Poetę, Virgilio vel Ouidio pares? Ideo Salomo dicit, viã viri erga puellam esse inuestigabilem, hoc est, affectus amantium, à nemine exponi, aut satis dici posse. Quantò igitur minus poterunt reliqua peccata grauiora & spiritualia satis agnosci, sicut sunt impatientia in aduersis, blasphemiæ, murmurationes contra Deũ, &c. Quantum barathrum est sola incredulitas? Verè igitur peccatũ tam est magnum, quàm magnus est qui peccato offenditur. Eum verò cœlum & terra non possunt capere. Meritò igitur vocat peccatũ rem absconditam, cuius magnitudo nõ potest includi animo. Sicut enim ira Dei, sicut Mors, ita peccatum quoq; infinitum est. Vult autem Moses hęc à nobis disci & credi, vt perterrefacti suspiremus ad Deum pro gratia, ne simus in contemptorum numero, sed contriti & humiliati ad morien-dum, speremus per gratiam Dei æternum pondus gloriæ.

Qui hoc modo contriti & humiliati sunt malleo legis, hi possunt informari & doceri, vt illas sagittas Satanæ moderentur, cũ nos sollicitat vt quæramus causas, cur sic nobiscum agat Deus? Cur omnem potentiam suam, contra hoc aridum foliũ exerceat, sicut Hiob loquitur? Incidere possunt hæ disputationes, sed noli terreri. Hoc potius statue, Esse hęc quoque peccati pœnas & sagittas Diaboli, quę repelluntur Clypeo fidei, ad hoc valente, vt prematur securitas & superbia nostra, in quam peccatũ originis nos deducit. Quantùm itaque de calamitate hominum potest dici, tantùm hîc dicit Moses. Nec credo posse hęc aut melioribus, aut grauioribus verbis explicari, deducit enim narrationem vsque ad extremum gradum, quod harum calamitatum causa sit peccatum, Quod etsi à nobis & toto mundo absconditum est, tamen in conspectu & claro lumine Dei collocatur. Quid potest dici grauius?

XII. Nulla alia ratione tollitur & condonatur, nisi per traditum Filium Dei in mortem. Galat. 1. cap. Tom. 4. Ienens. fol. 13.

Peccata nostra nulla alia ratione tolluntur, nisi per traditum Filium Dei in mortem. Huiusmodi bombardis, bellicis machinis & arietibus destruẽdus est Papatus, & subuertendę omnium gentium, omnes religiones, omnes cultus omnia opera & merita. Si enim peccata nostra possunt tolli per nostra opera, satisfactiones & merita. Quid opus erat pro ipsis tradi Filium Dei? Cum verò pro ipsis traditus sit. Ergo nos non abolebimus ea per opera nostra.

Deinde ostenditur hac sentẽtia quoq; peccata nostra tam magna, infinita & inuicta esse, vt impossibile sit toti mũdo pro vno satisfacere. Et certè ipsa præcij magnitudo, nempe Christus, qui seipsum tradidit propter peccata nostra, satis declarat nos nõ posse satisfacere, & dominarij peccato. Valde amplificatur vis & potentia peccati per ista verba: Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, Inspiciẽda est igitur magnitudo & infinitas (vt ita dicam) præcij pro eo impẽsi, tũ apparebit omnino tãtam vim

& potentiam

& potẽtiam esse peccati, vt nullo opere deleri potuerit, sed quod oportuerit Filium Dei pro eo tradi.

Qui hæc benè considerat, intelligit peccati vocabulum, æternam Dei iram, & totum regnum Satanæ, complecti, & iram plus quàm dici potest esse horribilem. Id quod certè seriò afficere, & perterrefacere nos deberet. Verùm nos parum curamus, imò contemnimus peccatum, vt leuem & nihili rem, remorsu etiam conscientiæ veniente, tamen cogitamus peccatum non esse tam magnum, quin aliquo opusculo vel merito, possimus illud abolere.

Testatur igitur ista sententia omnes homines captiuos & seruos esse peccati, & vt Paulus alibi dicit, venundatos esse sub peccatum. Item: Quod peccatum sit crudelissimus & potentissimus Tyrannus super omnes homines in toto mundo, qui non possit vinci & expelli, illa potẽtia omniũ creaturarum, siue sint Angelicæ siue humanæ, sed sola infinita & superiore potẽtia, Iesu Christi Filij Dei, qui seipsum pro eo tradidit. Deinde ista sententia ingentem quoque consolationem proponit, omnibus conscientijs, magnitudine peccati perterrefactis. Vt maximè enim sit inuictus Tyrannus peccatum, tamen quia Christus morte sua vicit illud, non potest credentibus in eum nocere. Porrò si hac fide instructi, adhæserimus toto corde isti homini Iesu Christo, tum aperitur nobis lux, & sano iudicio informamur, vt certissimè & liberrimè de omnibus vitæ generibus, iudicare possimus. Nam cum audimus peccatum, Tyrannum esse omnipotentem, & totum mundum illi obnoxium, statim ineuitabili consequentia colligimus. Quid ergo faciunt Papistæ, Monachi, Moniales, Sacerdotes, Mahometistæ, Anabaptistæ, & omnes operarij, qui suis traditionibus, præparationibus, satisfactionibus, &c. volunt eluere & vincere peccatum? Ibi statim iudicamus istas Sectas omnes impias & pernicioſas esse, quibus non solùm obscuratur gloria Dei & Christi, sed penitus aufertur, & nostra illustratur & stabilitur.

DE EFFECTIBVS PECCATI ORIGINIS.

Amissio bonorum quæ habuit homo ante lapsum. Genes. capite primo, folio 21. Homo est conditus, vt habeat cognitionem Dei, & vsum creaturarum, quem volet pro suo arbitrio, cum summa securitate, iustitia, sapientia. Nihil deest, omnia sunt abundantissimè creata, ad animalem vitam, &c. Hæc & bona maxima ex parte omnia amissa sunt per peccatum, & sumus hodie ceu cadauer quoddam illius primi hominis, qui vix vmbram istius regni retinemus. An non eum dicemus omnia amisisse, qui ex immortali factus est mortalis, ex iusto peccator, ex accepto & grato homine homo damnatus? Quia iam homo est mortalis & peccator.

Maledictio terræ. Genes. cap. 2. fol. 23. Nunc cum alius sit homo propter peccatum, etiam mundus cœpit esse alius, hoc est ad lapsum hominis secuta est corruptio & maledictio creaturæ: Maledicta terra ait Deus ad Adam, propter te, spinas & tribulos germinabit tibi. Et ad peccatum vnius maledicti Cain, maledicitur terra, vt etiam culta non reddat virtutem suam. Postea ad peccatum totius mundi venit Diluuium & deletur vniuersum genus humanum, paucis iustis seruatis, ne promissio de Christo non impleretur. Sicut autem apparet terram deformatam esse per peccatum. Ita credo ego, Solis quoq; lumen clarius & pulchrius fuisse cum crearetur, ante peccatum hominis.

Calamitates plurimæ in hac uita & post hanc uitam æterna damnatio. Genes. Capite tertio, fol. 60. Si quis copiam affectat, & vult videri Rhetor, is hoc in loco numeret omnia generis humani mali, inueniet autem tam copiosam segetem omnis generis calamitatum, vt præ metu hoc vnum à Deo sit expetiturus, ne vnam horam in tantis periculis liceat viuere.

Quid enim

Quid enim morbos tantùm commemoramus? Omnes creaturæ contra nos & tantum non in perniciem noſtram armatæ ſunt. Quot ſunt quos ignis & aqua perdunt? Quantum à ferocibus & venenatis beſtijs periculi eſt? Nec tantùm corpora noſtra, ſed alimenta etiam ad alendos nos nata infeſtant. Taceo quod nos ipſi ruimus in mutuas cædes, ac ſi nullæ aliæ eſſent peſtes, quæ nobis inſidiarentur.

Itaque ſi hominum ſtudia ſpectes, quid eſt hæc vita quàm quotidiana contentio, inſidiæ, rapina, cædes? præter ea incommoda, quæ ab externis in nos deriuantur. Hęc omnia non exiſtimo ante diluuium, vel numero tot, vel tam grauia fuiſſe vt nunc ſunt, ſed quia creuerunt peccata, etiam pœnæ illæ auctæ ſunt. Quare calamitates Adæ impoſitæ mediocres fuere, præ noſtris. Quò enim mundus magis vergit ad finem, eò magis obruitur pœnis & calamitatibus. Accedit autem ad hoc etiam illud malum, quòd quo plus mundus percutitur, eò magis indurat frontem, & ſtupeſcit quaſi ad ſua mala, ſicut Prouer. 23. dicitur: Traxit me & non ſenſi, percuſſit me & non dolui. Hæc cæcitas omnes illas corporis calamitates excedit.

An non enim mirum & miſerum eſt, hęrere primùm in corpore noſtro veſtigia iræ Dei, quam peccatum meruit. Deinde etiam conſpici iram Dei, in terra & in omnibus creaturis, & tamen ocioſo ac ſecuro animo iſta omnia à nobis negliguntur. Quid enim ſpinę, quid tribuli, quid aqua, quid ignis, quid erucę, quid muſcę, quid pulices, pediculi, cimices? An non hęc omnia & ſingula ſunt nuncij, qui concionantur nobis de peccato & ira Dei? Siquidem ante peccatum non fuerunt aut ſaltem non fuerunt noxia & moleſta.

Scientes igitur & videntes, ſumus & viuimus in pluſquam Aegyptiacis tenebris, quod cùm vndique omnia nos admoneant de ira Dei, & eam tantùm non in ipſos oculos infigant, tamen nos eam non animaduertimus, & hanc vitam ceu vnicas delicias amplectimur. Sicut igitur peccata multiplicantur, ſecuritas creſcit, & homines ad mala ſua occolluerunt & obduruerunt: Ita etiam mala multiplicantur, non tantùm in hac vita, ſed etiam in futura. De impijs dico: Si quis enim in inferno tantum ſenſu pœnas & cruciatus ſuſtineret, & non intelligeret ſe iuſtas pœnas ſuſtinere, tolerabiliores eſſent cruciatus, ſicut nos noſtra mala non volumus agnoſcere & quaſi dedoluimus. Sed ibi auferetur ſtupor ille qui nunc obſtat, quo minus videamus miſeriam noſtram, & aperientur ſenſus omnes, vt non ſolùm in corpore ſit ſenſus pœnę, ſed etiam in ipſa mente ſenſus irę Dei, & confeſsio quod eam iram noſtra malicia meriti ſumus. Hęc acuent & infinitis modis augebunt, impiorum cruciatus.

Spinam atque tribulum faciet creſcere tibi. Hîc iterum admonemur, terram per ſe nihil tale producere, ſed propter peccatum Adæ, ſicut ſuprà diſertè dixit propter te, Quare quoties tribulos & ſentes, quoties zizania & alia id genus in agro, hortis, videmus, admoneamur tanquam certis ſignis peccati & irę Dei. Non tantum in templis igitur audimus argui nos peccati, omnes agri, imò penè tota creatura plena eſt talibus concionatoribus admonentibus nos de peccato noſtro, & ira Dei per peccatum excitata.

Pręcandum igitur erat, vt Dominus iſtum mirabilem ſtuporem, ex oculis, ſenſu & cordibus noſtris eximeret, vt toties admoniti de peccato, exueremus ſecuritatem, & ambularemus in timore Dei. Ideo enim tam variè maledictionibus deiecti & oppreſsi ſumus.

Paradiſus & omnia per peccatum corrupta. Geneſ. cap. 2. fol. 2. Mea ſententia hęc eſt. Quòd primùm Paradiſus per peccatum homini clauſa, Deinde per diluuium tota vaſtata ſit & diſiecta, vt iam nullum eius appareat veſtigium. Nam ſicut ſupra quoque dixi, omninò exiſtimo, Paradiſum poſt Adæ lapſum extitiſſe & notam fuiſſe poſteritati eius, ſed tamẽ inacceſsiblem, propter cuſtodiam Angeli, qui cum gladio

flammeo hortum custodiuit, vt textus dicit. Sed diluuium omnia vastauit, sicut scriptum est, ruptos esse omnes fontes & abyssos. Quis igitur dubitet etiam hos fontes ruptos & confusos esse? Sicut itaque post Diluuium montes sunt vbi antea agri in amœna planicie fuerunt. Ita quoque non est dubium, nunc esse fontes, vbi antea nulli fuerunt, & econtrà.

Tota enim terræ facies mutata est. Nec dubito ego reliquias Diluuij esse, quod vbi fodinæ metallicæ nunc sunt, ibi non rarò reperiuntur ligna durata in saxum. In ipsis saxis conspiciuntur formæ variæ piscium, & aliarum bestiarum. Sic credo mare mediterraneum ante diluuium non fuisse intra terram, sed per Diluuium ei esse factam viam hanc, in qua nunc consistit. Sic spacium rubri maris sine dubio antea fuit fœcundus ager, & vt verisimile est portio aliqua huius horti. Sic reliqui sinus, Persicus, Arabicus &c. existunt ex reliquijs Diluuij.

Non igitur existimandum est, fluuiorum horum esse hodie eundem fontem, qui tum fuit, sed sicut terra adhuc est, & profert arbores, herbas, &c. Hæc si ad incorruptam naturam referas, sunt quasi reliquiæ miserabiles illarum opum, quas terra tum condita habuit. Ita hi fluuij tanquam reliquiæ manent, sed non in eodem planè loco, multò minus ex ijsdem fontibus. De nostris corporibus quantùm per peccatum perijt? Loquendum itaque de tota natura post corruptionem est, tanquam de noua facie rerum, quam natura primùm per peccatum, Deinde per vniuersale diluuium induit.

Ac adhuc ita solet Deus cùm peccata punit, simul etiam maledicit terram. Itaq; per Zophoniam minatur se congregaturum pisces maris, & volatilia cœli. Sicut nostro seculo multi amnes minus piscium habent, quàm maiorum memoria. Minus frequentes sunt auiculæ, &c. Sic apud Esaiam cap. 13. est de Babylone quoque.

Quando enim homines auferuntur, etiam bestiæ agri discedunt, nec quidquam remanet, præter monstra & infaustas feras. Sic terra Canaan olim fertilissima, nunc dicitur plena esse salsuginis. Sicut Psal. 107. minatur. Si hoc accidit in particularibus pœnis, quid putabimus illam vniuersalem pœnam fecisse?

Nemo ergo offendatur hoc scandalo quod audit Mosen dicere, Ex eodem fonte flumina quatuor oriri, quæ hodie longissimè inter se distant, & diuersos fontes habent. Neque enim cogitandum est, mundi eandem formam esse hodie quæ fuit ante peccatum. In ea opinione cùm esset Origines, ad ineptissimas allegorias se cõuertit.

Est quidem Nilus adhuc, est adhuc Ganges, sed sicut Virgilius de euersa Troia dicit. Et campus, vbi Troia fuit. Si quis enim Nilum & alios fluuios vidisset in sua prima conditione & gloria, longè vidisset esse alios. Iam non solùm non est Ogo eadem, nec qualitas, sed nec cursus idem. Sicut aliæ quoque creaturæ omnes deformatæ & corruptæ sunt. Ideo Petrus Act. 3. dicit: Oportet Christum cœlum accipere, vsque ad tempus restitutionis omnium. Significat enim, sicut Paulus quoque dicit totam creaturam vanitati subiectam esse, & sperari restitutionem omnium, non solùm hominis, sed cœli, terræ, Solis, Lunę, &c. Sic igitur respondeo ad hunc locum. Esse Nilum, Gangem & cæteros fluuios, sed non tales quales fuerunt. Neque enim fontes solùm confusi, sed etiam qualitas mutata est. Sicut homo habet quidem pedes, oculos, aures, sicut in paradiso hac forma est conditus, sed hæc ipsa membra miserrimè corrupta & deformata sunt post peccatum.

Habuit Adam ante peccatum clarissimos oculos, tenerrimum & subtilissimum odoratum, corpus ad generãdum aptissimum & obediẽtissimum. Sed hodie quantum absunt membra nostra ab isto vigore? Eadem ratio est istorum fluminum, si ad primam eorum originem respicias, & totius creaturæ.

Expectemus igitur iam restitutionem omnium rerum, non solùm animæ sed corporis quoque, quod ipsum melius & nobilius in illa die habituri sumus, quàm in Para-

in paradiso fuit. Non enim collocabimur in animalem vitam, sua natura alterationi obnoxiam, sed in spiritualem, in quam Adam quoque fuerat transferendus, si sine peccato vixisset. Ad hanc spem nos deducit Christus, qui innocentiam restituit nobis per remissionem peccatorum, & facit nostram meliorem conditionem, quàm Adæ conditio in paradiso fuit.

Coniugij bona per peccatum sunt corrupta. Genes. cap. 2. fol. 33. Si Adam in statu innocentiæ permansisset, fuisset hæc consuetudo mariti & vxoris suauissima. Ipsum opus generationis quoque fuisset sanctissimum & reuerendum. Non fuisset ille pudor ex peccato natus, qui nunc est, quòd parentes tum coguntur se abscondere in tenebras. Non minor fuisset in concumbendo honestas, quàm est in capiendo sommo, cibo, potu cum vxore.

An non igitur horribilis hic lapsus est? Reuera enim nullum opus fuit præstantius & admirabilius in tota natura quàm generatio. Est enim post prædicationem nominis Dei summum opus, quod tam sine peccato Adam & Heua in statu innocẽtiæ potuerunt facere, quàm sine peccato erant laudaturi Deum. Hoc opus cùm sicut aliæ primæ cõditionis miserabiles reliquiæ in natura adhuc maneat, quàm horribiliter deformatum est? Honestè in publico coram Ecclesia coniungũtur maritus & vxor, sed cum summo pudore etiam inter se soli conueniunt. Taceo nunc fœditatem, quæ in carne hæret, bestialem scilicet appetẽtiam & pruritum, omnia hæc sunt originalis peccati manifesta signa.

Adæ itaque adiutorium fuit mulier, solus enim non potuit generare, sicut nec mulier sola generare potest. Porrò amplissima hęc sunt præconia sexus, quòd masculus pater generationis, mulier autem mater generationis est, & adiutorium mariti. Sed cùm ad statum innocentiæ respicimus, etiam generatio infinitis modis fuit melior, iucundior, sanctior.

Hodie multos inuenias qui vellent sibi nullos liberos nasci. Atque hæc plusquam barbarica immanitas & inhumanitas, præcipuè inter nobiles & principes inuenitur, qui sæpe à cõiugio ea vna ratione abstinent, ne habeant posteritatem longè fœdius est, quòd inuenias Principes, qui se cogi sinunt, ne ducant vxores, ne scilicet familia augeatur vltra modum. Profectò digni quorum memoria deleatur de terra viuentium. Quis enim hæc porcina portenta non execretur? Sed ostendunt hæc quoque peccatum originis. Alioqui generationem admiraremur, tanquam summum opus Dei, & tanquam maximum donum ornaremus meritis laudibus.

Hinc nata etiam sunt conuicia in sexum muliebrem, quæ impius cælibatus auxit. Magnum autem beneficium est, quòd Deus nobis quasi inuitis & nolentibus seruauit mulierem, tum ad generationem, tum etiam ad medicinam, cõtra peccatum fornicationis. In paradiso fuisset mulier adiutorium officij tantùm. Nunc etiam est & pro maiore parte remedium & medicina, de qua sine pudore vix loqui possumus, certè sine pudore non possumus ea vti. Causa est peccatum. Nam in paradiso congressus ille fuisset sine omni verecundia, tanquam opus à Deo conditum & benedictum, habuisset honestam voluptatem, qualis tum in cibo & potu fuit. Nunc proh dolor est tam fœda & horribilis voluptas, vt à medicis comparetur cum Epilepsia, seu comiciali morbo. Sic morbus verus cum ipso opere generationis coniunctus est, sumus enim in statu peccati & mortis, ideo etiã pœnas istas sustinemus, vt mulierem sine horribili furore libidinis, & tanquam morbo comiciali, non possimus vti.

Idem accidit nobis propter peccatum etiam in spiritualibus donis. Etsi enim fidem habemus, & in fide viuimus, tamen dubitatione & sensu mortis, carere non possumus. Has peccati Originalis pœnas benè viderunt & senserunt sancti Patres. Ideo scriptura quoque Eruah pudenda seu turpitudinem vocat.

Victus quoque mutatus propter peccatum. Gen.3.fol.66.Exite foras inquit Dominus,& cõmedite herbas agri, & si quid aliud terra producit.Non solùm arborem vitæ, sed ne quidem reliquas arbores paradisi posthac licebit gustare. Ostendit autem hic locus arbores paradisi neutiquam similes earum fuisse, quas reliqua terra tulit. Nunc itaq; etiam victus, quo Adam & Heua vsi sunt eos admonet peccati & miserrimæ conditionis,in quam per peccatum coniecti sunt.Tam variè calamitates nostrę pictæ sunt, vt etiam vestitus & victus, non solùm illa spiritualium donorum carentia nos eorum admoneant.

Facit ut nesciamus originem nostram. Genes. cap. 2. fol. 35. Apparet hinc quoque,quàm horribilis lapsus sit peccati Originalis, siquidem vniuersum genus humanum suam originem nescit. Videmus quidem copulari masculum & fœminam, postea ædi in lucem certissimo tempore infantem. Sunt hæc oculis omnium exposita & notissima,& tamen nisi verbum te admoneat & doceat, ipsum opus quod sciens videnscp facis,nescis. Sicut Philosophorumdisputationes satis ostendunt.Hæc an non horribilis cęcitas,& miserabilis est ignorantia? Si itaq; Adã perstitisset in innocentia,neutiquã fuisset opus admoneri posteros de sua origine. Sicut non opus fuit,vt admoneretur Adam de cõditione Euę suæ, ipse statim cùm eam intuetur agnoscit, quòd sit os ex ossibus suis, & caro ex carne sua. Talis cognitio sui & aliarum creaturarum mansisset etiam in posteritate Adæ. Omnes statim animaduertissent finalem & efficientem causam,de quibus nunc níhilo plus scimus,quàm ipsæ pecudes.

Nuditas admonet nos de peccato, quæ nunc fœda est. Genes. cap. 2. fol. 40. Fuerunt ambo nudi,&c. Videtur quod hæc clausula potuerit omitti, quæ admonet de re non admodum necessaria. Quid enim refert siue in paradiso nudi, siue induti vestibus obambulauerint. Sed profectò insignis & necessaria clausula est, quæ ostendit in re, vt nobis videtur leuicula, quantum mali per peccatum originale hæc natura acceperit. Omnes gentes,ac præsertim quæ ad Septentrionem magis declinant,abhorent à nuditate corporum. Itaque paulò verecundiores & grauiores homines, non solùm reprehendunt curtas & militares penulas in adolescentibus, sed etiam publica balnea vitant, cùm tamen pudenda loca studiosè tegantur, tum à mulierculis tum à viris. Hæc nunc sapientia est, & disciplina digna laude, quis enim pater sine scelere, se coram filio nudare posset? At Adam & Heua inquit Moses, incedebant nudi & non erubescebant. Non solùm itaque non turpe fuit nudos incedere,sed etiam laudabile glorioſum & iucundum.

Hoc nunc amisimus per peccatum. Nascimur quidem nudi & cum glabra cute in hunc mundum,cùm reliqua animalia omnia, suas pelles, pilos, plumas, squamulas secum afferant. Itaque contra æstum solis vmbra ædificiorum,contra pluuiam,grandinem, niuem,vestibus multiplicibus habemus opus. Horum nihil sensisset Adam,sed sicut oculi humani,adhuc eam habent naturam,vt nec frigore nec æstu afficiuntur,ita tum fuisset totum corpus tutum à frigore. Ac quidem multis modis melius Heua, mater nostra, sedisset apud nos nuda, nec quẽquã offendisset nuditas vberũ, & reliquarum partium corporis,quę nunc pudendæ sunt, & accendunt propter peccatum libidinem.

Quare hic locus pulchrè docet,quantum mali peccatum Adę secutum sit.Nunc extrema insania iudicaretur, si quis incederet nudus. In quo igitur tum summa nostra gloria fuisset, in eo nunc extrema turpitudo est. Homini glorioſum fuisset, cùm omnia animalia ob fœditatem tegẽdam,pilis,plumis,squamis haberent opus, solum hominem ea dignitate & pulchritudine coporis esse conditum, vt glabra & nuda cute incedere posset. Hęc gloria periit,maiore enim studio & cura cogimur tegere corpora nostra, non solùm propter neeceſsitatem, sed magis propter turpitudinem euendam,quàm reliqua animalia à natura velata sunt.

Sapientia

Sapientia Satanica secuta. Genes. cap. 3. fol. 46. Hæc est ista sublimis sapientia, quæ exercetur in cultu & religione erga Deum plantata per Satanam & originale peccatum in hac misera natura, vt homines omisso verbo, quod Deus proposuit ad salutẽ, vertantur ad suas cogitationes. Sicut Heua sapientissima fœmina condita, appetit aliam sapientiam extra verbum, & propter hanc sapientiam sic multipliciter peccat omnibus sensibus, videndo, cogitando, desiderando & operando.

Tyrannis Satanæ. Genes. 4. cap. fol. 79. docent nos hæc, de illa crudeli Satanæ tyrannide, qua natura peccatis implicita, oppressa est, sicut Paul. Eph. 2. ideo vocat filios iræ, & 2 Tim. 2. dicit captiuos teneri ad voluntatẽ Satanę. Si enim nihil nisi homines sumus, hoc est si non fide apprehendimus semen benedictum omnes sumus Cain similes, nec deest nobis aliud quàm occasio. Nam natura destituta Spiritu Sancto, ab eodem malo spiritu agitatur, quo agitatus est impius Cain. Si autem in vllo homine aut vires sufficientes, aut liberum arbitrium esset, quo se posset tueri contra Satanæ impetus, profectò in Cain hęc dona extitissent, cuius fuit primogenitura & promissio Seminis benedicti, sed eadem est omnium conditio, nisi adiuuetur hęc natura spiritu Dei, non potest se sustinere: Quid ergo futiles iactamus liberum arbitrium?

Cogit ad abusum donorum Dei. Genes. cap. 6. fol. 104. Iam post lapsum, sic hominum comparatæres sunt, vt quantò pluribus donis quisque ornatus est, tantò etiam magis superbiat. Hoc Angelorum qui lapsi sunt peccatum fuit. Hoc primi & originalis mundi peccatum fuit, in quo excellentissima pars generis humani vixit. Quia autem de sapientia sua & alijs donis præsumpserint, perierunt. Hoc peccatũ fuit summorum Regum. Hoc peccatum fuit primogenitorum ferè omnium. Quid multis? hoc est peccatum originale, quod non nouimus, nec possumus rectè vti magnis & excellentibus donis Dei.

Quod igitur summi homines atrocissima exempla fiunt, non accidit culpa donorum aut rerum, sed culpa possessorum. Deus autem talis Dialecticus est, vt arguat à coniugatis, & simul possessorem cum re seu dono possesso destruat.

Et paulò post. Atq; hoc commune naturæ nostræ est vitium, non potest se continere, quin infletur donis à Deo datis, Nisi per Spiritum Sanctum cohibeatur. sæpe igitur dixi. Hominem non habere pernicioſiorem hostem quàm seipsum. Hoc enim disco mea experientia, quòd non habeo tam magnam causam timendi extra me, quàm intra me. Dona enim quæ habemus intra nos, inflant nostram naturam.

Sicut aũt Deus natura optimus non potest omittere quin ira varijs donis ornet & cumulet, sicut sunt, incõlume & integrum corpus, opes, sapientia, industria, cognitio scripturæ, &c. Ita nos non possumus omittere, quin in his donis superbiamus & insolescamus. Miserrima igitur vita nostra est, si carẽdum sit donis Dei. Sed duplo miserior est cum habemus. Nos enim duplo deteriores reddimur. Tanta est malicia peccati originalis, quo tamen omnes homines, exceptis fidelibus aut ignorant, aut tanquam rem leuiculam negligunt.

Facit ut non sentiamus ista mala quæ patimur. Tom. 4. Ienens. fol. 534. Psal. 90. Inter reliquas calamitates generis humani, hæc non est postrema, quòd tanta siue malicia, siue pœna peccati originis est, vt ne sentiamus quidem ista mala, quę patimur. Igitur Prophetę & sanctissimi quiq; coguntur orare, vt homines saltem agnoscere hanc miseriam suam possint. Siue igitur peccatum originis qualitatem, siue morbum vocauerimus, profectò extremum malum est, non solùm pati æternam iram & mortem, sed ne agnoscere quidem quæ pateris. Adeo vt necessaria sit oratio pro toto genere humano, vt ista cogitare possit, quæ videt, imò quæ experitur fieri, quòd hęc vita nõ solùm breuissima, sed varijs malis obnoxia est, quodque post illa corporalia incommoda, expectanda sint ęterna. Satis malorum esset, absconditum esse peccatum originis, sed

ginis, sed quod etiam ipsa pœna peccati est abscondita, hæc non lepra est, quæ nihil sentit, sed verè lapidis natura.

Non potest ferre iniusticiam. Tom. 4. Ienens. fol. 343. Matth. cap. 13. Est hoc vicium ab originali peccato innatum, quòd iniustos & iniusticiam ferre nolumus. Prompti sumus malos reprehendere & omnes iudicare. Deinde nobis arrogare sapientiam iusticiam & potentiam emendandi omnia, quasi ipsi simus præ cæteris hominibus iusti, sapientes, &c. Sicut ille in Euangelio Lucæ 18. Non sum sicut cæteri homines, &c. Sic Donatus voluit esse cum suis purus præ omnibus peccatoribus. Et Muncerus voluit omnes impios perdere. Hoc est festucam in oculo fratris videre, trabem in oculo suo non videre. Verùm hoc malum non desinit in mundo, vsque in finem, semper fuerunt, sunt, erunt, qui pisces malos separare volunt, antequam ad littus rete venit. Non intelligentes quod ipsimet sunt pisces mali & separandi, **Eim jeglicher wil from̃ sein/vnd ander leut meistern.** Et est illa Diuinitatis imitatio, quam in Paradiso cõtraximus, quasi sine vitio nosipsi simus. Dei solius est iudicare & emendare omnia, hîc per verbũ, illic per factum. Interim **heißts/Ist einer gut so sind sie alle gut.**

Propter peccatum originis, dona non sequuntur naturam. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 75. Vt sciamus nos natos esse in peccato originali, ita regimur à Deo, vt non semper sequatur donum naturam, neque filij æquent parentes sapientia & virtute.

Mors peccati pœna. Tom. 4. Ienens. fol. 378. Psal. 51. Peccatum est corruptio omniũ virium interiorum & exteriorum, adeo vt nullum membrum officium suum ita nũc faciat, sicut in Paradiso ante peccatum, sed discessimus à Deo pleni conscientia malis morbis & morti obnoxij, sicut pœnæ verba ostendunt: Quacunque die comederis de hoc ligno, morte morieris. Discimus autem hæc ex solo verbo. Gentes verbo destitutæ, etsi in medijs his malis iacerent, non tamen ea rectè intellexerunt. Nam mortem iudicarunt necessitatem aliquam naturalem, non peccati pœnam esse, sic de tota hominis natura non possunt iudicare, quia fontem non norunt, vnde hæc calamitates in humanum genus promanarunt.

PECCATVM ORIGINIS IN BAPTISMO QVOMODO REMISSVM.

Genes. Tom. 4. cap. 42. fol. 96. Nos diligenter hoc tradimus de repurgatione fermenti per totam vitam. Nihil verò docemus de dignitate nostrarum virium & satisfactionis, quibus tolli posse peccata nugati sunt Papistæ, originali peccato per sanguinem Christi & Baptismum sublato. Eoque accommodarunt dictum Hieronymi lapsis veluti naufragio facto secundam tabulam pœnitentiæ, hoc est contritionis & satisfactionis arripiendam esse.

Hæc est ignorantia peccati & impuritas doctrinę Monasticæ qua persuaserunt hominib. nihil peccati in ipsis esse reliquũ, præter fomitẽ quẽdam, qui sanè pessimus & deterrimus error, ac merum mendacium est. Sumus enim recepti in gratiam per Baptismum non solùm ad remissionẽ peccatorum, sed etiã ad expurgationem. Remissio est gratuita, quæ contingit propter solum filiũ Dei, sine vlla dignitate, merito & contritione nostra. Hanc remissionem sequitur vexatio, angustia, tribulatio, mortificatio, quæ omnia eò pertinent, vt aboleatur peccatum, ita vt non solũ sit remissum & condonatũ diuina gratia & misericordia, sed etiã dono Spiritus Sancti expurgetur, & vt discas intelligere, quanta sit malicia & deprauatio humanæ naturæ. Caligo enim & cæcitas nobis innata, nec miseriam nostram, nec misericordiam Dei immensam nos sinit agnoscere, sed est stupor quidã qui penitus oppressit corpus & animã nostram. Ad hunc tollendum opus est vexationibus vehementioribus, quæ excutiant veternum & ignauiam hãc, **Es gehört ein scharpffer Jgelstolb darzu** / vt excitent in nobis cooperante Spiritu Sancto agnitionem & admirationem infinitæ Dei benignitatis, & immensi quo nos complexus est amoris.

Nam

Nam Iudas & Saul non sustinent purgationem istam, sed desperant ac clamitãt se abiectos in æternum, propterea quod affliguntur, cruciantur, mortificantur. Ad-flictis igitur diligenter hoc inculcandum est non irasci ipsis Deum, & quod ipsi de-sertionem interprætantur, esse acceptationem & certissimum argumentum gratiæ diuinæ, siquidem omnem filium quem recipit, flagellat, ne pereat in stupore, & cæci-tate peccati originalis, quod suopte ingenio nec videre, nec intelligere possunt.

Genes. cap. 42. fol. 109. Sed obijciunt Papistæ esse sanatam per baptismum & peccata remissa. Rectè sanè sed nondum sunt ablata vt inquit Augustinus. Hoc quia ignorant illi, nunquam ad veram lucem scripturæ, regni Christi & vniuersæ Theo-logiæ penetrant.

Vulnera quidem semiuiui sunt ligata vt habet Parab. Lucæ. 10. Infusum est vi-num & oleum, donum Spiritus Sancti cæpit, & tamen vulnera adhuc sunt lætalia. Susceptus est in curam vt sanetur. Nondum verò prorsus restitutus est. Quod si velis dicere, non esse vulnus, non esse periculum, experire an semiuiuus possit ingredi, la-borare & facere officium sani hominis. Ipse portatur à iumẽto cui est impositus, non laborat, non ambulat. Sic per Baptismum sumus suscepti in iumentum Dei, hoc est præciosissimum sacrificium pro nobis, siue humanitatem Christi, qua portamur, & semel quidem recepti, de die verò in diem curamur & sanamur.

Et Tom. 2. Ienens. fol. 314. In Assertion: Contra Bullam Leon: Videamus autem qua ratione moueantur, vt negent peccatum dici reliquam baptismo libidi-nem. Dicunt enim baptismi iniuriam esse, si non omnium peccatorum tribuere di-catur remissionem, sicut habet fides Catholica Ecclesiæ & sanctum Euangelium. Si ergo remissa sunt omnia peccata, quod reliquum est peccatum dici non debet. Re-spondeo: Quid hîc dicere possum, nisi quod vrgentibus eodem argumento Pelagia-nis Augustinus dixit, scilicet peccatum remitti quo ad reatum, sed nõ quo ad actum, seu vt ipsius verbis vtar. Peccatum istud reatu transit, actu manet. Sicut enim (vt idem ait) aliquod peccatum transit actu & manet reatu (Sicut est omne actuale) ita econtra hoc originis peccatum transit reatu & manet actu. Ecce non negat esse pec-catum, nec dicit solum defectum aut pœnam esse, sed peccatum actu & verè esse.

Rursum dicunt. At nos rectum hunc propriè vocamus peccatũ, non illud quod re-manet. Respondeo: In re ista seria & sacra nõ licet argutijs sophisticis cauillari, quib. effingunt reatum esse respectum inter Deum & peccatorem, quo hîc deputatur ad pœnam. Iniuria est gratiæ Dei, si solum istum phantasticum respectum, tollere do-ceatur, cùm vt scriptura loquitur, gratia Dei renouet, mutet, & in nouos homines transformet de die in diem, & res ista seriò agatur, non respectibus tollẽdis, sed sub-stantia & vita mutandis. Nam ideo corpus mori & incinerari oportet, vt peccatum expurgetur, verus est morbus & serius, qui tam seriã & potentem exigit medicinã.

Hęcipsa enim gratia noui Testamenti & misericordia Dei est, quod quia geniti sumus verbo veritatis, & renati baptismate vt simus initium aliquod creaturæ eius. Interim fauor Dei nos susci pit & sustinet, non imputans ad mortem, quod reliquum est peccati in nobis, licet verè peccatum sit & imputari possit, donec efficiamur perfectè noua creatura, ad finem enim purgationis patris misericordia respicit, prop-ter quem intermedias peccati immundicias statuit misericorditer ignoscere, donec penitus aboleantur.

Hoc Apostolus Rom. 8. sic dicit. Nihil ergo damnationis est in ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Non ait nihil peccati in eis est, cum præcedente capite peccatum asseruisset, sed nihil damnationis, quia etsi sit pec-catum in eis, non nocet duplici iure. Primò quia sunt per fidem in Christo Iesu, quo mediatore eis ignoscitur, quidquid peccati ineſt. Secundò, quia non secundum carnem ambulant, id est pugnant contra peccatum, vt extinguant, quo studio,

quia inuiti habent peccatum in se, pro non habentibus Deus illos habet, non tamen nisi gratuita misericordia, ne superbiat quisquam in oculis Dei de mundicia sua, sed in humilitate suæ miserię seruetur. Hoc sensu 1. Iohan. 3. dicit: Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tanget eam. At omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus ex Deo natus est, vt ibidem dicit: Ita simul verum est, iustum non peccare, & tamen peccatum habere, seu malum facere.

Concludamus ergo cum pulcherrimo verbo Augustini. Peccatum inquit remittitur in Baptismo non vt non sit, sed vt non imputetur. Ecce est & remanet peccatum sed non imputatur. Quare perseuerandum est in vsu scripturę & Antiquorū, & non defectus sed verè peccatum appellandum, libidinem & alias passiones reliquas baptismo. Et aliud esse omnia peccata remitti, aliud omnia tolli.

Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit, sed incipit tollere. Id quod illos fefellit, qui remissionem intellexerunt omnimodam expurgationem, ac sic defectum pro peccato accipere seipsos coegerunt, ex malo intellectu in peiorem lapsi. Nam hac sententia eorum, homines in securitatem & superbam præsumtionem ducuntur, dum peccatis ablatis sibi puri visi, omittunt studia expurgandi peccati, vt cuius conscij iam non sunt. Qua impia opinione, plurimi pereant necesse est. Sed & eò peruenerunt insanię, vt etiam libidinem ineuitabilem parentū Sanctorum, dum generant, quantumuis indomitum, & summo inuictoq; furore, contra legem Dei concupiscentem, defectum vocare sint coacti. Hoc est verè nimis extenuare peccatum, dicere tam atrocem libidinis impetum, esse defectum. plura si cupis. Vide Tom. 1. Ienens. fol. 303.

ADFECTVS MANERE IN RENATIS SED TAMEN PER SPIRITVM SANCTVM PVRGARI.

Genes. cap. 42. Tom 4. fol. 104. Hoc in primis notandum est, quod Ioseph describitur plenus charitate & affectibus naturalibus, ac fraterna beneuolentia. Quam enim duriter cōpellat & tractat fratres, tamē ardet cor eius στόργη φυσικὴ & amore spirituali. Quia fides & Spiritus Sanctus, non corrumpit aut destruit naturam, sed corruptam & destructam sanat & reparat. Manent itaq; naturalissimi adfectus in parentibus, fratribus, vxoribus, qui non tolluntur per gratiam, sed excitantur.

Monachi olim ex hominibus truncos & saxa insensibilia fecerunt, ac singulare hoc prędonium de Sanctis suis voluit celebrari Satan, quòd non cōmouerentur vllo genere adfectuum, homines stolidi ac septies stoici. Gratia vero & Spiritus Sanctus non sic exuit humanam naturam suis motibus, vt Pater Iacob non defleat Filij interitum, hoc enim pugnaret cum natura sic condita à Deo cum adfectibus.

Vidimus autem ante aliquot annos fanaticos spiritus conari eiusmodi ἀνωτέλειαν inuehere in Ecclesiam. Sicut Monetarius eam vita & moribus studebat exprimere, tanquam singularem sanctimoniam. Cùm enim nunciata ei esset natiuitas filij, stetit ante aram quasi mutus & surdus, non lætatus est, nec gratias egit, neque quicquam respondit, vt ostēderet se truncum & stipitem esse, & postea iactauerat naturā suam prorsus esse mutatam & mortificatam. Id reuera fanaticum fuit longè deterius Stoicorum delirio. Deus enim vult seruatam naturam, non extinctam, sed iubet eam corrigi, vt fiat purior, & affectus magis sint compositi in pijs, quàm in gentilibus, qui non regunt eos timore & fiducia Dei, sed temere, & sine certa lege verbi Dei ijs rapiuntur.

Vides igitur descriptam in hoc exemplo sanctimoniam sanctissimorum Patrū, qui eosdem adfectus, licet pauciores & moderatiores, suas item passiones & infirmitates habent sicut cæteri homines.

Scribit

Scribit Marcus Christum circumspexisse Pharisæos cum ira & cõturbatum, super cæcitate cordis eorum, propterea quòd disputabant an liceret Sabbato curare. At quomodo irascitur aut contristatur Christus, qui est sine peccato? Quare tribuit ei Euangelista dolorem, tristiciam, indignationem, iram? Respondeo. Ira si accedit moderatio & manet in vero & legitimo vsu, est adfectus naturalis, insitus hominis naturæ diuinitùs, sicut amor & appetitus coniugis ab initio cum alijs naturalibus appetitionibus est conditus. Cùm autem hi adfectus sint corrupti peccato originis, id porrò agitur vt corrigantur.

Manifestus igitur furor Satanæ est eiusmodi sanctimoniam iactare, vbi homines fiunt trunci & saxa, & desinunt esse homines. Negant eos esse Sanctos qui ira cõmouentur, cùm tamen nec Stoici illi hominem iracundia & alijs adfectibus prorsus possint exuere. Aut enim fingunt se non irasci, aut fugiunt occasionem irascendi, & consuetudinem cum hominibus, qui possint eos commouere. Sic sanè ego quoque reprimerem iram, si nemo esset qui me irritaret. Atque inde nata sunt tot agmina stolidissimorum Sanctorum, qui concesserunt in loca deserta, fugientes cœtus & societatem hominum, vt viderentur alieni ab omni adfectu & sensu humano, sicut describuntur studia & mores eorum in vitis Patrum. Monachi verò cuiusdam exemplum alicubi recitatur, quo ego in primis delectari soleo. Cùm enim morositate & impatientia victus, relicto Monasterio in locum desertum se contulisset, vbi tranquillè & ab omni offensione & peccato immunem se degere posse sperabat, fortè accidit vt prodiret ad fontem, aquam allaturus vasculo famio, id verò cùm incautus superfusa aquæ copia, euerteret, arreptum vasculum iratus solo illidit & frangit. Ibi tum ad se rediens agnouit non hominum culpa cum quibus vixisset, se toties ad iram concitatum fuisse, sed suæ naturæ & carnis vitio, quæ ad iracundiam esset pronior. Reuersus igitur in Monasterium moderationi affectuum & patientiæ studuit.

Sic nos in hac communi hominum societate manere & conuersari decet, vt peccata libidinis, iræ ac similium adfectuum frenare & frangere discamus, adeoqûe rectè vtamur iracundia & appetitione sexus, vt purgetur superbia, ambitio, odium, libido, &c. quod non potest fieri sine ingenti labore & dolore. In Sanctis igitur non solùm cernitur natura humana sic condita cum suis adfectibus, quos Spiritus Sanctus non extinguit, sed etiam infirmitas & corruptio, contra quam veluti in procinctu stantes assiduo dimicant & laborant vt mortificent vitiosos motus.

Sic Iacob & Moses multa passi sunt non sine dolore, cum quo interdum & indignatio, fremitus, murmuratio, quin etiam blasphemia quandoque coniuncta fuit, sed repressérunt tamen se, & compescuerunt motus illos.

Ioseph haud dubiè sensit naturalem immunditiem, verùm non laxauit ei frenũ, sed fregit iram & impatientiam, & alias cupiditates audiens & obtemperans Spiritui Sancto, qui suggessit ne murmuraret, neue malum pro malo redderet. Etsi igitur iustissimam causam irascendi, & vindicandi iniuriam illatam à fratribus habet, tamen non exequitur ius suum, sed vertit in ludum quendam suauissimum, & cùm videt eos angi & dolere, flet vnà cum ipsis.

Et Capite 43. Genes. Tomo quarto, fol. 128. Quantò melior est natura & integrior, tantò excellentiores atque ardentiores σπέρματα habet, nec tollit aut corrumpit eam gratia, & Spiritus Sanctus, vt Monachi somniarunt, sed corruptam sanat & restituit in integrum. Id enim ex hoc exemplo Ioseph apparet, qui adeo vincitur σπλάγχνοις, vt cor & oculi eius liquescant & soluantur in lachrymas. Totus stupet & obmutescit præ nimia miseratione, qua adficitur erga fratres & parentem.

Itaque

Itaque non frustra inquit Moses (festinauit) **Er kan der Ehr nit außleuten die sie im thum.** Postquam proloquutus est verba benedictionis ad Beniamin, properat ad conclaue suum. Ipsi nesciunt quid sibi velit festinatio hæc & subita auersio vultus, quin etiam indignationis & odij argumentum clam interprætantur. Ex oratione iudicāt eum & clementē, sed quid sibi hoc vellet, quod tam subitò abrumperet sermonem non intelligunt. Nullam verò aliam ob causam confert se in penetralia domus, quàm vt lachrymis indulgeat, **Er hat mussen ausweinen.**

Atque hæ quidem insignes historiæ Sanctorum sunt, quæ testantur naturam non mutari, sed seruari à Deo, sicut stolidum & vesanum Monachorum vulgus docuit, deserendos esse parentes, vxores & mundū, secedendum esse in Monasterium. Sed qualis tum societas humani generis, aut tota denique, vita erit? Non equidem sanctimonia illa, aut cultus diuinus, vt perhibuerunt, sed furor sathanicus fuit. Quādo autem necessitate & mandato Dei adigeris ad desertionem hanc, &c.

Et paulò post. Diligenter igitur notandi sunt tales loci, in quibus celebrantur τόργαι φυσικαὶ, & adfectus sanctorū, quibus ita mouētur, vt molliores videantur, quàm homines profani & Ethnici. Adeo enim contristantur & dolent, tam tenerè diligunt suos liberos, vt quouis gentili infirmiores se præbeant, adeoque in vtramque partem mirabilis vehementia & ardor in eis conspicitur. Huc addendum est & præceptum Pauli, qui inquit: Gaudete cum gaudentibus, Flete cum flentibus.

Sic poterit refutari Monachorum & Heremitaram ἀναίδεια, propter quam olim vita eorum solitaria apud vulgus inadmiratione fuit, multosque secum in eundem errorem & perniciem pertraxerunt. Et Monetarius nostris temporibus eam rursus in Ecclesiam inuehere conatus est.

Recitantur in vitis Patrum plurima monstrosa exempla Monachorum, quæ & furorem illorum, & caliginem superioris seculi monstrant. Vt duorum fratrum ad quos venit mater vt videret filios suos, quos longo interuallo temporis nō fuerit conspicata, ipsi verò clauso ostio abdiderunt se, ac precantē vt admitteretur, iusserūt discedere, ac interea æquo animo hanc orbitatē ferre, donec in æterna vita ipsi apparerēt. Ego si eo loco fuissem Magistratus cellam monasticam iussissem igni cremari. Cur non meminerunt se suxisse lac maternum & esse homines matre illa in hanc lucem æditos? Sed hæc Monachi valde admirantur & prædicant, dicunt fuisse viros fortes, & constantes, qui potuerint contemnere matrem, nulla ratione habita præcepti diuini, non de excludenda matre, sed de colendis & honorandis parentibus.

Ideo alius quispiam Heremita dignas stulticiæ pœnas dedit, cui dixerat Diabolus venturum ad ipsum Dæmonem in specie parentis eius, cùm intellexisset patrem velle inuisere filium. Cum igitur aduenisset parens, progreditur Monachus & spectrum esse ratus, arreptam securim capiti patris illidit eumq; trucidat. Postea verò videt non Dæmonem, sed parentem suum fuisse.

Talibus sanè illusionib. Sathanę exagitandi fuerūt hi, qui proprias vias & studia elegerunt. Quin potius apud parentes, vxorem, liberos manes, donec Diocletianus aliquis veniat, & abripiat patrem, filios, &c. Ibi ad summum cultum primæ tabulæ deduceris, confitendo Christum & præferendo eius doctrinæ professionem omnibus, quæ in hac vita meritò sunt charissima.

Cœterum adfectus non extinguuntur per Spiritum Sanctum, verbum & fidem, sed augentur, vt apparet in hisce patribus, qui ardent vehementissimis adfectibus. Sicut dicitur hic de Ioseph (Nichimeru) incaluerant viscera, siue miserationes eius.

De pecca-

DE PECCATO ACTVALI ET MORTALI.

QVID SIT.

Peccatum Actuale sic definiunt, esse dictum, factum aut cogitatum contra legem Dei. Sed hæc definitio longè est angustior, quàm vt peccati magnitudinem, & vim ob oculos ponat. Altius enim peccatum inspiciendum, & radix impietatis seu peccati clarius ostendenda erat, non simpliciter erat resistendum in actibus elicitis vt vocarunt. Ex hoc errore quod peccatum non rectè intelligitur, alius error, vt fit nascitur, vt neque Gratia quid sit intelligatur. Accidit igitur vt in erigendis pauidis conscientijs, in consolandis mentibus contra mortem & iudicium Dei essent ineptissimi. Quomodo enim consolari potest, qui quid Gratia sit non intelligit? Ergo ad illa stulta prolapsi sunt, vt hominibus oppressis conscientiæ doloribus suaderent cucullos, regulas & similes nugas quibus placari Deum credebant. Hæc autem manifesta testimonia sunt, quod neque peccatum, nec Gratiam rectè intellexerunt, & simpliciter Theologiam rationalem, sine verbo Dei docuere. Tom. 4. Ienens. fol. 35. Psal. 51. Et. fol. 377.

Magna itaque sapientia est, scire nos nihil esse, quàm peccatum. Ne sic leuiter de peccato sentiamus, sicut Papæ Doctores, qui definiunt, Peccatum esse dictum, factum, aut cogitatum cõtra legem Dei. Quin tu sic defini, secũdum hunc Psalmum. Peccatum esse hoc totum, quod est natum ex patre & matre, antequam homo possit per ætatem aliquid dicere, facere aut cogitare. Ex hac autem ceu radice nihil boni coram Deo enasci posse.

Hinc nascitur diuisio peccati. Nam tota natura primùm per peccatum corrupta, & æternæ morti subiecta est. Deinde alia ceu species peccati est, quod homo habens legem potest agnoscere, cùm scilicet furta, adulteria, cædes committuntur. De hoc posteriore genere etiam ciuilia iura loquuntur, quanquam minus accuratè.

PECCATVM MORTALE QVID VOCENT SOPHISTAE.

Ipsi peccatum mortale tantùm intellexerunt de opere externo, commissa contra legem, vt est homicidium, adulterium, furtum, &c. Non viderunt peccatum mortale esse, ignorantiam, odium, contemptum Dei in corde, ingratitudinem, murmurationem contra Deum, auersari voluntatem Dei, carnem nihil posse cogitare, loqui & facere, nisi contra Deum pro Diabolo. Si istas maximas pestes, in natura hominis hærentes, vidissent, non tam impiè nugati fuissent de merito congrui & condigni. Quare propriè & diserte definiendum est, quid impius seu peccator mortalis sit. Est autem talis sanctus hypocrita, & sanguinarius, qualis fuit Paulus, cùm proficisceretur Damascum, persecuturus Iesum Nazarenũ, abolituru doctrinam Euangelij, trucidaturus fideles, & prorsus euersurus Ecclesiam Christi. Ea certè erant maxima & horrendissima peccata contra Deum, sed quę Paulus non potuit cernere. Ita enim excæcatus erat impio zelo Dei, vt sentiret ista nefanda flagitia, esse summam iusticiam, cultum & obsequium Deo gratissimum, &c. Tom. 4. Ienens. fol. 43. in Galat.

FONS EXTERNORVM PECCATORVM.

Externa peccata quæ corpore admittimus, prius in animo fiant necesse est, hoc est priusquam peccatur opere, cor discedit à verbo & timore Dei, non intelligit nec requirit Deum. Sicut Psal. dicit. Tale postquam cor esse cœpit, vt negligat verbum, & contemnat ministros & prophetas Dei, sequitur ambitio & superbia, obruuntur odijs & detractionibus, quos obsistere cupiditatibus nostris videmus, donec etiam post contumelias etiam cædes sequuntur. Genes. cap. 9. Tom. 1. fol. 153.

Oritur

ORITVR EX ORIGINALI.

Peccatum actuale est fructus originalis, hæc sunt iam propria peccata, omnia sc licet opera, quę facimus, etiam iustitiæ priores ante fidem. Iuxta Apostolum Rom & 3. Qui alium doces teipsum non doces. Et iterum. Non est iustus, non est intel ligens. Et iterũ, Eadem facis, quę iudicas, in quo enim iudicas, condemnas teipsum. Et in hoc augetur malum peccati originalis, nec tamen potest vitari propriis viribus. Tom. 1. Ienens. fol. 177. de Triplici Iustitia.

PROPRIETATES ACTVALIS PECCATI.

Non possunt omnia cognosci. To. 2. Ien. fol. 317. in Assertione articulorũ, &c. Impossi bile est, vt omnia mortalia cognoscas, iuxta Psal. 19. Delicta quis intelligit? ab occul tis meis munda me. Cur hunc Prophetam non damnãt, ex cuius ore mea verba fluũ & pendent, qui & psal. 7. titulũ fecit pro ignorantia sua, in quo non nisi pro occulto & ignorato sibi peccato precatur. Idem rursus psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cõspecto tuo omnis viuens. Nec potest hîc dici, Delicta occulta esse venialia, cum non iustificari hoc ipsum sit, mortale & damnabile. Si ergo Sancti habent mortalia peccata, quę ignorant propter quæ damnarentur, nisi humili & generali confessione præuenirent misericordiam Dei ignoscentem, quid nos audemus tribuere impijs pœnitentibus ante gratiam, vt omnia possint co gnoscere.

Pœna consequitur. Tom. 4. Ienens. fol. 584. in Micha. Quia diserte dicit: Iram Do mini feram, quia peccaui ei, profectò hoc significat futurum, vt semper peccatũ con sequantur suæ pœnæ, hoc si statutum habeat adulter, auarus, vsurarius, impius verbi & ministrorum contemptor, nũ putas adeo securè peccaturos esse diuersum credũ Nam cùm videt quòd homines possint honesta specie falli, etiaã Deum se fallere pos se confidunt. Putant Deum tanquam cupidinem clausis oculis inter homines, sine sensu, sine cura aliqua humanarum rerum volitare. Ideo tam securè peccant, sine vllo metu pœnæ secuturæ, donec post longum spaciũ, quod Deus ex thæsauro bonitatis suę dat ad pœnitentiã, pœna eos arripit, ibi in horribilem ἀπωρίαν seu desperatiõem in cidunt, sicut exẽpla ante oculos sunt, vbi in leuissimis incõmodis, mirabilis animorũ cõsternatio sentitur. Necessaria igitur hæc doctrina est, vt in omnibus calamitatib. & periculis, Prophetę exemplum imitemur, ac respiciamus ad causam mali, & fateamur peccata nostra talium incommodorum, non occasionem tantùm, sed veram causam esse. Ita fiet, vt cùm Propheta humili & tamen forti & cõstanti corde discamus, Ferã iram Domini. Vbi econtrà mundus in summa impatientia aut desperat, aut circum spicit ad illicita præsidia hominum & dæmonum. Ridiculum videri potest, quod Basilius in Epistola quadã, vbi de matris morte queritur, addit hoc accidisse propter peccata sua. Sed profectò qui etiam leuissima incommoda ex hoc fonte enasci sentit non errat, sed pulchrè viuit in timore Domini.

Peccatum **gehet süsse ein aber saur auß.** Genes. T. 4. fol. 154 cap. 45. Longè facilior est præuaricatio siue offensio, quàm sanatio eius. Peccatum **gehet süsse ein/ aber saur auß.** Et folio sequenti. Discamus igitur vel pœnarum metu, & immedicabilis illius mali quod est animus saucius, cauere lapsus, quia difficilima lucta est, cum cõscientia peccati. **Der lapsus ist leicht geschehen/** sed reuocare gradum, rursumque ad auram illam benignitatis & misericordiæ diuinę opus aspirare hoc opus hic labor est.

Aliquoties iam discipulorum Christi exemplum proposuimus, qui turbati & confusi erant, non aliter ac si manibus suis Dominum suum trucidassent, propterea quod defece

quòd defecerant ab eo. Sed quid agit Christus? Totis quadraginta diebus colloquitur cum eis de regno Dei, de remissione peccatorum, de misericordia Dei, item de passione sua. Vos non occidistis, nec offendistis me inquit. Sed hoc fuit consilium & voluntas Patris mei, vt paterer mortem & resurgerem, vt in nomine meo prædicaretur remissio peccatorum. Et tamen non omnes erigit. Vehementer doluerunt haud dubiè de desertione illa. Ah es ist vns leid/ & vtcunque sermonibus Christi acquieuerunt, sed animus non adeo tranquillus ac serenus esse potuit, ac si nihil tale admisissent.

Cubat in foribus. Gen. ca. 4. fol. 77. Quod additur. Peccatum tuum ad fores cubat, est Rhetorica peccati descriptio, quam optarim pro prouerbio vsurpari. Verè enim hæc peccati natura est, vt cubet tanquam sopita bestia, dum in actu est, hoc est, vt non mordeat, non terreat, non cruciet, sed potius vt adblandiatur: Sic cùm Heua primùm, post Adam in paradiso pomum prohibitum comederent, non putabant id à Deo obseruari, multò minus futurum putabant, vt tam acerbe puniretur. Sicut enim etiam feroces bestiæ, cum saturæ sunt, tractabiliores sunt, & somnum appetunt: Ita peccatum dum in actu est, delectabile est, nec sentitur venenum, sed cubat & quiescit. Quis enim vnquam vidit auarum ringi, cùm magna lucri occasio adest? Quis adulterum cùm potitur voto lugere vnquam vidit? Quod si flagris cutem, aut malleo caput obtunderes, abiret tentatio. At cùm peccatum quiescit, nec sentitur pœna, etiam summa voluptas est auaro in lucrum inuolare, Adultero potiri alterius vxore, nec videtur eius voluptatis modus, aut finis aliquis esse posse.

Loquitur itaque Adam hoc in loco, non solùm de peccato Cain, sed in genere peccatum describit quale sit. Quod enim Cain accidit, idem omnibus accidit. Cain priusquam sacrificaret, erat vanè gloriosus de primogenituræ prærogatiua, contemnebat fratrem, sibi vendicabat primas, cubabat tùm peccatum & quiescebat, sed in foribus, hoc est in loco non quieto. Nam per fores ingredimur & egredimur. Minimè igitur somno aptus is locus est. Sed pertinet hoc quoque ad peccati naturam, quod etsi quiescit ad tempus, tamen ibi quiescit vbi non potest diu quiescere. Sicut Christus dicit Matth. 10. Nihil opertum est, quod non reueletur. Impius enim putat peccatum quiescere & latere, sed in foribus non potest quiescere, arguitur tandem & producitur in publicum.

Fores enim somnus seu quies sunt opposita in adiecto. Sicut enim tenebræ in lumine, ita quies in inquieto loco est, Sunt enim res natura discordes. Ad hunc modum potest hoc exponi de peccato quocunque præterito.

Si de futuro exponas, est eadem sententia. Si lædes fratrem, ac indulgebis conceptæ animo iræ, dico tibi quiescet peccatum tuum, sed quiescet in foribus, hoc est in loco valde inquieto. Itaque fieri non potest, quin expergefiat & sicut furiosa bestia te abripiat. Ac ita accidit. Nam post cædem factam, cum Cain solus fratrem sepeliret, quiescebat peccatum. Sed quàm diu? Donec scilicet vox ad eum facta est: Vbi est Habel frater tuus? De omni igitur peccato hæc descriptio vera est, quòd cubat in foribus. Sic enim sunt hominum adfectus, dum oculos hominum fallunt, putant clam fore peccatum suum. Sed reuelatur & expergiscitur, nisi benè agant, hoc est nisi credant Deum propter Christum id condonaturum.

Sic grauissimam sententiam, prouerbialis hæc figura complectitur. Quod scilicet nihil manet absconditum, sed omnia reuelentur: Sicut Paulus quoque

dicit 1. Timoth. 5. Quorundam hominum peccata manifesta sunt, vt possit de ijs iudicium fieri. Ac præsertim videmus singularia Dei iudicia in criminalibus. Quàm multi enim occiduntur clam, & tamen authores indignarum cædium per mirabiles occasiones producuntur in lucem. Monet itaque Adam filium, ne indulgeat peccato. Non enim clam fore, sed futurum qui id in lucem proferat & puniat. Nec videtur ab hac sententia abludere, quòd Poetæ fingunt Cupidinem nudum, sed cæcum etiam. Quia enim nobis peccatum videtur absconditum esse, putamus id à reliquis quoque non conspici. Sed Deus tandem reuelat etiam occultissima.

Et Genes. cap. 11. fol. 168. Hæc peccati natura est, vt cubet ad tempus & quiescat sicut suprà diximus, dum feruet dies, hoc est dum concupiscentia & peccatum regnat, & homo à Satana oppressus & absorptus est, verbum Dei non curat, sed negligit. Perinde ac si Deus dormiat, aut prorsus nihil sit.

Sed sub vesperam post æstum diei incipit Dominus in Paradiso ambulare, & auditur vox eius, non amplius iucunda & suauis, sicut ante peccatum, sed horrenda, quam Adam sustinere non potest. Igitur se abdit inter arbores, & cupit Deum neque auditum nec visum, non tamen potest latere.

Finxerunt Poetæ latratu Cerberi terreri animas, sed verus terror nascitur, cùm Dei irati vox auditur, hoc est cùm sentitur conscientia. Tum enim Deus, qui antea nusquam erat, est vbique, & qui prius dormire videbatur, omnia audit & videt, & ira eius sicut ignis ardet, furit & occidit.

Hæ sunt Scripturæ Sanctæ phrases, quibus oportet assuefieri, Descendit Deus, non re seu substantia, est enim vbique, sed desinit dissimulare, desinit esse longanimis, & incipit reuelare peccatum, punire & arguere. Homines igitur securi, qui antea longè eum iudicabant abesse, nunc præsentem esse vident, ac pauent. Ad nos igitur terrendos hæc pertinent, vt discamus peccatum cauere, non enim perpetuò id dissimulabit Deus, sed sicut aduentu suo, tandem terruit & occidit Adam, Cain & toum orbem terrarum diluuio: Ita nos quoque opprimet aliquando, nisi per pœnitentiam eum anteuerterimus.

Vnum peccatum trahit aliud. Genes. cap. 6. fol. 114. Vnum peccatum si non statim corrigitur, trahit in aliud peccatum & inde iterum in aliud vsque in infinitum, donec perueniatur ad eum gradum, quem Salomo describit in prouerbijs cap. 18. Impius, cùm peruenerit in profundum peccatorum, contemnit. Tales enim etiamsi postea moneas, nihil curant, putan se nullo doctore opus habere, ac iudicant se iustas habere causas non credunt vitam post hanc vitam, aut salutem etiam in manifestis peccatis sperant. Sed opprimit tandem eos ignominia & opprobrium.

Hæc finalis impœnitentia & verbi extremus contemptus, Deum coegerunt ad vniuersale diluuium omnis carnis.

Peccatum potest latere, sed non semper. Genes. cap. 6. fol. 120. Habet secunda quoque tabula suum fucum & Hypocrisin, sed nulla ea est comparatio ad primam.

Adulter, fur, homicida, potest latere aliquandiu, sed non semper. At peccata primæ

primæ tabulæ ferè manent occulta ſpecie ſanctitatis, dum ea Deus reuelat. Impietas enim nunquam vult haberi & eſſe impietas, ſed pietatis & religionis laudem aucupatur, & ita pingit cultus ſuos, vt veri cultus, & vera religio præ eis ſordeant.

Facit ſurdos & mutos. Geneſ. cap. 42. Tom. 4. fol. 104. Nondum verè agnoſcunt (fratres Ioſeph.) Peccatum, quanquam clanculum inter ſe id confitentur, haud dubiè enim reticuiſſent & cælaſſent, ſi ſciuiſſent adeſſe qui aduerteret, aut intelligeret ſermones ipſorum. Quia peccatum natura ſua facit ſurdos & mutos, neque quiſquam eſt, qui velit ſua delicta publicari, ac propterea malè audire apud alios.

Ita tegunt hi fratres ſcelus ſuum & ornant ſe coram Principe terræ. Ibi peccatum mutum eſt & ſurdum, ac ſperant perpetuò id poſſe latere. Quia verò nondum pacauerant patrem, neque etiam facinus ſuum ipſi aperuerant, neceſſe erat proferri illud, eoſque ad cognitionem & confeſſionem tantorum ſcelerum adigi.

Eſt propemodum vulnus immedicabile. Geneſ. cap. 50. fol. 247. Vides hic quàm horribile malum, ac propemodum vulnus immedicabile ſit peccatum & conſcientia mala. Audierant filij Iacob, benedictiones patris, & quanquam illis duobus Simeon & Leui ſatis triſtes pœnæ denunciatæ ſunt, tamen remiſſa erat iniquitas eorum, ſiquidem benedixit eis pater vt creſcerent & multiplicarentur. Reliquæ verò tribus omnes opulenter benedictæ & locupletatæ erant præſertim Iuda, & vixerunt Iacob adhuc ſuperſtite cùm Ioſeph in Aegypto 17. annos & multis magnis beneficijs ab eo fuerant adfecti, ſine intermiſſione gratiam & miſericordiam tanquam parentis experti, viderant etiam & ſenſerant φιλαδελφίαν eius, quod amaret fratres, & admodum amanter ipſos complecteretur, ſicut non ſolùm blandiſsimis verbis compellarat eos, ſed etiam dimiſerat à ſe, vt ad parentem rediirent, cumulati maximis muneribus.

Nihil igitur aliud apparet in Ioſeph, quàm mera & vt ita dicam, miſericordiſsima miſericordia intus & foris, cor eius arſit amore paterno, manus fuerunt plenæ ingentibus beneficijs erga fratres, & tamen adhuc inquietus eſt animus eorum, atque ita excruciantur conſcientia ſceleris, & aculeo mortis, vt nequeant confidere homini optimè de ipſis merito.

An non igitur horribilis res eſt peccatum? Facilè id quidem perpetratur, præſertim extra tentationem, vbi homines amoto metu ſecuriſsimè & liberrimè peccant, Denckẽ es hat kein not. Sed quando reuelatur & ſequitur morſus & ſtimulus conſcientiæ, tunc nulla remiſsio aut conſolatio ſufficit ad eum retundendum & reprimendum. Proinde Papa cum ſuis Complicibus vt Diabolus ipſe execrandus eſt, qui repleuit orbem infinitis peccatis, & docuit deſperationem de miſericordia & gratia Chriſti. Non enim ſine magna difficultate aſpirat mens ad benignitatem & ignoſcentiam Dei, quem natura fugit & auerſatur, quando ſentit eum offenſum eſſe, multis magnis & enormibus peccatis. Conſolatio difficulter admittitur, remiſſio admodum ægrè hæret in animo, quantumuis multis promiſſionibus & ſignis beneuolentiæ Dei confirmata. Vnde colligi poteſt quàm ſit acre venenum peccatum in natura hominis.

Neque verò ſubitò id perſpicitur, ſimplici lege tantùm propoſita, niſi veniat ad virtuten ſuam & incipiat reuiuiſcere. Ibi tùm atrocitas venenati & infer-

nalis mali deprehenditur, adeo vt etiam mors & sanguis Filij Dei vix possit satis tegere & abolere peccatum.

Vide quid faciant Petrus & reliqui discipuli, quàm sit durum cor illorum & incredulum & insensatum ad resurrectionem Christi. Ita in his fratribus pertinacissimè hæret peccatum, vt non potuerit hactenus sopiri aut tolli tantis beneficijs, tam benigna & suaui compellatione, ac mandatis ad patrem plenissimis humanitate & beneuolentia, tot denique annorum placidissima conuersatione. Ideo enim defuncto iam parente trepidant, & timent malè sibi conscij, ne oderint ipsos Ioseph, neue vlciscatur iniuriam illatam, & reddat malum pro malo. Quis hæc cogitat aut loquitur nisi ipsissimum virus peccati resuscitati per legem? Hoc non possunt compescere aut sanare iam 17. annis curatum & mitigatum.

At verò quàm facilè, quàm leuiter peccarunt Simeon & Leui, & reliqui fratres, sed quàm difficulter sanentur, testatur hoc in loco Scriptura. Inde adeo fit, vt multi qui non audiunt verbum gratiæ ad desperationem adigantur, & aut in flumina se præcipitent, aut laqueo vitam finiant, quia non possunt ferre vim peccati reuelati & viuentis.

Dum cubat in foribus vt ad Cain dicitur negligitur, & subinde alijs atrocioribus cumulatur, **Man felt in ein Sünde vber die ander.** Sed cùm excitatur & viuificatur, tum oportet impendi sanguinem Filij Dei, vt tollatur.

Tanta nimirum Medicina & salus requiritur, diuinitas incarnata & Sanguis ipse filij Dei.

Cùm igitur plus satis mali & miseriarum sit in originali peccato in quo concepti & nati sumus, tantò magis detestandi sunt Papistæ, qui augent & aggrauant calamitatem nostram peccatis actualibus & legibus Papæ.

Caueat verò lapsus qui potest cauere. Lapsi autem discant resurgere & fortiter credere. Et in his agonibus intelligimus quid sit credere, quod Sophistæ ignorant, & cogitant fidem esse opinionem quandam conceptam humana persuasione, quia nesciunt legem & peccatum, ideoque nec Euangelium & gratiam intelligunt, putant esse res exiguas & leues, quibus facilè possis mederi operibus & viribus naturalibus. Quod si didicissent & experti essent in tentationibus, quàm difficilè sit erigere se, & exuscitare fide saluatoris contra peccatum & mortem longè aliter docerent. Sed hæc ignorantes stertunt, & somniant peccatum nihil aliud esse, quàm concupiscentiam carnis. De dubitatione verò, de diffidentia, de odio aut fuga Dei nihil sciunt, ideo non sunt digni nomine Theologorum, quia præcipua capita doctrinæ Christianæ nesciunt.

Discamus ergo peccatum horribile malum esse, non cùm designatur, tum enim mirum in modum adlubescit & placet, sed resuscitatum per legem esse inferum ipsum, & longè potentius cœlo & terra, adeo vt non sine magno labore apprehendi queat gratia, vt statuat animus oppressus lege & peccato, quanquam peccaui, tamen misit Deus Filium suum in mundum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Hæc consolatio nisi adsit, non est vllum remedium, aut auxilium aduersus peccatum & stimulum eius, etiamsi mille cucullos induas, aut ad extremos Garamantes peregrineris.

EFFECTVS ACTVALIS PECCATI.

Dementatio & obcæcatio gubernatorum & subditorum. Gen. ca. 34. Tom. 3. fol. 156. Ita solet fieri: Quando imminent alicui ciuitati aut regioni pœnæ peccatorum demen-

dementantur prius & gubernatores & subditi, vt communibus peccatis & pœnis impliciti hæreant, sicut testantur omnes omnium gentium historiæ. Sic regnum Israel & Iuda cùm esset vastandum per regem Babilonium, occidebantur Ierosolimis & alibi Prophetæ fundebatur sanguis innocens, & replebatur tota terra, auaritia, cædibus, peccatis, & furoribus omnis generis. Cùm impenderet extrema vastitas Ierosolimorum, & totius gentis Iudaicæ, prius oportebat crucifigi Filium Dei. Ita hodie cùm Turcici exercitus vastaturi sint Germaniam oportet prius implere omnia loca vsuris, perfidia, malicia, proditione, persecutione, vt compleantur iniquitates Amorrhæorum. In summa, **Wir müssens also machen/ das vnser Sünd reiff werden.**

Ita in hoc exemplo, impendebant pœnæ ciuibus propter varia flagicia. Ideo totus populus implicatur stulticia Principis, peccato & pœna horribili. Quemadmodum apud Ehnicum poetam dicitur. Quicquid delirant Reges plectuntur achiui, **Das die** Principes **Narren seind/ das muß das Land tragen.** Sic populus Israeliticus percutitur propter peccatum Dauidis numerantis populum.

Nobis quoque insania principum accersit pœnas, quas dudum meruimus, **Das die Fürsten Zoll vnd Torecht seind/ vnd lassen den Türcken ins Land kommen.** Et vt vtrique puniantur subditi & Magistratus, oportet eos stulticia aliqua finali augere & multiplicare peccata. Sicut hic Sichem primus autor & incoator est stolidi huius consilij. Circumciditur enim ipse & persuadet toti populo. Et paulò post folio. 187. Simul stolidus populus in errorem inducitur ad consentiendum & ad probandum raptum ac stuprum Dinæ. Hoc efficit stultus & insipiens Princeps, propter peccata populi, quæ puniuntur delirijs Regum. Sicut omnes historiæ, & poemata omnia ostendunt. Hic enim est cursus mundi ab initio vsque ad finem. Sic hodie grassantibus impunè tot sceleribus in populo, securitate & contemptu Dei & hominum, fiet tandem, vt stulticia alicuius Principis accersantur pœnæ & calamitates, quibus oppressi pereamus. **Dieweil es das Volck so Arg machet/ wirdt ein** Princeps **ein Torheit thun/ wirdt ein vnglück anrichten/ darüber werden wir alle mit gehn müssen.** Quia non audimus, nec emendamur voce & comminationibus diuinis. Ideo venient tandem pœnæ.

Horribile peccatum fuit Hæmor & Sichem, peccatum tacere & non agnoscere imò securè contemnere Sanctissimum virum. Quid Iacob? Quid filia? Et qui ad tantum scelus non expauescit, nec mouetur Dei aut hominum iudicio, ille sanè audebit vitæ parentis, sicut antea pudicitiæ filiæ, insidiari.

Hanc securitatem sequitur cæcitas & amentia, vt insidias & pericula imminentia non attendant, nec intelligant.

Vnum peccatum sæpe infinita alia secum trahit. Genes. cap. 39. Tom. 4. fol. 53. Nullum peccatum solum est, sed semper aliud secum trahit. Idque in omnibus lapsibus solet accidere. Qui non statim resurgit & resipiscit, mox in aliam tentationem prolabitur. Post libidinis & adulterij scelus ilico mendacium sequitur, postea homicidium & effusio innocentis sanguinis, & tandem etiam desperatio. **So geths mit den Ketzern auch/ niemand wirdt ein Ketzer** propter vnum Articulum. **Begreifft der Teuffel einen in** vno, **so müssen jhr mehr kummen.** Sic non existunt hæretici propter vnum tantùm Articulum, sed cùm in vno aberrarunt à vera sententia, dementati à Diabolo, etiam in alijs pluribus hallucinantur. Ita in Adulteris multa peccata concurrunt, mendacia, furta, cædes & similia.

DE PECCATIS CLAMANTIBVS IN COELVM.

Geneſ. cap. 19. Tom. 2. fol. 121. Diſputatur hic de peccatis clamantibus in cœlum, & numerantur ab alijs quatuor, ab alijs quinque. Id etſi ſine ratione factum ſit, tamen piorum ſtudium non damno. Si autem propriè volumus loqui, clamor in Scriptura non ſignificat illa quatuor vel quinque peccata, ſed generaliter refertur ad omnia peccata, cum quibus coniuncta eſt impœnitentia & malicia: Sic Eſaiæ 5. Expectaui vt facerent iuſticiam, & ecce clamor, hoc eſt peccant impudenter, & nemo eſt qui puniat, nullum in Magiſtratu ſeu iudicibus remedium eſt, nihil reliquum eſt, quàm clamor, Das jederman zeter vber die Schand ſchreiet.

Vbi igitur eſt adhuc aliquis Dei timor, ibi Magiſtratus facit officium, & animaduertit in ſontes, & ſequitur vt homines non clament, ſed gratias agant Deo & Magiſtratui, quod cum vxoribus, liberis, & facultatibus ſuis in tuto ſint, nec ſint expoſiti quorumuis libidini. Contrà vbi verbum non eſt, & Magiſtratus negligit officium, ac diſciplina nulla Oeconomica ſeruatur vbi parentes indignè tractantur à liberis, herus à familia & ibi ſequi clamorem neceſſe eſt.

Sicut hodie auaritia & vſuræ ſunt immodicæ. Magiſtratus ad eas conniuet, nec punit vt debebat, quid igitur fit? Nonne qui iniuriam ſentiunt, & nihil præſidij vident in Magiſtratu clamant? Tales vocat Petrus inceſſabiles delicto 2. Petr. 2. Qui ſcilicet coherceri nolunt, & admoniti furioſius peccare pergunt, ſicque peccatum peccato cumulant, Pharaonis exemplo, qui eò inſaniebat magis, quo plus Aaron & Moſes prædicabant.

Hæc viderunt Sancti Patres, videntes autem tantam maliciam, diſcruciati ſunt animis. Leuius enim eſt mori, quàm videre extremam & indomitam mundi maliciam. In his igitur completum eſt, quòd textus dicit, clamor Sodomæ multiplicatus, &c.

IN PECCATIS QVID FACIENDVM.

Geneſ. cap. 4, Tom. 1. fol. 80. Proſunt nobis Exempla hæc, ne contendamus cum Deo, ſed cùm ſentis in conſcientia te reum eſſe, hoc ſummo ſtudio caue, ne vel cum Deo vel cum hominibus lucteris, defendendo aut excuſando peccatum. Hoc potius fac, ne à Deo intentante haſtam aufugias, ſed potius ad eum confugias, cum humili confeſſione culpæ & veniæ petitione. Tum Deus haſtam retrahet & parcet. Vbi contrà, quantò per negationem & peccati excuſationem longius à Deo conaris effugere, tantò propius & hoſtilius te Deus perſequitur & vrget. Nihil igitur melius nec tutius eſt, quàm venire cum confeſſione culpæ. Sic enim fit, vt dum Deus vincit, nos quoque per eum vincamus.

Sed Cain & hypocritæ hoc non faciunt. Intentat eis Deus haſtam. Ipſi contrà non quidem humiliantur, nec petunt veniam, ſed quoque haſtam Deo intentant. Sicut Cain hic facit, non dicit: fateor Domine, occidi fratrem, ignoſce. Sed ipſe accuſandus, vltrò accuſat Deum. Nunquid ego ſum cuſtos fratris mei? Hæc ſuperbia quid efficit? Nimirum vt vltrò fateatur ſe legem hanc nihil curare. Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Item: Quod tibi vis fieri, alteri ne feceris. Hæc enim lex non in Decalogo primùm promulgata, ſed omnium hominum animis inſcripta eſt. Contra hanc Cain pugnat, hanc ſe non curare, ſed ſimpliciter contemnere teſtatur.

PEC-

PECCATVM QVOMODO ARGVENDVM.

Genes. cap. 3. fol. 145. Respondet Iacob stulto Laban secundum stulticiam suam, sed ita, vt seruet illud quod Salomon addit, ne similis ei fiat, sed ne stultis videatur sibi sapere. Iubet enim Salomon vt erudiamus, arguamus, increpemus opportunè, importunè peccatores & stultos, ne videantur sibi sapientes, hoc est ne maneant in ea opinione, quasi rectè fecerint peccando. Sed proponendæ sunt increpationes diuinæ, ac vita & malefacta ipsorum aperienda vt sentiant se deliquisse, & agant pœnitentiam. Qui verò sic increpat stultum, vt fiat ei similis, vt si velim certare mendacijs, calumnijs cum eo, tum fierem ei similis. Sed sic obiurgandus est, vt confundatur in sua stulticia. Et hoc est iudicium diuinum, tua conscientia & tota vita anteacta te redarguit, vide vt agnoscas culpam, &c. Eiusmodi reprehensione vtitur Iacob aduersus Laban. Quid feci inquit, quæ mea transgressio? Quod peccatum meum? Congessisti in me maxima plaustra conuiciorum & criminum, clamasti me furem, abigeum, sacrilegum, religionis tuæ euersorem esse. Horum vnum tantùm ostende & proba, & luam ego dignas pœnas. Quod si non potes, iam tuam leuitatem & mentiendi libidinem prodis. Nam silentio tuo fateris mentitum te esse, quin & diuino & proprio testimonio conscientiæ tuæ conuinceris. Nihil potes adferre in quo peccauerim, aut quicquam eorum quæ facere debebam, omiserim. Tota increpatio tua calumniosa, ementita & furiosa fuit. Tuo enim ipsius iudicio, confunderis & condemnaris. Ego verò testem habeo innocentiæ meæ Deum, & tuam ipsius conscientiam, **Also sol man den Narren mit Kolben lausen.**

Ita de pexum dari oportuit stolidum Nabal, vt videret se errasse, idque est respondere stulto de stulticia eius, ne sibi videatur sapere. Non enim dissimulanda sunt conuicia Satanica, aduersus pietatem & Deum ipsum conficta, sed sunt traducenda & refutanda. Ac talis refutatio non est peccatum. Non est ira iniusta, aut reprehendenda, sed sancta & iusta, & Zelus pius, qui irascitur impietati & peccato.

Prosunt autem tales obiurgationes, ne perseuerent homines in erratis aut delictis, & maneant mancipia Satanæ, qui eos impulit & obsedit, sed arguenda sunt, vt conuertantur & liberentur à tyrannide Satanæ. Sicut nos insectamur Papam tanquam Antichristum, & seductorem orbis terrarum, traducimus & damnamus impietatem & idolomaniam omnis generis. Non priuata cupiditate incitati ei irascimur, sed Zelo iusto, & feruore conscientiæ ad vindicandam & tuendam gloriam Dei.

AD ARGVENDA ET PVNIENDA PECCATA TRES ORDINES *instituti.*

Genes. cap. 19. Tom. 2. fol. 135. Instituit Deus tres ordines quibus mandatum dedit, ne peccata sinant impunè abire. Primus est parentum qui domi suæ disciplinam seuerè custodire debent in regenda familia & liberis.

Secundus ordo est politicus, Magistratus enim gladium gerit, vt contumaces & negligentes disciplinæ vi cogat.

Tertius est Ecclesiasticus, qui verbo gubernat. Sic aduersus Diabolum carnem & mundum, muniuit Deus genus humanum hac triplici autoritate, in eum finem ne scandala crescerent, sed præciderentur. Parentes sunt ceu Pædagogi, hos qui adulti sunt & negligunt cohercet Magistratus per carnificem. In Ecclesia qui contumaces sunt excommunicantur.

Ita lucet vbique diuina maiestas, vtens pro sua varia sapientia & infinita prudentia hominum ministerio. Qui si vocationem suam negligunt, & aut connuent ad scandala, aut non seriò puniunt, alienum peccatum in se transferunt.

Peccatum filiorum si pater non reprehendat, fit proprium patris. Peccatum adulterorum, homicidarum, vsurariorum sunt quidem propria ciuium, sed si Magistratus non puniat, sicut passim hodie fit, priuata illa peccata singulorum, fiunt peccata ciuitatis, seu publica peccata, quæ publicæ calamitates semper solent sequi. Rectè enim dicunt Leges, quòd faciens & consentiens pari pœna plectendi sunt. Sic si Episcopus videat errores, Hæreses, malos mores in Ecclesia, & non corripiat nec excommunicet impœnitentes, seipsum constituit reum omnium istorum peccatorum. Sic Loth audit horribilem sententiam, nisi egrediatur, participem fore peccati ciuitatis & periturum esse cum incredulis ciuibus. Sic Moses Numeri. 16. Cùm seditiosos Dathan, Abiron & Core Dominus puniturus esset, clamat ad reliquos : Separamini de medio impiorum, ne & vos absorbeamini. Et cum immolarent vitulis Exodi. 23. Viginti tua millia à Leuitis occisa sunt, alioqui si hoc non esset factum, totus populus interemptus, & populo peccatum illud imputatum esset. Et in Iosua, postquam Rubenitæ ædificassent altare, totus populus metuens pœnam mittit legatos : Nos inquiunt nondum sumus purgati à peccato Balaam, & vos nouum peccatum inducitis super nos. Sentiunt enim & vident veram esse Ezechielis sententiam: Si dicente me ad impium morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse quidem impius in iniquitate sua morietur, ego autem sanguinem eius requiram de tua manu Ezech. 3.

Porrò hoc præceptum de reprehendendis peccatis, non solùm ad Doctores in Ecclesia, & Magistratus in Republica pertinet, sed ad singulos ciues & domesticos. Ioseph de fratrum peccatis referebat ad Patrem & accusabat eos. Sic ciues inter se non debent dissimulare peccata aliorum, & in Ecclesia frater fratrem arguat, secundum Christi mandatum, ne alienis peccatis communicet. Ac in politia non rarò exempla sunt, quæ ostendunt quoties Magistratus aut sustinuit, aut defendit manifesta peccata, secutum esse exitium, & publicas calamitates horribiles. Fugere igitur tùm necesse est, nisi velis alieni peccati particeps fieri, & pœnam alieni peccati attrahere in tuum caput. Sic in Apocalypsi monemur, vt exeamus Babylone, & discedamus ab ea, hoc est vt nos prorsus separemus ab Ecclesia Papæ, nisi cum ea velimus etiam perire.

Quod ad ipsum Loth attinet, est homo sanctus & innocens, sine omni crimine & tamen audit hanc comminationem: Ne tu rapiaris, non quidem propter tua peccata, nam Angeli ad te missi sunt, vt te seruent, sed propter peccatum ciuitatis. Oportet igitur nos siue in Magistratu simus, siue priuati, vnanimiter resistere peccatis, ne ira Dei super nos veniat, & absorbeamur omnes simul.

Recitatur in historijs Græcis, de quodam Sybaritarum ciue Amiri, cum vidisset seruum ab hero ex ara protractum confugere ad sepulchrum Patris, & ibi herum motum religione paterni, epulchri seruo parcere : Indignum ratus Amiris maiorem religionem sepulchri, quàm aræ esse venditis quæ habebat omnibus, migrasse ex opulenta & florente tum ciuitate Sybaritarum, in Peloponnesum, quòd statueret certam pœnam secuturam, tales mores, ac insanire visus est suis ciuibus ob hoc factum. Sed ipse huius suæ insaniæ pulcherrimum tulit fructum, nam

nam Sybaris paulò post deleta. Obseruandum igitur hoc est, quod semper prævalentibus peccatis, necesse est venire iram Dei. Qui igitur in officio seu Magistratu sunt, faciant suum officium, neque ad vllum scandalum quantumuis exiguum conniueant. Quod si prævaluerit iniquitas, fugiant ne fiant participes alieni peccati.

Meritò igitur Antinomos reprehendimus, qui adfirmant comminationes legales in Ecclesia non habere locum, sed certum Dei mandatum est, quòd peccata debent argui.

Itaque nemo curet, quòd veritas odium parit. Qui gerit gladium seuerè in scandalorum autores animaduertat, nulla habita ratione ciuium, offendanturne an non.

Sic doctor in Ecclesia liberè reprehendat, quæ cum scandalo fiunt, & impœnitentes arceat à communione, & alijs pijs officijs, non enim impijs contemptoribus Euangelium prædicandum est, sed afflictis miseris, & malè habentibus, sicut apud Esaiam est: Spiritus Sanctus super me ad prædicandum afflictis misit me ad prędicandum contritis corde, &c. Non ad consolandos superbos contemptores & præfractos, quorum semper maxima pars est. Sicut Christus in parabola de semine ostendit. Et nos hoc in loco audimus regulam, alienis peccatis non esse communicandum. Etsi enim Loth non fuit Magistratus sed priuatus ciuis, & sine crimine, tamen nisi fugisset, peccatum ciuitatis factum fuisset ipsius peccatum, & simul cum cæteris perijsset.

PECCATVM REMITTITVR SED NON SINE POENA *corporali.*

Genes. cap. 45. Tom. 4. fol. 161. Iacob libenter ignoscit & remittit filijs peccatum, posita indignatione, placatusque illis recipit eos in gratiam propter Ioseph. Sed tamen non obliuiscitur prorsus perpetrati facinoris à filijs, sicut infrà apparebit, cum fontibus tristes pœnas denunciabit. Hæc enim est regula diuina. Remittendum est peccatum, vt remittat nobis Deus, sed pœnam remittere non semper necesse est.

Quando autem verbum Dei ita apprehendo, vt sciam Deum mihi propicium esse, qui non velit me damnare propter peccatum, nihil erit incommodi, si in exemplum aliorum patiar eius castigationem, iuxta illud Psalm. 118. Castigans castigauit me Dominus, sed morti non tradidit me.

Sic Moses vir sanctissimus non ingreditur terram promissionis, & cogitur ferre hanc virgam Dei dicentis: Non intrabis terram, quanquam magna & mirabilia feceris, sicut ipse commemorat Deut. 4. Præcatusque sum Dominum in tempore illo dicens: Domine Deus tu cœpisti ostendere seruo tuo magnitudinem tuam, &c. Transibo igitur & videbo terram hanc optimam trans Iordanem. Sed dixit mihi: Sufficit tibi, nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me. Ingens enim beneficium est, quòd remittit Deus peccata & adfirmat se gratia & beneuolentia sua me complecti velle. **Ich wil dir kein leid thun**, non nocebo tibi, non perdam te, sed vt habeas monumentum peccatorum tuorum ob oculos positum, & alij exemplo hoc erudiantur, oportet vt te corripiam.

Idem

Idem docet exemplum Pauli 2. Cor. 12. Qui quæritur de stimulo carnis, & Angelo Satanæ colaphisante ipsum, propter quod inquit ter Dominum rogaui vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Cessa, desine hoc à me petere, expedit tibi hæc adflictio, quia virtus mea in infirmitate tua perficitur. **Ich bin dir nicht vngnedig.** Iam qui potest hoc firmiter animo suo persuadere, quòd habeat Deum fauentem & propitium, is facilè omnem impetum Satanæ, ac totius mundi indignationem & furorem contemnet.

Iacob igitur declarat animum paternum in condonando peccato, **Aber sie müssens dennoch nicht vergessen.** verùm ne obliuiscantur peccati, postea irascitur & castigat eos, tametsi nunc eis parcit, mitigatus exemplo Ioseph, cuius benignitatem & clementiam singularem experti fuerant. Iamque conuictus argumentis ipsorum prorsus acquiescit & ait: Sufficit. Satsuperque quòd filius meus adhuc viuit, nihil amplius requiro in hac vita, quàm vt videam Ioseph, pro quo martyrisatus & crucifixus sum totos viginti duos annos.

NON ESSE PECCANDVM PRAESVMPTIONE MISERICORDIAE.

Dei.

Genes. cap. 50. fol. 249. Hoc est quod Paulus ait Rom. 8. Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs qui secundum propositum vocati sunt Sancti. Et Augustinus alicubi inquit: Tam bonus est Deus, vt non permittat malum fieri nisi ingens bonum possit inde elicere.

Sed inde non sequitur hoc, quod colligunt homines profani, & à Paulo refutatur Rom. 3. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & sicut aiunt quidam nos dicere: Faciamus mala, vt veniant bona? Addit enim Paulus: Quorum damnatio iusta est.

Lex quidem subintrauit, vt abundaret delictum, hoc est per legem monstratur magnitudo peccati, & non tantùm non sonatur, sed etiam abundat. Verùm hæc magnitudo facit etiam abundare gratiam. Itaque magnitudo peccati nemi nem debet adigere ad desperationem, sed magis commendanda est & amplificanda magnitudo gratiæ, quæ absorbet peccata quantumuis magna.

Hæc verò impia ratiocinatio est: Si peccatum nostrum commendat misericordiam Dei, ergo peccemus. Non enim hoc vult aut permittit Deus, nec prescribit tibi regulam, iuxta quam impunè delinquas. Non dicit se propter peccatum benefacere. Aliud est reddere bonum propter peccatum, aliud subuenire & succurrere propter peccatum.

Omninò enim detestatur & odit Deus peccatum, & tamen proponit promissionem: Qui lapsus est non desperet. Non iubet facere peccatum, sed prohibet. Postquam verò designatum est, & lex accusat & terret conscientiam, vt fiat supra modum peccans peccatum Rom. 7. Vt hic in fratribus Ioseph appa ret, ibi non vult regnare mortem, sicut testatur apud Prophetam: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Sicut peccatum abominatur ita lapsum non vult manere in peccato viuente, sauciante & torquente conscientiam per legem, sed dat promissionem & remedium, quo seruetur animus saucius ne desperet. Pharisæus non debet saluus fieri præsumendo, nec Dauid aut latro perire desperando.

Sed

Sed regia via incedendum & fugiendum est peccatum. Quanquam enim promisit Deus veniam, sicut ait Augustinus, tamen non promisit hoc quod certò sis rediturus post lapsum, sicut Saul & Iudas non redeunt. Non est in nostra potestate apprehendere gratiam, neque scis an possis remissionem oblatam accipere. Ideo timendus est Deus, qui & præsumptionem & desperationem odit. Sicut nolo peccatorem inquit, ita nec mortem peccatoris volo. Sed si malicia Diaboli impulsus es ad peccandum, & lex te condemnat, Diabolus ignita sua tela in te torquet, & præcipitare conatur in infernum, nolo temori aut desperare, sed confugere ad Christum saluatorem, qui non vult mortem peccatoris, sicut nec peccatorem vult.

Ad hunc modum facit Deus ex malo bonum, non quòd velit malum fieri, sed tanta est bonitas ipsius, etiam in malicia nostra, vt non possit facere quin remittat peccatum, si quando ingemiscit peccator, & implorat misericordiam, **Wen das geschicht / so sol es vergeben sein.**

Hæc ingens consolatio est diligenter infigenda animis piorum, ad excitandam & corroborandam fidem, sed videndum est ne abutamur ea. Sicut monet Syrach. cap. 5. Super data venia ne sis securus, vt peccata peccatis accumules, nec dicas: Misericordia Dei plurima est, copiæ peccatorum meorum ignoscet. Tam enim ira quàm misericordia festinat ab eo, & in sceleratos furor eius incumbet. Nos Germanicè dicimus, **Du solst nicht auff Barmhertzigkeit sündigen.** Et Paulò ante: Ne dicas: Postquam peccaui, quid mihi triste accidit? Dominus enim patiens quidem est, sed impunè te non dimittet.

Itaque quò maior est bonitas & misericordia Dei, hoc minus ea abutendum est, sed qui lapsus est, confugiat ad gratiam eius, vbi videbit, quàm difficile sit erigere se, & consolationem admittere, ea verò apprehensa, iam sanatum est peccatum.

Sin fretus bonitate Dei sciens & prudens mandata eius violare ausus fueris, periculum est ne pessundet te peccatum, antequam accipias remissionem in filio, sicut Iudas, Saul, Achitophel, Absolon, non possunt ad eamaspirare, qui in misericordiam & gratiam Dei obstinatè deliquerunt.

Quòd igitur ait Syrach: De propiciato peccato noli esse sine metu, ad futurum peccatum pertinet, ne quis errorem sophistarum inde probare conetur, qui docent non esse credendam remissionem peccatorum, & esse eam incertam. Sed hæc est sententia: Non debes in futurum peccare. Non ita fidendum est misericordiæ Dei, vt ea abutamur, tales enim sunt qui dicunt: Faciamus mala vt veniant bona. Deus cùm prohibuit peccatum vult te id fugere & vitare. Vbi verò perpetratum est, ac mordet te, & ad desperationem impellit, sicut Adam in Paradiso fugit Deum, & abscondit se, cùm agnosceret nuditatem suam, nec posset consistere ad vocem Dei, ibi peccatum erat in suo actu, & horribili iudicio accusandi & damnandi, & reuera mortuus erat iuxta sententiam Dei: Quocunque die comederis ex eo, morte morieris, tum verò ad verbum gratiæ properabis, sicut Adam reuiuiscit ad promissionem de semine mulieris: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & Semen illius, ipsum conteret caput tuum, &c. Id est Adam & Heua non morientur, sed viuent & habebunt Semen, quod seruabit eos. Ibi redijt vterque in vitam & saluatus est.

Diligenter igitur hoc tenendum est, quòd Deus non vult peccatum, neque quicquam propter peccatum facit, quia odit illud & punit, sicut Scriptum est: Reddens vnicuique secundum opera sua. Sed his in quibus abundat peccatum per legem, offert gratiam & salutem. Antea inquit prohibui præsum-

Præsumptionem, sed non obediuisti mihi & nunc prohibeo desperationem, vtrumque peccatum fugies: Ne dicas est propiciatio & expiatio pro peccato, ego ero sine metu, non pergas in ea securitate, fieri enim potest, vt obruaris desperatione priusquam apprehendas misericordiam. Nescis horam mortis, nescis an Diabolus tibi antequam resipiscas manus inijciat, aut mora te præoccupet

Non enim talis res est peccatum aut mors, quæ possit libere deponi aut abijci, sicut tunica exuitur, sed penetrat medullas carnis & spiritus, sicut videmus in tentationibus desperabundos ægritudine animi & tabe confici, & Dauid hanc vim illius & tyrannidem horribiliter sensit, cùm audiret ex Propheta Nathan tristissimam reprehensionem: Tu es ille, &c. Ibi exclamat, peccaui Domino, & oculis atque animo eius nihil aliud quàm mors, & exitium obuersatur, perijsset que eo ipso momento, nisi subiecisset statim Propheta: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum. Tanta nimirum vis est desperationis & peccati, vt exhauriat corpus cum anima.

Non igitur temere peccabis fiducia ignoscentiæ diuinæ, sed in desperatione tantùm ea nitendum, & acquiescendum est. Atque ibi succurrere debent pastor & ministri Ecclesiæ, & misericordia exuberans supra peccatum amplificanda est, sicut Nathan Dauidem hac consolatione resuscitat ex mortuis.

Dominus transtulit à te peccatum tuum. **Wie thustu? Wiltu darumb sterben in deinen Sünden? Er kunt és aber gleichwol lang nicht vberwinden.** Postea tamen longo tempore cum aculeo & morsu illius peccati conflictatur, quantumuis remissum & condonatum esset. Vide enim tristissimas eius querelas in Psalmis, **So sihestu was** peccatum **für schaden thut**/ est intolerabile onus, & virus planè Diabolicum.

Noli ergo securus esse ad designanda mala vt veniant bona, etsi enim vtitur Deus hoc scelere fratrum Ioseph ad salutem multorum hominum, & alia plurae. xempla misericordiæ diuinæ passim extant, tamen periculum est ne illi qui sine metu sunt, præoccupentur à morte, & descendant in Infernum antequam possint confugere ad misericordiam Dei. Nam id quoque præsens historia testatur & monstrat, quàm difficile sit post peccatum resipiscere & credere salutem hanc, quòd Deus gratis sit propicius propter Filium, agnoscentibus delicta. Et illi in primis non sine magno labore eluctari possunt ex desperatione, qui educati sunt in lege, & carcere Papæ, irretiti laqueis traditionum humanarum. Semper aliquid afferre cupimus meritorum, & optamus vt respiciat Deus contritionem & satisfactionem nostram, quem errorem adhuc impudenter & impiè stabiliunt Louanienses.

DE PECCATO IGNORANTIAE.

Genes. cap. 12. fol. 23. Tom. 2. Oritur hic grauis quæstio, cùm certum sit Pharaonem peccasse ignoranter, cur tamen punitus sit, & quidem tam grauibus pœna, ac priusquam aliquid conaretur cum Sara?

Respondent autem tum Theologi, tum Iureconsulti per distinctionem, esse ignorantiam duplicem. Aliam iuris quæ neminem excusat: Aliam autem facti quæ excusat. Ius autem hic definiendum est Dialecticè, non de omnibus opinionibus Doctorum, hæc enim & infinitæ sunt, & plerunque inter se pugnantes, siquidem de apicibus iuris Iureconsulti disputant, ac rarò conueniunt: Sed de lege promulgata inter ciues, aut vlu & consuetudine recepta. Qui igitur ignorat, quæ publicè promulgata, aut vlu recepta sunt, non excusatur. Discere enim id licebat ex vicino. Et ideo promulgantur leges, vt ceu lux præluceant in generebus, & qui contrà faciunt, se deliquisse sciant, & expectent pœnam. Sed nescire

scire quid in quolibet casu Bartolus, quid Baldus iudicet, seu concludat, hæc non est Iuris ignorantia vocanda. Ius enim est non opiniones Doctorum & quæstiones, sed scientia publicè proposita.

Ignorantia autem facti est, cum ius scio, & factum nescio, vt cùm paterfamilias domi furem alit, quem tamen nescit furem esse. Hic ius scit quòd furari lege prohibitum sit, factum autem nescit: Ideo sine periculo suo alit furem, quem nescit esse furem, & nec consilio, nec auxilio adiuuat. Hæc distinctio vtilis est, & ideo eam recito, ne quorundam intempestiua sapientia decipiamini, qui sobriè & vtiliter dicta, ac docendi causa inuenta, nimio rixandi studio, suggillant.

Theologi in scolis alias ignorantiæ species numerant. Prima est, quam vocarunt inuincibilem, confictam ad excusanda peccata, quod nulla industria, vel diligentia vinci aut emendari possit. Sic Cicero est inuincibiliter ignorans Dei. Nam cùm eius disputationes de Natura Deorum, de finibus bonorum & malorum, legis, vides nihil ab eo omissum, quod humana ratione, & totis viribus ab homine potest effici, & tamen quid Deus velit, quæ eius de nobis sit sententia ignorat. Ratio huius ignorantiæ est, quia non est rationis natæ videre Deum, sed Spiritus Dei, illustrantis mentes nostras per verbum. Hoc cùm destitueretur Cicero, inuincibili ignorantia laborare eum necesse fuit. Sed hoc ipsum exemplum euertit celebre illud Scolasticorum dictum: Homo cùm facit quod est in se Deus infallibiliter dat gratiam. Fecit enim Cicero quod in se fuit, & tamen non consecutus est gratiam. Imò hoc suo studio in altiores tenebras incidit, vt prorsus de Deo dubitaret. Ita enim necessariò accidit, qui sine verbo de tantis rebus cogitat, tantùm fretus rationis lumine, eum errare magis ac magis necesse est.

Huius igitur ignorantiæ excogitandæ causam, Theologi nullam habuerunt, non enim patrocinia peccatorum quærenda sunt, sicut in summa Angelica, vbi de docendis conscientijs agitur, sæpe fit. Is enim autor huiusmodi politica & Oeconomica dicta, cum magno scandalo in Theologicas disputationes inuexit.

Itaque cùm ego recens Theologus eam ob causam eum librum legerem, conscientijs consulere in confessione vt possem, sæpissimè grauiter offensus sum: quod quæ ad Dei iudicium & Ecclesiam pertinebant, forensi & iudiciali modo tractabat.

In politicis negocijs potest esse locus inuincibili ignorantiæ, vt cùm quis impeditus morbo, aut mente captus aliquid peccat. Sed hæc ad res sacras & conscientiæ negocia transferenda non sunt. Sumus enim nati in cæcitate peccati originalis. Id malum inuincibile est, adeo vt etiam renatos captiuet, sed non ideo excusabile est. Sicut Scholastici inuincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quæ simpliciter à toto excuset (Sic enim loquuntur) id est peccatum prorsus tollat. Hoc si statuamus verum esse, sequetur etiam sine Christo homines saluari, si faciant quod in se est. Tanta cæcitas est in Papæ scholis & Ecclesijs.

Sed intuere Pharaonem, is moraliter est in ignorantia inuincibili, nescit Saram esse vxorem Abrahæ, & audit ex ipso Abraha, quod soror tantùm sit, & tamen Deus immittit ei grauissimas pœnas. An non vides hic falsam esse, istam celebrem Scholasticorum sententiam, de ignorantia inuincibili excusante à toto?

Sic Christus cùm inquit: Si in Sodomis factæ essent virtutes, quæ in te sunt factæ, mansissent vsque in hodiernum diem, sed dico vobis quòd tolerabilius erit Sodomis in die iudicij, quàm tibi. Hic statuit ignorantiam in Sodomis, si con-

teras ad Capernaitas, sed tamen dicit, non excusari ideo Sodoma à toto. A tanto (vt loquuntur in Scholis) excusari dicit, quod propter istam ignorantiam mitius punientur.

Sed quid multa? Quisquis inuincibilem hanc ignorantiam, excusationem mereri statuit, inuertit Scripturam Sanctam, & tollit è mundo Christum iusticiæ Solem, reuelatum ideo vt hanc ignorantiam tolleret. Verè enim aliud nihil est, quàm peccatum Originale, quod qui excusatione dignum statuit, nihil sacrarum rerum tenet.

Secundam ignorantiæ speciem vocarunt supinam seu crassam ignorantiam, qualis est, cùm tepidè & frigidè verbum audis quod posses discere si velles. Hanc rectè statuunt inexcusabilem.

Tertia est ignorantia adfectata, quando studiosè cauemus, ne quid cognoscamus aut discamus. Hanc rectè duplicem pœnam mœreri docent, vt cùm hodie, qui in aulis Episcoporum & impiorum Principum viuunt, studio abstinent à libris nostris & eos legere nolunt, vt compellati à suis principibus liquidò iurare possunt, se ignorare doctrinam nostram.

Sic apud Hiobem dicunt cap. 21. Scientiam viarum tuarum nolumus. Et in Euangelio: Nolumus hunc regnare super nos. Hanc vocant adfectatam ignorantiam.

Si quæras quo in loco Papa cum Pontificijs sit, aut dicemus eos in hoc postremo ordine esse: Multa enim impugnant & damnant, quæ sciunt bona, & vero consentientia esse, aut ponemus eos simpliciter inter persecuturos & aduersarios sanæ doctrinæ. Sicut ideo Pontifex Antichristus dicitur.

Quid igitur respondebimus ad propositam quæstionem de Pharaone? Aliud nihil, quàm quod ipsa historia secum adfert. Ignorantia nota est, & tamen quia Deus infligit pœnam, sequitur ex ipso facto ignorantiam non excusare. Verumque igitur statuamus, & errorem esse factum Pharaonis & malum errorem. Alioqui nulla sequeretur pœna.

Quod si quis existimabit pœnam hanc immissam, non quòd mali aliquid designauit Pharao, sed vt à malo quod secuturum erat nisi pœna interciderit prohiberetur. Is videat ne dum excusat errorem, patrocinetur peccato. Nam etiam ignorans Pharao, factus esset adulter. Adulterium autem semper peccatum est, neque valet hoc in loco illa iuris & facti ignorantia quæ in foro valet.

DE PECCATO VENIALI.

APPELLATIONES.

Circumstans peccatum. Tom. 3. Ienens. fol. 473. Psal. 45. Hoc est repugnare peccato repullulanti & deponere pondus & circumstans peccatum sicut ad Ebre. 12. Grauat enim nos & sollicitat assiduè, sicut videmus Christianos crebrò labi. Iam labor cogitatione iræ aut superbiæ, iam à Satana vexor tristicia aut desperatione, Iam Papa aut Sectæ irruunt pleni scandalis, qui contra me pugnant. Ibi oppono me & resisto, arguo & adhortor. Vide plura. Tom. 4. Ienens. fol. 501.

Peccatum non pœna peccati Vocatur. Tom. 2. Ienens. fol. 416. Contra Latomum. Videamus inquit Latomus in Scriptura qui sit peccatum. Deinde peccatum quatuor modis accipit, Primò pro causa peccati, secundò pro effectu seu pœna. Tertiò oblationem pro peccato. Quartò pro ipsa culpa, qua anima rea fit. Et miror quòd non quintò modo etiam pro præmio peccati acceperint. Deinde vt totum Aristotelem haberemus, etiam peccatum perse & peccatum

peccatum per accidens facere poterant fœcundi illi distinctores. Hic si quæram: Quæ est illa Scriptura in qua ista quadriga peccatorum Latomo visa est? Respondet, Origenes & Ambrosius Diabolum vocant peccatum. Et Augustinus, concupiscentiam post Baptismum vel motum eius remanentem. Ex his ego concludo quòd Origenes, Ambrosius & Augustinus sunt Scriptura sancta, ita multiplicabuntur non solùm Dij per opera bona, sed etiam Scripturæ Deorum per peccata. Quid enim essent Dij, nisi & Scripturas diuinas nobis darent? Deinde negat peccatorem dici, eum qui habet peccatum secundo modo, id est concupiscentiam seu motum eius post Baptismum.

Sed mittamus ista portenta & ad rem veniamus. Hic te lector iubeo liberum esse & Christianum, in nullius hominis verba iuratum, Scripturæ sanctæ constantem professorem, quæ si quid peccatum vocat, tu caue illis verbis mouearis, qui velut melius locuturi, ipsum negant peccatum, sed nunc imperfectionem nunc pœnam, nunc vitium voluntappellari, quo extenuent & eludant verba Dei, cùm nihil horum habeat Scriptura, credasque tu Spiritum Sanctum eum fuisse qui res suas idoneis verbis eloqui potuerit, vt hominum figmentis nihil opus haberet. Incredibile est enim quàm torqueat Sophistas, Paulus Rom. 6. 7. & 8. Quod ibi peccatum & non pœnam appellarit concupiscentiam superstitem Baptismo. Multa summa, si possent, redimerent hoc vocabulum.

AN VERE SIT PECCATVM CENSENDVM NEC NE QVOD POST BAPTISMVM *manet in renatis.*

Tom. 2. Ienens. fol. 419. Contra Latomum. De hoc reliquo peccato mihi cum Sophistis quæstio est. An sit censendum verè peccatum nec ne? Et vt dictum est, negare non possunt, peccatum ab Apostolo dici, sicuti vellent, ideo ad Patrum glosos & distinctiones confugiunt, adeo vt obtinuerint, vt Pauli vox conticuerit per orbem, nemoque sit amplius qui illud peccatum vocet, nomine, quo Paulus vocat, volentes esse vocem absurdam & periculosam. Quasi Spiritus Sanctus minus prouidus fuerit aut verba ignorarit, quibus sine periculo de rebus suis loqueretur, & nos loqui doceret. Proinde pro reducendo vsu Paulinæ vocis, hic omnia Patrum dicta semel in vnum negemus, siue appellent superstitem illam concupiscentiam, infirmitatem, pœnam, imperfectionem, vitium aut quoquo modo volent, nos illis Paulum opponimus Apostolum nostrum, id est gentium, tam locupletem autorem, qui non vno loco peccatum, & semper peccatum, nunquam pœnam, nunquam imperfectionem, nunquam infirmitatem vocat. Neque enim Augustino, quanquam omnium summo, licuit vocem Pauli mutare & aliam inuenire.

Dicimus ergo: Si probauerint vel ex absurditate sententiæ, vel ex consequentia, peccatum hoc non esse peccatum verè cedemus, & peccatum hoc loco non peccatum, sed pœnam significare consentiemus. Alioqui ne Angelis quidem de cœlo aliud dicentibus cessuri. Quid quæritis amplius Sophistæ? Ac patres quidem excusatos habeo, qui vel tentatione vel necessitate adacti fortiter negauerunt peccatum post Baptismum remanere, Quia cùm illis pugnabant, qui gratiam simpliciter negabant. Ideo vt dignè eam commendarent, asseruerunt omnia peccata auferri. Et seruiebat sermo eorum pulchrè & aptè materiæ (vt dicunt) subiectæ. Nam aduersarij de peccato regnante disceptabant, hoc negabant auferri id quod impium est. Verè enim totum peccatum abolitum est, vt prorsus nihil re-

gnat amplius. Quanquam Augustinus ipse in multis locis planè & vitium & peccatum appellet, vt est in Epistola ad Hieronimum vbi dicit: Nemini tantam esse charitatem in hac vita, quæ non augeri debeat. Atque id quod interim deest, vitium est inquit, Et sequitur ex quo vitio, si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

Ex quo vitio non est iustus in terra, qui benefaciat & non peccet. Hæc Augustinus. Hic vides & Augustinum hanc autoritatem sic intellexisse, quod benefaciens peccet, quia operatur in charitate nondum satis aucta, quam vitium vocat, nihil aliud in opere isto deesse differens, quàm plenam charitatem. Suntne hæc clara satis? Sed & Latomus quædam ex eodem adducit, in eandem sententiam vitium semper asserente. Quanquam vt dixi Augustino non satis credo, ne aduersarius dicat me eo niti tantum, vbi mecum facit. Sit sanè sibi ipsi contrarius, vt Latomus cogit, mea nihil refert. Attamen cùm esset Latomus his otonitruis percussus in caput, vt alienatus diu secum non esset, videns sese Augustinum damnasse in Luthero, quod ante temeritatem videre non poterant vniuersi Sophistæ, tandem ad se reuersus cogitauit: Quid faciam? Turpe est vinci, hoc faciam, imaginabor Latinam linguam in toto orbe, vnà cum Græca & Ebrea, virtute Dialogi mei extinctam esse, aut si quid reliquiarum supereſt dicam, sicut de hoc peccato dico, non esse peccatum, ita illam non esse linguam, quia Papa factum nostrum comprobauit, facilè erit, vt istas orbis reliquias è Louanienſi facultate Theologiæ petere vocabulorum significationes.

Igitur cùm vocabulum vitium in Augustino toties occurrat, vt etiam magis infestet, quàm vocabulum peccatum in Paulo, statuimus & ordinamus, & in virtute facultatis nostræ præcipimus, vt vitium significet, quod nos volumus, nempe imperfectionem, non illud quod desit & deesse non debet, nec quod sit contra legem Dei, si quis autem aliter dixerit, indignationem Bullæ & in caudam eius noluerit sese incursurum. Datum sub sigillo, &c.

Te obsecro, lector, qui miraris me sic ludere in Sophistas istos, an non iustus sit dolor meus super istis inauditis temeritatibus & impudentissimis sycophantijs? Non eos ludam? qui non contenti, quòd Scripturas Dei, quòd dicta Patrum, quòd euidentes rationes ludunt, insuper pergunt toti orbi os oblinere, & planè omnes homines in bestias transformare, quasi nec linguas nostras cognoscamus. Omnia secula, totus orbis vitium vocat etiam hoc, quod contra virtutes morales est, & vsitatissimum est verbum de vitijs & virtutibus, nec ipsorum Aristoteles peccata aliud quàm vitia vocat. Et adhuc audent isti prodire, nostra, sua, diuina, omnia negaturi, & in faciem omnium dicturi, vitium non solùm contra virtutes, sed nec contra gratiam dici. En tibi Louania tuos incendiarios, hostes linguarum & veritatis. Et tu Antichriste Romane, En tuas cultrices.

Igitur frontes istas meretricias contemnamus, & Augustinum cum Paulo iungamus, quòd hic peccatum, ille vitium vocat. Vitium autem scimus id esse, quod culpam & reprehensionem habeat, arguique dignum sit, etiam in rebus corporalibus. Sic habet vniuersa lingua latina.

Quare Paulum de peccato audiamus. Rom. 8. dicentem: Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum. Quid est peccatum damnari de peccato? Diximus Christum

esse peccatum factum pro nobis, sicut dicit 2. Corinth. 5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt iusticia Dei essemus in illo. Hic vtrumque peccatum vtroque loco ponit. Metaphoricum vel allegoricum est Christus, de quo peccato damnauit nostrum verum peccatum. Nam quòd peccatum nostrum tollatur, vnde habemus nisi de Christo, facto peccato pro nobis, non vtique de nostris viribus aut meritis, sed de peccato Dei, id est quem Deus peccatum fecit. Rogo cur non dixit, extinxit peccatum, sed vigilanter ponit damnauit peccatum?

Non enim nos credimus, cum Louanienſibus Sophistis, Paulo defuisse verba, qui sit vas electionis, electis & proprijs verbis locuturus præuisus. Quis enim est damnatus? Deinde addit in carne, omninò asserens peccatum in carne sed damnatum. Damnatus vtique is est, qui non modò à latrocinio aut malo scelere prohibitus, non modò captus & incarceratus, sed iudicatus & lata sententia mortis ductus est ad mortem, vt nihil aliud cum eo fiat, quàm vt tollatur de medio, etiamsi nec dum sit sublatus. Quæ est enim virtus talis latronis?

Ita peccatum per Baptismum in nobis captum, iudicatum, prorsusque infirmatum, vt nihil possit, mandatur penitus abolendum. Qui verò huic damnato consenserit, incurret illud Iohan. 16. Spiritus arguet mundum de iudicio, quia Princeps mundi iam iudicatus est. Damnatum peccatum & iudicium hoc rectum esse credere debemus, & ipsum exequi. Quæ sunt autem vincula huius captiuitatis? Esai. 11. Et erit fides cinctorium renum eius, & iusticia cingulum lumborum eius. Sic Psal. 68. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Quis verò ignorat latronem liberum non minus esse latronem quàm captiuum? Sed virtus eius extincta eò, vt nihil sit eo infirmius, cui mors est proxima, non potest modò quod latro vellet, miser ergo, sed tamen latro, si enim dimiseris eum, faciet quæ latro facit. Ita peccatum in nobis post Baptismum, verè peccatum est, naturaliter, sed in substantia, nec in quantitate, nec qualitate, nec actione, in passione verò totum. Nam idem prorsus est motus iræ & libidinis in pio & impio, idem ante gratiam & post gratiam, sicut eadem caro ante gratiam & post gratiam, sed in gratia nihil potest, extra gratiam prævalet. Vnde Paulus Roman. 8. Lex Spiritus vitæ in Christo, liberauit me à lege peccati & mortis.

Cur non dixit, liberauit me à peccato & morte? Nonne Christus liberauit à peccato & morte simul? Verùm de opere proprio legis & Spiritus loquitur, quæ hæc faciat quod Christus meruit. Christus quidem semel absoluit, & liberauit omnes à peccato & morte, dum nobis legem Spiritus vitæ meruit. Ille ergo Spiritus vitæ quid fecit? Nondum à morte, nondum à peccato liberauit, liberabit autem tandem, quia adhuc moriendum est, adhuc in peccatis laborandum. Sed à lege peccati & mortis liberauit, hoc est à regno & tyrannide peccati & mortis, vt peccatum quidem adsit, sed amissa tyrannide nihil possit, & mors quidem instet, sed amisso stimulo, nihil nocere neque terrere possit. Ecce iam duos locos, in quo Paulus vocat peccatum reliquum malum Baptismatis.

Hinc Paulus Roman. 8. & Colosſ. 3. Iubet mortificari membra super terram, iram, libidinem, auaritiam & similia.

Apertis verbis vtens, iam non solùm appellans ipsum peccatum, sed suis nominibus, iram, libidinem, auaritiam.

Et hæc noui isti linguarum autores persuadebunt, non esse nomina vitiorum neque peccatorum, scribit enim Sanctis & fidelibus Apostolus. Fingant igitur, libido in isto loco non est vitium, sed pœna peccati & imperfectio quædam, non

contra legem Dei. An non erat etiam pœna peccati ante Baptiſmum? Cur tunc erat peccatum? An imputatio hîc ſola mutauit rem & naturam? Neceſſe ergo habebunt vniuerſum Paulum, fermè nouis vocabulis replere, erafis iſtis inolitis. Sic Roman. 6. Non regnet peccatum in mortali corpore veſtro, vt obediatis concupiſcentijs eius. Quid clarius dici potuit? peccatum ineſt in corpore, & concupiſcentia eiuſdem, ſed ne regnet curandum eſt.

Hic iam tertius locus. Quartus ibidem. Peccatum enim vobis non dominabitur, quia non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Ecce ſub gratia agentibus ſcribit, & peccatum eis non dominari dicit. Quod vtique non de extraneo, ſed intraneo oportet intelligi. Quis enim extraneo reſiſtere poteſt, & alterum prohibere ne peccet? Quintus ibidem. Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati. Noſter inquit homo crucifixus eſt, & tamen deſtruendum eſt corpus peccati in eisdem nobis. Nunquam vult dicere vt deſtruat corpus imperfectionis aut corpus pœnæ. Ecce quinque locos apertos habemus, in quibus Paulus peccatum vocat, præter eos, quos non numeramus adhuc, vbi nominibus indiuidualibus vitiorum vtitur. Et hæc omnia cœleſtia tonitrua, cedere cogent ſibi fumiuenduli homunciones, vna reperta gloſella, è proprio capite prolata, ne vno quidem loco Scripturæ roborata. Nam de 7. capite, quod totum huc pertinet, in ſequentibus videbimus.

Quid ergo? Peccatores ſumus? Imò iuſtificati ſumus, ſed per gratiam. Iuſticia non eſt ſita in formis illis qualitatum, ſed in miſericordia Dei. Reuera enim, ſi à pijs remoueris miſericordiam, peccatores ſunt & verum peccatum habent, ſed quia credunt, & ſub miſericordiæ regno degunt, & damnatum eſt, & aſſiduè mortificatur in eis peccatum, ideo non imputatur eis. Iſta eſt remiſſio Baptiſmi glorioſiſſima, Et certè ſi ſpectes rem diligenter, ferè minus eſt, cum pro iuſto haberi, qui adhuc peccatis infectus eſt, quàm qui omninò purus eſt. Non ergo dicendum, quod Baptiſmus non tollat omnia peccata? Verè omnia tollit, non ſecundum ſubſtantiam, ſed plurimùm ſecundum ſubſtantiam, & totum ſecundum vires eius, ſimul quotidie etiam tollens ſubſtantiam vt euacuetur. Nec ego ſolus aut primus ex hominibus poſt Apoſtolos hæc dico. Auguſtini verba ſunt: Remittitur in Baptiſmo vniuerſum peccatum, non vt non ſit, ſed vt non imputetur. Audis? Eſt peccatum etiam poſt remiſſionem, ſed non imputatur. Non ſufficit tibi hæc ineffabilis Dei miſericordia, quod te penitus iuſtificat ab omni peccato, habens te, ac ſi ſine peccato ſis, tantùm vt pergas mortificare id, quod iam damnatum, & prope mortem poſitum ab ipſo eſt? Monſtret itaque abſurditatem, & cogat Latomus, Apoſtolum non intelligendum de vero peccato, propriè dicto. At dices hoc iam non peccatum eſt, non imputari. Hoc eſt quod volo, vt non naturæ operis, ſed miſericordiæ non imputanti tribuatur. Latomus autem miſericordiæ ignoſcentia poſtpoſita, vult ex natura non eſſe peccatum, hoc verò eſt ſacrilegium.

QVID SIT VENIALE PECCATVM ET CVR SIC DICATVR.

Tom. 2. Ienenſ. fol. 429. Contra Latonum. Paulus ait: Nihil eſt damnationis, licet non nihil ſit peccati, quia tot de peccato præmiſerat, ſed ideo nihil eſt damnationis, non quia non ſit ibi peccatum, vt Latomus mentitur, ſed quia

quia sunt in Christo Iesu dicit Paulus, id est pullastri sub gallina, & sub vmbra iustitiæ illius pausant, seu vt Roman. 5. Clarius dicitur, Gratiam & donum in gratia illius habent. Deinde non ambulant secundum peccatum seu carnem peccati, id est non consentiunt peccato, quod reuera habent. Deus enim eis prouidit duo robustissima munitissimaque firmamenta, ne hoc peccatum eis sit in damnationem. Primùm ipsum Christum propitiatorium (vt Roman. 3.) Vt sub hius gratia tuti sint, non quia credunt & fidem aut donum habent, sed quia in gratia Christi habent. Nullius enim fides subsisteret, nisi in Christi propria iusticia niteretur, & illius protectione seruaretur. Hæc est enim fides vt dixi vera, non absoluta, imò aboleta illa qualitas, in anima, vt illi fingunt, sedquæ se à gratia Christi non patitur auelli, nec aliò nititur, quàm quod scit illum esse in gratia Dei, nec posse damnari, nec aliquem qui sic in eum se proiecerit. Scilicet tam magna res est hoc peccatum reliquum, sic intollerabile iudicium Dei, vt nisi eum pro te opponas quem sine omni peccato esse nosti, subsistere nequeas, idquod fecit fides vera.

Alterum est, quod dono accepto non ambulant secundum carnem, nec obediunt peccato, sed prius illud principale & robustissimum est, licet & alterum sit aliquid, sed in virtute prioris. Quia pepigit Deus pactum ijs, qui sunt hoc modo in Christo, vt si pugnent contra seipsos & peccatum suum, nihil sit damnationis. Non ergo nihil est damnationis, vt Latomus delirat, quia non peccant, aut non sit peccatum in opere bono. Hoc fingit Sophista extra & contra apertum textum Pauli è proprio capite. Sed quia sunt inquit, in Christo Iesu, & non ambulant secundum carnem, manifestè de mortali peccato loquens. Solùm hoc agunt Sophistæ, vt hoc peccatum extenuent, quod Deus tantùm exaggerat, vt Filium suum sibi velit opponi, & homines omnes hoc vehementissimo iudicio ad Christum vrgere & compellere, vt sub alas eius trementes, desperantes, anhelantes sese recipiant. At isti huius peccati negatores, faciunt oscitantes & securos homines, in accepto dono, per hoc, & Christi gratiam vilem, & misericordiam Dei leuem, ad quæ sequi necessariò oportet, frigus amoris, segniciem laudis, & teporem gratitudinis. Nihil de Christo hi prorsus sciunt.

Tu ergo caue illos pestilentissimos, & disce opera Dei magna, mirifica & glorioſa esse, Ideo scias tete non posse hoc peccatum satis exaggerare. Neque enim malum eius vllus hominum vnquam inuestigare aut comprehendere penitus potuit, cùm sit infinitum & æternum, vt rursus opera Dei cognoscas, in Christo tecum facta, esse immensa, vt qui tam potentem tibi in Christo gratiam præordinauit, quæ tanto malo non patiatur tete perdi, & qui tanto malo dignus sis, tamen illius hominis gratia, non solùm illo non perdaris, sed etiam tandem ab eo libereris. Magnificanda est gloria gratiæ, nec potest satis magnificari, ita vt Paulus exclamet: Gratias Deo pro inenarrabili dono eius. Ne ergo auscultes frigidis istis & languidis Sophistarum sibilis, de operibus bonis sine peccato, de fide infusa, de fide acquisita, de libero arbitrio, somnia sunt & ludicra ad istam rem leriam. In Christum tete rapi oportet, sicut Elai. 2. dicit: Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius. Et in Canticis. Columba mea in foraminibus petræ, in cauernis materiæ. Noli errare. Magnitudo protectionis satis indicat, quantum sit peccatum istud, nisi Christum Filium Dei existimes ligneam aliquam imaginem esse. Omnes Sancti tremunt hoc iudicium, & nisi Christum opertorem habeant, pereunt, & nos adhuc disputamus & ludimus, in operibus bonis peccatum esse.

Sic scilicet de tremenda maiestate æterna sapimus, quasi de homine quouis disputemus, quando de illa disputamus.

DISCRIMEN PECCATI REGNANTIS ET REGNATI.

Tom. 2. Ienens. fol. 421. Contra Latomum. At dices mihi: Distinctio illa noua & tua est, de peccato regnante & regnato, & arbitrio tuo posita. Respondeo. Esto, contemne eam, non est mihi in verbis controuersia finge tu aliud, saltem regnantis peccati vox, non meum inuentum, sed Pauli autoritas est.

Tu nunc illud quod non regnat, quo uis nomine appellato, quamuis etiam pro me faciat. Genes. 4. Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Hic certè peccatum subiectum describitur. Sed & Sophistæ coguntur concedere aliud peccatum veniale, aliud mortale. Et cùm veniale asserant, non nocere, non regnare, non damnare, verissimum tamen vocant & propriè dictum peccatum, nec ideo alterius generis aut naturæ peccatum faciunt, quia illud mortale, hoc veniale, sed vtrumque defectum à legè Dei, & contrarium legi Dei asserunt. Et ego aliud nihil peto, quàm vt mihi permittant hoc modo peccatum vocare, illud reliquum Baptismo, quomodo ipsi veniale, quod misericordia egeat, & naturæ sua malum & vitium sit, cui si consentias, etiam regnare feciſti & seruisti ei, & mortaliter peccasti. In hoc habeo Paulum Rom. 6. Satis iam memoratum, à quo non patiar me auelli.

Non inquam negnare poterunt, duo mala supereſſe Baptismo, peccatum & concupiscentiam eius. Verba Pauli aperta sunt, peccatum, fomes ipse naturale malum, concupiscentia motus eius. Huic non obediendum, illud destruendum dicit, vt destruatur inquit, corpus peccati. Appellent illa duo vt libet, sed non repellant esse dicta à Paulo, Mortificanda ea & destruenda vult Paulus, quæ damnata sint ad mortificandum, mala ergo vitia & peccata sunt. Infirmitates enim & mortalitates & pœnæ non cadunt sub præcepto, nec in arbitrio nostro poni possunt. Quis enim mortem & pœnas mortificet, nisi solus Deus sine nobis? Super peccata verò, & ea quæ nos reos faciunt, præcepta feruntur. Cùm ergo nobis præcipiat mortificare, non obedire illis, non vtique pœnas, non mortalitates, non infirmitates, sed peccata intelligit: Quæ esset enim Lex: Noli obedire hulceri, noli obedire febri, noli obedire fami & siti, noli obedire nuditati & vinculis, aut concupiscentiæ vnius illorum? Nonne & istæ sunt infirmitates, pœnæ, mortalitates? Sed peccato, peccatori & suggestionibus eorum, quæ & ipsa peccata sunt, non est obediendum.

Quanquam stultum sit, nos in re tam manifesta tot verbis laborare, cùm Apostolum claris expressisque verbis habeamus, peccatum & concupiscentias asserentem. Qui Pauli verbis non acquiescit nostris quando capietur? Obsecro quid facturi fuissent si Paulus obscurè fuisset locutus, & pro peccato malum vel infirmum posuisset. Item pro obedire & non regnare, vigilare vel abstinere dixisset. Sicut Petrus dicit: Abstinete à carnalibus desiderijs, quàm securos, quàm lætos hic triumphos ducerent? Nunc cùm luci & diei resistere nequeant, parant nubes illi obducere, & in medio die tenebras creare, vt peccatum sit non peccatum, vt Paulus mentitus videatur. Quod si etiam Patres pro ipsis sonare videantur, non tamen eis adhærendum est, sed magis Paulo, etiamsi vera dixerint, quia obscurius & impotentius quàm Paulus loquuntur. Clariora sunt Pauli verba, quàm vt vllius glosa indigeant, imò glosa magis obscurantur. Quanquam vt dixi, Patres

tres tamen & ipsi hoc peccatum & vitium vocant aliquando, tum sæpius de peccato regnante loquuntur.

Quare Sophistis nostris per Patrum dicta me oppugnantibus, sic dixerim: Vos per obscura probatis clarissima, & per humana tractatis diuina. Quare cùm hoc etiam vester Aristoteles prohibuerit, ne ignota per ignota, obscura per obscura, multò magis, ne manifesta per obscura probentur, concludo vos ineptos disputatores, qui non nisi toto opere & omni tempore principium vitiosissimè petitis. Summa responsionis Lutheranæ & confutationis Latomianæ est hæc. Si peccatum in locis Apostoli Pauli citatis probari potest, non esse verè & propriè peccatum, ruit Lutherus. Si non potest probari ruit Latomus. At probari non potest nisi per quædam Patrum dicta, sibi etiam pugnantium, insuper humana, si non pugnarent etiam, quibus præferri debent diuina, sine quorum autoritate nihil est asserendum, quare ruit Latomus & omnia sua, & stat Lutherus cum omnibus suis.

DVPLEX EST PECCATVM, REMISSVM PER GRATIAM ET RELIQVVM IN *carne.*

Tom. 4. Ienens. fol. 384. Psal. 51. Est peccatum remissum per gratiam, & est peccatum reliquum in carne.

Peccatum per gratiam remissum est, quod Deus propter Christum non velit nos deserere, quantumcunque simus peccatores, sed quod velit misericorditer ignoscere nobis, qui peccato perditi & corrupti sumus.

Hoc peccatum per gratiam remissum non satis est. Nam per infirmitatem subinde, in peccata relabimur, vellemus igitur non solùm peccatum remitti, sed totum aboleri. Nam peccatum sicut Augustinus loquitur, actu manet, reatu autem transit, hoc est, Res ipsa, quæ verè peccatum est, & remissa est, ac à Deo toleratur, ea manet in carne reliqua, nec dum planè mortua est, nisi quòd per Christum, sicut in Genesi dicitur, caput Serpentis contritum est, lingua tamen adhuc micat, & cauda minatur ictum. Nam peccatum, quia gratia & misericordia Dei super nos regnat, non potest nos damnare, non potest Deum nobis iratum reddere. Et tamen in iustificatis, reliquiæ peccati manent, vt concupiscentia & alia vitia, quæ ceu feces reliquas, siue seminaria, Propheta in se intuetur. Et sicut suprà pro remissione, vniuersaliter rogauit, ita hic orat pro istarum reliquiarum expurgatione, seu extirpatione.

Hæc igitur secunda pars petitionis est, quæ vt dixi nobis secundam distinctionem peccati ostendit, quòd Deus vult peccata delere, quo ad remissionem culpæ, & ad ipsam vim peccati, non quò ad rem, seu naturam peccati. Nam vis peccati, est accusare, damnare, mordere, lædere, non relinquere pacem cordi, obijcere iratum Deum, Infernum. Hęc vis peccati per misericordiam gratuitam tollitur, & tamen manent verè huius veneni reliquiæ. Ergo vtrumque verum est. Quòd nullus Christianus habet peccatum, & quòd omnis Christianus habet peccatum. Hinc nascitur illa distinctio, quod apud Christianos duplex est peccatum. Peccatum remissum, & peccatum reliquum, quod extirpandum & abluendum est. Peccatum remissum est, quod fiducia misericordiæ contritum est, ne damnet, ne accuset, & tamen propter hanc carnem, adhuc pullulat & militat in carne nostra, vt efficiat similes fructus prioribus, vt simus securi, ingrati, ignorantes Dei, sicut prius fuimus. Hi sunt conatus reliquiarum peccati in nobis, quos etiam sentiunt Sancti, sed per Spiritum Sanctum eis non indulgent.

Ergo

Ergo Christianus, postquam fide iustus est, seu remissionem peccatorum ac-
cepit, non debet sic securus esse, quasi planè ab omnibus peccatis purus sit, sed tum
demum ei perpetua hæc incumbit lucta cum reliquijs peccati, à quibus Propheta
hic cupit ablui. Est quidem iustus & Sanctus, aliena seu extrinseca sanctitate, ve-
sic docendi causa appellem, hoc est iustus misericordia & gratia Dei. Hæc mise-
ricordia & gratia non est aliquid humanum, non est habitus quidam aut qualitas
in corde, sed est diuinum beneficium, quod nobis donatur per illam cognitio-
nem Euangelij propriam, quòd scimus seu credimus peccatum nostrum nobis per
Christi gratiam & meritum remissum esse, & quod speramus propter Christum
in misericordiam & miserationes multas & magnas, sicut Propheta hic dicit. Hæc
autem iusticia an non aliena iusticia est? quæ tota consistit in alterius indulgen-
tia, & merum donum est Dei miserentis & propter Christum fauentis.

Hæc in similitudine clarum fit. Si quis in aula alicuius Principis capitale
supplicium sit meritus, hunc si ex gratia dimittet princeps, an non dices ei culpam
remissam, non proprio merito, sed gratuito beneficio clementis Principis? Me-
ritum enim nihil est, quàm supplicium mortis. Sed tali non satis est, commissam
culpam condonari, vincula soluenda, præbendæ vestes, aliquid præ manu etiam
dandum est vnde vtatur. Idem nobiscum quoque accidit in negocio iustifi-
cationis. Nam cùm per misericordiam sumus liberi à culpa, tum etiam dono Spi-
ritus Sancti opus est, qui expurget in nobis reliquum peccati, aut saltem nos adiu-
uet, ne succumbamus peccato, & concupiscentijs carnis, sicut Paulus dicit: Mor-
tificantes Spiritu facta carnis. Iam hoc nobiscum accidit, quod in ea securitate
viuimus pleriq́ue, ac si toti essemus Spiritus, & planè nihil carnis esset reliquum.
Quare discendum est, carnem manere reliquam, & Spiritus hoc esse officium, vt
pugnet contra carnem, ne caro ea perficiat, quæ concupiscit.

Ergo Christianus non est formaliter iustus, non est iustus secundum substan-
tiam aut qualitatem (docendi causa hisce vocabulis vtor,) sed est iustus secundum
prædicamentum ad Aliquid, nempe respectu diuinæ gratiæ tantùm, & remissionis
peccatorum gratuitæ, quæ contingit agnoscentibus peccatum, & credentibus,
quòd Deus faueat & ignoscat propter Christum, pro peccatis nostris traditum,
& à nobis creditum. Hanc iusticiam postquam fide consecuti sumus, tunc ne-
cesse est hoc balneo, seu lotione hac, de qua Psalmus dicit. Nam peccatum non
quidem amplius damnat, sed tamen remanet, vexat, & molestè impedit, ne sic ra-
piamur amore erga Deum, ne sic pleno corde credamus, sicut aut per Spiritum vel
lemus, aut Deus exigit, ne sic simus casti, placidi, benefici, &c.

Sed omnia quasi membra suis vicijs laborant contra legem Dei. Hic nisi
magno conatu nos opposuerimus & pugnauerimus, tunc periculum est, ne ista
vitia grandescant, & nos retrahant in veterem impietatem. Sicut plurima exem-
pla nostrorum hominum docent, qui nunc audito Euangelio longè sunt peiores
quàm antea. Sicut etiam Sectarum exempla testantur. Sic enim securi sunt, ac
si non possit eos sua ratio fallere, ac si sint sine carne. Illas Diabolicas cogitatio-
nes quas afferunt ad verbum Dei, admirantur & vulgant, quasi oracula, hoc cùm
fit nullus remedio locus est reliquus.

Contra hanc securitatem prodest orationem Dauidis benè considerare, in
qua postquam remissionem peccatorum, quod ad culpam rogauit, & in misericor-
dia Dei lætatur etiam hoc petit, quo restat vt lauetur ab iniquitatibus, vt dona-
tur sibi Spiritus Sanctus, virtus & donum illud, quod intus in corde viuat, & ex-
purget reliquum peccati, quod per Baptismum cœpit sepeliri, sed nondum plane
sepultum est. Atq; hæc est vita Christiana, sicut egregiè describitur ad Colos. 3.
vt quæramus ea quæ sursum sunt, tanquam mortui mundo, & quorum vita in
Christo

Christo abscondita sit. Et 2. Corinth. 7. Vt mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus. Significat enim restare in se & omnibus Christianis huiusmodi inquinamenta Spiritus, hoc est malas opiniones de Deo, & carnis hoc est vitiosas cupiditates, & hoc nostri laboris & studij esse debere, vt adiuti Spiritu ea expurgemus. Qui autem sibi toti sancti & sine vitijs esse videntur, hi inquinantur Spiritu, ac amittunt fidem, & concipiunt opiniones, fidei quidem similimas, sed à Diabolo immissas, quibus paulatim securi à verbo in impietatem abducuntur.

Citò igitur dixeris credo in Christum, sed res pleniſſimi laboris est, vt hæc fides in corde fixa & certa sit ac maneat. Quia inquinamentum Spiritus adest. Et nec ratio nostra, nec Satan cessant, qui hoc agunt coniunctis viribus, vt omisso verbo, proprijs nos opinionibus gubernemus. Hinc oriuntur sectæ & hæreses, quæ acerbissimo odio nos oderunt, & tamen hoc suum odium non putant peccatum esse, sed Zelum interprætantur. Igitur non expurgant non abluunt, peccatum hoc, sed augent quotidie. Nos autem curemus vt quotidie lauemur, vt de die in diem fiamus puriores, vt nouus homo resurgat, & vetus corrumpatur quotidie, non solùm ad mortem, sed etiam ad sanctificationem.

Ad hanc Christianorum quasi palestram faciunt, quòd non solùm varijs calamitatibus corporalibus Ecclesiam Deus præmi finit, sed quod etiam hæreses & sectas permittit excitari, vt exerceatur ad retinendum verbum & fidem, & expurgandas illas reliquias peccati. Nam ideo datur Spiritus Sanctus credentibus, vt cum laruis sapientiæ nostræ in cordibus nostris pugnet, quæ se attollunt aduersus iusticiam Dei. Deinde vt nos excitet ad orandum, ad præstanda officia humanitatis omnibus, maximè autem fratribus, & vt sic animus & corpus exerceatur, & de die in diem fiamus sanctiores.

Manifesta igitur hæc confessio est, quòd Christiani sint peccatores. Nam vbi requiritur lotio, ibi significatur inquinamentum & sordes. Sed nostri Sophistæ, quia tantùm Philosophicam iusticiam intelligunt, seu qualitatem in mente, non possunt hanc discordantiam concordare. Ponunt iusticiam ceu qualitatem in corde, ea cùm adest sentiunt totum hominem esse sanctum in spiritu & carne. Cùm igitur audiunt Paulum esse electum, & tamen esse peccatorem, propter reliquias peccati hærentis in natura, putant se Chimeram aliquam audire, quæ nusquam sit in tota natura. Damnant igitur nos pro hæreticis, & minantur incendia.

Sed respondeant nobis ad hunc Psalmum tam nobilem, & notum vulgo, quid causæ sit, cur Dauid post misericordiam & miserationes hoc est post iustificationem, petat hoc quoque vt mundetur? Nam Dauid habens remissionem peccatorum & existens in gratia, quem nullum peccatum accusat nec damnat, tamen adhuc est immundus, & habet adhuc immundum peccatum, cui nihil deest, cur non verè peccatum sit, quàm quòd non potest eum damnare.

Ergo Dauid iustus & iustificatus adhuc habet peccatum, & pro parte adhuc est iniustus. Ideo orat donum maximum Spiritus Sancti, ad has sordes expurgandas. Ac sanè donum hoc satis probat, non esse ludum aut iocum hanc ablutionem. Nam hoc etiam cauendum est, ne illas peccati reliquias extenuemus. Si enim eas extenues, vilescet etiam purgator & donum purgandi, Spiritus Sanctus scilicet. Et Propheta disertè illas reliquias vocat peccatum & iniquitatem, quanquam non est id peccatum, quod antea fuit, quia caput eius est contusum per remissionem peccatorum. Ideo non simpliciter dicit Propheta: Laua me, sed amplius, seu multùm laua me, hodie, cras, & ita deinceps per

omnem

omnem vitam, ab inquinamentis corporis & Spiritus, vt de die in diem fiam for-
tior & certior, contra terrores legis, donec fiam Dominus legis & peccati, per
πληροφορίαν tuæ misericordiæ, &c. Hæc est doctrina huius Psalmi, & perpetua
nostra Schola, in qua nunquam perfecti Magistri euademus, non nos, non Apo-
stoli, non Prophetæ. Omnes enim hic manemus discipuli, & omnes petimus,
dum viuimus, amplius lauari.

Hæ sunt duæ partes iustificationis. Prior est gratia per Christum reuelata,
quòd per Christum habeamus placatum Deum, vt peccatum amplius non pollu-
nos accusare, sed conscientia fiducia misericordiæ Dei, sit reducta in securitatem.
Posterior est donatio Spiritus Sancti, cum donis suis, qui illuminat contra inqui-
namenta Spiritus & carnis, & defendamur ab opinionibus Diabolicis, quibus or-
bem terrarum seducit, vt vera cognitio Dei in diem crescat. Item alia dona casti-
tas, obedientia, patientia, vt corpus nostrum & concupiscentiæ frangantur, nec is
obediamus. Qui hoc donum non habent, aut eo sic non vtuntur, sed aut in car-
nis sordes, aut spiritus labuntur, vt sine discrimine dogmata omnia probent, apud
hos dominatur caro, nec norunt tales, quid sit hoc Spiritus Sancti balneum, quod
Dauid hic petit.

VENIALE A MORTALI PECCATO DI-
SCERNERE PERICVLOSVM.

Tom. 2. Ienens. fol. 35. Psal. 4. Scio nullam esse temeritatem periculosio-
rem, quàm velle discernere inter veniale & mortale peccatum, præsertim in hor-
commotionis & tentationis. Illud peccatum inquam, quod motibus animi æsti-
antis patratur, cùm solent vel libido vel indignatio, aut quæuis alia passio, non v-
na tantùm, verùm multis quoque horis hominem quandoque occupare, ita vt an
consenserit nec ne ipse incertus sit. Quin non rarò diuina dispositione, mera &
uoluntaria passio est boni & synceri animi, adeo abscondita vt metuat, imò pe-
credat se consensisse, Quo remedio solet diuina misericordia conseruare in humi-
litate dilectos suos, quos insignibus donis præ cæteris ornauit, ne ijs inflati pr
cæteris superbiant & pereant. Proinde mihi Apostoli dogma tristissimum &
pientissimum est, vt saltem vesperi quisque ad se redeat, & iracundiam si quam co
cepit, dormitum iturus ponat, fratrique concilietur. Neque enim potest vllum
tempus aptius huic rei definiri, quàm Solis occasus & finis diei, vbi & negocia om
nia & opera finiuntur, & animus iam quietior est, aptusq; ad deponendam han
& omnem maliciam, siue in eam consenserit siue minus. Nam delicta quis intel
ligit? Atque in omni opere metuendum est, iudicium Dei strictissimum.

PECCATVM DICITVR ET EST VERE NATVRA SVA.

Tom. 2. Ienens. fol. 426. Contra Latomum. Iustus & fidelis absq; dubio
habet gratiam & donum. Gratiam quæ eum totum gratificet, vt persona prorsus
accepta sit, & nullus iræ locus in eo sit amplius. Donum verò quod eum sanet a
peccato & tota corruptione sua animi & corporis. Impijssimum ergo est dicere
Baptisatum esse adhuc in peccatis, aut non esse omnia peccata pleniss. remissa.
Quid enim ibi peccati vbi Deus fauet, & nullum nosse vult peccatum, totusq; to-
tum acceptat & sanctificat? Sed hoc non est referendum ad nostram puritatem,
vt vides, sed ad solam gratiam fauentis Dei. Remissa sunt omnia per gratiam, sed
nondum omnia sanata per donum. Donum etiam infusum est, fermentum mun-
tum est, laborat vt peccatum expurget, quòd iam personæ indultum est, & hospi-
tem malum extrudat, cui licentia facta est eijciendi. Interim dum hæc aguntur,
peccatum dicitur & est verè natura sua, sed iam peccatum sine ira, sine lege, pecca-
tum

tum mortuum, peccatum innoxium, modo in gratia & dono eius perseueres. Nihil differt peccatum à seipso, secundum naturam suam, ante gratiam & post gratiam, differt verò à sui tractatu. Aliter enim nunc tractatur quàm antea. Quomodo antea tractabatur? vt esset & cognosceretur & obrueret nos. Nunc tractatur vt non sit & eijciatur. At non ob hoc, non est verè & naturaliter peccatum. Quin ingratitudo & iniuria est gratiæ & doni Dei, negare ipsum verè esse peccatum. Gratia quidem nullum ibi peccatum habet, quia persona tota placet. Donum autem peccatum habet, quod expurget & expugnet, sed & persona non placet, nec habet gratiam, nisi ob donum hoc modo peccatum expurgare laborans. Deus non fictos sed veros peccatores saluos facit, non fictum sed verum peccatum mortificare docet.

Ecce istum modum intelligendi & loquendi simplicem & Paulinum ego quæro & volo habere in tractatu peccati & gratiæ. Hic purus & sincerus, prorsus sine vlla difficultate capitur, nullis distinctionibus indiget, & miro modo blandus apertusque est, & totam Scripturam aperit. Non est hîc necesse dicere, peccatum apud Paulum pro infirmitate capi, imò necesse est pro vero peccato capi, quo gratia & donum Dei purè & verè commendetur. Quod si quis neget, verè peccatum esse, hîc donum Dei blasphemat & ingratus est.

Ita dico & doceo, vt omnis homo in omni opere suo sciat se tantum habere de peccato, quantum in ipso nondum est eiectum peccatum, qualis arbor talis fructus. Ne glorietur coram Deo, de mundicia sua in seipso, glorietur autem in gratia & dono Dei, quòd fauentem Deum habet, qui hoc peccatum non imputat, insuper donum dedit quo expurget. Veritatem ergo confiteatur, quod si secundum naturam operis, citra gratiam iudicandus esset, non posset subsistere ante faciem eius. Nunc quia in gratia nititur, nihil est, quod eum accusare potest. An sunt hæc tam obscura, vt Sophistarum immensa illa volumina de peccato & gratia congesta? An non iam Pauli verbum, & pietas fidei & ratio illa, quæ cogere videbatur, vt peccatum pro pœna caperetur, pulchrè conueniunt? Quid facilius dicere, quàm peccatum tractari aut Lege aut Euangelio? Si lege sola tractes, mors & ira est, si solo Euangelio, gratia & vita est, manet tamen sub vtroque verè & naturaliter peccatum. Quocirca Patrum autoritates, qui negant peccatum esse in iusto, omnes intelligendæ sunt secundum gratiam, sed non secundum naturam peccati vel legem, Christus enim nos liberauit, vt iam non simus sub lege sed sub gratia.

FOMES QVID.

Tom. 2. Ienens. fol. 314. in Assertione articulorũ, &c. Fomes est origo viuacissima & inquietissima actualium peccatorum. Omitto hîc dicere, quod Originale peccatum vt omnia peccata, ita & incredulitas est. At nemo vnquam satis diligit, credit, expectat, quamdiu est in carne, spiritus enim promptus est, sed caro infirma, etiam in Apostolis. Ideo fomes verè est actuale peccatum, actualis priuatio, siue defectus eius rei, quæ adesse debet, & actualis positio seu præsentia infirmitatis & aliorum ad iectuum qui deesse debent, vt verè dixerit S. Iacobus: Nos esse initiũ creaturæ Dei, nondum complementum, partim iusti, partim peccatores, hoc vno salui & ab impijs discreti, quòd peccatum agnoscimus, confitemur & expugnamus, cui illi potius obediant.

SANCTOS ET RENATOS CVR DEVS LABI IN PECCATVM SINAT.

Genes. Tom. 2. fol. 144. cap. 19. Sed inquies, Cur Deus sic labi suos sinit? Nobis quidem non licet curiosius inquirere, de factis Dei, & tamen facilis hîc est responsio. Vult Deus nostram imbecillitatem nobis notam esse, ne abeamus in securitatẽ.

Loth igitur & sua sancta familia, viderant Sodomitarum peccata, & meritò ea erant execrati, sed quid nunc ipsis accidit? Tam sancti homines, abominando incæstu se polluunt, id quo apud Sodomitas vix factum est, aut saltem non vulgò factum est.

Causa igitur patet, vult Deus vt humuliemur omnes, & tantùm de ipsius misericordia gloriemur, quod enim ad nos attinet, nemo altero melior aut sanctior est, nemo tam grauiter peccat, si Deus manum retrahat, tu eodem peccato te pollues: Vtrumque igitur hic horribilis casus docet, vt te coram Deo humiles, & assiduo pro gubernatione Spiritus Sancti ad Deum ores

DE PVGNA CARNIS ET SPIRITVS IN SANCTIS.

Genes. Cap. 40. Tom. 4. fol. 63. Ioseph cùm in spiritu quidem esset patiens, tamen homo fuit perinde vt alij sancti omnes, qui in carne manent, licet non viuant secundum carnem, vt ait Paulus: Caro concupiscit aduersus spiritum, quæ pugna in omnibus sanctis per totam vitam eorum durat, in alijs magis, in alijs minus. Etsi igitur Ioseph credidit, sperauit, gratias egit in tribulationibus, tamen nihil dubium est, eum etiam legem in membris suis repugnantem legi mentis sensisse. Illam rebellionem secundum carnem, & motus quosdam impatientiæ habuit, sed tamen superauit, non quod assiduò eos senserit, sed vno aut dimidio die, sæpè etiam biduo vel triduo, secundum beneplacitum Dei, qui sinit tentari suos, sed cum tentatione dat prouentum, vt possint sustinere. **Es muß jaeiner ein tag zwen betrübet sein.** Caro **muß seine** Murmura **haben**, sed tamen dominari debet spiritui. Sicut dicitur Genes. 4. sub te sit appetitus tuus, ne definitiuè concludas diffidentiam & desperationem.

Caro quam adhuc circumferimus, facit vt gaudium spiritus non possit esse perfectum, nec queat hoc præstare quod debet: non enim est in hac vita absq; murmure, & tamen frenanda & conpescenda est, ne dominetur murmuratio & impatientia, etiamsi vrgeat, solicitet, impellat ad indignationem.

Accesserunt igitur & spirituales tẽtationes, ad mala quæ carnẽ fugit fatigarunt & duriter exercuerunt. Miserum enim est, humiliari in carcere, pati exilium, contemni, negligi, relinqui solùm sine consilio & auxilio, pro sumis beneficijs summam ingratitudinem experiri. Ideo maxima hæc patientia fuit, quæ non cadit in hominem. Postquam verò vidit Diabolus conflictari Ioseph cum tentatione murmurationis & impatientię, tum demum ignita tela sua in ipsum torsit, quale illud fuit: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Vides miserabilem illã & diuturnam calamitatẽ, vides præces tuas esse irritas, clamas, inuocas, credis in Deum, sed frustra. Modo sperabas te per interpretationẽ somnij pincernæ liberari & exaltari posse, Agè liberet te Deus si vult te. Hęc tela animum ægrum & saucium longè grauius excruciarunt.

Cùm lętantur pij in spiritu & cantãt: Fortitudo & laus mea Dominus, tum proculabest Diabolus, & cessat murmur & impatientia, **aber wen der zaun nider getretten ist/ so kumpt der schalck.** Quandiu sonant voces illæ laudum & gratiarum actionis: Benedicam Dominum in omni temppre, semper laus eius in ore meo, Exultabo in Deo salutari meo, &c. tantisper euanescunt omnes tentationes mœsticiæ & diffidentiæ, ac latè panditur cœlũ & paradisus, **die helle ist verloschen.** Cùm verò iterum deserũtur, tunc redit cogitatio de calamitate, desertione, exilio, sicut Ioseph secum reputauit, se venditum esse à fratribus, qui nunc domi in summo ocio & delicijs viuerent, ipso miserrimè vncto & cõcluso in carcere, qui nihil tale vnquam meritus esset, nihil mali fecisset, **Daß ist der teufel/ wen daß wasser trub wird/ so fischet er gern/ vnd kompt mit dem mordstossen/** Cum tentationibus diffidentiæ & desperationis.

DE PECCATO IN RENATIS RELIQVO DOMANDO ET EXTIRPANDO.

Sophistæ concupiscentiam carnis interpretantur libidinem. Verum quidem est, quod pij etiam, præsertim adolescentes, libidine tententur, Imò coniuges (tam corrupta & pestilens est caro) sine libidine non sunt: Quisque hîc (loquor iam cum pijs coniugibus vtriusque sexus) diligenter exploret seipsum, tum proculdubio inueniet sibi placere magis formam, seu mores alterius vxoris, quàm suæ (& è contra) concessam mulierem fastidit, negatam amat. Imò in omnibus rebus hoc accidere solet, Quod aliquis habet, contemnit, quod non habet, amat. *Nitimur in vetitum, semper cupimusq; negata, &c.* Ideò non nego concupiscentiam carnis complecti libidinem, non tamen solam. Quia omnes vitiosos affectus complectitur, quibus pij laborant, alij magis, alij minus, vt sunt superbia, odium, auaricia, impatientia, libido, &c. Imò inter opera carnis, non solùm crassa illa vitia, sed etiam Idolatriam, hæreses, &c. infrà recensetPaulus. Constat igitur, eum loqui de tota concupiscentia carnis, & vniuersa politia peccati, quæ luctatur in pijs, qui primitias spiritus acceperunt, contra politiam Spiritus. Non solùm ergo loquitur de libidine, superbia, &c. sed etiam de incredulitate, diffidentia, desperatione, odio, contemptu Dei, idolatria, hæresibus, &c. cum ait: Et concupiscentiam carnis non perficietis.

Quasi dicat: Ego scribo, vt vos mutuò diligatis. Hoc non facitis, neq; etiam potestis, quia habetis carnem, & eam corruptam concupiscentia, quæ non solùm excitat in vobis peccatum, sed ipsum peccatum est. Alioqui si perfectam haberetis charitatem, nulla tristicia, nulla aduersa fortuna tam magna esset, quæ illam charitatem interturbare posset, perfusa enim esset per totum corpus. Nulla vxor tam deformis esset, quàm maritus non vehementer amaret, alijs mulieribus formosissimis fastidiis, &c. Hoc non fit. Impossibile est igitur, vos dilectione iustificari.

Quare ne putetis, me reuocare doctrinam de fide. Nam oportet manere fidem & spem, vt hac iustificemur, illa verò in malis erigamur & perduremus. Deinde seruimus quidem nobis inuicem per charitatem, quia fides non est ociosa, sed charitas exigua est & infirma. Ideò cùm iubeo vos spiritu ambulare, satis declaro, vos dilectione non iustificari.

Neq; per hoc, quod dico, vos spiritu debere ambulare, ne carni obediatis, aut ne concupiscentiam carnis perficiatis, exigo à vobis, vt carnem prorsus exuatis, aut occidatis, sed vt eam coherceatis, Deus enim vult durare genus humanum vsq; ad extremum diem. Hoc fieri non potest sine parentibus, qui generant & educant liberos. Istis medijs manentibus, necesse est etiam manere carnem, & per consequens peccatum, Quia caro non est sine peccato. Itaq; si carnem spectemus, peccatores sumus, Si spiritum, iusti. Atq; ita partim peccatores, partim iusti sumus. Vberior tamen iustitia nostra est, quàm peccatum, quia sanctitas & iustitia Christi propiciatoris nostri longè superat peccatum totius mundi, Et remissionem peccatorum, quam habemus per ipsum, tam magna larga, & infinita est, vt facilè absorbeat omnia peccata, modo spiritu ambulauerimus, &c. Porrò obseruandum est, Paulum ista non solum Eremitis & Monachis, qui cœlibes viuunt, scribere, sed omnibus Christianis. Hoc dico, ne ineptiamus cum Papistis, qui somniarunt, hoc præceptum pertinere tantùm ad Clericos, quos hortetur Apostolus, vt spiritu ambulent, hoc est, vt domata & expugnata carne vigilijs, ieiunijs, laboribus, &c. castè viuant, Tum eos non perficere concupiscentiam carnis, id est, libidinem, Quasi tota concupiscentia carnis victa sit, repressa & domata libidine, quam tamen solam nulla carnis subactione potuerunt reprimere.

Id quod Hieronymus, vt alios silentio præteream, qui mirificus amator & defensor castitatis fuit, ingenuè fatetur, ô quoties, inquit, ego ipse in eremo cõstitutus, & in illa vasta solitudine, quæ, exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs, &c. Item: Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, Scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabit in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne prę mortua, sola libidinum incendia bulliebant, &c. Si tantos ardores libidinis sensit Hieronymus, qui pane & aqua in eremo victitauit, quid putas sentire nostros clericos, sancti ventris cultores, qui se ita replẽt, & distendunt lauticijs, vt mirum sit, nõ rumpi medios? Quare neq; Monachis, neq; peccatoribus in mundo ista tantùm scribuntur, sed Catholicæ Ecclesiæ, omnibusq; pijs, quos adhortatur Paulus, spiritu ambulare, vt concupiscentiam carnis non perficiant, hoc est, vt non solùm cohibeant praua sos motus carnis, libidinem, iram, impatientiam, &c. Sed etiam spirituales illos, quales sunt, dubitatio, blasphemia, idolatria, contemptus, odium Dei, &c.

Neq; vt dixi, Paulus exigit à pijs, vt carnem prorsus abijciant, & perdant, sed vt ita eam coherceant, vt spiritui subdita sit, Rom. 13. iubet nos fouere carnem. Vt enim non debemus esse crudeles in aliorum corpora, nec ea vexare iniusto labore, ita nec nostra. Quare iuxta præceptum Pauli debemus carnem nostram curare, vt possit tolerare labores ingenij & corporis, ad necessitatem tamen, non ad alendam concupiscentiam vult curari eam. Itaq; si caro incipit lasciuire, reprime eam spiritu. Si pergit, duc vxorem. Melius est nubere, quàm uri. Hoc faciens, ambulas spiritu, hoc est, sequeris verbum Dei, & facis voluntatem eius. Cæterùm, vt dixi, hoc præceptum de ambulando spiritu, &c. non solùm ad Eremitas & Monachos, sed ad omnes pios, etiamsi non vtantur libidine, pertinet. Princeps cõcupiscentiam carnis non perficit cùm diligenter facit officium suum, cùm benè præest subditis, punit sontes, & innocentes defendit. Ibi caro & Diabolus repugnant & sollicitant eum, vt iniustum bellum moueat, vt obsequatur suis cupiditatibus, &c. Hîc nisi spiritum ducem sequatur & verbo Dei rectè & piè monenti cum de officio suo, obediat, perficit concupiscentiam carnis. Sic quisque in sua vocatione spiritu ambulet, & non solùm libidinem, sed etiam alia opera carnis, non perficiet.

Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, spiritus aduersus carnem. Paulus, cùm dicit, carnem concupiscere aduersus spiritum, & spiritum aduersum carnem, commonefacit nos, quod sensuri simus concupiscentiam carnis, hoc est, non solum libidinem, sed superbiam, iram, tristiciam, impatientiam, incredulitatem, &c. verùm ita vult nos ista sentire, ne illis consentiamus, aut ea perficiamus. Hoc est, ne illa cogitemus, loquamur, & faciamus, quæ suggerit, & ad quæ sollicitat nos caro. Vt si etiam nos commoueat ad iram, tamen ita irascamur, vt Psal. 4. docet, ne peccemus. Quasi sic velit dicere Paulus: Scio quod sollicitabimini à carne ad iram, inuidiam, dubitationem, incredulitatem, &c. Sed resistite spiritu, ne peccetis. Si verò deserto duce spiritu carnem sequimini, concupiscentiam carnis perficietis & moriemini, Romanorum 8. Sic dictum hoc intelligendum est, non de sola libidine, sed de toto regno peccati, &c.

Hæc autem sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunque uolueritis, illa faciatis. Hi duo duces, inquit, in corpore vestro: Caro & Spiritus, aduersantur sibi, vt non quæcunque volueritis, illa faciatis. Ista verba potentialiter accipio, id est, vt non possitis facere ea, quæ velletis. Et hic locus clarè testatur, Paulum ista scribere Sanctis, hoc est, Ecclesiæ credenti in Christum, baptisatæ, iustificatæ, renouatæ, & perfectæ, habenti remissionem peccatorum. Et tamen dicit, eam habere carnem luctantem contra spiritum.

Eodem

Eodem modo de seipso loquitur, Romanorum 7. Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum. Et deinde, video aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, &c. Item: Infœlix ego homo, &c. Hîc anxiè laborant non solùm Sophistæ, sed etiam quidam ex patribus, quomodo Paulum excusent. Indignum enim iudicant, quòd dicatur electum illud organum Christi peccatum habere. Nos fidem adhibemus verbis Pauli, quibus ingenuè fatetur, se venditum esse sub peccatum, captiuari peccato, habere Legem repugnantem sibi, carne se seruire Legi peccati. Hîc iterum respondent, Apostolum ista loqui in persona impiorum. Impij non quæruntur de rebellione, pugna, captiuitate peccati, quia peccatum potentes in ipsis dominatur. Ideò ista querela verissimè Pauli est, & omnium Sanctorũ, &c. Non solùm igitur imprudenter, sed etiam impiè fecerunt, qui excusarunt, Paulum, & alios Sanctos non habere peccatum. Ista enim persuasione ex insciția doctrinæ fidei nata, priuarunt Ecclesiam maxima consolatione, aboleuerunt remissionem peccatorum, & Christum reddiderunt ociosum.

Quare Paulus non negat se carnem & carnis vitia habere, cùm dicit: video aliam Legem in membris meis, &c. Ideò credibile est, eum aliquando sensisse libidinem. Opinor tamen eam benè suppressam fuisse grauibus & magnis illis tentationibus animi & corporis, quibus, vt eius Epistolæ indicant, ferè perpetuò exercitatus & vexatus fuit, Aut si quando quę lætus & fortis, libidinem, iram, impatientiam, &c. sensit, tamen spiritu restitit, & illos motus non permisit dominari. Itaq; nullo modo concedamus huiusmodi loca consolatione plenissima, quibus Paulus luctam carnis contra Spiritum in suo proprio corpore describit, tam ineptis glosis deprauari. Sophistæ & Monachi nullam spiritualem tentationem experti sunt, ideò tantum bellum gesserunt cum libidine reprimenda & vincenda, & ea victoria inflati, qua tamen nunquam potiti sunt, putauerunt se longè meliores & sanctiores esse coniugibus, vt interim non dicam, quod isto speciosо prætextu aluerint & confirmauerint omnis generis horribilia peccata, dissensionem, superbiam, odium, contemptum proximi, fiduciam propriæ iusticiæ, præsumptionem, neglectum pietatis & verbi, incredulitatem, blasphemiam, &c. Contra ista peccata non pugnauerunt, imò ne quidem duxerunt esse peccata, tantùm in stultis & impijs votis suis obseruatis statuerunt iusticiam, in neglectis peccatum.

Nos verò certò statuere debemus, nostram capitalem, rotundam, & perfectam iusticiam esse Christum. Si nihil est, quo niti possumus, tamen ista tria, vt ait Paulus, manent, Fides, Spes, Charitas. Semper igitur fidendum & sperandum est, semper apprehendendus est Christus, vt caput & fons iusticiæ nostrę, qui in hunc credit, non pudefiet.

Deinde operam dare debemus, vt etiam externè iusti simus, hoc est, ne assentiamur carni, quæ semper suggerit aliquid mali, sed illi resistamus per Spiritum. Ne frangamur impatientia propter ingratitudinem & contemptum vulgi, qui abutitur libertate Christiana, sed spiritu vincamus hanc & omnes alias tentationes. Quatenus igitur luctamur spiritu contra carnem, eatenus etiam externè iusti sumus. Quanquam ista iusticia nos coram Deo non commendat.

Nemo igitur desperet, cum senserit carnem subinde nouam pugnam mouere spiritui, aut si non statim poterit carnem cohibere, vt spiritui subiecta sit. Cuperem & ego me habere firmiorem & magis constantem animum, qui non solùm minas Tyrannorum, hęreses, quas fanatici spiritus ferunt, & scandala ac tumultus, quos ijdem suscitant, egregiè contemnere posset, sed qui etiam pauores & dolores animi statim excuteret, qui denique mortem

acerbam non exhorreſceret, ſed eam tanquam gratiſsimum hoſpitem exciperet, ſed inuenio aliam Legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, &c. Alij luctantur cum inferioribus tentationibus, vt ſunt, paupertas, ignominia, impatientia, &c.

Ideò nemo miretur, aut perterrefiat, cùm ſentit in corpore ſuo hanc pugnam carnis contra Spiritum, ſed erigat ſe verbis Pauli, caro concupiſcit aduerſus Spiritum. Item: Hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non, quæ volueritis, illa faciatis.

His enim ſententijs conſolatur tentatos. Quaſi dicat. Impoſsibile eſt, vt per omnia ducem Spiritum ſequamini, ſine vllo ſenſu, aut impedimento carnis. Imò caro obſtabit, & ita obſtabit, vt non poſsitis facere, quæ libenter velletis. Hîc ſatis eſt, vt carni reſiſtatis, ne concupiſcentiam eius perficiatis, hoc eſt, vt Spiritum ſequamini, non carnem, quæ facilè impatientia frangitur, cupit vindictam, mordet, dubitat, murmurat, odit Deum, iraſcitur ei, deſperat, &c. Itaque cùm aliquis ſentit hanc carnis pugnam, non ideò abijciat animum, ſed reſiſtat ſpiritu, & dicat: Ego ſum peccator, & peccatum ſentio, quia carne nondum exutus ſum, in qua tantiſper hæret peccatum, donec viuit. Sed ſpiritui, non carni obſequar, hoc eſt, apprehendam fide & ſpe Chriſtum, ac ipſius verbo me erigam, atq; hoc modo erectus concupiſcentiam carnis non perficiam.

Valdè prodeſt pijs hanc doctrinam Pauli benè cognitam & meditatam habere, quia mirabiliter conſolatur tentatos. Ego Monachus, putabam ſtatim actum eſſe de ſalute mea, ſi quando ſentiebam concupiſcentiam carnis, hoc eſt, malum motum, libidinem, iram, odium, inuidiam, &c. aduerſus aliquem fratrem. Tentabam multa, confitebar quotidiè, &c. Sed nihil prorſus proficiebam.

Quia ſemper redibat concupiſcentia carnis, ideò non poteram acquieſcere, ſed perpetuò cruciabar his cogitationibus, Hoc, & illud peccatum commiſiſti, item laboras inuidia, impatientia, &c. Fruſtrà igitur ingreſſus es ſacrum ordinem, & omnia bona opera tua inutilia ſunt. Si tum intellexiſſem rectè Pauli ſententias, caro concupiſcit aduerſus Spiritum, &c. Hæc ſibi inuicem aduerſantur, &c. non vſque adeò me afflixiſſem, Sed, vt hodiè ſoleo, cogitaſſem, Martine, tu non carebis prorſus peccato, quia carnem adhuc habes, ſenties igitur certamen ipſius, iuxta illud Pauli, Caro reſiſtit ſpiritui. Ne igitur deſpera, ſed reluctare, ne concupiſcentiam eius perficias, & tum non es ſub Lege.

Memini Staupicium dicere ſolitum, Ego pluſquam millies Deo uoui, me fore probiorem, ſed nunquam præſtiti, quod voui, poſthac non uouebo tale quiddam, quia experientia nunc didici, me hoc non poſſe præſtare. Niſi igitur Deus placatus & propitius mihi propter Chriſtum ſit, & optatam ac fœlicem horulam conceſſerit, cùm mihi migrandum erit ex hac miſera vita, non potero conſiſtere cum votis & benefactis meis. Hæc non ſolùm vera, ſed etiam pia & ſancta deſperatio erat, quam neceſſe eſt fateri ore & corde, quotquot ſalui fieri volunt. Nam Sancti non nituntur ſua iuſtitia, ſed cum Dauide clamant: Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis viuens. Item: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Intuentur autem Chriſtum propitiatorem ſuum, qui vitam dedit pro peccatis ipſorum. Deinde quod reliquum eſt peccati in carne, nouerunt hoc non imputari, ſed per remiſsionẽ condonari ſibi. Interim tamen ſpiritu pugnant contra carnẽ, non quod omninò eius cõcupiſcentiam non ſentiant, ſed quòd eã non perficiant. Itaq; etiamſi ſentiant carnẽ furere & rebellare ſpiritui, & ſe quandoq; etiam per infirmitatem in peccata labi, non tamen ideo deſpondent animum, neque ideo ſtatim cogitant, ſuum vitæ genus & officium ac opera ſecundum vocationem

vocationem facta, displicere Deo, sed fide erigunt se.

Magnam igitur consolationem habent pij, ex hac doctrina Pauli, quod nōrint se partim carnem, partim spiritum habere, sic tamen vt Spiritus dominetur, caro subiecta sit, iustitia regnet, peccatum seruiat. Qui ignorat hanc doctrinam, & cogitat pios debere prorsus carere omni defectu, & tamen sentit contrariū, is ad extremum absorbetur spiritu tristitiæ, & desperat. Qui verò hanc doctrinam nouit & rectè ea vtitur, huic etiam mala necesse est cooperari in bonum. Nam cùm caro sollicitat eum ad peccandum, hac occasione excitatur & vrgetur ad quærendum remissionem peccatorum per Christum, ad iustitiam fidei amplectendam, quam alioqui tanti non faceret, neq; tanto desiderio suspiraret. Itaq; valde prodest, vt nonnunquam sentiamus malitiam naturæ & carnis nostræ, vt vel hoc modo expergefiamus & excitemur ad fidem & inuocandum Christum. Atq; ista occasione Christus fit artifex potentissimus & mirificus Creator, qui ex tristitia gaudium, ex terroribus consolationem, ex peccato iustitiam, ex morte vitam, dum hac ratione cohercens carnem, eam in seruitutem redigit & spiritui subijcit, facere potest.

Quare sentientes concupiscentiam carnis, non ideò statim desperent de salute. Sentiant sanè eam, modò ei non assentiantur. Moueat sanè eos ira, libido, &c. modò non permoueat, sollicitet eos peccatum, modò illud non perficiant. Imò quo quisq; magis pius est, hoc plus sentit illam pugnam. Hinc sunt illæ querelæ Sanctorum in Psalmis tota Scriptura. De illa pugna nihil prorsus Eremitæ, Monachi, Sophistæ, & omnes operarij nouerunt. At dicat hîc aliquis, periculosum esse hoc docere, quod aliquis ideo non damnetur, si passiones carnis, quas sentit, non statim vincat. Quia cùm hæc doctrina spargatur in vulgus, reddatur securum, iners, languidum, &c. Hoc est, quod supra dixi, Si fidem docemus, carnales negligere opera, Si opera vrgentur, amitti fidem & consolationem conscientiarum. Hîc nemo cogi, neque vlla certa regula præscribi potest, sed vnusquisq; seipsum diligenter exploret, qua potissimum passione carnis afficiatur, & vbi hoc deprehendit, non sit securus, non blandiatur sibi, sed vigilet & luctetur spiritu contra eam, vt si omninò refrenare non potest, saltem eam non perficiat.

Istam luctam carnis cum spiritu habuerunt & senserunt omnes Sancti, Eandem & nos experimur. Qui explorat conscientiam suam, modò non sit hypocritica, certò inueniet ita geri rem in seipso, vt Paulus hîc describit, scilicet, quòd caro concupiscat aduersus spiritum, vnusquisq; igitur Sanctus sentit & fatetur carnem suam resistere spiritui, & ista duo ita sibi inuicem aduersarij in seipso, vt quæ velit, etiamsi maximè hîc laboret & sudet, tamen non possit facere. Itaq; caro obstat, quò minus præcepta Dei seruemus, quò minus diligamus proximos, vt nos ipsos multo minus vt diligamus Deum ex toto corde, &c. Ideo impossibile est, nos legis operibus iustificari. Voluntas bona quidem adest, quam oportet adesse (est enim spiritus ipse rebellans carni.) quæ libenter vellet facere bonum, implere legem, diligere Deum & proximum, &c. Caro autem non obsequitur isti volūtati, sed resistit ei. Sed Deus non imputat hoc peccatum, est enim credentibus illis propitius propter Christum. Ex hoc tamē non sequitur, quod debeas peccatum extenuare, aut contemnere, quia Deus illud non imputat. Non imputat quidem, sed quibus & propter quid? Non duris & securis, sed pœnitētiam agentibus, & fide apprehendentibus Christum propiciatorem, propter quem vt remittuntur eis omnia peccata, ita & reliquiæ peccati eis non imputantur. Illi non extenuant peccatum, sed amplificant, quia norunt illud nulla satisfactione, operibus & iustitia elui posse, præterquam per mortem Christi. Non tamen propter magnitudinem eius desperant, sed certò statuunt, illud ignosci sibi propter Christum.

Hoc ego dico, ne quis putet, peccatum post acceptam fidem, nō esse magnifaciendum. Peccatum est verè peccatum, siue ante, siue post Christum cognitum committatur. Et Deus semper odit peccatum, Imò omne peccatum, quod ad substantiam facti attinet, est mortale. Quòd autem credenti non est mortale fit propter Christum propiciatorem, qui peccatum sua morte expiauit. Non credenti in Christum non solùm omnia peccata mortalia sunt, sed etiam bona ipsius opera peccata sunt, Iuxta illud: Quicquid non est ex fide, peccatum est. Ideo pernicioſus est Sophistarum error, qui peccata distinguunt penes substantiam facti, non penes personam. Qui credit idem & æquè magnum peccatum habet, vt incredulus, credēti tamen condonatur & non imputatur, Incredulo retinetur & imputatur. Huic veniale, illi mortale est. Non propter differentiam peccatorum, quod credentis peccatum minus, incredulí maius sit, sed personarum. Credens enim fide statuit peccatum, cùm Christus seipsum pro eo tradidit, sibi esse remissum. Itaq; peccatum habens & peccans, tamen manet prius, contrà, incredulus, impius. Atq; ea est verè piorum sapientia & consolatio, quod, etiamsi peccata habeant & committant, tamen sciant, ea propter fidem in Christum non imputari sibi.

Hęc in consolationem piorum dico. Nam hi soli verè sentiunt, se peccata habere & committere, hoc est, se non satis ardenter amare Deum, ex corde illi confidere, imò subinde dubitare se illi curę esse, in aduersis rebus impatientes esse, & irasci Deo, &c. Hinc illæ quærelæ Sanctorum in Scripturis, præcipuè in Psalmis. Et Paulus quæritur, se venundatum sub peccatum. Et hîc ait, carnem resistere spiritui. Quia verò (vt alibi ait.) spiritu facta carnis mortificant, & in fine huius capitis, carnem cum concupiscentijs & desiderijs crucifigunt, non nocent, nec damnant eos peccata illa. Si autem carni obsequuntur, perficiendo eius concupiscentias, amittunt fidem & Spiritum Sanctum. Et nisi detestentur peccatum, & reuertantur ad Christum, qui claues tradidit Ecclesię vt lapsos recipiat & erigat, atq; ita fidem & Spiritum sanctum recuperent, in peccatis moriuntur. Quare de his non loquimur, qui somniant se fidem habere, & tamen interim in peccatis viuunt. Hi habent sententiam suam, secundum carnem viuentes moriuntur. Item, manifesta sunt opera carnis, Fornicatio, &c. De quibus prędico vobis, sicut prædixi, quod qui talia agūt, regnū Dei non cōsequētur.

Ex his etiam intelligi potest, qui veri Sancti sint. Sunt autem non truncí & lapides, vt Sophistæ & Monachi somniant, qui prorsus nulla re afficiantur, aut nunquā concupiscentiam carnis sentiant, sed, vt Paulus ait, Caro ipsorum concupiscit aduersus spiritum. Ideo peccatum habent, & peccare possunt. Et Psal: 32. testatur, Sanctos confiteri iniusticiam suam, & orare pro remissione impietatis peccati sui, cui inquit: Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino. Et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, &c. Deinde orat tota Ecclesia, quæ certè sancta est, remitti sibi peccata, & credit remissionem peccatorum. Et Psal. 143. orat Dauid: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et Psalm: 130. Si iniquitates obseruas Domine, Domine quis sustinebit? Apud te propiciatio est, &c. Sic loquuntur & orant Maximi Sancti, Dauid, Paulus, &c. Ergo idem loquuntur & orant eodem spiritu omnes Sancti. Sophistæ scripturas non legunt, aut si etiam legunt, tamen obducto ob oculos velo legunt, ideo vt de nulla prorsus re, ita neq; de peccato, neq; de sanctitate rectè iudicare possunt.

Si autem spiritu ducimini, non estis sub Lege. Paulus non potest obliuisci doctrinæ suæ de fide, sed semper eam repetit & inculcat, etiam cùm de bonis operibus agit. Hîc obijciat aliquis, Qui fieri potest, quod sub lege non simus. Tamen tu Paule doces, nos carnem habere, quæ concupiscat aduersus Spiritum, quæ militet, vexet, & captiuet nos, &c.

tet nos, &c. Et reuera sentimus peccatum, nec illo sensu liberari possumus, vt maximè velimus. Hoc certè est sub Lege esse. Cur ergo Paule dicis, nos non esse sub Lege? Hæc res, inquit, nihil vos moueat, sed hoc saltem agite, vt spiritu ducamini, hoc est, vt hanc voluntatem seruetis, quæ aduersatur carni, & eius concupiscentias non perficit (hoc enim est duci, seu trahi spiritu) tum non estis sub Lege.

Sic Paulus de seipso loquitur, Romanorum 7. Mente seruio legi Dei, hoc est, spiritu nulli peccato sum obnoxius, Carne verò seruio legi peccati. Itaq; pij non sunt sub lege, scilicet spiritu, lex enim non potest accusare & ferre sententiam mortis contra eos, etiamsi ipsi peccatum sentiant, & fateantur se peccatores esse. Quia ius ademptum est Legi per Christum, qui factus est sub Legem, vt eos, qui sub Lege erant, redimeret. Ideo hoc, quod verè peccatum est contra legem, lex pro peccato non potest accusare in pijs.

Tanta est igitur potentia dominij spiritus, vt quod verè peccatum est, tamen Lex non possit accusare. Iusticia enim nostra Christus, quem fide apprædendimus, irreprædensibilis est ideo à Lege non potest accusari. Donec in illo hæremus, spiritu ducimur, & à Lege liberi sumus. Sic cùm Apostolus etiam bona opera docet, non obliuiscitur disputationis de Iustificatione, sed semper indicat, impossibile esse, nos operibus posse iustificari. Reliquiæ enim peccati hærent in carne, Ideo donec ea viuit, non desinit concupiscere contra spiritum. Nihil tamen periculi inde accipimus, quia à Lege liberi sumus, modò spiritu ambulemus.

Et his verbis, Si ducimini spiritu, non estis sub Lege, egregiè poteris teipsum & alios vehementer tentatos, consolari. Sæpe enim accidere solet, quòd homo, ira, odio, impatientia, libidine, spiritu tristiciæ, aut alia concupiscentia carnis, tam fortiter exerceatur, vt eam prorsus non possit excutere, etiamsi hoc maximè cupiat. Quid hîc faciat? num ideo desperet? Non, sed ita dicat. Caro tua iam pugnat & furit aduersus spiritum. Sinito eam furere quamdiu vult, Tu modò illi ne assentiaris, sed ambula & ducere spiritu, vt concupiscentiam eius non perficias. Hoc faciens liber es à lege. Accusat & perterrefacit quidem te sed frustra, &c. In tali ergo iucta carnis contra spiritum, nihil melius est, quàm in conspectu habere verbum, & ex eo consolationem spiritus petere.

Neque moueat illum, qui hanc tentationem patitur, quo Diabolus ita potest peccatum exaggerare, vt videatur sibi prorsus succumbere in paroxismo, nihilque sentiat, quàm meram iram Dei & desperationem. Hîc saltem non sequatur sensum suum, sed hoc Pauli dictum arripiat, Si spiritu ducimini, hoc est, si fide in Christum vos erigatis, &c. non estis sub Lege. Ita habebis præsidium potentissimum, quo poterit omnia ignita tela, quibus ille malignus eum petit, extinguere. Vt maximè igitur bulliat & insaniat caro, tamen omnes ipsius motus & furiæ non poterunt nocere & condemnare eum. Quia spiritum ducem sequens, non præbet carni assensum, neque perficit eius concupiscentiam. Itaque id vnicum est remedium, vt furentibus carnis moribus, arripientes gladium spiritus, hoc est, verbum salutis, scilicet, quod Deus nolit mortem impij, &c. pugnemus contra eos, tunc haud dubiè victores erimus, etiamsi durante pugna planè contrarium sentiamus. Remoto autem ex oculis verbo, non est consilium, neque auxilium, &c. Ego expertus ista loquor: passus sum varias & multas passiones, & eas grauissimas, Quàm primum autem aliquod dictum scripturæ apprædendi, & illi tanquam sacræ anchoræ innixius sum statim deferbuerunt tentationes, multò minus vincere.

Docet

Docet ergo Paulus in summa, hac disputatione de lucta carnis & spiritus; quod Sancti, seu credentes, non possint perficere hoc quod spiritus vult. Libenter enim spiritus vellet totus esse purus, sed caro coniuncta illi non permittit. Salui tamen sunt per remissionem peccatorum, quæ est in Christo. Deinde quia etiam ambulant & ducuntur spiritu, non sunt sub lege, hoc est, lex non potest accusare & perterrefacere eos, &c. aut si etiam hoc tentet, tamen non potest adigere eos ad desperationem.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, &c. Hic locus non est dissimilis huic sententiæ Christi: A fructibus eorum agnoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit. Mala autem arbor, fructus malos facit, &c. Paulus planè idem hoc loco docet, quod illic Christus. Satis scilicet testari opera & fructus, an arbores bonæ sint, an malæ, an homines sequantur ducem carnem, an ducem spiritum. Quasi Dicat. Ne quidam vestrum caussentur, se non intelligere me nunc differentem de lucta carnis & spiritus, subijciam vobis ob oculos, primùm opera carnis, quorum pleraq; etiam impijs nota sunt, Deinde fructus spiritus. Hocq; Paulus ideo facit, quia multi erant hypocritæ inter Galatas, vt hodiè etiam inter nos, qui simulabant, se esse pios, iactabant spiritum, & quod ad verba attinebat, egregriè nouerant doctrinam pietatis, Interim tamen non spiritu sed carne ambulabant, ac opera ipsius perficiebant. Eaq; re Paulus manifestè conuincit, eos non esse tales, pro quibus sese venditabant. Et ne hanc eius admonitionem contemnant, fert contra eos horribilem sententiam, Quod regni Dei hæredes non erūt, vt ea admoniti sese emendent.

Quælibet ætas etiam in pijs peculiares suas tentationes habet, Iuuenilem libido virilem ambitio & vana gloria, senilem auaricia præcipuè exercet. Hinc supra dixi, nullum fuisse unquam sanctum, quem non sæpius in vita sollicitauerit caro ad impatientiam, iram, &c. Hinc Paulus de Sanctis hîc loquens, dicit, carnem in ipsis concupiscere aduersus spiritum, &c. Itaq; non aberunt desideria, & pugnæ carnis, non tamen ideo statim obsunt illis, qui eas sentiunt. Sed ita de hac re iudicandum est, Aliud esse solicitari à carne & eius concupiscentias non vltrò ferre, sed spiritu ambulare & reniti, &c. Aliud esse, assentiri carni, & opera eius securè perficere, in illis commorari, & tamen interim simulare pietatem, & iactare spiritum, &c. priores consolatur, dum dicit, eos spiritu duci, & sub lege nō esse. Posterioribus cōminatur æternum interitum. Imò quandoq; etiam accidit, vt Sancti labantur, & desideria ipsius carnis perficiant. Sicut Dauid grandi & horribili lapsu cecidit in adulterium. Item, autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire. Eaq; re hostibus etiam occasionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi Idolum suum, & blasphemandi Deum Israel. Lapsus est horribiliter & Petrus, cùm negaret Christum. Sed quamlibet illa peccata grandia sint, tamen non ex contemptu Dei, aut destinata malicia, sed ex infirmitate commissa sunt. Deinde admoniti, non perseuerarunt obstinati in peccatis, sed resipuerunt, &c. Tales infra, cap. 6. iubet recipi, instrui, & instaurari, dicens, Si præoccupatus fuerit homo, &c. Ideo qui ex infirmitate peccant & labuntur, illi non denegatur venia, modò rursum resurgant, & in peccatis non perseuerent: Perseuerantia autem pessima est, &c. Si autem non resipiscunt, sed porrò obstinati perficiunt desideria carnis, certissimum signum est, quòd dolus sit in spiritu ipsorum.

Desiderijs igitur nemo carebit, quousq; in carne viuit, ideoq; nemo liber erit à tentationibus. Alius tamen aliter tentatur, secundum discrimen personarum. Hic grauioribus motibus exercetur, quales sunt Tristicia spiritus, blasphemia, diffidētia, desperatio, &c. Alius crassioribus, quales sunt, libido, ira, odium, &c. Sed ibi paulus requirit à nobis, vt spiritu ambulemus, & carni resistamus. Qui autem carni obsequitur, &

sequitur, & pergit securus desideria ipsius perficere, ille sciat, se non pertinere ad Christũ, & vt maximè sese ornet nomine Christiano, tamen seipsum fallit: Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum concupiscentijs, &c.

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 333. in cap. 12. Matth. Omnis blasphemia remittetur hominibus. Non solùm de peccatis communibus, sed etiam de blasphemia dicit, quod sint omnia remissibilia, præter blasphemiam in spiritum, scilicet blasphemare homines, filium etiam Dei, remissibile est, sed spiritum blasphemare irremissibile est.

Hîc quæstio oritur de peccato in Spiritum Sanctum, de quo etsi aliâs dictum sit, tamen & in præsentia paucula quædam subijciemus.

Sex numerantur peccata in Spiritum Sanctum, quę etsi in re sint ferè eadem, tamen officijs seu maleficijs potius, differunt. Præsumptio, Impugnatio agnitę Veritatis, Obstinatio, Desperatio, Inuidentia fraternæ gratiæ, Impœnitentia finalis. Quæ sic sese sequuntur seu officijs exercentur, scilicet tempore securitatis & pacis, præsumtio, impugnatio, obstinatio, Tempore angustiæ & turbæ, desperatio, inuidentia, impœnitentia.

Impius enim tempore securitatis confidit, præsumit & certus sibi videtur sese & sua opera placere Deo, & vult iustus esse simpliciter, vt Pharisæi. Si arguitur, tunc fit superbus, & resistit veritati sibi contrariæ, etiamsi sciat esse veritatem, non vult tamen cedere præsumptione, & ita impugnat agnitam veritatem. Perseuerat obstinatus in ista præscriptione & impugnatione. Et moritur ita in peccatis suis, induratus, ingrauatus, incorrigibilis. Econtrà. Impij cùm cæperint sentire iram Dei, sicut Cain & Iudas, primò desperant, nec confidunt remitti peccata sua, sed maiorem iniquitatem, quàm Dei gratiam esse cogitant. Cùm viderint sese reprobari, inuident omnib. hominibus salutem, vellentq; nullum saluari, & omnes cum eis perire. Perseuerant in ista inuidentia & desperatione, nec sinunt sese conuertere. Et sicut obstinatio est impœnitentia quædam finalis tempore securitatis, id est in præsumptione & impugnatione, Sic impœnitentia finalis est obstinatio quædam tempore angustiæ id est in desperatione & inuidentia.

Sed hic S. Gregorij est insignis lapsus, ex qui hunc locum ad purgatoriũ applicat (scilicet neq; hîc, neq; in futuro remittetur) Ergo inquit aliqua peccata in futuro remittuntur scilicet in purgatorio, aliàs nõ diceret neq; in futuro, &c. Valde dormitat bonus vir. Quia Christus hîc de blasphemia spiritus loquitur, quod hęc non remittitur neq; hîc nec in futuro. Ergo si sola blasphemia nõ remittitur in futuro, sequeretur eadem cõsequentia, quòd omnia peccata in futuro possent remitti. Et sic remissio in hac vita non esset necessaria, quia in futura posset obtineri, tantũ si à blasphemia abstineatur. Et simul vide quàm periculosum sit scripturam malè intellecta adducere. Nã hoc vno loco, bonus vir per totũ mundum cõfirmauit errorem illum de purgatorio, qui infinitos errores & monstra genauit, scilicet apparitiones spirituũ pro animabus hominum, Item peregrinationes, idolatriam Sanctorum & horribilem illam Sacramenti prophanatiõem per Missarũ venditionem, & velut operis boni cõmunicationem, in quib. consistit Papatus. Et planè Sacramentũ istud mortuis seruire fecit, & viuis abstulit. Hîc certè electi sunt in errorem ducti & mirabiliter seruati.

Christus autem seipsum exponit, Marci 3. vbi dicit: Qui blasphemat Spiritum, non habet remissionem in æternum, sed reus est æterni iudicij. Quæ verba satis ostendunt illud Matthæi (neque hîc, neque in futuro) intelligendum esse, non diuisim de aliqua remissione, sed coniunctim simpliciter negatiuè, quòd nulla sit remissio blasphemiæ. Deinde hoc etiam ridiculum, quòd in futuro seu purgatorio faciunt remissionem solùm Venialium peccatorũ, aut saltem satisfactionẽ pro mortalib. hic remissis, Nam eũ qui in peccato mortali moritur dicunt simpliciter damnari.

Nonnę

Nonne ergo furor est docere quod Christus in hac vita remissionem omnium peccatorum, etiam infinitorum & maximorum peccatorum instituerit, & leuicula peccata seu satisfactionem temporalem reseruarit in purgatorium? Scilicet qui remittit debitori centum millia talentorum, non remittit etiam vnum obulum. Cæcitas & horribilia sunt ista mendacia, & tamen plus formidata & sublimius honorata, quàm ipsum verbum Dei, per totum mundum enim regnarunt.

Et est purgatorium vera blasphemia, contra claues à Christo donatas. Quia sic dicit: Quodcunque solueris super terram, solutum erit in cœlis. Non dicit: quædam soluentur in futuro, sed super terram soluta, sunt omnia in cœlo soluta. Item contra illud. Dimittite & dimittetur vobis. Non dicit dimittite, & quædam hîc, quædam in futuro dimittentur. Et contra Orationem Dominicam & Symbolum & decem præcepta pugnat purgatoriũ. Quia in omnibus tribus habetur remissio peccatorum, sicut dicit, Dimitte nobis. Item Remissionem peccatorum, Item: Ego Dominus Deus tuus, &c. Quare manifestum est, purgatorium esse vnum de maximis abominationibus & operationibus Satanæ, & conterruit totum mundum, & deuorauit omnium opes, & statuit Papam regem regum, atque supra Deum & verbum eius. Quia plus timuimus Papam cum suo purgatorio, quàm Deum cum suo Inferno. Et plus confisi sumus absolutione Papæ à purgatorio, quàm vera Absolutione Dei ab inferno. Plura de peccato in Spiritum Sanctum reperies. Tom. 3. Ienens. fol. 304. 305. in Esai. Item Genes. Tom. 2. fol. 140.

DE ARBITRIO SEV VIRIBVS HOMINIS IN REBVS EXTERNIS.

Genes. Cap. 2. fol. 24. Habemus quidem liberum quodammodo arbitrium, in ijs quæ infra nos sunt, sumus enim constituti mandato diuino Domini piscium, maris, volatilium cœli, & bestiarũ agri, Hæc interficimus cùm libet, fruimur cibis quos suppeditant & alijs commodis.

Item. Tom. 3. Ienens. fol. 178. de seruo arbitrio. Quod si omninò vocem eam omittere nolumus, quod esset tutissimum & religiosissimum, bona fide tamen tenus vti doceamus vt homini arbitrium liberũ non respectu superioris, sed tantùm inferioris se rei concedatur, hoc est, vt sciat sese in suis facultatibus & possessionibus habere ius vtendi, faciendi, omittendi, pro libero arbitrio, *Licet & idipsum regatur solius Dei libro arbitrio, quocunque illi placuerit.*

QVATENVS ARBITRIVM SIT LIBERVM IN DISCIPLINA EXTERNA PRAESTANDA.

Tom. 4. Ienens. fol. 672. Hoseæ cap. 13. Etsi enim ratio imperare sibi potest, ne cõsentiat omnibus cupiditatibus, quod attinet ad ipsum externum opus. Sæpe enim cohibet, sæpe moderatur vitiosos impetus, id enim nisi aliquo modo in nobis esset positum, quæ legum politicarum, quæ disciplinæ esset vtilitas, quam tamen saepe diuinitus commendari videmus? Ac docet experientia, eam penè solam efficere, ne omnes pariter in cædes, adulteria & alia vicia prolabamur, Tamen inde effici non potest, quod sit arbitrium liberum, hoc est quod homo sine Spiritu Sancto possit se gubernare, rectè facere, ac Deo commendare possit, id quod caput est de quo liberi arbitrij defensores pugnant. Nam ipsa concupiscentia peccatum est, nec est ociosa, sed perpetuò contra legem Dei solicitat animos. Vere igitur nihil in homine boni est, si non per Spiritum Sanctum, prius corda fide purificata, & per remissionem pecccatorum nobiscum nata iniquitas sublata fuerit.

Atque hæc nostra ratio est, quod liberum arbitrium dicimus nullum esse, ac defendimus

fendimus in homine nihil esse boni, nec posse ab homine boni aliquid fieri, nisi Spiritus Sanctus eum regeneret. Sicut Ecclesia egregiè profectò canit de spiritu, sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Etsi enim externam disciplinam, quæ in arbitrio hominis aliquo modo posita est, Deus & exigit & probat, tamen hac non liberamur à peccatis, non liberamur à morte, non commendamur Deo, vt remittat peccata, & vitam æternam donet. Contingunt hæc tantùm fide, ex merito filij Dei, qui pro peccatis nostris sua morte satisfecit, & promissionem Spiritus à patre accepit, per quem corda mouentur, vt & credant remissionem peccatorum & resistent peccato, ac nocenti concupiscentiæ, quæ non prius tota moritur, quàm caro hęc moriatur.

ARBITRIVM HOMINIS AN IN CIVILIBVS ET EXTERNIS INTEGRVM.

Tom. 4. Ienens: fol. 378. Psal. 51. Sed ne in ciuilibus quidem possumus pronunciare, Naturalia esse integra. Videmus enim quantus sit legum contemptus præcipientium recta, & quanta dissolutio disciplinæ, propter quam leges & Magistratus diuinitus constituti sunt. Sic Medicus sæpe decipitur in miscendis, Pharmacis, & nonnunquam per imperitiam occidit decumbentem, Qui ipsum oculorum lumen, aures & alia organa omnia conceperunt vitium ex peccato, neque ita sunt sana & integra, sicut in Adamo ante peccatum fuerũt. Hæc sensuum corruptio manifesta est, quid in spiritualibus esse putas? Sumus igitur per peccatum simpliciter auersi à Deo, ita vt nihil de Deo rectè sentiamus, sed simpliciter sentimus de ipso, sicut de Idolo, Cicero & alij in Republica magni viri, si res spectes, egregiè funchi sunt suo munere, sed si euoluas animos, videbis eos non alia re ad id excitatos, quã studio glorię, sicut testatur gnome illa celebris, Mentem tu sola peruris gloria. Hæc verò an non etiam manifesta nota est, amissę noticiæ Dei, cui per obediẽtiam seruire debebamus, non nostram quærere gloriam. Nunc autem diuersum fit, quod non Dei gloriam, sed nostram ipsorum gloriam quærimus in Deo & omnibus creaturis. Sic illi ipsi quorum insignis continentia & sobrietas fuit, gloriam præcipuum habuere scopum quem spectarent, non voluntatem Dei.

Ergo peccatum nostrum est, quod in peccatis nati sumus & concepti, Hoc didicit Dauid experientia propria. Ideo sic definit, vt significet peccatum esse corruptionem omnium virium, interiorum & exteriorum, ideo vt nullum membrum officium suum ita nunc faciat, sicut in Paradiso ante peccatum, sed discessimus à Deo, pleni conscientia mala, morbis & morti obnoxij, sicut pœnæ verba ostendunt: Quacunque die comederis de hoc ligno, morte morieris. Discimus aũt hæc ex solo verbo. Gentes verbo destitutæ, etsi in medijs his malis iacerent, non tamen ea rectè intellexerunt. Nam mortem iudicarunt necessitatem aliquam naturalem, non peccati pœnam esse. Sic de tota hominis natura non possunt iudicare, quia fontem non norunt, vnde hę calamitates in humanum genus promanarunt.

DE SERVO ARBITRIO IN REBVS SPIRITVALIBVS, IN HOMINE NON RENATO.

DE VOCABVLO LIBERI ARBITRII.

Tom. 3. fol. 177. de Seruo arbitrio. Liberum arbitrium est planè diuinum nomen, nec illi potest cõpetere, quàm soli diuinæ maiestati. Ea enim potest & facit (sicut Psal: canit) omnia, quæ vult in cœlo & in terra. Quod si hominibus tribuitur, ni-

hilo rectius tribuitur, quàm si diuinitas quoque ipsa eis tribueretur, quo sacrilegio nullum esse maius possit. Proinde Theologorum erat ab isto vocabulo abstinere. Cùm de humana virtute loqui vellent, & soli Deo relinquere. Deinde ex hominum ore & sermone idipsum tollere, tanquam sacrum ac venerabile nomen Deo suo asserere. Atque si omninò aliquam vim tribuerent hominibus, alio vocabulo, quàm liberũ arbitrium docerent nominandam, præsertim cùm nobis cognitũ perspectumq; sit, miserè falli ac seduci eo vocabulo populum, vt qui longè aliud audit & concipit eo vocabulo, quàm Theologi sentiunt & disputant.

Est enim magnifica nimis & amplissima, plenaq; vox liberi arbitrij, qua populus putat eam vim significari (sicut & vis & natura vocabuli exigit) quę libere possit in vtrumque se vertere, neque ea vis vlli cedat vel subiecta sit. Quod si sciret hoc secus habere, & modiculam scintillulam vix ea significari, eamque prorsus inefficacem se sola, captiuam & seruam Diaboli, non mirum si lapidarent nos, tanquam illusores & deceptores, vt qui aliud sonemus, aliudque longè significemus, imò nec dum constat aut conueniat, quid significemus. Qui enim Sophisticè loquitur (ait sapiens) odibilis est, maximè si id in rebus pietatis facit, vbi de salute æterna periculum est.

Cùm ergo significationem & rem vocabuli tam glorioſi amiserimus, imò numquam habuerimus (quod Pelagia ni voluerunt & ipsi hoc vocabulo illusi) quid inane vocabulum tam pertinaciter retinemus, in periculum & illusionem fidelis populi? Non alia sapientia, quam nunc Reges & principes, inanes titulos regnorum & Regionum quoque vel retinent, vel sibi vendicant ac iactant, cùm interim penè mendici sint, ac nihil minus quàm ea regna & regiones habent. Verùm hoc tolerabile, quando neminem fallunt aut ludunt, sed seipsos vanitate pascunt, nullo sanè lucro. Ac hîc periculum salutis & illusio nocentissima est.

Quis non rideat vel odio potius habeat intempestiuum illum vocabulorum innouatorem, qui contra omnium vsum inducere tentet eum modum loquendi, vt mendicum vocet opulentum non quòd aliquid opum habeat, sed forte Rex aliquis illi suas donare possit, Faceretqùe id velut seriò, nulla figura locutionis, scilicet vel antiphrasi vel ironia. Sic ægrotum vsque ad mortem, perfecte sanum, ita sanè, quia aliter illi posset suam sanitatem dare. Item si illiteratissimum idiotam voce literatissimum, quia alter quispiam literas fortè dare possit. Ita & hîc sonat. Homo est liberi arbitrij, ita sanè, si Deus illi suum concederet. Hoc abusu loquendi, quilibet de quolibet se iactare posset, vt ille est Dominus cœli & terræ, si Deus hoc ei donaret. At hoc non est Theologorum sed histrionum & Quadruplatorum. Nostar verba debent esse propria, pura, sobria, & vt Paulus dicit, sana & irreprehensibilia.

Quod si omninò vocem eam omittere nolumus, quod esset tutissimum & religiosissimum, bona fide tamen eatenus vti doceamus, vt homini arbitrium liberum non respectu superioris, sed tantùm inferioris se rei concedatur, hoc est vt sciat sese in suis facultatibus & possessionibus habere ius vtendi pro libero arbitrio, licet & idipsum regatur solius Dei libero arbitrio, quocunque illi placuerit. Cæterum ergo Deum, vel in rebus quæ pertinent ad salutem vel damnationem, non habet liberum arbitrium, sed captuus, subiectus & seruus est, vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ.

Est res de solo titulo. Tom. 2. fo. 327. in Assertione articulorum, &c. Lib. arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter. Nititur hic articulus primò, verbo Augustini, de spiritu & litera. cap. 4. liberum arbitrium sine gratia, non valet nisi ad peccandum. Rogo quæ est ista libertas, quæ non nisi

non nisi in alteram partem potest, eamque peiorem? Est hoc esse liberum, non posse nisi peccare?

Sed Augustino non credam. Scripturas audiamus. Christus dicit. Iohan. 15. Sine me nihil potestis facere. Quid est hoc nihil, quòd sine Christo facit liberum arbitrium? Præparat se inquiunt, ad gratiam per opera moraliter bona. Sed ea Christus hîc facit nihil. Ergo per nihil se præparat. Mira præparatio quæ per nihil fit. Verùm quid illud nihil sit, ipse sequenter exponit, dicens: Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescit, & colligunt eum, & in ignem mittunt, & ardet. Obsecro quæ est tua frons meretricia, sanctissime vicarie Christi, qua sic audeas Domino tuo contradicere. Tu dicis quòd liberum arbitrium possit se parare, vt intret ad gratiam. Contrà Christus dicit, quod mittatur foras, vt longius fiat à gratia. Quam pulchrè concordat tua bulla cum Euangelio?

Christum ergo audiamus, qui palmitis excisi ponit quinq; perditionis gradus, quibus ostendit eum se non modò, non posse ad bonum parare, sed necessariò peiorem fieri. Primus est quòd foras mittatur, ergo non intromittur, datur in potestatem Satanæ, qui non permittit eum conari ad bonum.

Quid enim aliud foras mittere potest significare? Secundò arescit hoc est, quotidie peior fit sibi relictus. Atque hæc sunt opera duo liberi arbitrij, scilicet peccare, & perseuerare augescereq; in peccatis, foras mitti & arescere. Si enim aliud potest liberum arbitrium, Christus certè mentitur.

Tres sequentes pœnæ sunt, colligunt scilicet ad iudicium, vt conuincatur cum alijs. Deinde data sententia, in ignem mittunt æternum, vbi tandem non nisi ardet id est pœnam luet æternam. Nihil ergo posse liberum arbitrium, non est vt illi fingunt, non meritorium operari, sed est foras mitti & arescere. Palmes excisus non sese parat ad vitem, neque enim potest, sed longius fit à vite, & magis ac magis perit. Ita & liberum arbitrium, seu impius homo.

DE DEFINITIONE LIBERI ARBITRII.

Erasmus sic definit liberum arbitrium. Tomo tertio. Ienens. folo. 186. De Seruo arbitrio. Liberum arbitrium hoc sentimus, vim humanæ voluntatis, qua se possit homo applicare ad ea, quæ perducunt ad æternam salutem, aut ab ijsdem auertere.

Prudenter sanè definitio à te nuda ponitur, nec illa eius particula (vt mos est aliorum) declaratur, quòd naufragium non vnum fortè veritus sis. Cogor itaque ego singulas discutere.

Ipsum certè definitum si rigidè examinetur, latius patet quàm definitio, quam definitionem Sophistæ vitiosam dicerent, quoties videlicet definitio non explet definitum. Nam superius ostendimus, liberum arbitrium, nemini nisi soli Deo conuenire.

Arbitrium fortassis homini aliquod rectè tribueris, sed liberum tribuere in rebus diuinis, nimium est. Quod liberi arbitrij vox omnium aurium iudicio prorsùs id dicitur, quod potest & facit erga Deum, quæcunque libuerit, nulla lege, nullo imperio cohibitum. Neque enim seruum dixeris liberum, qui sub imperio Domini agit. Quantò minus hominem vel Angelum rectè liberum dicimus, qui sub imperio plenissimo Dei (vt peccatum & mortem taceam) sic degunt, vt ne momento consistere suis viribus possint.

Igitur hîc statim in foribus pugnant definitio quid nominis & definitio quid rei, quod vox aliud significat, & aliud reipsa sentitur. Rectius verò vertibile arbi-

trium, vel mutabile arbitrium diceretur. Nam sic Augustinus & post eum Sophistę, gloriam & virtutem istius vocis (liberum) extenuant, adiecto illo detrimẽto, quod vertibilitatem liberi arbitrij dicunt. Atque ita deceret nos loqui, ne inflatis & inaniter fastuosis vocabulis, corda hominum luderemus. Vt & Augustinus sentit, nos ad certam regulam sobrijs & propríjs verbis, debere loqui. In docendo enim simplicitas, & proprietas Dialectica requiritur, non autem ampullæ & figuræ Rhetoricæ persuasionis.

Sed ne verbi pugna delectari videamur, donemus interim id abusui, licet magno & periculoso, vt idem sit liberum arbitrium quod vertibile arbitrium. Donemus & illud Erasmo quod liberi arbitrij vim facit humanæ voluntatis, ac si Angelorum nõ sit liberum arbitrium, quod hoc libello solùm de hominum libero arbitrio agere instituit, alioqui & in hac parte, definitio fuerat arctior quàm definitum.

Ad eas partes veniamus, in quibus rerum cardo vertitur, quarum aliquæ satis apertè sunt, aliæ lucem fugiunt, vel vt sibi conscientiæ nihil non metuant, cum nihil definitione apertius & certius edi debeat. Obscurè enim definire, perinde est ac nihil definire. Apertæ sunt illæ: Vis humanæ voluntatis, Item qua se potest homo. Item, ad æternam salutem, sed Andabatæ sunt istæ, applicare, Item, ad ea quæ perducunt, Item auertere? Quid igitur esse diuinabimus illud, applicare? Nam illud auertere? Item quid sunt illa, quæ ad æternam salutem perducunt? Quo se proripiunt illa? Mihi vt video, cum vero Scoto, aut Heraclito res est, vt duplici labore fatiger. Primùm aduersarium in foueis & tenebris (quod facinus & audax & periculosum est) palpitans & tentans quęritem, ac nisi inuenero frustra & cum laruis pugnem, aeraque in tenebris verberem. Deinde si produxero in lucem, tum demum iam quærendo fessus, æquo marte manus conseram.

Vim igitur voluntatis humanæ dici credo, potentiam vel facultatem, vel habilitatem, vel aptitudinem volendi, nolendi, eligendi, contemnendi, approbandi, refutandi, & si quæ sunt aliæ voluntatis actiones. Iam quid sit eandem vim sese applicare & auertere, non video nisi ipsum velle, eligere, & nolle contemnere, probare, refutare, ipsam scilicet actionem voluntatis. Vt fingamus vim illam, esse medium quiddam inter voluntatem ipsam & actionem suam, vt qua voluntas ipsa actionem volendi & nolendi elicit, & qua ipsa actio volendi & nolendi elicitur.

Aliud hîc nec fingere, nec cogitare datur. Si fallor culpa sit autoris, qui definiuit, non mea qui inuestigo. Rectè enim dicitur apud luristas, verba obscurè loquentis, cùm potuerit clarius dicere interprætanda esse contra ipsum. Et hîc interim modernos meos ignorare volo cum suis subtilitatibus, crassè enim dicendum est, gratia docendi & intelligendi. Ea verò quæ ad ęternam salutem perducunt, arbitror esse verba & opera Dei, quæ offeruntur voluntati humanæ, vt ijsdem sese applicet vel auertat. Verba autem Dei dico, tam legem quàm Euangelium, lege exiguntur opera, Euangelio fides. Nulla enim sunt alia, quæ vel ad gratiam Dei, vel ad salutem æternam perducunt, nisi verbum & opus Dei. Siquidem gratia vel spiritus est ipsa vita, ad quam verbo & opere diuino perducimur.

Hæc autem vita vel salus æterna res est incomprehensibilis captui humano, sicut Paulus ex Esaia refert 1. Corinthiorum secundo. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Nam & is inter summos articulos fidei nostræ numeratur, vbi dicimus: Et vitã æternam. Quid verò in isto articulo valeat liberum arbitrium, Paulus testatur 1. Cor. 2. Deus

Deus inquit ea nobis reuelauit per Spiritum ſuum. Quaſi dicat. Niſi Spiritus reuelarit, nullius hominis cor quicquam de ea re noſſet, aut cogitaret, tantùm abeſt vt ſe applicare ad id vel appetere poſsit.

Vide experientiam, quid excellentiſsima ingenia inter Gentes, de vita futura & reſurrectione ſenſerint. Nonne quo excellẽtiores ingenio fuerunt, eò magis ridiculum illis fuit reſurrectio & vita æterna? Niſi non fuerunt ingenioſi Philoſophi illi & Græci, qui Athenis Paulum hæc docentẽ Spermologon & nouorum Dæmoniorum aſſertorem dicebant.

Portius Feſtus Act. 24. Paulum inſanum clamabat, ob prædicationem æternæ vitæ. Quid Plinius de ijs rebus latrat libro. 7. Quid Lucianus tantum ingenium? Stupidi ne illi fuerunt? Denique adhuc hodie plerique quo ſunt maiore ingenio & eruditione, hoc magis rident eum articulum, & fabulam eſſe putant, idq; palam. Nam occultè nullus planè hominum, niſi Spiritu Sancto perfuſus, nouit, credit, aut optat ſalutem æternam, etiamſi voce & ſtylo iactitent. At vtinam eodem fermento tu & ego liberi eſſemus, mi Eraſme, tam ranus eſt in hoc articulo fidelis animus. Habeo ne definitionis huius ſenſum?

Igitur Eraſmo autore, liberum arbitrium eſt vis voluntatis, quæ poteſt à ſeipſa velle & nolle, verbum & opus Dei, quibus ducitur ad ea, quæ excedunt & captum & ſenſum eius. Si verò poteſt velle & nolle, poteſt & amare & odiſſe. Si amare & odiſſe, poteſt & aliquantulum facere Legem & credere Euangelio. Quia impoſsibile eſt, ſi aliquid velis aut nolis, vt non aliquid operis ea voluntate poſsis, etiam ſi prohibente alio perficere non poſsis. Iam cùm inter opera Dei, quę ad ſalutem perducunt, mors, crux & omnia mala mundi numerentur, poterit humana voluntas & mortem & ſui perditionem velle. Quin omnia velle poteſt, dum verbum & opus Dei velle poteſt. Quid enim infra, ſupra, intra extra, verbum & opus Dei, niſi Deus ipſe vſpiam eſſe poteſt? Quid autem hîc relinquitur gratiæ & Spiritui Sancto? Hoc planè eſt diuinitatem libero arbitrio tribuere, ſiquidem Legem & Euangelium velle, peccatum nolle & mortem velle, diuinæ virtutis eſt ſolius, vt Paulus non vno loco dicit.

Proinde nemo poſt Pelagianos rectius de libero arbitrio ſcripſit quàm Eraſmus. Dixi enim ſuperius, liberum arbitrium eſſe diuinum nomen, ac diuinam virtutem ſignificare. Hanc verò nemo illi tribuit hactenus præter Pelagianos, Sophiſtę enim quiquid ſentiant, longè aliter certè loquuntur. Quin Pelagianos quoque longè ſuperat Eraſmus. Illi enim toti libero arbitrio eam diuinitatem tribuunt. Eraſmus dimidio. Siquidem illi faciunt liberi arbitrij duas partes, vim diſcernendi & vim eligendi, alteram rationi, alteram voluntati affingentes, quod & Sophiſtæ faciunt. Sed Eraſmus poſthabita diſcernendi vi, ſolam extollit vim eligendi, ita claudum ac ſemiliberum arbitrium, Deum facit. Quid putas erat facturus, ſi totum liberum arbitrium fuiſſet deſcripturus?

Sed non hoc contentus, Philoſophos etiam excedit. Apud illos enim nondum definitum eſt, an aliquid ſeipſum poſsit mouere, ibiq; toto corpore Philoſophiæ diſſentiunt Platonici & Peripatetici. Sed apud Eraſmum liberum arbitrium ſuapte vi ſeſe non modò mouet, ſed applicat etiam ad ea quæ ſunt æterna, id eſt, incomprehenſibilia ſibi, planè nouus & inauditus definitor liberi arbitrij, qui Philoſophos, Pelagianos, Sophiſtas & omnes longè poſt ſe relinquit. Nec hoc ſatis, nec ſibi parcit, ſibiq; ipſi plus, quàm omnibus alijs diſsidet & pugnat. Antea enim dixerat, voluntatem humanam prorſus eſſe inefficacem ſine gratia? (niſi hoc ioco dixerit) Hîc

Hîc verò vbi seriò definit, dicit humanam voluntatem habere eam vim, qua efficax sit applicare sese ad ea, quæ sunt salutis æternæ, id est quæ sunt incomparabiliter supra vim illam, Ita & seipso quoque superior est hac parte Erasmus.

Vides ne mi Erasme, hac definitione teipsum prodi (imprudenter credo) quod harum rerum nihil omninò intelligis, vel prorsus incogitans & contemnens, de illis scribas, ignarus quid loquaris, vel quid affirmes? Et vt suprà dixi, minus dicis & plus tribuis libero arbitrio, quàm omnes alij, dum neque totum liberum arbitrium describis, omnia tamen illi tribuis. Tolerabilius longè tradunt Sophistæ, vel saltem pater eorum Petrus Longobardus, qui liberum arbitrium dicunt esse facultatem discernendi, Deinde & eligendi, boni quidem si adsit gratia, mali verò si desit gratia, planeque cum Augustino sentit, liberum arbitrium suapte vi, non posse nisi cadere, nec valere nisi ad peccandum. Vnde & seruum potius quàm liberum arbitrium vocat Augustinus libro 2 contra Iulianum.

Tu verò vtrunque parem vim facis liberi arbitrij, quod suapte sine gratia, vi, & sese applicare possit ad bonum, & sese auertere à bono. Non enim cogitas, quàm magnum tribuas illi hoc pronomine, se vel seipsam dum dicis: Potest se applicare, prorsus scilicet excludis Spiritum Sanctum, cum omni virtute sua, tanquam superfluum & non necessarium. Damnabilis igitur est tua definitio etiam apud Sophistas, qui nisi inuidia excæcati, in me sic insanirent, in tuum libellum furerent potius. Nunc quia Lutherum petis, etiamsi contra teipsum & illos dicas, nihil nisi sanctum & Catholicum dicis, tanta est patientia Sanctorum virorum.

Non hæc dico, quod Sophistarum sententiam de libero arbitrio probem, sed quòd tolerabiliorem esse ducam quàm Erasmi, proprius enim accedunt ad veritatem.

Non enim illi liberum arbitrium sicut ego, nihil esse dicunt, tamen cùm sine gratia ipsum nihil posse dicunt, præsertim Magister Sententiarum, pugnant Erasmo imò videntur sibi ipsis quoque pugnare, & sola verbi controuersia, torqueri, contentionis cupidiores quàm veritatis, sicut decet Sophistas. Nam finge mihi Sophistam minimè malum dari, cum quo semotus familiari colloquio isto conferrem & candidum ac liberum iudicium postularem in hunc modum: Si quispiam tibi id liberum esse diceret, quod sua virtute non nisi in alteram partem possit, scilicet in malam. In alteram verò, nempè in bonam partem possit quidem sed non sua virtute, imò alterius duntaxat auxilio, possis etiam tenere risum amice? Nam sic lapidem aut truncum facilò obtinebo habere liberum arbitrium, vt qui & sursum & deorsum vergere potest, sed vi sua non nisi deorsum, alterius verè solùm auxilio sursum. Et vt suprà, dixi tandem dicemus inuerso omnium linguarum & verborum vsu: Nullus est omnes, Nihil est omnia, referendo alterum ad rem ipsam, alterum ad alienam, quæ adesse sibi & accidere possit.

Sic & liberum arbitrium nimium disputando tandem per accidens liberum faciunt, vt quod possit liberari aliquando per alium. Quæstio autem est per se & de substantia libertatis arbitrij. Hæc si soluenda est, nihil nisi inanis vox liberi arbitrij reliqua sit, velint nolint. Deficiunt & in hoc Sophistæ, quod libero arbitrio vim discernendi boni à malo tribuunt: Item regenerationem & innouationem Spiritus præmunt, ac velut externè auxilium illud alienum illi affingunt, de quo postea.

DE STATV CONTROVERSIAE IN HAC MATERIA.

Tomo. 3. fol. 189. De seruo arbitrio. Tres opiniones de libero arbitrio. Sic habet pri-

habet prima opinio sibi ipsi comparata, vt neget quidquã boni posse velle hominem, & tamen relinqui studium, quod tamen suum quoque non sit. Iam comparemus eam reliquis duabus. Altera enim illa durior est, quæ sentit liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum. Hæc verò est Augustini, vt multis alijs locis, tum prolibello de Spiritu & litera. Cap. ni fallor quarto aut quinto, vbi illis ipsis verbis vtitur.

Tertia illa durissima est, esse liberum arbitrium inane nomen, omniaq; quæ facimus esse necessariò sub seruitute peccati, cũ his duabus conflictatur Diatribe. Hîc dico, fortè non sumus satis Latini vel Germani, vt rem ipsam non potuerimus edisserere. Sed testor Deum, aliud nihil volui dicere, nec aliud intelligi, per verba duarum postremarum opinionum, quàm id quod dicitur in prima opinione. Nec Augustinum aliud voluisse arbitror, nec aliter ex ipsius verbis intelligo, quàm quod prima dicit opinio. Ita vt tres opiniones à Diatribe recitatæ, apud me non sint nisi vna illa mea sententia. Postquam enim concessum ac ratum est, liberum arbitrium: amissa libertate cogi in seruitute peccati, nec posse quidquam velle boni. Ego ex his verbis nihil aliud possum concipere, quàm liberum arbitrium esse inanem vocalem cuius res amissa sit. Amissam libertatem mea Grammatica vocat nullam libertatem. Tribuere autem libertatis titulum ei quòd nullam habet libertatem, est tribuere inane vocabulum. Si hîc erro, reuocet qui potest, si sunt hæc obscura & ambigua, illustret & stabiliat qui potest. Ego sanitatem amissam non possum sanitatem appellare, nec si ægroto eam tribuero, aliud tribuisse videor, quàm inane nomen.

Sed facessant monstra verborum, Quis enim ferat istum abusum loquendi, vt hominem simul habere liberum arbitrium dicamus, & simul amissa libertate cogi in seruitute peccati, ac nihil boni posse velle, asseramus? Pugnant hæc communi sensui, & tollunt prorsus vsum loquendi. Diatribe potius accusanda est, quæ dormitanter sua verba effutit, & aliena non obseruat. Non, inquam, considerat quid sit & quantum valeat dicere. Homo amisit libertatem, cogitur seruire peccato, nec potest quicquam velle boni. Si enim vigilaret & obseruaret, planè videret, vnam esse trium opinionum sententiam, quas diuersas & pugnantes facit. Nam qui amisit libertatem & cogitur seruire peccato, nec potest velle bonum, quid de illo rectius inferetur, quàm non nisi illum peccare vel malum velle? Sic enim & Sophistæ concluderent per suos syllogismos. Quare Diatribe infœliciter conflictatur cõtra duas postremas, dum primam probat, quæ eadem est cum illis, iterum more suo sese damnando, & nostra probando in vno eodemque articulo.

Tomo tertio Ienens. fol. 170. de Seruo arbitrio. Non est irreligiosum, curiosum aut superuacaneum, sed in primis salutare, & necessarium Christiano nosse, An voluntas aliquid vel nihil agat in ijs, quæ pertinent ad salutem, imò vt scias hîc est cardo nostræ disputationis, hic versatur status causæ huius. Nam hoc agimus, vt disquiramus, quid nam possit liberum arbitrium, quid patiatur, quomodo se habeat ad gratiam Dei. Hæc si ignorauerimus prorsus nihil Christianarum rerum nouimus, erimusque omnibus gentibus gentibus peiores. Qui hoc non sentit, fateatur sese non esse Christianum, Qui verò reprehendit vel contemnit, sciat sese esse summum Christianorum hostem. Nam si ignorauero quid, quatenus, & quantum ego ego possum & faciam erga Deum pariter incertum & ignotum mihi erit, quid quatenus, & quantum Deus in me potest & faciat, cùm Deus operetur omnia in omnibus, Ignoratis verò operibus & potentia Dei, Deum ipsum ignoro, Ignorato DEO, colere, laudare, gratias agere, seruire DEO non possum, dum nescio quantùm mihi tribuere, quantùm Deo debeo. Oportet igitur certissimam

distinctionem habere, inter virtutem Dei & nostram, inter opus Dei & nostrum, si volumus piè viuere.

Item folio 223. de Seruo arbitrio. Non disputamus quid operante Deo possimus, sed quid nos possimus, videlicet an iam creati ex nihilo aliquid *Nos faciamus vel conemur* illo generali motu omnipotentiæ, vt paremur ad nouam creaturam Spiritus.

Geneſis capite sexto, Tomo primo, fol. 115. Nos cùm de libero arbitrio disputamus, quid Theologicè valeat quærimus, non quid in ciuilibus & rationi subiectis rebus. Statuimus autem, quòd *Homo sine Spiritu Sancto simpliciter coram Deo sit impius*, etiamsi omnibus omnium gentilium virtutibus ornatus sit (sicut profectò insignia exempla continentiæ liberalitatis, amoris in patriam, parentes, liberos, fortitudinis, humanitatis, etiam in Gentilium historijs extant) statuimus quòd optimæ cogitationes de Deo, de cultu Dei, de voluntate Dei, sint plusquam Cymmeriæ tenebræ. Nam rationis lumen, quod homini soli concessum est, tantùm intelligit commoditates corporales. Is est amor concupiscentiæ vitiosus.

DE MATERIA SEV DE SVBIECTO VEL HOMINE CONVERTENDO, QVOD NIHIL AGAT *aut conetur sed habeat se purè passiuè in conuersione.*

Tom. 1. Ienens. fol. 538. in disputatione de homine. 35. Homo huius vitæ est *pura materia Dei ad futuræ formæ suæ vitam.* 36. Sicut & tota creatura, nunc subiecta vanitati, materia Deo est, ad glorioſam futuram suam formam. 37. Et qualis fuit terra & cœlum in principio ad formam post sex dies completam id est materia sui. 38. Talis est homo in hac vita, ad futuram formam suam, cùm reformata & perfecta fuerit imago Dei. 39. Interim in peccatis est homo, & indies vel iustificatur vel polluitur magis.

Geneſ. cap. 2. fol. 24. In ijs quæ ad Deum attinent, & sunt supra nos, homo nullum habet liberum arbitrium, sed verè est sicut lutum in manu figuli, *positus in mera potentia passiua, non actiua.* Ibi enim non eligimus, non facimus aliquid, sed eligimur, paramur, regeneramur, accipimus, sicut Esaias dicit: Tu Figulus nos lutum tuum.

De Seruo arbitrio. Tom. 3. Ienens. fol. 200. Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri sic accipit. Quomodo datur illis potestas, vt filij Dei fiant, si nostræ voluntatis nulla libertas est? Et hic locus est malleus aduersus liberum arbitrium, quamuis est fermè totus Iohannes Euangelista, tamen adducitur pro libero arbitrio. Videamus quæso, Iohannes non loquitur de vllo opere hominis, neque magno neque paruo, sed de ipsa inuocatione & transmutatione hominis veteris, qui filius Diaboli est, in nouum hominem qui filius Dei est. *Hic homo merè passiuè (vt dicitur) sese habet, nec facit quippiam, sed fit totus.* De fieri enim loquitur Iohannes, Fieri filios Dei dicit, potestate diuinitus nobis donata, non vi liberi arbitrij nobis insita.

Tom. 1. Ienens. fol. 306. in Resolut. propositi. Lipsensium conclus. 2. Ex his infertur liberum arbitrium esse *merè passiuum in omni actu suo*, qui velle vocatur & frustra garriri distinctionem Sophistarum. Actum bonum esse totum à Deo, sed non totaliter. Est enim totus & totaliter à Deo, Quia voluntas, gratia non nisi rapitur, trahitur, mouetur, qui tractus redundans in membra, & vires seu animæ seu corporis, est eius actiuitas & nulla alia, sicut tractus ſerræ secantis lignum, est serræ merè passiuus à sectore, nec ad tractum suum quidquam cooperatur, sed tamen tracta iam in lignum operatur, impulsa magis impellens, quę serratio opus eius cum serratore dicitur, cùm tamen merè patiatur.

Tom.

Tomo 2. Ienenſ. fol. 62. Pſal. 5. Error eſt itaque liberum arbitrium habere actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, ſperare, diligere iam diximus, eſt motus, raptus, ductus verbi Dei, eſt quædam continua purgatio & renouatio mentis & ſenſus de die in diem, in agnitionem Dei, licet non ſemper æquè intenſa ſit illa paſsio, tamen ſemper eſt paſsio. Ecce (inquit Propheta Ieremias 18.) Sicut lutum in manu figulo, ita vos domus Iſrael in manu mea. Quid obſecro actiuitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? Nonne mera paſsio ibi cernitur? qua tamen proficit de ſua deformitate, in formam ſimilem artificis Ideæ.

Ita per ſpem, tribulatione operante naſcentem diuinæ imagini conformamur & creamur ad imaginem (iuxta Paulum) eius qui fecit nos. Voluntas verò incarnata ſeu in opus externum effuſa, rectè poteſt dici cooperari, & actiuitatem habere. Sicut gladius in ſuo motu prorſus nihil agit, merè autem patitur. At in vulnere facto cooperatus eſt per motum ſuum ſecanti per ipſum, Quare ſicut gladius ad ſui motum nihil cooperatur, ita nec voluntas ad ſuum velle, qui eſt diuini verbi motus, mera paſsio voluntatis, quæ tum cooperatur ad opus manuum orando, ambulando, laborando.

QVOD CONVERSIO HOMINIS IMPII SIT PVRVM DEI OPVS.

De Seruo arbitrio. Tom. 3. Ienenſ. folio 223. Non diſputamus quid operante Deo poſsimus, ſed quid nos poſsimus, videlicet an iam creati ex nihilo, aliquid nos faciamus vel conemur illo generali motu omnipotentiæ, vt paremur ad nouam creaturam Spiritus. Hîc reſpondendum erat, non aliò diuertendum. Hîc enim nos ſic reſpondemus.

Sicut homo antequam creatur vt ſit homo, nihil facit aut conatur, quò fiat creatura. Deinde factus & creatus nihil facit aut conatur quò perſeueret creatura, ſed vtrumque fit ſola voluntate omnipotentis virtutis & bonitatis Dei, nos ſine nobis creantis & conſeruantis, ſed non operatur in nobis, ſine nobis, vt quos ad hoc creauit & ſeruauit, vt in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, ſiue hoc fiat extra regnum ſuum generali omnipotentia, ſiue intra regnum ſuum ſingulari virtute Spiritus ſui.

Sic deinceps dicimus: Homo antequam renouetur in nouam creaturam regni Spiritus, nihil facit, nihil conatur, quò paretur ad eam renouationem & regnum. Deinde recreatus, nihil facit, nihil conatur quò perſeueret in eo regno, ſed vtrumque facit. *Solus Spiritus in nobis, nos ſine nobis recreans & conſeruans recreatos,* vt & Iacobus dicit voluntariè genuit nos, verbo virtutis ſuæ, vt eſſemus initium creaturæ eius, loquitur de renouata creatura. Sed non operatur ſine nobis, vt quos in hoc ipſum recreauit & conſeruat, vt operaretur in nobis & nos ei cooperaremur. Sic per nos prædicat, miſeretur pauperibus, conſolatur afflictos, verùm quid hinc libero arbitrio tribuitur? imò quid ei relinquitur niſi nihil? & verè nihil.

Lege igitur hîc Diatriben per quinque vel ſex chartas vbi iſtiuſmodi ſimilitudinibus, tũ pulcherrimis locis & parabolis ex Euangelio & Paulo adductis, aliud nihil agit, quàm quod nos docet, in ſcripturis inueniri loca (vt ait) innumerabilia, quæ cooperationem & auxilia Dei tradant, Ex quibus ſi tunc ego colligam, Homo nihil poteſt niſi auxiliante Dei gratia, igitur nulla ſunt opera hominis bona, ipſa contrà ſic colligit inuerſione Rhetorica, Imò Homo (inquit) nihil non poteſt

auxiliante

auxiliante Dei gratia, igitur omnia opera hominis possunt esse bona. Quot igitur sunt loca in scripturis diuinis, quæ meminerunt auxilij, tot sunt quæ statuunt liberum arbitrium, at ea sunt innumerabilia. Itaque vicero, si res æstimætur testimoniorum numero. *Hæc illa.* Satin sobriam Diatriben putas, aut mente sana fuisse cùm hæc scriberet? Nam malitiæ & nequitiæ eius non tribuam, nisi tædio fortè perpetuo me voluerit enecare, dum vbique similis sibi, semper alia tractat, quàm instituit. Sed si illam delectauit ineptire in re tanta, delectet & nos ineptias eius voluntarias publicè traducere.

Primùm nos neque disputamus neque ignoramus omnia opera hominis posse esse bona, si fiant auxiliante Dei gratia. Deinde hominem nihil non posse auxiliante Dei gratia. Tuam verò non satis possumus admirari negligentiam, qui cùm de Liberi arbitrij vi instituisses scribere, scribis de vi gratiæ Dei. Deinde ac si omnes homines essent trunci & lapides, audes in Publico dicere, liberum arbitrium statui per loca Scripturæ, quæ auxilium gratiæ Dei commendant, nec solùm hoc audes, sed & Encomion cantas victor triumphatorque gloriosissimus. Nunc verè scio, ex hoc ipso dicto & facto tuo, quid sit & valeat liberum arbitrium scilicet insanire. Quid esse potest, quæso, in te, quod sic loquitur, nisi ipsum liberum arbitrium?

Audi tamen tuas consequentias: Scriptura commendat gratiam Dei. Ergò probat liberum arbitrium. Commendat auxilium gratiæ Dei, ergo statuit liberum arbitrium. Qua Dialectica didicisti has Collectiones? Cur non contra: Gratia prædicatur, Ergo liberum arbitrium tollitur. Auxilium gratiæ commendatur, ergo liberum arbitrium destruitur? Ad quid enim confertur gratia? An ad hoc vt superbia liberi arbitrij, per sese satis robusti, gratia velut superfluo ornamento, dies bachanalibus gestiat & ludat. Quare & ego inuertam collectionem, licet non Rhetor, firmiori tamen Rhetorica quàm tu. Quotquot sunt loca in Scripturis Diuinis, quæ meminerunt auxilij, tot sunt quæ tollunt liberum arbitrium. Atqui ea sunt innumerabilia. Itaque vicero si res æstimætur testimoniorum numero. Nam ideo gratia opus est, ideo auxilium gratiæ confertur, quòd liberum arbitrium per sese nihil possit, & vt ipsamet dixit, opinione illa probabili, non possit vel bonum. Commendata itaque gratia, & prædicato auxilio gratiæ, simul impotentia liberi arbitrij prædicatur. Hæc est sana collectio & rata consequentia, quam nec Inferorum portæ subuertent. Plura de causa Efficiente conuers. in reliquis inseruntur.

CONFIRMATIO VERAE SENTENTIAE QVOD CONVERSIO HOMINIS IMPII SOLIVS DEI OPVS *sit absque nostra cooperatione seu modo agendi.*

I. *Negatiua non opus habet probatione.* De Seruo arbitrio Tom. 3. fol. 179. Quando negatiua nihil ponit, nihil est, nihil tenetur probare, nec debet probari. Affirmatiua debet probari. Vos liberi arbitrij vim & rem humanam affirmatis, sed nullum hactenus est visum aut auditum miraculum à Deo pro vllo dogmate rei humanæ, sed solùm pro dogmate rei diuinæ. Nobis autem mandatum est prorsus nullũ dogma admittere, signis diuinis non ante probatum, Deuter. decimo octauo. Quin scriptura hominem vocat vanitatem & mendacium, quod aliud nihil est, quàm omnia humana esse vana & mendacia. Agite igitur, agite inquam, probate dogma vestrum de vanitate humana & mendacio esse verum. Vbi hîc ostensio Spiritus? Vbi sanctimonia? Vbi miracula? Ingenia, eruditionem, autoritatem video, sed ea & gentibus dedit Deus.

Nec tamen

Nec tamen vos ad magna miracula cogemus, nec ad equum claudum sanandum, ne causemini carnale seculum, Quanquam Deus sua dogmata miraculis confirmare soleat, nullo respectu carnalis seculi, neque enim seculi carnalis meritis vel demeritis mouetur, sed mera misericordia, gratia & amore animarum solida veritate stabiliendarum in gloriam suam. Electio vobis datur miraculi quantumlibet parui faciendi. Quin ego vestrum Baal irritaturus insulto & prouoco, vt vel vnam ranam creetis in nomine & virtute liberi arbitrij, quarum tamen Gentiles & impij Magi in AEgypto potuerunt multas creare, Non enim pediculis creandis grauabo vos, quos nec illi educere potuerunt. Dicam adhuc leuius, capite vel vnum pulicem & pediculum (quando nostrum Deum tentatis & videtis in sanando equo claudo) & coniunctis omnibus viribus, conflatisque omnibus studijs, tam Dei vestri, quàm vestrorum omnium si poteritis illum occidere in nomine & virtute liberi arbitrij victores estote, & defensa sit causa vestra, mox veniemus & nos adoraturi Deum illum, mirabilem interfectorem pediculi. Non quod negem vos posse & montes transferre, sed quod aliud sit quippiam ex vi liberi arbitrij factum dici, & aliud idipsum probari.

Quòd autem de miraculis dixi, idem de sanctimonia dico, si poteritis in tanta serie seculorum, virorum & omnium quæ memorasti ostendere vnum opus (sit etiam leuare stipulam de terra) aut vnum verbum (sit vel syllaba My) vel vnum cogitatum ex vi liberi arbitrij (sit vel tenuissimum suspirium) quo vel applicuerunt se ad gratiam, vel quo meruerunt Spiritum, vel quo impetrauerunt veniam, vel quo aliquid cum Deo egerunt, quantumuis modiculum (taceo quo sanctificati sint) Iterum victores vos estote & nos victi, ex vi inquam & nomine liberi arbitrij, Nam quæ fiunt in hominibus vi creationis diuinæ habent scripturæ testimonia abunde. Et certè id ostendere debetis, ne ridiculi Doctores videamini, qui de ea re dogmata, cum tanto supercilio & autoritate spargitis in mundum, cuius nullum producatis monumentum, Somnia enim dicentur ad quæ nihil sequitur, quod longè turpissimum est, tantis & tot seculorum viris eruditissimis & sanctissimis & miraculosis, Tum Stoicos vobis proferemus, qui licet & ipsi descripserunt sapientem qualem nunquam viderunt, tamen partem aliquam conati sunt exprimere. Vos prorsus nihil ne vmbram quidem vestri dogmatis exprimere potestis.

Sic de Spiritu dico. Si ex omnibus assertoribus liberi arbitrij ostendere potestis vnum, qui tantillum robur animi vel affectus habuerit, vt in nomine & virtute liberi arbitrij, vnum obulum contemnere, vno bolo carere, vnum verbum vel sinum iniuriæ ferre potuerit (nam de contemptu opum, vitæ, famæ, nihil dicam) iterum palmam habete, & sub hastam libenter ibimus. Atque idipsum vos qui tanta bucca verborum vim liberi arbitrij iactaris, nobis exhibere debetis, aut iterum de lana caprina videbimini statuere, aut vt ille in vacuo theatro ludos spectare.

Ego verò contrarium vobis facilè ostendam. Quod viri sancti quales iactatis, quoties ad Deum oraturi vel acturi accedunt, quàm penitus obliti incedant liberi arbitrij sui, desperantes de semetipsis, ac nihil nisi solam & puram gratiam longè alia meritis sibi inuocantes. Qualis sæpe Augustinus, qualis Bernhardus cum moriturus diceret: Perdidi tempus meum, quia perditè vixi. Non video hîc allegari vim aliquam quæ ad gratiam sese applicet, sed accusari omnem vim, quod non nisi auersa fuerit. Quanquam illi ipsi Sancti aliquando inter disputandum aliter de libero arbitrio locuti sunt, sicut video omnibus accidisse, vt alij sint dum verbis aut disputationibus intenti sunt, & alij dum affectibus & operibus. Illic dicũt aliter quàm affecti fuerunt ante, hîc aliter afficiuntur quàm dixerunt antè. Ex affectu verò potius quàm ex sermone metiendi sunt homines tam pij quàm impij.

II. *Ab Articulo de Redemptione, totus enim homo redemptus est.* De seruo arbitrio. Tom.3. fol. 219. Si præstantissimum in homine non est impium, neq; perditum aut damnatum, sed solùm caro id est crassiores & inferiores affectus, qualem rogo faciemus Christū redemptorem? An præcium sanguinis eius tam vile faciemus, vt solùm id, quod vilissimum est in homine redemerit, præstantissimum verò in homine per sese valeat, & Christo non habeat opus? Vt Christum deinceps prædicemus redemptorem non totius hominis, sed partis eius vilissimæ scilicet carnis. Hominem verò ipsummet sui ipsius redemptorem in potiore sui parte.

Elige vtrum volueris. Si sana est potior pars hominis, redemptore Christo nō eget. Si Christo non eget, maiore gloria super Christum triumphat, vt quæ sese potiorem partem curet, cùm Christus viliorem tantùm curet. Deinde regnum Satanæ quoque nihil erit, vt quod viliore parte hominis regnet, à potiore verò parte per hominem potius regnetur. Ita fiet per dogma istud de principali parte hominis, vt homo supra Christum & Diabolum extollatur, hoc est fiet Deus Deorum, & Dominus Dominantium. Vbi nunc est illa opinio probabilis, quæ dixit liberum arbitrium, nihil boni velle posse, Hîc verò contendit, esse principalem partem & sanam honestamqúe, ne Christo quidem indigere, sed plura posse quàm Deus ipse & Diabolus possunt.

Hoc dico vt iterum videas, quanti periculi res sit, sacra & diuina tentare sine Spiritu Dei, temeritate rationis humanæ. Igitur si Christus est Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, mundum totum sub peccato, damnatione & Diabolo esse sequitur, nihilqúe prodest distinctio partium principalium & non principalium, Mundus enim significat homines mundana sapientes partibus omnibus.

III. *Ex Articulo de regno Diaboli.* De seruo arbitrio, fol. 221. Tom.3. Quo solo credito satis fortiter stat nostra sententia & prostratum iacet liberum arbitrium. Aut enim regnum Satanæ in hominibus nihil erit, & sic Christus mentietur, Aut si regnū eius tale est, quale Christus describit, liberum arbitrium nihil nisi iumentum captiuum Satanę erit, non liberandum, nisi prius digito Dei eijciatur Diabolus.

IIII. *Ex Articulo Iustificationis.* de seruo arbit. Tom.3. fol. 231. Non operanti asseritur reputari iusticiam modò credat. Non est quo hîc liberum arbitrium euadat, aut elaboratur cum suo conatu aut studio. Aut enim cum operante, aut cum nō operante numerabitur. Si cum operante, audis hîc ei non reputari illam iusticiam, si cum nō operante qui credit tamen Deo, reputatur ei iusticia. At tum non lib. arbitrij vis erit, sed renouata creatura per fidem. Si autem nō reputatur iusticia operanti, manifestum fit eius opera, nihil nisi peccata, mala & impia esse coram Deo.

Nec potest hîc proteruire vllus Sophista, quod licet homo sit malus, possit tamen opus eius esse non malum. Nam ideo Paulus apprehendit, non hominem simpliciter sed operantem, vt apertissimo verbo declararet, ipsa opera & studia hominis damnari, quęcunque illa sint, & quocunque nomine aut specie censeantur. Agit autem de bonis operibus, quia de iustificando & merendo disputat. Et cùm de operante loquatur, vniuersaliter de omnibus operantibus, & de omnibus operibus eorum, potissimùm verò de bonis & honestis operibus loquitur, Alioqui partitio sua de operante & non operante non consisteret.

V. *Ex Articulo de peccato originis.* Tom.3. de seruo arbitrio fol. 231. Cùm vnius Adæ delicto omnes sub peccato & damnatione sumus, Quomodo possumus aliquid tentare, Quod non peccatum & damnabile sit? Quùm enim dicat omnes, neminem excipit, nec vim liberi arbitrij, nec vllum operarium, operetur siue non operetur, Conetur siue non conetur, inter omnes necessariò comprehendetur cum alijs. Nec nos peccaremus aut damnaremur delicto illo vnico Adæ, nisi nostrum delictum esset, Quis enim alieno delicto damnaretur, præsertim coram Deo? Nostrum autē non fit imitando

imitando aut operando, cùm hoc non esse posset delictum illud vnicum Adæ, vt quod non ipse, sed nos fecerimus, fit verò nostrum nascendo. Sed de hac re disputandum aliàs. Igitur ipsum originale peccatum, liberum arbitrium prorsus nihil sinit posse, nisi peccare & damnari.

VI. Ex vniuersalibus vocibus, & sententijs. Tom. 3. De Seruo arbitrio fol. 232. Vehementer admiror, quòd cùm Paulus totius vtatur vocabulis illis vniuersalibus, *Omnes, Nullus, Non, Nusquam, Sine,* Vt omnes declinauerunt, Non est iustus quisquam. Non est qui faciat bonum, nec vnus quidem, Omnes vnius delicto peccatores & damnati sunt? Fide sine lege, sine operibus iustificamur, vt si aliter quispiam velit, non posset tamen clarius & apertius loqui. Miror, inquam, qui factum sit, vt aduersus has vniuersales voces & sententias, prævalerint contrariæ, imò contradictoriæ scilicet. Aliqui sunt non declinantes, non iniusti, non mali, non peccatores, non damnati. Est Aliquid in homine, quod bonum est & ad bonum nititur. Quasi ille quisquis fuerit homo, qui ad bonum nititur, non sit comprehensus in voce ista, *Omnes, Nullus, Non.* Ego non haberem, etiamsi vellem, quod Paulo opponerem aut responderem. Sed cogerer vim mei liberi arbitrij vnà cum suo conatu complecti inter omnes & nullos illos, de quibus Paulus loquitur, nisi noua Grammatica, aut nouus vsus loquendi introducatur.

Ac tropum fortè suspicari, & verba excerpta torquere liceret, si semel aut vno loco vteretur tali nota. At nunc perpetuò vtitur, tum simul affirmatiuis & negatiuis, & sententiam per contentionem & partitionem vtrobique vniuersalium partium sic tractat, vt non modò vocum natura & ipsa oratio, sed & consequentia, præcedentia, circumstantiæ, intentioque & corpus ipsum totius disputationis sensum communem concludant, Paulum velle, quòd extra fidem Christi, nihil nisi peccatum & damnatio sit. Atque hoc modo nos confutaturos esse promisimus liberum arbitrium, vt non queant resistere omnes aduersarij. Id quod arbitror me fecisse, etiamsi non concedant victi in nostram sententiam, aut taceant, Nam hoc nostræ non est opis, Spiritus Dei hoc donum est.

VII. Ex dicto Iohannis. Non ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Tom. 3. De seruo arbit. fol. 233. Iohannes hac partitione reijcit, quicquid non est generatio diuina, dum filios Dei non fieri dicit, nisi nascendo ex Deo, quod fit ipso interprete, credendo in nomine eius. In qua reiectione, voluntas hominis seu liberum arbitrium, cùm non sit natiuitas ex Deo, neque fides necessariò comprehenditur. Si verò aliquid valeret liberum arbitrium, non debebat voluntas viri à Iohanne reijci, nec homines ab eo retrahi, & ad solam fidem & renascentiam mitti, ne illud Esai. 5. Ei diceretur: Væ vobis qui dicitis bonum malum. Nunc verò cùm æqualiter reijciat, sanguines, voluntatem carnis, voluntatem viri, cerum est, quòd voluntas viri nihil magis valet ad faciendos filios Dei, quàm sanguines seu natiuitas carnalis. At nulli dubium est, quin natiuitas carnis non faciat filios Dei, vt & Paulus Roman. 9. Dicit: Non qui filij carnis, ij filij Dei, probatque id exemplo Ismaelis & Esau.

VII. Ex dicto Christi. Ego sum Via, Veritas, & vita. Tom. 3. fol. 234. De seruo arbitrio.

Cùm Christus dicatur via veritas & vita, idque per contentionem, vt quicquid non est Christus, id neque via, sed error, neque veritas, sed mendacium, neque vita, sed mors est, necesse est liberum arbitrium, cùm sit neque Christus, neque in Christo, errore, mendacio & morte contineri. Vbi igitur & vnde habetur medium illud & neutrum, nempe vis illa liberi arbitrij, quæ cùm nec Christus (id est via, veritas, & vita) sit, nec error, nec mendacium, nec mors tamen esse debeat? Nam nisi per contentionem dicerentur omnia, quæ de Christo & gratia

dicuntur, vt opponantur contrarijs, scilicet, quòd extra Christum non sit nisi Satan, extra gratiam non nisi ira, extra lucem non nisi tenebræ, extra viam non nisi error, extra veritatem non nisi mendacium, extra vitam non nisi mors. Quid rogo efficerent vniuersi sermones Apostolorum & tota Scriptura? Frustra scilicet docerentur omnia, cùm non cogerent, Christum esse necessarium, quod tamen maximè agunt. Eò quod medium reperiretur, quod de se nec malum nec bonum, nec Christi, nec Satanæ, nec verum, nec falsum, nec viuum, nec mortuum, forte etiam nec aliquid, nec nihil esset, idque vocetur præstantissimum & summum in toto genere hominum.

Vtrum igitur vis, elige. Si Scripturas per contentionem loqui concedis, de libero arbitrio nihil dicere poteris, nisi quæ contraria sunt Christo, scilicet, Quod error, mors, Satan, & omnia mala in ipso regnent. Si non concedas eas per contentionem loqui, iam Scripturas eneruas, vt nihil efficiant, nec Christum necessarium probent. Ac sic dum liberum arbitrium statuis, Christum euacuas, & totam Scripturam pessundas. Deinde vt verbis simules, te Christum confiteri, reipsa tamen & corde negas. Quia si liber. arbit. Vis, non est erronea tota negotio damnabilis, sed videns & volens honesta & bona, & ea quæ sunt salutis sana est, Christo medico non habet opus, nec Christus eam partem hominis redemit. Quia quid est opus luce & vita, vbi lux & vita est?

At ea non redempta per Christum, optimum in homine non est redemptum, sed per sese bonum & saluum. Tum Deus quoque iniquus est, si vllum hominem damnat, quia illud quod in homine optimum est & sanum, hoc est innocentem damnat. Nam nullus homo non habet liberum arbitrium. Et licet reputatur malus homo, vis tamen ipsa docetur non extingui, quin ad bona conetur & conari possit. Si autem talis est, dubio procul bona, sancta & iusta est, quare non debet damnari, sed ab homine damnando separari. At hoc fieri nequit, Ac. qui si fieri posset, tum homo iam sine libero arbitrio, ne homo quidem esset, nec moreretur nec damnaretur, nec saluaretur, essetque planè brutum, iam non immortalis. Reliquum igitur est, vt Deus sit iniquus, qui bonam, iustam, sanctam illam vim damnat, quæ Christo non eget in homine, & cum homine malo.

IX. *Ex dicto Christi. Nemo venit ad me nisi Pater meus traxerit eum.* Ioh. 6. Tom. 3. De Seruo arb. fol. 235. Iam illud vbi Christus Ioh. 6. dicit: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Quid relinquit libero arbitrio? Dicit enim, opus esse, vt quis audiat & discat ab ipso patre, tum omnes oportere à Deo doctos esse. Hîc sanè non solùm opera & studia lib. arb. docet esse inania, sed ipsum etiam verbum Euangelij (de quo agitur eo loco) frustra audiri, nisi intus loquatur, doceat, trahat, ipsemet pater, Nemo potest, nemo potest (inquit) venire, Vis scilicet illa qua possit homo aliquid conari ad Christum, id est, ad ea quę sunt salutis, nulla esse asseritur. Nec prodest li. arb. quod Diatribe ex Augustino affert ad calumniandum clarissimum hunc & potentissimum locum, scilicet, quòd Deus trahat, quem admodum ouem ostenso ramo trahimus. Hac similitudine vult probare vim ineffe nobis sequenda tractum Dei. Sed nihil valet hęc similitudo hoc loco. Quia Deus ostendit, non solùm vnum, sed omnia bona sua, tum ipsum etiam Christum Filium, nec tamen vllus homo sequitur, nisi intus pater aliùd ostendat, & aliter trahat, imò totus mundus persequitur Filium, quem ostendit. Ad pios bellè quadrat ea similitudo, qui iam sunt oues & cognoscunt pastorem Deum, hi Spiritu viuentes & moti sequuntur, quorsumcunque Deus voluerit, & quicquid ostendit. Impius verò non venit, etiam audito verbo, nisi intus trahat, doceatque Pater, quod facit largiendo Spiritum. Ibi alius tractus est, quàm is qui foris fit, ibi ostenditur Christus per illuminationem Spiritus, qua rapitur

rapitur homo, ad Christum dulcissimo raptu, & patitur loquentem doctorem & trahentem Deum, potius quàm ipse quærat & currat.

X. *Ex dicto Christi. Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato.* Tom. 3. De Seruo arb. fol. 235. Vnum adhuc ex Iohanne afferamus, Vbi capite 16. Dicit: Spiritus arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me. Hîc vides peccatum esse, non credere in Christum. At hoc peccatum non vtique in cute vel capillis hæret, sed in ipsâ ratione & voluntate. Cùm autem totum mundum reum faciat hoc peccato, & experientia notum sit, peccatum hoc mundo fuisse ignoratum, æquè ac Christum, vt quod Spiritu arguente reueletur, manifestum est liberum arbitrium, cum sua voluntate & ratione, hoc peccato captum & damnatum censeri coram Deo. Quare donec Christum ignorat, nec in eum credit, *Nihil boni potest velle aut conari, Sed seruit necessariò peccato illo ignorato.* Summa, cum Scriptura vbique Christum per contentionem & Antithesin prædicet (vt dixi) vt quicquid sine Christi Spiritu fuerit, hoc Satanæ impietati, errori, tenebris, peccato, morti & iræ Dei subijciat, contra liberum arbitrium pugnabunt, testimonia quotquot de Christo loquuntur. At ea sunt immunerabilia, imò tota Scriptura. Ideo si Scriptura iudice, causam agimus, omnibus modis vicero, vt nec iota vnum, nec Apex sit reliquus, qui non damnet dogma liberi arbitrij.

Quod autem Scriptura Christum per contentionem & Antithesin prædicet, id etsi ignorent, aut scire dissimulent magni Theologi & liberi arbitrij tutores, sciunt tamen & confitentur vulgo cuncti Christiani. Sciunt inquam, duo esse regna in mundo, mutuò pugnantissima, in altero Satanam regnare, qui ob id princeps mundi à Christo, & Deus huius seculi à Paulo dicitur, qui cunctos tenet captiuos ad voluntatem suam, qui non sunt Christi Spiritu ab eo rapti, teste eodem Paulo, nec sinit eos sibi rapi vllis viribus, nisi Spiritu Dei, vt Christus testatur in parabola de forti, atrium suum in pace seruante. In altero regnat Christus, quod assiduè resistit & pugnat cum Satanæ regno, in quod transferimur, non nostra vi, sed gratia Dei, qua liberamur à præsenti seculo nequam, & eripimur à potestate tenebrarum. Istorum regnorum mutuò tantis viribus & animis perpetuò pugnantium, cognitio & confessio, sola satis esset ad confutandum dogma liberi arbitrij, quod in regno Satanæ, *Cogimur Seruire,* nisi virtute diuina eripiamur. Hæc inquam vulgus nouit, & tum prouerbijs, precibus, studijs, totaque vita satis confitetur.

XI. *Ex articulo de reliquijs peccatorum & pugna carnis & Spiritus in pijs.* De Seruo arbitrio Tom. 3. fol. 236. Omitto illud meum verè Achilleum, quod Diatribe fortiter transiuit intactum, scilicet, quod Roman. 7. & Galat. 5. Paulus docet in Sanctis & pijs esse pugnam Spiritus & carnis tam validam, vt non facere possint quæ vellent. Ex hoc sic arguebam: Si natura hominis adeo mala est, vt in ijs qui Spiritu renati sint, non modò non conetur ad bonum, sed etiam pugnet & aduersetur bono, Quomodo in illis, qui nondum renati in veteri homine sub Satana seruiunt, ad bonum *Conaretur?* Neque enim ibi Paulus solùm de crassis affectibus loquitur, per quos velut per commune effugium, solet Diatribe omnibus Scripturis elabi, sed numerat inter opera carnis, hæresin, idolatriam, dissensiones, contentiones, quæ vtique in summis illis viribus, puta ratione & voluntate, regnant. Si igitur caro istis affectibus, pugnat contra Spiritum in Sanctis, multò magis contra Deum pugnabit in impijs, & in libero arbitrio. Ideo & Roman. 8. Vocat eam inimicitiam contra Deum. Hoc, inquam, argumentum vellem mihi dilui, & ab eo liberum arbitrium defendi.

XII. *Ex dicto Pauli Roman. 3. Nunc autem sine lege iustitia, &c.* Tom. 3. De Seruo arb. fol. 229. Hîc Paulus mera fulmina loquitur aduersus liberum arbi-

primum, iusticia Dei sine lege (inquit) manifestatur, secernit iusticiam Dei à legis iusticia. Quia iusticia fidei venit ex gratia sine lege. Hoc quòd dicit sine lege, aliud nihil esse potest, quàm quòd iustitia Christiana constet sine operibus legis, sic quod opera legis nihil pro ea valeant, aut faciant obtinenda. Sicut mox infrà dicit: Nos arbitramur hominem iustificari per fidem absque operibus legis. Et vt suprà dixit, Ergo operibus legis non iustificatur vlla caro coram illo. Ex quib. omnibus manifestissimum est, *Conatum aut studium liberi arbitrij nihil esse prorsus.* Quia sine lege & sine operibus legis, iusticia Dei constat, quomodo non multò magis sine libero arbitrio constet? Cùm id sit summum studium liberi arbitrij, si iusticia morali seu operibus legis exerceatur, qua ipsius cæcitas & impotentia iuuatur. Tollit hæc vox *(sine)* opera moraliter bona, tollit iusticiam moralem, tollit præparationes ad gratiam, denique finge quicquid poteris, quod valeat liberum arbitrium, perstabit Paulus & dicet sine tali constat iusticia Dei.

Atque vt dem liberum arbitrium per conatum suum aliquo posse promoueri, videlicet ad opera bona, vel ab iusticiam legis ciuilis vel moralis. Ad iusticiam Dei tamen non promouetur, nec illo respectu dignatur eius studia Deus ad suam iusticiam, dum dicit, sine lege suam iusticiam valere. Si verò ad iusticiam Dei non promouet, quid profuerit illi, Si operibus & conatibus suis promoueret (si posset fieri) etiam ad Angelorum Sanctimoniam? Arbitror hîc non esse verba obscura vel ambigua, nec tropis vllis locum relinqui. Quia distinguit Paulus manifestè duas iusticias, alteram legis, alteram gratiæ tribuens. Et hanc sine illa, & absque operibus eius donari, illam verò sine hac non iustificare, nec quicquam valere. Videam igitur, quomodo liberum arbitrium aduersus hæc subsistere & defendi queat.

CONFVTATIO PRAECIPVARVM OBIECTIONVM QVAE SOLENT VERAE SENtentiæ de Seruo arbitrio opponi.

I. *Ex dicto Ecclesiastici. Si volueris. Responsio.* Non video quomodo istis verbis liberum arbitrium probetur. Est enim verbum coniunctiui modi (si volueris) quod nihil asserit, sicut Dialectici dicunt conditionalem indicatiuè nihil asserere, vt Diabolus est Deus, meritò adoratur. Si Asinus volet, Asinus habet alas. Si liberum arbitrium est, gratia nihil est. Oportuit autem Ecclesiasticum sic dicere, si voluisset liberum arbitrium asserere. Homo potest seruare mandata Dei, vel homo habet vim seruandorum mandatorum.

Sed hîc Diatribe argutabitur, Ecclesiasticus dicendo: Si volueris seruare, significat inesse voluntatem homini ad seruandum & non ad seruandum, alioquin quid sonat dicere ad eum qui voluntatem non habet, si volueris? *Respondeo.* Hæ sunt argumenta rationis humanæ, quæ tales sapientias fundere solet.

Nos autem vt cœpimus, dicimus. Quod hic locus Ecclesiastici nullis prorsus patrocinetur, qui liberum arbitrium asserunt, sed contra omnes pugnet. Non enim admittenda est illa sequela, si volueris, ergo poteris, sed sic intelligetur, eo vergo & similibus moneri hominem, suæ impotentiæ, quam ignarus & superbus, ne istis monitionibus diuinis, non agnosceret, nec sentiret. Tom. 3. De Seruo arbitrio. fol. 190. 191.

II. *Posui ante faciem tuam viam vitæ & mortis, Elige quòd bonum est, &c.* Quid (inquit) apertius dici poterat? Eligendi libertatem relinquit homini. De Seruo arbitrio. fol. 192.

Respo-

Respondeo. legis verba dicuntur non vt vim voluntatis affirment, sed vt cæcam rationem illuminent, quo videat, quàm nulla sit sua lux, & nulla voluntatis virtus. Cognitio peccati (ait Paulus) per legem. Non ait abolitio, aut vitatio peccati. Tota ratio & virtus legis est, in sola cognitione, eaq; non nisi peccati præstanda, non autem in virtute aliqua ostendenda aut conferenda. Cognitio enim non est vis, neq; confert vim, sed erudit & ostendit, quod nulla sit ibi vis, & quanta sit ibi infirmitas. Nam cognitio peccati quid aliud esse potest, quàm noticia infirmitatis & mali nostri, non enim dicit, per legem venit cognitio virtutis aut boni, At totum quod facit lex (teste Paulo) est, vt peccatum cognosci faciat.

Atque is est locus, vnde mihi sumpta est responsio ista, verbis legis moneri ac erudiri hominem, quid debeat, non quid possit, id est, vt cognoscat peccatum, non vt credat sibi esse aliquam vim. Proinde quoties mi Erasme, mihi verba legis opponis, opponam tibi illud Pauli, per legem cognitio peccati, non virtus voluntatis. Congere igitur, vel ex concordantijs maioribus, omnia verba imparatiua in vnum Chaos, modò non fuerint promissionis, sed exactionis & legis verba, mox dicam, semper illis significari, quid debeant, non quid possint aut faciant homines. Atque id etiam Grammatici & pueri in triuijs sciunt, verbis Imperatiui modi, nihil amplius significari, quàm id quod debeat fieri. Quid autem fiat vel possit fieri verbis indicatiuis oportet differi.

Qui igitur fit, vt vos Theologi sic ineptiatis, velut bis pueri, vt mox apprehenso vno verbo imperatiuo, inferatis indicatiuum, quasi statim vt imperatum fit, etiam necessariò factum, aut factu possibile sit. Quanta enim inter os & offam accidunt, vt id quod iusseris, atque adeo possibile satis fuit, non tamen fiat? Tantò distant Imperatiua & Indicatiua verba in rebus communibus & facillimis. Et vos in rebus istis, plus distantibus quàm cœlum & terra, atque adeo impossibilibus, tam subitò facitis nobis Indicatiua ex Imperatiuis, vt mox seruata, facta, electa ac impleta velitis, vel talia fore nostris viribus, quàm primùm audieritis vocem Imperantis, Fac, Serua, elige.

III. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. De Seruo arb. fol. 195.*

Responsio. Vox Euangelica & dulcissimum solatium est miseris peccatoribus, vbi Ezechiel dicit: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, omnibus modis sicut & illa Psalmi. 30. Quoniam momentum est ira eius, & vita potius voluntas eius. Et Psalm. 68. Quàm suauis est misericordia tua Domine. Item: Quia misericors sum. Et illud Christi Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & ego reficiam vos. Item illud Exodi 20. Ego facio misericordiam in multa millia, ijs, qui diligunt me. Et quid est fermè plus, quàm dimidium sacræ Scripturæ, quàm meræ promissiones gratiæ, quibus offertur à Deo misericordia, vita, pax, salus, hominibus? Quid autem aliud sonant promissionis verba, quàm illud. Nolo mortem peccatoris? An non idem est dicere. Ego sum misericors, ac si diceret, Non irascor, nolo punire, nolo vos mori, volo ignoscere, volo parcere? Et nisi starent illæ promissiones diuinæ, quibus afflictæ conscientiæ sensu peccati, ac metu mortis & iudicij territæ, erigerentur? Quis locus veniæ aut spei foret? Quis peccator non desperaret? Sed sicut liberum arbitrium ex alijs verbis misericordiæ aut promissionis, aut solatij, non probatur: ita nec ex isto, Nolo mortem peccatoris, &c.

Sed Diatribe nostra iterum nihil inter legis & promissionis verba distinguens facit hunc locum Ezechielis, vocem legis, vt sic exponit, Nolo mortem peccatoris, id est, nolo quòd mortaliter peccet, aut fiat peccator mortis reus, sed magis vt conuertatur à peccato, si quod fecerit & sic viuat. Nam nisi sic exponeret, ni-

nihil faceret ad rem. Sed hoc est prorsus euertere & tollere suauissimum illud E-
zechielis: Nolo mortem. Si sic Scripturas legere & intelligere volumus nostra
cæcitate, quid mirum si obscuræ & ambiguæ sint? Non enim dicit: Nolo pecca-
tum hominis, Sed nolo mortem peccatoris, manifestè significans de pœna pecca-
ti sese loqui, quam peccator pro suo peccato sentit, scilicet, de timore mortis. Et
in hac positum peccatorem afflictione & desperatione, erigit & consolatur, ne li-
num fumigans extinguat, & calamum quassatum conterat, sed spem veniæ & salu-
tis faciat, vt magis conuertatur, scilicet conuersione salutis, à pœna mortis & viua-
hoc est, benè habeat & secura conscientia lætetur.

Hoc enim obseruandum quoque est, sicut vox legis non fertur, nisi super eos,
qui peccatum non sentiunt nec agnoscunt, Sicut Paulus dicit Rom. 3. Per le-
gem cognitio peccati. Ita verbum gratiæ non venit nisi ad eos qui peccatum sen-
tientes affliguntur & tentantur desperatione. Ideo in omnibus verbis legis vides
indicari peccatum, dum ostenditur, quid debeamus. Sicut contrà in omnibus
verbis promissionis, vides malum significari quo laborant peccatores, vel ij, qui e-
rigendi sunt, vt hîc, Nolo mortem peccatoris, clarè mortem & peccatorem nomi-
nat, tam ipsum malum quod sentitur, quàm ipsum hominem qui sentit. At hîc,
Dilige Deum toto corde, indicatur, quid debeamus boni, non quid sentiamus ma-
li, vt agnoscamus quàm non possimus id boni.

Nihil itaque potuit ineptius pro libero arbitrio adduci, quàm hic locus Eze-
chielis, imò fortissimè contra liberum arbitrium pugnat. Significatur enim hic,
liberum arbitrium, qualiter se habeat, & quid possit in peccato agnito, aut in sese
conuertendo, Scilicet, quòd non nisi in peius laberetur, & desperationem & impe-
nitentiam adderet peccatis, nisi Deus succurreret mox, & promissionis verbo reuo-
caret & erigeret. Solicitudo enim Dei promittentis gratiam ad reuocandum &
erigendum peccatorem, satis magnum & fidele argumentum est, liberum arbitri-
um se solo non posse nisi ad peius, & (vt Scriptura dicit) ad inferos labi. Nisi De-
um eius leuitatis esse credas, quòd nulla necessitate salutis nostræ, sed mera volu-
ptate loquacitatis, verba promissionis effundat tam copiosè, vt sic videas, non so-
lùm omnia verba legis, contra liberum arbitrium stare, sed etiam omnia verba
promissionis ipsum penitus confutare, hoc est vniuersam Scripturam, contra illud
pugnare. Quare illo verbo: Nolo mortem peccatoris, nihil aliud agi vides,
quàm prędicari & offerri diuinam misericordiam in mundo, quam solùm adflicti
& morte vexati cum gaudio & gratitudine suscipiunt, vt in quibus iam lex suum
officium, id est, cognitionem peccati compleuit. Illi verò, qui legis officium non-
dum sunt experti, nec agnoscunt peccatum, nec mortem sentiunt, contemnunt
misericordiam promissam eo verbo.

Cæterùm, cur alij lege tanguntur, alij non tanguntur, vt illi suscipiant & hi
contemnant gratiam oblatam, alia quæstio est, nec hoc loco tractatur ab Ezechie-
le, qui de prædicata & oblata misericordia Dei loquitur, non de occulta illa me-
tuenda voluntate Dei, ordinantis suo consilio, quos & quales prædicatæ & oblatæ
misericordiæ *Capaces & participes* esse velit. Quæ voluntas non requirenda, sed cum
reuerentia adoranda est, vt secretum longè reuerendissimum maiestatis diuinæ
soli sibi reseruatum, ac nobis prohibitum, multò religiosius, quàm infinitæ multi-
tudinis specus coricij.

Quando nunc Diatribe argutatur, *Plorat ne pius Dominus mortem populi sui, quam*
ipse operatur in illis? Hoc enim nimis absurdum videtur.

Respondemus. Vt iam diximus. Aliter de Deo vel voluntate Dei nobis prædi-
cata, reuelata, oblata, culta, & aliter de Deo non prædicato, non reuelato,
non

non oblato, non culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese absondit, & ignorari à nobis vult, nihil ad nos. Hic enim verè valet illud. Quę supra nos, nihil ad nos. Et ne meam esse hanc distinctionem quis arbitretur, Paulum sequor, qui ad Thessalonicenses de Antichristo scribit, Quod sit exaltaturus sese supra omnem Deum prædicatum & cultum. Manifestè significans, aliquem posse extolli supra Deum, quatenus est prædicatus & cultus, id est, supra verbum & cultum, quo Deus nobis cognitus est, & nobiscum habet commercium. Sed supra Deum non cultum, nec prædicatum, vt est in sua natura & maiestate, nihil potest extolli, sed omnia sunt sub potenti manu eius.

Relinquendus est igitur Deus in maiestate & natura sua, sic enim nihil nos cum illo habemus agere, nec sic voluit à nobis agi cum eo, sed quatenus inditus & proditus est verbo suo, quo nobis sese obtulit, cum eo agimus, quod est decor & gloria eius, quo Psalmista eum celebrat inditum. Sic dicimus, Deus pius non deplorat mortem populi, quam operatur in illo, Sed deplorat mortem, quam inuenit in populo, & amouere studet. Hoc enim agit Deus prædicatus, vt ablato peccato & morte, Salui simus. Misit enim verbum suum & sanauit eos. Cæterùm Deus absconditus in maiestate, neque deplorat, neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem & omnia in omnibus. Neque enim tum verbo suo definiuit sese, sed liberum sese reseruauit super omnia.

Illudit autem sese Diatribe ignorantia sua, dum nihil distinguit inter Deum prædicatum & absconditum, hoc est, inter verbum Dei & Deum ipsum. Multa facit Deus, quæ verbo suo non ostendit nobis. Multa quoq; vult, quæ verbo suo non ostendit sese velle. Sic non vult mortem peccatoris verbo scilicet, vult autem illam voluntate illa inperscrutabili. Nunc autem nobis spectandum est verbum, relinquendaq; illa voluntas imperscrutabilis, verbo enim nos dirigi, non voluntate illa inscrutabili, oportet. Atq; adeo quis sese dirigere queat ad voluntatem prorsus imperscrutabilem & incognoscibilem? Satis est nosse tantùm, quod sit quædam in Deo voluntas imperscrutabilis. Quid verò cur & quatenus illa velit, hoc prorsus non licet quęrere, optare, curare, aut tangere, sed tantùm timere & adorare.

Igitur rectè dicitur, Si Deus non vult mortem, nostræ voluntati imputandum est, quod perimus. Rectè inquam, si de Deo prædicato dixeris. Nam ille vult omnes homines saluos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit, vitiumq; est voluntatis quæ non admittit eum. Sicut dicit Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos & noluisti? Verùm quare maiestas illi vitium hoc voluntatis nostræ, non tollit aut mutat in omnibus, cùm non sit in potestate hominis, aut cur illud ei imputet, cùm non possit homo eo carere? Quærere non licet, ac si multum quæras, nunquam tamen inuenias. Sicut Paulus Roman. 9. dicit: Tu quis es, qui respondeas Deo.

IIII. *Obiectio. Quid igitur volunt verba promittentia regnum, & minantia infernum? Quid toties repetita vox mercedis per Scripturas, &c. De Seruo arbitrio. Tom. 3. fol. 299.*

Respondetur ijs omnibus nihil probari, quàm sequelam mercedis, & nequaquam meriti dignitatem, scilicet, quod ij qui bona faciunt, non seruili & mercenario affectu, propter vitam æternam faciunt, quærunt autem vitam æternam, id est, sunt in ea via, qua peruenient & inuenient vitam æternam. Vt quærere sit studio niti, & instanti opera eò conari, quod sequi solet ad bonam vitam. Denunciantur autem in Scripturis ea futura esse & secutura post bonam vel malam vitam, vt erudiantur, moueantur, excitentur, terreantur homines. Nam vt per legem fit cognitio peccati, & admonitio impotentiæ nostræ, ex qua non infertur quod nos aliquid possimus.

Ita per istas promissiones & minas fit admonitio, qua docemur quid sequatur peccatum, & impotentiam illam nostram lege monstratam, non autem tribuitur per ipsas aliquid dignitatis merito nostro.

Proinde sicut verba legis sunt vice instructionis & illuminationis ad docendum, quid debeamus, tum quid non possimus. Ita verba mercedis, dum significant quid futurum sit, sunt vice exhortationis & comminationis, quib. pij excitantur, consolantur, & eriguntur ad pergendum, perseuerandum & vincendum, in bonis faciendis & malis ferendis, ne fatigentur aut frangantur, sicut Paulus Corinth. suos exhortatur dicens: Viriliter agite scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino. Sic Abraham erigit Deus dicens: Ego merces tua magna nimis. Non aliter quàm si hoc modo aliquem soleris, quod opera eius certò placere Deo significes, quo genere consolationis non rarò Scriptura vtitur. Nec parua consolatio est nosse, placere se Deo, vt nihil aliud sequatur, licet id sit impossibile.

Huc pertinent omnia quæ dicuntur de spe & expectatione, quòd certò sint futura quæ speramus, licet pij non propter ipsa sperent, aut talia quærant sui gratia. Ita verbis comminationis & futuri iudicij terrentur & deijciuntur impij, vt desinant & abstineant à malis, ne inflentur, securi fiant & insolescant in peccatis. Quod si hîc ratio nasum ruget & dicat, Cur ista velit Deus per verba fieri, cum talibus verbis nihil efficiatur, neque voluntas in vtramq; partem sese vertere possit. Cur non tacito verbo facit, quod facit, cùm possit omnia sine verbo facere? Et voluntas per sese nec plus valet aut facit verbo audito, si desit Spiritus intus moueus, nec minus valeret aut faceret verbo tacito, si adsit Spiritus, cùm totum pendeat in virtute & opere Spiritus Sancti. Dicemus, sic placitum est Deo, vt non sine verbo, sed per verbum tribuat Spiritum, vt nos habeat suos cooperatores, dum foris sonamus, quod intus ipse solus spirat, vbi voluerit, quæ tamen absque verbo facere posset, sed non vult. Iam qui sumus nos, vt voluntatis diuinæ causam quæramus? Satis est nosse, Quod Deus ita velit, & hanc voluntatem reuereri, diligere & adorare decet, coercita rationis temeritate. Nam & Christus Matth. 11. Nullam rationem affert, cur sapientibus absconditur Euangelium, quòd paruulis reuelatur, quàm quòd sic placuit Patri. Sic nos absque pane ne posset alere, & reuera vim alendi tribuit sine pane, vt Matth. 4. Dicit: Non alitur homo pane solo, sed verbo Dei, placuit tamen per panem, & cum pane foris adhibito, intus nos alere verbo.

Stat igitur, ex mercede non probari meritum, saltem in Scripturis. Deinde ex merito non probari liberum arbitrium, multò minus tale liberum arbitrium, quale Diatribe suscepit probandum, nempe quòd se solo nihil potest boni velle. Nam etiamsi meritum dones, & addas istas solitas rationis similitudines & sequelas, puta frustra præcipi, frustra mercedem promitti, frustra minas intentari, nisi liberum sit arbitrium. His inqua, msi quid probatur, hoc probatur, quod liberum arbitrium seu solo possit omnia. Si enim se solo non potest omnia, manent illa sequela rationis. Ergo frustra præcipitur, frustra promittitur, frustra minis intentantur. Sic perpetuò contra seipsam disputat Diatribe, cùm contra nos disputat. Deus verò solus per Spiritum suum operatur in nobis, tam meritum quàm præmium, vtrumque autem per verbum suum externum toti mundo significat & declarat, & annuncietur etiam apud impios & incredulos & ignaros potentia & gloria sua, & nostra impotentia atque ignominia, licet soli pij id corde percipiant, teneantque fideles, cæteri verò contemnunt.

V. Obii-

V. Obiectio. *Si non est libertas arbitrij vbi est meritis locus? Si meritis non est locus, vbi præmijs locus est? Cui imputabitur si quis iustificetur sine meritis? Tom. 3. De Seruo arbitrio. fol. 230.*

Respondet hîc Paulus Rom. 3. Nullum esse meritum prorsus, sed gratis iustificari omnes quotquot iustificantur, nec hoc vlli imputat, nisi gratiæ Dei. Donata autem iusticia, donatum est simul regnum & vita æterna, Vbi nunc *Conatus?* Vbi studium? Vbi opera? Vbi merita liberi arbitrij? Quis eorum vsus? Obscuritatem & ambiguitatem causari non potes, res & verba sunt clarissima & simpliciſſima. Esto enim, quod libero arbitrio quàm *Minimum tribuant*, nihilominus iusticiam & gratiam eo minimo consequi nos posse docent. Neque enim ratione alia quæstionem illam dissoluunt. *Cur Deus hunc iustificet & illum deserat, quàm statuendo liberum arbitrium, scilicet, quod hic conatus sit, ille non sit conatus,* Et Deus hunc propter conatum respiciat, illum verò contemnat, ne sit iniustus si secus fecerit.

Et quamuis lingua & calamo prætexant, sese condigno merito gratiam non consequi, nec ipsum appellent meritum condignum, tamen vocabulo nos ludunt & rem nihilominus tenent. Quid enim excuset, quòd meritum condignum non appellent, & tamen omnia ei tribuant, quæ sunt meriti condigni? Nempe quòd hic apud Deum gratiam consequitur qui *Conatur, Ille verò, qui non conatur, non consequitur.* Nonne hoc est planè meriti condigni? Nonne Deum respectorem operum, meritorum & personarum faciunt? Scilicet quòd ille sua culpa gratia caret, quia non est conatus, hic verò quia conatus, est gratiam consequitur, non consecutus nisi conatus fuisset. Si hoc non est meritum condignum, velim doceri quid tùm meritum condignum dici possit? Hoc modo ludere posses in omnibus verbis & dicere, meritum condigni quidem non est, efficit tamen quòd meritum condigni solet. Spina non est arbor mala, sed efficit solùm quod arbor mala. Ficus arbor bona non est, sed efficit quod arbor bona solet. Diatribe quidem non est impia, sed loquitur & facit solùm, quod impius.

Accidit istis liberi arbitrij tutoribus id, quod dicitur, Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdim. Nam studio Pelagianis dissentiendi, negare cœperunt meritum condignum, & eo ipso quo negant, fortius statuunr, verbo & calamo negant, reipsa & animo statuunt, dupliciq́ue nomine Pelagianis sunt peiores. Primùm, quod Pelagiani simpliciter candidè & ingenuè confitentur & asserunt meritum condignum, appellantes Scaphan, Scapham, Ficum ficum, docentesq́ue quod sentiunt. *Nostri verò idem cùm sentiant & doceant, mendacibus tamen verbis & falsa specie nos ludunt, quasi Pelagianis dissentiant, cum nihil faciant minus, vt si Hypocrisin spectes videamur Pelagianis accerrimi hostes, si rem & animum spectes, simus bis Pelagiani.* Deinde quòd hac Hypocrisi gratiam Dei longè vilius & æstimamus & emimus, quàm Pelagiani. Hi enim non esse aliquod pusillum in nobis asserunt, quo gratiam consequamur, sed tota, plena, perfecta, magna & multa esse studia & opera. Nostri verò minimum & ferè nihil esse, quo gratiam meremur.

Si igitur errandum est, honestius illi errant & minus superbè, qui gratiam Dei magno constare dicunt, charam & prætiosam habentes, quàm ij qui paruo & pusillo eam constare docent, vilem & contemptibilem habentes. Sed Paulus vtrosq; in vnam massam contundit, vno verbo cùm dicit: *Gratis omnes iustificari. Item: Sine lege, sine operibus legis iustificari.* Qui enim gratuitam iustificationem in omnib. iustificandis asserit, is nullos reliquos facit, qui opperentur, mereantur, præparentur, nullumq; opus relinquit, quod congruum vel condignum dici possit, conteritq́ue vno fulminis huius ictu tam Pelagianos cum suo toto, quàm Sophistas cum suo pu-

ſuo puſillo merito. Gratuita iuſtificatio non fert, vt operarios ſtatuas, quod ma-
nifeſtè pugnent gratis donari, & aliquo opere parari. Deinde per gratiam iuſti-
ficari, non fert vt perſonæ vllius dignitatem afferas, vt & infrà 11. cap. dicit: S
ex gratia, ergo non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia. Sicut & cap. 4. di
cit. Ei enim qui operatur, merces imputatur non ſecundum gratiam, ſed ſecun-
dum debitum. Quare ſtat meus Paulus liberi arbitrij vaſtator inuictus, & vno ver
bo duos exercitus proſternit. Nam ſi ſine operibus iuſtificamur, omnia opera
damnantur, *Siue ſint puſilla, ſiue magna, nulla enim excipit, ſed aduerſus omnia ex æquo fu-
minat.*

VI. Obiectio. Tom. 3. De Seruo arb. fol. 236. Si autem id mouet, Quod
difficilè ſit, clementiam & æquitatem Dei tueri, vt qui damnet immeritos, hoc ci
impios eiuſmodi, qui in impietate nati, non poſſunt vlla ratione ſibi conſulere,
quin impij ſint, maneant & damnentur, coganturq; neceſſitate naturæ peccare &
perire, ſicut Paulus dicit: Eramus omnes filij iræ, quemadmodum & cæteri, cùm
tales creentur ab ipſomet Deo ex ſemine vitiato per vnius Adæ peccatum.

Hîc Honorandus & reuerendus eſt Deus clementiſſimus in ijs, quos iuſtifica
& ſaluat indigniſſimos, donandumque eſt ſaltem nonnihil diuinæ eius ſapientiæ,
vt iuſtus eſſe credatur, vbi iniquus nobis eſſe videtur. Si enim talis eſſet eius iu-
ſticia, quæ humano captu poſſet iudicari eſſe iuſta, planè non eſſet diuina, & nihi-
lo differret ab humana iuſticia. At cùm ſit Deus verus & vnus, Deinde totus in-
comprehenſibilis, & inacceſſibilis humana ratione, par eſt, imò neceſſarium eſt,
vt & iuſticia ſua ſit incomprehenſibilis. Sicut Paulus quoque exclamat dicens:
O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt
iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Incomprehenſibilia verò non eſſent, ſi
nos per omnia capere valeremus, quare ſint iuſta. Quid eſt homo comparatus
Deo? Quantum eſt, quod potentia noſtra poteſt, illius potentiæ comparata?
Quid eſt noſtra fortitudo, illius viribus collata? Quid noſtra ſcientia, illius ſa-
pientiæ comparata? Quid noſtra ſubſtantia, ad illius ſubſtantiam? Summa,
quid omnia noſtra ſunt ad illius omnia?

Si igitur fatemur, etiam natura Magiſtra, humanam potentiam, fortitudi-
nem, ſapientiam, ſcientiam, ſubſtantiam, & omnia noſtra prorſus nihil eſſe, ſi ad
diuinam potentiam, fortitudinem, ſapientiam, ſcientiam, ſubſtantiam conferan-
tur. Quæ eſt noſtra illa peruerſitas, vt ſolam iuſticiam & iudicium Dei vexemus,
& iudicio noſtro tantùm arrogemus, vt diuinum iudicium comprehendere, iu-
dicare & æſtimare velimus? Quare non ſimiliter & hîc dicimus: Iudicium
noſtrum nihil eſt, ſi diuino iudicio comparetur? Conſule ipſam rationem, ſi non
conuicta cogetur, ſeſe ſtultam & temerariam confiteri, quod iudicium Dei non
ſinit eſſe incomprehenſibile, cùm cætera diuina omnia fateatur eſſe incompre-
henſibilia. Scilicet in omnibus alijs Deo concedimus maieſtatem diuinam, in
ſolo iudicio negare parati ſumus, nec tantiſper poſſumus credere, eum eſſe iuſtum,
cùm nobis promiſerit, fore vbi gloriam ſuam reuelarit, vt omnes tum videamus
& palpemus, eum fuiſſe & eſſe iuſtum.

Dabo exemplum ad confirmandam hanc fidem, & ad conſolandum oculum
illum nequam, qui Deum ſuſpectum habet de iniquitate. Ecce ſic Deus admi-
niſtrat mundum iſtum corporalem in rebus externis, vt ſi rationis humanæ iudi-
cium ſpectes & ſequaris, cogaris dicere: Aut nullum eſſe Deum, aut iniquum eſſe
Deum, vt ille ait: ſollicitor nullos ſæpe putare Deos. Vide enim vt proſperrimè
habeant mali, contrà infœliciſſimè boni, teſtantibus prouerbijs & experientia
prouerbiorum parente, Quò ſceleratiores hoc fortunatiores eſſe. Abundant
(inquit Hiob) tabernacula impiorum. Et Pſalm. 73. Quæritur peccatores
in mun-

in mundo abundare diuitijs. Obsecro an non omnium iudicio iniquissimum est, malos fortunari & bonos affligi? At ita fert cursus mundi. Hîc etiam summa ingenia eò lapsa sunt, vt Deum esse negent, & fortunam omnia temere versare fingant, quales Epicurei & Plinius. Deinde Aristoteles suum illud primum Ens, vt liberet à miseria, sentit ipsum nihil rerum videre, nisi se solum, quod ei molestissimum esse putat, tot mala, tot iniurias videre.

Prophetæ verò qui Deum esse crediderunt, magis tentantur de iniquitate Dei, vt Hieremias, Hiob, Daniel, Assaph, & alij. Quid putas Demosthenes & Cicero cogitarint, cùm omnia quæ poterant effecissent, & talem mercedem misero interitu receperunt? Et tamen hæc iniquitas Dei vehementer probabilis & argumentis talibus traducta, quibus nulla ratio aut lumen naturæ potest resistere, tollitur facillimè per lucem Euangelij, & cognitionem gratiæ, qua docemur, impios corporaliter quidem florere, sed anima perdi. Estque totius istius quæstionis insolubilis ista breuis solutio in vno vocabulo, scilicet esse vitam post hanc vitam, in qua quicquid hîc non est punitum & remuneratum, illic punietur & remunerabitur, cùm hæc vita sit nihil nisi præcursus, aut initium potius futuræ vitæ.

Si igitur lux Euangelij, quæ solo verbo & fide valet, tantùm efficit, vt ista quæstio erroribus seculis tractata, & nunquam soluta, tam facilè dirimatur & componatur. Quid putas futurum, vbi cessante lumine verbi & fidei, res ipsa maiestas diuina per sese reuelabitur? An non putas, quòd tum lumen gloriæ, quæstionem quàm facillimè soluere possit, quæ in lumine verbi aut gratiæ est insolubilis, cùm lumen gratiæ tam facilè soluerit quæstionem in lumine naturæ insolubilem? Tria mihi lumina pone, lumen naturæ, lumen gratiæ, lumen gloriæ, vt habet vulgata & bona distinctio. In lumine naturæ est insolubile hoc, esse iustum, quòd bonus affligatur & malus benè habeat. At hoc dissoluit lumen gratiæ.

In lumine gratiæ est insolubile, quomodo Deus damnet eum, qui non potest vllis suis viribus aliud facere, quàm peccare & reus esse. Hîc tam lumen naturę quàm lumen gratiæ dictant, culpam esse non miseri hominis, sed iniqui Dei. Nec enim aliud iudicare possunt de Deo, qui hominem impium gratis sine meritis coronat, & alium non coronat, sed damnat fortè minus, vel saltem non magis impium. At lumen gloriæ aliud dictat, & Deum, cuius modo est iudicium incomprehensibilis iusticiæ, tunc ostendet esse iustissimæ & manifestissimæ iusticiæ tantùm, vt interim id credamus moniti & confirmati exemplo luminis gratiæ, quod simile miraculum in naturali lumine implet.

DE CAVSA FINALI CVR HAEC DOCTRINA DE SERVO ARBITRIO IN *rebus diuinis regenda & inuulganda.*

Tom. 3. De Seruo arb. fol. 176. Quæ igitur vtilitas & necessitas talia inuulgandi, cùm tot mala videantur inde prouenire?

Respondeo: Satis erat quidem dicere, Deus voluit ea vulgari, voluntatis verò diuinæ rationem quærendam non esse, sed simpliciter adorandam, data gloria Deo, quod cùm sit iustus & sapiens solus, nulli faciat iniuriam, nec stultè aut temere quippiam agere possit, licet nobis longè secus appareat. Hac responsione pij sunt contenti, tamen vt ex abundantia supererogemus, duæ res exigunt talia prædicari: Prima est humiliatio nostræ superbiæ & cognitio gratiæ Dei. Altera ipsa fides Christiana.

Primùm

Primùm Deus certò promisit humiliatis id est deploratis & desperatis gratiam suam. Humiliari verò penitus non potest homo donec sciat, prorsus extra suas vires, consilia, studia, voluntatem, opera, omninò ex alterius arbitrio, consilio, voluntate, opere, suam pendere salutem, nempe Dei solius. Siquidem quamdiu persuasus fuerit, sese vel tantulum posse pro salute sui, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, ideo non humiliatur coram Deo, sed locum, tempus, opus aliquod sibi præsumit, vel sperat, vel optat saltem, quo tandem perueniat ad salutem. Qui verò nihil dubitat, totum in voluntate Dei pendere, is prorsus desperat, nihil eligit, sed expectat operantem Deum, is proximus est gratiæ, vt salutem fiat. Itaque propter electos ista vulgantur, vt isto modo humiliati, & in nihilum redacti, salui fiant. Cæteri resistunt humiliationi huic imò damnant doceri hanc desperationem sui, aliquid vel modiculum sibi relinqui uolunt, quod possint. Et occultè manent superbi, & gratiæ Dei aduersarij. Hæc est, inquam, vna ratio, vt pij promissionem gratiæ humiliati cognoscant, inuocent & accipiant.

Altera est. Quod fides est rerum non apparentium. Vt ergo fidei locus sit, opus est, vt omnia quæ creduntur abscondantur. Non autem remotius absconduntur, quàm sub contrario obiecto, sensu, experientia. Sic Deus dum viuificat, facit illud occidendo, dum iustificat, facit illud reos faciendo, dum in cœlum vehit, facit id ad Infernum ducendo, vt dicit Scriptura. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. 1. Sam. 2. De quibus nunc non est locus prolixius dicendi. Qui nostra legerunt, habent hæc sibi vulgatissima. Sic æternam suam clementiam & misericordiam abscondit sub æterna ira, iustitiam sub iniquitate.

DE NECESSITATE IMMVTABILITATIS.

Tom. 3. De seruo arbit. fol. 177. Alterum Paradoxon, Quicquid fit à nobis, non libero arbitrio, sed mera necessitate fieri.

Responsio. Breuiter videamus, ne pernicosissimum dici patiamur. Hic sic dico, vbi id probatum fuerit, extra vires & consilia nostra, in solius opera Dei, pendere salutem nostram, quod infrà in corpore disputationis spero me euicturum. Nonne, clarè sequitur, dum Deus opere suo in nobis non adest, omnia esse mala, quæ facimus, & nos necessariò operari, quæ nihil ad salutem valent? Si enim non nos, sed solus Deus operatur salutem in nobis, nihil ante opus eius operamur salutare, velimus, nolimus. *Necessariò verò dico non coactè, sed vt illi dicunt, necessitate immutabilitatis, non coactionis,* Hoc est, homo cùm vacat Spiritu Dei, non quidem violentia velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, quemadmodum fur aut latro nolens ad pœnam ducitur, sed sponte & libenti voluntate facit. Verùm hanc libentiam seu voluntatem faciendi, non potest suis viribus omittere, cohercere aut mutare, sed pergit volendo & lubendo, etiamsi ad extra cogatur aliud facere per vim, tamen voluntas intus manet auersa, & indignatur cogenti aut resistenti. Non autem indignaretur, si mutaretur, ac volens vim sequeretur.

Hoc vocamus modò necessitatem immutabilitatis, id est, quod voluntas seipsam mutare & vertere aliò non possit, sed potius irritetur magis ad volendum, dum ei resistitur, quod probat eius indignatio. Hoc non fieret, si esset libera, vel haberet liberum arbitrium. Interroga experientiam, quàm sint impersuasibiles, qui affecti aliqua re hærent, Aut si cedunt vi, vel maiore alterius rei commodo cedunt, nunquam liberè cedunt. Si autem affecti non sunt, sinunt ire & fieri, quæcunque eunt & fiunt.

Rursus

Rursus ex altera parte. Si Deus in nobis operatur, mutata & blandè assibilata per Spiritum Dei, voluntas iterum mera lubentia & pronitate ac sponte sua vult & facit non coactè, vt nullis contrarijs mutari in aliud possit, ne portis quidem infe ri vinci aut cogi. Sed pergit volendo & lubendo, & amando bonum, sicut antea voluit & lubuit & amauit malum. Quod iterum probat experientia, quàm inuiti & constantes sint viri Sancti, dum per vim ad alia coguntur, vt magis inde irritantur ad volendum.

Sicut ignis à vento magis inflammatur, quàm extinguitur, vt nec hîc sit vlla libertas, vel liberum arbitrium aliò sese vertendi, aut aliud volendi, donec durat Spiritus & gratia Dei in homine. Summa, si sub Deo huius seculi sumus sine opere & Spiritu Dei veri, captiui tenemur ad ipsius voluntatem, vt Paulus 2. Timoth. 2. dicit, Vt non possimus velle, nisi quod ipse velit. Ipse enim fortis est ille armatus, qui artium suum sic seruat, vt in pace sint quos possidet, ne vllum motum aut sensum contra eum concitent. Alioqui regnum Satanæ non staret, quod tamen Christus affirmat stare, idque facimus volentes & lubentes, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset. Nam coactio potius est (vt sic dicam) Noluntas. Si autem fortior superueniat, & illo victo, nos rapiat in spolium suum, rursus per Spiritum eius serui & captiui sumus (quæ tamen regia libertas est) vt velimus & faciamus lubentes, quæ ipse velit. Sic humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum, si insederit Deus, vult & vadit quò vult Deus, vt Psal. 73. dicit: Factus sum sicut iumentum, & ego semper tecum. Si insederit Satan vult & vadit quò vult Satan, nec est in eius arbitrio, ad vtrum sessorem currere, aut eum quærere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum & possidendum. Vide etiam. Eodem Tomo & libro. fol. 171.

FIGMENTVM EST, ESSE IN HOMINE MEDIVM ET PVRVM *velle.*

Tom. 3. De Seruo arbit. fol. 189. Se hoc fortè somniat Diatribe, inter hæc duo, posse velle bonum, non posse velle bonum, dari medium, quod sit absolutum velle, nec boni nec mali habito respectu, vt sic argutia quadam Dialecticalcopulos euadamus & dicamus. In voluntate hominis esse quoddam velle, quod in bonum quidem sine gratia non potest, nec tamen sine gratia statim non nisi malum velit, sed sit purum & merum velle, per gratiam sursum ad bonum, per peccatum deorsum ad malum vertibile. Sed vbi tum illud manet, quod dictum est? Amissa libertate cogitur seruire peccato? Vbi tum illud studium, quod relinquitur & conatus? Vbi vis applicandi ad ea quæ salutis æternæ sunt? Neque enim vis ea applicandi ad salutem potest esse purum velle, nisi salus ipsa nihil esse dicatur. Deinde studium & conatus quoque purum velle esse non potest, cum aliquo (puta ad bonum) niti & conari & non in nihilum ferri, vel quiescere studium possit. Summa, quorsum quorsum sese verterit Diatribe, non potest contradictionibus & pugnantib. dictis elabi, vt non tam ipsum liberum arbitrium, quod defendit captiuum fit, quam ipsa captiua est, sic enim in liberando arbitrio irretitur, vt cum libero arbitrio insolubilibus vinculis teneatur.

Deinde hoc merum figmentum Dialecticum est, quod in homine sit medium & purum velle, nec possunt probare qui id asserunt. Ex ignorantia rerum & obseruantia vocabulorum natum est. Quasi continuò sic sit in re, sicut disponitur in vocabulis, qualia sunt infinita apud Sophistas. Sic potius res habet, vt Christus ait: Qui non est mecum contra me est. Non ait: qui non est mecum, nec con-

tra me, sed in medio est. Quia si Deus in nobis est, Satan abest, & non nisi vel bonum adest. Si Deus abest, Satan adest, nec nisi velle malum in nobis est. Nec Deus nec Satan merum & purum velle sinunt in nobis, sed sicut rectè dixisti, *Amissa libertate cogimur seruire peccato*, Hoc est, nos volumus peccatum & malum, loquimur peccatum & malum, facimus peccatum & malum.

AN PER PVSILLVM SIT CONCEDENDVM LIBERO *arbitrio.*

Tom. 3. De Seruo arb. fol. 224. Nec patimur, neq; recipimus mediocritatem illam, quam nobis consulit bono, vt credo, animo, scilicet, vt libero arbitrio *Perpusillum* concedamus, quo facilius pugnantia Scripturæ, & incommoda præcepta tollantur, Nam ista mediocritate nihil est causæ consultum, neq; quidquam profectum, Nisi enim totum & omnia libero arbitrio tribueris, exemplo Pelagianorum, manet nihilominus Scripturæ pugnantia, tollitur meritum & præmium, tollitur misericordia & iudicium Dei, & omnia manent incommoda, quæ vitare volumus per liberi arbitrij modiculam & inefficacem vim, vt satis suprà docuimus. Ideo ad extrema eundum est, vt totum negetur liberum arbitrium, & omnia ad Deum referantur, sic non pugnabunt Scripturæ, & incommoda si non tollantur, feruntur.

DE MODICVLA VI LIBERI ARBITRII ET QVAE CITRA GRATIAM DEI PRORSVS *sit inefficax.*

Tom. 3. De Seruo arbit. fol. 177. Tu liberi arbitrij vim modiculam & talem facis, quæ citra gratiam Dei prorsus sit inefficax. Nonne agnoscis? Ita quæro & peto, si gratia Dei desit, aut separetur ab illa vi modicula, quid ipsa facere ciet? Inefficax (inquis) est, & nihil facit boni, Ergo non faciet, quod Deus agit, gratia eius volet, siquidem gratiam Dei, separatam ab ea iam posuimus. Quod verò gratia Dei non facit, bonum non est. Quare sequitur liberum arbitrium, sine gratia Dei, prorsus non liberum, sed immutabiliter captiuum & seruum esse mali, cùm non possit vertere se solo ad bonum. Hoc stante, dono tibi, vt vim liberi arbitrij, non modò facias modiculam, tac eam Angelicam, fac si potes planè diuinam, Si adieceris tamen hanc illætabilem appendicem, vt citra gratiam Dei inefficacem dicas, mox ademeris illi omnem vim. Quid est vis inefficax, nisi plenè nulla vis?

Itaque dicere, liberum arbitrium esse & habere vim quidem, sed inefficacem, est id, quod Sophistæ vocant, oppositum in adiecto. Ac si dicas: Liberum arbitrium est, quod liberum non est. Sicut, si ignem frigidum, & terram calidam dixeris. Habeat sanè ignis vim caloris, vel infernalis, si non ardet, neque vrit, frigefacit verò, & frigefacit, ne ignis quidem, multò minus calidus mihi dicetur, nisi pictum aut fictum ignem volueris habere. At si vim liberi arbitrij eam diceremus, qua homo aptus est rapi Spiritu & imbui gratia Dei, vt qui sit creatus ad vitam vel mortem æternam, rectè diceretur, Hanc enim vim hoc est, aptitudinem, seu vt Sophistæ loquuntur, dispositiuam qualitatem & passiuam aptitudinem, & nos consentimur. Quam non arboribus neque bestijs inditam esse, quis est qui nesciat? Neque enim pro anseribus (vt dicitur) cœlum creauit.

Fixum

Fixum ergo ſtat, etiam tuo ipſius teſtimonio, Nos omnia, neceſſitate nihil libero arbitrio facere, dum vis liberi arbitrij nihil eſt, neque facit, neque poteſt bonum abſente gratia. Niſi efficaciam velis noua ſignificatione dicere perfectionem, quaſi liberum arbitrium incipere quidem ac velle poſſit, ſed non perficere, quod non credo.

DE REPVGNANTIA.

De Seruo arbit. Tom. 3. fol. 201. Iohannes diuitias regni Dei, per Euangelium mundo oblatas, non autem virtutes liberi arbitrij prędicat, ſimul ſignificans, quàm pauci ſint, qui acceptent, *Repugnante ſcilicet libero arbitrio,* cuius vis nulla eſt alia, quàm vt regnante ſuper ipſum Satana, etiam gratiam & Spiritum, qui legem impleat, *Reſpuat.*

De Seruo arb. Tom. 3. fol. 225. Certùm eſt, liberum arbitrium eſſe *Nihil aliud, quàm ſummum hoſtem iuſticiæ & ſalutis humanæ,* cùm fieri non potuerit, quin aliquot inter Iudæos & Gentes, ſumma vi liberi arbitrij egerint, & conati ſint, & tamen eo ipſo non niſi bellum contra gratiam geſſerint. Tu nunc vade & dic, quod liberum arbitrium conetur ad bonum, cui ipſa bonitas & iuſticia ſcandalum & ſtultitia ſunt. Nec potes dicere, hæc ad aliquos, non ad omnes pertinere. Paulus ſine diſcrimine loquitur de omnibus, cùm dicit: Gentibus ſtultitia & Iudæis ſcandalum, nec vllos excipit, niſi credentes. Nobis (inquit) id eſt vocatis & Sanctis, eſt virtus & ſapientia Dei. Non dicit, Aliquibus gentibus, aliquibus Iudæis, ſed ſimpliciter, Gentibus Iudæis (inquit) qui non ſunt ex nobis, manifeſta partitione ſeparans credentes ab incredulis, nullo relicto medio. Nos autem diſputamus de Gentibus citra gratiam agentibus, his dicit Paulus iuſticiam Dei eſſe ſtultitiam, quam abhorrent. Atque is eſt laudabilis ille conatus liberi arbitrij ad bonum.

Geneſ. cap. 3. fol. 41. In Theologia itaque ſic dicamus rationem in hominibus eſſe *Inimiciſſimam Dei.* Deinde honeſtam voluntatem eſſe maximè *Aduerſariam voluntati Dei,* Sicut hinc oriuntur odium verbi, & perſecutio piorum miniſtrorum.

De Seruo arbitrio. Tom. 3. fol. 231. Adde exemplum illud cap. 10. Rom. Ex Eſaia adductum, Inuentus ſum à non quærentibus, palam apparui his, qui me non interrogabant. Hæc de Gentibus dicit, quod Chriſtum audire & cognoſcere illis *Datum ſit,* cùm nec cogitare antea de ipſo potuerint, multò minus quærere, aut ſe vi liberi arbitrij, ad eum præparare. Hoc exemplo ſatis clarum eſt, gratiam venire adeo gratis, vt nec cogitatio de ea, nedum conatus aut ſtudium de ea præcedat. Sic & Paulus cùm Saulus eſſet, quid fecit illa ſumma vi liberi arbitrij? Certè optima & honeſtiſſima agitabat animo, ſi ratio ſpectetur. At vide quo conatu gratiam inuenit, non modò non quærit, ſed etiam *Inſaniendo contra eam, accipit.* Contrà de Iudæis dicit. 9. Gentes, quæ non ſectabantur iuſticiam, apprehenderunt iuſticiam, quæ ex fide eſt, Iſrael verò ſectando legem iuſticiæ, in legem iuſticiæ non peruenit. Quid contra hæc mutire poteſt vllus tutor liberi arbitrij? Gentes, tum cum impietate & omnibus vitijs oppletæ ſunt, accipiunt iuſticiam gratis miſerente Deo, Iudæi dum ſummo ſtudio & conatu iuſticię ſtudent, fruſtrantur. An hoc non eſt dicere tantùm, quod conatus liberi arbitrij ſit fruſtra, dum ad optima conatur, & ipſum potius in peius ruere, & retro ſublapſum referri? Nec poteſt vllus dicere, quod non ſumma vi liberi arbitrij ſtuduerunt. Ipſe Paulus eis teſtimonium perhibet, capite. 10. Quod Zelum Dei habent, ſed

non ſecundum ſcientiam. Igitur nihil deeſt in Iudæis, quod libero arbitrio tri-
buitur, & tamen nihil ſequitur, imò contrarium ſequitur. In Gentibus nihil
adeſt, quod libero arbitrio tribuitur, & tamen ſequitur iuſticia Dei. Quid hoc
eſt, niſi manifeſtiſſimo exemplo vtriusque nationis, tùm clariſſimo ſimul teſtimo-
nio Pauli confirmari, quod gratia donatur gratis immeritis & indigniſſimis, nec
obtinetur vllis ſtudijs, conatibus, operibus, puſillis aut magnis, etiam optimo-
rum & honeſtiſſimorum hominum, ardenti Zelo iuſticiam quærentium & ſe-
ctantium.

TOM. 2. IENENS. IN ASSERT. CONTRA BVLLAM.

Articul. 36.

Abundè conſtat etiam iuſtos magno certamine contra ſuam carnem labora-
re, vt faciant bonum, reſiſtitque eis liberum eorum arbitrium, & prudentia carnis
ſummis viribus concupiſcens contra Spiritum, *odiens* ea, quæ ſunt Spiritus & legis
Dei. Et quomodo poſſibile eſt, vt ſine Spiritu ex natura ſua poſſit, pro Spiritu con-
cupiſcere, ſeu ad Spiritum ſe præparare, faciendo quod eſt in ſe? In gratia dum fue-
rit, natura eius talis eſt, vt *contra gratiam indomitum pugnet*, & extra gratiam talis eſſe
poterit natura eius, vt Spiritum iuuet? Quid inſanius fingi poteſt? Eſſet enim
hoc monſtrum nouum ſimile huic, ſi quis indomitam feram vinculis cuſtoditam,
domare non poſſit, & tamen inſanus iactet eam ante vincula & ſine vinculis eſſe
tam cicurem & manſuetam, vt ſponte ſe domet, ſeu vt dometur, laboret.

Deſiſtite quæſo ab hoc inſania miſerrimi Pelagiani. Si liberum arbitrium
in gratia peccat, & inſanit aduerſus gratiam, ſicut cogimur omnes ſentire, & quæ-
runtur Apoſtolus (Roman. 7.) & omnes Sancti, certè contra omnem ſenſum
eſt, vt extra gratiam probum ſit, & ad abſentem ſe paret, quam præſentem odit &
perſequitur.

Neceſſe eſt ergo, mea figmenta & Hypocriſes eſſe, quæcunque & docentur
& fiunt ante gratiam, pro gratia impetranda, præuenire enim nos neceſſe eſt mi-
ſericordia Dei, vt velimus, ſicut & *Auguſtinus* contra Epiſtolas Pelag. dicit, Quos
Nolentes Deus conuertit & *Reluctantes*, Sicut in exemplo Pauli monſtrauit, quem
tunc conuertit, quando erat ſummo ardore perſecutionis *Inſanus & contrarius gra-*
tiæ. Et Petrus non reſpexit Dominum, vt recordaretur verbi, quod dixerat ei Do-
ſus, ſed Dominus reſpexit Petrum in media & maxima illa negatione, & ſic recor-
datus verbi fleuit, amare.

FACERE QVOD IN SE EST.

Tom. 4. Ienenſ. Gala. ca. 2. fol. 58. Quare iſta non eſt vera ratio iuſtifi-
candi, vt tu incipias facere quod in te eſt, (Hac enim Phraſi vtuntur Sophiſtę & Do-
ctores Scholaſtici) Si homo inquiunt, facit quod in ſe eſt, tunc Deus infallibiliter
dat ei gratiam Eaq; propoſitio eſt apud ipſos articulus fidei. Et vt clarè oſtende-
rent, ſe ne apiculum quidem, de doctrina Pauli & Euangelij intelligere, ſic loquun-
tur, Hoc dictum facere quod in ſe eſt, non acerbè regendum eſſe, ſed ſatis eſſe vtac-
cipiatur de medio Phyſico, non Mathematico indiuiſibili, quod impoſſibile ſit da-
ri. Hoc eſt ſatis eſſe, vt homo ea faciat, quæ arbitrio boni viri poſſint probari, tunc
certò ſecuturam gratiam, non quidem merito congrui per ſe, ſed infallibiliter
(vt ita dicam) Dei, qui tam bonus eſt & iuſtus, vt non poſſit non dare gratiam
pro

probono. Atque hinc natus est ille tritus versiculus: Vltra posse viri, non vult Deus illa requiri. Est quidem bona sententia, sed in loco dicta, scilicet de politicis, Oeconomicis & naturalibus. Vt si ego existens in regno rationis, rego familiam, ædifico domum, gero Magistratum, & facio quantum possum, vel quod in me est, ibi sum excusatus. Hoc regnum habet suos terminos, ad quod etiam proprie pertinent ista dicta, Facere quod in se est, vel facere quantum possum. Contrà, Sophistæ ea trahunt in regnum Spirituale, in quo homo nihil aliud potest, quàm peccare, Est enim venundatus sub peccatum. In externis illis autem, hoc est in polliticis & Oeconomicis rebus, homo non est seruus, sed Dominus illarum corporalium rerum. Ideo impiè fecerunt Sophistæ, quòd dicta ista politica & Oeconomica traxerunt in Ecclesiam. Regnum enim rationis humanæ longissimè separandum est à Spirituali regno.

NATVRALIA INTEGRA.

IBIDEM.

Deinde etiam tradiderunt. Naturam quidem vitiatam esse, sed naturalia adhuc esse integra, eaque tribuerunt etiam Dæmonibus. Hoc stante sic ratiocinati sunt. Si naturalia sunt integra. Ergo & intellectus purus, & voluntas bona & integra est, & sic per consequens omnia perfecta sunt. Ista expedit vobis scire, vt puritas doctrinæ fidei conseruetur. Cùm igitur dicunt Sophistæ, naturalia esse integra, concedo hoc. Si autem inferunt. Ergo homo potest implere legem, Deum diligere, &c. Hîc nego consequentiam & distinguo naturalia contra spiritualia. Et dico, spiritualia non esse integra, sed corrupta imò per peccatum prorsus extincta esse in homine & Diabolo, ita vt nihil ibi sit, quàm intellectus deprauatus, & *Voluntas inimica & aduersaria Dei*, Quæ nihil cogitat quàm ea, quæ *Contra* Deum sunt. Quare naturalia quidem integra sunt, sedquæ naturalia? Quod homo in impietate mersus, & Seruus Diaboli, habet voluntatem, rationem, liberum arbitrium, & potestatem ædificandi domum, gerendi Magistratum, gubernandi nauem & faciendi alia officia, quæ homini sunt subiecta. Genes. 1. Ea non sunt adempta homini, Non est sublata generatio, politia, Oeconomia, sed confirmata est his dictis. Sophistæ autem traxerunt ea ad spiritualia, Et fortè acceperunt à Patribus, & cùm malè intelligerent, detorserunt ad spiritualia, atque ita commiscuerunt politica cum Ecclesiasticis. Nostrum est igitur ista repurgare, & hæc scandala ex Ecclesia tollere. Concedimus ergo ista dicta vera esse sed in loco, scilicet in regno corporali. Si verò traxeris in regnum spirituale coram Deo, negamus ea per totum. Hîc enim prorsus sumus in peccatis submersi. *Quicquid est in voluntate nostra, est malum, Quicquid est in intellectu nostro, est error.* Ideo homo in rebus diuinis nihil habet, quàm tenebras, errores, malicias & peruersitates voluntatis & intellectus. Quomodo igitur benè operaretur, diligeret Deum, &c?

Quare Paulus non nos, sed Christum incepisse hîc dicit, Ipse ipse inquit, dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, q. d. Non inuenit in me bonam voluntatem, & intellectum rectum, sed Christus misertus est mei, vidit me impium, errantem, auersum à Deo, & semper longius recedentem ab eo, & *Pugnantem contra Deum*, captum, rectum & vectum à Diabolo. Sic ex misericordia præueniente meam rationem, voluntatem, intellectum, dilexit me, & sic dilexit, vt semetipsum traderet pro me, vt sic à lege, peccato, Diabolo, morte liberaret. Porrò ista vocabula, Filius Dei dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, sunt mera tonitrua & ignes cœlestes, contra iusticiam legis, & doctrinam operum. Tam

grande malum, tantus error, tenebræ, ignorantia fuit in mea voluntate & intellectu, vt tam inæstimabili prætio, oportuerit me liberari. Quid ergo gloriamur de dictamine rationis, de nostris naturalibus integris, de ratione deprecante ad optima, de faciendo quod in se est? Quid offero Deo irato, qui vt Moses ait, ignis consumens est, istas meas stipulas, imò horrenda peccata, & volo cum eo contendere, vt pro his mihi donet gratiam & vitam æternam, Cùm hîc audiam tantum esse malorum, in natura mea, vt non suffecerit mundus & tota creatura ad placandum Deum, sed quòd oportuerit ipsum Filium Dei pro his tradi?

DE DICTO HIEREMIAE
CAP. X.

De Seruo arbit. Tom. 3. fol. 219. Alius locus est, Hieremiæ 10. *Scio* Domine quoniam non est hominis via eius, nec vllius est vt ambulet, & dirigat gressus suos. Hunc locum dicit, magis pertinere ad euentum rerum lætarum, quàm ad potestatem liberi arbitrij.

Hîc iterum Diatribe cum fiducia glosam affert, prout visum est, tanquam Scriptura sit sub iure suo plenissimo. Vt autem Prophetæ sensum & intentum consideraret, quid opus erat tantæ autoritatis viro? Sat est. Eraſmus dicit, ergo sic est. Hac libidine glossandi permissa aduersarijs, quid est, quod non obtineant? Doceat igitur ex ipsius sermonis serie hanc glossam & credemus. Nos autem docemus ex ipsa serie, Prophetam cùm videret se frustra docere, impios tanta instantia, simul intelligit verbum suum nihil valere, nisi Deus intus doceat atque ideo non esse in manu hominis audire & bonum velle. Hoc animaduerso, Deum ad. cio territus, petit vt corrigat eum in iudicio, si omnino corrigi debet, & non tradatur cum impijs sub iram Dei, quos sinit indurari & incredulos manere.

Sed fingamus tamen locum de euentis rerum tristium & lętarum intelligi, quid si hæc ipsa glosa fortissimè subuertat liberum arbitrium? Fingitur quidem hoc nouum effugium, vt rudes & inertes falsi, putent esse satisfactum. Sicut illi faciunt effugio illo de necessitate consequentiæ. Non vident enim quomodo multò magis irretiantur & capiantur istis effugijs, adeò auertuntur nouis istis vocabulis. Si itaque euentus rerum istarum, non est in manu nostra, quæ sunt temporales & quibus homo Dominus constituitur Genes. 2. Obsecro quomodo erit in manu nostra res illa cœlestis Gratia Dei, quæ in solius arbitrio Dei pendet? An liberi arbitrij conatus potest Salutem ærernam obtinere, qui non potest obtinere lum, imò nec pilum capitis retinere. Non est nobis potestas obtinendæ creaturæ, & potestas erit obtinendi creatoris? Quid insanimus? Pertinet igitur id multò maximè ad euentus, quod homo ad bonum vel ad malum nititur quia vtrobique multò magis fallitur, & minus libertatis habet, quàm dum nititur ad pecuniam vel gloriam vel voluptatem. Quàm pulchrè igitur euasit hæc glosa, quæ libertatem hominis negat in paruulis & creatis euentibus, & prædicat eam in summis & diuinis euentibus. Ac si dicas, Codrus non potest stateram persoluere. Potest autem infinita millia aureorum persoluere, &c.

DE TRVNCO.

Tom. 4. Ienens. fol. 534. Psal. 90. Philosophi hominem definiunt esse animal rationale. Sed hoc quis dicit in Theologia esse verum? Ibi enim verè *Homo est statua Salis. Sicut vxor Loth.* Quia illam magnam iram Dei non intelligit, & ruit imprudens in mille pericula mortis, imò sæpe volens & sciens. Item

Item: Tom. 4. Ienenſ. fol. 640. Hoſeæ cap. 6. Propterea dolaui per Prophetas, &c. Hæc pulcherrima miniſterij deſcriptio eſt, quod omnibus temporibus fuit in Eccleſia. Comparatur enim dolabræ, non ſolùm quod per miniſterium verbi, reſecantur quæ vitioſa, ſed renouatur & regeneratur homo, *Vt qui antea ceu rude & nodoſum lignum aſpectu fœdus,* & ad opus Dei ineptus erat, nunc quaſi leuigatus & politus, præbeat ſe Deo fingendum, formandum & ſculpendum ad ſanctos vſus.

Et paulò poſt. Quod ſi hanc ipſam imaginem poſſemus includere animis noſtris, quod ſumus *Similes ſtipiti deformato multis nodis,* nunquam ceſſaremus gratias agere Deo, ſic paternè nos admonenti, & per verbum ſuum formanti nos, vt poſſimis hærere in regno eius. Verbum *(Hazaf)* non propriè dolare ſignificat quod tantùm ad ligna refertur, ſed excindere, præcidere, amputare, ſicut ſolet cùm lintres, torcularia & ſimilia conantur. Nos verbum dolandi ideo retinuimus, quod bellam ſententiam includit, & ad pœnitentiæ doctrinam alludit propius.

IN CAVSA LIBERI ARBITRII DICIT LVTHERVS SIBI REM SERIAM *æternamq; peti.*

De Seruo arb. Tom. 3. fol. 173. Dico tibi, atque hoc ſenſibus imis reponas oro, multi rem ſeriam & neceſſariam æternamque in hac cauſa peti, talem ac tantam, vt eam aſſertam & defenſam oporteat, per mortem quoque, etiamſi mundus totus non ſolùm conflictari & tumultuari debeat, verumetiam in vnum Chaos ruere, & in nihilum redigi. Hæc ſi tu non capis, vel non afficeris, tuam rem age, & ſine illo capere & affici, quibus Deus dedit.

Neq; enim ego Dei gratia tam ſtultus & inſanus ſum, qui ob pecuniam, quam nec habeo, nec cupio, aut ob gloriam, quam ſi vellem, non poſſem, in mundo mihi ſic infenſo, obtinere, aut ob vitam corporis, quę nullo momento mihi certa eſſe poteſt tanto animo, tanta conſtantia, quam tu peruicaciam vocas, pro tot periculà vitæ, per tot odia, per tot inſidias, breuiter per furias hominum & Dæmonum, hanc cauſam tam diu agere ac ſuſtinere vellem. An tibi ſoli putas eſſe cor, quod iſtis tumultibus commouetur? Nec nos Saxei ſumus, aut ex Marpeſijs cautibus nati. Sed quando aliter fieri non poteſt, præeligimus temporali tumultu collidi, hilares in gratia Dei ob verbum Dei, inuicto & in corruptibili animo aſſerendum, quàm æterno tumultu ſub ira Dei, cruciatu intolerabili conteri.

Item: Tom. 3. De Seruo arbit. fol. 224. Hoc autem depræcor mi Eraſme, ne credas me cauſam hanc ſtudio magis, quàm iudicio agere. Non patior me inſimulari eius Hypocriſis, vt aliter ſentiam & aliter ſcribam, nec defenſionis calore (vt tu Scribis de me) huc prouectus ſum, vt nunc primùm negem totum liberum arbitrium, qui antea nonnihil illi tribuerim. Nec hoc tu vſpiam mihi in libellis meis oſtendes, ſcio. Extant themata & problemata, in quibus perpetuò aſſerui vſque in hanc horam, liberum arbitrium eſſe nihil & rem (eo verbo tum vtebar) de ſolo titulo. Veritate victus & diſputatione prouocatus ac compulſus, ſic ſenſi & Scripſi.

DE LEGE MORALI.

VOCABVLA LEGIS.

IN Ebræo sunt fermè sex aut septem vocabula legis, *Thora, Hizua, Huka, Pikuth, Eduth, Mispath, Mismereth.* Tom. 3. Ienens. fol. 89. In Deut. Mosi. cap. 4.

Primùm THORA, propriè legem significat, & ab instruendo nomen habet, vnde vocatur instrumentum.

MIZVA. Præceptum est, vt in Mose legitur sæpius: Sicut præcepit mihi Dominus.

HVKA, Transferunt ceremonias & placet. Nam propriè significat ritum & morem sacrorum, quæ ego statuta voco, vt Psal. 2. Narrabo præceptum Domini. Ebraicè, narrabo de ritu & statuto, scilicet de nouo ritu & ceremonia vera, quæ est credere Christum Filium Dei, vt ibidem sequitur, in quo omnes omnium Ceremoniæ implentur & referuntur.

PIKVD, Id est propriè quod Latini mandatum dicunt, Germanicè, Befehen. Nam verbum *Pakad* visitare, constituere, ordinare, censere, & omninò mandare significat, inde venit, Psal. 108. *Pikuda,* quod Episcopen Græci siue *Episin* dicunt. Et Episcopatum eius accipiat alter, id est officium demandatum, seu administrationem, Noster vertit iustificationem ferè vbique.

EDVTH, Testimonium est, quod Deus per legem suam & verbum sese ostendat adesse & nos curare, quo conscientiam de Deo habeamus, quem aliàs neque videmus, neque sentimus, neque intelligimus.

MISPATH. Constanter reddunt Iudicium, nec malè, nisi quod opus sit scire latitudinem eius vocabuli in Ebreo. Nam significat & ipsum officium seu administrationem Iuris, vt Psal. 1. Non persistent impij in iudicio, quod aliqui dicerent, in regimine. Item Psal. 72. Deus iudicium tuum regi da, Inde co liber Iudicum, qui latinè diceretur liber principum, rectorum, consulum vel Ma gistratuum. Item Psal. 110. Iudicabit in nationibus, id est regnabit. Secundò, significat ipsum opus & executionem iudicij, hinc illa vox passim in Scripturis facere iudicium & iusticiam. Faci et Dominus iudicium inopis, Et de vultu tuo iudicium meum prodeat, Et locutus est cum eo iudicia. Vltimò, significat propriè id, quod Latinè iura, scilicet leges quibus homines inter sese ciuiliter in rebus prophanis disponuntur, vnde & sæpius pro consuetudine, & more aliquo accipitur, velut pro Iure gentium, aut naturali, vt Exodi. 22. Secundum iudicium filiarum facit cum ea. Et Psal. 118. Secundum iudicium diligentium nomen tuum. Hæc latitudo vocabuli passim in Scripturis obscuritatem & ambiguitatem parit. Ideo diligenti obseruatione opus est.

MISMERETH, Obseruantiam seu custodiam sonat, scilicet generale omnem super omnia prædicta. Imò si diligenter consideremus, duo aut tria tantùm erunt vocabula, legem propriè significantia, nempe *Huka & Mispat,* Statutum & Ius, quorum alterum ea tradat, quibus erga Deum ordinamur, scilicet *Huka,* Alterum ea, quibus erga homines ordinamur scilicet *Mispat.* Et hæc duo satis sunt, & videtur differentia ista mihi proba & constans. Sic enim & Mose hoc capitulo incipit: Audi statuta & Iura, quæ ego doceo, velut ijs duobus verbis omnia complectens. Quasi dicat, docebo vos, quomodo rectè viuetis coram Deo & hominibus.

Cætera ergo vocabula omnia generalia sunt, & Statutorum ac Iurium vim atq; naturam indicant, scilicet *Thora,* quod nos instruant & erudiant, ne bestiales simus & in tenebris agamus. *Mizua,* quod nos ligent, & exigant, ne liberè contemnamus.

temnamus, quæ docti sumus. *Pekudim,* quod nobis mandentur ad exequendum, vt habeamus quod agamus, ne ociosi simus. *Eduth,* quod (vt dixi) nobis testimonio sint, Deo nos curæ esse, & certa conscientia ipsum vbique & semper præsentem habeamus. *Misмereth,* quod diligentiam & obseruantiam sui requirant, ne segnes & stertentes simus in faciendis illis.

Præter hæc sunt & illa, *Dabar, Amara, Neum,* Verbum, eloquium, dictum. Item *Dathan & Taam,* sed hæc duo rarò in vsu, vt Psalm. 119. Bonum *Taam,* & scientiam doce me, quod nos bonitatem & disciplinam habemus. Ac significat ferè gestum illum, quem nos mores & habitus corporis vocamus, sicut Psal. 24. Dauid mutauit mores suos, coram rege Ahis, vt habet eius Psalmi titulus.

Reliqua ergo sunt duo illa *Huka & Mispat* statuta & iura, in Scripturis celebratissima. A quibus veniunt iudices & iudicandi potestas, ab illo verò regendi in spiritualibus Magister, quem *Mehokuk* vocant Genes. 49. Nec dux de femore eius, Ebræus, nec doctor de sub pedibus eius, id est semper erit in Iuda, qui diuina doceat, & ad pedes habeat discipulos, à quibus non tolletur, donec veniat Silo.

QVID SIT LEX MORALIS.

Tom. 3. Ienens. fol. 70. præfat. In lib. vet. Test. *Lex est vox* Dei seu sententia immutabilis, præcipiens quales nos esse, & quid facere, quid omittere oporteat, seu requirens obedientiam perfectam erga Deum, iuxta ea, quæ in Decalogo præcipiuntur, ac denuncians æternam iram & pœnas non obtemperantibus. Itaque legis doctrina tota est in exactione nostræ obedientiæ, & de nostra vita ac moribus concionatur. Nam legis vox hæc est, Hoc facias, hoc ne facias, hoc tibi præceptum scito, itaque in summa, præstes obedientiam, aut sustineas iram Dei & pœnas.

DE PARTIBVS LEGIS.

Tom. 3. Ienens. fol. 71. Nam cùm duplex sit gubernatio diuinitus constituta, & omnibus temporib. conseruata in mundo. Altera politica per Magistratus & potestatem gladij, qua disciplina morum regitur, vt conseruetur tranquillitas publica, & pœnis coerceantur improbi & nocentes. Altera Ecclesiæ per ministerium docendi verbi Dei, quo Deus regit corda hominum, & per quod dato Spiritu Sancto efficit in eis verum timorem Dei, fidem, & interiorem obedientiam. Harum vtramque administrationem, iam in illo populo constituerat Deus, dederat præcipuum gubernatorem Mosen, qui & ipse populo dicebat ius, & iam consilio viri sapientis soceri sui Iethro, constituerat præfectos, Magistratus & Iudices, per quos politica gubernatio administrabatur. Deinde per eundem Mosen dederat, & doctrinam de vera agnitione & cultu Dei, acceptam à patribus, per quos traditæ erant promissiones Euangelij. Habebant igitur vtramq;, & politicam gubernationem, quę tantùm est externa ac corporalis, ad huius vitæ necessitatem, & eam quæ est ministerij Ecclesiastici, quæ est propriè spiritualis & externa. Etsi enim & ministerium visibile est, & cœtus visibilis, tamen quæ per hoc efficiuntur in cordibus eorum, qui audiunt & credunt verbo, scilicet remissio peccatorum & donatio vitæ æternæ &c. Ea non iudicantur, neque conspiciuntur oculis, nec continentur externis obseruationibus. Sed præter hæc duo, addita est & tertia species, quæ potest censeri media inter vtranque. Quia vt dixi, hunc populum peculiariter vocarat, & segregatum voluit esse ob alijs gentibus, videlicet, vt sciretur Christum, ex hoc populo nasciturum esse, addidit ad illam Ecclesiæ gubernationem, hoc est, ad ministerium doctrinæ, certos ritus externi Sacerdotij & cæremonias, addidit

addidit & politicæ gubernationi certas leges de formis iudiciorum, de pœnis, de
diuisionibus hæreditatum & similes, non prorsus congruentes cum aliarum gen-
tium legibus aut politijs. His legibus omnibus tanquam disciplina, hunc popu-
lum contineri & regi voluit, ita vt tanquam formam præscriptam haberent, iuxta
quam, quod ad externam disciplinam attinet, in omnibus vitæ negocijs Deo &
hominibus obedientiam suam testarentur.

VNDE SIT.

Tom. 3. Ienens. fol. 71. In præfatione vet. Test. Principiò Deus etiam
locum peculiarem sibi deligere voluit, vnde voluit palàm conspici suam præsen-
tiam, & audiri vocem suam. Non quòd Deus more nostro, corporali & sensu per-
cepta voce loquatur, cùm sit non corporea, sed spiritualis essentia, nec habeat phy-
sica organa vocis articulatæ, sed quòd, qui condidit rerum naturam, & os ac lin-
guam omnium hominum, idem etiam illum sonum seu vocem in Sina auditam
tunc condidit. Nam cùm nemo hominum, quibus lingua & instrumenta vocis
data sunt, cogitata & sensa animi voce proferre possit, nisi etiam hoc Deus addat,
vt voce possit vti, satis apparet, tam esse Dei donum & opus ipsum sermonem, adeo-
que & vocem, eiusq; facultatem, quàm sunt quæuis alia dona, sicut in Satis & plan-
tis non satis est vim seminis fructificam inesse ipsis, nisi etiam Deus hoc det, vt fru-
ctum edant. Aequè igitur facilè est Deo conditori oris & linguæ, vel organis ad-
dere vocem, & facere vt per ea sermo edatur, vel etiam sine organis vocem efficere.

Sic ergo voce diuinitus condita hæc verba, quæ in promulgatione legis Dei
us locutus esse dicitur, & per Angelum ministrum prolata sunt. Etsi hîc quoque
non vnus tantùm Angelus minister adfuit, sed vt alibi, ingens multitudo & numi-
rosus exercitus Angelorum, quorum ministerio Deus vsus est in hac patefactione
legis. Et hic angelus, qui dux & minister fuit vocis seu concionis factæ ad populum,
ita loquitur, quasi personam gerens Dei loquentis. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui*
duxi te de terra Aegypti, &c. Perinde ac si quis Apostolus Petrus aut Paulus, no-
mine Dei & mandato ex eadem persona loqueretur. Ego sum Deus vester, qui
vos saluos facio, propter vnigenitum Filium meum, &c.

Sic Paulus ipse testatur Gal. 3. Legem datam fuisse per ministerium Angelo-
rum, hoc est Angelos ad hoc à Deo ordinatos fuisse, vt ipsi mandato & nomine Dei
ad populum perferrent hanc vocem legis, sed addit Paulus id factum esse per ma-
num mediatoris, videlicet Mosi, ita vt ipse cum Angelis in monte collocutus, vo-
cem ab ipsis acceptam, postea ad populum pertulerit. Fuitq; hæc vox Angeli pro-
sus similis humanæ, etiamsi sine organis linguæ & gutturis, eodem genere sermo-
nis, quo illi vtebantur, ita vt auribus percipi, ac articulatè discerni verba & intelligi
possent. Nisi quòd vox fuit augustior humana & plena Maiestatis, vt de ea Deu-
dicitur, vocem quidem auditam, sed speciem loquentis nullam conspectam fuisse.
Tanquam si quis in loco obscuro procul ex aliqua edita turri, aut aliunde, clarum
& grandè sonantem vocem ad se perferri, nemine conspecto audiret. Ideo hæc Dei
vox fuisse dicitur, quod humanam vocem, maiestate & sono multùm superaret.

Hæc primùm de modo & pompa datæ legis dixi, vt consideretur hanc ita
Deo, tunc publicè editam esse, vt constaret quis esset autor huius doctrinæ, adeoq;
totius ministerij Mosaici. Etsi enim semper in mundo fuit noticia doctrinæ legis
apud omnes homines, vt erat initiò creationis diuinitus humanæ menti impressa,
& iam inde à primis patribus, Adam, Noha, Abraham & alijs agitata & illustrata.
Tamen cùm Deus propter promissiones de Christo patribus traditas, vellet deligere
re hunc populum, quem certis testimonijs constaret vocatum à Deo, & habere Dei
verbum,

verbum adeoq; certo genere doctrinæ, religionis & culturum, deinde & politiæ forma, ab alijs gentib. segregatum, voluit hoc palàm testatum fieri, editis miraculis, & illa promulgatione totius legis Mosaicæ facta in Sina, & addere quasi confirmationem, qua ostenderet se approbare illam ipsam doctrinam legis, cùm ea in politia populi constituenda, primùm repetere & inculcare voluerit.

Hoc igitur est, quod hîc dicere instituì, Quòd Deus illo loco, & in illo cœtu, & per hunc ministrum Mosen gubernatorem illius, legem edidit, hæc testantur hanc totam patefactionem & traditionem legis, videlicet manifestam exhibitionem miraculorum & descriptionem certæ doctrinæ, item rituum & politiæ, propriè tùm illi populo factam esse, propter hanc causam, vt hunc, his velut limitibus circumscriptum, segregaret ab alijs gentibus, & hac velut disciplina coerceret ac regeret, donec id, cuius causa hanc politiam constitui voluit, perfectum esset, scilicet, vt iuxta promissiones Christus exhiberetur.

AD QVOS PERTINEAT.

Tom. 3. fol. 72. in præfat. vet. Test. Hinc igitur hoc primùm statuamus, totam illam legem Mosaicam, eiusq; promulgationem, tantùm ad populum Iudaicum pertinuisse, nec ea obligari alias gentes, ac ne nos quidem qui dicimur Christiani. Manifestum est enim eam tantùm illi populo datam esse, & populus Israel ita eam accepit, vt à se & posteris suis seruandam, exclusis gentibus, sicut soli huic populo data erat promissio accupandæ terræ Canaan, Item tota illa politia legis Mosaicæ, nihil ad nos pertinebat, adeoq; ne hæc quidem concio, quæ in monte Sina habita est. Nam etsi etiam gentes earum legum, quæ in Decalogo continentur, & aliarum quarundam communem noticiam, & approbationem cum Iudæis habent, vt quòd Deus sit, quòd sit colendus, neminem lædendum esse, pudicitiam & sui & alieni corporis tuendam esse, non esse rapiendas res alienas &c. Disciplinam & pacem publicam violantes, puniendos esse, quia hæ noticiæ natura omnium cordibus inditæ sunt, tamen constat nunquam alijs Gentibus manifesta voce de cœlo datas esse leges, præterquam vni populo Israelitico. Quod igitur his solis datum est, non potest, quantùm quidem ad hanc promulgationem attinet, alios obligare.

Hoc propter quosdam Imperitos Phanaticos Spiritus sciendum est, qui politiam & leges Mosaicas ita prædicant, vt nobis etiam illas leges præscribant, quia Mosis suum cœtum, qui tunc dicebatur populus Dei, his legibus rexerit, ideo necesse fit, tunc easdem leges & nos seruare, videlicet noui Magistri, aliquid maius docturi, quàm nobis Euangelij doctrina proponit, hoc est, fidei doctrinam de Christo non maximi facientes, hæc vrgent, mirantur illam Mosi politiam, Hæc inquiunt, libri veteris Testa. tradunt, quæ sunt potissima pars Scripturæ, & habent testimonia, quia ipsius Dei voce de cœlo sunt comprobata, sunt igitur & nobis seruanda, Ita nobis nouam formam politiæ inducunt, qua necesse sit regi populum Dei.

Hæc Phanatica & aliena, & vero intellectu doctrinæ Euangelij, prorsus repudianda sunt, adeoq; non audienda, vt potius mentio omnis Moysi abijcienda sit ex concionibus, quàm vt patiendum sit obscurato beneficio Christi, & amissa libertate ab ipso nobis parta, nobis illud iugum Mosaicum imponi. Nec volumus, nec debemus Mosen, tanquam nobis datum legislatorem agnoscere, neque Deus hoc voluit, qui hunc tantùm Iudaico populo dedit rectorem & νομοθετην.

Cùm igitur audis Phanaticos aliquos de Mosis libris aut legibus ratiocinantes, Sic Moses scripsit, sic ille præcepit populo Dei, mandato & autoritate diuina, igitur & nobis hæc seruanda sunt, illa rectè sic refutabis, Quid nobis & Mosi? Nihil ad nos attinet illius ministerium & vocatio, quæ illi ad vnum populum Israel

tradita

tradita est, nec ita vt maneret perpetua & æterna, sed tantùm vsque ad Christum, cui ipse omne suum ius cedit, cùm inquit: Alium Prophetam suscitabit Dominus quem audietis.

Deinde si hoc concesseris, Mosis vnam aliquam legem accipiendam nobis esse, iam non poteris effugere, quin totum Mosen, hoc est omnes eius leges recipere & seruare cogaris. Quare semel recepto hoc Magistro & Legislatore, iam re his vinculis illaqueasti, vt cogaris & circumcidi, & illis Iudaicis purificationibus Baptismi & lauacrorum occupari, ijsdem cibis abstinere, denique omnia ad præ scriptum omnium legum seruare sicut illos oportuit. Talem Mosen abiit, vt no quasi rediuiuum recipiamus, qui iam diu à Deo ipso sepultus est, nec debuit lon gius proferre suæ politiæ gubernationem, quàm eò vsque dum Christus ipse veni ret, cui tanquam Domino omne ius, & potestatem suam cederet.

Quod verò Moses Gentes non obliget, nec ad eas pertineat, ostendi potest, vel ex ipsis verbis, quæ in promulgatione Decalogi recitantur, Exodi. 20. Cùm inquit Deus: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te è terra Aegypti, ex do mo seruitutis, &c. Audis clarè quibus loquatur & præcipiat, videlicet his quos ex Aegipto eduxit, quare ad nos & reliquas Gentes non pertinent, quæ hîc dicun tur, quæ non sunt eductæ ex Aegypto in terram Canaam. Falsò ergo Phanatici lege Mosi nos onerant, qui ad nos nihil locutus est Doctorem sanè Mosen recipi mus & agnoscimus, vnde multum salutaris, vt paulò post dicetur, doctrinæ dili mus, sed legislatorem aut gubernatorem non agnoscimus, cùm ipse suum minis terium tantùm ad illum populum restrinxerit.

Et cùm in Decalogo mentio fit eductionis ex Aegypto, hoc tanquam si gnum seu testimonium additur illi populo datum, quòd Deum rectè apprehende rent, scirentque se hunc Deum inuocare debere, qui se ipsis dato verbo præce rat, & hac ipsa miranda liberatione testatus est, se esse Deum huius populi, cui de derat promissiones. Nobis Christianis aliud signum, aliud opus ostensum & datum est, quo Deus vult se apprehendi, scilicet non illud corporalis & particu laris liberationis, sed nouæ & æternæ liberationis, à peccato & morte, non per Mo sen, sed per Filium Dei, qui factus est nobis à Deo (vt inquit Paulus) sapientia, iu stitia, sanctificatio & redemptio. Potest idem & ex ipso præcepto Decalogi de Sabbato ostendi, Palam est enim Sabbati legem nihil pertinere ad gentes, neque vllis gentibus mandatum aut obseruatum fuisse. Imò Paulus & Apostoli cùm in coarunt nouum Testamentum sparso Euangelio in Gentes, clarè liberant eas ab obseruatione Sabbati. Sed & Prophetæ ipsi prædixerunt futurum, vt aliquan do desineret illud Iudaicum Sabbatum, sicut Esaias inquit capite vltimo, po quam Christus venerit, fore vt discrimen Sabbati & aliorum dierum tollatur, id futurum Sabbatum ex Sabbato, mensem seu neomeniam ex neomenia. Cùm igitur Moses ipse testetur de suo ministerio, non sunt audiendi, qui Christianos ad Mosaicas leges adigunt, sed contrà illis dicatur, vt ad Iudæos Mosen suum rele legent, nos missos faciant. Nam vt dixi ex Paulo Galat. 3. Qui Moses vnam le gem, tanquam necessariam accipit, hic iam se debitorem facit totius legis seruan dæ, ac prorsus se Iudaismo addicit.

Hîc iam quærat aliquis, Cum Mosen dicas nihil ad nos pertinere, quare ipse Mosen doces, aut quare omninò à Christianis leguntur libri à Mose Scripti? Si quærenti respondeo, Magnæ & graues sunt causæ, quare hos libros & seruari legi necesse sit in Ecclesia.

Primùm, de legib. illi populo propter politicam gubernationem traditis hîc ni hil dico. Nam hæ ad nos non magis pertinent, quàm Solonis aut Draconis leges, nisi quod liberum esset & nobis ex ijs aliquas recipere si quę viderentur conuenire. Multo

Multa enim sunt in Mosaicis legibus, optimè & pulcherrimè constituta, quæ prodesset imitari etiã alias politias, Qualis est lex de decimatione bonorum plena humanitatis. Nam si hæc seruaretur, sublatis alijs exactionibus, & facilius tolerarentur pensiones necessarię, & benedicente Deo crescerẽt reditus, vt de natis decem bobus darem singulos, item decimum quenque manipulum frugum, hac proportione, vt quanta plus fructus perceptum esset ex rebus nascentibus tantò plus daretur. Hæc iuxta Dei benedictionem crescerent. Nunc cum certi reditus seu pensiones pecuniariæ in singulos annos æqualiter exigantur, etiam cùm fructus prædiorum aut fundi non respondent, imò hæc ita exiguntur, vt cogaris pendere, etiamsi granum nullum perceperis, & sæpe accedant extraordinaria onera, fit, vt quid perpetuò tolerari, hæc onera non possunt, ad extrenum exhauriatur populus, nec habeat vnde det. Quanto æquius & humanius esset hanc æqualitatis rationem seruari, vt si fructus rerum largiores aut parcius contigissent, eò etiam largius aut parcius penderetur. Tale est & illud, quod Moses vetat vendi agros aut prædia sic, vt esset perpetua translatio dominij, sed vt quoque anno Iubilæo (hoc est quinquagesimo) redirent possessiones ad priores Dominos, ac ita conseruarentur in familijs.

Tales multæ fuerunt illius politiæ leges optimè constitutæ, quæ quoque liceret similiter vsurpari, in imperijs & politijs, sed ita ne accedat opinio necessitatis, quasi Dei mandato aut necessario exemplo oporteat nos ijsdem, legibus vti. Hanc necessitatem imponi nobis non patiamur, sed libertatem retineamus, vel Mosaicis aliquibus, vel etiam alijs vtendi. Potest Imperator consensu Imperij & populi exempla aliqua Mosaicæ politiæ imitari, ea sic recepta valerent, sicut nunc valet ius publicè in foro receptum, vel quod ciuile, vel quod Saxonicum dicitur, nec ideo Mosi se quidquam obligarent, nõ enim propter Mosen, sed quia ipsis sic videretur, pro loco & tempore, quando & quandiu liberet, ea seruarent.

Quare Phanaticis illis clamitantibus seruanda esse hęc aut illa scripta in Mose, quia sint diuinitus præcepta, simpliciter respondeatur, vt dixi. Nos nec seruare, ac ne quidem debere quidquam seruare propter Mosen. Nam totus Moses nihil ad nos attinet, sed nos rectè vti forma nostrarum politiarum, siue ea Mosaicam sequatur & cùm illa congruat, siue non congruat. Nihil ergo ad nos, quid ille, aut per illum Deus populo Israel præceperit.

Sed inquis, Certè Mosi, hoc est, Dei præcepta sunt. Non habere Deos alienos, Deum timere, ei confidere & obedire, non abuti eius nomine, parentibus honorem habere, non occidere, non furari, non mœchari, non dicere falsum testimoniũ, &c. an non hæc necesse est nos seruare, an non in vniuersum omnibus hominibus præcepta sunt? Respondeo. sunt ab omnibus seruanda, & ad omnes pertinent, sed non quia à Mose præcepta, sed quia naturę hominum hæ leges (quę in Decalogo recitantur) inscriptę sunt. Impresit enim Deus has notitias omnibus hominibus in ipsa creatione. Quare etiam gentes quibus Moses ignotus fuit, & quibus Deus non est locutus, vt illis, norunt Deo esse obediendum, Deum esse inuocandum, honorandos parentes, abstinendum à cęde, & iniuria aliorum, &c. quia hęc Deo displiceant & ab eo puniantur.

Hoc ipsum testantur omnium gentium Idolatrię, nulla enim vnquam gens fuit quę non habuerit aliquas religiones, quę non inuocarit aliquod numen, etiamsi à vero Deo aberrarunt, quemadmodum & Iudęi suis pręter Dei verbum & mandatum confictis cultibus, non minus Idolatrę fuerunt, etiamsi legem manifesta patefactione à Deo traditam acceperant.

Quod igitur ad noticiam horum pręceptorum seu legis (quam vocant moralem seu Decalogum) attinet, nihil est discriminis. Tam sunt ea gentibus pręcepta, tam norunt esse seruanda quàm Iudęi, sed non ideo quia per Mosen tradita, sed quia

ipsorum cordibus natura impræssa sunt, & Paulus ad Rom. 2. inquit: Gentes quę non habent legem, cùm natura legis opera faciunt, hi cùm legem non habeant, sibi ipsis sunt lex, videlicet, ostendentes opus legis, cordibus ipsorum inscriptum. Est igitur in vtrisque eadem noticia, à qua tamen vtrique & gentes, & Iudæi, sæpe deerrarunt. Non igitur aliquam nouam doctrinam attulit Moses, cùm hæc præcepta dedit, sed idem illud, quod Deus voce de cœlo sonãte per Mosem populo Iudaico tradidit. Iam ante omnium cordibus inscripsit in ipsa conditione, nisi quòd Iudęis accesserunt manifesta testimonia, & ministerium Moysi, quo lex & scripto & voce conseruaretur & illustraretur.

Dico igitur seruanda esse hęc præcepta Decalogi, non quia Moses ea tradidit (quod ad illum populum tantùm pertinebat) sed quia has noticias naturæ impressas omnes homines habent, cum quibus etiam Moses congruit. Ac pulchrum sanè & vtile est considerare, quid illa ipsa manifesta promulgatio Decalogi facta ministerio Mosi in illo populo, & tradita manifestis miraculis, est euidens & perspicuum testimonium voluntatis Dei de lege, quod videlicet hęc ipsa noticia legis, sit immutabile decreatum voluntatis Dei, quam velit ab vniuersa creatura rationali seruari, & hanc totam naturam ad hoc, à Deo conditam esse, vt iuxta has noticias Deo obediat, &c. Huius inquam, voluntatis Dei testimonium & confirmatio est, quod manifestis miraculis & voce de cœlo sonante, publicè hanc doctrinam legis confirmauit, quam alioqui omnes homines natura insitam habent & intelligunt.

Hæc de ea parte legis intelligenda sunt, quę propriè dicitur moralis, hoc est præcipiens qualis debeat esse vita & mores hominum, quę quidem diligenter discernenda est ab alijs partibus. Nam reliquę, quia non sunt natura hominum impressę, nihil ad gentes pertinent, sed ita sunt proprię politię Iudaicę, sicut vnaquęque gens suam politię formam, suas leges forenses, aut politicas habet, quę alienę reipublicę ciues nihil obligant, sed vt dixi, etiam in his Mosaicis legibus videre est multa insignia exempla honestissimarum legum, vtilium politicę societati, & accedit præcipua vtilitas, quòd in Explicatione Decalogi cernitur illustrę testimonium, quo Deus noticiam legis moralis impressam omnium hominum mentibns confirmauit, illa manifesta patefactione facta huic populo.

DE VSV LEGIS SEV DE CAVSA FINALI.

QVID IGITVR LEX?

Cum docemus hominem sine lege & operibus iustificari, necessariò sequitur illa quæstio? Si lex non iustificat, quare ergo lata est? Item, cur Deus vrget & onerat nos lege, si non viuificat. Quid opus est nos tam duriter exerceri & vexari ea, si hi, qui vna hora operati sunt, redduntur pares nobis, qui portauimus pondus diei & æstum? Veniente Gratia, quam Euangelium prædicat, statim oritur ista magna murmuratio, sine qua Euangelium non potest prædicari. Iudæi hanc habebant opinionem, quod si legem seruarent, iustificarentur. Ideo cum audierunt Euangelium concionari de Christo, qui venisset in mundum, vt saluaret non iustos, sed peccatores, quodque hi præcederent illos in regnum Dei, maximè indignabantur, conquerebantque se tot secula graue iugum legis, magna molestia & labore portasse, & se se miserrime vexatos & oppressos fuisse legis tyrannide, sine aliquo fructu, imò suo maximo incommodo, Gentibus idolatris vicissim gratiam contingere sine vllo labore & molestia. Sic hodie Papistæ nostri murmurant dicentes: Quid profuit nos vixisse viginti, triginta, quadraginta annos in monachatu, vouisse castitatem, paupertatem, obędientiam, legisse hora, canonicas, missificasse, afflixisse corpus ieiunijs, orationibus, castigationibus, &c. Si maritus, vxor, princeps, consul, præceptor, discipulus, mercenarius aut seruus portans saccos, si ancilla verrens domum, non solùm nobis pares, sed etiam meliores ac digniores sunt?

Ella

Est igitur quæstio ista difficilis, qua ratio concluſa est, quam etiam non poteſt ſoluere, ſed ea maximè oſtenditur. Intelligit ratio aliquo modo iuſtitiam legis, quam etiam docet & vrget & imaginatur facientes eam eſſe iuſtos, non intelligit officium & finem legis. Itaq; cùm audit hanc nouam Pauli & incognitam mundo ſententiam, Quod lex lata ſit propter tranſgreſsiones, ſic iudicat, Paulus tollit legem, quia dicit, quod per eam non iuſtificemur, Imò blaſphemus eſt in Deum, qui legem tulit, cùm dicit eam propter tranſgreſsiones datam eſſe. Viuamus igitur, vt Gentes, quę legem non habẽt, Imò peccemus & maneamus in peccato, vt Gratia abũdet. Item faciamus mala, vt eueniant bona. Hoc Apoſtolo Paulo accidit, idem & hodie nobis accidit. Vulgus enim, cùm ex Euangelio audit, iuſtitiam ex mera gratia Dei & ſola fide, ſine lege & operibus contingere, eodem modo colligit, quo tum Iudæi, Si lex non iuſtificat, nihil igitur operemur, hocq; egregiè præſtat.

Quid igitur faciamus? Vehementer quidem cruciat nos hoc malum, ſed non poſſumus prohibere. Chriſtum prædicantem oportebat audire, quod eſſet blaſphemus & ſeditioſus, hoc eſt, quod ſua doctrina ſeduceret homines, & Cęſari rebelles faceret. Idem Paulo & omnibus Apoſtolis accidit. Quid mirũ, ſi ſimili modo nos hodie accuſet mundus? Blaſphemet & perſequatur ſanè nos, Tamen ideo non eſt tacẽdum, ſed liberè loquendum, vt afflictæ conſcientiæ eripiantur ex Diaboli laqueis. Neque ſpectandum eſt, quòd noſtra doctrina abutatur impium & ſtultum Vulgus, quod ſiue legem habeat, ſiue non habeat, ſanari non poteſt. Sed potius ſpectandum eſt quomodo miſeris conſcientijs conſolatur, ne cum multitudine pereant. Si tacere-mus, nullam prorſus conſolationem haberent conſcientiæ, quę ita captæ & irretitę ſunt legibus & traditionibus humanis, vt ſeſe nullo modo explicare poſsint.

Vt ergo Paulus, cùm videret alios aduerſari doctrinæ ſuæ, alios libertatem carnalem quærere, & deteriores fieri ex ea, ſe hoc modo conſolabatur, quod eſſet Apoſtolus Ieſu Chriſti, ad prædicandam fidem electorum Dei, & quòd omnia toleraret propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequerentur. Ita & nos hodie omnia facimus propter electos, quos ſcimus iuuari noſtra doctrina. Canibus & porcis, quorũ alij perſequuntur doctrinam, alij conculcant libertatem noſtram, quam in Chriſto habemus, adeò infenſus ſum, vt propter illos ne vnam quidem voculam emittere velim in vita mea. Optarim potius porcos noſtros, cum aduerſarijs canibus, adhuc ſubiectos eſſe tyrannidi papę, quàm propter eos ſic blaſphemari nomẽ Dei ſanctum. Vt maximè igitur non ſolùm imperitum vulgus, ſed hi etiam, qui videntur ſibi multum ſapere, hoc modo colligant, ſi lex non iuſtificat, ergo ocioſa eſt. Non tamen ideo verum eſt. Nam ſicut illa conſequentia non valet, Pecunia non iuſtificat, ergo inutilis eſt. Oculi non iuſtificant, ergo eruendi ſunt. Manus non iuſtificant, ergo amputandæ ſunt, Ita neq; iſta valet, lex non iuſtificat, Ergo inutilis eſt. Oportet vnicuiq; rei tribuere ſuum proprium officium & vſum. Non ideo deſtruimus aut damnamus legem, quod negamus eam iuſtificare. Sed aliter reſpondemus ad iſtam quęſtionem. Quid igitur lex? quam aduerſarij, qui peruerſa, opinione fingunt officium & vſum legis, quem non habet.

Contra hunc abuſum & fictum officium legis diſputamus, & reſpondemus cum Paulo, legem non iuſtificare, ſed per hoc non affirmamus legem eſſe ocioſam, vt illi ſtatim inferunt. Si lex non iuſtificat, ergo fruſtra lata eſt. Non? Habet enim ſuum proprium officium & vſum, ſed non eum quem aduerſarij ei affingũt, ſcilicet iuſtificandi homines. Imò accuſat, perterrefacit & condemnat eos. Cum Paulo dicimus legem eſſe bonam, ſi quis ea legitimè vtatur, id eſt, ſi quis vtatur lege, vt lege. Si definimo legem propria definitione, & retineo in ſuo officio & vſu, res optima eſt, Si

verò transfero eam in alium vsum, & tribuo ei, quod non est tribuẽdum, non solùm legem, sed totam Theologiam peruerto.

Agit ergo hîc Paulus contra pestilentes hypocritas, quibus planè intolerabilis est hæc Pauli vox, Lex propter transgressionẽ addita est. Putant enim legis officium esse iustificare. Eaque est generalis opinio rationis humanæ in omnibus Sophistis & toto mundo, quod iustitia paretur operibus legis. Illam pernicioſam opinionem nullo modo patitur sibi eximi ratio, quia non intelligit iustitiam fidei. Hinc Papistæ non tam stultè quàm impiè nugantur, Ecclesia habet legem Dei, traditiones Patrum decreta conciliorum, si iuxta ea vixerit, est sancta. His nemo persuadebit, quod illis rebus obseruatis tantùm prouocent iram Dei, non placent. In summa, omnis iustitiarius imaginatur, se suis electitijs cultibus & voluntaria religione placaturum iram Dei, &c. Ideo opinio iustitiæ sentina est omnium malorum, & peccatum peccatorum mundi, Nam crassa peccata & vitia agnosci, ideoq; emendari possunt aut certè prohiberi vindicta Magistratus. Illud verò (cuiusque hominis propria opinio de iustitia) non solùm non vult esse peccatum, sed etiam venditat se pro summa religione & iustitia. Itaque pestis illa est summum & maximum imperium Diaboli in toto orbe terrarum verè caput serpentis, & laqueus, quo Diabolus omnes homines capit & captiuos tenet, Omnes enim naturaliter sentiunt legem iustificare. Vt igitur Paulus verum officium & vsum legis ostendat, & fallam opinionem de ea hominibus eximat, respondet ad hanc obiectionem. Quid igitur lex, si non iustificat? hoc modo, Non propter iustificationem, sed *propter transgressiones apposita est.*

Vt res ita vsus rerum distincti sunt, Non sunt ergo confundendi, alioqui etiam rerum fit confusio. Mulier non vtatur veste viri, nec vir mulieris. Vir virilia, mulier muliebria opera faciat. Vnusquisque hoc præstet, quod sua vocatio & officium requirit. Pastores & concionatores doceant purè verbum Dei. Magistratus gubernent subditos, Hi obediant illis, &c. Item, quælibet creatura in suo ordine & loco seruiat. Sol luceat die, Luna & stellæ noctu, Mare det pisces, terra fruges, syluæ feras, ligna, &c. Sic lex non vsurpet sibi alienum officium & vsum, scilicet iustificationis, sed relinquat hunc soli gratiæ, promissioni, fidei. Quod igitur est legis officium? Transgressio, seu vt alibi dicit, Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Bellum profectò officium, Lex, inquit, propter transgressiones apposita est, id est, vltra & post promissiones addita, donec veniret Semen Christus, cui promissum fuerat.

DE DVPLICI LEGIS VSV.

Hîc sciendum est duplicem esse legis vsum, Alter ciuilis est. Nam Deus ordinauit ciuiles, imò omnes leges ad cohercendos transgressiones. Ergo omnis lex lata est ad impediendа peccata. Si cohercet peccata, ergo iustificat? Nihil minus. Quod enim non occido, non committo adulterium, furtum non facio, quod ab alijs peccatis abstineo, non volens aut virtutis amore facio, sed carcerem, gladium & carnificem metuo. Illa prohibent ne peccem, vt leonem aut vrsum vincula & catenæ prohibent, ne quæque obuia laniet. Ergo cohertio à peccatis, non est iustitia, sed potius significatio iniustitiæ. Vt enim furenti & indomitæ bestiæ ijcitur vinculum, ne sæuiat in quæque sibi obuia: Ita lex insanum & furentem hominem cohercet ne pro libidine peccet. Ista cohertio satis indicat, quod illi qui ea opus habent (vt omnes quotquot extra Christum sunt) non sunt iusti, sed potius impij & furentes, quos necesse sit vinculis & carcere legis domari ne peccent. Ergo lex non iustificat.

Primus ergo

Prius ergo intellectus & vsus legum est, cohercere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum, & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideo Deus ordinauit Magistratus, parentes, præceptores, leges, vincula & omnes ordinationes ciuiles, vt si non possint amplius efficere, reuinciant saltem Diabolo manus, ne pro libidine sua ita sæuiat in suis. Sicut ergo in hominibus obsessis, in quibus Diabolus potenter regnat, vincula & catenæ injiciuntur, ne quem lædant. Sic toti mundo, qui obsessus est à Diabolo, & præceps fertur in omnia scelera, adest magistratus suis vinculis & catenis, hoc est, legibus, cohibens manus & pedes ne præceps ruat in omnis generis flagitia. Si hoc modo se arceri non sinit, pœna capitis plectitur. Hæc ciuilis cohertio summè necessaria est, & à Deo instituta, cum propter publicam pacem, tum propter omnes res conseruandas, maximè verò ne tumultibus & seditionibus ferocium hominum cursus Euangelij impediatur. Illum ciuilem vsum Paulus hîc non tractat. Est quidem valde necessarius, sed non iustificat. Nam vt obsessus non ideo liber & compos mentis est, quòd manus & pedes ei ligati sunt: Ita mundus vt maximè arceatur lege ab externis flagitis, non ideo iustus est, sed manet impius. Imò ista cohercio indicat mundum esse impium, furentem & impelli à principe suo Diabolo, alioqui non opus esset eum legibus coherceri ne peccaret.

Alter legis vsus est Theologicus seu spiritualis, qui est (vt Paulus ait) augere transgressiones, hoc est reuelare homini suum peccatum, cæcitatem, miseriã, impietatem, ignorantiam, odium, contemptum Dei, mortem, infernum, iudicium & incommeritam iram apud Deum. Hunc vsum tractat magnificè Rom. 7. Is planè incognitus est hypocritis, Sophistis & omnibus hominibus, quotquot incedunt in opinione iustitiæ legis seu propriæ. Vt autem compescat & contundat Deus monstrum & bestiam illam furentem (opinionem iustitiæ seu religionis) quæ naturaliter inflat & superbire facit homines, vt putent propter eam se placere Deo, oportuit eum mittere aliquem Herculem, qui monstrum istud toto impetu adoriretur, prosterneret, & conficeret, hoc est, coactus est ferre in monte Syna legem, tanta pompa & tam horribili specie, vt totus populus pauore concussus sit, Exod. 19.20. Is vsus legis diuinæ, vt est proprius & præcipuus, ita perutilis est & maximè necessarius.

Nam si quis non est homicida, adulter, fur, & abstinet externè à peccatis, vt Pharisæus ille is iuraret (quia est obsessus à Diabolo) se esse iustum, Ideoque concipit opinionem iustitiæ, & præsumit de bonis operibus & meritis suis. Hunc Deus nulla alia arte mollire & humiliare potest, vt agnoscat suam miseriam & damnationem nisi lege. Ea enim est malleus mortis, tonitru inferni, & fulmen iræ diuinæ, conterens induratos & insensatos hypocritas. Quare proprius & verus legis vsus est fulgure (vt in monte Syna) tonitru, clangore buccinæ, perterrefacere, fulmine prosternere & conterere istam beluam, quæ vocatur opinio iustitiæ. Hinc Deus per Ieremiam dicit: Verbum meum malleus est, conterens petras. Donec enim opinio iustitiæ in homine manet, manet in comprehensibilis superbia, præsumptio, securitas, odium Dei, contemptus Gratiæ & misericordiæ, ignoratio promissionum & Christi. Non intrat in cor, neque sapit prædicatio de gratuita remissione peccatorum propter Christum. Quia ingens rupes & adamantinus murus scilicet opinio iustitiæ, qua cor ipsum cinctum est, obstat. Vt ergo opinio iustitiæ magnum & horribile monstrum, rebellis, pertinax, & durissimæ ceruicis bestia est: Ita pro conficienda & conterenda ea, habet opus Deus ingenti forti malleo scilicet lege. Quæ tum in proprio officio & vsu est, cùm sic accusat & ostendit peccatum,

Ecce transgressus es omnia mandata Dei, &c. Et ita terrorem incutit conscientiæ vt verè sentiat Deum offensum, & iratum & se ream æternæ mortis. Ibi corsenti onus importabile legis, & conteritur vsque ad desperationem, vt præ nimia anxietate mortem expetat, aut sibiipsi consciscere mortem cupiat. Quare lex est malleus ignis, ventus & commotio illa grandis, & fortis, conterens petras & subuertens montes, hoc est, induratos & superbos hypocritas. Hos legis terrores, qui per ista significantur, non ferens Elias, caput pallio operuit 3. Reg. 19. Cessante tamen tempestate illa cuius spectator erat, venit sibilus auræ tenuis, in qua Dominus erat. sed oportebat procellam ignis, turbinis, & terræmotus præcedere, antequam Dominus ipse in susurro lenis auræ sequebatur. Hunc legis vsum adumbrauit terribilis illæ aspectus & pompa, qua Deus legem tulit in monte Syna. Summa sanctitas erat in populo Israel, qui egressus fuerat ex Aegypto, Nos (iactitabant) populus Dei sumus, omnia quæ locutus est Dominus Deus nostri faciemus. Deinde Moses sanctificabat populum, iubebat lauare vestes, abstinere ab vxoribus, & parare sese in tertium Diem, Ibi nemo non erat sanctissimus. Tertio die Moses educit è castris populum ad montem in conspectum Domini, vt audiret vocem ipsius. Quid fit? vbi filij Israel vident horribilem aspectum montis fumantis & ardentis, nigras nubes & fulgura discurrentia in ista densissima caligine, & audiunt clangorem buccinæ paulatim crescere, & prolixius protendi, Item, vbi audiunt tonitrua & fulmina, pauefacti retrocedebant, & procul stantes dicebant Mosi: Nos omnia libenter faciemus, modò non loquatur nobis Dominus, ne moriamur, deuorante nos igni hoc maximo, Tu nos doce & auscultabimus. Quid queso hîc profuit mundicies, candida vestis, abstinentia ab vxoribus, sanctitas? Nihil prorsus, Nemo hanc Dei præsentiam in sua maiestate & gloria ferre potuit, sed omnes exterriti & pauore concussi ibant retro, quasi à Diabolo acti. Deus enim ignis consumens est, in cuius conspectu simpliciter nulla caro consistere potest. Hoc ergo officium lex diuina propriè habet, quod tum in monte Syna habuit cùm primùm lata est, & audiebatur à Iotis, iustis, purificatis & castis, & tamen redegit illos Sanctos in agnitionem sua miseriæ vsque ad desperationem & mortem. Nulla tum mundicies iuuabat, sed tantus erat sensus immundiciei, indignitatis, peccati, iudicij & iræ Dei, vt fugerent à conspectu Domini, neque possent ipsius vocem audire. Quid est omnis caro dicebant, vt audiat vocem Domini Dei viuentis, & possit viuere? Hodie vidimus quod loquente Deo cum homine, homo perferre non possit.

Iam multô aliter loquuntur, quàm paulò antè cùm dicerent. Nos populus Dei sanctus, quem Dominus sibi eligit in peculium, præ cunctis gentibus orbis terrarum, cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Sic tandem accidit omnibus iustitiarijs, qui opinione iustitiæ ebrij arbitrantur extra tentationem se maximè diligi à Deo, respicere Deum vota, ieiunia, præcatiunculas, & electicia opera sua, pro quibus sit illis redditurus singularem coronam in cœlis, sed veniente ex improuiso tonitru, fulmine, igne, & malleo illo, qui petras conterit, hoc est lege Dei reuelante peccatum, iram & iudicium Dei ostendente, planè idem illis accidit, quod stantibus Iudeis ad radices montis Synai.

Admoneo pietatis amatores, præcipuè qui aliquando aliorum futuri sunt Doctores, vt diligenter ex Paulo discant, intelligere verum ac proprium legis vsum qui (vt timeo) post tempora nostra iterum obscurabitur & prorsus obruetur. Nam nobis adhuc viuentibus & summa diligentia vtriusque, legis & Euangelij officium & vsum monstrantibus, tamen perpauci sunt etiam inter illos, qui pij videri

phi videri volunt, nobiscum profitentur Euangelium, qui ista rectè teneant. Quid futurum putatis nobis ablatis? Vt interim nihil dicam de Anabaptistis, nouis Arrianis, & spiritibus blasphœmis in Sacramentum corporis & sanguinis Christi, qui æquè ista ignorant, vt maximè ore diuersum dicant, ac Papistæ. Iamdudum enim à pura doctrina Euangelij, ad leges relapsi sunt, ideoque Christum non docent. Iactant & iurant quidem, se nihil quàm gloriam Dei, salutem fratrum quæ rere, & verbum Dei purè docere. Sed reuera deprauant illud, & detorquent ad alienum sensum, vt hoc cogatur illis sonare, quod ipsi somniant. Ideo sub nomine Christi sua somnia, sub nomine Euangelij tantùm Leges & Cæremonias docent. Sunt ergo & manent semper sui similes, hoc est, Monachi, operarij, legis & cæremoniarum Doctores, nisi quòd noua nomina & opera excogitant.

Non est igitur parui momenti res, probè tenere, Quid Lex, quis vsus, quod officium eius sit? Quia verò ista summa diligentia & fide tradimus, reipsa testamur, quòd legem & opera, vt aduersarij nos falsò accusant, non reijcimus, sed maximè stabilimus legem, opera eius exigimus, dicimusque legem bonam & vtilem, sed in suo vsu, scilicet primò ad cohercendas ciuiles transgressiones, Deinde ad reuelandas & augendas spirituales transgressiones. Quare Lex etiam lux est, quæ lucet & ostendit, non gratiam Dei, non iustitiam & vitam, sed peccatum, mortem, iram & iudicium Dei. Nam sicut in monte Syna, tonitru, fulmen, nubes caligosa, monis fumigans & ardens, & tota illa terrifica facies, non exhilarabat, nec viuificabat filios Israel, sed perterrefaciebat, reddebat ferè exanimes, & ostendebat quàm non ferre possent, cum omni illa sua sanctitate & mundicie, præsentiam Dei loquentis è nube. Sic Lex quando in suo vero vsu est, nihil aliud facit, quàm quòd reuelat peccatum, efficit iram, accusat & perterrefacit homines, vt non procul absint à desperatione. Is proprius est vsus legis, hîc finem habet nec amplius progredi debet. Contrà Euangelium Lux est, quæ illuminat, viuificat, consolatur & erigit pauidas mentes. Ostendit enim Deum esse propitium peccatoribus, & indignis propter Christum, si credant se per mortem ipsius, liberatos à maledictione, id est, à peccato, & morte æterna, & per suam victoriam donatam illis benedictionem, id est, gratiam, remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam.

Hoc modo discernentes legem ab Euangelio, vtrique tribuimus suum proprium vsum & officium. De hoc legis & Euangelij discrimine, nihil legitur in libris Monachorum, Canonistarum, Scholasticorum, imò ne quidem veterum Patrum. Augustinus aliqua ex parte illud discrimen tenuit, ac indicauit. Hieronymus & alij ignorarunt. Summa, mirum de illo fuit multis seculis silentium in omnibus scholis & templis, Eaque res adduxit conscientias in maximum discrimen. Nisi enim diserte discernatur Euangelium à Lege, non potest salua retineri Doctrina Christiana.

Contrà cognita hac distinctione, cognoscitur vera ratio iustificandi, tumque facilè discernere est fidem ab operibus, Christum à Mose, & omnibus politicis legibus. Omnia enim extra Christum, sunt ministerium mortis ad vindictam malorum. Respondet ergo Paulus ad Quæstionem hoc modo. Lex propter transgressiones apposita est. Id est vt augescerent & magis cognoscerentur ac viderentur transgressiones. Et reuera etiam ita fit. Nam cùm per legem reuelatur homini peccatum, mors, ira & iudicium Dei, infernus, &c. impossibile est vt non fiat impatiens, murmuret, oderit Deum & eius voluntatem. Non enim potest ferre iudicium Dei, suam mortem & damnationem, & tamen non potest effugere.

Hîc tum necessariò incurrit in odium & blasphœmiam contra Deum. Prius extra tentationem magnus sanctus fuit, coluit & laudauit Deum, genu flexit, & gratias egit vt inflatus Pharisæus Lucæ 18. Iam autem reuelato peccato & morte, vellet Deum non esse. Itaque Lex summum odium Dei affert. Et hoc non solùm est ostendi & cognosci lege peccatum, sed etiam per ostensionem augeri, inflari, incendi, & magnificari peccatum. Hinc Paulus dicit Romanorum 7. peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat excellenter noxium peccatum per Præceptum. Illic copiosè tractat istum legis effectum. Ad istam ergo quæstionem si lex non iustificat, ad quid valet? Paulus respondet. Vt maximè inquit non iustificat, tamen maximè vtilis & necessaria est lex. Primùm ciuiliter cohercet carnales & rudes. Deinde ostendit hominem sibi ipsi, quod sit peccator, ergo reus mortis & dignus æterna ira.

Ad quid prodest ista humiliatio, confusio, & contritio per istum malleum, legem scilicet? Ad hoc prodest, vt gratiæ pateat ad nos aditus. Sic ergo lex ministra, & præparatrix est ad gratiam. Nam Deus est Deus humilium, miserorum, adflictorum, oppressorum, desperatorum, & eorum, qui prorsus in nihilum redacti sunt, Eiusque natura est exaltare humiles, cibare esurientes, illuminare cæcos, miseros & adflictos consolari, peccatores iustificare, mortuos viuificare, desperatos & damnatos saluare, &c. Est enim creator omnipotens ex nihilo faciens omnia. Adhoc autem naturale & proprium opus non sinit eum peruenire nocentissima pestis illa opinio iustitiæ, quæ non vult esse peccatrix, immunda, misera & damnata, sed iusta, Sancta, &c. Ideo oportet Deum adhibere malleum istum, Legem scilicet quæ frangat, contundat, conterat, & prorsus ad nihilum redigat hanc beluam cum sua vana fiducia, sapientia, iustitia, potentia, &c. Vt tandem suo malo discat se perditam & damnatam.

Atque ibi tum conscientia sic lege conterrita, locum habet doctrina Euangelij & gratiæ, quæ rursum erigit & consolatur dicens: Christum venisse in mundum, non vt quassatum calamum conterat, non vt linum fumigans extinguat, sed vt pauperibus Euangelium annunciet, contritis corde medeatur, captiuis prædicet remissionem, &c.

Sed hoc opus hic labor est, vt sic perterrefactus & contusus lege, possit sese iterum erigere, & dicere: Iam satis contritus & conturbatus sum, satis miserè afflixit me tempus legis. Iam tempus est gratiæ, & audiendi Christi, ex cuius ore procedunt sermones gratiæ. Iam tempus est ridendi, nõ fumantem & ardentem montem Syna, sed montem Moria, vbi est sedes templum & propiciatorium Dei, Christus scilicet, qui est rex iustitiæ & pacis, Ibi audiam quid Dominus mihi loquatur, loquitur autem pacem plebi suæ. Imò tanta est stultitia humani cordis, vt non solùm non appræhendat in isto certamine conscientiæ, vbi lex fecit officium, & verum suum vsum exercuit, doctrinam gratiæ quæ certissimè promittit & offert remissionem peccatorum propter Christum, sed etiam plus legum quærat, quibus sibi consulere velit.

Ego inquit, si diutius vixero, emendabo vitam meam hoc & hoc faciam. Item, ingrediar monasterium, parcissimè viuam, contentus pane & aqua, nudis pedibus incedam, &c. Hîc nisi omnino contrarium feceris, hoc est nisi ablegaueris Mosen cum lege sua ad securos & induratos, & apprehenderis in istis pauoribus & horroribus Christum

bus Christum passum, crucifixum, mortuum pro peccatis tuis, planè actum est de salute tua. Sic per accidens Lex cum suo officio, etiam prodest ad iustificationem, non quidem iustificans, sed vrgens ad promissionem Gratiæ, & faciens eam suauem ac desiderabilem. Quare legem non abrogamus, sed indicamus verum officium & vsum ipsius, quod scilicet sit vtilissima ministra, vrgens ad Christum. Ideo postquam te lex humiliauit, perterrefecit & prorsus contriuit, vt iam sis desperationi proximus, vide vt lege rectè noris vti. Quia officium & vsus eius est, non solùm ostendere peccatum ac iram Dei, sed etiam compellere ad Christum. Hunc vsum legis solus Spiritus Sanctus ostendit in Euangelio, vbi testatur Deum adesse contritis corde, &c.

Quare si contritus es malleo isto, nè peruersè vtaris contritione ista, vt oneres te pluribus legibus, sed audi Christum dicentem: Venite ad me omnes qui laborati & onerati estis, Ego reficiam vos. Quando Lex sic te vrget, desperatis omnibus rebus tuis, ad quærendum auxilium & solatium apud Christum, tum est in vero vsu, & seruit per Euangelium ad Iustificationem. Isque est optimus ac perfectissimus Legis vsus.

Quare Paulus hîc nouo capite incipit tractare legem, & definit quid sit, hinc occasione accepta, quòd dixerat legem non Iustificare. Hoc enim audiens ratio statim infert. Ergo frustra Deus eam tulit. Necesse igitur fuit quærere, rectè definire & respondere, quid Lex & quomodo intelligenda sit, ne latius aut arctius accipiatur, quàm oporteat. Ad Iustificationem inquit, nulla lex simpliciter est necessaria. Ideo quando disputandum de iustitia, vita & salute æterna, omninò remouenda est ex oculis lex, quasi nunquam fuerit, aut futura sit, sed prorsus nihil sit. In negocio enim Iustificationis, nemo satis potest è conspectu legem remouere, & promissionem solam intueri. Ideò dixi legem & promissionem affectu longissimè esse separanda, reipsa enim sunt coniunctissima.

Donec veniret Semen, cui promissum fuerat. Paulus legem non facit perpetuam, sed dicit eam latam & additam esse promissionibus propter transgressiones scilicet cohercendas ciuiliter, præcipuè autem propter eas reuelandas & augendas Theologicè, & ne hoc quidem perpetuò, sed tantùm ad tempus.

Hîc nosse oportet prædicamentum Quando. Quamdiu scilicet durare debeat imperium seu tyrannis legis, quæ reuelat peccatum, ostendit nobis quales simus, & aperit iram Dei. Qui seriò ista sentiunt, subitò perirent, si non acciperent consolationem. Ideo nisi abbreuiarentur dies legis, nemo saluus fieret. Oportet igitur præfigi modum & tempus legi, vltra quod non dominetur. Quandiu ergo dominium legis durare debet? Donec veniat Semen, scilicet illud, de quo scriptum est: In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Tantisper ergo durare debet Tyrannis legis, donec plenitudo temporis & Semen illud benedictionis veniat. Non vt ipsa lex Semen afferat, aut iustitiam donet, sed vt ciuiliter coherceat & concludat tanquam in carcere indomitas, Theologicè autem arguat, humiliet & perterrefaciat, & sic humiliatos & contritos cogat aspirare ad Semen illud benedictum. Durationem temporis Legis & ad Literam, & spiritualiter intelligere licet. Ad literam lex vsque ad tempus Gratiæ durauit, Lex & Prophetæ (vt ipse CHRISTVS inquit) vsque ad Iohannem Prophetauerunt. A tempore Iohannis vsque ad hunc diem Regnum Cœlorum vim patitur & violenti

violenti rapiunt illud. Hoc tempore Christus baptizatus est, & cœpit prædicare, vbi etiam ad literam desijt lex, & totus ille cultus Mosaicus. Spiritualiter Lex non debet diutius dominari in conscientia, quàm ad præfinitum tempus istius Seminis Benedicti. Quando ergo lex ostendit mihi peccatum, perterrefacit me, & reuelauit iram & iudicium Dei vt incipiam pallescere, desperare, &c. Ibi præscriptum modum, tempus & finem habet lex, vt desinat suam Tyrannidem exercere. Quia tunc satisfecit officio suo, satis ostendit iram Dei & perterrefecit. Hîc dicendum est, desine Lex, satis exterruisti & contriuisti, omnes fluctus tui super me transierunt, terrores tui conturbauerunt me. Item, ne auertas Domine faciem in ira à Seruo tuo, Ne quæso in furore tuo arguas me, &c. Quando isti pauores & querelæ veniunt tempus & hora est Seminis benedicti. Cedat igitur lex quæ quidem addita est propter transgressiones reuelandas & augendas, sed tantisper tantùm donec Semen veniat. Quo præsente, desinat Lex reuelare transgressiones & perterrefacere, tradatque regnum alteri, semini scilicet benedicto, hoc est Christo qui habet gratiosa labia quibus non accusat & terret, sed de rebus longè melioribus loquitur, quàm lex nempè de gratia, pace, remissione peccatorum, victoria peccati, mortis, &c. sua morte & resurrectione partis & donatis credentibus. Indicat ergo Paulus his verbis, Donec veniret Semen cùm benedictio promissa est, quandiu Lex durare debeat literaliter & spiritualiter.

Ad literam desijt, cùm Semen illud benedictum, carne nostra assumpta, venit in mundum, donans Spiritum Sanctum & scribens nouam Legem in cordibus, &c. Spiritualis autem duratio legis non semel cessat, sed tenacissimè hæret in conscientia.

Ideo difficillimum est homini qui Theologico vsu legis exercetur, finem legis videre. In illis enim terroribus & sensu peccati, non potest mens spem concipere, quod Deus sit misericors, quod velit condonare peccata propter Christum, sed simpliciter iudicat, Deum irasci peccatoribus, accusare & condemnare eos. Hîc nisi accedat fides, quæ iterum erigat, aut iuxta illud Christi, vbi duo vel tres, &c. adsit frater qui consoletur verbo Dei, sic oppressum & contusum lege, desperatio & mors sequitur. Igitur pessimum est hominem præsertim tentatum solum esse, Væh soli inquit Ecclesiastes, quia cùm ceciderit non habet subleuantem se. Quare qui instituerunt Monachatum, seu solitariam vitam, innumerabilibus dederunt occasionem desperandi. Si quis segregaret se à consortio hominum causa orandi vnum atque alterum diem (vt de Christo legimus, quod solus quandoque secesserit in montem, & noctu perdurauerit in oratione) nihil esset periculi. Sed quod coegerunt homines ad solitudinem perpetuam, hoc Diaboli fuit inuentum. Nam cùm homo tentatur & solus est, non potest sibijpsi consulere, ne in minima quidem tentatione.

LEX CONCLVDIT HOMINES CIVILITER ET THEOLOGICE.

Ex Galat. T. 4. fol. 109. cap. 3.

Talis est etiam vis legis & iustitia ex lege, cogens nos externè esse bonos, dum minatur pœnam & supplicium transgressoribus, ibi obtemperamus legi quidem timore pœnæ, sed inuiti & maximè indignantes. Qualis autem hæc iustitia est, si coactus formidine pœnæ malum amittis? Ideo iustitia illa operum verissimè nihil aliud est quàm amare peccatum, odisse iusticiam, detestari DEVM cum Lege sua, & summam malitiam adorare. Quam vehementer enim fur amat carcerem, &

rem, & odit furtum, tam libenter nos paremus legi, & facimus quæ præcipit, & omittimus quæ prohibet. Interim tamen hoc commodi habet lex, vt maximè corda maneant impia, vt primũ externè & ciuiliter coherceat aliquo modo fures, homicidas & palàm improbos. Hi enim nisi hanc fidem exiguam haberent, peccatum puniri in mundo, rota, cruce, gladio, &c. & post hanc vitam æterna morte & inferno, tũc nullus magistratus, nullus paterfamilias aut pædagogus, vlla vi, vllis legib. aut vinculis, furorem hominũ cohercere possent: comminationibus legis tamen, quæ terrorem mentibus incutiunt, aliquo modo impij deterrentur, ne præcipites in omnia flagitiorum genera ruant. Interim tamen mallent nullam legem, nullam pœnam, nullum infernũ, deniq; nullum Deum esse. Si Deus non haberet infernum, nec malos puniret, amarent & laudarẽt eum omnes: quia verè malos punit, & omnes mali sint. Ideo, quatenus sub lege concluduntur, non possunt non odisse & externè blasphemare Deum. Deinde lex concludit homines non tantùm ciuiliter, sed & Theologicè, hoc est, Lex est etiam carcer spiritualis & verè infernus: quia cùm reuelat peccatum, minatur mortẽ & æternam iram Dei, homo non potest effugere nec consolationem inuenire: non est enim in potestate hominis hos terribiles terrores, quos lex efficit, aut aliam cordis tristitiam excutere. Hinc illa miserabiles sanctorum voces & querelæ sunt passim in Psalmis: In inferno quis confitebitur tibi, &c.

Homo enim tunc in carcere conclusus est, ex quo non potest egredi, nec videt quomodo ex his vinculis solui, hoc est, ex his terrorib. liberari possit. Sic lex ciuiliter & theologicè carcer est. Primùm enim ciuiliter cohibet & concludit impios, ne pro libidine sua præcipites ruere possint in omnia scelera. Deinde spiritualiter ostendit nobis peccatũ, perterrefacit & humiliat nos, vt sic pauefacti agnoscamus miseriam & damnationem nostrã. Atq; is verus & proprius legis vsus est, modò non sit perpetuus, quia ista conclusio & custodia sub lege diutius durare non debet quàm in futuram fidem: quæ si venerit, desinere debet Theologicus ille legis carcer. Hîc iterum videmus Legem & Euangelium, quæ inter se longissimè distincta, & plusquam contradictoria, separata sunt, affectu coniunctissima esse. Hoc indicat Paulus cùm dicit, sub lege custodiebamur conclusi in futuram fidem, Quare non satis est nos cõclusos esse sub lege, quia si nihil aliud sequeretur, cogeremur desperare, in peccatis mori &c. Sed Paulus addit nos conclusos esse sub lege, & coherceri sub pædagogo lege nõ in æternum, sed in Christum qui est finis legis, Ista igitur pauefactio, humiliatio & custodia non durare debet perpetuò, sed in futuram fidẽ, hoc est, in salutem & bonum nostrum, vt nobis conterritis lege, dulcescat gratia, remissio peccatorum, liberatio à lege, peccato, morte, &c. quæ operibus non acquiruntur, sed sola fide apprehenduntur, &c. Qui ista extremè contraria intentatione nouit coniungere, hoc est, qui vbi maximè lege terretur, nouit finẽ legis, & initium gratiæ seu futuræ fidei, adesse, is recte vtitur lege. Hanc artẽ ignorãt omnes impij. Hanc ignorauit Cain, cùm cõclusus carcere legis peccatum suum seriò sentiret. Primùm extra carcerem erat, hoc est, nihil terroris sentiebat, etiam iam perpetrata fratris cæde, sed egregiè dissimulabat, & ipsum Deum hoc ignorare putabat, Nunquid custos fratris mei, inquit, sum ego? Cum autem audiret, quid feciſti? Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, &c. Ibi incipit hunc carcerem seriò sentire. Quid hic faciebat? Manebat in carcere conclusus, non coniungebat cum lege Euangelium, sed dicebat: Maior est iniquitas mea quàm vt veniam merear. Solùm carcerem inspexit, non considerans ei peccatum ideo reuelatũ esse, vt apud Deum gratiã quæreret. Desperauit igitur & negauit se Deum habere. Non credidit se conclusum in gratiam & fidem, sed simpliciter in legem. Sunt autem ista vocabula, custodiri & concludi sub lege, non ociosa, speculabilia seu Sophistica sed vera & seria. Custodia seu carcer ille significat veros & spirituales terrores, quibus conscientia sic concluditur, vt in latissimo orbe terrarum non inue-

non inueniret locum, vbi tuta esse posset. Imò durantibus illis pauoribus, cõscientia tantam anxietatem sentit, vt cœlum & terram, si etiam decies maiora & ampliora essent, putet esse angustiora quàm foramen muris, ibi tũ planè destituitur homo omni sapientia, viribus iustitia, cõsilio & auxilio. Conscientia enim res est tenerrima, ideo cùm sic carcere legis concluditur, nusquam patet ei exitus, sed apparet ei istam angustiam subinde augeri vsq; in infinitum: sentit enim tunc irã Dei, qui infinitus est, cuius manum effugere non potest vt Psalmus 139. ait: Quo ibo à Spiritu tuo, &c. Sicut ergo ciuiliter conclusio vel carcer est ipsa afflictio corporalis, quo conclusus vsu corporis sui priuatur. Ita Theologicè carcer est perturbatio & anxietas animi, qua conclusus, priuatur pace conscientiæ, & quiete cordis. Non tamen in æternum, vt ratio iudicat, cùm istum carcerem sentit, sed in futuram fidem. Erigendus est igitur & consolandus animus sub Lege conclusus, hoc modo, frater conclusus quidem es, sed scias hoc non agi, vt perpetuò in isto carcere conclusus tenearis, quia scriptum est, Concludi nos in futuram fidem. Affligeris ergo illo carcere non in perniciem tuam, sed vt per Semen benedictionis recreeris, lege occideris, vt per Christum viuificeris: Quare ne desperes vt Cain, Saul & Iudas, qui concluſi in illo carcere, nihil addiderunt, sed in illa ipsa conclusione manserunt, ideo coacti sunt desperare. Te aliter geras in istis conscientiæ pauoribus oportet, quàm illi, nempè vt scias benefactum esse, quòd sic conclusus & confusus es, sed vide vt ista conclusione rectè vtaris, scilicet, in futuram fidem: Deus enim non vult perturbari te, vt maneas in perturbatione, non vult occidere te, vt in morte maneas, Nolo mortem, inquit per Prophetam, peccatoris, &c. sed vult te perturbari vt humilieris, & agnoscas tibi opus esse misericordia Dei & beneficio Christi.

Quare custodia illa sub lege non debet esse perpetua, sed durare tantùm vsq; ad fidem. Id quod etiam Psalmus 147. docet. Beneplacitum est Domino super timentes eum, hoc est, qui hac legis custodia coarctantur. Sed mox addit, Et in eis qui sperant super misericordia eius. Ista ergo duo contraria coniungenda sunt, quæ re ipsa diuersissima sunt. Quid enim magis contrarium, quàm metuere & perhorrescere iram Dei, & similiter sperare in misericordia eius? Alterum infernus, alterum cœlum est, & tamen oportet esse in corde coniunctissima. Speculatiuè coniunguntur facillimè, sed practicè ea coniungere est omnium difficillimum, id quod propria experientia sæpissime didici. Papistæ & Sectarum autores de hac re prorsus nihil nouerunt. Ideo legentes vel audientes ista verba Pauli, sunt illis planè obscura & ignota. Et cùm Lex ostendit eis peccatum, accusat & perterrefacit eos, nullũ inueniunt neq; consilium neque auxilium, sed simpliciter desperant, sicut Cain & Saul. Cùm lex urget, vt dictum est, tortor & carcer noster sit, certum est nos eam non diligere, sed vehementer odisse. Ideo qui dicit se legem diligere, mentitur & nescit quid dicat. Insanus & mente captus esset fur aut latro, qui amaret carcerem & compedes. Cum autem lex, vt dixi, nos concludat, certum est nos esse infensissimos hostes eius. Summa tam amamus legem & iusticiam ipsius, quàm homicida carcerem, quomodo igitur lege iustificaremur? Concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Hoc Paulus dicit pro tempore plenitudinis, quo Christus venit. Tu verò accommoda, non solùm ad tempus illud, sed etiam ad effectum. Quia quod gestum est historicè & temporaliter quando Christus venit, legem abrogauit, & libertatem ac vitam æternam in lucem produxit, hoc priuatim quotidie fit spiritualiter in quolibet Christiano, in quo subinde inuenitur per vices, tempus legis & gratiæ. Habet enim Christianus corpus, in cuius membris, vt Paulus ait, militat lex & peccatum, peccatum autem intelligo, non tantùm factum operis, sed radicem & arborem cum fructibus vt scriptura loqui solet de peccato. Id non solùm hæret adhuc in carne Christiana & Baptizata, sed etiam militat & captiuat eam, si non ad assensum vel opus, tamen ad magnũ impulsum,

pulsum. Nam etiamsi Christianus non ruat in crassa illa peccata homicidium, adulterium, furtum, &c. non ideo tamen liber est ab impatientia, murmuratione, odio, blasphemia, &c. contra Deum. Quæ peccata humanæ rationi prorsus ignota sunt: ista eum etiam inuitum cogunt detestari legem, cogunt à conspectu Dei fugere, cogunt eum odisse & blasphemare Deum. Nam vt fortis est in iuuenili corpore libido, in viro studium acquirendæ gloriæ & opum, in sene auaricia, ita in Sancto viro fortis est impatientia, murmuratio, odium & blasphemia Dei. Huius rei extant exempla passim in Psalmis, Iob, Ieremia, & tota scriptura. Ideo & Paulus hanc luctam spiritualem describens, vtitur valde Emphaticis ac significantibus verbis, scilicet militandi, repugnandi & captiuandi. Est igitur in Christiano vtrumque tempus legis & gratiæ in affectu. Legis tempus est, quando lex me exercet diuexat, contristat & redigit in cognitionem peccati ac illud auget, Ibi tum lex est in verè suo vsu, quem Christianus subinde sentit donec viuit. Sic Paulo data fuit sudes in carnem, angelus Satanæ qui eũ colaphizaret. Libenter sensisset singulis momentis gaudium conscientiæ, risum cordis, & gustum vitæ æternæ. Item, libenter caruisset omni perturbatione animi ideoque cupiebat auferri à se hanc tentationem. Non fit, sed audit à Domino: Sufficit tibi Paule gratia mea, Nam virtus mea in infirmitate perficitur. Idem certamen experitur vnusquisque Christianus. Multæ horæ sunt in quibus cum Deo rixor, & impatienter ei repugno. Mihi ira & iudicium Dei displicet, ipsi vicissim displicet mea impatientia, murmuratio, &c. Hocque tempus legis est, sub quo Christianus secundum carnem semper est, Caro enim perpetuò concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hęc inter se mutuò aduersantur in vno tamen plus in alio minus, &c. Tempus gratiæ est, cum coriterum erigitur promissione gratuitæ misericordiæ Dei, & dicit: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Nihil preterea vides quàm legem, peccatum, terrorem, tristitiam, desperationem, mortem, infernum & diabolum? An non est etiam gratia, remissio peccatorum, iustitia, consolatio, gaudium, pax, vita, cœlum, Christus, Deus, desine anima mea perturbare me, Quid lex peccatũ, & omnia mala ad ista? Spera in Deo, qui proprio filio nõ per pepercit, sed pro peccatis tuis tradidit eum in mortem crucis. Hoc tunc concludi est sub lege secundum carnem non in æternum, sed in futurum Christum. Itaque cùm lege perterrefactus es. dic. domina lex, tu non es sola, neqꝫ es omnia, sed præter te est illud quiddam maius ac melius, scilicet gratia, fides, benedictio, &c. illa non accusat me, non terret, non damnat, sed consolatur, benè sperare iubet, & certam victoriam ac salutẽ in Christo promittit. Non est igitur quod desperem. Qui istam artèm benè nosset, ille meritò diceretur Theologus, Phanatici homines hodie qui perpetuò spiritum iactant, & discipuli eorum, videntur sibi eam egregiè nosse. Ego verò & mei similes vix tenemus huius Artis prima elementa, & tamen seduli sumus discipuli in ea schola, vbi ista ars discitur. Discitur quidem sed donec caro & peccatum manent, non potest edisci. Sic ergo Christianus deuisus est in duo tempora, quatenus est caro, sub lege est, quatenus spiritus, sub Euangelio est. In carne perpetuò hæret concupiscentia, auaritia, ambitio, superbia, &c. Hæret in ea ignoratio, contemptus Dei, impatientia, murmuratio, & ira contra Deum, quòd cõsilia & conatus nostros impedit, quod impios & contemptores non repente punit, &c. Eiusmodi peccata hærent in carne sanctorum. Quare si nihil præter carnem spectaueris, manebis perpetuò sub tempore leges, sed oportet istos dies abbreuiari, alioqui nulla caro salua fieret. Oportet legi finem præscribi, quo desinat: quare tempus legis non est perpetuum, sed habet finem, qui Christus est: tempus verò gratiæ æternum est, quia Christus semel mortuus, amplius non moritur, &c. Aeternus est, ergo etiam tempus gratiæ æternum est. Tales sententias insignes in Paulo non debemus oscitanter percurrere, vt Papistæ & sectarum autores solent.

Continent enim verba vitę, quę mirabiliter consolantur & confirmant afflictas conscientias. Et qui ea probè tenent, rectè iudicare possunt, quid fides, quid falsus & verus timor sit. Iudicare omnes affectus & omnes spiritus discernere possunt. Timor Dei sancta & pręciosa res est, sed non debet esse ęternus: debet quidem in Christiano semper esse, quia in eo peccatū semper est, sed solus esse non debet, alioqui timor est Cain, Saulis & Iudę, hoc est, seruilis & desperationis timor est. Debet igitur Christianus fide in verbum gratię vincere timorem, auertere oculos à tępore legis, & intueri in ipsum Christum ac fidem futuram. Ibi tum dulcescit timor & miscetur nectare, vt incipiat nō solùm timere, sed etiā diligere Deum. Alioqui si homo in legem & peccatum tantùm intuetur, excluſa fide, non poterit excutere timorem, sed desperabit tandē. Sic pulchrè distinguit Paulus tempus legis & gratię. Discamus & nos rectè distinguere vtriusq; tempus non verbis sed affectu, id quod est omniū difficillimum. Quanquā enim remotissima sunt illa duo, tamē etiam cōiunctissima sunt in eodem corde nihil magis coniunctū est quàm timor & fiducia, lex & Euāgelium, peccatū & gratia, tam coniuncta enim sunt, vt alterum ab altero absorbeatur. Ideo nulla Mathematica coniunctio potest dari, quę esset huic similis. Paulus ab hoc loco, Quid igitur lex? incepit disputare de lege, itē de vsu & abusu legis, hinc occasione accepta, quia asseruit iustitiam credentibus contingere ex gratia & promissione, non lege. Ea disputatio genuit hanc quæstionem. Quid igitur lex? Ratio enim audiens, ex gratia & promissione contingere iustitiam seu benedictionē, statim infert, Ergo lex nihil prodest. Ideo locus de lege diligēter est considerādus, quid & quomodo sit de lege sentiendum, ne eam aut omninò reijciamus more phanaticorū spirituum, qui anno 1525. mouentes seditionē rusticorum dicebant, libertatē Euangelicam absoluere homines ab omnibus legibus. Aut ne cùm iustificādi ei tribuamus, vtriq; enim in legem peccant, in dextra, qui per legem iustificari: in sinistra, qui prorsus à lege liberi esse volūt. Ingrediēdum est igitur regia via, vt neq; legem planè reijciamus, neq; plus ei tribuamus quàm oportet. Quę suprà toties inculcauit de vtroq; legis vsu, politico & Theologico, satis indicant, legem non esse positā iustis, sed, vt alibi Paulus docet iniustis.

Sunt autem iniusti duplices, iustificandi & non iustificandi. Non iustificandi cohercentur ciuili vsu legis, ligandi enim sunt vinculis legum, vt feroces & indomitę bestiæ funibus & catenis ligantur. Is vsus nunquam cessat, de quo Paulus hîc non agit. Iustificandi verò exercentur Theologico vsu legis ad tempus, non enim perpetuò durat vt ciuilis, sed respicit in futuram fidem, & veniente Christo finitur. Ex his satis constat omnnes sententias, in quibus tractat Paulus spiritualem vsum legis, intelligendas esse de iustificandis, nō de iustificatis: hi enim, vt sæpeiam dictum est, longè extra & supra omnem legem sunt. Imponenda est igitur lex iustificandis, vt sub ea tantisper custodiantur, donec iusticia fidei venerit: Non quod per legem iustitiam illam consequantur, hoc enim esset abuti, non rectè vti lege, sed vt pauefacti & humiliati lege, confugiant ad Christum, qui finis est legis ad iustitiam omni credenti.

Abutuntur ergo lege. Primùm omnes iustitiarij & hypocritæ, qui somniant homines lege iustificari: is enim vsus non exercet & vrget in futuram fidem, sed efficit saturos, securos & superbos hypocritas, tumentes & præsumentes de iustitia & operibus legis, & impedit iusticiam fidei. Deinde abutuntur lege, qui Christianos prorsus ab ea absoluere volūt, vt fanatici spiritus tentabāt, & illa occasione seditionē Rusticorum mouebant. Et hodie multi ex nostris etiam idem faciunt, qui erepti doctrina Euangelij ex tyrannide Papę, somniant libertatem Christianam, carnalem esse licentiam faciendi quiduis. Hi, vt Petrus ait, libertatem spiritus velamen malitię sunt faciunt, propter quos nomen Dei & Euangeliū Christi passim hodie blasphematur, illi dabunt aliquādo dignas pœnas istius suę impietatis. Tertiò abutūtur etiam lege, qui terrores ipsius sentientes, non intelligunt eos tantū durare debere ad Christum.

In his

In his abusus ille est causa desperationis, vt in Hypocritis est causa superbiæ & præsumptionis. Contrà, verus vsus legis nullo præcio æstimari potest, quando videlicet conscientia sub lege cõclusa non desperat, sed prudens per Spiritum Sanctum in medijs terroribus sic statuit, Concluſa sum quidem sub lege non in æternum: imò ista concluſio cedet mihi in bonum. Quomodo? vt ita concluſa suspirẽ & quæram manuum auxiliatores, &c.

Hoc modo lex est quasi impulsor quidam, qui impellit esuriẽtes ad Christum vt eos bonis suis impleat. Quare legis propriũ officium est nos reos facere, humiliare, occidere, ad infernum deducere & omnia nobis auferre, sed illo fine vt iustificemur, exaltemur, viuificemur, in cœlum euehamur & omnia acquiramus. Non ergo simpliciter occidit, sed ad vitã occidit. Itaq; lex Pædagogus noster fuit in Christum. Iterum affectu coniungit legem & Euangeliũ, quę ipsa inter se longissimè separata sunt, cùm inquit: lex Pædagogus noster in Christum. Est autem & ista similitudo de Pædagogo valde insignis, ideo diligenter consideranda est. Quanquam Pędagogus sit vtilissimus & valde necessarius pueris educandis & instituendis, tamẽ da vel vnum puerum aut discipulum qui amet suum Pędagogum. Iudęi vehementer scilicet amabant suum Mosen, ac volentes faciebant quod mãdabat: Ea erat dilectio & obediẽtia ipsorum erga Mosen quę singulis horis, vt historia testatur, eum libenter lapidassent. Ideo impossibile est, quòd discipulus amet Pędagogũ. Quomodo enim amare eũ posset à quo in carcere detinetur, hoc est, à quo non permittitur ea facere quę libẽter vellet. Et si quid admittit contra mandatũ ipsius, statim obiurgatur & castigatur ab eo: insuper amplecti, & osculari virgam cogitur. Egregia scilicet iustitia discipuli, quòd Pędagogo minaci ac duro obedit, quòd virgam osculatur: nũ etiam volens & cum gaudio facit? Absente Pędagogo frãgit virgam, vel eam in ignem conijcit: & si imperium haberet in Pędagogũ, non pateretur se ab eo virgis cædi, sed ipsum virgis cædi iuberet. Et tamen valde necessarius est puero pędagogus, vt erudiat & castiget eum, alioqui enim sine hac disciplina, institutione & bona assuefactiõe periret puer. Adhibetur ergo pueropędagogus, vt eũ erudiat & custodiat ac velut in carcere captiuum teneat. Ad quid, & quamdiu? Num vt perpetuò duret, istud durũ & odiosum dominium Pędagogi, & seruitus pueri? Minimè, sed ad præfinitum tempus, vt ista obediẽtia, carcer & disciplina cedat puero in bonum, vt suo tẽpore fiat hęres & rex. Non enim est Patris voluntas vt filius perpetuò subditus sit Pędagogo & cędatur virgis ab ipso, sed vt ipsius institutione & disciplina idoneus reddatur ad successionem hęreditatis. Sic lex nihil aliud est, inquit Paulus, quã Pędagogus, sed addit in Christum, vt suprà, lex propter transgressiones addita est donec veniret Semen, &c. Scriptura concluſit omnia sub peccatum, vt promissio, &c. Item, Custodiebamur sub lege, Concluſi in eam fidem quę erat reuelanda. Quare lex non est simpliciter Pędagogus, sed in Christum.

Cuiusmodi enim Pædagogus esset, qui tantùm vexaret & verberaret puerum & nihil eum doceret? Quare superius seculum Pædagogos habuit, vbi verissimè scholę carcer & infernus, Ludimagistri tyranni & carnifices erant. perpetuò vapulabant, pueri multo labore & infatigabili diligentia discebãt, sed perpauci veniebant ad aliquam frugẽ. Talis Pædagogus non est lex, quia non tantũ perterrefacit & vexat, vt indoctus & stolidus Pædagogus tãtùm flagellat & nihil docet pueros, sed verberibus suis impellit ad Christum. Quemadmodũ bonus Pædagogus verberat, instituit & exercet legendo & scribendo pueros in hunc finem, vt perueniant ad cognitionẽ bonarum literarum & aliarum honestarũ rerum, & hoc postea cum voluptate faciãt quod prius cùm cogerentur à Pædagogo inuiti fecerunt. Hac pulchra ergo similitudine ostendit Paulus verũ legis vsum, quod videlicet hypocritas non iustificet, quia manent extra Christum in pręsumptione & seueritate. Et econtrà quod cõterritos, si

hoc modo lege vtãtur, vt Paulus docet, non relinquat in morte & dãnatione, sed ad Christũ vrgeat. Qui verò in illis pauorib. perdurant in ista sua pusillanimitate, & fide Christũ non apprehendunt, ad extremũ desperãt. Charissimè ergo pingit Paul. verũ vsum legis hac allegoria de Pędagogo. Nã vt is obiurgat, vrget & contristat pueros, non hoc cõsilio, vt perpetuò duret ista Pędagogia, sed vt desinat vbi pueri probè educati & instituti sunt, vtq; postea sine coactiõe Pędagogi alacres & liberi fruãtur libertate & bonis paternis. Ita qui perterrefiunt & cõteruntur lege, sciant istos terrores & cõtritiones non fore perpetuas, sed illis sese parari in futurũ Christũ & libertatem spiritus, &c. Vt ex fide iustificemur. Lex nõ est Pædagogus in aliũ legislatorẽ, qui bona opera exigit, sed in Christum iustificatorem & saluatorem, vt per fidem in ipsum nõ per opera iustificemur. Sed homo cùm sentit vim legis, hoc non intellígit neq; credit, ideo dicere solet, perditè vixi, transgressus sum enim omnia mãdata Dei, Ideoq; reus sum æternæ mortis: si aliquot annos, vel saltem aliquot menses adiiceret Deus vitæ meæ, velim emẽdare vitam meam & deinceps sanctè viuere. Ibi homo ex vero legis vsu facit abusum, & amisso ex oculis Christo, intuetur in alium legislatorem. In his enim terroribus & angustijs deprehensa ratio audet promittere Deo impletionem omnium operum totius legis. Atq; hinc ortæ sunt tot sectę Monachorum, tot cultus instituti, tot opera excogitata ad promerẽdam gratiam & remissionem peccatorum. Atq; hi qui ista excogitauerunt, senserũt Pædagogiam legis, non in Christum, sed in nouam legem, seu in Christum legislatorẽ, non abrogatorem legis. Sed verus legis vsus est, quod sciam me lege adduci in cognitionẽ peccati & humiliari, vt ad Christũ veniam, & fide iustificer. Fides autem non est lex, neq; opus, sed certa fiducia, quę apprehẽdit Christum, qui est finis legis. Roma: 10. Quomodo? Non quod abroget veterem legem & nouam ferat, aut iudex sit operibus placandus, vt Papistę docuerunt sed finis legis est ad iustitiã omni credenti. hoc est, Omnis qui credit in Christum est iustus, lex eũ non potest accusare, &c. Hęc vis & vsus legis verus est. Est igitur bona, sancta, vtilis & necessaria, modò ea quis legittimè vtatur. Abutuntur autẽ lege Hypocritæ, qui vim iustificandi ei tribuunt, deinde desperãtes, qui ignorant legẽ Pædagogum esse in Christum, hoc est, legem humiliare, non in perniciẽ, sed salutem, Deus enim percutit vt sanet, occidit vt viuificet, &c. Loquitur autem Paulus, vt & suprà monui de iustificandis, non de iustificatis. Quare cùm voles disputare de lege, materiam legis accipere debes, scilicet peccatorem & impium, illum lex non iustificat, sed ponit ei ob oculos peccatum, conterit eum & ducit in cognitionem sui, ostendit ei infernum, iram & iudicium Dei. Hoc proprium legis officium est, deinde sequitur vsus huius officij, vt peccator sciat legem non ideo reuelare peccata & humiliare, vt desperet, sed legem constitutam esse à Deo, vt sua accusatione & contritione vrgeat eum ad Christum saluatorem & consolatorem: hoc vbi fit, non amplius est sub Pędagogo. Et is vsus valde necessarius est, quia cùm totus mundus in peccato positus sit, opus est isto ministerio legis, vt peccatum reuelet, alioqui sine eo nemo posset peruenire ad iustitiã, vt suprà copiosè diximus. Sed quid facit lex in his, qui per Christum iustificati sunt? Respondet Paulus his verbis, quæ sunt quasi additio quædam. At vbi venit fides, non amplius sumus sub Pædagogo, Hoc est, liberi sumus à lege, carcere & Pædagogo nostro, quia non amplius perterrefacit & vexat nos, postquam fides reuelata est. Paulus hîc loquitur de fide certo tẽpore per Christũ prędicata. Christus enim assumta natura humana semel in tempore venit, legẽ cum omnib. effectus suis abrogauit, & sua morte omnes hoc beneficiũ suum fide appræhendẽtes à peccato & ęterna morte liberauit. Si igitur Christũ & rẽ quam gesit aspexeris, nulla amplius lex est. Ipse enim veniens præfinito tempore verissimè totã legem sustulit: sublata verò lege, non custodimur amplius sub tyrannide ipsius, sed securi & lætí agimus sub Christo, qui nunc Spiritu suo suauiter in nobis regnat. Vbi aũt Dominus, ibi libertas.

Quare

Quare si possemus Christum qui legem abrogauit, & nos peccatores Patri sua morte reconciliauit, perfectè apprehendere, nihil prorsus iuris in nos haberet Pædagogus ille. Sed lex membrorũ rebellans legi mentis obstat, vt Christum perfectè apprehendere non possimus. Defectus igitur non est in Christo, sed in nobis, qui nondum exuimus carnem in qua donec viuimus hæret peccatũ. Ideo quod ad nos attinet, partim liberi à lege, partim sub lege sumus. Seruimus cum Paulo mente legi Dei, carne legi peccati, Roma: 7. Ex hoc sequitur quod secũdum conscientiã plane liberi sumus à lege, Ideo Pædagogus ille non debet in ea dominari, hoc est, nõ debet ei esse molestus suis terroribus, minis & captiuitate: & vt maximè hoc tẽtet, tamen conscientia nihil mouetur illa re, habet enim in conspectu Christum crucifixum qui abstulit omnia officia legis de conscientia. Col. 2. delens quod aduersabatur nobis per decreta Chirographum &c. Vt ergo virgo viri, ita conscientia non solùm legis ignara, sed etiã ei prorsus mortua esse debet, & vicissim lex conscientiæ. Hoc non fit operibus aut vlla legis iustitia, sed fide quæ Christum apprehendit, secundum affectum tamen hæret adhuc in carne peccatum, quod subinde accusat & perturbat conscientiam. Quatenus igitur manet caro, eatenus manet etiam lex Pædagogus, qui subinde perterrefacere, & contristare solet conscientiam ostensione peccati, & cõminatione mortis ipsa tamen semper iterũ erigitur quotidiano aduẽtu Christi, qui vt semel certo tempore venit in mundum redẽpturus nos à durissimo imperio Pędagogi nostri, ita quotidie spiritualiter ad nos venit, hoc agẽs, vt in fidem & cognitione ipsius crescamus, vt conscientia de die in diẽ perfectius se Christum apprehendat, & indies magis magisq; minuatur lex carnis & peccati, pauor mortis, & quicquid malorum lex secum affert. Quamdiu igitur in carne, quę sine peccato non est, viuimus, subinde redit lex, & facit suum officium, in vno plus, in alio minus, vt est infirma aut forti fide non tamen ad perniciem, sed salutem. Hoc enim exercitiũ legis in sanctis est quotidiana mortificatio carnis, rationis & virium nostrarum, & innouatio mentis nostrę 2. Corin. 4. Accipimus igitur primitias spiritus, & fermentum est absconditum est in massam, sed tota massa nondum fermẽtata est, sed cœpit fermentari: Si inspicio fermentũ, nihil video nisi merum fermentũ: si corpus massæ, nondum est merum fermentum. Hoc est si Christum inspicio, totus sanctus & purus sum, nihil planè sciens de lege, Christus enim est fermentũ meum. Si verò meam carnem inspicio, sentio auariciam, libidinem, iram, superbiam, &c. Timorem mortis tristitiam, pauorem, odium, murmurationem & impatiẽtiam contra Deum. Quatenus ista adsunt, eatenus abest Christus, aut si adest, infirmè adest. Hîc opus est adhuc Pędagogo, qui fortem asinum, carnẽ exerceat & vexet, vt hac Pędagogia minuantur peccata, & Christo via paretur. Christus enim, vt semel secundum tempus corporaliter venit, totam legẽ abrogauit, peccatũ aboleuit, mortem & infernũ destruxit: Ita spiritualiter sine intermissione ad nos venit, & ista perpetuò in nobis extinguit atq; occidit. Hæc dico, vt noris respõdere cum obijcitur, Tamen Christus venit in mundum, & semel abstulit omnia peccata nostra, mũdans nos sanguine suo cur igitur audimus Euãgelium, quid opus est Sacramẽtis & absolutione? Verum est quatenus Christum inspicis, reuera lex & peccatũ abolita sunt, sed Christus nondum venit tibi: aut si venit, tamen adhuc reliquiæ peccati in te sunt, nondum fermentatus es totus. Vbi enim est concupiscentia, tristitia spiritus, pauor mortis, &c. ibi adhuc lex & peccatum est, Christus nondũ verè adest, qui veniens expellit timorem & tristitiam, & adfert pacem & securitatem conscientiæ. Quatenus igitur Christum fide apprehendo, eatenus abrogata est mihi lex. Sed caro mea, mundus & diabolus non permittunt fidem esse perfectã: velim quidẽ quod paruula lux fidei incorde, diffusa esset per totum corpus & omnia mẽbra: non fit, non statim diffunditur, sed cœpta est diffundi. Interim ea est consolatio nostra, q primitias Spiritus habentes, incepimus fermentari, fermẽtabimur aũt toti, cùm corpus hoc peccati dissoluetur, & noui cum

Christo resurgemus. Amen Quanquam ergo Christus est heri & hodie, & idem in sæcula: & quanquam Euangelium & fidem habuerit Adam & omnes pij ante Christum, tamen semel Christus venit præfinito tempore, semel venit & fides cum Apostoli Euangelium per totum mundum prędicauerunt. Deinde quotidie etiam venit spiritualiter Christus. Venit & per verbum Euangelij quotidie fides, fide autem prę sente cogitur cedere Pędagogus cum suo tristi & molesto officio. Tunc autem Christus spiritualiter venit quando subinde magis magisq; agnoscimus, & intelligimus quæ ab ipso donata sunt nobis & crescimus in gratia & cognitione ipsius. 2. Petr. 3.

DE ABROGATIONE LEGIS EX EPIST. AD GALAT. 4. CAP. 4. FOL. 144.

Paulus Esaiæ testimonio probauit, Saram esse veram matrem qua parit liberos & hæredes. Contrà Agar id est synagogam generare quidem multos filios, sed seruos è domo ejiciendos, &c. Porrò, quia iste locus etiam de abrogatione legis & de libertate Christiana loquitur, diligenter obseruandus est. Nam vt summus ac præcipuus Christianæ doctrinæ articulus est nosse, quòd per Christum iustificemur & saluemur, ita per Anthithesin multum refert, probè tenere locum de abrogatione legis. Valde enim prodest ad confirmandum doctrinam nostram de fide, & ad parandam certam consolationem conscientiarum, præsertim in serijs pauoribus, si sciamus legem esse abrogatam. Dixi suprà sæpius, & iam iterum repeto (illa enim res non potest satis inculcari) quòd Christianus fide apprehendens beneficium Christi nullam prorsus legem habeat, sed quod tota lex illi abrogata sit cum suis terroribus & Idem docet hic locus Esaiæ de vexationibus. Ideo insignis & consolatione plenissimus est locus, prouocans ad lætandam sterilem & desertam, quæ secundum legem ridenda seu deploranda potius erat: nam steriles secundum legem erant maledictæ. Sed Spiritus Sanctus inuertit illam sententiam, & sterilem laudandam & benedictam, & econtrà fœcundam & parturientem maledictam pronunciat cum ait: lætare sterilis, &c. Vt maximè igitur videatur Sara, hoc est, Ecclesia coram mundo deserta ac sterilis, non habens legis iustitiam & opera, tamen coram Deo, teste Propheta, fœcundissima mater est infinitorum liberorum. Contrà, vt maximè in speciem sub Agar abundantissima fœcunditas & parturitio sit, tamen nulla proles manet, quia filij ancillæ ejicientur vnà cum matre è domo, & non accipiunt hæreditatem cum filijs liberæ, vt Paulus infrà ait. Quia ergo filij liberæ sumus, abrogata est nobis lex, vetus noster maritus, Romo. 7. qui dum dominabatur nobis, impossibile erat nos in spiritu generare liberos, cognoscentes gratiam, sed serui manebamus cum ipsis. Itaque lege dominante non sunt quidem ociosi homines, sed strenuè laborant, portant pondus diei & æstum, parturiunt & generant, multos filios, sed tam genitores quàm geniti spurij sunt, non pertinentes ad liberam matrem: Ideo tandem cum Ismaele ejiciuntur è domo & hæreditate, moriuntur & damnantur. Impossibile est igitur homines per legem posse iustificari & saluari. Maledicta sit omnis doctrina, vita, religio, quæ conatur lege aut operibus parare iustitiam coram Deo, sed pergamus de abrogatione legis loqui. Thomas & alij Scholastici de abrogatione legis loquentes, dicunt iudicialia & cæremonialia post Christum mortifera, ideoque iam abrogata esse, non item moralia. Hi ignorant quid loquantur. Tu verò cum voles de abrogatione legis loqui, disputa præcipuè de lege propriè dicta ac spirituali, & complectere simul totam legem, nihil distinguens inter iudicialem, Cæremonialem & Moralem. Nam cùm Paulus ait, nos per Christum à maledicto legis liberatos esse, certè de tota lege loquitur ac præcipuè de morali, quæ vel sola accusat, maledicit & condemnat conscientias, non item reliquæ duæ species.

Quare

Quare dicimus legem decalogi nullum habere ius accusandi & perterrefaciendi conscientiam, in qua Christus per gratiam regnat, quia Christus ius illud antiquauit. Non quod omninò non sentiat conscientia terrores legis, certè sentit eos, sed quod illis non possit condemnari & ad desperationem adigi. Quia nulla nunc est condemnatio his qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8. Item: si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis, Ioan. 8. Vt maximè ergo Christianus per Legem perterrefiat & cognoscat peccatum, tamen non ideo desperat, quia credit in Christum, in eum baptisatus est, & habet remissionem peccatorum per eum. Remisso autem nobis peccato per Christum ipsum Dominum legis (sic tamen remisso, quod seipsum tradiderit pro eo) non habet amplius lex serua ius accusandi & damnandi nos propter peccatum, cum nobis remissum sit, ac iam liberi facti simus, liberante nos Filio. Quare credentibus in Christum tota lex abrogata est. At nihil facio. Nihil potes facere vt liberaris à tyrānide legis, sed audi hoc latū nuncium, quod Spiritus in Propheta tibi affert Lætare sterilis, &c. Quasi dicat: Cur tam mœsta es, cùm nihil causæ sit cur mœrore afficiaris? At sterilis sum & deserta, &c. vt maximè talis sis, non habens iustitiam ex lege, tamen Christus est tua iustitia, is factus maledictum pro te, redemit te à maledicto legis, in hunc si credideris, lex tibi mortua est. Et quō maior est ipse Christus lege, hoc meliorem habes iustitiam legis iustitia. Deinde fœcunda es non sterilis, quia plures habebis filios quàm maritata.

Alia abrogatio legis externa est, quod politicæ leges Mosi prorsus ad nos nihil pertinent: Ideoque non debemus eas reuocare in forum, nec quadam superstitione nos alligare ad eas, vt quidam superioribus annis volebant, ignari huius libertatis. Cæterùm quanquam Euangelium nos non subijciat iudicialibus Mosi, tamen in totum non liberat nos ab obedientia omnium politicarum legum, sed in hac vita corporali subijcit nos legibus eius politiæ in qua viuimus, hoc est, iubet vnumquemque suo Magistratui & legibus ipsius parere, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam 1. Petri 2. Roma. 13. Nec peccaret Cæsar si quibusdam iudicialibus legibus Mosi vteretur, imò liberè posset illis vti. Erant igitur Sophistæ qui nugantur iudicialia Mosi post Christum mortifera esse. Neque cæremonijs Mosi nos astringimur, multò minus Papæ.

Quia verò hæc vita corporalis non potest in totum carere cæremonijs aut ritibus, oportet enim esse quandam Pædagogiam, permittit Euangelium ordinationes fieri in Ecclesia de ferijs, de temporibus, de locis, &c. vt populus sciat quo die, qua hora, ad quem locum conuenire debeat, ad audiendum verbum Dei, &c. permittit vt constituantur lectiones velut in Schola, præcipuè propter pueros & simplices, vt hi commodius doceri possint. Sed hoc fine permittit talia constitui, vt omnia in Ecclesia fiant decenter & secundum ordinem, 1. Corinth. 14. Non vt seruantes tales ordinationes mereantur remissionem peccatorum, &c.

Deinde etiam sine peccato omitti possunt, modo præter offensionem infirmorum id fiat. Ideò error est dicere, quod cæremoniæ Mosaicæ per Christum reuelatum mortiferæ sunt, alioqui peccassent Christiani, quod obseruarunt ferias Paschatis & Pentecostes, quas vetus Ecclesia exemplo legis Mosaicæ (quanquam longè alio modo & fine) instituit celebrari, &c. Paulus autem hîc præcipuè de abrogatione legis moralis loquitur, quod diligenter considerandum est. Agit enim contra iustitiam legis, vt iustitiam fidei statuat, sic cōcludens, Si sola gratia seu fides in Christum iustificat, ergo tota Lex simpliciter abrogata est. Hocq; confirmat testimonio Esaiæ, quo inuitat sterilem & desertam Ecclesiam ad lętādum, quia nō videtur habere prolem genitam, neque spem prolis in futurum gignendæ, hoc est, non habet discipulos, non applauditur ei, qui prędicat verbum crucis de Christo crucifixo, etc.

contra omnem sapientiam carnis. Sed ea res, inquit Propheta, nihil te sterilem moueat & perturbet, imò exulta & iubila potius, quia plures filij deserte, quam eius quę virum habet: hoc est, quæ maritum habet & numerosa prole multiplicatur, infirmabitur: contrà tu sterilis ac deserta, abundabis filijs. Appellat etiam Ecclesiam sterilem, quia filij ipsius non lege, operibus, nõ vllis conatibus aut viribus humanis, sed in Spiritu sancto per verbum fidei generantur, ibi mera nascentia est, nulla operatio. Contrà fœcundi laborant & exercent se nimium parturiendo, ibiq; mera opera est nulla natiuitas. Sed qui iustícia legis aut propria conantur cõsequi ius filiorum & hæredũ, serui sunt, nunquam accipientes hæreditatem, etiamsi ad mortem vsq; nimio labore defatigantur, quia contra voluntatẽ Dei suis operib. consequi conantur, quod Deus ex mera gratia propter Christum credentibus donare vult. Credentes etiam bene operantur, non aũt per hoc filij & hæredes fiunt, hoc enim affert eis natiuitas: sed vt iam filij facti propter Christum, benefactis suis glorificent Deum & adiuuent proximos. de Abrogatione legis vide Enarratio. Psal. 45. Tom. 3. 487. latin. fol. cur aũt facienda sint opera legis à Christian. cum lex sit abrogata, vide in Lo. de Bon. operib.

EX LEGE NON EST IVSTITIA NEQVE LEGIS OPERA SVNT NECESSARIA AD IVSTITIAM.

Pauli oratio ad Petrum. Nos natura Iudæi & non ex Gentibus peccatores. Hoc est, nos naturaliter sumus Iudæi, qui nascimur in iustitiam legis, in Mosen & circumcisionem, & cum natiuitate ipsam legem afferimus, Non arbitrio vt Gentes, sed natura habemus iustitiam legis, vt supra cap. 1. Paulus de se dicit: Aemulator existens paternarum traditionum, &c. Quare si conferamur cum Gentibus, non sumus peccatores sine lege & operibus, vt Gentes, sed Iudæi & iusti nascimur & æducamur. Iustitia nostra statim ordítur ab ipsa natiuitate, quia Iudaismus est nobis agnatus. Deus enim Gen. cap. 17. præcepit Abraham circumcidere omnem masculum octauo die, &c. Hanc legem de circumcisione à patribus acceptam, postea Moses confirmauit. Magnum ergo est, quod natura Iudæi sumus. Et quanquam istam prærogatiuam habemus, quod naturaliter iusti sumus, nascimur in ipsam legem & opera eius, neque sumus peccatores, vt Gentes, tamen ideo non sumus iusti coram Deo.

Etiamsi igitur mihi des Iudæum optimum, qui iustus natus est, & ab ipsa natiuitate perfectissimè legem seruauit, tamen ideo coram Deo non est iustus. Circumcisi quidem sumus, sed propter circumcisionem non iustificamur. Ea enim tantùm est signaculum iustitiæ Roman. 4. Neque pueri in fide Abrahæ circumcisi, propter circumcisionem, sed propter fidem saluati sunt. Vt maximè igitur simus Iudæi nati & sancti ac gloriari possimus contra Gentes, quod habeamus iustificationem legis, cultum, promissiones, Patres, quæ profectò ingens gloria est, tamen ideo non sumus iusti coram Deo, nec præcellimus Gentes.

Ex his satis constat Paulum non agere hîc de cæremonijs, quòd post Christum exhibitum mortiferæ sint, vt Origenes & Hieronimus putant. Sed de maxima re seria re agit, scilicet de natiuitate Iudæorum, quos negat esse Iustos, etiamsi nascantur Sancti, circumcidantur, seruent legem, habeant adoptionem, gloriam, Testamenta, Patres, cultum, Deum Christum, promissiones, in illis viuant, & de illis glorientur. Vt Iohan. 8. aiunt, Semen Abrahæ sumus: Item, vnum Patrem habemus Deum, Et Roman. 2. Ecce tu Iudæus cognominaris, &c. Itaque Petrus, Paulus, & alij Apostoli, erant quidẽ filij Dei, iusti secundum legem, imò Apostoli Christi, non tamen ideo erant iusti coram Deo. Quanquam igitur quasi vno fasce complectaris ista omnia, legem, opera, & iustitiam eius, circumcisionem, adoptionem, Testamenta, promissiones Apostolatum, &c. tamen per illa non contingit iustitia Christiana, quia non sunt

non sunt Fides in Christum, quæ SOLA, vt sequitur in textu iustificat, nõ lex, &c. Non quod lex sit mala aut damnata. Non enim ideo damnantur lex, circũcisio, cultus, &c. quia non iustificant. Sed ideo Paulus detrahit eis iustificationem, quia Pseudoapostoli contendebant homines per ea sine fide tantùm ex opere operato, iustificari & saluari. Hoc Paulo non erat ferendum, cessante enim fide omnia mortifera sunt, lex, circumcisio, adoptio, templum, cultus, promissa, imò Deus & Christus ipse sine fide nihil prosunt. Rotundè ergo & generaliter loquitur Paulus, contra omnia quæ fidei repugnant, non solùm cæremonias cauillatur.

Scientes autem, quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, &c. Vocabulum opus legis latissimè patet, & valde emphaticum est. Hoc moneo propter securos & ociosos Sophistas & Monachos, qui huiusmodi vocabula in Paulo imò totam eius disputationem, de Iustificatione obscurant & deprauant suis stultis & impijs glosis, quas ne ipsi quidem intelligunt. Opus ergo legis accipe simpliciter per antithesin contra gratiam. Quicquid non est gratia, Lex est, siue sit iudicialis, cæremonialis, siue Decalogus, Ideo si etiam faceres, opus legis secundum hoc præceptũ: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. (vt interim non dicam, nullum hominem fecisse, aut facere posse) tamen non iustificaberis coram Deo. Quia ex operibus Legis non iustificatur homo. Sed de hac re infrà copiosius.

Significat ergo opus legis Paulo, opus totius legis siue cæremonialis siue Decalogi. Si aũt opus Decalogi nõ iustificat, multò minus circumcisio, quæ est opus cæremonialis legis. Itaq; cum Paulus dicit, vt frequenter solet, ex lege seu ex operibus legis (quæ Paulo idem significant) non iustificatur homo, simpliciter de tota lege loquitur, opponens per antithesin iustitiã fidei, iustitiæ totius legis, quæ parari potest, siue virtute diuina, siue humana ex lege, Propter illam, inquit homo nõ pronunciatur iustus coram Deo. Iustitiam verò fidei imputat Deus gratis, per misericordiam, propter Christum. Ideo Emphasi & Epitasi quadam dixit: Ex operibus legis. Non enim dubium est, quin lex sit sancta, iusta, bona, Ergo opera legis sunt etiam sancta, iusta, bona, Et tamen per ea homo non iustificatur coram Deo.

Repudianda est igitur opinio Hieronymi, & aliorum qui somniãt Paulum hîc loqui, non de operibus Decalogi, sed legis cæremonialis. Tamen coguntur fateri, etiam cæremoniarum legem fuisse bonam & sanctam. Circumcisio enim & aliæ leges, de ritibus templi, &c. fuerunt iustæ & sanctæ, æquè enim præceptæ & ordinatæ erant à Deo ac leges morales. Hîc dicunt, sed post Christum fuerunt mortiferæ. Hoc ipsi fingunt è capite suo, Deinde Paulus non loquitur hîc de Gentibus, quibus sunt cæremoniæ mortiferæ, sed de Iudæis, quibus erant bonæ, quas & Paulus ipse seruauit. Ergo eo etiam tempore, quo leges cæremoniarum fuerunt sanctæ, iustę, bonæ, non potuerunt iustificare.

Loquitur ergo Paulus non de parte legis, quæ & ipsa bona & sancta est, sed de vniuersa lege, Quod opus secundum totam legem factum, non iustificet. Neque appellat peccatum legis, aut opus carnis, sed opus legis, hoc est, opus secundum legem factum. Ergo non occidere, non mœchari, &c. siue fiat secundum naturam, secundum vires humanas, secundum liberum arbitrium, siue secundum donum Dei, vel diuinam virtutem, tamen non iustificat.

Possunt autem opera legis fieri, aut ante iustificationem, aut post iustificationem. Ante Iustificationem multi boni viri etiam inter gentiles, quales sunt Xenophon, Aristides, Fabius, Cicero, Pomponius Atticus, &c. pręstiterunt legem & fecerunt egregia opera. Cicero mortem fortiter perpessus est in causa iusta & bona. Pomponius vir fuit verax & constans, qui nullum neque dicebat, neque ferre poterat mendacium.

Constantia

Constantia autem & veritas sunt optimæ virtutes ac pulcherrima opera Legis Et tamen per ea non sunt iustificati. Post iustificationem faciunt opera legis, Petrus, Paulus, & omnes Christiani, sed per ea non iustificantur. Nihil mihi conscius sum, inquit Paulus, sed per hoc non iustificatus sum. Constat ergo eum loqui de vniuersa lege, & de operibus totius legis non de peccatis contra legem.

Si aũt quærentes iustificari in Christo, inuenimur & ipsi peccatores, Ergo Christus peccati minister est, &c.

Hæ non sunt latinæ Phrases, sed Ebraicæ & Theologicæ. Si hoc verum est inquit, quod in Christo iustificamur, impossibile est nos esse peccatores, aut per legem iustificari. Contrà si non est verum, sed oportet nos iustificari per legem & opera eius, tum impossibile est nos per Christum iustificari. Alterutrum falsum esse oportet, Aut non iustificamur in Christo, aut non in lege. Sed in Christo iustificamur, Ergo non in lege, Argumentatur igitur hoc modo, si quærentes, &c. Hoc est, si conamur per fidem in Christum iustificari & sic iustificati inuenimur adhuc peccatores, indigentes lege, quæ nos peccatores iustificet, si opus est, inquam, legis obseruatione ad Iustificationem, vt qui iusti sunt in Christo, non sint iusti, sed opus habeant adhuc lege iustificante, vel si iustificatus per Christum, debet adhuc per legem iustificari, tũc Christus nihil aliud est quàm legislator & minister peccati. Ergo iustificatus & sanctus in Christo, non est iustificatus & sanctus, sed opus habet adhuc iustitia & sanctitate legis. Sed certè sumus iustificati & iusti in Christo, Quia veritas Euangelij docet, quod homo non in lege sed in Christo iustificetur. Si autem illi, qui in Christo iustificantur, inueniuntur adhuc peccatores, id est, pertinent adhuc ad legem & sunt sub lege, vt Pseudoapostoli docent, ergo nondum iustificati sunt. Quia lex accusat & arguit eos adhuc esse peccatores & exigit vt opera legis faciant, vt iustificentur. Ergo iustificari in Christo non sunt iustificati. Et sic necessariò sequitur, Christum non esse iustificatorem, sed peccati ministrum. His verbis grauissimè accusat Pseudoapostolos, & omnes iustitiarios, quod omnia peruertant, quia ex lege gratiam, ex gratia legem, ex Mose Christum, ex Christo Mosen faciunt. Docent enim quòd post Christum, & omnem iustitiam Christi, opus sit obseruatione legis, si iustificari velis. Sic Lex fit Christus peruersitate intolerabili, Quia legi tribuitur quod propriè Christo competit. Si feceris, aiunt, opera legis, iustificaberis, si non feceris, nõ iustificaberis, vt maximè in Christum credas. Si autem verum est, quòd Christus non iustificat, sed est peccati minister, vt necessariò sequitur ex eorum doctrina, Ergo Christus est lex, quia nihil aliud ex eo habemus: cum doceat nos peccatores esse, quàm quod ex Lege habemus, Et sic Doctor peccati, Christus, mittit nos ad legem & Mosen iustificatorẽ.

Itaq; Papistæ, & quotquot iusticiam Christi ignorant, aut non rectè tenent, non possunt non facere ex Christo Mosen, & Legem, & ex lege Christum. Sic enim docent, Fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet etiam præcepta Dei, quia scriptum est: Si vis in vitam ingredi, serua mãdata Dei. Ibi statim Christus negatus & fides abolita est. Quia mandatis Dei siue legi tribuitur, quod est solius Christi. Est enim Christus definitiuè iustificator & redemptor à peccatis. Si hoc legi tribuo, iam lex ipsa meus est iustificator, liberans me à peccatis quia opera eius facio. Sicq; Lex est Christus, & Christus in totum amittit suum nomen, officium, & gloriam, nihilq; aliud est quàm legis minister, arguens, terrens, afferens, & mittens peccatorem ad alium, qui possit eum iustificare, quod verè est legis officium.

Sed proprium Christi officium est, peccatorẽ per legem reum factũ & constitutũ, amplecti & absoluere à peccatis, si Euãgelio credit. Christus enim est finis legis ad iusticiam omni credenti, ipse est agnus Dei, qui portat peccata mũdi. Quia verò Papistæ & fanatici S. non tenent doctrinã de Iustificatione, inuertũt omnia, ex Christo Mosen, & ex Mose Christum facientes. Estq; hæc reuera (etsi verbis aliud dicant) principalis eorũ propositio, Christus est Moses, &c. Deinde nos qui tanta diligentia

inculcamus

inculcamus & vrgemus Fidem, rident, dicentes, Haha, Fides, fides, expecta donec fide peruenias in cœlum, Nitendum est ad sublimiora, oportet te legem Dei implere, iuxta illud: Hoc fac, & viues, Oportet te multa pati, fundere sanguinem, deserere domum, vxorem, liberos, imitari exemplum Christi. Fides, quam ita vehemẽter extollitis, securos, ociosos, & stertentes reddit homines. Sic fiunt meri Legistæ & operarij, à Christo ad Mosen deficientes, item à Baptismo, fide, promissionib. Christi reuocantes populũ ad legem & opera, & ex gratia, legem, & ex lege gratiã facientes.

Quis vnquam autem crederet, quod tam facile ista possent commisceri? Nemo tam hebeti ingenio est, cui non appareat ista legis & gratiæ distinctio facilima esse, quia ipsa natura rerum & vocabulorum affert istam distinctionẽ. Quisq; enim intelligit istas voces, lex, gratia, rẽ & nominẽ diuersas esse. Ideò monstrum monstrosissimum est, stante ista distinctione clarissima, tamen aduersarios labi in istam peruersitatem Satanicam, quod legem & gratiam confundant, & Christum in Mosen transforment. Ideò sæpe dico, istam doctrinam Fidei esse facilimam, istamq; distinctionem legis & gratiæ quemlibet facilè posse intelligere, quantum ad verba attinet, sed in ipso vsu, vita, affectu, esse omnium difficilimam.

Papa cum suis scholasticis Doctoribus clarè dicit: legem & gratiam esse distincta, & tamen in ipso vsu planè contrarium docet. Fides in Christum, inquit, siue sit acquisita per vires actus, & habitus naturales, siue sit infusa per Deum, tamẽ mortua est, nisi sequatur dilectio. Vbi hîc manet distinctio Legis & Gratiæ? Nomine quidem ista inter se distinguit, reuera tamen Gratiam vocat dilectionẽ. Sic omnes Legis exactores operibus tribuunt Iustificationem. Quicunq; igitur articulum iustificationis non probè tenent, illi necessariò confundunt legem & gratiam. Itaq; diligenter discernere discat quilibet pius Legem à Gratia, affectu, & vsu, non vt Papa & fanatici spiritus, verbis tantùm. Illi, quantum ad verba attinet, fatẽtur illa duo esse distincta, reipsa autem, vt dixi, cõmiscent ea. Quia non concedunt fidem sine operibus iustificare. Si hoc verum est, Christus iam nihil mihi prodest, vt maximè enim veram fidem habeam, tamen iuxta hanc ipsorũ opinionem, non iustificor, si illa fides mea sit sine charitate, Et vt maximè eam habeam, tamen non satis diligo. Atq; ita Christus fide apprehensus, non est Iustificator, nihil prodest gratia, nec fides vera esse potest sine charitate (Aut vt Anabaptistæ dicunt, sine cruce, passione, & effusione sanguinis.) Si verò adest charitas, opera & crux, fides vera est, & iustificat.

Hac doctrina hodie iterum obscurant fanatici homines beneficiũ Christi, detrahunt ei honorem iustificatoris, & constituunt ministrum peccati. Nihil ergo à nobis didicerunt, quàm verba recitare, rẽ ipsam non tenent. Videri quidẽ volunt, se quoq; Euangelium & fidem Christi purè docere, vt nos, sed quando venitur ad vsum, sunt doctores Legis, per omnia similes ipsis pseudoapostolis. Nam quemadmodũ illi vltra fidem in Christum, vrgebant per omnes Ecclesias circumcisionẽ & obseruatiõem Legis, sine qua detrahebant, Fidei iustificationẽ (Nisi circumcidamini, dicebant, secundum legem Mosi, non potestis salui fieri) Ita hodiè exactores legis præter iustitiã fidei, requirunt etiã obseruationẽ mandatorũ Dei, iuxta illud: Hoc fac, & viues. Itẽ: Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Ideò nemo ex ipsis, quantũuis videantur sibi sapere, intelligit discrimẽ legis & gratiæ, Ipso enim vsu & rerũ iudicio conuincuntur.

Nos verò hîc distinguimus, & dicimus, Nos nunc non disputare, Nũ opera bona sint facienda? Neq; nos quærere, Num lex bona, sancta, iusta sit? aut, Num sit seruanda? Nam is planè alius locus est. Sed nostra disputatio & quæstio est, de Iustificatione, An lex iustificet? Hoc aduersarij non audiunt, neq; ad hanc quæstionẽ respondent, neq; ibi distinguunt, vt nos, sed tantùm clamant. Bona opera esse facienda, legẽ esse seruandam, Benè, scimus hoc. Sed quia diuersi loci sunt, non patiemur eos cõmisceri, suo tempore agemus de loco isto, quod lex & bona opera sint facienda. Cũ aũt

hîc versemur

hic versemur in loco Iustificationis, reijcimus nunc opera, quæ aduersarij mordicus tenentes, adscribunt eis iustificationem, Quod Christo est adimere gloriam, & eam operibus tribuere.

Est itaq; satis firmum hoc argumentum, quo sæpe vsus sum in magnam consolationem, Si quærentes, &c. Quasi dicat Paulus: Si nos iustificati in Christo, habemus adhuc pro non iustificatis, sed pro peccatoribus, qui per Legem adhuc iustificandi sunt, Ergo non possumus quærere iustificationem in Christo, sed in Lege. Si autem iustificatio per legem fit, non fit per gratiam, à sufficienti diuisione. Si nunc iustificatio non fit per gratiam, sed per legem, Quid fecit Christus sua passione, prædicatione, victoria peccati, & mortis, & Spiritus Sancti missione? Aut igitur iustificamur per Christum, aut peccatores & rei per eum efficimur. Si verò Lex iustificat, tum ineuitabiliter sequitur, nos per Christum peccatores effici, igitur Christus peccati minister est. Ponatur itaq; hæc propositio, Omnis credens in Dominum Iesum Christum, est peccator & reus æternæ mortis, & nisi recurrat ad legem, & opera eius faciat, non saluabitur.

Scriptura, præsertim noui Testamenti, vbiq; inculcat fidem in Christum, & magnificè eam prædicat. Qui, inquit, credit in eum, saluatur, non perit, non iudicatur, non confunditur, habet vitam æternam. Illi contrà: Qui credit in eũ, damnatur, &c. quia habet Fidem sine operibus, quæ damnat. Sic peruertunt omnia, ex Christo simpliciter perditorem, ex Mose saluatorem facientes. Nonné autem inæstimabilis blasphemia est, sic docere, Faciendo legem, & opera, efficieris dignus vita æterna, credendo autem in Christum, reus eris mortis æternæ? Lex seruata saluat, fides in Christum damnat?

Istiusmodi quidem verbis aduersarij non vtuntur, reuera tamen ita docent. Quia fides, inquiunt, infusa (quam propriè vocant fidem in Christum) non liberat à peccatis, sed fides formata charitate. Ex hoc sequitur, quod sola fides in Christum, sine lege & operibus, non saluat. Hoc certè est affirmare, quod Christus relinquat in peccatis & ira Dei, & reos nos faciat mortis æternæ. Econtrà, Si feceris legem & opera, tum fides iustificat, quia habet opera, sine quibus alioqui fides nihil prodest. Ergo opera iustificant, non fides, quia propter quod vnumquodq; est tale, illud magis tale est. Si fides propter opera iustificat, ergo opera magis iustificant quàm fides. Profundæ sunt abominationes blasphemæ huius doctrinæ.

Argumentatur ergo Paulus ab impossibili, & sufficienti diuisione, Si nos iustificati in Christo, adhuc sumus peccatores, iustificandi per aliud quàm per Christum, scilicet per Legem, Ergo Christus non potest nos iustificare, sed tantùm accusat & condemnat nos, Ergo gratis mortuus est. Et hi & similes loci falsi sunt: Ecce agnus Dei, &c. Item: Qui credit in Filium, habet vitam æternam, imò tota scriptura, quæ testatur Christum esse Iustificatorem & Saluatorem mundi, falsa est. Nam si inueniamur peccatores, postquam in Christo sumus iustificati, necesse est sequi, facientes legem sine Christo esse iustificatos. Hoc si verum est, tum sumus Turcæ, Iudæi, Tartari, retinentes tantùm in speciem verbum & nomen Christi, vsu autem & reuera prorsus negantes Christum & verbum ipsius, At Paulus vult, fidem esse ἀνυπόστατον. Ideò error & impietas est asserere, fidem infusam non iustificare, nisi ornata sit operibus charitatis. Quod si autem hoc aduersarij omninò defendere volunt, cur in totum fidem in Christum non abijciunt? Præsertim cum ex ea nihil faciant, quàm inanem qualitatem in anima, quæ sine charitate nihil prosit, cur non potius appellant scapham scapham? hoc est, cur non claris verbis dicunt, opera iustificare, non fidem. Item, cur in vniuersum manifestè non negant totum Euangelium & Paulum (vtreuera negant) qui soli fidei, non operibus tribuunt iusticiam? Nam si Fides cum operibus iusti-

ribus iustificat, falsa est tota disputatio Pauli, qui diserte dicit: Hominem non iustificari operibus legis, sed fide Iesu Christi.

Si enim data esset Lex, quæ posset viuificare, verè ex Lege esset iusticia, &c. Paulus significat his verbis, nullam simpliciter legem posse viuificare, sed tantùm occidere. Ergo mea opera, quæ non solùm iuxta leges Papę seu traditiones humanas, sed etiam legem Dei facio, non iustificant me coram Deo, sed peccatorem constituunt, non placant iram Dei, sed irritant, Non consequuntur iusticiam, sed tollunt eam, Non viuificant sed mortificant me. Itaque cum dicit: Si lex data esset, &c. clarissimis verbis docet, ne Legem quidem diuinam viuificare, sed planè contrarium effectum habere.

Hæc verba Pauli, quanquam sint satis perspicua, tamen Papistis sunt penitus obscura & ignota. Nam si ea intelligerent, non ita iactarent liberum arbitrium, vires humanas, obseruationem consiliorum, opera supererogationis, &c. Sed ne videantur palàm impij & gentiles, qui verba Apostoli Christi impudenter negent, hac pestilentissima glossa perpetuò eludunt huiusmodi locos Pauli de Lege, ostendente peccatum, & iram operante, hoc est, de Decalogo: Paulũ loqui de lege cæremoniarũ, non de Lege morali. Sed Paulus propriè & diserte loquitur, cùm inquit: Si data esset lex, &c. nullam prorsus legem excipiens. Ideò glossa Sophistarũ nihil valet. Nam leges cæremoniarum æquè à Deo præceptæ, & tam rigidè seruatæ fuerunt ac morum, circumcisionem non minus religiosè Iudæi obseruarunt, quàm Sabbatum. Ideò de tota Lege loquitur Apostolus.

Cantantur & leguntur ista Pauli verba in papatu, in omnibus templis, & tamen contrariũ docetur & viuitur. Paulus simpliciter dicit, nullã legem esse datam ad viuificandum. Contrà Sophistæ planè contrariũ docent, & statuunt multas & infinitas leges datas esse ad viuificandum. Quanquam hoc manifestis verbis non dicant, Tamen reuera ita sentiunt, hocq; satis clarè testatur Monachatus, Testantur infinitæ leges humanæ, traditiones & cæremoniæ, Testantur opera & merita congrui & cõdigni, & innumerabiles alij impij cultus, per ipsos instituti, quos solus prædicauerunt, oppresso Euangelio, certò pollicentes gratiam, remissionem peccatorum, & vitam æternam, illos consecuturos esse, qui tales cultus obseruarent. Quæ dico, negari non possunt. Extant enim adhuc libri eorum, certissimi huius rei testes.

Nos contrà cum Paulo statuimus, nullã prorsus Legem, siue sit humana, siue diuina, iustificare & viuificare. Ideoq; discernimus legem tam longè à iustitia, quàm mortem à vita, infernum à cœlo. Et, vt hoc statuamus, mouet nos ille clarus Pauli locus, lex non est data ad iustificandum, viuificandum & saluandum, sed simpliciter ad damnandum, occidendum, & perdendum, contra opinionem omnium hominũ, qui naturaliter iudicãt, legem datam esse ad iusticiam, vitam & salutem consequendam.

Hoc proprium discrimen officiorum Legis & Euangelij conseruat in vero vsu vniuersam sinceram Theologiam. Item, constituit credentes super omnia vitę genera, super omnes omnium hominũ leges & dogmata iudices, Deniq; facultatem suppeditat probandi omnes spiritus. Contrà Papistę, quia doctrinam legis & Euangelij prorsus commiscuerunt & confuderunt, ideò nihil certi tradere potuerunt nec de fide, nec de operibus, nec de vitæ generibus, nec de discretione spirituum: Hoc idem accidit hodie fanaticis spiritibus, &c.

Post istas ergo confutationes & argumentationes satis prolixè & pulchrè docet Paulus, legem nihil aliud esse, si verum & optimum eius vsum perspexeris, quàm pędagogiam quandam ad iusticiam. Humiliat enim homines, & capaces iusticię Christi reddit, cùm suum proprium officium facit, id est, cùm eos reos agit, terret, redigit in cognitionem peccati, iræ, mortis, inferni: Hoc enim facto, perit opinio iusticię sanctitatis propriæ, & incipit dulcescere Christus cum suis beneficijs. Quare lex non est contra promissa Dei, sed potius pro illis. Non implet quidem promissionem, neq;

affert iustitiam, tamen suo officio & vsu humiliat nos, atq; ita reddit sitientes & ca-
paces gratiæ & beneficij Christi. Si ergo inquit, data fuisset aliqua lex, quæ posset af-
ferre iustitiam, & propter eam vitam, cùm nemo possit consequi vitam, nisi prius fit
iustus, tum verè ex Lege esset iustitia. Item: Si esset aliquod vitæ genus, opus, ordo,
seu religio, quæ posset consequi remissionem peccatorum, iustitiam & vitam, Tum
verè iustificarent & viuificarent ista, sed hoc est impossibile. Quia Scriptura conclu-
sit omnia sub peccatum. Vbi? Primùm in ipsis promissionibus de Christo, vt Gen.
3. Semen mulieris conteret caput Serpentis. Et Genes. 22. in Semine tuo, &c. Vbi
cũq; igitur est promissio in Scripturis de Christo, patribus facta, ibi promittitur Be-
nedictio, hoc est iustitia, salus, & vita æterna. Ergo per contrarium ostenditur eis,
qui benedicendi sunt, subiectos esse maledictioni, hoc est, peccato & æternæ morti,
alioqui quid opus esset promittere benedictionem.

Deinde Scriptura præcipuè per ipsam Legem cõcludit homines sub peccatum
& maledictum, vt cuius proprium officium est, reuelare peccatum, operari iram, &c.
Id quod per totam Epistolam ostendimus, præcipuè tamen ex hac sententia Pauli,
quotquot ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Item: ex ea quam citauit Paulus
ex 27. cap. Deut. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c. Hæ enim
sententiæ apertis verbis concludunt, & subijciunt peccato, & maledicto, non solùm
manifestè peccantes contra legem, aut eam externè non facientes, sed eos etiam, qui
sub lege sunt, & summa vi conantur legem facere, quales fuerunt Iudæi, vt suprà di-
xi: Multò magis idem locus cõcludit sub peccato omnes Monachos, Eremitas, Car-
thusianos cum suis sanctissimis, vt somniant (Nugantur enim, si moriatur aliquis vo
to promissionis recens facto, subitò subuolare eum in cœlum) professionibus & re-
ligionibus. Quia hîc audis clarissimè, scripturam simpliciter omnia sub peccatũ con-
cludere. Ergo neq; votum, neq; summa religio Carthusiani est iustitia, sed omnia
damnata sunt. per quid? per Scripturam. Quam? primùm per promissionem hanc,
Semen Mulieris, &c. In te benedicentur, &c. & similes. Deinde per totam legem,
cuius proprijssimum officium est, peccato subijcere &c. Ergo nulli Monachi, nulli
Carthusiani, nulli Celestini conterunt caput Serpentis, sed manent contriti sub ca-
pite Serpentis, hoc est, sub potestate Diaboli. Quis hoc credit?

Summa, quicquid extra Christum & promissionẽ est, nullo excepto, siue sit lex
diuina, siue humana, cæremonialis, siue moralis, est cõclusum sub peccato. Scriptura
enim concluſit omnia sub peccato, Qui autem dicit omnia, nihil excludit. Concludi-
mus igitur cum Paulo, quod omnes cultus & religiones, sine fide in Christum, sint
& maneant sub peccato, morte, & damnatiõe ęterna, nisi accesserit, vt sequitur, pro-
missio ex fide Christo Iesu. De hac re suprà dictum est copiosius.

Ergo illa propositio, Sola fides iustificat, vera est, quam Aduersarij nullo modo
ferre possunt. Quia Paulus hîc fortissimè concludit, quòd lex non viuificat, quia in
hunc finem non est data. Si igitur ipsa non iustificat, & viuificat. Multò minus opera
iustificant. Hoc enim vult Paulus inferre, cùm dicit: Legem non viuificare, quòd sci-
licet nec opera viuificent. Quia fortius sonat, lex non viuificat, quàm opera non vi-
uificant. Si ergo lex ipsa, etiam impleta (quanquam impleri eam sit impossibile) non
iustificat, Multò minus ipsa opera, Ergo sola fides sine operibus iustificat. Non pati-
tur Paulus istam additionem, Fides cum operibus iustificat, sed simpliciter per ne-
gatiuam procedit, Rom. 3. & suprà cap. 2. ex operibus legis, inquit, non iustificatur
omnis caro. Et hoc loco: Non est data lex ad viuificandum.

Vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Suprà dixit, Scripturam omnia cõclu-
sisse sub peccato, Num in æternum? non, sed donec daretur promissio &c. Promissio
autem est hæreditas ipsa, seu Benedictio Abrahæ promissa, hoc est, liberatio à Lege,
peccato, morte, & diabolo, & donatio gratiæ, iustitiæ, salutis, & vitæ æternæ. Illa
promissio

promissio, inquit, nullo merito, nulla lege, nullis operibus impetratur, sed donatur. Quibus? Credentibus. In quem? In Iesum Christum, qui est Semen benedictũ, quod credentes à maledicto redemit, vt acciperent Benedictionẽ. Ista verba non sunt obscura, sed clarissima. Opera tamen danda est, vt ea diligenter obseruemus, & vim & pondus eorum benè expendamus. Si enim omnia conclusa sunt sub peccatũ, sequitur, omnes Gentes esse maledictas, & carere gloria Dei. Item: sub ira Dei, & dominio Satanæ esse, Et neminem ab ijs liberari vlla alia re posse, quàm fide in Christũ Iesum. Fortissimè igitur pugnat Paulus istis verbis contra fanaticas opiniones Sophistarum, & omnium Iusticiariorum, de iustitia legis, & operum, cùm dicit, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Quomodo respondendum sit ad sententias, quæ loquuntur de operib. & mercede, suprà satis copiosè indicaui, neq; res postulat, vt nunc de operibus dicamus. Quia hic non est instituta disputatio de operibus, sed de Iustificatione, Quod ea scilicet per legem & opera non contingat, cum omnia sub peccato & maledicto sint, sed per fidem in Christum. Extra causam verò iustificationis nemo potest bona opera à Deo præcepta, satis magnificè cõmendare. Quis enim vel vnius operis, quod Christianus ex fide & in fide facit, vtilitatem & fructum satis prædicare potest? Est enim præciosius quàm cœlum & terra. Ideò neq; totus mundus in hac vita potest dignam mercedem reddere vel pro vno tali bono opere. Neq; mundus hanc gratiam habet, vt bona opera piorum magnifaciat, multò minus, vt ea compenset. Quia ea non cernit, aut si cernit, nõ bona opera, sed pessima malefacta esse iudicat, & eos qui talia faciunt, tanquã nocentissimas generi humano pestes è mundo exturbat. Sic Christus Saluator mundi, pro suis maximis ac inenarrabilibus beneficijs, ignominiosissima morte crucis affectus est. Item Apostoli, verbum gratiæ & vitæ æternæ mundo afferentes, περικαθάρματα mundi, & omnium περίψημα facti sunt. Digna profectò pro tantis beneficijs à mundo merces.

Opera verò extra fidem facta, vt maximè in speciẽ sancta videntur, sub peccato & maledicto sunt, Quare tantùm abest, vt ea facientes mereantur gratiam, iusticiam, & vitam æternam, vt potius peccatum peccato addant. Hoc modo operatur Papa, homo peccati & filius perditionis, & omnes eum sequentes. Sic operantur omnes iusticiarij & hæretici, qui fide excidérunt.

Antequam autem veniret fides. Pergit declarare legis vtilitatẽ & necessitatem. Suprà dixit eam additam propter transgressiones, Non quòd hoc præcipuũ Dei consilium fuerit, vt legem tantùm ferret ad mortem & damnationem, vt & Ro. 7. inquit. Num quod bonũ est, inquiens, factũ est mihi mors? Absit. Lex enim est verbũ monstrans vitã, & impellens ad eam, Ideò non est data tantùm ad mortem. Sed is est principalis vsus ac finis eius, vt reuelet eam, vt hoc modo appareat, quale & quantum sit ipsum peccatum. Non tamen sic reuelat mortẽ, quod ea delectetur, aut nihil aliud quærat, quàm vt nos occidat, Sed ideò reuelat, vt homines perterrefacti & humiliati timeant Deum. Hocq; clarè indicat textus ipse Exod. 20. Nolite, inquit, timere, vt enim probaret vos, venit Deus, vtq; terror ipsius esset in vobis, ne peccaretis. Legis ergo officium est, tantùm occidere, sic tamen, vt Deus possit viuificare. Quare lex non est data simpliciter ad mortem, sed quia homo superbit, & somniat se sapere, se iustũ & sanctum esse, ideò opus est, vt lege humilietur, vt sic Bestia ista, opinio iusticiæ, occidatur, qua non occisa, non potest homo viuere.

Quanquam ergo lex occidit, tamẽ Deus vtitur isto effectu legis, hoc est, ista mortẽ in bonum vsum, scilicet ad vitam. Videns enim Deus nulla alia re posse coherceri ac conteri pestem illam vulgatissimam orbis terrarum, opinionẽ iusticiæ, seu hypocrisin & fiduciam sanctitatis, voluit eam lege occidi, Non in perpetuum sed vt occisa ea, homo erigeretur iterum, & vltra legem audiret hanc vocẽ, Noli timere, Non ideo

dedi legem,& occidi te per eam,vt in morte illa maneres,sed vt timeres me,& viue-
res. Præsumptio enim bonorum operum,& iusticiæ,non admittit timorẽ Dei. Vbi
verò timor Dei nõ est,ibi nec sitis Gratiæ nec vitæ esse potest. Oportet igitur Deum
habere malleum fortem ad cõterendas petras,& ignem in medio cœli ardentem, ad
subuertendos montes, hoc est, ad opprimendam istam pertinacem & obstipam be-
stiam, præsumptionem, vt ista contusione homo in nihilum redactus, desperet de
suis viribus,iusticia & operibus,& pauefiat coram Deo,ac ita pauefactus sitiat mise-
ricordiam & remissionem peccatorum.

LEGIS IMPLETIO EST HVMANAE NATVRAE IMPOSSIBILIS.

Impossibile est,humanam naturam implere legẽ,imò in iustificatis, qui habent
Spiritum Sanctum,repugnat lex membrorũ,legi mentis &c.Quid nõ faceret in im-
pijs,qui Spiritum Sanctum non habent? Quare docens per legem contingere iusti-
ciam,ipsemet non intelligit quid loquatur,aut quid affirmet, multò minus seruat le-
gem,sed seipsum & alios ludit & grauat onere importabili: præscribit & exigit im-
possibilia,& ad extremum,se & discipulos suos adducit in desperationem.

Est itaq; proprius legis vsus & finis,homines quietos & securos, facere reos,vt
sint obnoxij peccato,irę & morti: vt sint conterriti,desperabundi,pallentes & pauẽ-
tes ad sibilum folij volantis. Et quatenus tales sunt,sunt sub lege. Lex enim requirit
perfectam obedientiam erga Deum,& damnat eos,qui hanc non præstant. Constat
aũt,quod nemo hanc perfectam obediẽtiam legis præstet, aut præstare possit,quam
tamẽ Deus seuerè requirit.Ergo lex non iustificat,sed cõdemnat,iuxta illud:Maledi
ctus omnis,qui nõ permanserit in omnib.&c. Itaq; docens legẽ,est minister peccati.

Quare Paulus rectè vocat ministerium legis,2.Cor.3.peccati ministeriũ:Nam lex
ostendit peccatum,quod sine lege mortuum est.Peccati verò cognitio(non illa spe-
culatiua hypocritarum,sed vera,in qua cernitur ira Dei contra peccatum,& verè sen
titur gustus mortis) perterrefacit corda,adigit ad desperationẽ & occidit,Ro.8.Itaq;
Doctores illi legis & operum, quos scriptura appellare solet exactores & tyrannos
(perinde enim,vt illi exactores in Aegypto, opprimebant filios Israel corporali ser-
uitute: Ita hi doctrina de lege & operibus, redigunt in spiritualem & miserrimã ser-
uitutem animas,& ad extremum in desperatiõem adigunt & perdunt) neq; seipsos
agnoscunt,neq; vim legis sentiunt.Neq; possibile est,eos consequi pacem conscien-
tiæ in veris pauoribus & agone mortis,etiamsi seruauerint legem, dilexerint, multa
bona opera fecerint,& mala perpessi sint. Quia lex semper terret & accusat, dicens:
Tu nunquam fecisti omnia quæ in lege mandata sunt: Maledictus autem qui non
fecerit,&c. Ideò manent isti pauores & subinde augentur: Et nisi tales legis docto-
res erigantur fide & iusticia Christi,coguntur desperare.

Huius rei extat insigne exẽplum in vitis Patrũ de Eremita quodam: Is breui an-
tequàm moreretur,stabat tristis & immotus tres dies,fixis in cœlum oculis.Interro-
gatus,cur hoc faceret, aiebat se timere mortem. Cum discipuli eum consolarentur,
non esse, cur mortem timeat, cum sanctissimè vixerit,respõdit: Sanctè quidem vixi,
& seruaui mandata Dei,sed longè alia sunt iudicia Dei,quàm hominũ. Ille cum ce-
neret mortem præsentem,quanquam inculpatè vixisset & seruasset legem Dei, non
tamen potuit esse tranquillo animo:Quia in mentem ei venit,Deum longè aliter iu-
dicare quam homines.Atq; ita amisit fiduciam in omnia bona opera & merita sua.Et
nisi promissione Christi erectus est,desperauit. Itaq; lex nihil aliud potest efficere,ff
nos nudos & reos constituere,ibi tum nullum est consilium aut auxilium,sed omnia
deplorata sunt.Hic vita & martyria omnium Sanctorum nos iuuare non possunt.

Hoc etiam pulchrè adumbratum est in historia latę legis,Exo.19.20. Moses edu
xit populum è castris in occursum Dei,vt audiret Deum loquentẽ ex caligine nubis.
Ibi pe-

Ibi perterritus ac pauore concussus populus, qui paulò ante promiserat se omnia facturum, quæ Deus mandaret, retrocessit, & procul stans, dicebat ad Mosen: Quis potest videre ignem, & tonitrua, & clangorẽ buccinæ audire? Tu nobis loquere, & audiemus, Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur: officium ergò legis proprium est, nos ducere ex tabernaculis nostris, id est, ex pace & fiducia nostri, & constituere nos in conspectum Dei & reuelare nobis iram eius. Ibi tum conscientia sentit, se legi non satisfecisse, nec satisfacere, nec perferre posse iram Dei, quam lex reuelat: cũ nos ita in conspectum Dei producit, hoc est, cum perterrefacit, accusat, & peccatũ ostendit: Ibi impossibile est, nos tunc posse cõsistere, ideò exterriti fugimus & clamamus cum Israele: Moriemur, moriemur, Dominus non loquatur, tu nobis loquere, &c.

Qui igitur docet, fidem in Christum nõ iustificare, nisi lex simul seruetur, ille facit Christum peccati Ministrum, hoc est, doctorem legis, qui idem doceat, quod Moses. Ergo Christus non est Saluator, nec largitor gratiæ, sed crudelis Tyrannus, qui exigit impossibilia, vt Moses, quæ nemo facere potest. Sic omnes Iusticiarij existimant Christum esse nouum quẽdam legislatorem, & iudicant Euangeliũ nihil aliud esse, quam librum, qui cõtineat nouas leges de operibus, vt Turcæ de suo Alcorano somniant. Sed satis legum est in Mose. Ideò Euangelium est prædicatio de Christo, quod remittat peccata, donet gratiam, iustificet & saluet peccatores. Quòd aũt præcepta in Euangelio reperiuntur, ista non sunt Euangelium, sed expositiones legis & appendices Euangelij.

Porrò si lex est ministerium peccati, ergo est etiam ministerium iræ & mortis. Quia lex, vt reuelat peccatum, ita perterrefacit hominem, ostendit iram Dei, & incutit terrorem mortis. Statim enim conscientia sic infert: Non seruasti præcepta, ergo Deus est offensus & irascitur tibi: Estq; hęc consequentia inseparabilis, peccaui, ergo moriar. Ita per consequens ministerium peccati, est ministerium iræ Dei & mortis. Reuelato enim peccato, statim sequitur ira, mors, & damnatio. Nam sic infert conscientia, Tu peccasti, ergo Deus irascitur tibi, Si irascitur, ergo occidet & condemnabit te in æternum. Atq; hinc fit, quod multi, non ferentes iram ac iudicium Dei, quæ lex aperit, seipsos occidunt, præcipitant ac demergunt.

Abſit. Quare dicat, Christus non est peccati minister, sed Donator iusticiæ & vitæ æternæ. Quare Paulus longissimè Christum à Mose separat. Maneat ergo Moses in terra, sit doctor literæ, exactor legis & crucifigat peccatores. At credentes, ait Paulus, habent alium Doctorem in conscientia, nõ Mosen, sed Christum. Qui legem abrogauit, peccatum, iram, & mortem, vicit & sustulit: Is iubet nos laborantes & omnibus malis oppressos ad se venire. Ideo confugientibus nobis ad eũ, euanescit Moses cum sua lege, vt nusquã conspici possit eius sepulchrum, vtq; peccatum & mors amplius non possint nocere nobis. Nã Christus doctor noster, Dominus est legis, peccati, & mortis, à quibus credens in eum, liber est. Est ergo proprium Christi officium liberare à peccatis & morte, id quod Paulus perpetuò docet & inculcat. Itaq; per legem damnamur & occidimur, per Christũ verò iustificamur & viuificamur, lex perterrefacit & repellit nos à Deo, Christus aũt recõciliat nos Deo, facitq; vt habeamus accessum ad eum. Est enim agnus Dei tollens peccata mundi, ergo credens in Christum, habet eũ qui sustulit peccatum mundi. Si peccatum mũdi sublatum est, ergo & mihi, qui in eum credo, sublatum est. Si peccatum sublatum est, ergo & ira, mors, & vita, damnationis salus æterna successit. Istam distinctionem discamus non tantùm verbis, sed vsu, vita, & ipsis viuis affectibus, practicare. Nã vbi Christus est, ibi oportet esse tranquillam & lætam conscientiã. Est enim Christus nostra reconciliatio, iusticia, pax, vita, salus. In summa, quicquid misera & afflicta conscientia quærit, hoc in Christo abundè inuenit. Paulus amplificat iam illud argumentum & persuadet.

Si enim, quæ destruxi, ea iterum ædifico, prævaricatorem meipsum constituo. Q. D. Non sic prædicauí, vt quod semel destruxi, denuò ædificem. Nam si hoc facerem non solum frustra laborarem, sed meipsum prǫuaricatorem cõstituerem, & more pseudoapostolorum, omnia peruerterem, hoc est, ex Gratia & Christo iterum legẽ & Mosen, & vicissim ex lege & Mose gratiã & Christum facerẽ. Destruxi autem per ministerium Euangelij, peccatum, tristiciam, iram, & mortem. Sic enim docui, conscientia tua, ô homo, est obnoxia legi, peccato, & morti, à quibus nulla ope humana aut angelica liberari potest, Iam vero Euangelium venit, & annunciat tibi remissionem peccatorum per Christum, qui legem abrogauit, peccatum & mortem destruxit. In hunc crede, tum liber eris à maledicto legis, à tyrannide peccati, & mortis, eris iustus, & habebis vitam æternam.

Sic per prędicationẽ Euãgelij destruxi legẽ, ne ampliùs dominetur in cõscientia. Nam cũ nouus hospes Christus, in nouam domũ venit, vt solus in ea habitet, oportet veterẽ colonum Mosen cedere, & alio migrare. Vbi autẽ Christus nouus hospes est, ibi lex, peccatum, ira, mors, nõ habent locũ, sed adest mera gratia, iusticia, lętitia, vita, mera filialis fiducia erga placatum, fauentem, & propiciũ patrem propter Christum. Num ergo expulso Christo & destructo ipsius regno, quod per Euangeliũ plantaui, iterum ædificarem legem, & erigerẽ regnũ Mosi? Quod fieret, si, vt pseudoapostoli solent, docerem circumcisionẽ, & obseruationem legis necessariã ad salutẽ. Atq; hoc modo restituerem in locum iusticiæ & vitæ, peccatum & mortem. Lex enim tantum ostendit peccatum, efficit iram, & occidit.

Quid quæso papistæ aliud sunt, cũ optimi sunt, quàm vastatores regni Christi, & extructores regni Diaboli, peccati, irę Dei, & mortis ęternę? Destruũt autẽ Ecclesiã, quę est ædificatio Dei, non lege Mosi, vt pseudoapostoli, sed humanis traditionib. & doctrinis dæmoniorũ. Sic fanatici spiritus, qui hodiè sunt, & nos sequẽtur, destruent ea, quæ nos ædificauimus, & denuò ædificant & ædificabunt quæ nos destruximus. Nos verò, gratia Dei articulum iustificationis tenentes, certò scimus, nos sola fide in Christum iustificari. Ideò non confundimus legem & gratiam, fidem & opera, sed ea longissimè separamus. Eamq; distinctionẽ legis & gratiæ vnusquisq; studiosus pietatis diligenter obseruet, sinatq; eã valere, nõ in literis & syllabis, sed in vsu rerũ, vtcũ audit. Bona opera esse facienda. Christi exemplũ esse imitandũ. possit rectè iudicare, & dicere, Benè, libenter ista faciã. Quid amplius? Tunc saluus eris. Non. Concedo omnia bona esse facienda, mala ferenda, sanguinem esse fundendũ, si res ita postulet, propter Christum, sed per hæc non iustificor, nec salutem consequor.

Non sunt ergo trahẽda bona opera in articulũ Iustificationis, vt monachi fecerũt: Qui non solùm opera bona dixerunt esse meritoria vitę æternę, sed etiam pœnas & supplicia, quę flagitiosis propter malefacta sua infligũtur. Sic enim cõsolati sunt eos, cum iam vltimo supplicio afficiendi essent, patere volens istã ignominiosam mortẽ, hoc si feceris, mereberis remissionẽ peccatorum & vitã ęternam. Valdè horribilis res est, miserum furem, homicidiam, aut latronem, in summa illa anxietate sua, sic seduci, vt in ipso articulo mortis, cum iam suspendendus aut plectendus est capite, omisso Euãgelio de Christo, qui tũ solus potest cõsolari & saluare, iubeatur sperare veniã & remissionem peccatorũ, si volens patiatur ignominiosam mortem, quæ ipsi propter scelera sua infligitur. Hoc verè est afflictissimo addere extremã perditionem, & falsa opinione & fiducia mortis propriæ, monstrare ei iter ad infernum.

Hac re satis ostẽdunt hypocritæ illi, se ne literam quidẽ docuisse aut intellexisse de Gratia, Euangelio, aut Christo: tantũ in speciem retinuerunt nomen Euangelij & Christi, vt eò facilius imponerent cordibus simpliciũ. Reuera tamen in totum abnegato & cõculcato Christo, plus tribuerunt humanis traditionibus, quam Euangelio Christi: In quod testantur tot cultus, tot genera ordinum, tot cæremoniæ, tot opera, quæ omnia

quæ omnia institutà sunt hac opinione, quòd valerent ad promerendam gratiam, &c. In confessione nullam fecerunt fidei aut meriti Christi mentionem, sed tantùm inculcauerunt satisfactiones humanas & merita, vt cernere est in hac forma absolutionis, vt cæteras taceam, qua quidem Monachi inter se vsi sunt, & hi, qui volebant haberi religiosiores cæteris, quam libet ascribere, vt & posteritas intelligat infinitam & ineffabilem fuisse abominationem Papistici regni.

Forma absolutionis Monasticæ, parcat tibi Deus frater. Meritum passionis Domini nostri Iesu Christi, & Beatæ Mariæ semper virginis, & omnium Sanctorum, meritum ordinis, grauamen religionis, humilitas confessionis, contritio cordis: Bona opera quæ fecisti, & facies pro amore Domini nostri Iesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum meriti & gratię, & in præmium vitæ æternæ, Amen.

Hic audis quidem meritum Christi, sed si diligentius verba expenderis, intelliges Christum planè ociosum esse, & ei detrahi gloriam & nomẽ Iustificatoris & Saluatoris, & tribui Monasticis operibus. Num hoc non est nomen Dei in vanũ sumere? Num hoc non est Christum verbis fateri, vim aũt eius abnegare & blasphemare? Ego in eodem luto hæsitaui, putabam Christum esse iudicem (etsi ore fatebar eũ passum & mortuum pro redemptione generis humani) placandum obseruatiõe regulæ meæ. Ideò cum orabam aut celebrabam missam, solitus eram semper adijcere in fine, Dñe Iesu, ad te venio, & oro, vt grauamina ordinis mei, sint cõpensatio pro peccatis meis. Nunc verò gratias ago patri misericordiarum, qui me è tenebris vocauit ad lucem Euangelij, & donauit me vberrima cognitiõe Christi Iesu Domini mei, propter quem, unà cum Paulo, omnia duco esse damna, putoq; esse σκύβαλα, vt Christum lucrifaciam, vtq; inueniar in illo, non habens meam iusticiam ex regula Augustini, sed eam, quæ est per fidem Christi, &c. Cui sit laus & gloria, vnà cum patre & spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

Concludimus ergo cum Paulo, sola fide in Christum nos iustificari, sine lege & operib. Postquàm verò homo fide iustificatus est, & iã Christũ fide possidet, & nouit eum esse iusticiam & vitam suã, certè non erit ociosus, sed, vt bona arbor, proferet bonos fructus. Quia credens habet S. sanctum, vbi is est, non sinit hominem esse ociosum, sed impellit ad omnia exercitia pietatis: ad dilectionem Dei, ad patientiã, in afflictionibus, ad inuocationem, gratiarum actionẽ, ad exhibendam charitatẽ erga omnes. Quare & nos dicimus, fidem sine operibus nihili esse, & inanem. Hoc Papistæ & fanatici sic intelligunt, fidem absq; operibus non iustificare: Aut, fidẽ quantumuis veram, si opera non habeat, nihil valere, hoc falsum est. Sed fides sine operibus, id est, fanatica cogitatio, mera vanitas & somnium cordis, falsa est, & non iustificat.

LEX INFIRMVM ELEMENTVM.

Valde contumelioseè de lege loquitur Paulus, cum eam vocat elementa (vt supra initio cap. 4.) deinde non simpliciter elementa, sed infirma & egena elementa. An non est blasphæmia, quod tam sceleſtas appellationes tribuat legi Dei? Lex in vero suo vsu, debet seruire & stare pro promissionibus & gratia, si cum his pugnat, non est amplius lex Dei sancta, &c. sed doctrina pernicioſa & diabolica, vrgens tantùm ad desperationem, ideo est repudiãda & excommunicanda. Quare, cum appellat legem infirma & egena elementa, loquitur de lege secundum superbos & præsumptuosos hypocritas, qui per eam volunt iustificari, non de lege spiritualiter intellecta, quæ iram operatur. Nam lex vt sæpe iam diximus, in vero suo vsu, accusat & condemnat veterem hominem.

Hic non ſolum eſt elementum robuſtum & diues, ſed omnipotẽs & opulentiſſimum, imò eſt inuincibilis omnipotẽtia & opulentia ad quam conſcientia collata eſt infirmiſsima & pauperrima. Eſt enim tam tenera res, vt propter leuiſsimum peccatũ ita pauefiat & palleſcat, & deſperet, niſi rurſus erigatur. Quare lex in proprio ſuo vſu, plus virium & opum habet, quam cœlum & terra compræhendere poteſt, Ita vt etiam vnus apex ſeu vnum iota legis, totũ genus humanum occidere poſsit, Id quod teſtatur hiſtoria promulgata legis Exo. 19. 20. Is verus & Theologicus legis vſus eſt, de quo Paulus hic non agit.

Agit ergo hîc de hyppcritis, qui exciderunt gratia, vel qui nõdum peruenerunt ad eam. Hi abutentes lege, quærunt per eam iuſtificari, exercent & fatigant ſeſe operibus eius dies & noctes, vt Paulus de Iudæis teſtatur Roman. 10. Teſtimonium, inquit, illis perhibeo, quod velum dei quidem habent ſed non ſecundum ſcientiam, ignorant enim iuſtitiam Dei, &c. Tales confidunt ſeſe per legem ſic poſſe corroborari & locupletari, vt ſuam potentiam & diuitias iuſtitiæ, quam habent ex lege, poſsint opponere iræ & iudicio Dei, per eam poſsint Deum placare & ſaluari. In hac relatione rectè dixeris, legem eſſe infirma & egena elementa, hoc eſt, quæ nec poſsint iuuare, nec habeant conſilium aut opem.

Et qui vellet hic rhetoricari, poſſet hęc verba latiſsimè amplificare, actiue, paſsiue, & neutraliter. Actiue, lex eſt elementum infirmum & egenum, quia reddit homines infirmiores, & egentiores. Paſsiue, quia ipſa per ſe non habet vim, & opes iuſtitiæ donandæ vel afferendæ. Neutraliter, eſt infirmitas, & paupertas ipſa, Quomodo igitur homines prius infirmos & pauperes corroboraret & ditaret? Ideo per legem velle iuſtificari, idem eſt, ac ſi quis alioqui infirmus & eger, aliud quoddam grandius malum quæreret, per quod promitteret ſe depulſurum infirmitatem & egeſtatem ſuam, cum tamen illi certum afferret exitium. Vt ſi laborans morbo comitiali, aditum gat ſibi peſtem, aut ſi leproſus ad leproſum, mendicus ad mendicum veniret, alter opem laturus alteri, & locupletaturus illum. Horum alter iuxta prouerbium, mulgeret hircum, alter ſupponeret cribrum.

Eſtque hæc pulchra Tapinoſis, qua Paulus hoc ſignificare vult, quod quærentes per legem iuſtificari, hoc commodi inde habeant, quod indies magis magiſque infirmiores, & egentiores reddantur. Quia ipſi per ſeſe ſunt infirmi & egentes, hoc eſt, ſunt natura filij iræ, rei mortis & damnationis æternæ, & apprehendunt illud, quod mera eſt infirmitas & mendicitas, per quod quęrunt corroborari & locupletari. Ideo omnis homo deficiens à promiſsione ad legem, à fide ad opera, nihil aliud facit quam quod ſibi infirmo & egenti inponat iugum inportabile. Actor. 15. quo geſtando decuplo fit infirmior & egenior, donec tandem deſperet, niſi Chriſtus veniat & liberet eum.

Hoc idem teſtatur Euangelium, de muliere quæ duodecim annos laborauerat profluuio ſanguinis, & multa perpeſſa fuerat à cõpluribus medicis, in quos inſumpſerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec tamen poterat ab illis curari, ſed quo longius curabatur hoc peius habebat, &c. Quotquot igitur hoc nomine faciunt opera legis, vt per ea iuſtificentur, illi non ſolùm non iuſti, ſed dupliciter iniuſti redduntur: hoc eſt, vt dixi infirmiores, vt egentiores & ineptiores ad omne opus bonum reddantur per legem, &c. Hoc ipſe expertus ſum in me & multis alijs. In Papatu multos vidi Monachos, qui ardentiſsimo ſtudio multa & grandia opera faciebant pro acquirenda iuſtitia & ſalute, & tamen nihil erat impatientius, infirmius, miſerius, nihil magis incredulum, pauidum & deſperabundum. Magiſtratus politici, qui verſabantur in maximis & grauiſsimis cauſis, non erant tam impatientes & tam muliebriter impotentes, non erant tam ſuperſtitioſi, increduli, pauidi, &c. vt eiuſmodi iuſticiarij.

Quicunq

Quicunque igitur quærit per legem iustitiam, nihil aliud facit, nisi quod multiplicatis actibus, comparet sibi ἕξιν, istius primi actus, qui est, quod Deus iratus & tremendus, operibus sit placandus, In hoc conceptu incipit operari. Nunquam autem tantum operum potest inuenire, vt conscientiam reddat pacatam, sed semper desiderat plura: Imò in illis ipsis quæ fecit, inuenit peccata. Ideo conscientia ipsius nunquam potest reddi certa, sed necesse est eum semper dubitare, & sic sentire: Tu non rectè sacrificasti, non recte orasti, omisisti aliquid, hoc vel illud peccatum commisisti. Ibi cor trepidat & semper inuenit se onustum multis plaustris peccatorum, quæ sine fine crescunt: Ita vt semper longiùs discedat à iustitia donec tandem acquirat habitum desperationis. Hinc in agone plerique desperabundi, has miserabiles voces miserunt. Me miserum, non obseruaui ordinem meum: Quo fugiam à conspectu irati iudicis Christi? Vtinam fuissem bubulcus, aut homo omnium vilissimus. Sic Monachus in fine vitæ infirmior, egentior magis & pauidus est, quam initio cum susciperet ordinem. Ratio, quia studuit se roborare per infirmitatem, & locupletare per paupertatem.

Lex seu traditiones humanæ, vel regula ordinis sui debebant eum ægrum & pauperem sanare & ditare, sed infirmior & egentior factus est publicanis & meretricibus. Hi enim non habent infœlicē illam operum ἕξιν, qua nitantur, vt Monachus, sed vt maximè sentiāt peccata, tamen dicere possunt cum publicano, Deus propitius esto mihi peccatori. Econtra Monachus exercitatus in elementis infirmis & egenis, comparauit sibi hunc habitum. Si obseruaueris regulam saluaberis, &c. Hac falsa persuasione sic dementatus & captus est, vt præ ea non solum non apprehendere gratiā, sed ne meminisse quidem gratiæ, possit. Ita nec præterita nec præsentia opera, quantumuis multa & grandia ei satis sunt, sed semper spectat & quærit alia atq; alia, quibus iram Dei placare, sese iustificare conatur, donec ad extremum desperare cogitur. Itaque qui à fide relabitur & legem sectatur, amittit vt canis Aesopicus carnem, & vmbram arripit.

Quare impossibile est, homines per legem saluti suæ consulere, volentes (vt natura omnes affecti sunt) quod vnquam pacati reddātur. Imò nihil aliud faciunt, quā quod leges legibus accumulant, quibus seipsos & alios excruciant, & conscientias tam miserè affligunt, vt plerique nimio mærore animi antè diem pereant. Vna enim lex semper gignit alias decem, donec vsq; in infinitum crescant. Hoc satis testantur innumerabiles summæ (præsertim illa Diabolica, quam inscripserunt Angelicam) quæ huiusmodi leges colligunt & exponunt.

Summa qui contendit lege iustificari, hoc conatur, quod nunquam poterit efficere. Huc accommodari possunt (id quod video patres fecisse) dicta Doctorum & sapientum virorum, de inani opera. Cuiusmodi sunt saxum voluere, cribro aquam haurire, &c. Et puto talibus figmentis & parabolis voluisse patres admonere suos discipulos discriminis legis & Euangelij: vt significarent eos, qui gratia exciderunt, exercere & fatigare quidem sese assiduo & molestissimo labore, sed inanem operam sumere. Ideò tales rectissimè dicūtur, saxū voluere, hoc est, inaniter sudare. Vt Poetæ de Sisypho fabulantur, qui quoties apud inferos, saxū ad verticem mōtis voluit, semper iterum recidit. Item cribro aquam haurire, hoc est in exhausto, atq; inutili labore sese fatigare, vt poetæ fingunt puellas Danaides apud inferos vasis perforatis, aquā inferre in dolium pertusum, &c. Et velim vos studiosos sacrarum literarū, istiusmodi parabolas locupletare vt eo meliùs possetis retinere legis & Euāgelij discrimē: Quod velle iustificari ex lege, sit ex vacuo loculo pecuniā numerare, Ex vacuo vase & cauharo edere & libere. Ibi robur & opes quærere, vbi mera est infirmitas & paupertas. Aggrauare oppressum & succumbentem oneri, centū aureos velle soluere, & ne vnū nummum quidem habere. Nudo vestem exuere. Aegrum & egentē maiore infirmitate & inopia opprimere, &c.

Quis au-

Quis autem vnquam credidisset, quòd Galatæ qui doctrinam puram & certam didicerant, tanto Apostolo doctore, potuissent tam subitò abduci ab ea, ac penitus pseudoapostolos euerti? Non frustra tam sæpe inculco, defectionem à veritate Euangelij facilem esse. Ratio est quia homines etiam pij non satis perpendunt, quàm præciosus, quanquam necessarius sit thæsaurus, vera Christi cognitio. Ideo tanta cura & diligentia non laborant, vt certò ac firmiter eam assequantur & retineant. Deinde maior pars eorum qui audiunt verbum non exercentur cruce, non luctantur cum peccatis, morte & Diabolo, sed securi viuunt sine omni certamine. Tales quia non sunt muniti verbo Dei contra astutias Diaboli, non exercentur, neque probantur tentationibus, ideo nunquam experiuntur vsum & potentiam verbi. Præsentibus quidem pijs doctoribus imitantur eorum verba, ac certò persuasi sunt, se causam iustificationis optimè tenere. Ablatis verò ipsis, ac venientibus lupis in vestitu ouium, idem illis accidit quod Galatis, hoc est, subitò & facilè seducuntur, & iterum ad infirma & egena elementa conuertuntur.

Habet autem Paulus suam peculiarem Phrasin, qua cæteri Apostoli non vsi sunt. Nam nemo illorum tales appellationes tribuit legi, scilicet quod sit infirmum & egenum hoc est plusquam inutile ad iustitiam, elementum, præter vnum Paulum. Nec ego ausim ita legem appellare, sed putarem esse summam blasphemiam in Deum, nisi Paulus prius hoc fecisset. Sed de hac re suprà copiosius, quando lex sit infirma & egens, quando item sit robustissima & opulentissima, &c.

Si autem lex Dei infirma & inutilis est ad iustificationem, multò magis leges Papæ sunt infirmę & inutiles ad iustificationem. Non quod in vniuersum reijciam & damnem leges ipsius, sed dico plerasq; vtiles esse ad externam disciplinam, vt ordine omnia gerantur in Ecclesia, ne oriantur dissidia, odia, &c. Vt Cæsareæ leges vtiles sunt ad benè gerendas Respublicas, &c. Hæc autem commendatione & vsu legum suarũ Papa non contentus est, sed requirit vt sentiamus, quod per obseruationem earum iustificemur & salutem consequamur. Hoc negamus & eadem fiducia & certitudine qua Paulus contra legem Dei, proferimus sententiam contra decreta, traditionis & leges Papæ, quod non solùm sint infirma, egena & inutilia ad iustitiam, elementa, sed execrabilia maledicta & Diabolica, &c. Quia blasphemant gratiam, euertunt Euangelium, fidem abolent, Christum tollunt.

Quatenus igitur Papa exigit eas obseruari, vt necessarias ad salutẽ, est Antichristus & Satanæ vicarius. Et quotquot ei adhærent & istas suas abominationes, & blasphæmias confirmant, aut hac opinione seruant, quod per eas velint promereri remissionem peccatorum, sunt serui Antichristi & Diaboli. Docuit autem iam multis seculis, & obseruauit eos tanquam necessarias ad salutem tota Ecclesia Papistica. Hinc Papa sedet in tẽplo Dei, ostentans se esse Deum, aduersatur Deo, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, &c. 2. Thess. 2. Et conscientiæ plus timuerunt & reueritæ sunt leges & ordinationes Papæ, quàm verbũ & ordinationes Dei. Atque hinc factus est Dominus cœli, terræ, & inferni, & gestauit triplicem coronam. Hinc Cardinales & Episcopi, creaturæ eius, facti sunt reges & principes mũdi. Ideoque si legibus suis non oneraret conscientias, non diu retineret illam suam tremendam potestatem, dignitatẽ, opes, &c. sed statim rueret totũ regnum ipsius.

Locus iste quem Paulus tractat, grauissimus est, ideo diligentissimè considerandus. Quod videlicet deficientes à gratia rursus ad legem, amittant prorsus totam cognitionem veritatis, peccatum suũ non cernant, nec Deum, seipsos aut Diabolũ non agnoscant, Denique vim & vsum legis, de cuius tamen obseruatione maximè gloriantur, non intelligat. Nam sine cognitione gratiæ, hoc est Euangelij de Christo, impossibile est, quòd homo definiat, legem esse infirmum & egenum elementum, ad iustitiam inutile, sed omninò contrarium de lege iudicat, videlicet eam non solùm necessariam

neceſſariam eſſe ad ſalutem, ſed etiam confirmare & locupletare infirmos & egentes, hoc eſt facientes eam promereri iuſtitiam & ſalutem & æternam. Hac opinione ſtante, negatur promiſsio Dei tollitur Chriſtus, &c. ſtatuitur mendacium, impietas, Idolatria. Papa autem cum omnibus Epiſcopis, Academijs, & tota ſua ſynagoga docuit, leges ſuas ad iuſtitiam neceſſarias. Ideo fuit doctor infirmorum & egenorum elementorum, quibus reddidit Eccleſiam Chriſti in orbe terrarum infirmiſsimam & pauperrimam, hoc onerauit & miſerrimè afflixit eam ſuis impijs legibus obſcurato Chriſto, & Euangelio ipſius obruto ac ſepulto. Itaque ſi voles obſeruare leges Papæ ſine offenſione conſcientiæ, ſerues illas ſine opinione iuſtitiæ, Ea nanque per ſolum Chriſtum donatur.

Quibus denuò ſeruire vultis? Hoc addit vt oſtendat ſe loqui de ſuperbis & prę ſumptuoſis hypocritis, qui per legẽ quęrũt iuſtificari, vt ſuprà ſępe indicaui. Alias legẽ appellat ſanctã, bonã, &c. vt 1. Tim. 1. Scimus quod lex bona ſit ſi quis ea legitimè vtatur, ſcilicet politicè ad cohercendos malos, Theologicè ad augendas tranſgreſsiones. Qui autem lege vtitur ad conſequendam iuſtitiã corã Deo, neſcit quid loquatur, aut de quo affirmet, facitq; legem bonã, ſibi noxiam & damnabilẽ. Arguit ergo Galatas quo denuò ſeruire volunt legi, quæ non liberat à peccatis, ſed ea tantùm auget, Nam peccator per ſe infirmus & egenus, dum quærit per legem iuſtificari, in ea nihil inuenit, quàm ipſam infirmitatem & egeſtatem. Duo enim ægri & mendici conueniunt, quorum alter alterum tantùm plus onerat, non ſanat. Vt fortes in Chriſto libenter volumus ſeruire legi, non tamen infirmæ & egenæ, ſed robuſtæ & diuiti, hoc eſt, quatenus eſt efficax habens Dominium in corpus, &c. Ibi enim ſeruimus legi tantùm corpore & membris, non conſcientia. Sed Papa exigit vt ſeruiamus legibus ſuis, cum hac opinione, ſi feceris, iuſtus es, ſi non, damnatus, Ibi lex eſt plus quàm infernum & egenum elementum, &c. Nam durante iſta conſcientię ſeruitute ſub lege, nihil eſſe poteſt, quàm mera infirmitas & egeſtas. Quare tota Emphaſis eſt in vocabulo ſeruiendi. Agit ergo Paulus hoc loco, ne conſcientia capta ſub lege ſeruiat, ſed libera ſit & domina legis. Nam per Chriſtum eſt mortua legi, & econtrà lex ipſi. De qua re capi. 2. copioſius dictum eſt.

FACERE LEGEM QVID SIT.

Tota vis ſita eſt in vocabulo faciendi. Facere autem legem, non eſt tantùm externè, ſed rectè & perfectè facere. Sunt itaq; duplices legis factores. Alij, qui ſunt ex operibus legis, contra quos agit & pugnat Paulus in tota hac Epiſtola, Alij, qui ſunt ex fide, de quibus paulò poſt dicimus. Ex lege autem, ſeu operibus legis eſſe, & ex fide eſſe ſunt prorſus contraria, vt diabolus & Deus, peccatum & iuſticia, mors & vita contraria ſunt. Ex lege enim ſunt, qui per legem iuſtificari volunt, Ex fide ſunt, qui ſola miſericordia propter Chriſtum ſe iuſtificari confidunt. Qui ex fide dicit eſſe iuſticiam, maledicit & damnat iuſticiam operum. Contrà, qui ex lege dicit eſſe iuſticiam, maledicit & damnat iuſticiam fidei. Sunt igitur præciſè contraria.

Qui hoc conſiderat, facilè intelligit, quod facere legem, ſit non tantùm externè in ſpeciẽ, vt hypocritę ſomniant, ſed in ſpiritu, hoc eſt, reuera & perfectè preſtare ea, quæ in lege præcipiuntur. Sed vbi inueniemus illum, qui legem ſic facit? Detur, & laudabimus eũ. Ibi ſtatim reſpondent aduerſarij, Factores legis iuſtificabũtur. Benè. Sed definiamus primùm, qui ſint iſti factores. Ipſi factorem legis appellant eum, qui operatur legem, & ſic ex præcedentibus operibus iuſtificatur. Hoc non eſt facere legem apud Paulum, Quia vt dixi, contraria ſunt, ex operibus legis eſſe, & ex fide eſſe. Itaq; velle iuſtificari ex operibus legis, eſt negare iuſticiam fidei. Quare hoc ipſo iuſticiarij, cùm legem faciunt, negant iuſticiam fidei, & peccant in primum, ſecundum, & tertium præceptum, & in totam legem.

Quia

Quia Deus præcipit se coli fide & timore sui. Ipsi è diuerso sine fide & contra fidem faciunt ex operibus iusticiam. Hoc ergo ipso quod faciunt legem, maximè faciunt contra legem, & grauissimè & atrocissimè peccãt, Negant enim Dei iusticiam, misericordiam & promissiones, negant Christum cum omnibus beneficijs suis, & statuunt in corde, non legis iusticiam, quam non intelligunt, multò minus faciunt, Sed merum figmentum & idolum legis, Ideo necesse est eos faciendo legem, non solùm non facere, sed etiam peccare, & negare diuinam maiestatem in omnibus promissis suis. Ad hoc certè lex non est data.

Quare non intelligentes legem, abutuntur ea, & Paulus ait. Rom. 10. Ignorantes iusticiæ Dei, & suam quærentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Cæci enim sunt non intelligentes, quid de fide & promissionibus sentiendum sit, ideo prorsus sine omni iudicio irruunt in scripturam, apprehendentes vnam tantùm ipsius partem, scilicet legem, hanc putant se operibus implere. Sed hoc merum est somnium, fascinatio & illusio cordis, iusticiaq; illa legis, quàm putant se præstare, reuera nihil aliud est, quàm idolatria & blasphemia Dei, Ideo necesse est eos manere sub maledicto.

Ergo legem, hoc modo, vt ipsi somniant, impossibile est nos facere, multò minus per eam iustificari. Hoc primùm testatur lex ipsa, quæ omninò contrarium effectum habet. Auget enim peccatum, operatur iram, accusat, perterrefacit & condemnat, quomodo igitur iustificaret? Deinde etiam promissio idem ostendit, Quia dictum est Abrahæ, In te benedicentur omnes gentes. Itaque nusquam est Benedictio, nisi in promissione Abrahæ, extra quam si es, sub maledicto es, & manes. Si sub maledicto, non imples legem, quia es sub peccato, diabolo, & morte æterna, quæ omnia certò sequuntur maledictionem. Summa, Si per legem veniret iusticia, frustra promitteret Deus, frustraque profunderet suam Benedictionem. Ideo cum Deus sciret, nos legem non posse facere, præuidit hoc longè ante legem, & Abrahæ promisit Benedictionem, dicens: Benedicentur in te &c. Atq; ita testatus est, omnes gentes non per legem, sed per promissionem Abrahæ, benedicendas fore. Qui igitur contempta promissione appræhendunt legem, vt per eam iustificentur, maledicti sunt.

Quare facere, est primùm credere, & sic per fidem præstare legem, oportet nos primùm accipere Spiritum Sanctum, quo illuminati & renouati incipimus facere legem, hoc est, diligere Deum & proximum. Spiritus Sanctus autem non per legem accipitur (. Nam qui sub lege sunt, ait Paulus, sub maledicto sunt.) sed per auditum fidei, hoc est, per promissionem. Oportet nos simpliciter cum Abraham & fide ipsius in promissionem benedici. Ideo primùm omnium audienda est promissio, quæ Christum proponit, eumq; credentibus offert, quo fide apprehenso, donatur Spiritus Sanctus propter ipsum. Ibi tum diligitur Deus & proximus, bona opera fiunt, fertur Crux. Hoc verè est legem facere, alioqui lex perpetuò manet infecta. Quare si propriè ac diserte definias quid sit facere legem, nihil aliud est, quàm credere in Iesum Christum, & accepto per fidem in Christum Spiritu Sancto operari ea, quæ sunt in lege. Neque aliter lex à nobis fieri potest. Quia scriptura dicit, extra promissionem non esse benedictionem, etiam in lege. Igitur impossibile est fieri legem absque promissione, oportet adesse benedictionem, quæ prædicatio, est de Christo, qui Abrahæ promissus est, quod per ipsum mundus benedicendus sit, alioqui nunquam faciemus legem.

Itaque neminem in toto mundo dabis, cui hic titulus, factor legis, conueniat extra promissionem Euangelij. Ideo, factor legis, est terminus fictus, quem nemo intelligit, nisi sit extra & supra legem in benedictione & fide Abrahæ, ita vt verus factor legis is sit, qui accepto Spiritu Sancto per fidem Christi, incipit diligere Deum & bene-

& benefacere proximo. Vt facere includat simul fidem, quæ facit arborem, qua facta, fiunt fructus. Oportet primùm esse arborem, postea fructus. Poma enim non faciunt arborem, sed arbor poma facit. Sic Fides primùm personam facit, quæ postea facit opera. Itaque facere legem absque fide, est facere poma sine arbore ex ligno & luto, quod non est facere poma, sed mera phantasmata. Contrà, posita arbore, hoc est, persona seu factore, qui fit per fidem in Christum, sequuntur opera. Oportet enim factorem esse ante facta, non facta ante factorem. Quare non factor dicitur ab operibus factis, sed faciendis. Quia christiani non fiunt iusti, operando iusta, sed iam fide in Christum iustificati, operantur iusta. Illud alterum politicum est, scilicet ex factis fieri factorem, vbi sæpe citharisando, vt ait Aristoteles, fit aliquis Citharœdus. In Theologia autem factores non fiunt ex operibus, sed ex personis per Fidem iam factis fiunt operatores. De talibus loquitur Paulus Roman. 2. Cum ait: Factores legis iustificantur, id est, iusti reputantur.

Quin & ipsi Sophistæ coguntur fateri, & ita etiam docent, Opus morale externè factum, si non fiat syncero corde, bona voluntate & recto dictamine rationis, esse simulatum. Atque hinc natum est apud Germanos adagium, **Die Kappe deckt manchen Schalck.** Impius enim & pessimus nebulo potest eadem opera simulare, quæ pius ex fide facit. Iudas eadem opera faciebat, quæ alij Apostoli. Quid deest operibus Iudæ, cùm eadem faciat quæ cæteri Apostoli? Ibi respondet Sophista ex morali sua Philosophia, Quanquam eadem opera faciat quæ alij, tamen quia persona est reproba, dictamen rationis peruersum, opera eius sunt Hypocritica, non vera, vt aliorum Apostolorum, vt maximè in speciem similia videantur. Itaque coguntur illi ipsi fateri in politicis & externis, opera non iustificare, nisi inuoluant simul rectum cor, opinionem & voluntatem. Quantò magis coguntur hoc concedere in Theologia, vbi ante omnia oportet adesse noticiam Dei & fidem, quæ cor purificet. Incedunt igitur in operibus & iusticia Legis, vt Iudas in operibus Apostolorum, non intelligentes quæ loquuntur aut de quibus affirmant. Et quanquam Paulus passim dicat claris verbis, Legem non iustificare, sed iram operari, ostendere peccatum, reuelare iram & iudicium Dei, & comminari mortem æternam, Tamen ista legentes non vident, multò minus intelligunt. Ideo non sunt digni vt vocentur Hypocritæ, sed laruæ & spectra sunt plane fascinati, cùm somniant se operibus legis esse iustos. Itaque, vt dixi, factor Legis, vt ipsi definiunt, est terminus fictus & monstrum, nusquam existens in rerum natura.

Quare Paulus cùm hunc locum, Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, probat per hoc dictum Mosi, Maledictus omnis, &c. Non probat contrarium per contrarium, vt primo aspectu apparet, sed rectissimè & optimè probat. Moses enim idem sentit & statuit quòd Paulus, cum ait: Maledictus omnis, qui non fecerit, &c. Nemo autem facit. Igitur quicunque sunt ex operibus Legis, non faciunt Legem. Si non faciunt, sub maledicto sunt. Cùm verò duplices sint factores Legis, vt dixi, veri & Hypocritici, separandi sunt veri ab Hypocriticis. Veri sunt, qui per fidem bona arbor sunt ante fructum, & factores ante opera, De his loquitur & Moses, & nisi sint tales, sub maledicto sunt. Omnes autem Hypocritæ non sunt eiusmodi, quia habent opinionem, quod velint per operapara re iusticiam, & reddere per ea personam iustam. Sic enim cogitant, Nos peccatores & iniusti volumus fieri iusti, Quo modo? Ex operibus. Itaque perinde faciunt ac stultus aliquis Architectus, qui ex tecto fundamentum, ex fructibus arborem conatur facere. Nam cùm per opera iustificari quærunt factorem ex o-

peribus facere volunt, quod præcisè contra Mosen est, qui talem factorem æquè subijcit maledictioni, ac ipse Paulus.

Ideo conantes facere legem, non solùm non eam faciunt, sed etiam negant, vt dixi, primum præceptum, diuinas promissiones, benedictionem Abrahæ promissam, negant fidem, & seipsos suis operibus conantur benedicere, hoc est, iustificare, liberare à peccato & morte, Diabolum vincere, & vi cœlum rapere. Quod est simpliciter negare Deum, & sese in locum Dei constituere. Nam ista omnia sunt solius diuinæ maiestatis opera, non creaturæ neque Angelicæ neque humanæ.

Hinc Paulus facilè prædicere potuit ex primo præcepto, abominationes futuras, in Ecclesiam per Antichristum inuehendas. Qui enim præter cultum primi præcepti, qui est timor, fides & dilectio Dei, alium cultum ad salutem necessarium docent, sunt Antichristi, & constituunt se in locum Dei. Tales venturos prædixit etiam Christus Matth. 24. Cùm ait: Multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus. Sic & nos hodie, vt facilè, ita certò dicere possumus, Quicunque extra fidem quærit iusticiam per opera, negat Deum, & seipsum facit Deum, quia si cogitat, Si hoc opus fecero, iustus ero, ero victor peccati, mortis, Diaboli, iræ Dei & inferni, & consequar vitam æternam. Quod, quæso, quid aliud est, quàm arrogare sibi hoc opus, quod soli Deo competit, & ostendere sese esse Deum? Ideo facilè est nobis prophetare, & certissimè iudicare de omnibus, qui extra fidem sunt, quod non solùm sint Idolatræ, sed idola, quæ Deum negant, & sese in locum Dei constituunt. Ex eodem fundamento & Petrus Prophetauit, cum ait: Inter vos erunt mendaces Magistri, qui Dominum, qui eos mercatus est, negabunt, &c.

Et in veteri Testamento omnes Prophetiæ contra Idolatras ex primo præcepto fluxerunt. Omnes enim impij Reges & Prophetæ, cum infideli populo nihil aliud egerunt, quàm quod Papa & omnes Hypocritæ semper faciunt, posthabito primo præcepto & cultu à Deo instituto, ac contempta promissione de Semine Abrahæ, benedictore futuro omnium gentium, instituerunt sine & contra verbum Dei impium cultum, & dixerunt. Hoc cultu obseruato, laudabimus & seruiemus Deo, qui eduxit nos de terra Aegypti. Sic Hieroboam fecit duos aureos vitulos, & dixit: Ecce Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Hoc docebat de vero Deo, qui Israel redemerat, Et tamen ipse cum toto populo erant Idolatræ, Quia contra primum præceptum Deum colebant. Respiciebant enim in opus tantùm, quo facto, purabant se iustos coram Deo, Quod erat negare illum ipsum Deum, quem ore prædicabant, quod eduxisset eos de terra Aegypti. De talibus idolatris Paulus ait: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

Quare omnes Hypocritæ & idolatræ ea opera facere conantur, quæ propriè ad diuinitatem pertinent, & vni soliq́ue Christo competunt. Ore quidem non dicunt, Ego sum Deus, Ego sum Christus, reuera tamen interim diuinitatem & & officium Christi sibi arrogant. Ideo reuera dicunt, Ego sum Christus, Ego sum Saluator, non solùm meus, sed & aliorum. Hoc Monachi non solùm docuerunt, sed etiam persuaserunt toti mundo, nempe quòd non solùm seipsos iustificare possint sua illa Hypocritica sanctitate, sed etiam alios, quibus eam communicarent, Cùm tamen iustificare peccatorem, sit solius Christi proprium officium. Sic Papa spargendo suam diuinitatem in orbem terrarum, negauit & oppressit penitus officium & diuinitatem Christi.

Ista expedit habere benè inculcata & meditata. Quia valent ad iudicandam vniuersam Christianam doctrinam & vitam humanam, Valent ad confirmandas conscientias, ad intelligendas omnes Prophetias & Scripturas, & ad rectè iudicandas

dicandas omnes res. Qui enim ista probè tenet, certò statuere potest, Papam esse Antichristum, quia longè diuersum cultum docet, quàm prima Tabula proponit, Certò intelligere potest, quid sit negare Deum, negare Christum, quid Christus velit, cum ait: Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, Quid sit aduersari Deo, & extolli supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, Quid sit Antichristum sedere in exemplo Dei, & ostendere sese quasi sit Deus, Quid sit abominationem stare in loco sancto, &c.

Ista autem mala omnia hinc oriuntur, quod maledicta Hypocrisis non vult Benedictione diuina iustificari, nec formari à Deo creatore, non vult esse materia merè passiua, sed actiuè ea operari, quæ ipsa patiendo debebat Deum sinere operari, & ab eo accipere. Itaque facit seipsam creatricem & iustificatricem per opera sua, aspernans Benedictionem promissam, & datam Abrahæ & filijs eius credentibus. Sic quilibet Hypocrita simul est materia & operator (quanquam hoc sit contra Philosophiam, quia idem non potest agere in seipsum) Materia, quia peccator, Operator, quia induit cucullum, aut eligit quoddam aliud opus, per quod sperat mereri gratiam, & saluare seipsum & alios, Ergo simul est creatura & creator. Quare nemo potest verbis consequi, quàm horribilis & execranda res sit, quærere iusticiam extra benedictionem in Lege & operibus. Est enim abominatio stans in loco sancto, quæ negat Deum, & constituit creaturam in locum Creatoris.

Sunt igitur factores legis, non Hypocritæ externè facientes legem, sed credentes, qui accepto Spiritu Sancto eam implent, hoc est, diligunt Deum & proximum, &c. Vt factor legis sit, non qui ex operibus fiat factor, sed qui ex persona per fidem iam facta, fiat operator. Nam in Theologia iusti facti, iusta faciunt, non item in Philosophia, vbi facientes iusta, iusti fiunt. Itaq; Fide iustificati faciamus bona opera, per quæ, vt 2. Pet. 1. dicitur, vocatio & electio nostra confirmatur, & de die in diem certior fit. Sed quia tantùm primitias Spiritus, nondum decimas habemus, & reliquiæ peccati in nobis manent, Legem perfectè facimus. Sed hoc credentibus nobis in Christum, qui Abrahæ promissus est, & nos benedixit, non imputatur. Fouemur enim & alimur propter Christum interim in gremio tolerantiæ diuinæ. Sumus ille vulneratus, qui incidit in latrones, cuius vulnera Samaritanus obligauit, infundens Oleum & vinum. Quem deinde imposuit in iumentum suum, duxit in diuersorium, curamq; illius egit, Abiens autem commendauit eum hospiti, dicens: Curam illius habe. Itaque fouemur interim tanquam in Hospitali, donec adijciat Dominus secundo manum, vt Esaias ait, vt liberet nos.

Quare Mosi sententia: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c. Non pugnat cum Paulo, qui maledictos pronunciat eos, qui ex operibus Legis sunt. Moses enim requirit factorem, qui perfectè Legem faciat. Sed vbi accipiemus illum? Nusquam. Moses ipse fatetur se non esse talem, quia Exo. 34. Ait nullum esse innocentem apud Deum. Et Dauid: Ne intres in iudicium cum Seruo tuo, &c. Et Paulus Rom. 7. Non facio quod volo, &c. Quare Moses vnà cum Paulo necessariò nos cogit ad Christum, per quem simus factores legis, & nullius transgressionis rei. Quo modo? Primùm per remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ propter fidem in Christum, Deinde per donum & Spiritum Sanctum, qui parit nouam vitam, nouos motus, &c. In nobis, vt etiam Legem formaliter faciamus. Quod autem non fit, ignoscitur propter Christum. Deinde quicquid peccati reliquum est, non imputatur. Sic Moses consentit cum Paulo, & idem vult, cùm dicit: Maledictus omnis, &c. Quia negat eos facere Legem, cum velint ex operibus seipsos iustificare, & concludit cum Paulo, eos sub male-

dicto esse. Itaq; requirit Moses factores veros, qui ex fide sunt, vt Paulus eos damnat, qui non sunt veri factores, hoc est, qui non sunt ex fide. Nihil ergo impedit, quòd Moses negatiuè, Paulus affirmatiuè locutus est, modò rectè definias, quid sit facere. Sic vtraque sententia vera est, scilicet, Maledictos esse omnes, qui non permanserint in omnibus & Maledictos esse, qui ex operibus legis sunt.

PROPOSITIONES D. M. LVT. DE LEGE CONTRA ANTINOMOS IN QVIBVS BREVIS. COMPREHEN. DOCTRINA DE LEGE DIVINA ETC. QVOD SIT

In Ecclesia docenda, & regenda. Tom. I. Ienens. fol. 555.

1 LEx non solùm est non necessaria ad iustificationem, Sed planè inutilis & prorsus impossibilis.

2 Qui autem opinione iustificationis legem seruant, ijs ipsa etiam venenum fit & pestis ad iustificationem.

3 Cùm de iustificatione agitur, nihil potest satis dici, contra legis impotentiam & pestilentissimam fiduciam in lege.

4 Neque enim data est lex vt iustificet, aut viuificet, aut quidquam iuuet ad iusticiam.

5 Sed vt peccatum ostendat, & iram operetur, hoc est, conscientiam reum faciat.

6 Mors non est inflicta, vt per eam viuamus, nec peccatum ingenitum, vt per ipsum innocentes essemus.

7 Ita lex non est lata, vt per eam iusti fieremus, cùm neque iusticiam neque vitam præstare possit,

8 Summa, quantum cœlum à terra distat, tantùm debet lex à iustificatione separari.

9 Et nihil docendum, dicendum, cogitandum in re iustificationis, nisi solum verbum gratiæ in Christo exhibitæ.

10 Ex his autem non sequitur, legem esse abolendam, & è concionibus Ecclesiæ tollendam.

11 Quin eò magis est necesse eam doceri & vrgeri, quod non est necessaria, sed impossibilis ad iustificationem.

12 Vt homo superbus & de viribus suis præsumens erudiatur, sese per legem non posse iustificari.

13 Nam peccatum & mors eò maximè monstranda sunt, non quòd necessaria sint ad vitam & innocentiam.

14 Sed vt homo agnoscat suam iniusticiam & perditionem, & ita humilietur.

15 Si peccatum ignoretur, præsumitur falsa innocentia, sicut in Gentibus, & post in Pelagianis, cernitur.

Si

16 Si mors ignoretur, præsumitur, hanc vitam esse vitam & nullam in futuro aliam.

17 Cùm verò non nisi lex vtrumque doceat, satis claret, legem esse maximè necessariam & vtilem.

18 Quicquid ostendit peccatum, iram seu mortem, id exercet officium legis, siue fiat in veteri siue in nouo Testamento.

19 Reuelare enim peccatum est aliud nihil, nec aliud esse potest, quàm esse legem, seu effectum & vim legis proprijssimam.

20 Lex & ostensio peccati, seu reuelatio iræ, sunt termini conuertibiles, vt homo, & risibile vel rationale.

21 Tollere legem & retinere reuelationem iræ, est idem, ac si neges Petrum esse hominem, affirmes autem esse risibilem vel rationalem.

22 Similis sapientia est, tollere legem, & tamen docere peccatum remittendum.

23 Cùm dicat Scriptura Spiritus Sancti, sine lege peccatum esse mortuum, Et, vbi non est lex, non esse præuaricationem.

24 Vt impossibile sit esse aut intelligi peccatum sine lege, siue scripta siue insculpta.

25 Post sequitur, Cùm nullum sit (sublata lege) peccatum, nullum quoque esse Christum redemptorem à peccato. Sic enim ipse Christus dicit: Non est opus medico valentibus.

26 Cùm autem Christus venerit, non soluere sed implere legem, frustra venit, si nulla sit lex in nobis implenda.

27 Et cùm lex Dei requirat obedientiam nostram erga Deum, tollunt isti Nomomachi etiam obedientiam erga Deum.

28 Ex ijs sit manifestum, quod Satan in istis suis organis, verbaliter tantùm docet peccatum, pœnitentiam & Christum.

29 Reuera autem tollit Christum, pœnitentiam, peccatum, & vniuersam Scripturam, vnà cum ipso Deo eius autore.

30 Et cogitat statuere pestilentissimam securitatem, contemptum Dei, impunitatem, & perpetuam impœnitentiam, plus quàm Epicurus ipse.

31 Hoc testatur illa vox eorum, quod Lex arguat peccatum, & quidem sine Spiritu Sancto tantùm ad condemnationem.

32 Hìc apparet, eos velle tale peccatum doceri, quod non condemnet, fortè quodetiam sine Christo saluet.

33 Nam si peccatum non damnat, restat, vt Christus non redemerit nos à peccato damnante, ita nec ab ira Dei.

34 Peccatum enim non damnans, est peccatum melius, quàm sit ipsa iustitia & vita.

35 Quid enim est beatius, quàm peccatum habere non damnans, id est, non existens peccatum.

36 Igitur amota lege, ita sumus salui à peccato, vt ne Christo quidem egeamus Mediatore, &c.

37 Sed & hoc falsum est, quod sine Spiritu Sancto arguat lex peccatum, cùm lex sit scripta digito Dei.

38 Et omnis veritas vbicunque est, à Spiritu Sancto est, & prohiberi legem, est veritatem Dei prohiberi.

39 Tollere legem ob hoc officium, quod arguat peccatum ad condemnationem, euidens est furor.

40 Edamus igitur bibamusque & sub istis Magistris cantemus, Pereat, qui castrina curat.

41 Nam hæc est peccati vis, vt Paulus dicit, quod peccatum est aculeus mortis, & lex virtus peccati.

42 Sublata est enim lex virtus peccati, & consequenter sublata vi peccati, mors quoque & infernus perierunt.

43 Non per sanguinem Filij Dei legem seruantis & implentis, sed quia nos negamus esse legem Dei, quæ impleatur.

44 Omnia eorum de peccato, pœnitentia, Christo & remissione, sunt impurissima, & Satanæ ipso dignissima mendacia.

45 Lex enim, vt fuit ante Christum, nos quidem accusans, sub Christo autem per remissionem peccatorum placata, & deinceps Spiritu implenda.

46 Ita post Christum in futura vita, manebit impleta facta tunc ipsa, quod interim exegit, creatura noua.

47 Quare lex nunquam in æternum tollitur, sed manebit vel implenda in damnatis, vel impleta in beatis.

48 Isti verò Satanæ discipuli videntur cogitare, legem esse temporalem, quæ sub Christo cessauerit, veluti est circumcisio.

PROPOSITIONES D. LVTHERI DE LEGE DIVINA CONTRA ANTINOMOS.

Tom. 1. Folio 559.

1 LEx dominatur in homine, quanto tempore viuit.

2 Liberatur autem à lege dum moritur.

3 Necesse est igitur hominem mori, si à lege velit liberari.

4 Quod si lex dominatur viuenti homini, dominatur & peccatum viuenti.

5 Quare hominem mori oportet, si à peccato liberari velit.

6 Lex enim virtus est peccati, stimulus autem mortis peccatum est.

7 Hæc tria, lex, peccatum, mors, sunt inseparabilia.

8 Quatenus igitur mors adhuc est in homine, eatenus peccatum & lex est in homine.

9 Legem accipimus extra Christum, hoc est, literam nondum impletam, tamen implendam necessariò à nobis.

10 In Christo quidem lex impleta est, peccatum deletum, mors destructa est.

11 Hoc est, si in Christo per fidem crucifixi & mortui sumus, talia sunt vera in nobis quoque.

12 At si viuimus, in Christo nondum sumus, sed extra Christum sub lege, peccato & morte agimus.

13 Res ipsa autem & experientia testatur, ipsos iustos quoque morti adhuc tradi quotidie.

14 Quare necesse est, ipsos, quantum sub morte sunt, sub lege quoque & peccato adhuc esse.

15 Prorsus imperiti & mentium deceptores sunt, qui legem ab Ecclesia tollere volunt.

16 Hoc enim non solùm est stultum & impium, sed prorsus impossibile.

17 Si enim legem tollere voles, oportet vt simul & peccatum & mortem tollas.

18 Mors enim & peccatum per legem sunt, vt Paulus dicit, lex occidit, & virtus peccati lex.

Cùm

19 Cùm verò videas iuſtos quotidie mori, quanta eſt ſtulticia, eos ſine lege eſſe putare.

20 Nam ſi lex non eſſet, nec peccatum nec mors eſſet.

21 Probare igitur debuerant prius, iuſtos eſſe prorſus ſine omni peccato & morte.

22

23 Aut ipſos amplius in carne non viuere, ſed de mundo ſublatos eſſe.

Tum rectè doceretur, etiam legem prorſus eſſe illis ſublatam, & nullo modo docendam.

24 Hoc autem cùm probare non poſſint, ſed experientia ipſa contrarium in faciem eorum oſtendat.

25 Inſignis eſt impudentia iſtorum Magiſtrorum, legem volentium tollere ab Eccleſia.

26 Sed longè maior eſt impudentia, ſed verius inſania ipſorum, legem etiam ab impijs tollendam & non docendam eſſe.

27 Si enim Sanctis & iuſtis eſt peccatum & mors ipſorum, id eſt, lex proponenda, quibus tamen non eſt poſita.

28 Quantò magis impijs & malis, quibus propriè & maximè poſita eſt, debet proponi.

29 Quod ſi fingunt, ſuam Eccleſiam ſeu auditores ſimpliciter eſſe omnes pios, & ſine lege Chriſtianos.

30

31 Patet eos prorſus inſanire, & neſcire quid loquantur aut affirment.

Nam hoc eſt aliud nihil, quàm omnes auditores eorum putare ex hac vita ſublatos eſſe.

32

33 Hoc autem putare, eſt ſibijpſi in vacuo theatro ludos fingere & ſpectare.

Sunt enim in hoc ſeculo ſemper, tum iuſti in carne viuentes, tum etiam mali maiori numero illis permixti.

34 Vt igitur lex eſt poſita, haud dubiè docenda & non tollenda, qua peccatum & mortem, ſeu iram Dei agnoſcant.

35 Ita pijs eadem eſt poſita, quatenus nondum mortui ſunt, & in carne adhuc viuunt.

36 In Chriſto ſuſcitato certè nullum eſt peccatum, nulla mors, nulla lex, quibus ſubiectus erat viuens.

37 Sed idem Chriſtus nondum eſt in ſuis fidelibus perfectè ſuſcitatus, imò cœpit in eis, vt primitiæ, ſuſcitare à morte.

38 In impijs verò, quorum maior eſt numerus in Eccleſia permixtus, adhuc totus eſt mortuus, imò nihil eſt omninò.

39 Et ſunt illi ſimpliciter ſub lege, & eos oportet lege, etiamſi fieri poſſet, fulmine corporali terreri.

40 Quatenus Chriſtus in nobis eſt ſuſcitatus eatenus ſumus ſine lege, peccato & morte.

41 Quatenus verò nondum eſt in nobis ſuſcitatus, eatenus ſumus ſub lege, peccato & morte.

42 Quare lex & promiſcuè docenda eſt (ſicut Euangelium) tam pijs quàm impijs.

43 Impijs vt territi agnoſcant ſuum peccatum, mortem & ineuitabilem iram Dei, per quem humilientur.

44 Pijs, vt admoneantur, carnem ſuam crucifigere, cum concupiſcentijs & vitijs, ne ſecuri fiant.

45 Securitas enim tollit fidem & timorem Dei, facitque nouiſſima peiora prioribus.

46 Videtur satis apertè, Antinomos opinari, peccatum esse formaliter & Philosophicè seu Iuridicè sublatum per Christum.

47 Et eos prorsus nescire, solùm reputatione & ignoscentia Dei miserentis esse subiatum.

48 Relatiuè enim, non formaliter aut substantialiter, est peccatum sublatum, lex abolita, mors destructa.

49 Et hoc totum propter Christum, in hac vita, donec occurramus in virum perfectum, in plenitudine ætatis Christi.

50 Scimus, & ipsi ex nobis didicerunt, Christum esse nobis factum Sacramentum & Exemplum.

51 Non nostra, multò minus ipsorum, sed Augustini est hęc pulcherrima cogitatio.

52 Qua dicit Christum suo simplo concinere nostro duplo, & facere perfectum numerum.

53 Sed neque Augustinus autor, neque nos Discipuli eius, hanc affinximus consequentiam, legem ideo esse tollendam.

54 Hanc ipsi è suo capite, vt essent noui autores, & præ cæteris illustres, Diabolo magistro addiderunt.

55 Quatuor vias Scriptura tradit prædicandi & docendi ad salutem hominum, ex quatuor operibus Dei collectis.

56 Deus enim terret minis, solatur promissis, monet afflictionibus, allicit benefactis.

57 Sed hæc quatuor, dum docentur, non tollunt legem, sed stabiliunt legem.

58 Benignitas Dei adducit ad pœnitentiam, hoc est, vt legem peccati virtutem esse agnoscas.

59 Et lex terrens & occidens, id agit, vt ad seipsum, seu ad sui cognitionem cogat.

60 Hoc agunt ipsi fanatici, vt per Sacramentum & exemplum Christi ipsum Christum tollant.

61 Nam si lex tollitur, nescitur quid Christus sit aut fecerit, dum pro nobis legem impleuit.

62 Si enim plenitudinem legis, id est, Christum intelligere volo, necesse est scire, quid sit lex & plenitudo eius.

63 Id doceri non potest, nisi doceatur, in nobis legem non esse impletam, & ideo nos reos peccati & mortis esse.

64 Hoc si docebitur, discimus nos pariter omnes esse debitores legis, & ira filios.

65 Impios simpliciter, carne & spiritu, seu totaliter, Pios verò, quatenus in carne sunt & viuunt.

66 Est igitur legis doctrina in Ecclesijs necessaria, & omninò retinenda, sine qua Christus retineri non potest.

67 Quid enim de Christo retineas, dum lege remota, quam ille impleuit, nescias, quid impleuerit.

68 Denique sic est lex impleta in Christo, vt eam sic docere non possis, nisi doceas & legem in nobis non esse impletam.

69 Summa, legem tollere, & peccatum mortemque relinquere, est morbum peccati & mortis ad perniciem hominibus occultare.

70 Sublatis morte & peccato (vt Christus fecit) fœliciter tolleretur, imò lex stabiliretur, Rom. 3.

ALIAE PROPOSITIONES D. MARTINI LVTHERI CONTRA *Antinomos.*

1 ISta conſequentia Sancti Pauli, vbi non eſt lex, ibi nec præuaricatio, non ſolùm Theologicè, ſed etiam politicè & naturaliter bona eſt.

2 Similiter & illa, vbi non eſt peccatum, ibi nec pœna nec remiſſio.

3 Similiter & illa, vbi non eſt pœna nec remiſſio, ibi nec ira nec gratia.

7 Similiter & illa, vbi non eſt ira nec gratia, ibi nec diuina nec humana gubernatio.

5 Similiter & illa, vbi non eſt diuina nec humana gubernatio, ibi nec Deus nec homo.

6 Similiter & illa, vbi non eſt Deus nec homo, ibi nihil niſi fortè Diabolus.

7 Quo fit, vt Antinomi legis hoſtes, ſint planè vel ipſi Diaboli, vel Diaboli fratres.

8 Nihil iuuat Antinomos, quòd gloriantur ſe de Deo, Chriſto, gratia, lege &c. Plurima docere.

9 Non nouum nec rarum eſt, nomen Domini in vanum ſumi, etiam ab ipſis Dæmonibus.

10 Antinomorum confeſſio ſimilis eſt illi, vbi Dæmones clamant: Tu es Filius Dei viui, Luc. 4. & 8.

11 Et illorum Pſeudoprophetarum Iuramento: Viuit Dominus, cùm tamen falsò iurarent, teſte Iſaia & Ieremia.

12 Qui legem damnantem negat docendam eſſe, reipſa legem ſimpliciter negat.

13 Ac ſi quid de lege docet, velamen Moſi, non faciem claram & veram, id eſt, carnaliter intellectam docet.

14 Lex non damnans, eſt lex ficta & picta, ſicut Chymera aut Tragelaphus.

15 Nec politica aut naturalis lex eſt quidquam, niſi ſit damnans & terrens peccatores Rom. 3. 1. Pet. 2.

16 Hinc rectè dicitur, Ex malis moribus bonæ leges fiunt.

17 Quidquid de Deo, Chriſto, fide, lege, gratia, &c. loquuntur, Antinomi ſine intellectu, vt Pſitacus ſuum χαῖρε, loquuntur.

18 Ideo impoſſibile eſt ab Antinomis diſcere Theologiam, aut politiam.

19 Quare vitandi ſunt, vt licentiæ & indulgentiæ ad omnia facinora peſtilentiſſimi Magiſtri.

19 Non enim Chriſto, ſed ſuo ventri ſeruiunt, & hominibus placere volunt, à die humano gloriam furenter quærentes.

AN OM.

AN OMNES IMAGINES TOLLENDAE, D. LVTH. IN CAPITE I. MICHAE.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 544.

Et omnia ſculptilia eius conterentur.

Hic locus vnus eſt ex eorum numero, qui hodie εἰκονομάχοις occaſionem de-
dit, vt omnes imagines ſine diſcrimine ex templis eijcerent. Neque hic nouus in-
Eccleſia tumultus eſt. Nicena Synodus ſecunda annis retro plus mille & cen-
tum ſub Conſtantio & Irene matre eius hanc ob vnam cauſam coacta eſt & decre-
tum magno conſenſu eſt contra eos, qui ſtatuebant nullum in templis imaginum
vſum eſſe. Non igitur abſurdum fuerit paucis oſtendere, hoc quid de negocio recte
poſſit conſtitui. Verùm eſt, quod Moſes & Prophetæ magno ſtudio vbique prohi-
bent & damnant imagines, ſed ineptum eſt, id in genere intelligere de omnibus
imaginibus. Nam & Iudæi Imaginibus etiam in templo ſunt vſi, ſicut oſtendit
ædificium Salomonis. Et quis dubitet in Regum & Principum domibus non
fuiſſe aliquas pictas Tabulas? Pictura enim, quia res repreſentat nunquam inter
prohibitas aut illicitas artes habita eſt. Sicut igitur ſine peccato recitatur Hiſto-
ria de Salomone ſapienter iudicante inter duas meretrices: Ita profectò ſine pec-
cato eadem Hiſtoria pingitur. Neque ego vnquam Iudæos tam Barbaros fuiſſe
iudicarim, quin etiam in publicis locis & non tantùm inter priuatos parietes hos
monumenta rerum præclarè geſtarum habuerint picta. Sicut in ijs deſcriben-
dis perquam diligentes fuerunt. Non ſolùm igitur barbariem ſed inſignem quo-
que inſcitiam iudicauerimus, quod in multis locis etiam Chriſti & Apoſtolorum
imagines ſine diſcrimine ex templis eiectæ ſunt. Quis enim non videt, quod ſicut
ſine peccato piæ Hiſtoriæ etiam cum fructu auditorum recitantur, Ad hunc mo-
dum propter rudes etiam pingi tales Hiſtoriæ & ſculpi poſſunt non ſolùm in priu-
tis ædibus, ſed in publicis locis. Vt ſicut olim decreta rerum publicarum in pub-
co loco proponebantur, Ita rudes vbique admoneantur ſalutis ſuæ beneficiorum
Dei pœnarum, quæ peccatoribus inflictę ſunt, & ſi quæ alia ad ædificationem ſuæ
vtilia.

Sed inquies, ſi tanta picturarum & imaginum eſt vtilitas, cur tanto ſtudio à Moſe
& Prophetis prohibentur & damnantur? Reſpo. Moſes & Prophetæ loquuntur
de imaginib. ad eum finem conditis, vt adorarentur & per illam adorationem Deus
us crederetur coli. Sicut manifeſtum teſtimonium eſt in ſecundo præcepto. Non
adorabis neque coles ea. Quia ego ſum Deus tuus. Sic in Deut. dicit Moſe Dom-
nus locutus eſt vobis, vocem eius audiuiſtis, ſimilitudinem vidiſtis nullam. Ne fa-
ceretis vobis imaginem quam adoraretis. Ergo vicium omne eſt in adoratione &
cultu, qui non ligno, non lapidi, non auro, non argento, ſed ipſi Deo conditori de-
betur. Adoratio igitur ſi abſit, poteſt imaginum, ſicut literarum, vſus eſſe, quæ ad-
monent nos rerum & res quaſi repræſentant. Euangelia exponunt Hiſtoriam Chri-
ſti. Lex & Prophetæ voluntatem Dei nobis exponunt. Sed quis ideo chartas ex-
oſculatur? Quis eas adorat? Quis putat Deum coli, ſi coram Sanctis Biblijs pro-
cumbat? Alius earum eſt vſus, vt legantur, vt edoceamur de voluntate Dei & fa-
ciamus eam. Hic igitur naſcitur alia imaginum differentia. Quędam enim men-
daces & ſcandaloſæ ſunt. Sicut Barbaræ, Margarethæ, Georgij, Chriſtophori,
Catharinæ, &c. Hæ quia mendaces ſunt. (Nam quos referunt nunquam in natu-
ra fuerunt) abijciendæ ſunt.

Sunt

Sunt enim tantùm ad Idolatriam confictæ. Sicut igitur mendaces libri abijciuntur, quod etiamsi diu eos legas, nihil nisi mendacia legas. Ita quoque harum imaginum nullus est vsus. Non autemsatis est admonere quid sint mendaces. Sed propter scandalum pænitus tollendæ sunt. In quem vsum enim asseruantur? Quin potius sicut nemo domi suæ scandalosas picturas ferre debet. Ita maximè ex publicis Ecclesijs eijciendæ sunt in quibus omnia ad ædificationem seruire debent quidquid dicitur, scribitur, canitur, pingitur, sculpitur. In Summa, quidquid videtur & auditur. Ac habenda est in hac re posteritatis ratio cui ista in scandalum & ruinam esse possunt. Sicut exempla extant in Sacris Historijs vbi etiam bonæ res cùm in scandalum abijssent abiectæ sunt. Sicut æneus serpens.

DISPVTATIO D. MARTI. LVTHERI DE PRAECEPTIS, ET CONSILIIS, EX TOM. I. FOL. 561.

DE ILLO CHRISTI DICTO *Vade, Vende, relinque omnia, &c.*

1 DOminus hoc ipso, quod docet vendere & relinquere omnia, concedit, imò præcipit quærere & possidere omnia.

2 Non enim poteris vendere aut relinquere, nisi quod iustè acquiesieris & possederis.

3 Alioqui dici oportuit, omnia esse reddenda & restituenda, ceu furta, rapta, iniusta.

4 Manifestum est, in secunda Tabula præcipi, omnia quærere & possidere, dum dicit: Furtum non facies.

5 Hoc est, tuum, non alienum habeas, seu (vt Paulus ait) laboret quilibet, vt habeat quod det egenti.

6 7 Et ipse Paulus quærebat manuum opere victum, & possidebat suum.

8 Ita dum prohibet adulteria, cogit habere vxores proprias, vt Paulus dicit, vnusquisque suam habeat.

9 Certùm est autem, quod Christus non venerat soluere legem secundæ tabulæ, sed magis confirmare.

10 Quin & Magistratum & Iura politiæ vbique confirmat, etiam coram Pilato, dicens: Datum est tibi desuper.

11 Hæreticum igitur est, quod Monachi putant, Christi Euangelium seruari non posse, nisi secundam tabulam cœlibatu & paupertate contemnant.

12 Estque Hypocrisis & mendacium insigne, quod prætexunt, sese vendere & relinquere omnia.

13 Oportet enim viuere eos, vel de datis per alios, vel acquisitis per se ipsos, vt testaturres & experientia.

14 At dum edunt, bibunt, vestiunt, habitant, certè non vendunt nec relinquunt omnia, sed habent & vtuntur omnibus.

Sed hoc pulcherrimum commentum est, quod de alienis bonis viuunt otiosi & securi, & paupertatem, seu relinquere omnia, faciunt idem quod in communi possidere.

Hoc est

15 Hoc est suauissimum relinquere propria modica & incerta & pro ijs accipere aliena plurima & certissima.

16 Christus autem dicit, vendenda & relinquenda esse omnia propria, haud dubiè multò magis omnia aliena & communia.

17 Igitur si monastico sensu volent relinquere & vendere omnia, oportet eos exire de hoc mundo.

18 Imò exire oportet illuc, vbi non viuitur, editur, bibitur, vestitur, habitatur, vt sic verè omnia relinquant.

19 Nam vita, seu quod viuis, edis, bibis, vestis, locus, hora & similia, quibus vteris, tua sunt ipso vsu.

20 Si verò tua non sunt, iam fur aut latro es, aliena vorans, & pro tuis vitiis pans.

21 CHristus loquitur de relinquendis & vendendis omnibus propter primam tabulam, seu confessionem & causam publicam fidei.

22 In causa enim primæ tabulæ retinenda, emendaque ista Gemma regni coelorum, vendendus est Ager, relinquenda & amittenda sunt omnia,

23 Tunc enim quòd in secunda tabula iustè habes & possides pro hac vita propter primam Tabulam, id est, vitam æternam, est hilariter admittendum.

24 Extra causam primæ tabulæ, seu confessionis, sunt omnia paranda, seruanda, defendenda, administranda.

25 Quia tenemur tabulæ secundæ obedire, id est, Iure diuino & naturali corpus & hanc vitam fouere, alere, tueri, administrare.

26 Extra causam primæ Tabulæ, seu confessionis, si quis suis non prouidet, fidem negat, & est infideli deterior. Et Christus: Non separet homo, quos Deus coniunxit.

27 Hoc est, ita relinqueudo suos & vendendo sua, simul vltra Tabulam secundam, peccat & in primam.

28 Si contrà, qui in causa Dei non dixerit ad se, suos, sua, Nescio vos, non solùm legem primæ tabulæ, sed nec secundæ seruat.

29 Qui contra Deum iniustè tenet, vocante Tabula prima, quod à Deo habet, & iustè possidet, præcipiente tabula secunda.

30 Extra causam confessionis, Christianus est ciuis huius mundi, debens facere & ferre, quæ sunt suæ ciuitatis, iuxta Tabulam secundam.

31 Si nunc latro aut Fur tibi vim inferre, vel furari volet, eò quod tu Christianus es, hîc resistendum est malo, si vis pius ciuis esse huius mundi.

32 Quia sicut Magistratus ipse resistit, cuius membrum es, ita præcipit tibi resistere, virtute secundæ tabulæ, cui teneris obedire.

33 Ita si latro in itinere te occidere volet propter Christum, debes te defendere, etiamsi occidendus sit ille.

34 Quia scis Magistratum præcepisse, latronibus resistendum, & suos ciues defendendos esse, hoc ipso obedis tam primæ quàm secundæ tabulæ.

35 Nec curandum, si Christum, id est, tabulam primam prætendat, cùm ea tum sit, quod non propter Christum, sed propter rem tuam te occidere quærat.

36 Si verò Magistratus, siue prophanus, siue malè Christianus, te persequitur propter Christum, omnia sunt relinquenda, vendenda, perdenda.

37 Magistratus enim non est latro aut fur, rapiens corpus, vxorem, liberos & rem priuatam, sed contra fures & latrones hæc omnia defendit.

38 Quare Magistratus, siue prophani, siue impij, non sunt contra nos, sed nobiscum & pro nobis, in secunda tabula.

Sum-

39 Summa, Magistratus qualis qualis sit, præcipit semper & vbique pacem seruari inter subditos, cuiuscunque sint religionis.

40 Ideo non licet priuatis, quales quales sint, hac pace præcepta, facere vel ferre vim priuatam, sed magistratus est inuocandus.

41 Cæterùm Magistratus impij, propter religionem, id est, propter primam Tabulam volunt videri agere, quod agunt.

42 Hîc si non volunt melioribus informari, habet locum doctrina Christi, Vade, vende, relinque, cede, perde omnia, etiam ipsam Animam.

43 Quia vltra regnum hoc mundi non est superius aliud regnum, quod pro nobis contra hoc regnum stet, nisi illud æternum regnum Dei.

44 Ita sub Magistratu prohibente malum, tenemur obedire, & non ferre, sed resistere malo, virtute secundæ tabulæ.

45 Magistratui verò inferenti malum propter primam tabulam (aliam causam habere non potest) non est resistendum.

46 Quia non habemus alium magistratum, sub quo prohibente malum istius magistratus, possemus aut deberemus resistere.

47 Sicut non habemus aliam quandam tabulam secundam, propter quam liceret contra istam priorem agere.

48 Tabula enim secunda, sicut & magistratus, pertinent ad hanc vitam mundi, diuinitus dati & constituti.

49 Ideo nostrum non est, imò prohibitum est, dissipare magistratus & politias à Deo ordinatas propria temeritate.

50

51 Sed dandus est locus iræ, & non defendendi ipsi à nobis ipsis.

EVidens est, Papam non esse Magistratum, neque Ecclesiasticum neque politicum, sed neque Oeconomicum.

52 Tres enim Hierarchias ordinauit Deus contra Diabolum, scilicet Oeconomiam, politiam & Ecclesiam.

53 Ecclesiasticum non esse conuincit, quod Euangelium damnat, & conculcat, per suas blasphemias in Iure Canonico.

54 Politicum non esse conuincit, quod Iura ciuilia sibi subiecit, sicut & Euangelium.

55 Oeconomicum non esse conuincit, quod nuptias & coniugium prohibet, quibus libitum est, non tantùm sacerdotibus.

56 Sed est illud monstrum, de quo Daniel dicit, quod aduersatur omni Deo, etiam Deo Deorum.

57 Et quod Paulus Danielis verba secutus, vocat aduersarium Dei, hominem peccati, filium perditionis.

58

NOstri Germani vocant **Beerwolff** / quod Græci, si fortè notum illis fuisset, dixissent ἀρκτόλυκον.

95 Hoc animal lupus est quidem, sed à Dæmone arreptus lacerat omnia, & elabitur omnibus venabulis & armis.

60 Ad quod opprimendum necessarius est concursus omnium pagorum & oppidorum, singulorum & omnium virorum, etiamsi sic tandem euadat.

61 Nec est hîc expectanda Iudicis sententia, aut consilij autoritas, sed expendenda præsens calamitas & necessitas.

62 Quod si læsus aliquis fuerit per hoc monstrum, dum occidendum persequitur, nulla conscientia persecutionis tenetur, sed pœnitentia de non occiso.

63 Nec est hîc curandum, si Iudex aut rusticus in pago hoc Animal iubeat liberum dimitti, vel etiam defendat.

64 Nam Iudex & rusticus tenentur iussu huius monstri naturam, & perse magis persequi, quàm ipsi persecutores.

65 Quod si Iudex & rustici à persecutoribus istius monstri occidentur in tanto tumultu, nihil iniuriæ eis illatum est.

66 Ita, si Papa bellum mouerit, resistendum est ei sicut monstro furioso & obsesso, seu verè ἀρκτολύκῳ.

67 Non enim est Episcopus, neque Hæreticus, neque princeps, neque tyrannus, sed vastatrix omnium belua, vt Daniel dicit.

68 Nec curandum, si habet millitantes sibi principes, reges, vel ipsos etiam Cæsares, titulo Ecclesiæ incantatos.

69 Qui sub latrone militat (quisquis fuerit) militiæ suæ periculum cum æterna damnatione expectet.

70 Nec saluat reges, principes, sed nec Cæsares, quod iactantur Ecclesiæ defensores, cùm scire teneantur, quid sit Ecclesia.

71 Impossibile fuit, Papas condere leges, vtiles Ecclesiæ & fidelium saluti.

72 Primò, quòd fuerunt & sunt homines in Scripturis indoctissimi & negligentissimi, quòd testantur eorum decreta & Epistolæ.

73 Neque enim ex toto corpore Papistici Iuris & Epistolarum discere poteris, quid sit Ecclesia, fides, verbum, præceptum Dei,

74 Ideo fuit necesse, Papas ambitione, superbia, auaritia, fastu esse excæcatissimos, in qua re fuerunt semper exercitatissimi, vt S. Petrus dicit.

75 Iudex cupiditate & alijs prauis affectibus captus, necessariò iudicat sicut cæcus de colore.

76 Hoc ipsi Iuristæ fatentur, Decreta Papæ graueolere ambitionem & auaritiam, nec mirum, sunt enim ignorantes Dei,

77 Et, quòd Canonista purus, est Asinus verus, quod verbum est planè verissimum.

78 Nulla decretalis est, quæ non in principio, medio & fine horrendis blasphemijs arroget dominium Ecclesiæ, & per hoc rerum omnium.

79 Secundò, Est etiam ideo impossibile, quia vltra Scripturam nihil potest condi, vel de fide, vel de moribus, ad salutem necessarium.

80 Sed quæ Cæsar vel alius quicunque princeps de hac vita ordinat, ad fidem non pertinent, sed sunt pro hoc mundo necessaria.

81 Tertiò, Est ideo impossibile, quod Papæ nullum ius habent leges condendi, neque Ecclesiasticas, neque ciuiles, neque Oeconomicas.

82 Præcepit enim Christus per Apostolos, quod & exemplo proprio firmauit sub Pilato, obedire magistratibus, vt notum est.

83 Hoc cùm seruarint omnes primitiuæ Ecclesiæ, Episcopi & Fideles, solus & vnus Papa ausus est conculcare.

34 Nec cogitat belua Arctolycus, quod non est Rex, nec gubernator regnorum à Deo constitutus.

85 Et tamen in alienis regnis, politijs, domibus lacerat, facit & furit, sicut Arctolycus.

86 Sic ausus est, reges deponere, subditos ab obedientia & Homagio (contra Paulum Rom. 13.) absoluere, & omnia conturbare.

87 Sic ausus est, Scripturas sanctas sibi subijcere, & pro voluntate sua interpretari, & Ecclesiam extinguere.

88 Sic ausus est, patriam potestatem tollere, data licentia liberis contrarentes inuitos contrahere coniugia.

Similiter

89 Similiter contra Paulum, licere deserere parentes, & monasterium ingredi, etiamsi parentibus in morte seruiendum esset, non tantùm proximis.

90 Similiter sponsis & sponsabus etiam suo Iure (Iniuria) desponsatis, liberum facit religiosos fieri.

91 Summa, Nihil est ordinationis diuinæ & humanæ, quod hæc belua non vastauerit.

DVODECIM CONSILIA EVANGELICA FALSO CONFICTA A SOPHISTIS ANNO 1540.

I. Paupertas, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, &c.

II. Abnegatio sui seu obedientia, Luc. 9. cap. Si quis vult venire post me, abneget seipsum.

III. Castitas, Matth. 19. cap. Sunt Eunuchi, qui castrauerunt seipsos propter Regnum cœlorum.

IIII. Non retribuere malum pro malo, Matth. 5. cap. Benefacite ijs, qui oderunt vos.

V. Pacientia Iniuriæ, Matth. 5. cap. Si quis te percusserit in maxillam dextram, præbe & ei alteram.

VI. Supererogatio operum misericordiæ, Luc. 6. Omni petenti te, tribue.

VII. Compescere Iuramentum & verbum ociosum, Matth. 12. De omni ocioso verbo reddent rationem, Matth. 5. Non Iurare omninò.

VIII. Vitare occasionem peccandi, Matth. 18. Si te oculus tuus scandalizat, erue eum.

IX. Prudenter operari, ne fiamus Hypocritæ, Matth. 7. cap. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.

X. Facere quod doces, Matt. 23. cap. Dicunt & non faciunt, Ideo consulit Hypocritæ: Primò eijcie trabem de oculo tuo.

XI. Non esse sollicitum de victu, Matt. 6. cap. Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus?

XII. Correptio fraterna, Matt. 18. cap. Si peccauerit frater tuus, vade & corripe eum inter te, &c.

Hoc vltimum tamen intelligitur de peccatis venialibus, nam de mortali est præceptum obligans semper, sed non ad semper scilicet, dum videbitur esse vtilis correptio.

Differunt { Præceptum / Consilium } Euangelicum.

Præceptum est doctrina Dei generalis, omnem hominem semper obligans sub pœna peccati mortalis.

Consilium est doctrina Dei specialis, solùm obligans sub pœna peccati venialis, pro tempore huius vitæ.

HAEc est Theologia vulgatissima Papæ & Sophistarum, & ita recepta, vt etiam probata sit ab ipso S. Iohanne Huss, in eo ipso Libro, ob quem passus est ignem, nam ad verbum ferè refert ea omnia, Cap. 7.

Sed & Sorbona in suo Decreto aduersus Lutherum damnatum dictat, esse hæc oneratiua nimis Christianæ religionis, si pro præceptis teneri oporteat. Hinc

illa Famosa apud eos disputatio, Vtrum lex Mosi sit grauior vel Euangelij? Et decernunt viri tanti, sanè sapientissimè in hunc modum.

Lex & Euangelium, quò ad grauitatem, habent se ad inuicem, sicut excedentia & excessa, nam quo ad abrogationem cęremoniarum, Euangelium est facilius, sed quò ad prohibitionem animi, Euangelium est grauius, quia lex manum, Euangelium prohibet animum, vt dicit Magister lib. 3. Distinct. 40.

HIc disce, frater Christiane, quantùm debeas doctrinæ huic (gratia Dei) hoc seculo reparatæ. Nam quid (rogo) facit nobis reliquum, tandem de ipso Mose seu Decalogo quoque (vt de Christo taceam) hæc Theologia Pharisaica?

In perpetuam rei memoriam, maximè verò in redemptoris gloriam, ista sunt memori mente seruanda & exaggeranda aduersus impudentissimos rabulas, Papisticæ abominationis defensores. Ex his enim intelligis, quid vouerint viri illi perfecti Monachi & sacerdotes, dum Consilia (id est Dei pręcepta) primò non necessaria Christiano ad salutem docerent. Deinde noua idolatria in traditiones humanas imò Dęmoniacas doctrinas deformata, vouerent. Nam præcepta Dei facere consilia, nonne est humana traditio, imò horribilis & diabolica blasphemia? Ps. 124. Anima nostra sicut auis erepta est, de laqueo aucupis, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Hoc fecit adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

DE EVANGELIO.

DE VOCABVLO.

Tom. 2. Ienens. fol. 356. Enarrat. Epist. Et Euang. Euangelium est verbum gratiæ, vitæ & salutis, verbum iusticiæ & pacis, omninò contrarium legi, & tamen simul consonantissimum, quod latinè dicitur, bonum nuncium, vt Roman. 10. Quàm pulchri pedes Euangelizantium, prædicantium pacem, & annunciantium bona.

Tom. 2. Ienens. fol. 64. Psal. 5. Euangelizare est latum, iucundum, suaue, bonum verbum nunciare, quod *Ieranenu* Ebræis diximus significare. Latum autem verbum aliud non est, quàm remissio peccatorum, multitudo misericordiæ Dei, consolatio tristis conscientiæ.

QVID SIT.

Tom. 3. fol. 303, Esai. cap. 2. Est certa doctrina, in qua tutò nituntur conscientiæ, & offert propicium Deum & fauentem, qui filium suum ęternum Deum, in mortem dedit pro mundi vita, vt nos peccatores habeamus remissionem peccatorum per pretium sanguinis eius, ac iusticiam ac vitam æternam per virtutem resurrectionis eius. Item, Victoriam mundi, peccati, mortis, Satanæ & inferni. Hæc quia promittit & offert omnibus Euangelium, ideo Gentes peccatorum suorum conscientia vexatæ accurrunt, læti amplectuntur, & accipiunt Thæsauros diuinæ misericordiæ, quos verbum ostendit, & fides in verbum accipit.

Tom. 4. Ienens. fol. 27. Gal. ca. 1. Est ergo Euangelium doctrina talis quæ nullam legem admittit. O qui hîc benè distinguere nosset, ne in Euangelio legem quæreret, sed id ab illa tam longè discerneret, quàm distat cœlum à terra. Differentia illa in se facilis, certa & plana est, sed nobis difficilis, imò ferè incompræhensibilis est, Facilè quidem dixeris Euangelium nihil aliud esse, quàm reuelationem Filij Dei, quàm cognitionem Iesu Christi, non esse reuelationem aut cognitionem legis. Sed in agone conscientiæ, & in ipsa praxi, hoc certò statuere, est difficilè etiam exercitatissimis.

Si au-

Si autem Euangelium reuelatio Filij Dei est, vt Paulus hîc definit, tunc certè non accusat & perterrefacit conscientias, non minatur mortem & in desperationem adducit, vt lex facit, sed est doctrina de Christo, qui certè neq; lex, neq; opus est, sed nostra iusticia, sapientia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. Quamquam hoc meridiana luce clarius sit, tamen tanta fuit Papistarum dementia & cæcitas, vt ex Euangelio legem Charitatis, ex Christo legislatorem fecerint, qui graviora præcepta tulerit, quàm Moses ipse. Sed Euangelium docet, Christum non venisse, vt ferret nouam legem, & traderet præcepta de moribus, sed ideo venisse dicit, vt hostia fieret pro peccatis totius mundi, quodq; remittantur nobis peccata & donetur vita æterna, propter ipsum, non propter opera legis, aut nostram iusticiam. De hoc inæstimabili thæsauro, nobis gratis donato, propriè Euangelium concionatur. Quare doctrinæ genus est, quod non dicitur aut acquiritur vllo studio, diligentia aut sapientia hominum, aut lege etiam diuina, sed per Deum ipsum, vt Paulus hic ait, reuelatur, primùm externo verbo, deinde intus per Spiritum. Est itaq; Euangelium, verbum diuinum, quod de cœlo descendit, & per S.S. reuelatur, qui ad hoc missus est. Sic tamen vt verbum externum præcedat.

VNDE SIT.

Tom. 3. Ienens. fol. 70. Sæpe hoc dictum est, Deum bis tantùm manifesto testimonio, & voce palàm de cœlo sonante, tradidisse verbum suum, quod certò scirent homines esse doctrinam diuinitus patefactam. Semel, cùm populo Israel & legem tradidit, & politiam peculiarem instituit. Iterum, cùm misso visibiliter Spiritu Sancto, per Apostolos Euangelium in omnem gentium linguas spargere cœpit. Etsi enim & aliàs cum patribus, Adam, Noha, Abraham, Isaac, Iacob, adeoq; & per illos alijs locutus est, vsq; ad Mosen, tamen id non est factum eiusmodi aliqua manifesta, in omnium oculos incurrente specie seu pompa, & publicè de cœlo sonante voce, sed priuatim Patribus ostensa specie, verbum suum sonante, tanquam luce ipsorum cordibus affulsit, & per ministerium vocis eorundem etiam in alios sparsit, qui eos audierunt, vt pater Baptistæ Zacharias inquit, sicut locutus est per os Sanctorum Prophetarum, inde vsq; ab initio. Quemadmodum & hodie per ministerium vocis humanæ nobis loquitur. Nam vniuersum ministerium in Ecclesia omnibus temporibus mundi, nihil aliud est, quàm perpetuum quoddam testimonium, & propagatio illius cœlestis vocis, quam semel Deus voluit manifestis signis palàm edere.

Harum duarum concionum prior, quando & quomodo promulgata sit, in Historia Exodi. 20. Describitur.

Præter hanc altera concio publicè edita est, diuinitus misso Spiritu Sancto, post resurrectionem Christi, & nouissimum Pascha, die quinquagesimo, multo augustiore & magis mirando spectaculo. Hîc enim Spiritus Sanctus visibili specie conspectus est, vt dicitur Act. 2. Tanquam vehementis flatus de cœlo, implens totam domum, in qua vnà erant Apostoli, in quibus conspectæ sunt, tanquam ignea diuisæ linguæ, ita vt insideret singulis eorum, & cuncti repleti Spiritu Sancto, inciperent loqui alijs linguis.

Hæc miranda & verè gloriosa opera testabantur Spiritum Sanctum adesse concionibus Apostolorum, tam potenter, tantaq́ue efficacia, vt quod attinet ad illam externam gloriam, quæ tunc conspiciebatur, nihil vnquam simile viderit Ecclesia. Nam hæc reuera etiam mundo fuerunt miranda, loqui tot gentium linguis homines Iudæos, quibus cum gentibus nulla commercia fuerant, & facere inusitata & impossibilia naturæ hominum. Hæc nunc non similiter conspiciuntur geri in Ecclesia. Etsi enim Deus semper vult propagari, hanc ipsam doctrinam

Euangelij, quam tunc ſparſerunt Apoſtoli, tamen non vult id fieri nouis miraculis, palàm de cœlo editis, ſed ſatis ei fuit, his duabus manifeſtis & conſpicuis reuelationibus de cœlo ſonaſſe. Etſi his etiam annumerari poteſt illa admiranda reuelatio, qua ſe tota diuinitas palàm oſtendit, ſonante voce æterni Patris de Chriſto filio, cum Baptizaretur in Iordane, Item, cùm in monte cum eo colloquerentur Moſes & Elias, ſed hæc non à tota multitudine, ſed paucioribus teſtib. conſpecta ſunt.

Et hanc poſteriorem manifeſtam Euangelij reuelationem ideo fieri oportuit, quia antea voce & ſcriptis Prophetarum prædictum erat, Deum ſparſurum eſſe in totum orbem terrarum, hanc nouam lucem doctrinæ de Chriſto. Nunc poſt quam hæc prolata & patefacta eſt, non vult Deus aliqua noua reuelatione palàm de cœlo loqui, aut aliud genus doctrinæ tradere. Sed hîc erit quaſi tertius & poſtremus actus, cum manifeſto aduentu, ad iudicium ſe palàm oſtendet conſpiciendum omnibus creaturis, in gloria & maieſtate diuina, vbi non erit opus miniſterio vocis ſeu doctrinæ, Sed palàm omnium oculis & ſenſibus expoſita erunt omnia.

DE SVBIECTO EVANGELII, SEV DE QVIBVS REBVS CONcionetur,

Tom. 4. Ienenſ. fol. 91. Galat. cap. 3. Ex his conſtat doctrinam Euangelij omnium iucundiſſimam, & vberrimis conſolationibus plenam, non concionari de noſtris aut legis operibus, ſed de incomprehenſibili & ineffabili miſericordia & charitate Dei erga nos indignos & perditos homines, Quod ſcilicet cùm videret miſericors Pater, nos maledictione legis opprimi, & ita ſub ea teneri, vt noſtris viribus nunquam potueramus ex ea liberari, miſerit vnigenitum filium in mundum, ac coniecerit in eum omnia omnium peccata, dicens, Tu ſis Petrus ille negator, Paulus ille perſecutor, blaſphemus & violentus, Dauid ille adulter, peccator ille qui comedit pomum in Paradyſo, Latro ille in cruce, in ſumma, tu ſis perſona, quæ fecerit omnium hominum peccata, cogita ergo vt ſoluas, & pro eis ſatisfacias. Ibi lex venit & dicit, inuenio illum peccatorem & quidem talem, qui ſuſceperit omnium hominum peccata in ſe, & nullum præterea peccatum video, niſi in illo, ergo moriatur in cruce, Atque ita inuadit eum & occidit. Hoc facto totus mundus purgatus & expiatus eſt ab omnibus peccatis, ergo etiam liberatus à morte & omnibus malis. Sublatis verò peccato & morte per vnum illum homine, Deus nihil aliud videret amplius in toto mundo, præſertim ſi crederetur, quàm meram purgationem & iuſticiam. Et ſi quæ peccati reliquiæ remanerent, tamen præ illo Sole Chriſto, Deus eas non cerneret.

Ita oportet nos magnificare, articulum iuſticiæ Chriſtianæ contra iuſticiam legis & operum, quanquam nulla vox aut eloquentia ſit, quæ dignè poſſit concipere, multò minus eloqui eius magnitudinem. Quare argumentum quod hîc Paulus tractat, potentiſſimum & ſummum omnium eſt contra omnes iuſticias legis. Continet enim hanc inuictam & irrefragabilem Antitheſin, videlicet, Si peccata totius mundi ſunt in illo vno homine Ieſu Chriſto, tum non ſunt in mundo. Si autem non ſunt in ipſo, ſunt adhuc in mundo. Item: Si Chriſtus ipſe factus eſt reus omnium peccatorum, quæ nos omnes commiſimus, Ergo nos abſoluti ſumus, ab omnibus peccatis, ſed non per nos, noſtra opera aut merita, ſed per ipſum. Si verò eſt innocens, & non portat peccata noſtra, portamus nos ea, & in eis moriemur & damnabimur. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

FIDES

FIDES APPREHENDIT CHRISTVM QVEM NOBIS EVANGELIVN PROPONIT *propitiatorem.*

Tom. 4. fol. 115. cap. 3. Galat. Quotquot iuſtificantur non propter obſeruationem legis humanæ aut diuinæ iuſtificantur, ſed propter Chriſtum, qui omnes leges in vniuerſum abrogauit. Hunc vnicum proponit nobis Euangelium placatorem iræ Dei per Sanguinem proprium & Saluatorem, in quem niſi credatur, non ſaluabitur Iudæus per legem, non per ordinem Monachus, non per ſapientiam Gentilis, non per politicam aut Oeconomicam iuſticiam Magiſtratus, aut herus, non per obedientiam ſeruus & ancilla, &c.

PROPRIETATES EVANGELII.

Non eſt notum rationi. Tom. 3. fol. 429. Eſai. cap. 54 Euangelium eſt eiuſmodi doctrina, quæ non ſicut doctrina legis à ratione intelligitur, ſed planè diſſidet à ratione. Nam remiſſionem peccatorum, propter alienum meritum, item, iuſticiam alienam, ratio capere non poteſt. Ac ne in Sanctis quidem hæc cognitio ſatis firma eſt. Quanquam enim fiduciam operum & ſuperſtitionem damnamus, tamen non poſſumus eam penitus eijcere animo, ſed eſt quaſi innata cardini peſtis, quæ vehementius Spiritum vexat, quàm vlla libido carnem. Huc accedunt conſuetudo & inſtitutio, quòd non ſolùm nati, ſed facti & inſtituti ad ſuperſtitionem ſub Papa ſumus. Huic quia aduerſatur Euangelium, & damnat omnem fiduciam extra Chriſtum. Ideo pauciſſimos inuenit diſcipulos, & contradicitur ei à toto mundo.

Item, de Seruo arbit. Tom. 3. fol. 225. Oſtende mihi in vniuerſo genere mortalium vnum, ſit ille omnium Sanctiſſimus & iuſtiſſimus cui vnquam in mentem venerit, hanc eſſe viam ad iuſticiam & ſalutem, ſcilicet credere in eum, qui ſit ſimul Deus & homo, pro peccatis hominum mortuus & ſuſcitatus, & collocatus ad dexteram Patris, aut ſomniarit hanc iram Dei, quam Paulus hîc reuelari de cœlo dicit. Vide Philoſophos ſummos, quid de Deo ſenſerint, quid de futura ira ſcriptum reliquerint. Vide Iudæos tot ſignis, tot Prophetis, aſſiduè eruditos, quid de hac via ſentiant, non modò non receperunt, ſed ita oderunt, vt nulla natio ſub cœlo atrocius ſit Chriſtum perſecuta vsque in hodiernum diem.

Pertinet ad adflictos. Tom. 4. fol. 304. Matth. cap. 9. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Hoc verbo Chriſtus ſeipſum pingit, qualis ſit. Et eſt hæc oratio verè character animi eius. Et ex cordis abundantia os eius loquitur, ſcilicet, quòd affectus eius omnimodus ſit, Remittere libenter peccata, & liberare à pœna, ſed non niſi erga eos, qui adflicti ſunt & talibus indigent, Non ad Phariſæos aut alios ſecuros iſta dicit, (quorum ibi magna copia fuit) Nam illi non egent remiſſione peccati, aut ſalute, ſed ſunt ſani, non habentes opus medico.

Ideo ſemper diſtinguenda eſt natura humana. Quidam ſunt ſecuri & in pace viuunt. Alij ſunt adflicti & egentes, hoc eſt, in neceſſitatibus conſtituti. Et vbi iſta confunduntur, nihil rectè doceri aut diſci poteſt. Quia Chriſtus & ſuum verbum pertinet ad adflictos ſolùm, lex, minæ, terror, &c. ad ſecuros ſolùm. Imò illi, qui contrà nos ſcribunt & clamant, Euangelium noſtrum nimis dulce eſſe, & decipere homines, maximi ſunt aſini. Licet verum ſit, quod ſecuris & impiis ſit nimis dulce, ſicut contrà lex eſt nimis dura afflictis. Errant igitur vtrique, qui legem volunt ſuper omnes homines, ſiue ſint ſecuri, ſiue afflicti, ponere. Et illi qui

volunt Euangelium ſuper omnes proferre. Sic enim confundentur lex & Euangelium maximis malis. Nam ita fit vt pij, qui Euangelio conſolandi ſunt, lege crucifigantur. Et impij, qui lege ſunt terrendi, Euangelio indurentur, &c. Quare Paulus docet Timotheum, vt rectè ſecet verbum Dei, ſicut hîc Chriſtus facit, qui Euangelium adflicto Paralytico offert, Phariſæos autem arguit blaſphemos & malos. Quid (ait) mala cogitatis? Non dicit Paralytico, Cur malè cogitas tu? Nec Phariſæis dicit, confidite, &c. Optimè ſecans verbum Dei.

Rari ſunt, qui hoc diſcrimen obſeruant. Nam ſub papatu omnia iſta fuerunt confuſiſſima. Ideo etiam non potuerunt docere, quid eſſet fides & opera, aut quomodo differant, aut diſtinguenda ſint, ſicut nec hodie noſtri Phariſæi, Papiſtæ & alij Hæretici. Amplificanda itaque ſunt iſta verba Chriſti immenſæ ſuauitatis. Primò Fili (inquit) Filium vocat, quem peccatorem definit, dicens, peccata tua, &c. Quomodo eſt filius, qui peccator eſt? Quis iſta concordet? Legiſta, Philoſophus, Monachus, ratio? Omnes definient eſſe impoſſibilia, Filium dici & peccatorem eſſe ſimul & ſemel.

At fides ita concordat, quod peccator eſt duplex. Peccator afflictus & tribulatus, à peccato cupiens eſſe liber, eſt filius. Peccator ſecurus & peccatum non agnoſcens, ſed iuſtus ſibi viſus, eſt hoſtis & Diabolus, ille erigitur, iſte arguitur.

Item: Tom. 4. Ienenſ. fol. 454. in Pſal. 7. Grad. Qui habent cor carneum, hoc eſt, cor tenerrimum, ſine oſſibus & duricie, ac meram pulpam carnis, hi non ſunt lege occidendi, ſed viuificandi & erigendi altero doctrinæ genere, quod Spiritus Sanctus hîc vocat riſum & ouationem, nempe Euangelio. Hoc eſt quod Paulus monet de verbo rectè ſecando, vt duris dura, fractis autem & mollibus mollia proponantur, vt qui ſine timore ſunt, ſecuri incipiant timere, qui autem plus ſatis timore oppreſſi ſunt, incipiant fidere & ſperare.

Hæc ſatis vulgata eſt differentia legis & Euangelij, ſed vſu tamen non ita vulgata eſt. Sic enim ſumus infirmi, vt facilius ſequamur ſenſum de peccato & morte, quàm iſtum riſum & læticiam Euangelij. Nam, vt de me dicam, non ita percellitur cor redemptione & vita donata per Chriſtum, ſicut cor terretur vno verbulo legis, ſeu vna cogitatiuncula de peccato & iudicio Dei. Hoc inde accidit, quia hæc legis & Euangelij differentia vſu non ſatis poteſt diſci. Scribitur quidem & docetur, ſed corde non ita ſentitur, alioqui fieret, vt territa corda, omnem triſticiam animo eijcerent, quia vt audiuimus, ad tales pertinet vox riſus & gaudij, non vox terroris & triſticiæ. Sed ſentimus hîc etiam aduerſarium Satanam, qui de lege accutiſſimè nobiſcum diſputat, & eiuſmodi vtitur argumentis, quæ negare non poſſumus. Fateri enim cogimur noſtra peccata, quæ etſi coram hominibus nonnunquam tegimus, tamen conſcientia quaſi mille teſtes, contra nos pronunciat, nec patitur eorum obliuiſci, aut ea tegi. Oritur itaque ſæpe dubitatio etiam de Sanctis operibus, taceo de ijs, quæ manifeſtè flagitioſa ſunt.

His tanquam aculeis mollia corda Satan transfigit & grauiſſimè ſauciat, tantùm ideo, quia diſtinctionem hanc, vſu & praxi non ita habemus notam, ſicut eſt nobis ſpeculatiuè nota. Nam ſi praxin haberemus, diſtingueremus inter doctrinam legis & Euangelij, item, inter diſcipulos legis & Euangelij, & refutaremus Satanam hoc modo. Quod Satan tanquam mendax Spiritus, mendacijs corda inuoluit & implicat. Siquidem vbi ſunt corda ſaxea, ea non occidit, ſed palpat vt magis indurentur, ac implet promiſſionib. & ſpe, quæ ad talia corda non pertinent. Hæc Sophiſtica ſunt, confunduntur enim mendaciter doctrinę genera, contrà vbi corda plus ſatis ſunt territa, ibi erigenda erant promiſſionib. dei, at ſatan

tum maximè ea terrere nititur, & in hoc incumbit, vt iam antea fractos animos penitus conterat. Laborandum itaque est Christiano, vt assuescat in corde suo distinctionem hanc purè facere, & Satanæ respondeat: Abi Satan cum mendacijs tuis. Quando sum sine timore Dei securus & durus, tum veni & inculca mihi legem, te audiam libenter, nam is locus est docendæ legis, Sed postquam nunc cum lege venis, quando cor meum iam ante morte & peccato pauefactum est, te non audiam. Non enim ad me pertinet tua doctrina, sed risus & ouatio, non terror & mors, Abi igitur &c.

Sic respondendum erat terrenti Satanæ, sed experimur cùm maximè hoc reposito opus erat, animum non posse sic respondere, vtcunque sæpe hæc audiuerit. Ratio est. Quia naturaliter fit, vt plus nos terreat hiatus inferni apertus, quàm cœlum apertum exhilaret, vt plus tristiciæ afferat vna cogitatio de peccato nostro, quàm omnes conciones ferè de merito Christi. Quare sudandum est, vt praxin hanc saltem aliquo modo discamus, & nos erigamus his verbis, quod scilicet Euangelium sit risus & ouatio, quæ propriè pertinet ad captiuos, hoc est, ad sentientes captiuitatem peccati & mortis, ad corda carnea, pauefacta sensu iræ & iudicij Dei. Hi sunt discipuli, in quorum cordibus plantandus est risus, & qui soli audire debeant vocem exultationis in tabernaculis iustorum, idque autoritate Spiritus Sancti, quam hic versiculus ostendit.

Est etiam in veteri Testamento prædicatum. Tom. 3. Ienens. fol. 74. in præfat. lib. vet. Test. Moses non tantùm leges tradit, sed continet etiam promissiones traditas inde ab initio Patribus de Filio Dei venturo in carnem. Hæc pars in Mosi præcipua est, vnde hoc discitur, quod natura non docet, nec ratio per se intelligit, sicut legis doctrinam aliquo modo percipit, sed diuinitus de cœlo reuelari oportuit, & voce Euangelij traditur, quòd non proponit mandata, nec docet quales nos esse oporteat, sed proponit suauissimam vocem Dei, promittentis nobis remissionem peccatorum, & bona æterna propter filium, atque hæc fide docet accipi, quæ credat auditæ promissioni, & ea nitatur certa fiducia aduersus omnes terrores & tentationes peccati, mortis, Satanæ, & inferorum.

Hoc illud est eximium & singulare in Scriptura Mosaica, quod etiam nobis gentibus prodest, & tàm ad nos, quàm ad Iudæos pertinet. Altera pars scilicet legis traditio, nobis nec data, nec scripta est, (erat enim lex aliunde nota) sed hanc diuinam reuelationem tota mente amplectamur, & Mosen audiamus, proponentem nobis dulcissimas promissiones, quibus fiducia erga Deum in cordibus accenditur & confirmatur, cùm intelligimus Deum ineffabili benignitate dedisse promissiones Patribus (multò ante promulgatam legem) de liberando toto genere humano à peccato & morte per Filium, &c.

Hæc enim est sententia primæ promissionis, cùm dicitur ad serpentem Genes. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum ac Semen illius, ipsum conteret tibi caput, & tu mordebis calcaneum eius. Hîc audis illam primam vocem Euangelij de Christo, promisso toti generi humano, (non tantùm Iudæis) seu posteritati nascituræ ex primis parentibus, videlicet venturum esse semen, non viri sed mulieris, qui deleto peccato, abolita morte, & conculcata potestate Diaboli, humanum genus liberaret. Huic promissioni cùm crederent Adam & eius posteri, hac fide à Deo recepti & salui facti sunt.

Hæc promissio postea clarius repetita est, & tradita Abrahæ Genes. 12. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hæc tùm fuit secunda Euangelij instauratio de Christo nascituro quidem ex Semine Abrahæ, sed ita vt eius beneficium seu benedictio nominatim intelligeretur pertinere ad omnes gentes, Sicut Paulus hunc locum enarrat ad Galat. 3.

His

His promissionibus agitatis à Patribus, addit Moses ipse manifestum vaticinium de Christo cùm ait ad populum, Deut. 18. Prophetam suscitabit tibi Dominus ex fratribus tuis, hunc audietis, sicut postulasti à Domino Deo tuo in Horeb, &c. Et mox repetit verba ad ipsum facta. Et Dixit Dominus: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, tanquam te, & dabo verba mea in os eius, & loquetur ad eos omnia, quæ præcipiam ei, & quicunque non audierit verba eius, quæ loquetur in nomine meo, ego deposcam ab illo. Hæc clarè de Christo dicuntur, cui vni Mose suum ministerium cedit. Nam alioqui ipse solus audiendus erat. Et significat eum aliud nouum genus doctrinæ sparsurum, hunc iubo audiri, videlicet iuxta promissiones de ipso factas Patribus, in quibus etiam includitur vocatio gentium. Similes leguntur promissiones, & alibi in historijs Patrum, quas omnes postea Prophetæ clarius enarrarunt, & Apostoli eorum testimonijs ad confirmandam doctrinam Euangelij sæpe vtuntur.

Pertinet ad Iudæos & Gentes. Tom. 4. Ienens. fol. 455 Psalm 7. Grad. Os nostrum erit plenum, non hoc tantùm significat, quòd ibi erit vox & sonus quidam, sed quòd os simpliciter aliud nihil sonabit, quàm risum & illas Euangelij consolationes. Sic lingua nostra, id est prædicatio, erit plena exultatione, hoc est totum ministerium erit consolatorium. Hoc primum Iudæo est dictum, Natus vsus ille primum offerendus fuit illi populo habenti promissiones. Iam ad Gentes venit, quas etiam vocat ad communionem huius risus.

Tunc dicent inter Gentes, Magna fecit Dominus cum istis. Gentes nominat quæ naturaliter oderant & fastidiebant Iudæos, nec quicquam minus quàm religionem eorum poterant ferre. Hæ inquit, prædicato isto risu admirabuntur, & prædicabunt magnalia Dei. Hoc miraculum scilicet efficiet ille risus prædicatus per os & linguam nostram. Porrò Gentes hoc nullo modo facerent, nec hanc rent pro beneficio, nisi ipsi quoque eius beneficij essent participes. Cùm igitur Spiritus Sanctus dicat nos prædicaturos & admiraturos hoc beneficium, solutæ captiuitatis Iudæorum, manifestè significat, etiam huius liberationis participes fore, sicut Christus in Euangelio dicit: Qui in nomine meo facit virtutem non est contra me, sed pro me. Ad hunc modum dicit Gentes quoque, illam redemptionem de morte & peccato prædicaturas esse, sicut idem testantur aliorum omnium Prophetarum testimonia. Zachar. 8. est, quod decem viri ex omnibus linguis Gentium, apprehendent fimbriam viri Iudæi dicentes: Ibimus vobiscum, audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est. Hic locus quasi ex hoc Psalmo videtur transscriptus esse. Sic Esai. 2. Confluent ad montem Domini omnes Gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, &c.

Hæc ad nostram consolationem pertinent, qui secundum carnem non sumus semen Abrahæ, quod quanquam promissio nobis non facta est, tamen postquam impleta est, nos eius reddimur participes, sed tamen per Iudæos, secundum promissionis verba. In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Et Christus, Salus ex Iudæis est. Certùm igitur est nos Gentes, pertinere ad illam redemptionem, etiamsi nobis non debebatur. Nobis enim non fuit promissa, sed ex misericordia contigit, per risum illum prædicatum, non solùm in Zion, sed in Gentibus etiam, quæ prædicabunt & habebunt omnia cum populo Sancto, &c.

Promissio

Promissio Euangelij est gratuita. Tom. 3. Ienens. fol. 527. Amos ca. 3. Hoc enim est discrimen inter promissiones legis & Euangelij, quod ista quæ lex promittit, sub certa conditione promittit, sicut textus clarè dicit, Qui fecerit hæc viuet in eis. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram. Vbique enim annectit conditionem nostrorum operum, sicut clarè apparet ex 28. cap. Deut. Imò ex tota lege. Euangelium autem, quæ promittit, gratis sine conditione vllius operis promittit. Quare qui promissionem fide accipit, eam certò consequitur, nihil impediente, neque præterita vita mala, nec præsenti & futura infirmitate. Quia misericordia Dei in Christo nobis exhibita, certa & infallibilis est, eam cùm fides intuetur per Christum, sine conditione operis aut dignitatis nostræ, accipit certò quæ promittuntur.

Omnibus hominibus ennunciatur. Tom. 3. Ienens. fol. 511. Ioel. cap. 3. Sicut enim Sol totum orbem terrarum radijs suis illuminat, sic omnibus hominibus annunciatur Euangelium, & vt maximè non omnes verbo credant, tamen tam impijs quàm pijs annunciatur, his virtus Dei est ad salutem, illis iudicium. Videetiam Esai. 40. Tom. 3. Ienens. fol. 386.

Non omnes suscipiunt Euangelium. Tom. 3. Ienens. fol. 303. Esai. cap. 2. Vniuersale signum, omnes Gentes, non ita est intelligendum, quod omnes Gentes sunt conuertendæ. Ea quidem est Dei voluntas, reuelata in verbo, quod omnes vult saluos fieri, & ideo Euangelium in totum mundum spargitur, vt non sit locus in quo non sit prædicatio Euangelica. Sed quanquam non omnes accipiunt Euangelium, tamen vbique aliqui conuertuntur. Neque enim frustra prædicatur Euangelium, sed sanctificat & fructificat in omni loco, sicut infrà dicit Propheta cap. 55.

Euangelium omnia tribuit Deo, hominibus nihil. Tom. 4. Ienen. fol. 24. Gal. ca. 1. Memini initiò meæ causæ. D. Staupicium, tunc summum virum & vicarium ordinis Augustiniani ad me dicere. Hoc mihi inquit, placet, quod hæc doctrina quam prædicas, gloriam & omnia soli Deo tribuit, hominibus nihil. Deo autem, (id quod luce clarius est) nimium gloriæ, bonitatis, &c. Attribui non potest. Ea vox vehementer tum me consolabatur & confirmabat. Et verum est, doctrinam Euangelij adimere hominibus omnem gloriam, sapientiam, iusticiam, &c. Et ista tribuere soli creatori, qui ex nihilo omnia facit. Multò autem tutius est tribuere nimium Deo, quàm hominibus. Ibi enim cum fiducia dicere possum, Esto sanc, Ecclesia, Augustinus & alij doctores, item Petrus, Apollo, Imò etiam Angelus è cœlo diuersum doceant, tamen mea doctrina est eiusmodi, quòd solius Dei gratiam & gloriam illustrat & prædicat, & omnium hominum sapientiam, iusticiam (in causa salutis) damnat. Hîc peccare non possum, quia tribuo Deo & hominibus, quod propriè & verè vtriusque competit.

Prædicat gloriam Dei, & aperit dolos Diaboli. Tom. 4. Ienens. fol. 162. Gal. cap. 5. Euangelium prædicat misericordiam & gloriam Dei, & detegit malicias & dolos Diaboli, depingitque eum suis coloribus, detrahit ei laruam maiestatis diuinæ, qua toti mundo imponit. Hoc est, ostendit omnes cultus, religiones, ordines, ab hominibus excogitatos. Item traditiones de cælibatu, de cibis, &c. Quibus iudicant homines se promereri remissionem peccatorum, & vitam æternam, esse res impias & doctrinas Dæmoniorum. Nulla igitur re plus irritatur Diabolus, quàm prædicatione Euangelij. Illa enim aufert ei laruam Dei, & prodit eum esse, quod verè est, hoc est, Diabolum non Deum. Quare impossibile est non sequi scandalum crucis, florente Euangelio, vel certè Diabolus non est rectè petitus, sed tantùm leniter palpatus. Si verè petitur, non quiescit, sed incipit horribiliter tumultuari & omnia perturbare.

EFFE-

Tom. 4. Ienenſ. fol. 19. Gal. ca. 1. Euangelium adfert omnia bona ſpi-
ritualia & corporalia, nempe remiſſionem peccatorum, veram iuſticiam, pacem
cordis, & vitam æternam. Deinde adfert lucem & iudicium certum, de omnibus
doctrinis & vitæ generibus, approbat & confirmat politiam, Oeconomiam, &c.
mnia vitæ genera, quæ diuinitus inſtituta & ordinata ſunt. Extirpat doctrinas
roris, ſeditionis, confuſionis, &c. Eximit terrorem peccati & mortis. In ſumma,
omnes inſidias & opera Diaboli detegit, & Dei beneficia ac amorem erga nos
Chriſto aperit. Quis (malum) hic furor eſt? quod mundus hoc verbum, hoc
Euangelium æternæ conſolationis, gratiæ ſalutis & vitæ æternæ, tam acerbè odit
tam Satanica rabie blaſphemat & perſequitur.

Euangelium non confundit. Tom. 4. Ienenſ. fol. 802. Ioel. cap. 3. Non
confundetur populus meus in æternum. Habet hæc particula inſignem Antithe-
ſin Euangelij & legis. Iuſtificati fide inquit Paulus, pacem habemus apud Deum
per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam aditum habemus fide
ad gratiam hanc in qua ſtamus. Et Epheſ. 3. Per Chriſtum habemus liberta-
tem, & aditum cum fiducia quæ eſt per fidem. Et Ebræor. 4. Accedamus igitur
cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt accipiamus miſericordiam, & gratiam inuenia-
mus, vt opportunum nobis contingat auxilium, Quia enim Euangelium oſten-
dit Chriſtum Dei Filium, ex voluntate Patris factum victimam & ſatisfeciſſe pro
peccatis. Ideo animi non dubitant de Dei beneuolentia, non pauent, non refu-
giunt à Deo, ſpem omnem in Dei miſericordia habent poſitam. Sed quid lex fa-
cit? Oſtendit quidem Dei voluntas quæ ſit, quod attinet ad noſtra opera, &
quid Deus à nobis exigat. Sed quia facultatem faciendi non præſtat, nihil aliud
ſequitur legem quàm confuſio. Sicut enim peccator apud Lucam, procul ſtat,
& ne oculos quidem attollere audet: Ita nos quoque cùm lex nobis oſtendit pec-
cata, & accuſat nos, trepidamus, pauemus, non audemus ad Deum attollere ocu-
los, refugimus à Deo, & ſicut Adam & Eua in Paradyſo, nihil optamus magis
quàm vt abſcondere nos ab eius facie poſſimus. Hanc confuſionem tollit hic
doctor, Simpliciter enim verum eſt, qui credit in Chriſtum, non confundetur
in æternum.

Facit vt laudemus Deum. Tom. 4. Ienenſ. fol. 801. Ioel. ca. 3. Laudabi-
bitis nomen Domini Dei veſtri. Hic fructus ſaturitatem hanc cœleſtis cibi ſempe
ſequitur. Vides autem hîc quoque clarum diſcrimen legis & Euangelij. Lex o
peratur iram. Commouentur enim animi contra Deum, iudicant iniuſtum
& crudelem eſſe, quod hanc infirmam naturam onerauit ingenti hac male le
gis, quam ſuſtinere impoſſibile eſt. Contra Euangelium, quia concionan
de miſericordia, & æternis beneficijs Dei patris, qui filium ſuum dedit victimam
Et filij, qui ſanguinem ſuum fudit, pro peccatis noſtris, & Spiritus Sancti, qui ac
cendit in animis fiduciam erga Deum, per Chriſtum. Ideo animi intuentes
has diuitias miſericordiæ & bonitatis Dei, erumpunt in laudem Dei, prædicant
bonitatem eius, laudant & ornant eum, ac etiam vitam potius abijciunt quàm
confeſſionem.

Iudæi intelligunt has promiſſiones de temporali benedictione, quod annonæ
famis recompenſaturum Dominus ſe dicat. Sed quid copiam annonæ & pacem
ſoleat ſequi notum eſt, nempe quod Moſes dicit: Seruus meus impinguatus,
dilatatus, incraſſatus eſt, & recalcitrauit. Natura enim peccato deprauata, non
poteſt aliter quàm abuti donis Dei, non ſolùm ad luxum & ſuperbiam, ſed etiam
am contra Eccleſiam & Deum. Itaq; non laudes, non gratiarum actio ſequuntur
ſaturitatem

saturitatem, sed cõtemptus religionis & extrema securitas. Ideo Deus Ecclesiã suam post alia incommoda etiam fame, & inopia exerceri sinit. Quia autem abundè habet pabulum verbi & sentit in ipsis periculis certam consolationem. Ideò soluantur linguæ in laudem & gloriam Dei. Sic dicit Psal. 51. libera me à sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & lingua mea laudabit iustitiam tuam. Et Oseas dicit, Dimitte peccata & benefac nobis, & reddemus tibi vitulos labiorum nostrorum. Hoc igitur illud beneficium est, quod hic fructus sequi solet, vt laudetur Deus, & prædicetur eius misericordia, sicut Propheta hic quoque dicit. Laudabitis inquit nomen Domini Dei vestri, quia facit mirabilia vobiscum. Hæc enim mirabilia non sunt benedictio corporalis, & annonæ vbertas: Sed quod nobis miseris peccatoribus qui sumus naturâ filij iræ, dator iustitiæ, Doctor, Filius Dei, qui famelicos nos positos sub lege & irâ Dei, pascit verbo suo, & hoc modo, ex peccatoribus iustos, ex irę filijs Deo gratos, ex damnatis saluos, ex mortalibus immortales facit. Hæc verè sunt mirabilia, quę nemo vnquam fecit, nisi Doctor hic iustitiæ filius Dei.

QVAESTIO.

Est sceptrum ferreum hostibus, credentibus verò virga salutis. Tomo 4. Ienens. folio 779. Psal. 2. Cur inquies hoc nomine Euangelium appellat Spiritus Sanctus, cum rẽ uera sit verbum recreans animas & saluans, sicut Christus quoq; non venit ad perdendum mundum, sed vt saluet mundum. Hic autem diuersum vaticinatur Spiritus Sanctus, quod mundum sit vastaturus.

Respondeo. Verum est, quod hoc Christi officium est, vt saluet, vt à peccatis liberet, & donet vitam æternam. Sic Euangelium quoq; rectè dicitur à Paulo, potentia Dei ad salutem omni credenti. Qui enim Christum amplectũtur & verbo eius credunt, verè consequuntur salutem. Ideo scriptura quoq; eum vocat angeli lapidem, qui sustinet totum ædificij pondus, cui totum ædificium innititur, ne corruat. Qui autem Christum non amplectuntur, verbum eius oderunt, hi quia salutem suam obijciunt, quomodo possunt non perire? Qui huic lapidi nolunt inniti, sed aperta fronte contraeunt, qui aut cadunt in hunc lapidem, aut super quos hic lapis cadit, quomodo non possunt lædi.

Igitur Christus quoq; dicit Ioan. 12. Non veni vt iudicem mundum, sed vt saluẽ mundum. Qui me spernit & verbum meum non accipit, is habet qui eum iudicet. Verbum quod locutus sim, iudicabit eum in nouissimo die. Est quidẽ sceptrum seu virga salutis verbũ Euangelij omnibus credentibus. Sed qui hoc abijciunt, quia salutem abijciunt, non possunt non perire. Non culpa verbi, quod sanctum est & vitam offert, sed sua culpa, quod hanc salutem, quæ offert reijciunt, & nituntur potiùs, sicut Iudei, lege & sacrificijs, sicut Monachi votis & traditionibus suis, sicut iusticiarij omnes cultibus, quos ipsi sibi delegerunt. Cur enim nõ humiliant se, cur Deo non dant honorem, cur non fatentur se miseros esse peccatores, & Christum amplectuntur? Sic enim esset eis Euangelium salutis & vitæ virga.

Diligenter itaq; notabis hanc descriptionem, quod Euangeliũ appellatur sceptrum ferreum. Qui autem Euangelio se opponunt, testa, aut vas figuli. Profecto nõ magni negocij res est, si manibus teneas ferreum malleum, ollam fictilem cõfungere. Quid enim tuis viribus, quid brachiorum pondere opus est? Ferrum temerè in ollã cadens, eam cõfringet. Pertinet igitur hæc descriptio ad significãdam illam inuictam vitutem verbi, quæ non cernitur oculis, sed est abscondita. Si enim mundi seu rationis iudicium sequaris, quid est verbo infirmius? quid contemptius? Non enim ferrũ sed stipula, aut leuis palea esse videtur, quæ infirmo anthelitu seu spiritu loco moueturnec potest cõsistere. Ita enim Reges, Pontifex, Episcopi, & tota impiorum turba cogitant de nobis, esse nos numero paucos, & miseros mẽdicos, qui ne apud nostros quidem aliquo in loco sumus. Securè igitur nos & verbum quod prædicamus con-

temnunt, non metuunt ruinam, non calamitatem aliquam à nobis. Sunt enim numero multi, ac valent potentia, dignitate & opibus. Rident igitur tanquam suauem ineptias, cum minamur certas pœnas secuturas contemptum verbi tam insignem.

Sic Petrus, Paulus & alij Apostoli quid erāt collati ad synagogam? cuius doctrinam, cultus, & totum sacerdotiū conabātur mutare? Suauis vsus mouebatur Pontificib. ex his conatib. sed tu vide quid secutū sit. Nonne infirma ista vox Petri, Pauli & aliorum? vere fuit ferrea vox, fuit malleus quo synagoga tanquā testa, contusa & in puluerem redacta est, adeò vt ne quidem testa superlit, in qua (vt Esaias hāc figuram imitatus, ait) igniculus gestari possit? Non enim solùm per totū orbem terrarū miser populus dissipatus est, sicut testę, sed ne particula quidem restat ad vllam rem vtilis, simpliciter sunt reprobi & neq; ad Rempublicam nec Ecclesiam vtiles. Idem accidet ijs qui hodie se verbo opponunt: Papæ & eius complicibus, Turcæ, Sectarijs & Schuermeris nostris, qui fallis dogmatib. de cœna Domini, de Baptismo, &c. pertur bant Ecclesias. Omnes hos spiritus sanctus hic pingit, quod sint fracta testa, in qua non possit gestari igniculus. Sed non apparet iam hæc verbi potentia. Imo diuersum apparet. Doctrina nostra videtur in tanta aduersariorum multitudine prorsus calcata, impij Doctores, idolatria, Tyrannis, videntur prævalitura.

Pertinet igitur versus hic ad nos consolandos, ne abijciamus animū & desperemus, sed statuamus sicut coram Deo, hostes verbi iam iudicati & præcipitati sunt in infernum. Ita iudicium hoc suo tēpore manifestatum iri. Verbum enim Dei tanquā torrens, nulla vi poterit cohiberi, faciet quod natura solet, vt saluet credētes, impios aūt vt damnet & conterat. Idq; ideo, quia autor huius verbi est, sapientia, potentia, iusticia diuina, ideo est super omnia, quæ nos habemus & sumus. Quid enim est Papa cum iusticijs suis? Quid Turca cum potentia sua? Quid Sacramētarij? Quid Anabaptistæ cum suis Pithanologijs & fucatis rationibus? nihil profectò nisi futiles & inutiles bullæ, quæ inflatæ sunt, & aliquid esse videntur, sed subitò euanescunt. Amplificemus aūt nobis præsertim his nouissimis temporibus has cōsolationes, de inuicta verbi potentia. Fieri enim non potest, quin animi nostri perturbentur in tanta scandalorū multitudine & infirmitate Ecclesiæ. Non enim ludus aut iocus est, quod totus mundus se nobis opponit. Turcā & Papistas si cōferas dissimilimi inter se sunt & esse volunt, sed in hoc consentiunt quòd contra Christum pugnant, & doctrinam hanc volunt sublatam. Est quoque magnum nobis periculum à fallis fratribus & autoribus impiorum dogmatum. Quin etiam corda nostra nos oppugnant, & hanc consolationem quam per Christum habemus, conantur reddere dubiam.

Necesse igitur est vt amplificemus nobis verbum & eius potentiā ac statuamus quicquid sapientię, iusticiæ, tyrannidis, siue extra siue intra nos, hoc omne aut cedat verbo oportet, aut ruat & pereat. Quanta potentia Satanæ foris sit, in tyrannis sentimus, sed profectò longè est potentior in cordibus nostris. Habet enim maximā nostri partem, nempe carnem nostram, eam incitat, vt vexet corda desperatiōe, tristicia conscientia peccati, & alijs similibus telis verè ignitis. Sed statuamus secūdum huius Psalmi vaticinium, sedere contra hęc omnia mala & difficultates omnes, Regem nostrum Christum, qui est filius Dei, ac ornatus hoc titulo, quod sit Rex Regum Apoc. 19. cal. ac tenere manu ferreum malleum. Esse autem Tyrannos, hæreticos, & quicquid se verbo opponit, vas figuli. Cum igitur inter hos cōmittitur certamen, impossibile est, vt figulinum vas prævaleat ferro, ferrum cōminuet & conteret testas. Manebit autem apud, nos sic credimus, vera iusticia, sapientia, salus & vita, velit nolit mundus & Satan. Nam verbum Domini manet in æternum. Manet Pontifex & Rex noster Christus, manebimus nos quoq;, qui in eum credimus. Hostes autem verbi omnes ruent & peribunt, Amen. De effectibus plura dicuntur in loco de discrimine legis & Euangelij, &c.

EFFECTVS

EFFECTVS PER ACCIDENS.

Parit scandalum apud hypocritas. Tom.3.Ien. fol.387. Esai. cap. 40. Sed hæc doctrina magno scandalo occasionem præbet. Sic enim cogitant homines, si bona opera nihil prosunt. Ergo sequamur cupiditates nostras & viuamus sine lege. Quare videdum est vbi dicamus, opera nihil prodesse. Sumus enim iam in loco iustificationis, & consulimus cõscientijs. Hic nulla opera, nulla iustitia, nulli cultus valent, sed tantùm defigendi oculi sunt in meritum & mortẽ Christi, pro nostris peccatis passi. Hũc Christum cum fide apprehendimus, quod pro nobis satisfecerit, & sua morte peccata nostra, & mortem nostram deuicerit, tunc Deo viuimus in iustitia, nõ nostra sed Christi, quæ sola dat vitam æternam.

Porrò præter hanc spiritualem vitam, obligat nos politia, vt externè honestè etiam viuamus. Huc adhibenda est alia iustitia non Christiana, sed politica quę necessaria est, & non sine peccato prætermittitur, sed ad iusticiam Christianam nihilò plus facit, quam edere, bibere, dormire &c. Cum igitur damnantur bona opera, sic damnãtur, tanquam ad iustitiam Christianam inutilia. Maior enim res est victoria mortis & inferni, remissio peccatorum, & iustitia, quam vt nostra bona opera quidquam ad eam afferre possint. Gratia est, & Dei gratia, qui gratis tantùm thesaurum in Christo donat credentibus. Disciplinam igitur S. Bernhardi, Benedicti & aliorum, quæ olim fuit, laudamus. Nam & Propheta humanam iustitiam florem appellat, tanquã rem pulchram & speciosam, quæ capit oculos & rationem. Sed summa impietas est, credere per eam disciplinam nos consequi remissionem peccatorũ & iustitiam. Ratio quidẽ sic statuit, & capitur illa operum specie, sed spiritus sanctus aliter iudicat, quod scilicet finis omnium operum legis sit, non vita æterna, quã iam ante habemus per fidem. Sed vt fidem hac obedientia testemur etiam coram hominibus, & carnem ac cupiditates nostras, quæ spiritui repugnant, mortificemus. Plura vide Tom. 4. Ienens. fol. 304. cap. 9. Matth.

Euangelium est impijs exitio eorum culpa. To.3.Ienens. fol.354. Esai.cap.28. Porro obserua bis hìc verbum, quod alias in se est verbum salutis & vitę, ipsis sit grando & verbũ perditionis ac mortis, idq; non vitio verbi, sed perfidia impiorũ, cum à Deo non mittatur vt pereamus, sed vt credentes seruemur. Quare hæc vox opus alienum, continet tacitam excusationem Christi q. d. Propheta, Non est tuum opus quod isti occidunter, neq; verbum causa eius est. Quare igitur perduntur plurimi per verbũ? Ego id non facio inquit, meum proprium opus est saluare & viuificare. Cogor autẽ hoc quoq; alienum opus admittere, neq; enim meos seruare aut illuminare possum, nisi illi excæcati interirent, qui sua iustitia volunt fidere. Quia enim veni, vt iustificem meos vera iustitia, quæ contingit per fidem in meam mortem. Ideo cogor damnare iusticiam, quæ est ex propriis operibus, est tamen hoc nõ proprium, sed alienũ opus.

Est verbum crucis. Tom.3.Ien.fol.543. Nos hodie non sumus excusati si verbũ Christi (id est spirituale aduentũ) nõ accipimus propter scandalũ crucis, quo est opertum & deformatũ, ita vt totus mundus & caro contẽnent quasi rẽ nihili. Quia videt paupertatẽ impotẽtiam, ignominiã sequi, & adhęrere omnib. qui verbũ accipiunt, ideo iustitias carnis amplectuntur, vt iura & ceremonias, quia afferũt opes, gloriã, potentiam &c. Alij vero etiam persequuntur. Et sic aspectus verbi est contemptibilis & odiosus valdè. Sed nè & nos offenderemur hac humilitate præmoniti sumus omnium Apostolorum & Prophetarum, & Sanctorum dictis & exẽplis. Esse hoc verbum verbum crucis, petram scandali, stulticiam gentibus. Ideo sumus & ipsi inexcusati, si contẽpta verbi & Ecclesiæ humilitate, hiamus ad glorioſa & opulenta dogmata. Quia Christus in verbo suo contemnitur. Et ita à suis non recipitur, nec agnoscitur. Sed væ illis vt Matth. 11. Sodomitis peius habebunt.

Scandalum crucis quod adfert Euangelium non debet cessare. Tom.4.Ien.fol.161.Galat.cap.5.

Doctrina fidei, est doctrina crucis & plena scandalis. Itaq; cũ dicit. Si circumcisionẽ adhuc prædico, quid persecutionem adhuc patior? Euocatum est igitur scandalũ crucis. Significare vult magnã fore absurditatẽ & indignitatẽ si cessaret scandalũ crucis. Ad eundẽ modũ loquitur 1. Cor. 1. Christus misit me Euãgelizare, nõ in sapientia verbi, ne euacuetur crux Christi, q. d. nõ libenter vellẽ aboleri scandalũ & crucẽ Christi.

OBIECTIO.

Hic dicat aliquis, Ergo Christiani extremè dementes sunt, quod vltrò se obijciunt periculis. Nã sua prædicatione nihil faciunt, nisi quod conciliant sibi iram & odium mundi & suscitant scandala. Hoc vt ille ait, frustra enituntur, & nihil nisi odium quærere. Ista res inquit Paulus nihil offendit aut perturbat nos, sed tantùm animosos reddit & bene sperare iubet, de fœlici successu & augmento Ecclesiæ, quæ sub cruce floret & crescit. Oportet enim Christũ caput & sponsum Ecclesiæ, dominari in medio inimicorum suorum Psal. 110. Ecõtra quando crux abolita est, & furor tyrannorum & hæreticorum, item scandala desierunt, ac Diabolo custodiente atrium suũ, omnia in pace sunt, certissimum signum est, ablatã esse puram verbi doctrinam. Hoc etiam Bernhardus animaduertens, Ecclesiam tum in optimo statu esse ait, cum vndiq; impetatur vi & dolis à Satana. Contrà pessimè habere, cum in summa pace agat. Et pulchrè per Catachresin allegat dictum hoc ex Cantico Ezechiæ (Ecce in pace amaritudo mea amarissima) in persona Ecclesiæ agentis in securitate & pace. Quare Paulus pro certissimo signo habet: Euangelium non esse, si salua pace prædicetur. Contrà mundus pro certissimo signo accipit, Euangelium esse hæreticam & seditiosam doctrinam, quia videt prædicationem eius sequi ingentes tumultus, turbationes, scandala, sectas &c. Sic Deus laruam Diaboli, Diabolus Dei induit. Et Deus sub larua Diaboli cognosci, & Diabolum sub larua Dei reprobari vult.

Scandalũ crucis actiuè & passiuè potest intelligi. Crux sequitur statim doctrinã verbi, iuxta illud Psal. 116. Credidi, ideo locutus sum, ego verò humiliatus sum nimis. Est aũt crux Christianorum persecutio cum ignominia & sine vlla commiseratione, ideoque valde scandalosa est. Primum patiuntur vt sceleratissimi nebulones. Hocq; Esaias Propheta etiam, de ipso Christo prædixit cap. 53. cum sceleratis reputatus est. Deinde latronibus, furibus &c. mitigantur pœnæ, & homines tãguntur misericordia erga illos, ibi scandalum non est coniunctum cum pœna.

Contrà mundus, vt iudicat Christianos pestilentes esse homines, ita putat nullã pœnã satis dignam eis, pro malefactis suis, infligi posse. Neq; cõmiseratione vlla moueturerga ipsos, sed ignominiosissimo genere mortis afficit. Et illa re putat duplex cõmodum ad se redire. Primum quod obsequiũ præstet Deo, si interficiat eos. Deinde publicã pacẽ sperat restitui, istis pestibus ablatis. Ideo crux & mors piorũ est plena scandalis. At nihil moueat vos ista indignitas inquit Paulus & duratio crucis Christi & scandali, sed potiùs vos cõfirmet, Istis enim durantib. optimè habet res Christiana.

Ad eũ modũ consolatur etiã Christus suos Mat. 5. Beati estis, inquit, cũ maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ verbũ aduersus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniã merces vestra multa est in cœlis, sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerũt ante vos. Hoc gaudiũ nõ patitur Ecclesia sibi eripi. Quare nõ libenter velim, quod Papa Episc. Principes & fanatici ũ, nobiscũ concordes essent. Ea enim concordia certa significatio esset, nos amisisse veram doctrinã. In summa oportet Ecclesiã cum purè Euãgelium docet persecutionẽ pati.

ALIA OBIECTIO ADVERSARIORVM, QVOD NIHIL BONI SECVTVM SIT PRAEDICATIONEM *Euangelij, & quod totus mundus turbetur & commoueatur.*

Tom. 4. Ien. folio 145. Galat. cap. 4. Quicunq; nati sunt, & viuunt in Christo, ac gloriantur de ista natiuitate & hæreditate Dei, habent persecutorem Ismael, hoc discimus hodie ipsa experientia. Videmus enim omnia plena esse tumultibus, persecutionibus

secutionibus, sectis & scandalis. Quare nisi muniremus animos nostros illa Pauli cõsolatione & similibus, ac certò teneremus articulũ iustificationis, non possemus ferre vim & dolos Satanæ. Quem enim non mouerent persecutiones illæ atrocissimę aduersariorum? Deinde sectæ & infinita illa scãdala, quæ suscitant hodie spiritus fanatici? Profectò vehementer dolet, cum audire cogimur, omnia fuisse tranquilla & pacata ante Euangeliũ, iam eo inuulgato omnia turbari, totum mundũ cõmoueri & inse collidi. Hoc audiẽs homo sine spiritu, statim offenditur, & iudicat inobedientiã subditorũ erga Magistratus, seditiones, bella, pestẽ, famẽ, euersiones rerumpublicarũ & Regnorum, sectas, scandala & similia infinita mala oriri ex doctrina Euangelij.

Contra hoc maximũ scandalum debemus nos erigere & confirmare hac suauissima consolatione, quod pios hoc nomen & titulũ in mundo oporteat gerere, quod seditiosi & schismatici ac infinitorũ malorũ autores sint. Hinc est quod aduersarij putant, se iustissimam causam habere, imo obsequium se præstare Deo, cũ oderunt, persequuntur & interficunt nos. Ismael igitur non potest nõ persequi Isaac, nõ vicissim Isaac Ismaelem. Qui persecutionẽ Ismaelis non vult ferre, is non profiteatur se esse Christianum. Sed quæso dicant aduersarij, qui ista mala sic hodie amplificant & exagerant, quę bona secuta sint ad prędicationẽ Christi & Apostolorum? Nonne vastatio regni Iudaici, dissipatio Imperij Romani, & cõturbatio totius orbis terrarũ? Non culpa Euangelij, quod Christus & Apostoli docuerunt in salutẽ, non pernicieẽ hominum. Sed vt Psal. 2. ait, culpa gentium, populorum, Regũ & Principum, qui obsessi à Diabolo, noluerunt illud verbũ gratiæ, pacis, vitæ & salutis æternæ, audire, sed detestati sunt, & damnauerunt vt dogma pernicioſum, religiõi, & reb. publicis. Hocq; futurũ esse longè ante S. S. in Dauide prædixit, cũ ait: Quare fremuerunt Gentes, &c.

Talis tumultus & conturbatio rerum, etiã hodie cernitur & auditur. Aduersarij transferunt culpam in doctrinam nostram. Doctrina gratiæ & pacis, nõ excitat has turbas, sed gentes, populi, Reges terræ & Principes vt Psal. 2. ait, fremunt, meditantur, insurgunt & consultant, non cõtra nos, vt putant, aut doctrinam nostram quam erroneam & seditiosam criminantur, sed contra Dñm & Christũ eius. Ideoq; omnia cõsilia & conatus sunt & erũt irriti. Habitator cœli ridet eos. Dñs subsannat eos, &c. Clament igitur quamdiu velint, illos motus excitari per nos, tamen Psalmus consolatur nos, & dicit eos ipsos esse autores talium motuum. Hoc ipsi nõ credunt, multò minus credunt se tumultuari, insurgere & consultare contra Dñm & Christũ eius, imò pro Dño se stare, se gloriam eius defendere, & nos persequendo obsequium illi præstare arbitrantur. Sed Psalmus nõ mentitur, & exitus rei hoc probabit. Nos nihil hic facimus, tantùm patimur, perhibente nobis testimoniũ conscientia nostra in S. S. Deinde doctrina, propter quã tales tumultus & scandala excitantur, non nostra, sed Christi est. Hanc negare non possumus, nec patrocinium eius deserere, cum Christus dicat, Quem mei puduerit & sermonũ meorum, in generatione ista adultera & peccatrice, pudebit illius & Filiũ hominis &c. Qui igitur docere vult Christũ, & confiteri eũ esse iusticiam nostrã, is statim audire cogitur, quod homo pestifer sit, qui cõturbet omnia. Hi qui conturbarunt orbem terrarũ (dixerunt Iudæi de Paulo & Sila Act. 17.) huc quoq; venerunt, & contra decreta Cæsaris faciunt. Et 24. Inuenimus hunc hominẽ pestiferum, & concitantem seditionem omnib. Iudæis in vniuerso orbe, & autorẽ sectæ Nazarenorũ &c. Simili modo queruntur Gentes Act. 16. Hi homines conturbant ciuitatem nostram &c. Sic hodie accusant Lutherum esse conturbatorẽ Papatus & Imp. Rom. Si tacerẽ in pace essent omnia, quæ fortis ille armatus possidet, nec; Papa ampliùs me persequeretur. Sed hoc modo obscuraretur Euãgelium Christi. Si aũt loquor, conturbatur & ruit Papa. Aut amittendus est Papa mortalis, aut Christus æternus & cum eo vita æterna. Sed ex duob. malis minus eligendũ est. Ruat igitur potiùs Papa terrenus & mortalis, quã Christus cœlestis & æternus.

Christus ipse cum prævideret in spiritu maximam rerum conturbationẽ & collisionem mundi secuturam ex prędicatione sua, hoc modo seipsum cõsolabatur. Ignẽ veni mittere in terrã, & quid volo nisi vt accẽdatur? Ita videmus hodie prędicationẽ Euangelij, propter persecutiõem, & blasphemiã aduersariorum, contemptam, & ingratitudinem nostrorum hominum, multa mala secutura. Ea res tam vehemẽter nos angit, vt secundum carnem sæpe cogitemus, melius fuisse nõ inuulgari doctrinã pietatis incolumi pace, quã ea nunc inuulgata pacẽ publicã perturbari. Sed secundũ spiritum intrepidi cũ Christo dicimus, veni ignẽ mittere in terrã, & quid volo nisi vt iã accendatur. Illo aũt igne accẽso, oriuntur statim maximi motus. Quia non aliquis Rex aut Imp. sed Deus huius seculi prouocatur, qui est potentissimus S. & dñs totius mũdi. Hunc magnum aduersariũ inuadit hoc infirmũ verbum, prædicãs Christũ crucifixũ. Huius potentiã diuinã sentiẽs Behemoth, excitat omnia membra sua, mouet caudã, facitq; feruescere quasi ollã profundũ maris, Iob. 41. Hinc illi tumultus & furores mũdi. Quare nihil nos moueat, quod aduersarij offenduntur & clamitãt, Nihil boni venire ex prędicatiõe Euangelij. Ipsi infideles cęci & indurati sunt. Ideo impossibile est eos videre vllũ fructũ Euãgelij. Nos cõtrà, qui credimus (quãquã foris ad tẽpus premimur infinitis malis, cõtemnimur, spoliamur, blasphemamur, dãnamur, peripsema omniũ sumus, occidimur, & intus conscięntia peccati angimur, ac per Dęmones vexamur) videmus ingẽtissima & ea innumerabilia cõmoda & fructus Euãgelij. In Christo enim viuimus, in quo & per quẽ reges sumus & Dñi, supra peccatum, mortem, carnem, mũdum, infernum, & omnia mala. Per quẽ denicq; cõculcamus pedibus illũ draconẽ & basiliscũ, qui est Rex peccati & mortis. Quomodo? In fide, nondũ enim reuelatum est bonum nostrũ, quod per patientiã interim expectamus & tamẽ illud certò iam tenemus per fidem. Discẽdus est igitur diligẽter articulùs iustificationis, is solus erigere cõtra infinita illa scãdala, & cõsolari nos potest, in omnibus tẽtationib. & persecutionibus. Videmus enim aliter fieri non posse, quin mũdus offendatur doctrina pietatis, & perpetuo clamitet nihil boni ex ea venire. Quia animalis homo nõ percipit ea, quæ sunt S. Dei, stultitia enim illi sunt. 1. Cor. 2. Tantum videt externa mala, cõturbationem rerum, rebellionem, cędes, sectas, &c. His aspectus offenditur excæcatur & ruit in contemptum & blasphemiam verbi.

Nos cõtrà, debemus cõfirmari, quia aduersarij nõ accusant & dãnant nos propter manifesta scelera, vt sunt, adulterium, cædes, rapina, &c. sed propter doctrinã nostrã. Quid docemus igitur? Christũ filiũ Dei morte crucis redemisse nos à peccatis nostris & morte ęterna. Nõ ergo vitã sed doctrinã nostrã, imò nõ nostrã, sed Christi, impugnãt. Ergo culpa Christi est quod nos impugnãt. Et peccatũ propter quod nos persequũtur aduersarij, nõ nos, sed Christus cõmisit. An aũt Christũ, ppter hoc, si Deo placet, peccatum, qui solus est Iustificator & Saluator noster, deturbaturi sint è cœlo, & dãnaturi vt hęreticũ & seditiosum, viderint ipsi. Nos hãc suã causam illi cõmendãtes, lęti & securi interim erimus spectatores, visuri vtri vicerint, Christus ne an ipsi. Dolet quidẽ nobis secũdũ carnẽ, quod ipsi Ismaelitæ nostri tã furẽter nos oderunt & persequũtur. Secundũ spiritũ tamẽ gloriamur in afflictiõibus nostris: tum quia scimus eas nos ferre, nõ propter peccata nostra, sed propter Christũ, cuius beneficium & gloriã illustramus: tũ etiã quia Paulus hìc pręmunit nos, & dicit oportere Ismaelẽ illudere & persequi Isaac. Et ibi. fol. 147. Hoc malũ semper existit in Ecclesia, pręsertim florente doctrina Euãgelij, scilicet, quod filij carnis ridẽt & persequũtur filios promissionis. Papistę & S. fanatici persequũtur nos hodie, propter nullã aliã rem, quã quòd docemus iusticiã cõtingere per promissionem. Male enim habet Papistas, q̃ idola ipsorũ nõ adoramus, hoc est, ò, non prędicamus iusticias, opera & cultus ab hominib. excogitatos & institutos, valere ad consequendã gratiã & remissionẽ peccatorũ. Ideoq; conãtur nos è domo ejcere, hoc est, gloriantur se esse Ecclesiã, filios & populum Dei

ad sepe-

ad se pertinere hæreditatẽ &c. Nos contra, vt hæreticos & seditiosos excõmunicant & si possunt occidunt in obsequiũ Dei &c. Ita simpliciter, quantùm in ipsis est, ejiciũt nos è præsenti & futura vita. Fanatici S. infensissimè oderũt nos, quòd impugnamus & detestamur eorum errores & hæreses, quas subinde nouas in Ecclesia spargunt, ac propter hoc ipsum, iudicãt nos lõgè deteriores esse Papistis, ideoq; atrociùs nos oderunt quã illos, &c. Quamprimũ igitur verbũ Dei in lucẽ prodit irascitur Diabolus, iratus vtitur omnib. viríb. & dolis ad persequẽdum & rursus obruendum illud. Ideo aliter fieri nõ potest, quin exuscitet infinitas sectas & scandala, itẽ persecutiões & cædes. Est enim mendacij pater & homicida. Mẽdacium spargit in mundũ per impios Doctores, homines occidit per Tyrãnos. Sic vtrũq; regnũ spirituale & corporale occupat, hoc per mendaciũ impiorũ doctorum (vt interim nõ dicã quòd perpetuò suis ignitis telis vnumquẽq; priuatim sollicitat ad hæreses & impias opiniones) illud per gladiũ Tyrannorum, atq; ita vtrinq; cõcitat contra filios líberæ, pater mendacij & cædis, spiritualem & corporalẽ persecutionem. Spiritualis, quã à fanaticis hodie ferre cogimur, molestissima ac prorsus intolerabilis nobis est, propter scandala quib. Diabolus deformat doctrinã nostrã. Audire enim cogimur sectas Anabaptistarũ & Sacramentariorũ, & omnia mala orta esse ex doctrina illa. Corporalis qua reb. & corporíb. insidiantur Tyranni, tolerabilior est, quia non fit propter peccata nostra, sed confessionẽ verbi Dei. Discamus igitur ex ipso titulo Diaboli (pater mendacij & cædis) quem Christus ei tribuit Iohan. 8. quòd florente Euangelio & regnante Christo, nefas sit oriri sectas perditionis, & omnia esse plena furoríb. homicidarum persequẽtium veritatem. Et Paulus ait. Oportet hæreses esse. Qui hoc ignorat facilime offenditur, & deficit ad veterem suum Deum & fidem, relicto verò Deo & fide.

Præmunit ergo hic Paulus pios, ne & ipsi offendãtur illis persecutionib. sectis & scandalis, dicens: Quemadmodũ tunc is, qui secundũ carnẽ est, &c. q. d. si sumus filij promissionis, secundum spiritũ nati, expectanda est nobis certissimè persecutio fratris nostri, qui secundum carnẽ natus est. Hoc est non solùm hostes palàm impij persequentur nos, sed etiam hi, qui primum fuerunt dulces amici nostri, quibuscum cõuersati sumus familiariter in eadem domo, qui à nobis acceperunt doctrinam Euangelij, fiunt postea infensissimi hostes nostri, persequẽtes nos acerrimè. Quia sunt fratres secundum carnem, quos oportet persequi fratres secundum spiritum natos. Sic conqueritur Christus Psal. 41. de Iuda: Homo pacis meæ in quo speraui, qui edit panẽ mecum, leuauit coram me calcaneũ suum. Sed hæc nostra consolatio est, quod Ismaelitis nostris nullã dederimus occasionem persequendi nos. Propter doctrinã pietatis persequuntur nos Papistæ, hanc si reuocaremus, statim desinerent nos persequi. Itẽ, si pernicioſos errores fanaticorum spirituũ approbaremus, ipsi laudarẽt nos. Quia verò, vtrorũq; impietatẽ detestamur, nõ possunt nos nõ infensissime odisse & persequi.

At contra hanc persecutionẽ & illa scandala non solùm Paul. vt dixi, nos prænunit, sed ipse Christus Ioh. 15. grauissimè cõsolatur. Si de mundo, inquit, essetis, mundus q; suũ esset dilígeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mũdus &c. q. d. Ego sum causa omniũ persecutionũ quas fertis. Et si interficímini, reus sum animarũ vestrarũ, quia si meũ verbũ non prædicaretis & me confiteremini, non persequeretur vos mundus. Sed bene agitur vobiscũ. Non est seruus maior Dño suo, si me persecuti sunt, & vos ꝓpter nomẽ meũ persequẽtur &c.

His verbis omnẽ culpã transfert Christus in se, & líberat nos ab omni metu q. d. non vos sed nomen meum, quod prædicatis & confitemini, in causa est cur mundus vos persequatur vi & dolis, sed cõfidite, ego vici mundum. Hac fiducia sustentamur nõ dubitantes, quin Christus satis robustus sit, non solũ ad sustinendã, sed etiã ad vim cendã omnẽ vim Tyrannorũ & dolos hæreticorũ. Hocq; satis ostẽdit cõtra Iudæos & Rom. quorũ tyrannidẽ ac persecutiones aliquandiu sustinuit, sustinuit etiam dolos

hæreticorum, sed suo tẽpore euersis ac deletis illis omnib. permanſit Rex & victor

Quantumuis igitur insaniant hodie Papistæ, quantumuis sectarij deprauent & corrumpant Euangelium Christi, tamen Christus manebit Rex in secula, & verbum Domini stabit in æternum, redactis in nihilum omnibus inimicis ipsius.

PROMISSIONES TEMPORALES INCLVDVNT CHRISTVM.

Genes. Cap. 17. Tom. 2. fol. 95. Obseruandum autem præcipuè hoc est, quod hæ promissiones includunt ipsum Christum, imò æternam vitam, & si non de Christo, sed de Isaaco videantur loqui. Ideo Paulus in Romanis addit, scripta hæc non propter Abrahamum sed propter nos credituros Abrahæ exemplo: Nam promissio temporalis est, ceu nux quæ tegit nucleum Christum & æternam vitam. Itaque veniente Christo, testa seu cortex, in quo nucleus inclusus est, frangitur, hoc est cessat promissio tẽporalis & succedit spiritualis. Abraham promissiones has non vidit impleri, vidit Isaacũ filium & suos ex eo nepotulos Esau & Iacob. Sara autẽ antequã hi nascerẽtur ex hac vita euocata est. Hæc, inquies, quid sunt ad tam magnificas promissiones? Profuerunt hę non Abrahæ & Saræ, sed posteris.

Sic cogitamus ferè, ac Iudęorum pręcipuè hoc scandalum est, qui tãtum vident testã ipsum nucleum Christum & ęternam vitam inclusam in hac, quasi testa seu cortice corporali promissione de terra canaan, & posteritate Abrahę, non vident. Sed scriptura sancta nõ obscurè significat promissionibus corporalibus includi ęternas & spirituales. Non enim sumus conditi sicut boues & asini, sed sumus cõditi ad ęternitatẽ. Igitur cum Deus promissor nobiscum loquitur, non tantùm temporalium causã nobiscum loquitur, non solam ventris curã suscipit. Animã vult conseruare ab interitu & æternam vitam donare. Sunt igitur externę promissiones ceu putamẽ, substantia autem nucis & veritas est Christus & æterna vita. Quia Deus promissor loquitur nõ cum asinis & bobus sicut Paulus dicit. Non Deo cura de bobus. 1. cor. 9. Sed cum creatura intellígente, cõdita ad similitudinem Dei, vt cum Deo in ęterna vita viuat.

Temporales autem promissiones, sunt ceu nuces & poma, quibus allicimur nos pueros. Sic ducimur & allicimur ad amorem æternarum rerũ & quasi alitur spes immortalitatis promissionibus temporalibus.

Sic dat panem & aquam, non vt comedã & bibam, sicut equus aut mulus, in quibus nõ est intellectus, sed vt ex hoc corporali dono agnoscam benignitatem Dei, & ea me etiam in alijs periculis erigam atq; consoler. Si enim tantùm donaret testipula, tamen vult agnosci abs te, quod sit æternus Deus, ac immensæ bonitatis. Hoc cum credis, habes vitam æternã. Etsi igitur Abraham istas promissiones se viuente nõ vidit, tamen credidit Deo. Ideo habuit æternam vitã, nec potuit mori, sed adhuc viuit. Credidit enim Deo promittenti Reges, populos, & siliũ hęredẽ benedictionis. Claudis igitur oculis abdidit se in tenebras fidei, in quibus inuenit æternã lucem. Ad hunc modum promissiones amplificandæ sunt, vt etsi de corporalibus rebus tantũ loquãtur, tamen eas applicemus ad æternam vitam, propter personam loquentis. Is enim æternus est & etiam corporalium rerum occasione excitat nos vt sibi credamus. Qui autem Deo credit, is viuit æternam vitam. Non enim est bos aut mulus, intelligit & videt Deum esse bonum, hęc autem noticia est æterna vita.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII,

AD GAL. CAP. 1. TOMO 1. FOLIO 398.

EVANGELIVM & lex propriè in hoc differunt, quod lex prædicat facienda & omittenda, imò cum commissa ac impossibilia fieri & omitti ideo solam peccati ministrat cognitionem. Euangelium autem remissa peccata & omnia impleta factaq; Lex enim

Lex enim dicit, Redde quod debes Euan: aũt dimittũtur tibi peccata tua, sic Roma. 3. per legem cognitio peccati. Et. 4. Lex iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. At de Euangelio dicit Lucę vltimo. Sic oportuit Christũ & à mortuis resurgere & prędicari in nomine eius (nota insigniter in nomine non nostro) pœnitentiã & remissionem peccatorum in omnes gẽtes. Ecce prædicatio remissionis peccatorũ per nomen Christi hoc est, Euangelium. Et Roma. 10. Quam speciosi pedes Euãgelizantium pacem annuntiantium bona, id est remissionẽ peccatorum & gratiam legis plenitudinẽ per Christum. Inde iustificatus per gratiam à lege ad Euangeliũ fugiẽs, dicit, dimitte nobis debita nostra. Quod verò Christus in Euangelio & Apostoli multa prędicipiunt, sunt nihil aliud quàm interpretationes legis, quibus peccatum clarius cognosceretur, vt gratia tanta ardentiũs quæreretur, quantò peccatum certiùs sentiretur.

DE DISCRIMINE LEGIS ET EVANGELII EX EPIST. AD GALA. CAP. 2 FOLIO. 41. TOM. 4.

Qui benè nouit discernere Euangelium à lege, is gratias agat Deo: Et sciat se esse Theologum, ego certè in tentatione nondũ noui vt deberem. Sic autem ista duo discernenda sunt, vt Euangelium ponas in cœlo. Legem in terra. Vt Euangelij iusticiã appelles cœlestẽ & diuinã, legis terrenam & humanã, vtq; tam diligenter distinguas iusticiam Euãgelij à legis iusticia, quã diligenter distinxit Deus cœlũ à terra, lucem à tenebris, diem à nocte, vt hęc sit lux & dies, illa tenebrę & nox. Atq; vtinã adhuc longiùs eas distinguere possemus. Quarè si agitur de fide, iusticia cœlesti, conscientia, excludatur prorsus lex & relinquatur in terra. Si de operibus accẽdatur lucerna operũ seu iustitiæ legis in nocte. Sic luceat Sol ille & immensa lux Euangelij & gratiæ in die, lucerna autem legis in nocte. Quare conscientia, perterrefacta sensu peccati sic cogitet. Iam agis in terra, ibi asinus laboret, seruiat & portet onus sibi impositũ, hoc est, corpus sit cum membris suis lege subiectum.

Cum autem ascendis in cœlum, relinque asinum cum sarcina in terra, nihil enim conscientia cũ lege, operibus & terrena iustitia. Sic asinus manet in valle, conscientia aũt ascendit cum Isaac in montem, nihil penitùs sciẽs de lege & operibus, sed tantum spectans remissionem peccatorum & meram iustitiam in Christo propositam & donatam.

Cõtrà in politia obedientia legis seueriſsimè exigatur, ibi nihil sciatur de Euangelio, de cõscientia, gratia, remissione peccatorũ, cœlesti iusticia, de Christo, sed tantũ de Mose, lege & operibus. Hac distinctione diligenter obseruata neutrũ excedit suos limites, lex manet extra cœlum, hoc est, extra cor vel conscientiam. Econtra libertas Euangelica manet extra terram, hoc est, extra corpus & mẽbra ipsius. Quàm primũ igitur lex & peccatum veniunt in cœlum, id est, in conscientiam, protinus hinc eijciãtur, Quia cõscientia perterrefacta metu irę & iudicij Dei, tũ nihil de lege & peccato scirẽ debet, sed tantùm de Christo. Et vicissim cum gratia libertas, &c. Venit in terrã, id est, in corpus. Dicatur, Tu nõ debes versari in hara & sordibus corporalis vitę, sed sursum pertines in cœlum, &c. Istam legis & Euangelij distinctionem Petrus simulatione sua confuderat, eaq; persuaserat credentibus, quòd per Euangelium simul & legem, iustificari deberent. Hoc Paulo non erat ferendum ideo reprehendit Petrum, non vt eum ignominia aliqua afficeret. Sed vt ista duo iterũ purè discerneret, nempe, quod lex in terra, Euangelium vero in cœlo iustificet. Papa autem nõ solum miscuit legem cum Euangelio, sed meras leges & eas tantum cæremoniales ex Euangelio fecit, confundit politica & Ecclesiastica, quæ verè satanica & infernalis confusio est.

Is locus

Is locus de discrimine legis & Euangelij scitu necessarius est, quia continet summam totius doctrinæ Christianæ. Ideo quisq; studiosus pietatis diligẽter discat discernere legem ab Euangelio, non tantum verbis, sed etiam ipso affectu & experientia, hoc est, vt in corde & conscientia ista duo benè distinguat. Alioqui quantum ad verba attinet, facilis est illorum distinctio: Sed in tentatione senties Euangelium rarum, & econtra, legem assiduam esse hospitem in conscientia. Nam ratio naturaliter habet cognitionem legis. Quare cum perterrefit conscientia peccato, quod lex ostendit & auget, dicas. Est tempus moriendi, est tempus viuendi, est tempus legem audiendi, est tempus legem contemnendi, est tempus Euangelium audiendi, est tempus negligendi Euangelium. Lex iam discedat, Euangelium veniat, quia iam non est tempus audiendi legem, sed Euangelium. At nihil boni feci sti, imò grauiter peccasti. Concedo, sed remissionem peccatorum per Christum habeo, propter quem omnia peccata mihi condonata sunt. Extra certamen verò conscientiæ, cum externa officia fieri debent: hîc si es minister verbi, magistratus, maritus, præceptor, discipulus, &c. Non est tempus audiendi Euangelium, sed legem, ibi seruito vocationi.

CAPITE. 2. GALA: FOLIO. 53. TOM. 4. IENENS:

Conscientiæ diligenter sunt docendæ, vt locum de discrimine iustitia legis & gratiæ bene discant. Iusticia gratiæ seu libertas conscientiæ ad carnem, Caro enim nõ debet esse libera, sed manere in sepulchro, carcere, grabato, debet subijci legi, & exerceri per Aegyptios. Conscientia verò Christiana debet esse legi mortua, id est, libera à lege, & prorsus nihil habere commercij cum ea. Hoc prodest nosse, quia valet ad consolandas afflictas conscientias. Ideo cum vides hominem pauefactum & contristatum conscientia peccati. dic. Non rectè distinguis, frater, tu ponis legem in conscientiam, quę ponenda erat in carnem, euigila, resurge & cogita tibi credẽdum esse in Christum, victorem legis & peccati, ea fide transcendes legem, & ibis in gratiam, vbi nulla est lex & peccatum. Etsi lex & peccata sint, tamen ad te, quia tu lege & peccatis mortuus es. Hæc distinctu sunt facilia, sed beatus qui ista probè nosset in certamine conscientiæ. Hoc est, qui irruente peccato, & lege accusante ac terrente, posset dicere. Quid ad me, quod tu lex me agis reum, quod conuincis multa peccata commisisse? Imo adhuc quotidie multa committo: Hoc nihil ad me, iam surdus sum, nõ audio te, ideo surdo narras fabulam, quia sum tibi mortuus. Si autẽ omninò mecum vis disputare de peccatis, vade ad carnem & mẽbra, seruos meos, illos erudi, exerce & crucifige: mihi verò conscientiæ, Dominę & Reginæ, ne sis molesta, quia nihil mihi tecum, sum enim mortua tibi, & iam viuo Christo, vbi sum in alia lege, scilicet gratiæ, quæ dominatur peccato & legi: per quid? per fidem in Christum, vt Paulus infra exponit. Est autem mira & inaudita ista definitio: Quod uiuere legi, sit mori Deo: & mori legi sit viuere Deo. Et hæ duæ propositiones sunt cõtrarijssimę rationi, ideò nullus Sophista aut legista eas intelligit. Tu vero disce eas rectè intelligere. Qui viuit legi, hoc est, quærit per opera legis iustificari, peccator est, & manet, ergo mortuus & damnatus est.

Lex enim non potest eum iustificare & saluare, & sed accusat, perterrefacit & occidit eum. Ergo viuere legi, est mori Deo, Et è contra mori legi est viuere Deo. Itaq; si vis viuere Deo, oportet legi moriaris, si autẽ viues legi, mortuus es Deo. Est autẽ viuere Deo, iustificari per gratiam seu fidem propter Christum sine lege & operibus. Quare Christianus, si propriè & diserte definiatur, est Filius gratię & remissiõis peccatorum, qui nullam prorsus legem habet, sed est supralegem, peccatum, mortẽ, infernum. Et vt Christus liber est à sepulchro, Petrus à carcere: Sic Christianus est liber à lege. Et qualis respectus est Christi resuscitati è sepulchro, & Petri liberati è carcere, ad sepulchrum & carcerẽ, talis est respectus conscientię iustificatę ad legem.

Vtque Chri-

Vtque Christus sua morte & resurrectione moritur sepulchro, vt amplius non habeat ius in eum, nec possit tenere eum, sed lapide & sigillis, &c. Fractis, custodibus perterrefactis, resurgit ipse & liber discedit: Et Petrus sua liberatione moritur carceri & abit quò vult, ita conscientia per gratiam liberatur à lege. Et sic est omnis qui natus est ex spiritu. Verum caro nescit vnde veniat aut quo vadet, quia non potest iudicare nisi secundum legem. Contrà, spiritus dicit. Accuset me sanè lex, terreat me peccatum & mors, non tamen ideò despero. Quia legem contra legem, peccatum contra peccatum, mortem contra mortem, habeo.

Itaque cum remorsum conscientiæ propter peccatum sentio. Serpentem illum æneum, Christum, in cruce aspicio. Ibi peccatum aliud inuenio contra meum peccatum, quod me accusat & deuorat, peccatum verò aliud, scilicet in carne Christi, quod tollit peccatum totius mundi. Omnipotens est, damnat ac deuorat peccatum meum. Ita peccatum meum ne me accuset & damnet, damnatum est per peccatum, id est, per Christum crucifixum, qui factus est pro nobis peccatum, vt iustitia dei per illum fieremus. Sic mortem in carne mea inuenio, quę me affligit & occidit, sed habeo contra riam mortem, quæ est mors mortis meæ, ea crucifigit & deuorat ipsam. Hæc omnia non fiunt per legem & opera, sed per Christum crucifixum. In cuius humeris iacent vniuersi generis humani mala. Lex, peccatum, mors, Diabolus, infernus, quę omnia moriuntur in eo, sua enim morte occidit ea. Verùm oportet nos hoc Christi beneficium firma fide accipere, nam vt neq; lex, neq; vllum opus, sed solus Christus nobis affertur, ita nihil à nobis requiritur nisi fides, quæ apprehendit & credit meum peccatum & mortem damnari & aboleri in peccato & morte Christi. Sic semper certissima habemus argumenta, ex quibus necessariò conludẽdum est, Solam fidem iustificare. Quomodo enim lex & opera cooperarentur ad iustificationem, cum Paulus contra legem & opera agat. Et precisè dicat nos debere mortuos esse legi. Si Deo vere velimus? Si autem mortui sumus legi, & iota nobis mortua est, tunc rectè nihil habet commercij nobiscum, Quomodo ergo cooperetur ad iustificationem. Quare necesse est dicere, nos sola gratia seu fide in Christũ sine lege & operibus iustos pronunciari. Hoc Sophistæ cæci non intelligũt, ideo somniant, fidem non iustificare nisi faciat opera charitatis. Hoc modo fides, quæ credit in Christum, fit ociosa & irrita, quia ei detrahitur vis iustificandi, nisi formata sit charitate. Tu verò sepone iam legẽ & charitatem in alium locum & tempus, & intende animũ ad statum præsentis caſæ, is autem status est. Quod Iesus Christus Dei filius moritur in cruce, & portat meũ peccatum, legem, mortem, diabolum, infernum, in corpore suo: Hi hostes & tyranni inuicti me premunt & mihi iam negotium faciunt, ideo sollicitus sum quo modo ab eis liberer, iustificer & saluer. Hic non inuenio legem, opus, aut charitatem aliquam, quæ me possit ab his liberare. Sed solus Christus tollit legem, occidit peccatum meũ, destruit mortem meam in corpe suo, atq; hoc modo euacuat, infernum diabolum iudicat, crucifigit & destruit ad infernum. Summa omnia quæ me antea cruciauerunt & oppresserunt, illa Christus è medio sustulit, expoliauit, ostentauit palam, & de illis per se ipsum triumphauit, vt iam amplius non possint dominari, sed cogãtur seruire mihi. Ex his satis intelligi potest, hic nihil oportere agi, quam audire ista sic gesta esse, & indubitata fide apprehendere. Et ea est verè formata fides. Postea, Christo sic fide apprehenso, me mortuo legi, iustificato à peccato, & liberato à morte, diabolo & inferno per Christum, facio bona opera, diligo Deum, ago gratias, exerceo charitatem erga proximum. Sed illa charitas vel sequentia opera nec infirmant meam fidem nec ornant, sed fides mea informat & ornat charitatem.

Hæc nostra est Theologia, & paradoxa rationi mirabilia & absurda. Quod non solùm cæcus, surdus sum legi, & liber ab ea, sed planè ei mortuus. Est autem ista Pauli sententia, per legem legi mortuus sum, plenissima consolatione, quæ

si oportuno

si oportuno tempore alicui posset incidere, & cùm verò intellectu firmiter hærere in animo, is consisteret fortiter aduersum omnia pericula mortis, terrores conscientiæ & peccati, quantumcunq; irruerent, accusarent & ad desperatiõem eum adigere vel lent. Certè vnusquisque tentatur, si non in vita, tamen in morte, ibi cum accusat & ostendit peccatum, Conscientia statim dictat, peccasti: Hic si tenes quæ Paulus Christi Apostolus hic docet: Respondes, verum est, peccaui. Ergo Deus puniet & damnabit te. Non, imo lex Dei hoc dicit, Nihil mihi cum hac lege, Quare? quia habeo aliam legem, quæ cogit hanc obmutescere, libertatem scilicet, quam libertatem Christi, per Christum enim liberatus sum à lege, ideo lex quæ impijs est & manet lex, est mihi libertas, & ligat meam damnatricem legẽ. Et sic lex quę me ligabat & captiuum tenebat, iam ligatur & captiua tenetur per gratiam seu libertatem, quæ nunc est mea lex. A qua etiam accusatrix illa lex audit. Tu non ligabis, neque captiuum tenebis, aut reum facies mihi hunc, sed ego tenebo te captiuam, & ligabo tibi manus, ne noceas ei, qui Christo iam viuit, & tibi mortuus est. Hoc legi dentes est excutere, hebetare aculeum & omnia arma eius, eamq; prorsus eneruare. Et tamen impijs & incredulis manet lex. Et nobis infirmis, quatenus nõ credimus, manet, Ibi habet adhuc suam aciem & dentes. Sed si credidero in Christum, vtcunq; peccatum me sollicitet ad desperationem, tamen fretus hac libertate quam in Christo habeo, dico: Fateor me peccasse, sed peccatum meum, quod est peccatum damnatum, est in Christo, qui est peccatum damnans. Est autem peccatum illud damnans fortius damnato, est enim iustificans gratia, iusticia, vita & salus. Sic cum sentio pauores mortis, dico: Nihil rei est mihi tecum mors, quia habeo aliam mortem mortificantem te meam mortem. Est aũt mors mortificans fortior mortificata. Sic fidelis per solam fidem potest erigere sese & concipere certam & firmam consolationem, vt nõ palleſcat à facie peccati, mortis, diaboli & omnium malorum. Et vt maxime Diabolus omni impetu suo in eum irruat, & eum abruere velit terroribus totius mundi, tamẽ in medijs illis terroribus concipit spem, & dicit: Domine Satan nihil me mouent minæ & terrores tui: Quia vnus est qui vocatur Iesus Christus, in quam ego credo: Is legem abrogauit, peccatum damnauit, mortem aboleuit, infernum destruxit: Estq; Satan, tuus Satan, nam te captiuauit & vinxit, vt mihi & omnibus credentibus in ipsum, nõ possis amplius nocere. Hanc fidem Diabolus non potest vincere, sed ipse per eam vincitur. Quia hæc est, ait Ioannes, victoria quæ vincit mundum, fides nostra, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quod Iesus est filius Dei? Per nimium igitur zelum & indignationem spiritus, Paulus ipsam gratiam appellat legem, cum tamen reuera aliud nihil sit, nisi summa & infinita libertas gratiæ, quam habemus in Christo Iesu. Deinde etiam tribuit hanc ignominiosam appellationem legi nobis in consolationem, vt sciamus eam nunc nouo nomine baptisatam, quod iam nõ viua, sed mortua & damnata sit. Et quod spectaculum valde iucundum est, proponit & producit legem velut furem, aut latronem aliquem iam damnatum & adiudicatum morti: pingit enim per prosopopeiam, legem captiuam teneri cui iam manus & pedes vincti sint, omnisq; potestas adempta, ita vt amplius non possit exercere tyrãnidem suam, hoc est, non possit accusare & condemnare. Et hac iucundissima pictura reddit eam contemptibilem in conscientia, vt credẽs in Christum iam ausit legi, sancta quædam superbia, insultare ad hunc modum: Ego sum peccator, si quid potes contra me lex, facito, tantùm abest vt credenti sit lex nunc formidabilis.

Christus cum resurrexit à morte, quid formidaret sepulchrum: Petrus liberatus ex carcere, quid iam metuet eum? Puellæ moribundæ potuit lectulus esse formidabilis, iam autem resuscitata, cur timeret illum? Sic Christianus qui vere Christum per fidem possidet, cur formidaret legem? Sentit quidem terrores legis, illis autem non vincitur, sed fretus libertate quam habet in Christo, ait, audio te legem quidem murmurare,

murmurantem, te velle accusare & cõdemnare me, sed hoc nihil me mouet. Tu mihi es vt vacuum sepulchrum Christo erat, video enim te captiuam & ligatam manus & pedes, quos ligauit tibi mea lex. Quæ est illa? Libertas, Quæ vocatur lex, non quòd liget me, sed liget meam legem. Lex enim decalogi ligabat me: Contra illam nunc habeo aliam legem scilicet, gratiam, quę non est mihi lex, neq; ligat, sed liberat me. Est autem lex contra damnatricem legem, hanc ligat vt amplius non posset me ligare. Sic contra mortem meam ligantem me, habeo aliam mortem, vitam scilicet, quæ viuificat in Christo, Et illa me soluit & liberat à vinculis mortis meę, & ijsdem ligat ipsam. Sic mors quę me ligabat, iam ligata est, quę me occidebat, iam occisa est, per ipsam mortem, id est, ipsissimam vitam. Sic Christus suauissimis appellationibus vocatur mea lex, peccatum meum, Mors mea, cõtra legem, peccatum, mortem, cum reuera nihil sit, quàm mera libertas, iusticia, vita, & salus æterna. Ideo autem factus est lex legi, peccatum peccato, mors morti, vt mea maledicto legis redimeret, iustificaret & viuificaret. Sic vtroque modo Christus dum est lex, est libertas, dum est peccatum, est iusticia, dum est mors, est vita, hoc ipso enim quod passus est se legem accusare, peccatum damnare, mortem deuorare: legẽ abrogauit, peccatum damnauit, mortem destruxit, me iustificauit & saluauit. Sic Christus simul est venenum contra legẽ, peccatum & mortem, & remedium pro libertate, iustitia, & vita æterna. Hęc propriè Paulina speculatio & phrasis est, valde iucunda & consolatoria. Sic & Roma: 7. op-ponit legẽ mentis legi mẽbrorum, Hoc quia nouè & mirabiliter dictũ est, facilius incurrit in animum, & firmiùs hęret in memoria. Deinde etiã suauius sonat, cùm dicit: Ego per legem legi mortuus sum, quàm, Ego per libertatem legi mortuus sum, facit enim quandam picturam, quasi lex contra legem pugnet, Quasi dicat, lex si potes me accusare, & ligare constituam super te aliam legem, hoc est, alium Tyrannum & tortorem, qui te vicissim accuset, liget, & opprimat. Tu quidem meus es carnifex, sed habeo alium carnificem, Christum, qui te excarnificet: te autem excarnificato per illum liber sum. Item, si diabolus me flagellat, habeo alium diabolum qui vicissim ipsum flagellat, & vincit. Sic gratia est lex, non mihi, Nam me non ligat, sed legitimè, hanc ligat, ne amplius me ligare possit. Itaq; Paulus libenter nos prorsus abstraheret ab inspectiõe legis, peccati, mortis, & omnium malarum rerũ, & transferret in Christum, vt ibi spectaremus iucundissimum duellum, quod scilicet lex contra legem pugnet, vt sit mihi libertas, peccatum contra peccatum, vt sit mihi iustitia, mors contra mortem, vt habeam vitam. Quòd Christus sit diabolus meus contra diabolum, vt sim filius Dei, quod destruat infernum, vt habeam regnum cœlorum.

GALAT. CAP. 4. FOL. 141. TOM. 4.

Sic Agar Mystica, id est, mons Syna in quo lata lex & vetus Testamentum conditum est, generauit Deo Abrahæ magno populum, sed sine promissione, hoc est, carnalem & seruilem, non hæredem Dei. Quia legi non sunt additę promissiones de Christo benedictore, de liberatiõe à maledicto legis, à peccato & morte: Item, de donatione gratuita remissionis peccatorum, iustitiæ & vitæ æternæ. Sed qui fecerit ea, inquit lex, viuet in eis. Sunt ergo promissiones legis conditionales, non gratis promittens vitam, sed facientibus legem. Ideoq; relinquunt cõscientias in dubitatione, quia nemo legem facit, promissiones verò noui Testamenti nullam habent annexã conditionem, neq; exigunt quicquam à nobis, neque pendent ex conditione nostræ dignitatis, sed afferunt & donãt nobis gratis remissionem peccatorum, gratiam, iusticiam & vitam propter Christum. Ista alibi copiosiùs à nobis tractata sunt. Itaque lex seu vetus Testamentum continet tãtùm promissiones corporales, quibus semper annexa est eiusmodi conditio: Si audieritis vocem meam, si seruaueritis pactum meum, si ambulaueritis in vijs meis, eritis mihi populus, &c. Hoc ludæi non consi-

derantes apprehenderunt illas conditionales promissiones, & fecerunt ex eis absolutas & puras, quas existimabant Deum nunquam reuocare posse, sed eas oportere seruare. Hinc cum audirent prophetas (qui rectè discernere poterant inter promissiones legis, corporales & spirituales de Christo & regno ipsius) prædicere vastationem ciuitatis Hierusalem templi, regni & sacerdotij, persequebantur & occidebant eos tanquam hæreticos & blasphemos in Deum, quia non videbant annexam conditionem, Si custodieritis mãdata mea, benè erit vobis. Itaq; Agar serua non generat nisi seruum, non est igitur hæres Ismael, etiamsi naturalis sit filius Abrahæ sed seruus manet. Quid deest promissio & benedictio verbi. Sic lex lata in Sina monte, quem Arabes Agar vocant, non generat nisi seruos, quia legi non est addita promissio de Christo. Quare si ad legem & opera, relicta promissione & fide, defeceritis ò Galatæ, perpetuò manebitis serui, id est, nũquam liberi eritis à peccato & morte, sed sub maledicto legis manebitis, Agar enim non gignit semen promissionis & hæredes, hoc est, Lex non iustificat, non affert filiationem & hæreditatem, sed potius eam impedit & iram effecit.

GALA. 4. CAP. FOL. 144 TOM. 4.

Hac ergo Allegoria Paulus clarissime ostẽdit discrimen legis & Euangelij, primùm cùm Agar vetus Testamẽtum, Saram nouũ vocat. Deinde cùm alteram ancillam, alteram liberã appellat. Item cùm maritatam & fœcundam ait infirmari, & cum filijs suis eijci è domo. Contrà sterilem & desertam fœcundam reddi & parere infinitos filios, & eos hæredes. Hæ differentiæ essentiales sunt populi fidei & legis. Populus fidei non habet legem marítum, non seruit, non natus est ex matre Hierusalem quæ nunc est, sed promissionẽ habet, liber est, & nascitur ex Sara libera. Separat ergo populum spiritualem noui Testamenti à lege, cum dicit, nondum esse prolem Agar maritatæ, sed Saræ liberæ, quæ nescit legem, & per hoc constituit populum fidei longè supra & extra legem. Si autem supra & extra legem est, ergo nõ lege & operibus sed sola spirituali natiuitate quæ nihil aliud est, nisi fides, iustificatur autem populus gratiæ, non habet nec potest habere legem, ita populus legis non habet, nec potest habere gratiam, quia impossibile est legem & gratiam simul posse existere, aut igitur fide iustificari nos oportet, & iustitiam legis amittere, aut lege & gratiam & per iustitiam fidei amittere, turpis autem & infelix est amissio, quando amissa gratia legem retinemus. Econtrà fœlix & salutifera amissio est, quando lege amissa gratiam recipimus. Nos sedulò damus operam, quia videmus hoc fecisse Paulum summa diligẽtia, vt clarè ostendamus legis & Euangelij differentiam, quæ facillima est, quantum ad verba ipsa attinet. Quis enim non videt Agar non esse Sarã & Saram non esse Agar. Item, Ismaelẽ non esse aut habere quod est aut habet Isaac? Ista facile discerni possunt, sed in serijs pauoribus aut agone mortis, vbi conscientia luctatur cum iudicio Dei. Tum firma fiducia posset dicere, lex nihil prorsus ad me pertinet, quia Sara est mater mea quæ non seruos, sed liberos & hæredes generat, hoc omnium difficillimum est. Vide ipsum commentarium ad Galat.

VERITAS EVANGELII.

To. 4. Ienens. fol. 32. & 33. Est autem veritas Euangelij, quod iustitia nostra est ex sola fide, sine operibus legis. Falsitas seu deprauatio Euangelij est, quod fide iustificemur, sed non sine operibus legis. Hac conditione annexa pseudoapostoli prædicauerunt Euangelium. Hoc idem fecerunt Sophistæ & papistæ nostri, Quod scilicet in Christum sit credendum, fidemq; esse fundamentum salutis, sed eam non iustificare, nisi formata sit charitate. Hæc non est veritas, sed fucus & simulatio Euangelij. Verũ autem Euangelium est, quod opera aut charitas non sint ornatus seu perfectio fidei, sed quod fides per se est donum Dei, & opus diuinum in corde, quod ideò iustificat, quia ap-

quia apprehendit ipsum Christum saluatorem. Ratio humana obiectum habet legem, hoc feci, hoc non feci. Fides autem, quando in proprio suo officio est, nullum prorsus aliud obiectum habet quàm Iesum Christum filium Dei traditum pro peccatis totius Mundi. Non respicit charitatem: non dicit, Quid feci? Quid peccaui? Quid meruí? Sed quid fecit Christus? Quid ille meruit? Ibi veritas Euangelij dicit, Redemit te à peccato, Diabolo, morte ęterna. Agnoscit igitur fides, se in ista persona, Iesu Christo, habere remissionem peccatorum, & vitam æternam. Qui hoc obiecto excidit, non habet veram fidem, sed fucum & opinionem, & vertit oculos à promissione ad legem, quæ perterrefacit, & in desperationem adigit.

Quare, quæ Sophistę docuerunt de fide iustificante, si lit charitate formata, mera verborum portenta sunt. Ea enim fides, quæ apprehẽdit Christum filium Dei & eo ornatur, nõ quę includit charitatem, iustificat. Nam fidem, si certa & firma esse debet, nihil apprehendere oportet, quàm solum Christũ, neq; alia re, in luctа & terroribus conscientię, niti potest, quã ista vnione. Quare qui Christum fide apprehẽdit, quantũuis lege perterrefiat, & mole peccatorũ grauetur, tamen gloriari potest se iustũ esse. Quomodo, aut per quid per gẽmam? Christum, quem fide possidet. Hoc aduersarij non intelligunt, ideò abijciunt gemmam, Christum, & in locum eius, reponũt charitatẽ, quã dicunt gemmam esse. Cùm autẽ ignorent, quid fides sit, impossibile est, eos habere fidem, multò minùs possunt eam docere alios. Quod autem habent, somniũ, opinio, & ratio naturalis, non fides est.

Hæc ideo dico, vt intelligatis Paulum emphaticè dicere, veritatẽ Euangelij, per vituperationem cõtrarij: perstringit enim his verbis pseudoapostolos, quod falsum Euangelium docuerint. Nam vrgebant circumcisionẽ, & legis obseruationem, tanquàm necessariam ad salutem. Deinde, miris artibus & dolis struebãt insidias Paulo, obseruabant enim an Titum circumcidere vellet. Deinde, an auderet se illis opponere præsentibus Apostolis. Ideo vehementibus verbis perstringit eos, volebãt, inquit, libertatem nostrã, quam habemus in Christo Iesu, explorare, vt nos in seruitutẽ redigerent. Quare, summo studio armauerũt se, & omnia benè instructa habuerunt contra Paulum pseudoapostoli, vt, quoquo tandem modo possent, traducerẽt & opprimerent corã Ecclesia. Et ad hoc, abuti insuper voluerunt autoritate Apostolorũ, in quorum conspectu accusauerunt eum, dicentes: Paulus introducit Titum incircumcisum in coetum omnium credentium, negat & damnat legem prę sentibus vobis Apostolis. Si ista hic audet tentare, quid non auderet inter gentes, vobis absentibus?

Cum igitur videret his dolis se peti, restitit pseudoapostolis fortissimè, libertatẽ nostram, inquiens, quam habemus in Christo Iesu, non passi sumus periclitari, vt maximè insidiarentur, & vrgerent nos falsi fratres, sed eos, etiam ipsis Apostolis iudicibus, vicimus. Et ne ad horam quidem cedere eis voluimus. (Dixerunt enim proculdubiò, ad tempus saltem Pauli illã libertatẽ intermitte.) videbamus enim vrgere eos legem, vt rem ad salutem necessariã. Si verò allegassent obsequium fraternitatis cessisset Paulus, sed aliud quęrebant, nempe, vt Paulum, & omnes adhærentes suæ doctrinę, in seruitutẽ redigerent, Ideò ne ad momentum quidem eis cedere voluit.

Sic nos offerimus Papistis, quæ offerenda sunt, & plura quàm debemus. Solùm accipimus libertatem conscientiæ, quam habemus in Christo Iesu. Nolumus enim cogi, aut conscientias nostras alligari ad vllum opus, vt hoc aut aliud facientes, iusti, omittentes verò, damnati simus, libenter vnà cum eis vtemur ijsdem cibis, seruabimus item ferias & ieiunia ipsorum, modò nos ista omnia voluntate libera seruare permittant, & istas minaces voces, quibus hactenus conterruerunt & subiecerunt sibi totum orbem, omittant: Mandamus, aggrauamus, reaggramus, excommunicamus, &c.

Sed vt hanc nobis libertatem permittant, non possumus obtinere, sicut nec tum Paulus potuit. Ideò idem facimus, quod ipse. Nam cùm illam libertatem obtinere non posset, nec pseudoapostolis vel ad horam saltem cedere voluit.

Sic igitur aduersarij hoc saluum nobis relinquere nolunt, quod sola Fides in Christum iustificet: Ita nec nos volumus, nec etiam possumus, in hoc cedere ipsis, quod fides formata charitate iustificet. Hic volumus & debemus esse rebelles, & pertinaces, alioqui amitteremus veritatem Euangelij, amitteremus nostram libertatem, quam non in Cæsare, Regibus, principib. non in Papa, Mundo, carne, sanguine, ratione, &c. sed in Christo Iesu, habemus. Amitteremus fidem in Christum, quæ, vt supra dixi, nihil aliud apprehendit, quàm Christum gemmam. Hanc fidem, qua, renati, iustificati, & Christo inserti sumus, si nobis saluam reliquerint aduersarij, offerimus nos omnia facturos, modò cum ea fide non pugnent. Quia verò hoc impetrare ab eis non possumus, vicissim, ne tantillum quidē eis cedere volumus. De re enim seria & magna hîc agitur, nempe: de morte filij Dei, qui, voluntate & iussu patris, caro factus, crucifixus, & mortuus est pro peccatis totius Mundi. Si fides hîc cedit, illa mors, resurrectio, &c. filij Dei inanis est. Item, fabula est, Christum esse saluatorem mundi. Denique, Deus ipse mendax inuenitur, quia, quod promisit, non seruauit: Pia igitur & sancta est hac in re nostra pertinacia. Hoc enim quærimus per eam, vt conseruemus libertatem nostram, quam in Christo Iesu habemus, vtque veritatem Euangelij retineamus, qua amissa, amisimus Deum, Christum, omnes promissiones, fidem, iustitiam, & vitam æternam.

At dicat aliquis, lex diuina & sancta est. Habeat ea sanè suam gloriam, sed nulla lex, quantumuis diuina & sancta, debet me docere, quod per eam iustificer & viuam. Concedo quidem, vt me doceat, quòd debeam diligere Deum & proximum, item, viuere in Castitate, patiētia, &c. Non autem debet mihi ostendere, quo modo a peccatis, diabolo, morte, inferis, liberari debeam: Hic cōsulendum & audiendum est Euangelium, quod docet, non quod ego facere debeam, hoc enim est propriè legis officium, sed quid Iesus Christus Dei filius pro me fecerit: scilicet. Quod pro me passus & mortuus sit, vt me à peccato & morte liberaret, hoc iubet me Euangelium accipere & credere. Eaq; est & dicitur Euangelij veritas. Atque is principalis est doctrinæ Christianæ articulus, in quo cognitio totius pietatis consistit. Ideò maximè refert eum benè scire, & perpetuò inculcare: Nam vt tenerrimus est, ita facillimè lcditur. Hoc benè expertus est Paulus. Hoc quoq; experiuntur omnes pij.

Summa, Paulus Titum circumcidere noluit, ob nullam aliam causam, vt ait, Quod subintroierant quidam falsi fratres, exploraturi libertatem, &c. qui volebant cogere Paulum, vt eum circumcideret. Hanc coactionem & necessitatem animaduertens Paulus, nè ad horam quidem cedere voluit, sed summa vi eis restitit. Ideoq; dicit: Neque Titus, qui mecum erat, cum gentilis esset, coactus est circumcidi, &c. Si iure charitatis vel obsequio fraternitatis hoc postulassent ab eo, non recusasset. Sed quia volebant & vrgebant hoc fieri malo exemplo, in seruitutem conscientiarij, & destructionem totius Euangelij, fortissimè se illis opposuit, perrupit, & obtinuit, ne Titus circumcideretur.

Res quidem apparet valde leuicula, circumcisum vel non circumcisum esse, sed accedēte fiducia, ac timore propter seruatam aut omissam circumcisionem, negatur Deus, Christus, gratia, & omnia promissa Dei. Alioqui si circumcisio sine illo additamento seruaretur, nihil periculi esset. Sic, si Papa exigeret à nobis traditiones suas, vt nudas cæremonias, non grauaremur eas obseruare. Qualis enim esset labor, gestare cucullum? raso vertice incedere? cum alioqui cæremoniis vtimur.

Addere autem hoc grāde malū, quod in ista leuicula, imò nihili re cōsistat, aut vita & salus, aut mors & damnatio ęterna, hoc Satanicum est & blasphęmum. Quicunq; hîc non

hîc non reclamat, Anathema esto. Edam, bibam, gestabo cucullum, faciam quæcunque præscripserit papa, modo sinat ista omnia libera esse. Sed cum ista exigere volet tanquam necessaria ad salutem, ad ea conscientias astringere, & in istis cultum Deo gratum instituere, ibi omninò repugnandum est. Nihil noceret sculpere lignum, lapidem, statuam, sed cultum iustituere, & ligno, lapidi, aut statuæ diuinitatem tribuere, hoc est, idolum pro Deo colere.

Igitur diligenter considerandum est, de qua re Paulus agat, ne cum Hieronimo ineptiamus, qui putauit esse quæstionem & desperationem de ipsis rebus. In hoc errauit. Non enim est disputatio: An lignum sit lignum, an lapis sit lapis, sed de addimento, hoc est, de vsu rerum, vtrum hoc lignum sit Deus? seu, vtrum huic lapidi insit diuinitas? Hîc respondemus, lignum esse lignum, &c. Sic circumcisio nihil est, præputium nihil est, dicit Paulus, sed ponere iusticiam, reuererentiam, fiduciam salutis, timorem mortis, in istis, hoc est cœremonijs tradere diuinitatem. Ideò in minimo non est cedendum aduersarijs, vt neq; Paulus pseudoapostolis cessit, Quia ad iusticiam, neque circumcisio, neque præputium, neque rasura, neque cucullus, pertinet, sed sola & mera Gratia, Hæc est Euangelij veritas

TRIA GENERA AVDITORVM LEGIS.

Tom. 3. Ienens. fol. 69. In præfat. in vetus Test. Habet lex tria discipulorum genera. Primi sunt, qui legem quidē audiunt, verùm cōtemnunt eam, & turpem absq; omni metu agunt vitā, & ad hos lex non peruenit. Illi enim vituli cultores in Exodo horum figuram gerunt, ad quos Moses non perferebat legem, sed commotus ira, legum tabulas frangebat.

Secundi sunt, qui tentant suis viribus præstare legem, sine gratia Dei. Horum figuram hi gerunt, qui gloriam in vultu Mosis ferre non poterant, cùm denuò referret leges. Atque ad hos quidem peruenit lex, verùm ipsi non possunt eam ferre, obducunt igitur eam velamine, & hypocriticam vitam, simulatione externorum operum, legis agunt. Verùm lex etiam illa ipsa opera iudicat esse peccata, vbi velamen amotum fuerit. Conuincit enim nos, quod nostræ vires nihil sint, sed tantùm Christi gratia nobis sit opus.

Tertij iam sunt, qui in Mosis faciem sine velamine possunt defigere oculos, hoc est, qui verè intelligunt legem, & vident, quàm sit impossibile humanis viribus eam præstare. Atque hic quidem sese exerit illa peccati vis & potentia mortis, hæc est illa hasta Goliath immensæ magnitudinis, cuius cuspis sexcentos æris siclos pendet. Fugiunt igitur eum omnes Ismaelitæ, præter vnicum Dauidem, id est, Christū nostrum, qui nos ab omnibus illis monstris liberauit. Nisi enim gloriam vultus Mosis Christus maiore gloria obscuraret, nemo illum legis fulgorem, hoc est, peccati ac mortis terrores perferre posset. Hi igitur, omnia opera, omnem præsumptionem, de suis viribus abijciunt, neque alium legis norunt vsum, quàm vt per eam peccata sua agnoscāt, & miserè desiderent Christum, quod propriè Mosis officium est, & germanus legis vsus. De discrimine legis & Euan: plura reperis in locis de lege, iustificatione, fide, &c.

DE PRAEDESTINATIONE.

QVOD HAEC DOCTRINA NECESSARIA ET QVIBVS *ac quo ordine tradenda & discenda sit.*

Ex præfatione Epistolæ ad Roman: Ex prædestinationis sententia sola pendent omnia, nempe qui accepturi sint verbum, qui non: qui credituri, qui non: qui liberandi à peccato, qui obcæcandi, qui damnandi & iustificandi sint. Cùm igitur & missio Euangelizantium & verbum sit ex Deo, certè in solius Dei manu situm est, vt iustificemur, & hæc certè stabilis sententia & immota prædestinationis necessitas

ſummè neceſſaria eſt. Tam imbecilles enim ſumus, vt ſi in noſtris manibus ſitũ eſſet, pauciſsimi aut nulli ſaluarentur, Diabolus enim omnes vinceret. Nunc cum hęc ſtabilis & certiſsima Dei ſententia mutari nõ poſsit, nec ab vlla creatura cõuelli, tũ certè ſpes eſt nobis reliqua, tandẽ vincendi peccati, quantumuis etiã nunc in carne ſæuiat.

At hìc curioſuli habenis cohibendi ſunt, qui antequam Chriſtum & virtutem crucis diſcant, abyſſum illã prædeſtinatiõis ſcrutantur, & num prædeſtinati ſint nec ne fruſtra inueſtigant. Nam hi haud dubiè in confuſionem conſcientiæ, aut deſperationem, ſua hac inepta curioſitate ducẽt & præcipitabunt ſeipſos. Tu verò, in ratione diſcendarum ſacrarum rerum, ſequere ſeriem & ordinem hic traditum ab Apoſtolo.

Primùm, diſce cognitionẽ Chriſti, vt agnoſcas omnes vires tuas nihil valere niſi ad peccandum. Deinde, vt per fidem cum carne tua aſsiduè lucteris, quemadmodum. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. capite docuit. Mox cùm ad caput 8. peruueneris, hoc eſt, vbi crucem & tribulationes expertus fueris, hanc mortificationem eſſe ſalutarem & appetendam: tum primùm dulceſſet neciſsitas hæc prædeſtinationis: tum primùm ſenties in cap. 9. 10. & 11. & quàm plena conſolationis ſit prædeſtinatio. Nam niſi tribulationẽ expertus ſis, niſi ad portas inferi aliquando, vt in Dauide & aliis ſanctis videmus, ductum te ſenſeris, non poteris hanc prędeſtinationis ſententiam, ſine periculo & blaſphęmo, quodam fremitu naturę, contra Deum tractare. Neceſſe eſt igitur Adam veterem primùm eſſe mortificatum, ſenſum carnis detritum, lactantes in Chriſto primùm adoleſcere, antè quàm meracum hoc bibant. Nam & hic eſt ſua quædã puericia, cui lacte interim opus eſt, dum ſolido cibo aſſueſcat.

VNDE AC QVOMODO DE PRAEDESTINATIONE IVDICANDVM SIT, ET QVINAM SINT PRAEDESTINATI AD VITAM ÆTERNAM.

Gen. Tom. 3. fol. 36. 37. cap. 26. Libet ex hoc loco captare occaſionẽ diſputandi de dubitatione, de Deo, & volũtate Dei. Audio enim ſpargi paſsim ſceleratas voces inter nobiles & magnates de prędeſtinatione, ſiue prędſciẽtia diuina. Sic enim loquũtur. Si ſum prædeſtinatus, ſiue benè ſiue malè egero, ſaluabor. Si non ſum prędeſtinatus, damnabor, nulla ratione habita operum. Contra has impias voces libẽter multis diſputarẽ, ſi poſſem per incertam valetudinem. Quia ſi ſunt verę voces, vt ipſis quidem videtur, num planè tollitur incarnatio filij Dei, paſsio, reſurrectio, & quicquid fecit pro ſalute mundi. Quid proderunt Prophetę ac tota ſcriptura ſacra? Quid ſacramenta? Abijciamus ergo & conculcemus iſta omnia.

Sunt hæc Diabolica & venenata tela, & ipſum peccatum originale, quo ſeduxit Diabolus primos parentes, cũ diceret: Eritis ſicut Dij. Non enim erant contenti reuelata diuinitate, qua cognita beati erant. Sed videbant penetrare profunditatẽ diuinitatis. Sic enim ratiocinabãtur, ſubeſſe aliquã arcanam cauſam cur prohibuiſſet Deus, ne ederẽt de arboris fructu, quę erat in medio paradiſi, eã velebãt ſcire. Perinde vt iſti hodie loquuntur: Oportet fieri, q̃ Deus prędiniuit. Igitur incerta & inanis eſt omnis cura, de religione, aut de ſalute animarum. Atqui tibi non eſt cõmiſſum, vt feras ſententiã qnę eſt inperueſtigabilis. Quare dubitas tu aut abijcis fidem, quam Deus tibi præcepit? Quorſum enim attinebat, mittere filium vt pateretur & crucifigeretur pro nobis? Quid proderat inſtituere ſacramenta, ſi incerta ſunt aut irrita prorſus ad noſtram ſalutẽ? Alioquí enim, ſi quis fuiſſet prædeſtinatus, abſq̃ filio & abſq̃ ſacramentis, aut ſcriptura ſancta, eſſet ſaluatus. Ergo Deus iuxta iſtorum blaſphęmiam, horribiliter fatuus fuit, mittendo filium, promulgando legem & Euangelium, mittendis Apoſtolis, ſi hoc voluit tantùm, vt eſſemus incerti & dubitaremus, vtrum ſimus ſaluandi, an vero damnandi.

Sed ſunt hę pręſtigiæ Diaboli, quib. conatur nos dubios & incredulos reddere, cum Chriſtus ideo venerit in hunc mũdum, vt faceret nos certiſsimos. Neceſſe enim eſt, ſequi

est, sequitandem vel desperationem, vel contemptum Dei, Sacrorum Bibliorum, baptismi & omnium beneficiorum diuinorum, quibus nos voluit confirmatos aduersus incertitudinem & dubitatiõem. Dicent enim cum Epicuræis, viuamus, edamus, bibamus, cras moriemur. Turcarum more, temerè in ferrum & ignem ruent, siquidem hora præfinita est, qua vel occumbas vel euadas.

Opponenda est autem cogitationibus istis vera & firma cognitio Christi. Sicut sæpè moneo, in primis vtile & necessariũ esse, vt cognitio Dei certissima sit in nobis, & firma animi adsensiõe apprehensa hæreat. Alioqui inanis erit fides nostra. Si enim non stat promissionibus suis Deus, tum de nostra salute actum est. Cum econtrà hęc nostra consolatio sit, tametsi nos mutemur, vt ad immutabilem tamen confugiamus. Sic enim de se adfirmat Malach. 3. Ego Dñs & non mutor. Et Rom. 11. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei. Sic igitur in libello de Seruo arbitrio & alibi docui. Esse distinguendum, quando agitur de notícia, vel potiùs de subiecto diuinitatis. Aut enim disputandum est de Deo abscondito, aut de Deo reuelato. De Deo, quatenus nõ est reuelatus, nulla est fides, nulla sciẽtia, cognitio nulla. Atq; ibi tenendũ est quod dicitur: Quæ supra nos, nihil ad nos. Eiusmodi enim cogitatiões, quæ supra aut extra reuelationẽ Dei sublimius aliquid rimantur, prorsus Diabolicæ sunt, quib. nihil amplius proficitur, quàm vt nos ipsos in exilium præcipitemus, quia obijciunt obiectum inperuestigabile, videlicet, Deum non reuelatum. Quin potius retineat Deus sua decreta & mysteria in abscondito. Non est cur ea manifestari nobis tantopere laboremus.

Moses etiam petebat, vt ostẽderet ipsi Deus faciẽ suam, sed respondit Dñs. Posteriora mea tibi ostendam, faciem aũt meam videre non poteris. Est enim curiositas ista ipsum peccatum originis, quo impellimur, vt ad Deum adfectemus viam naturali speculatione. Sed est ingens peccatum, & conatus inutilis & irritus, Sic enim inquit Christus, Iohan. 6. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Ideo, quando ad Deum nõ reuelatum accedimus, ibi nulla fides, nullum verbum, neq; vlla cognitio est, quia est inuisibilis Deus, quẽ tu non facies visibilẽ. Deinde seueriſsimè prohibuit Deus istam adfectationẽ diuinitatis. Sicut ait ad Apostolos Christus, Act. 1. cum quęrunt. Num prædestinatum est, vt hoc tempore restituatur regnum? Nõ est vestrum nosse tempora. Sine me esse abscõditum vbi me non reuelaui tibi, aut tibi ipsi causa exitij eris, sicut Adã horribiliter lapsus est. Quia scrutator maiestatis opprimetur à gloria.

Ac initiò quidẽ statim voluit Deus occurrere huic curiositati, sic enim suã voluntatem & consiliũ proposuit: Ego tibi præscientiam & prædestinationẽ egregiè manifestabo, sed non ista via rationis & sapientiæ carnalis, sicut tu imaginaris, sic faciã: Ex Deo non reuelato fiam reuelatus, & tamen idẽ Deus manebo. Ego incarnabor, vel mittam filiũ meum, hic morietur pro tuis peccatis, & resurget à mortuis. Atq; ita implebo desiderium tuum, vt possis scire, an sis prædestinatus, an nõ: Ecce hic est Filius meus. Hunc audito, hunc aspice iacentẽ in præsepio, in matris gremio, pendẽtem in cruce. Vide quid is faciat, quid loquatur. Ibi me certò apprehẽdes. Qui enim me videt, inquit Christus, videt & patrem ipsum. Si hunc audieris, & in nomine eius baptizatus fueris, & diliges verbũ eius, tũ certò es prædestinatus, & certus de tua salute. Si verò maledicis aut contemnis verbũ, tũ es dãnatus: Quia qui nõ credit, condẽnatur.

Alias cogitatiões & vias rationis aut carnis occidito, quia Deus eas detestatur. Id vnũ age vt suscipias filiũ, vt placeat in corde tuo Christus, in sua natiuitate, miraculis & cruce. Ibi enim est liber vitæ, in quo scriptus es. Idque vnicum & præsentissimum remediũ est illius horribilis morbi, quo homines in inquisitione Dei procedere volunt, speculatiuè, & ruunt tandem in desperationem aut contemptum. Si vis effugere desperationem, odium, blasphęmiam Dei, omitte speculationem de Deo abscondito, & desine frustra contendere ad videndam faciem Dei. Alioqui perpetuò tibi

in incredulitate & damnatione hærendum & pereũdum erit. Quia qui dubitat, non credit: Qui non credit, condemnatur.

Detestari itaq; & fugere sceleratas istas voces debebamus, quas iactãt Epicurei. Si necesse est hoc ita fieri, fiat. Deus enim non ideo de cœlo descendit, vt faceret te incertum de prædestinatione, vt doceret te contemnere Sacramenta, absolutionem & reliquas ordinationes diuinas. Imò ideò instituit, vt redderet te certissimũ & auferret morbum dubitationis ex animo tuo, vt non solùm corde crederes, sed etiam oculis carnalibus aspiceres, & manibus palpares. Cur igitur reijcis ista & quereris te nescire an sis prędestinatus? Tu habes Euangelium, es baptisatus, habes absolutionem, es Christianus, & tamen dubitas, ac dicis te nescire vtrum credas an non? Num pro veris habes, quæ de Christo in verbo & Sacramentis prædicantur?

Sed dices. Non possum credere, sicut multi hac tentatione vexantur & meminit Torgæ ad me venire mulierculam quandam & cum lachrymis queri, quod non posset credere. Ibi cùm articulos Symboli ordine recitarem, & de singulis quærerem, statueret ne hęc vera & ita gesta esse an non? Resp. omninò sentio vera esse, sed nõ possum credere. Illa erat Satanica illusio. Dicebã igitur si statuis ista omnia vera esse, nihil est cur de tua incredulitate queraris. Si enim nõ dubitas filiũ Dei pro te mortuũ esse, certè credis. Quia credere nihil aliud est, q̃ habere ista pro certa & indubitata veritate.

Deus dicit tibi, en habes Filium meũ, hunc audias & acceptes. Id si facis, iam certus es de fide & salute tua. Sed nescio inquies an maneã in fide? Attamen præsentem promissionem & prædestinationẽ suscipe, & non inquiras curiosiùs de arcanis Dei consilijs. Si credis in Deum reuelatũ, & recipis verbum eius, paulatim etiam abscondita Deũ reuelabit. Quia qui me videt, videt & Patrem. Iohan. 14. cap. Qui Filiũ reijcit, amittit, cum reuelato Deo adhæseris, ita vt cor tuum sic sentiat, te non amisisse rum Christum, etiamsi omnib. spoliatus fueris, tum certissimè prædestinatus es, & absconditum Deum intelliges, imò iam de præsenti intelligis. Si filium agnoscis, & voluntatem eius, quod velit se tibi reuelare, quod velit tibi esse Dominus & Saluator tuus. Igitur certus es, quod etiam tuus Dominus & Pater sit.

Vide quàm suauiter & benignè Deus ab hac horribili tentatione te liberet, quã Satan hodie miris modis vrget, vt homines dubios ac incertos, ac tãdem etiam alienos à verbo reddat. Cur enim audires Euangeliũ, cùm omnia posita sint in prædestinatione inquiunt: Ita rapit nobis prædestinationẽ certificatã per filium Dei & Sacramenta, reddẽs nos incertos, vbi sumus certissimi, Ac si adoritur pauidas conscientias hac tentatione, moriuntur illæ in desperatione. Sicut mihi propemodũ accidisset, nisi Staupicius eadẽ me laborantem liberasset. Si aũt contemptores sunt, fiunt Epicurei pessimi. Itaq; potius istas sententias animis nostris infigamus. Ioh. 6. Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eum. Per quem? per me. Qui videt me, videt & Patrem. Et ad Mosen. Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Itẽ: Non est vestrum nosse tempora & momẽta, quæ Pater posuit in sua ipsius potestate. Vos ite, & quod iubeo exequimini. Itẽ, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper, & in plurib. operib. eius non eris curiosus. Audi filium incarnatum, & sponte se offeret prædestinatio.

Staupicius his verbis me cõsolabatur. Cur istis speculationibus te crucias? Intuere vulnera Christi, & sanguinẽ pro te fusum: Ex istis fulgebit prædestinatio. Audiendus igitur est filius Dei, qui missus est in carnẽ, & ideo apparuit, vt hoc opus Diaboli dissoluat, & certum te faciat de prædestinatione. Ideoq; tibi dicit: Tu es ouis mea, quia audis vocem meam. Nemo rapiet te ex manibus meis.

Multi qui non ad istum modum repugnauerunt tentationi huic, in exitiũ præcipitati sunt. Itaq; diligenter muniendi sunt animi piorum, sicut hæremita quidã in vitis Patrũ, ab eiusmodi speculationib. dehortatur suos auditores. Si videris inquit, aliquem pedem

quẽm pedẽ in cœlum fixisse, retrahe eum. Sic solent enim Sancti neophyti cogitare de Deo extra Christum. Hi sunt qui in cœlum ascendere, & vtrumq; pedem ibi figere conantur, sed subitò ad inferos demerguntur. Caueant igitur pij & id vnum agãt, vt discant adhærere puero & filio Iesu, qui est Deus tuus, propter te incarnatus. Hũc agnosce & audi ac delectare in eo, & age gratias. Si hunc habes, tunc etiam Deum absconditum pariter cum reuelato habes, & illa est vnica via, veritas & vita, extra quam, nihil prẽter exitium & mortem inuenies.

Ideo aũt manifestauit se in carne, vt rapiat nos ex morte, ex carne & ex Diaboli potestate. Ex hac cognitione non potest non existere ingens gaudiũ & delectatio, quòd Deus est immutabilis, & quod necessitate immutabili operatur, neq; seipsum negare potest, sed seruat promissiones. Non igitur liberæ sunt cogitationes istę, siue dubitationes de prædestinatione, sed sunt impiæ, sceleratæ, diabolicæ. Ideo, quando Diabolus ijs te impugnat, tantùm dicas: Credo in Dominum nostrum Iesum Christum, de quo, mihi nõ est dubiũ, quin sit incarnatus, passus, mortuus pro me, in cuius mortem ego sum baptisatus. Hoc responso euanescit tentatio, & tergũ vertet Satan.

Sicut sæpè aliàs recitaui memorabile exemplum, de vestali quadã, quæ eandem tentationem patiebatur. Nam & sub Papatu fuerũt multi pij, qui spirituales has tentationes senserunt, quæ sunt verè infernales, & damnatorum cogitationes. Nihil enim differt dubitans à damnato. Vestalis igitur quoties sentiebat, se peti ignitis telis Satanæ, nihil aliud dicebat, quàm, Christiana sum.

Cæterùm dubitatio de hominis alicuius voluntate, non est peccatum: sicut Isaac dubitat, an sit victurus, vel habiturus bonum hospitem. De homine possum, imò debeo dubitare. Quia non est Saluator meus, & scriptum est: Nolite confidere in principibus: Quia homo est mendax & fallax: sed cum Deo non potest agi dubitatiuè. Is enim non vult, nec potest esse mutabilis aut mendax. Sed summus cultus est, quem requirit, vt statuas eum esse veracem. Ideo enim dedit tibi firmissima argumenta certitudinis & veritatis suæ. Dedit filium in carnem & mortem, instituit Sacramenta, vt scias eum non velle fallacem esse, sed veracẽ. Neq; id spiritualibus argumentis, sed palpabilibus cõfirmat. Video enim aquam, video panẽ & vinum, video ministrum, quæ omnia sunt corporalia, in quib. figuris carnalib. se reuelat. Si cũ hominib. agendũ est, ibi licet dubitare, quid cui credas, & quomodo erga te alij adfecti sint. Sed de Deo, certò & indubitanter statuere debes, eũ esse tibi propiciũ propter Christum, te redẽptum & sanctificatum esse præcioso sanguine filij Dei, atq; ita de prædestinatiõe tua certus eris, remotis omnibus curiosis & periculosis quæstionibus de Dei arcanis consilijs, ad quos impellere nos Satan, sicut primum parentem impulit, conatur.

Quanta verò fuisset eius felicitas, si diligenter in conspectu habuisset verbum Dei, & de omnibus alijs arboribus comedisset, excepta ea, qua prohibitus erat vesci, sed voluit scrutari quo consilio prohibuisset ipsi Deus vsum fructuum de vna illa arbore. Huc accedebat Magister improbus Satan, qui curiositatem istam augebat & iuuabat. Ita in peccatum & mortem præcipitatus est. Sic Deus reuelat nobis suã voluntatem per Christum & Euangelium. Id vero fastidimus, & ad exẽplum Adæ, vetita arbore præ reliquis omnibus delectamur. Hoc vicium nobis natura insitum est, clauso Paradiso & Cœlo, & collocato ibi Angelo custode, frustra eò penetrare conamur. Verè enim à Christo dictum est, Deum nemo vidit vnquã, & tamen immensa bonitate reuelauit se Deus: vt desiderio nostro satisfaceret, exhibuit nobis imaginẽ visibilẽ. En habes Filium meum, qui audit eum & baptizatur, is in libro vitę scriptus est: hoc reuelato per Filium, quem potes manibus contrectare, & oculis intueri.

Hæc studiosè & accuratè sic monere & tradere volui, quia post meã mortẽ, multi meos libros proferẽt in mediũ, & inde omnis generis errores, & deliria sua cõfirmabũt. Scripsi aũt inter reliqua, esse omnia absoluta & necessaria: sed simul addidi, quòd

aspiciendus

aſpiciendus ſit Deus reuelatus, ſicut in Pſalmo canimus, **Er heiſt Jeſu Chriſt/der Herre Zebaoth/vnd iſt kein ander Gott.** Ieſus Chriſtus eſt Dominus Zebaoth, nec eſt alius Deus, & aliàs ſæpiſsimè. Sed iſtos locos omnes tranſibunt, & eos tantùm arripient, de Deo abſcondito. Vos igitur qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuiſſe, non eſſe inquirendum de prædeſtinatione Dei abſconditi: Sed ea acquieſcendũ eſſe, quę reuelatur per vocationẽ, & per miniſterium verbi. Ibi enim potes de fide & ſalute tua certus eſſe, ac dicere: Ego credo in filium Dei, qui dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Ergo in eo non eſt damnatio, aut ira, ſed beneplacitum Dei Patris. Hæc eadem autem alibi quoque in libris meis proteſtatus ſum, & nunc etiam viua voce trado, ideò ſum excuſatus.

PRAEDESTINATIO NON TOLLIT MEDIA A DEO ORDINATA.

Tom. 4. in Gen. cap. 43. fol. 118. Sanctorum exẽpla nos docent, non eſſe iudicandum Deum ſecundum prædeſtinationem diuinam, nec contẽnenda media ordinata ad hanc vitã ſuſtentandam & pericula cauẽda: Sicut multi temerè diſputant de fatali neceſsitate. Si volet me Deus ſeruare, tempore famis aut peſtis, ero ſuperſtes, etiam ſine cibo aut medicina. Sin fuerit pereundum, nihil proderunt illa omnia.

Hæ cogitationes impiæ, & prohibitæ ſunt à Deo. Non enim patefecit nobis arcana conſilia, quomodo aut quando te velit iuuare, neq; eſt ipſi præfigendus locus, tempus, perſona, non enim feret ſibi hæc vincula rationis & ſapiẽtiæ humanæ injici, ſed vult te ſeruire vocationi tuæ, ac propterea condidit cœlum & terram, & omnia quæ continent, vt te alat & ſuſtentet. Illis igitur mediis noueris tibi vtendum eſſe, nec inquirendum curioſiùs in arcanam eius gubernationem.

Quia vita hæc conſiſtit in prouidentia ipſius, & tua fide. Siquidem promiſit ſe fore Deum tuũ, teq; ſuſtentaturũ & ſaluaturũ. Non eſt igitur quod dicas. Quicquid fecero, non tamen impediam voluntatẽ Dei, quo minus fiat hoc quod definiuit. Etenim Diaboli vox eſt, & damnata in æternum. Quin potius ſimplici fide incede, & quando es in periculo & anguſtia, vtere mediis, quibuſcunq; potes, ne tẽtes Deum. Quod ſi nihil auxilij aut remedij eſt in ijs, quæ condidit Deus ad propulſandum periculum aut morbum, tum reijce in Dominum curam, vitamq; tuam, & ipſius ſapientiæ, & bonitati gubernationem tui permitte.

Qui verò contemnunt media, & periculũ ſibi temerè accerſunt, illi grauiter peccant contra promiſsionem, & tentant Deũ, ſicut Pſal. 78. de Iudæis, qui præſiniebant certã rationẽ auxilij diuini: dicit. Et tentauerunt Deum in cordib. ſuis, vt peterent eſcas animab. ſuis, & malè loquuti ſunt de Deo. Nunquid poterit Deus parare mensam in deſerto, &c. Verùm non feret, Deus ſe captiuari & cogi intra metas ſapientiæ tuæ, ac pręſcientia & prędeſtinatio eius nihil ad te pertinet, quin potiùs vt ne tentes Deum, audias eum promittentem, eiq; firma fide adhære. Hoc enim docet exemplũ Patriarchę Iacob, qui quanquam verſatur in periculo mortis, conſumptis alimentis omnibus, quę ex Aegypto aduexerant filij, tamen non negligit medium, quo antea quoque vſus fuerat, iubet redire filios in Aegyptum, & emere frumentum, ne ſe & familiam vniuerſam fame enecet.

Ita retinet promiſsiõem, & fide inuocat, nõ tentat Deum, ſtatuit firmiter ſe non deſertũ iri, nec irritas fore promiſsiones, & tamen nõ excludit mediũ quod offerrur, ſicut ſuprà quoq; Abrahamũ audiuimus deſcendiſſe in Aegyptũ cũ fame laboraret.

Hęc diligenter obſeruanda ſunt, ad refutandos fanaticos illos, qui putant magnam ſapientiam & fortitudinem eſſe, quiduis audere & tentare verbum Dei, quod in ſpeciem magnificum, inſolens, & inuſitatum eſt. Quemadmodum ferunt de duobus fratribus, peregrinantibus in terra Gentilium, qui cum eſurirent & porrigeretur

porrigeretur eis panis ab incolis illorum locorum, alter eo noluit vesci, propterea quod homines impij & Ethnici obtulerãt, ac nisi cœlitùs pasceretur, mortem potiùs oppetendam censuit, periit igitur fame, & sepultus est in infernum. Alter verò fuit sanior, qui sumpto cibo suppeditato à Gentilibus, seruatus est.

Sic magna stultitia fuisset abstinere à frumento & cibo allato ex Aegypto, propterea quòd essent ibi homines impij & increduli. An non enim panis Aegyptiorũ creatura est æquè ac alij cibi & alimenta? Sic nos eodẽ foro, Terra, Aqua, Cælo, Sole fruimur, quo & impios scimus vti. Non mittet tibi Deus Angelum cælitùs, qui te singulari modo alat, cùm abundè suppetat in terra vnde viuas. Ad hunc modũ Christus respondet Satanæ: Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum, quasi dicat, nihil mihi opus est Angelorum subsidio, qui è fastigio templi me deducant, cùm non desint gradus per quos descendam.

Hæc opponenda sunt illis qui disputant de prouidentia Dei, & necessitate præscientiæ diuinæ, cùm tamen nihil ad eos pertineant, neq; enim ipsis hoc est necessarium, sed promissiones & præcepta Dei amplecti debebant, & vti creaturis conditis ad huius vitæ conseruationem, quibus si iuuantur, benè est, sin minus, tamen sciant Deo obtemperandum esse, qui, si opus fuerit, etiam miracula faciet, ac fidem & spem eorum cumulatissimè ornabit.

DELIRIA DE FATALI NECESSITATE TOLLVNT FIDEM ET SPEM.

Genes. cap. 40. Tom. 4. fol. 62. Nec moremur impias hominum profanorũ voces, vt Turcarum & aliorum, qui dicunt, ea quæ semel à Deo definita & statuta sunt, non posse impediri. Fatum est inquiunt, ideo necessariò hæc vel illa euenient. Sol es gehen/so gehet es. Sed tibi illa non sunt manifestata, aliàs enim nullus locus erit fidei, spei, patientiæ, charitati, sed aut contemptus, aut odium Dei inde existet in animis hominum, non credemus, nec sperabimus ab eo auxilium. Deus igitur ordinat contingentia illa propter exercitia fidei & spei.

VOLVNTAS SIGNI ET VOLVNTAS BENEPLACITI.

Genes. cap. 6. Tom. 1. fol. 116. 117. Alia est voluntas beneplaciti substantialis, voluntas Dei, seu nuda maiestas, quæ est Deus ipse. Ab hac remouendi oculi sunt: Non enim apprehendi potest. In Deo enim nihil est nisi diuinitas, & substantia Dei est eius immensa sapientia, ac omnipotens potentia. Hæcrationi simpliciter sunt inaccessibilia, Quicquid hac voluntate beneplaciti Deus voluit, ab æterno vidit.

De hac voluntate substantiali & diuina nihil scrutandum, sed simpliciter abstinẽdum est, sicut à maiestate diuina: est enim inscrutabilis, nec voluit eam Deus proponere in hac vita. Quibusdam inuolucris voluit eam Deus ostendere, Baptismo, Verbo, Sacramento Cœnæ. Hæc sunt diuina simulachra, & voluntas signi, per quæ & pro nostro captu nobiscum agit. Igitur in hæc tantùm intuendum est, voluntas beneplaciti simpliciter dimittenda est, nisi sis vel Moses, vel Dauid, vel aliquis similis perfectus vir, quanquam hi quoq; in voluntatem beneplaciti sic intuiti sunt, vt à voluntate signi nusquam auerterent oculos.

Vocatur aũt voluntas signi, effectus Dei, quando ipse foras procedit ad nos, nobiscum agens, per aliquod inuolucrum, & externas res quas possumus apprehendere. Sicut sunt verbum Dei & cæremoniæ ab ipso institutæ. Hanc voluntatem non dicunt esse omnipotentem. Etsi enim Deus per decem præcepta, mandat quid velit fieri, tamen non fit. Sic instituit cœnam Domini Christus, vt fiducia misericordiæ cõfirmetur in nobis, & tamen multi eam sumunt in iudicium, hoc est, sine fide.

Sed redeo ad Mosen, Is dicit Deum videre maliciam hominum & pœnitere.

Hoc expo-

Hoc exponunt Scholastici, videt & pœnitet, scilicet voluntate signi, non beneplaciti, seu substātiali voluntate. Nos dicimus moueri cor Noah per Spiritum sanctum, vt intelligat Deum irasci homini & velle eum delere. Atq; hęc sententia intelligi potest, nec rapit nos in alias disputationes potentiæ absolutæ seu maiestatis Dei, quæ periculosissimæ sunt. Sicut in multis vidi. Inflantur primùm tales spiritus à Diabolo, vt putēt se Spiritum sanctum habere, negligunt verbum, imò etiam blasphemant & nihil quàm spiritum & visiones iactant. Hic primus gradus erroris est, cùm homines, derelicto Deo inuoluto & incarnato, sectantur nudum Deum. Postea cùm horra iudicij venit, & sentiunt iram Dei, iudicante Deo ipsorum corda & examinante, tùm desinit Diabolus eos inflare, desperant igitur & moriuntur: Ambulant enim in nudo Sole, & deserunt vmbraculum, quod liberat ab æstu Esai. 4.

Nemo igitur de Diuinitate nuda cogitet, sed has cogitationes fugiat tanquam infernum, & impijssimas Satanæ tentationes, sed hoc curemus singuli, vt maneamus in symbolis istis, quib. se ipse Deus nobis reuelauit. In Filio nato ex virgine Maria, iacente inter iumenta in præsepio, in verbo, in Baptismo, in Cæna Domini & Absolutione. Nam in his imaginibus videmus & inuenimus Deum, quem sustinere possimus, qui nos in spem erigit, saluat. Aliæ cogitationes de voluntate beneplaciti, seu substantiali & æterna occidunt & damnant.

Quanquam impropriè vocant hanc voluntatem beneplaciti. Nam voluntas beneplaciti debet ea vocari, quam ostendit Euangelium, de qua Paulus dicit, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona. Et Christus, hæc est voluntas Dei, vt qui videt filium habeat vitam æternam. Item, frater meus est, qui fecerit voluntatem Patris mei. Hic est Filius meus, in quo mihi complacui.

Hæc voluntas gratiæ rectè & propriè vocatur voluntas beneplaciti, & est vnicum remedium & salus contra illam, siue signi, siue beneplaciti voluntatem, de qua in Diluuio & Sodomorum interitu Scholastici disputant.

Horribilis vtrinque ira cernitur, contra quam animi se non possunt tueri, nisi illa voluntate gratiæ, vt cogitent Dei filium missum in carnem, vt liberaret nos à peccato, morte & tyrannide Satanæ.

Hæc voluntas beneplaciti diuini ab æterno dispositа est, & in Christo reuelata & exhibita. Hæc est viuificans, suauis & amabilis voluntas. Quare sola merebatur dici voluntas beneplaciti. Sed boni Patres promissiones ferè prætereunt, nec eas vrgent, cùm tamen propriè possint dici voluntas beneplaciti.

Quod igitur iubent intueri in voluntatem signi, benè quidem faciunt, sed id non dum satis est. Nam cum decē præcepta intuemur, nonne terremur cōspectu peccatorum nostrorum? Ad hæc si accedant illa horribilia iræ exempla, quæ etiam sunt voluntas signi, impossibile est vt se animus erigat, nisi in hanc voluntatem beneplaciti respiciat, quā nos sic appellamus, hoc est in filium Dei, qui nobis pingit animum & voluntatem patris sui, qui non irasci peccatoribus, sed ijs per filium velit misereri, sicut dicit, Philippe qui me videt, videt Patrem meum.

Dei Filius igitur incarnatus est, illud inuolucrum, in quo diuina maiestas cum omnibus suis donis, sic se nobis offert, vt nullus tam miser peccator sit, quin ad eum accedere ausit, cum certa fiducia consequendæ veniæ. Hic vnicus diuinitatis conspectus in hac vita facilis & possibilis est. Mortui autem in hac fide, virtute superna, in nouissimo die illuminabuntur, vt etiam Maiestatem ipsam visuri sint. Interim oportet nos ingredi in illa via ad Patrem, quæ est Christus ipse, hic tutò nos ducet, nec fallemur.

DEVS

DEVS PERMITTIT EXCAECARI SEV INDVRARI NOLENTES CREDERE EVANGELIO.

Tom.3.Ienenſ.fol.311. Eſai cap.34. Neque eſt vt ſubtiliter diſputemus Deum effectiuè excæcare. Satis enim indurationis eſt, cum ſpiritum ſuum ſubtrahit, & relinquit impios Satanæ.

PRAEDESTINATORVM NVMERVS NONDVM COMPLETVS EST.

Geneſ.cap.45.Tom.1.fol.151. Cæſar, Papa, & Mahometiſtæ non aliam ob cauſam hodie viuunt & manent in hoc mundo, quam propter Eccleſiam, Verbum & Sacramenta, quibus ablatis ſtatim peribunt, vt teſtatur Daniel.12. Cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc. Interea verò manent politiæ, manet generatio & educatio liberorum, quia nondum completus eſt numerus electorum, quorum mihi nondum æditi ſunt in lucem. Wenn aber nu die zal erfüllet iſt/ſo ſol Bapſt vnd Türck wol ſehen wo ſie bleiben.

Eccleſia verò ſola eſt conſeruatrix omnium rerum, & ſeminarium in mundo, quo propagatur & retinetur Verbum & Sacramenta, ad eam accedunt in dies proſelyti, qui audiunt & amplectuntur doctrinam cœleſtem. Interea, etiam inſaniunt contra nos Papa, Cæſar, Turca, & pugnant aduerſus columnas & conſeruatores ſuos, quos Deus alioqui ne faba quidem dignaretur, ſed propter reliquias Eccleſiæ obruit eos coronis, opibus, potentia, gloria, pro quibus hanc gratiam referunt Eccleſiæ Dei, vt perſequantur reliquias, & prorſus deletas & perditas velint.

QVO MODO OCCVRRENDVM SIT DIABOLO TENTANTI NOS DE PRAEDESTINATIONE.

Tom.2.Ienenſ.fol.60. Pſalm.5. Sed quid inquies, ſi me de prædeſtinatione vexet, & inquietet, quòd fruſtra ſperem ſi non ſum prædeſtinatus? De hoc Pſal.22. latiùs. Interim hoc ſatis eſt: Hanc eſſe periculoſiſsimam tentationem, quam qua cauſa moueat Diabolus, vel ſapientia carnis, vbi ſcieris, ſimul ſcies, quo remedio occurras.

Primùm itaque, firmus eſto ac certiſsimus, hanc cogitationem non eſſe ex Deo, ideo omni ſtudio expellendam, tanquam eam quæ Deo tuo diſpliceat multis modis. Non eſſe autem ex Deo cognoſces hoc ſigno. Quod quicquid ex Deo eſt, ad mandata & faciendam ſuam voluntatem mouet. Neque enim aliud facit, cogitat, vult Deus, quàm vt ſua voluntas fiat. At curioſam iſtam de tui prædeſtinatione ſollicitudinem, adeò non præcepit tibi, vt eam prohibuerit quoque, Pſal.55. Iacta ſuper Dominum curam tuam. Et Matthæi 6. Nolite ſollicíti eſſe: Quærite primùm regnum Dei.

Nec Diabolus vlla cauſa hac inutili cura & noxia te occupat, quàm, vt interim obliuiſcaris præcepti Dei tui, quo iuberis ſperare & credere: ſimulq; ſubdolè te trahat in affectum & amorem tui ipſius, vt incipias quærere quę tua ſunt. Hæc enim eſt vltima & ſumma eius machina, qua nos amore noſtri ſolícitos reddat, ac ſic in Dei præceptum nos ſtatuat. Quid autem prodeſt ſi vſque in finem mundi hac cogitatione occupareris? nihil inde ſequeretur, non ideo certus fieres, aut aliud de te Deus cogitaret.

Quarè contra hunc laborem ſtultorum, & in faciem Diaboli, hæc ſuggerentis fulmina ſcripturæ torqueas. Primùm illud Pſal.1. In lege Domini (non in prædeſtinatione ſui) meditabitur die ac nocte. Et illud Eccleſ.6. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius aſsiduus eſto. Exodi 13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi appenſum quid ante oculos tuos. Et Matth.7. Non omnis qui dicit mihi, Domine

mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, &c. Et multa similia. Neq; enim aliud Deus requirit, quàm volũtatem suam nobis esse assidua solicitudine commendatam. Quod vbi fecerimus, prædestinatio sua spõte implebitur sine nostra cura. Ille verò peruersor, primò vult te de te sollicitũ esse, & postremò de præceptis Dei, vt sic te præferas Deo tuo, nec super omnia eũ diligas, imò nec Deum habeas. Nam si illi vix perseuerant, qui mandatis Dei intentissimè inhærent, vbi apparebunt qui, eis desertis, misceri te permittunt extraneis & vanis cogitationibus? Ita Diabolo vel cordi tuo dices: Non hoc præcepit Deus, sed sperare me iussit, huic intendam solo negocio, illud si vellem, non possem.

Secundò, non esse ex Deo etiam hoc indicio facile intelliges, quòd his machinis duo maxima mala tibi intentat. Primum, vt tẽtes Deum, quòd Christo in pinnaculo templi quoq; intentauit. Conatur enim hoc te negocio occupare, vt optes certus esse de tua prædestinatione, aut signum videre de cœlo. Quid enim est anxium de prædestinatione esse aliud, quàm impatientiam esse de incertitudine diuini cõsilij? Quid autem impacientia illa aliud facit, quàm quòd tentat Deum? Dum illius consilium certum sibi esse optat? Breuiter odit Deum esse Deum, quia non alia vult illum scire quàm ipse scit.

Itaque huic terribili peccato occurres verbo Dei, sicut Christus fecit, dicens. Scriptum est. Non tentabis Dominum Deum tuum. Debes enim velle nescire eius secreta, quæ voluit te nescire, atq; gaudere in hac eius voluntate, quam præcepit tibi obseruare in omnibus. Amata autem hac occulti eius consilij voluntate, iam prædestinatus es. Ita semper ex præceptis seruatis sua sponte sequuntur, sine omni cura nostra, quæ peruerso studio ante præcepta tam anxiè & frustra quærimus, & tamen non inuenimus vnquam, quia præceptum Dei via est ad Deum, qua amissa, aliam dum quærimus, tentante Diabolo, per curam nostræ salutis & prædestinationis, necessariò erramus, & vtramque amittimus, tam viam Dei, quàm nostram, ac per hoc & prædestinationem & salutem.

Alterum maximum malum, quòd te in idem præcipitium tollere nititur, quò ipse cecidit, & Adam deiecit. Quid enim aliud molitur ista cura prædestinatiõis tuæ, quàm vt optes scire (vt diximus) consilium Dei. At velle scire consilium Dei, est fieri velle æqualem Deo, sicut ipse voluit quando dixit: Ascendam in cœlum, similis ero altissimo. Et ad Adam. Eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Atque hoc iterum, est, nolle Deum esse Deum tuum, quod est summum omnium peccatorum. Atq; ita vides, quàm astutè his nostris te contra mandata Dei tui sollicitet, vt eo ipso, quo cecidit casu, cadas.

Quare & hic fulminandus est verbo Dei, dicentis. Prouerb. 25. Sicut qui comedit mel multum, nõ est ei bonum, sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. Et Eccles. 30. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quę præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus eius operibus ne fueris curiosus. Non est enim necessarium tibi, ea quę abscondita sunt videre oculis tuis. In superuacaneis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus eius operibus nõ eris curiosus. Plurima enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi, multos enim supplantauit suspitio illorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.

Quando ergo his præceptis Dei prohibetur cura ista curiosa operum Dei, quæ nobis ostensa sunt esse supra captum & sensum nostrum, & incompræhensibilia iudicia eius, cum timore in præceptis Dei potius occupari debemus, vt in eum speremus cum fiducia, & hæc studia impossibila, diabolo in caput suum vertere, & cum Ioab. 2. Regum 10. fidenter in opus Dei accincti dicere: Esto vir fortis & pugnemus, Dominus autem, quod bonum est in conspectu suo, faciat. O pulchrum exemplum. Si hic prius dispu-

priùs disputasset, an esset victoria prædestinata apud Deum, non pugnasset, imò disputando negligens factus, & aliena operatus, victus turpitet fuisset.

Ac vide hìc impijssimam impietatem, stultissimã stulticiam, peruersissimam perursitatem nostrã. Ducimus vxores, ædificamus domos, plantamus vineas, emimus substantias, & nemo hìc priùs disputat, prędestinatum sit nec ne vxorem fore castam vel adulteram, domum arsuram vel mansuram, substantiam perituram vel duraturã. Breuiter omnia nostra opera, maximè peccata, cum fiducia incipimus, perficimusq; nihil solicití, quid de ijs Deus prædestinauit, satis hic tutum est à nostra temeritate altissimum eius consilium, nemo hic non priùs cogitat, solicitus est, æstuat quomodo faciat quod proposuit, quàm disquirat ac disputet de prædestinatione.

Quarè hoc? Quia nõ sunt à Deo prędicta, nostra scilicet sunt à nobis electa. At vbi ad opera Dei & præcepta eius venitur, hic statim quæstio nascitur, hic consilium Dei tentatur. Denicq; hic demum disputamus: An Dei præceptis debeamus obedire antequam eius secreta nouerimus. An hoc non est diuinam maiestatem amarissima peruersitate exacerbare, quod in nostris tam sumus patiẽtes, & obliuiosi suorum consiliorum, & in suis tam impatientes & curiosi? Nonne ęquè folium arboris non cadit in terram, sine eius voluntate: atq; anima tua salua fiet sine eius consilio? Nec vl lus capillus tibi crescit, sine eius cõsilio, nec panem comedis, nec potũ bibis? Hìc non disputas, nihil cũctaris, nihil trepidas, nihil moraris eius consiliũ, quin ruas in opus. Illic verò, totus es quæstio & eunctatio.

Vel nunc ergo intellige, non ex Deo, sed ex Diabolo & quidem tunc offensissimo & astutissimo, has cogitationes tibi venisse, vt superuacaneis rebus, te à prędicto & suauissima voluntate optimi Dei tui distrahat. Rectè & aptissimè in his dicit Eccles. 11. Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet. Quomodo ignoras quę sit via spiritus (id est venti) & qua ratione ossa compinguntur in ventre prægnantis? sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

Quid ergo? Nihil faciendum, quia ille omnia fabricat, & nos ea nescimus? Absit. sequitur enim. Manè semina semen tuum, & vesperè ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud, (id est matutinum vel vespertinum) & si vtrumque simul melius erit. Vides quàm omnia nos doceat nescire, & tamen non ideo cessare, imo eò magis operari iubet, quò nescimus quid futurum sit, cum illi peruersi ideo nolint agere, quia nesciant quid futurum sit. Hoc enim quærit Diabolus, vt non operentur in vita, nec in pace & spe obdormiant in morte, sintque vtroque tempore Deo propter Deum rebelles, & inobedientes, sic tamen, vt culpa sit non ipsorum, sed ipsius Dei, vt qui non priùs consilia sua reuelando euacuauerit, & diuinitatis suæ glorioſam maiestatem, euacuatis consilijs, nullam fecerit, quàm illos prędicepto suo molestauerit. Siquidem sanctissimi homines, tunc omnia libenter essent facturi, quæ præcipiuntur, si primùm scirent, quid de eis Deus cogitarit, hoc est, si nullus Deus & præceptor eis fuerit, nec enim Deus esse potest, si non aliud est, sapit, nouit, quàm nos sumus.

Sed vide iterum, si nobis Deus sua consilia reuelaret: primùm trepidi fieremus, deinde contemptores, aut desperantes, sicut & modò sunt qui putant noxium esse, prædicari gratiam & prędestinationem, quod hinc multi offendantur. Adeo, quic quid Deus vult & facit, homo puluis temere violat, vnum hoc æstuans, vt sit sine timore Dei, hoc est, sine Deo, neque enim timeri posset, si non secreta de nobis cogitaret: nec tunc fides, nec spes, nec charitas locum haberet. Væ tibi furentissima impietas.

DE IVSTICIA ET IVSTIFICATIONE HOMINIS PECCATORIS.

DE VOCABVLIS.

Iuſtícia generaliſsimè accepta. To.Ien.fol.477.Pſal.45. Dilexiſti iuſtíciã. Accipiendum eſt nomen iuſtícia generaliſsimè, vt ſit Iuſtícia credere in Ieſum Chriſtum, & diligere Deum ac proximum, Hoc eſt, vt intelligatur ſimul de Iuſtícia fidei & operum, ſeruire Deo & proximo, in œconomía & politía, & omnibus alijs officijs quæ mandat Deus. Hæc iuſtícia tam fidei quam operum adminiſtratur per ſcepetrum & ipſe eam dílígit, Er hat luſt dazu/ Nos omnes eam natura odimus.

Iuſtícia Pſalm. 17. Exaudí Domine iuſtícíam meam. Tom.2. Ienenſ.fol.183 ſignificat ſeu íd quod verè iuſtum eſt, ſeu iuſtam cauſam, qualis eſt fides, verbum & opera fidei.

Iuſtícia & æquitas Pſal.9. Tom.2.Ien. fol. 114. 115. Debemus autem iuſtíciam & æquitatem intellígere non internam Chriſtí ſolùm, qua ipſe iuſtus & æquus eſt, ſed opera eius quíbus iuſtificat & rectificat populos, & gratíam eius, qua íllis iuſtíciam & æquitatem largítur. Alioqui quis ſtaret ante thronum eius, quantumlibet ſanctus, ſi iuſtícia & æquitate ſua homines iudicaret? Sic de Salamone poteſt dici. Quod fuerit Rex regnans in díuitijs, gloria & pace, quia non ſolus ipſe, ſed & ſubditi ſui per eum diteſcebant, gloriabantur & pace fouebantur, vt.3. Reg.4. Habitabatque Iuda & Iſrael abſque vllo timore, vnuſquiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabeæ, alioquí miſerrimo & infeliciſsimo regno regnaſſet, ſi ſubditi ſui fuiſſent omnes pauperes, infames, inquieti, ſtulti, &c.

Ita regnum Chriſti in veritate, iuſtícia, æquitate, pace, ſapientia conſiſtit, non quia ſolus ipſe, ſed & fideles ſui per eum ſunt veraces, iuſti, æqui, pacifici, ſapientes. Eſſet enim infeliciſsimus, ſi ſui eſſent mendaces, peccatores, iniqui, inquieti, inſipientes, quale eſt Diaboli regnum. Sic Ieſai. 35. prædixit. Non adijciet vltrà, vt pertranſeat in te immundus & incircumciſus.

Iuſtíciam & æquitatem, ne affectemus copiam & varietatem, pro noſtra ſiue temeritate ſiue líbertate, arbitremur ex Pſal:5. eſſe aliud nihil quàm opus miſericordiæ & iudicij Dei, dícitur enim illíc: Ego autem in multitudíne miſericordiæ tuæ, introíbo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo. Et iterum, Deduc me Domine, in iuſtícia tua propter inimícos meos, dírige in conſpectu tuo viam meam.

Qui enim propoſita miſericordia Dei, firma fide in eum credit, atque confidit, hic iuſtificatus eſt, ac ſic intrat in miſericordia, & deducitur in iuſtícia, & verè regitur à Chriſto ſedente, & in iuſtícia eiuſmodi iudicante orbem terræ. Atqui ſic ingreditur in iuſtícia, multís in via ſua ſcandalis, petitur à carne, mundo & Diabolo. Iuxta illud pſalm:

Iuxta inter ſcandalum poſuerunt mihi, ſi quo modo offendat ad lapidem pedem ſuum: Donec enim in carne viuimus, inſidiatur calcaneo noſtro ſerpens antiquus, vt viam noſtram deprauat, aut detorqueat à recto inceſſu.

Ideo hìc iudícium Dei propoſitum incutit timorem, qui præſeruat & facit vt declínemus à malo, ne ſeducantur ſenſus noſtri per Satanam (ſicut Heua ſeducta eſt) à ſimplícitate, quæ eſt in Chriſto, vt cæpto itinere procedamus: Et hæc eſt rectitudo ſeu æquitas iſta.

Quare, licet hæc duo in ſpirituali iſto negocio æſtimare, ſicut apud medicos medícinam ſanatiuam & præſeruatiuam, ſeu vt aliud ſit quod æger ſumit, aliud à quo abſtinet,

abstinet, donec sanatur. Ita mihi videretur iusticiam esse gratiam, qua per fidem in Deum iustificamur. Rectitudinem abstinentiam quandam, qua abstinemus ab omnibus illecebris, aut minis quibus homo auerti, & in sua curuari ac deprauari possit, siue per hanc perseuerantiam, siue temperantiam, aut quouis alio nomine quis ppellet.

Eadem duo per Iusticiam & Iudicium significari arbitror, quæ fere semper componuntur in sacris literis, vt Psal. 119. Feci iudicium & iusticiam. Et iterum. Beati qui faciunt iudicium & iusticiam in omni tempore. Eadem duo per Iustificationem & mortificationem membrorum, post iustificationem exercendam intelligerẽ. Licet rectitudo magis ad affectum referatur, quàm ad tumultum mortificationis, qui iudicio & cruce peragitur. Nam is vtique rectus est, qui integri ac synceri tum iudicij, tum affectus esse perseuerat, quamcunq; in partẽ oblata vel causa vel occasione. Quę rectitudo Psal: 91. certè copiosè describitur, vbi dicitur: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicat Domine susceptor meus es tu, &c. Hæc enim ad fidem & iusticiam pertinent. Deinde sequitur: Scuto circumdabit te, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu & Dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabũt. Quare? quia nec ad dextram, nec ad sinistram declinat, sed media regia rectaque via incedit. Et infra. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Certè hæc custodia facit, vt in via recta perseueret, aduersus omnes illecebras ad prauitatem allicientes. Denique sequitur: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconẽ. Quid hoc? nisi quod calcanei sui vniuersas insidias vincit iustus rectitudine sua.

Hanc rectitudinem Apostolus Roman: 6. & 13. aliisque locis commendat, vbi docet nos esse iustificatos quidem per fidẽ, sed tamen solicitos reddit, ne obediamus concupiscentijs, nec membra exhibeamus arma iniquitatis, sed renouemur de die in diem, exuentes veterem hominem, & induentes nouum. Nec est dubium, quin in Ebręo, plurali numero dixerit: In rectitudinibus. quod nostra translatio singulari ter dixit, in iusticia (quod & ipsum pro æquitate permutauit) vt ostenderet infinita illa maris huius magni reptilia, & animalia magna cum paruis, id est, varias insidias, quia via iusticiæ impeditur, vt & si vna sit iusticia rectitudo, multæ tamen dicantur, quia multis exercetur prauitatibus, & toties velut renouatur.

Ex his intelligamus, quam magna gratia sit habere Christum iudicem in iusticia & rectitudine, atque quam recto ordine iusticiam præposuerit æquitati, cum multi sint qui incipiant per fidem iustificari, sed statim deprauantur & obliquitatibus detur bantur in alienam viam, manente nihilominus (vt ipsi putant) fide, saltem acquisita quam vocant. Et hæc obliquitas seu prauitas maximè periculosa est in rebus spiritualibus, de quibus psal: 5. diximus. Hanc iusticiæ & æquitatis differentiam interim sequemur, donec meliora inuenerimus, quæ multum nec iudicio lucis afferet varijs scripturæ locis, quæ his vocabulis vtuntur.

Illud leuiculum est fortè, non tamen prætereundum, Quod verbum iudicabit, non tam operis quam officij, seu dignitatis significationem Ebraico more habet. Sicut Psal: 110. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Sic in libro Iudicum, de Rectoribus populi Israel dicitur, quod iudicauerint, id est, præfuerint Israel.

Quo significatur quod regnum Christi constitutum sit in expugnandis, non vrbibus, aut hominibus, sed peccatis & vitijs. Et qui vice huius Regis præsunt, in iudicio eiusmodi præesse debeant, vnico hoc scopo obseruato, quo reddant populum Christi à peccatis & erroribus quam purissimum. Sicut Psal: 122. dicitur. Quia

illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid. Iudicium enim est officiū respectu inferioris, quo rectificatur, & à peccatis emundatur. Iusticia est officium respectu superioris, quo obeditur eius verbo. Alterum hoc ad S. iustificatū, Alterum illud ad carnem mortificandam pertinet: Vtrumq; tamen ab vno eodemq; Christo Rege & Iudice proueniunt, ministerio verbi per Apostolos, Apostolicosq; viros.

Iusticia Dei. Tom. 2. Ienens. Psal. 5. fol. 49. Iusticiam Dei oportet vt assue-scamus verè Canonica significatione intelligere, non eam qua Deus iustus est ipse, qua & impios damnat, vt vulgatissimè accipitur. Sed vt beatus Augustinus de Spiritu & litera dicit, qua induit hominem, dum eum iustificat, ipsam scilicet misericordiam, seu gratiam iustificantem, qua apud Deū iusti reputamur. De qua Apostolus Rom. 1. Iusticia Dei reuelatur in Euangelio, sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit. Et Ro. 3. Nūc aūt sine lege manifestata est iusticia Dei, testificata per legē & Prophetas.

Item Hoseæ cap. 2. Tom. 4. Ienens. fol. 619. Desponsabo te mihi in iusticia (Bezedeck) Hæc prima gemma est annuli, quem Ecclesiæ seu sponsæ suæ Christus donat, Iusticiam scilicet, non eam quam mundus vocat iusticiam, & lex quoque docet. Quia enim Iudex iustus est, ideo furem laqueo interficit, latronem rota, homicidam gladio. Sed hanc iusticiam fures, latrones, homicidæ, oderunt. Talis non est iusticia, de qua hic loquitur Propheta, sed est iusticia qua per Christum condonantur peccata. Sicut Zacharias quoque consolatur Ecclesiam, cum dicit, Ecce Rex tuus venit iustus, hoc est, afferens ad peccatores iusticiam. Ad hunc enim modum Paulus vocabulum iusticiæ explicat, Roman. 3. Declarat Deus iusticiam suam hoc tempore, vt ipse sit iustus & iustificans eum, qui est ex fide in Iesum, hoc est, eum qui credit in Iesum. Sic iustum Deum peccatores non fugiunt, sed vltro sequuntur eum, imò ipse Deus vltro se eis offert, & consolatur nos. Nouum igitur hoc & longè diuersum à veteri fœdere fœdus est. Nam lex proponit Deū pœnas intentantē peccatoribus: At re-uera Deus talis est extra Christū. Sed in Christo est iustus, id est, iustificans impiū, condonans peccata, pręteriens peccata, sicut Michas loquitur, & ea in abyssos maris demergens. Item Gen. Tom. 4. cap. 42. fol. 101. Hęc obseruatio admodùm necessaria est in sacris literis, quando vocabula actiuè, quando passiuè sumenda sint, quia totus sermo mutatur secundum actiuam aut passiuam significationem. Vt Roman. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, si actiuè ponitur, alia est vis vocabuli, & item alia quando passiuè accipiendum est. Ideo in vtrauis significatione plurimum momenti est, ad verum sensum colligendum. Sic iusticia Dei, item opus Dei, virtus Dei, vtroque modo exponi potest. Secundum latinam Grammaticam & Grecam, iusticia Dei intelligitur, qua ipse iustus est. Sed hęc expositio obscura est & infert caliginem vniuerso textui scripturę sanctę. Sin passiuè accipitur, tum est salus & consolatio nostra, significat enim iusticiam Dei, qua ego iustificor diuina misericordia. Ita si exponas fidem Dei iuxta latinorum phrasin, qua ipse credit, aut qua seruat promissa, ea expositio obscurat sententiam Pauli. Sed quando accipio pro dono Dei in me, quo ego credo in Deum, ibi longè aliter & melius sonat. Sic opus ei est, non quod ipse patitur, sed quod operatur in me.

Olim ego cum legendū & orandum esset illud Psalmi: in iusticia tua libera me, totus exhorrescebam, & ex toto corde vocē illam oderā: Ne me liberes cogitabā, tua iusticia, qua tu iustus es, actiuè. Passiuè igitur accipienda est iusticia, qua ego iustificor.

Ad hunc modum in Hebręa lingua actiua & passiua significatio vehementer obscurat textū, sed qui potest rectè distinguere inter vtrumq; sciat se nō parū profeciſſe.

Item Gen. cap. 27. Tom. 3. fol. 67. Ego id primùm bene videbam, omnino opus esse gratuita donatione, ad lucem & vitam cœlestem consequendam, atque anxiè & sedulò laborabam de illa sententia intelligenda. Roman. 1. Iusticia Dei reuelatur in Euangelio.

Euangelio. Ibi diu quærebam & pulsabã. Obstabat enim vocabulum illud (Iustícia Dei) quod vsitatè sic exponebatur. Iustícia Dei est vírtus qua ipse Deus est formaliter iustus, & damnat peccatores. Sic omnes Doctores hunc locũ interpretati fuerãt, excepto Augustíno. Iustícia Dei, id est, ira Dei. Quoties verò legebam hunc locum semper optabam vt Deus nunquam reuelasset Euangelium. Quis enim possit dilígere Deum irascentem, iudicantem, damnantem? Donec tandem, illustrante Spíritu Sancto, locum Abacuc dilígentiùs expenderem: Iustus ex fide viuit. Inde colligebam quod vita deberet ex fide exístere, atque ita abstractum referebam in concretum, & aperiebatur mihi tota sacra scríptura, & cœlum ipsum. Hoc verò tempore ingentem ístam lucem videmus clarísimè, ac licet ea nobis abunde frui. Sed contemnimus & fastídimus gemmam, & thæsaurum illum cœlestem. Olím igitur rursus eo adempto, iterum clamabímus & pulsabímus, sicut de fatuis vírgínibus in Parabola dicit Christus, sed frustra. Ideo timeamus Deum & símus grati. Moueat autem vos in primis meum & aliorum exemplum, qui víximus in morte & inferno, nec habuímus benedictionem tam copiosè, vt vos habetis. Dilígenter igitur exercete & cogitate doctrínam de benedictione, vt eam & retinere ipsi, & in alios quoq; propagare possítis. Nos quod debuímus fecimus.

Iustum fieri. Tom. 3. Ienens. fol. 557. Igitur iustum fieri non est operari, sed nasci. Operator vero non nascítur, sed gignit ipse potiùs opera. Hìc aũt in Iustificatiõe est merum pati: Quia solus Deus in nobis operatur fidem, per quam nos gignit: Ideo Petrus nos vocat, quasi modo genitos, &c.

Iustus apud Paulum. Tom. 4. Ienens. fol. 90. Galat. Cap: 3. Vocat ergo Paulus eos tantùm iustos, qui sine lege, per promíssionem seu per fidem promíssionís, iustificantur. Ideo facere legem est ficta res, quæ nihil significat extra fidem.

Gratiæ vocabulum. Psal: 51. Tom: 4. Ienens. fol. 402. Hanc distinctionem Paulus tradit: Aliud esse gratiam & aliud esse donũ, gratia significat fauorem, quo nos Deus complectitur, remittẽs peccata & iustificans gratis per Christum. Pertinet autem ad prædicamentum relationis, quod dixerunt Dialectici, minimæ entitatis & maximę vírtutis esse, Ne putetis esse qualitatem sicut Sophistæ somniarunt. Pendet enim remíssio peccatorum simpliciter ex promíssione, quam fides accipit, non ex nostrís operibus aut merítis, sed ex eo, quod Deus gratuitò nos ad se reuocat, per cõiunctionem legis, vt agnoscamus eum largitorem esse gratiæ.

Donum seu. χαρίσματα sunt, quæ à Deo reconciliato per Christum post remíssionem peccatorum credentibus donantur.

Idem. Tom. 4. Inens. fol. 45. Galat. Cap. 2. Valde pernicíosus error est, quod scholastici Theologi docuerunt, hominem hac ratione consequi remíssionem peccatorum & iustificationem, si operibus præcedentibus, quæ appellant merita congrui, mereatur gratiam, quam vocant qualitatem ínhærentem voluntati, diuinitùs donatam supra, illam delectionem, quam víribus naturalibus habemus. Hac habita, dícunt hominem esse iustum formaliter & verè Christianum. Illa inquam impia & pestilens persuasio est, quia non facit nisi Turcũ, Iudæum, Anabaptístam, fanaticum hominẽ, &c. Quis enim non posset virtute humana, sine gratia facere opus bonũ, & hoc modo mereri gratiam, &c? Sic somniatores illi fidem fecerunt inanẽ qualitatẽ in anima, quę sola nihil valeat sine charitate, charitate vero accedente sit efficax & iustificet.

Sequentía autem opera dixerunt valere ad promerendã vitam ęternã de condigno. Ita ꝙ Deus propter charitatẽ, quã infudit volũtati hominis, acceptet illud opus sequens, ad vitam æternam: malum autem opus deacceptare ad dãnationem & pœnam æternam. Audierunt per somnium de acceptatione, eam postea relationem tribuerunt operib. Ista omnia erronea sunt & blasphęma in Christum, Quanquam non omnes tam benè loquuntur, sed quidam vt diximus docuerunt, nos ex puris natu-

ralibus posse Deum supra omnia diligere. Hæc prodest nosse, vt magis perspicua reddatur Paulina disputatio. Plura de hoc vocabulo gratiæ vide Tomo 2. Ienens. contra Latomum fol. 425. 426.

QVID SIT.

Tom. 3. Ienens. fol. 427. Iesai. cap. 53. Iusticia Christiana nihil aliud est quàm cognoscere Christum. Hoc autem quid sit, nullus Sophista intelligit. Illi enim sic cogitant, noticiam in intellectu esse, Iusticia autem est in voluntate. Inde concludunt. Ergo noticia Christi non potest esse iusticia. Verùm Propheta contrarium dicit: Christum scilicet solum esse iustum, & per sui noticiam alios quoq; iustificare. Ergo iustitia Christiana non accipitur, nisi ante cognoscatur Christus. Porrò Christus non cognoscitur, nisi per doctrinam & externum verbum. Euangelium igitur est ceu vehiculum quoddam, per quod ad nos defertur Christus cum iusticia sua & omnibus donis. Sicut Aristoteles quoq; dicit, cognitionem intellectiuam requirere ante sensitiuam. Necesse igitur est priùs audiri verbum, quam credere illud possimus & iustificemur.

Iam quod dicit noticiam Christi iustificare, manifestè sequitur, Ergo nequeregula Francisci, vel Dominici, &c. ergo neq; cucullus, nec missa, ergo nullum electicium opus, imò ne quidem legis diuinæ opera, cum omnibus alijs legibus & operibus iustificant. Ratio hęc est, quia non sunt cognitio seu noticia Christi: Ergo sunt frustra imò etiam damnata & damnantia, cum seruãtur cum opinione iusticiæ, tanq; cultus Dei & bona opera. Sic simpliciter omnes regulas, omnes leges, & opera omnia damnat & abijcit Propheta. Hæc autẽ quis audeat profiteri inter Papistas? Atq; hinc est quod Paulus & Petrus tam multa de hac cognitiõe dicant, crescite in cognitione Iesu Christi, &c. Nondum estis perfecti, &c. crescite, &c. & similes alij loci.

Ad liberationem igitur à morte & à peccatis, nulla alia ratio est quam nosse & scire Christum. Hæc cognitio sola nos liberabit, neque est aliud vllum solatium. Falli igitur illi sunt, qui noticiam actiuè acceperunt. Dicit enim de cognitione, qua Christus cognoscitur, & scitur per prædicationem, nempè, quod Christus filius Dei conceptus è Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, sub Pontio Pilato sit passus, nõ propter suum aliquod peccatum (summa enim in eo fuit innocentia) sed propter totius mundi peccata, quæ in se recepit, vt nos â peccatis liberati, in æterna iusticia cum ipso viueremus.

Sunt igitur hæc verba non oscitanter legenda, sed quia vigilanter posita sunt, à nobis diligentissimè legi & obseruari debent, vt scilicet cogitemus, & quid illa noticia sit, & contra quid ponatur, nempè contra omnia humana studia, opera & noticias. Sic enim solet scriptura, ferè semper ad Antitheses respicit.

Est autem mirabilis iusticiæ definitio, quod sit noticia Dei, vt cor tantum nitatur in noticia Christi crucifixi, sicut Hieremias quoq; dicit, in hoc glorietur vir nosse me, &c. Ratio humana hanc iusticiam neque inuenire, neque inuentam capere & intelligere potest, quæ secundùm substantiam nihil aliud est, quàm noticia Christi, hoc est, fides qua apprehenditur Christus in corde, quod dederit se ἀντίλυτρον pro nobis & peccatis nostris, sicut Paulus dicit 1. Timoth. 2. Verbum quidem prædicat & offert omnibus Christum, tanquam victimam pro nostris peccatis. Nisi autẽ Spiritus sanctus corda illuminet, huic verbo assentiri nemo potest. Assentimur autem cum apprehendimus promissionem, quod in semine illius sit benedictio Gentium.

Hæc igitur gloria Christiani est, scire, quod sua iusticia sit credere in hunc Christum diuina misericordia sic reputãte, & promittente. Sic Christianorum iusticia reputatiuè tantùm iusticia est non formaliter. Sunt autem hæc diligenter discenda & inculcanda in concionibus, vt sciamus, nos nulla alia re iustos & iustificandos esse, quam illa

quam illa notícia, non per noſtra opera, non per decalogum, non per alías léges, non per iura, non per iudícia, non per pœnas quantũuis acerbas, quas vel ipſi nobis ſponte imponimus, vel alij inuitis imponunt. Hæc enim omnia Antitheſis excludit à iuſtícia, quia non ſunt notícia Chriſti. Ergo Monachatus & Phariſaiſmus, ergo alij vítæ ordines non iuſtificant, quia hoc ſolùm iuſtificat, ſcire & noſſe Chriſtum, quòd Chriſtus ſit ſeruus Dei, qui portat iniquitates noſtras.

Atq; in hac definitione nobis eſt conſiſtendum, ne ſcilicet cogitemus eũ eſſe iudícem aut tortorem. Nam cor ſine fide & verbo non poteſt aliter de Deo iudicare, quàm quod ſit ſeuerus iudex. Eſt quidem iudex ſed in futurum, hoc eſt, iudicabit in nouiſſimo die, & damnabit impios, iuſtis autem dabit vitam æternam. Iam autem agnus prædicatur, cuius officium eſt portare noſtra peccata. Hęc qui nouit, is plenus eſt ſapientia, & poterit iudicare de omnibus doctrinis. Præſertim autem hæc inde colligere poteſt, quod nos non portamus noſtra peccata, quod Chriſtianus baptizatus non habet peccata, quia habet Chriſtum.

Item quod omnes illæ cogitationes, quæ contriſtant conſcientiam, ſunt Diaboli & blaſphemæ cogitatiões, quia Chriſtus peccata à nobis abſtulit, per mortem, quæ Satan iterum in nos congerere cupit. Item quod omnes doctrinæ, quicquid item vitæ tuitur, quicquid docetur vbiq; pro remiſsione peccatorum extra Chriſtum, ſunt contra Chriſtum & impía, & quod pereunt vnico hoc verbo omnes ordines, omnia genera vitæ, quæ iuſticiam quærunt, ſicut Paulus dicit, circumciſiio ad iuſticiam nõ peruenit: Gentes autem peruenerunt, &c. Hic igitur articulus in primis eſt diſcendus & vrgendus, qui tamen negligentiſsimè tractatur à multis. Si quis autẽ hunc ſolùm non penitùs perſpexerit, ſimilis eſt viro conſideranti vultũ ſuum in vnda, ſicut Iacob ait, ſimul enim ac abijt, euaneſcit imago. Sic Schuermerij quaſi in ſpeculum intuẽtur, quãdiu hãc doctrinam audiunt. Cum aũt in tentationem veniunt, in alias doctrinas & in alia opera, tunc obruuntur & obliuiſcuntur huius loci. Euanuit enim imago poſtquã receſſerunt à ſpeculo. Eſt igitur res maxima & difficillima in hac notícia perſiſtere.

QVOTVPLEX IVSTICIA.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 4. Ex argumento ad Galatas. Multiplex eſt iuſticia. Quædam eſt politica, quam Cæſar, Principes mundi, Philoſophi, & Iureconſulti tractant. Alia eſt cæremonialis, quam docent traditiones humanæ, vt traditiones Papæ & ſimiles. Eam ſine periculo tradunt patresfamilias & pædagogi, quia non tribuunt ei vim ad ſatisfaciendum pro peccatis, ad placandum Deum, & promerendam gratiã, ſed tradunt cæremonias neceſſarias tantùm ad diſplicinam morum & certas obſeruationes. Præter has eſt alia quædam iuſticia legalis ſeu Decalogi, quam Moſes docet. Hanc & nos docemus poſt doctrinam fidei.

Vltra & ſupra has omnes, eſt fidei ſeu Chriſtiana iuſticia, quæ diligentiſsimè diſcernẽda eſt ab illis ſuperioribus. Sunt enim ſuperiores huic prorſus contrarię: Tum quod fluunt ex legibus Cæſarum, traditionibus Papæ, & præceptis Dei, tum quod verſantur in noſtris operibus, & à nobis fieri poſſunt, ſiue ex puris naturalibus (vt Sophiſtæ loquuntur) ſiue etiam ex dono Dei (ſunt enim & hę iuſticię operum domina Dei, vt alia bona quę habemus) Iſta autem excellentiſsima iuſticia, nempe fidei, quam Deus per Chriſtum nobis abſq; operib. imputat, nec eſt politica, nec cæremonialis, nec legis diuinę iuſticia, nec verſatur in noſtris operibus, ſed eſt planè diuerſa, hoc eſt, mere paſsiua iuſticia (ſicut illæ ſuperiores actiuæ) Ibi enim nihil operamur aut reddimus Deo, ſed tantùm recipimus, & patimur alium operantem in nobis, ſcilicet Deum. Ideo libet illam fidei ſeu Chriſtianam iuſticiam, appellare paſsiuam iuſticiam. Hæcque eſt iuſticia in myſterio abſcondita, quam mundus non intelligit, imò Chriſtiani non ſatis eam tenent, & difficulter in tentationibus apprehendunt.

Ideo ſemper

Ideo semper est inculcanda & assiduo vsu exercenda. Et qui eam in afflictionibus & terroribus conscientiæ non tenet, aut apprehendit, non potest cõsistere. Nulla enim alia tam est firma ac certa consolatio conscientiarum, quàm illa passiua iusticia.

Sed eiusmodi est humana imbecillitas & miseria, quod in pauoribus conscientiæ, & in periculo mortis, nihil aliud spectamus, quam nostra opera, nostram dignitatem & legem: Quæ cum ostẽdit nobis peccatum nostrum, statim in mentem venit malè transacta vita. Ibi tum magno animi dolore ingemiscit peccator, cogitans secũ. Ah quam perditè vixi. Vtinam liceret diutiùs viuere, tum velim emendare vitam meam, &c. Nec potest ratio humana (Ita hoc malum est nobis insitum, illamque infelicem ἐξιν comparauimus) ex hoc spectro iusticiæ actiuæ seu propriæ euoluere, & attollere sese ad conspectum iusticiæ passiuæ seu Christianæ, sed simpliciter hæret in actiua. Atq; istas cogitationes, abutens naturæ infirmitate, auget & vrget Satan, tum aliter fieri non potest, quin magis trepidet, confundatur & perterrefiat conscientia. Impossibile enim est, vt mens humana ex sese concipiat consolationem, & spectet solam gratiam in sensu ac terrore peccati, aut, vt constanter reijciat disputationem operum, &c. Hoc enim situm est extra vires, cogitationes, ac captum hominum, adeoq; etiam extra legem Dei. Ea quidem est summum omnium quæ sunt in mundo: Tamen tantùm abest vt conscientiam conterritam possit pacatam reddere, vt etiam plus contristet, ac in desperationem adigat. Per legem enim peccatum fit excellenter peccatum Rom. 7.

Quare nullum remedium habet afflicta conscientia contra desperationem & mortem æternam, nisi apprehendat promissionem Gratiæ oblatæ in Christo, hoc est, hanc fidei passiuam, seu Christianam, iusticiam, quia apprehensa potest conscientia acquiescere, & cum fiducia dicere. Ego non quæro iusticiam actiuam, deberem quidem habere & facere eam: Et esto sanè quod eam haberem & facerem, tamen in eam nõ possum confidere, neq; eam opponere iudicio Dei. Itaq; reijcio me extra omnem actiuam, & meam & diuinę legis, iusticiam, & simpliciter illam passiuam amplector, quę est iusticia gratiæ, misericordiæ, remissionis peccatorũ. In summa Christi & Spiritus Sancti, quam non facimus, sed patimur, non habemus, sed accipimus, donante eam nobis Deo patre per Iesum Christum.

Sicut ipsa terra pluuiam non gignit, nec vllo suo opere, cultu, aut viribus acquirere potest, sed tantum cœlesti dono desuper recipit. Ita sine nostro opere & merito donatur nobis diuinitùs ista cœlestis iusticia. Quantũ igitur arida terra ex se efficere potest ad comperãdam sibi largam & felicissimam pluuiam: Tantùm etiam nos homines nostris virib. & operib. efficere possumus, ad cõparandam nobis illam diuinã, cœlestem, & ęternam iusticiam, nisi per gratuitam imputationem & per inenarrabile donum Dei, illam consequamur. Summa igitur ars & sapientia Christianorum est, nescire legem, ignorare opera, & totam iusticiam actiuã: præsertim cum conscientia luctatur cum iudicio Dei, sicut extra populum Dei summa sapientia est, nosse, inspicere & vrgere legem, opera & actiuam iusticiam.

Mira autem res est & mundo inaudita, docere Christianos, vt discant ignorare legem, vtq; sic viuant coram Deo, quasi penitùs nulla lex sit. Nisi enim ignoraueris legem, & in corde tuo certò statueris nullam esse legem & iram Dei, sed meram gratiã & misericordiam propter Christum, non potes saluus fieri. Per legem enim cognitio peccati, &c. Econtra, in mundo sic vrgeri lex & opera debent, quasi prorsus nulla sit promissio aut gratia. Et hoc propter præfractos superbos & induratos, quibus nihil aliud ob oculos ponendum est, quàm lex, vt terreantur & humilientur. Est enim data lex, vt tales perterrefaciat & occidat, vtq; veterem hominem exerceat, vtrumq; verbum Gratiæ & iræ rectè secari debet, iuxta Apostolum. 2. Timoth. 2.

Hic igitur prudens & fidelis œconomus Dei requiritur, qui sic legem moderetur, vt

retur, vt intra suos limites maneat. Qui docet homines per legem iustificari coram Deo, is excedit limites legis, & confundit has duas iustícias, actiuam & passiuam, estque malus Dialecticus, quia non rectè diuidit. Econtra, qui legem & opera veteri homini, promissionem autem & gratiam nouò proponit, rectè diuidit. Caro enim seu vetus homo, lex & opera coniungenda sunt, sic etiam spiritus seu nouus homo, promissio & gratia. Quare cum video hominem satis contritum premi lege, terreri peccato & sitire consolationem, ibi tempus est, vt remoueam illi ex oculis legem & iusticiam actiuam, & proponam per Euangelium passiuam, quæ excluso Mose cum sua lege, exhibet promissionem de Christo, qui propter afflictos & peccatores venerit. Ibi tum homo erigitur, & spem concipit, nec amplius est sub lege, sed sub gratia, vt ait Apostolus: Iam non estis sub lege sed sub gratia. Quomodo non sub lege? secundum nouum hominem, ad quem lex nihil pertinet, Habet enim suos limites vsque ad Christum, vt Paulus infrà dicit: Lex vsque ad Christum. Quo veniente cessat Moses cum Lege, Circumcisione, Sacrificijs, Sabbatho, cessant & omnes Prophetæ.

Hæc est nostra Theologia, qua docemus diserte distinguere has duas iustícias, actiuam & passiuam, ne confundantur mores & fides, opera & gratia, politia & religio. Est autem vtraque necessaria, sed quælibet intra suos fines contineri debet. Iusticia Christiana pertinet ad nouum hominem. Iusticia verò legis ad veterem, qui natus est ex carne & sanguine, huic tanquam asino debet imponi sarcina, qua premitur. Neque debet frui libertate spiritus vel gratiæ, nisi nouum hominem induerit per fidem in Christum, (quod plenè non fit in hac vita) tunc fruatur regno & dono ineffabilis gratiæ. Hæc ideo dico ne quis putet nos bona opera reijcere aut prohibere, vt Papistæ nos falsò accusant, non intelligentes neque quid ipsi loquantur, neque quid nos doceamus. Nihil nouerunt nisi solam iusticiam legis, et tamen volunt iudicare de doctrina, quæ posita est longè supra & vltra legem, de qua impossibile est hominem carnalem posse iudicare. Ideo necesse est nos offendi, quia altiùs videre non possunt, quàm in legem, Quicquid igitur est supra legem, est eis maximum scandalum.

Nos verò quasi duos mundos constituimus, vnum cœlestem, alterum terrenũ, in illos collocamus has duas iustícias destinctas, & inter se maximè distantes. Iusticia legis est terrena, de terrenis agit, per hanc facimus bona opera. Sed sicut terra non profert fructus, nisi priùs irrigata & fœcundata è Cœlo (Terra enim non potest iudicare, renouare & regere cœlum, sed econtra cœlum iudicat, renouat, regit & fœcundat terram, vt faciat quod Dñs iussit) Ita per iusticiam legis, multa faciendo nihil facimus, & implendo legem non implemus, nisi priùs sine nostro opere & merito iustificati simus per iusticiam Christianam, quæ prorsus nihil pertinet ad iusticiam legis, seu ad iusticiam terrenam & actiuam. Ista autem est iusticia cœlestis & passiua, quam non habemus sed è cœlo accipimus, non facimus, sed fide apprehendimus, per quam ascendimus supra omnes leges & opera. Sicut igitur portauimus, vt Paulus ait, imaginem terreni Adam: Ita portemus & imaginem cœlestis, qui est nouus homo in nouo mundo, vbi nulla est lex, peccatum, conscientia, mors, sed liberrima lætícia, iustícia, gratia pax vita salus & gloria.

Nihil ergo facimus nos, nihil operamur ad hanc iusticiam consequendam? Respondeo, Nihil. Quia hæc iustícia est prorsus nihil facere, nihil audire, nihil scire de lege aut de operibus, sed hoc solùm scire & credere, quod Christus transierit ad Patrem: & iam non videtur, quod sedeat in cœlis ad dexteram Patris, non Iudex, sed factus nobis à Deo sapientia, iustícia, sanctificatio & redemptio. In summa, Quod sit noster Pontifex, intercedens pro nobis, & regnans super nos, & in nobis, per gratiam.

Ibi nullum

Ibi nullum peccatum cernitur, nullus terror, nullus remorsus cõscientiæ sentitur. In hanc iustitiam cœlestem non potest cadere peccatum. Nam ibi nulla est lex: Vbi autem nulla est lex, ibi nec præuaricatio. Cum ergo hìc peccatũ non haheat locum, certe nulla est cõscientia, nullus pauor, nulla tristicia. Hinc ait Iohannes. Qui natus est ex Deo, non potest peccare. Si autem adest conscientiæ pauor, signum est, iustitiã hanc ablatam, Gratiam amissam esse è cõspectu, & Christum obscuratum non videre. Sed vbi verè videtur Christus, ibi necesse est gaudium plenum, & perfectum in Domino adesse, & pacem conscientiæ quæ certò sic statuit: licet sim peccator legalis, in iustitia legali, tamen ideo non desperо, ideo non morior. Quia Christus viuit, qui est iustitia & vita mea æterna & cœlestis. In illa iustitia & vita nullum habeo peccatum, cõscientiam & mortem. Sum quidem peccator secundùm præsentẽ vitam, & eius iustitiam, vt filius Adæ, vbi accusat me lex, regnat mors, & tandem deuorabit me: Sed supra hanc vitam, habeo aliam iustitiam, aliam vitam quæ est Christus filius Dei, qui nescit peccatum & mortem, sed est iustitia & vita æterna, propter quam, etiam hoc corpus meum mortuum, & in cinerem redactum, resuscitabitur, & liberabitur à seruitute legis & peccati, simulq; cum spiritu sanctificabitur.

Ita vtrumque manet dum hìc viuimus, caro accusatur, exercetur tentationibus, contristatur & conteritur iustitia actiua legis, sed spiritus regnat, lætatur & saluatur passiua iustitia. Quia scit se habere Dominum sedentem in cœlis ad dexteram patris, qui aboleuit legem, peccatum, mortem, & omnia mala conculcauit, captiua duxit, & triumphauit de eis in semetipso, Coloss. 2. Agit itaque Paulus in hac Epistola, vt nos diligenter instituat, confortet & retineat in cognitione perfecta huius excellentissimæ & Christianæ iustitiæ. Siquidem amisso articulo iustificationis, amissa est simul tota doctrina Christiana. Et quotquot sunt in mundo, qui eam non tenent, sunt vel Iudæi vel Turcæ, vel Papistæ, vel hæretici. Quia inter has duas iustitias, actiuã legis & passiuam Christi, non est medium. Qui ergo aberrauerit à iustitia Christiana, hunc oportet in actiuã relabi, hoc est oportet eum, amisso Christo, ruere in fiduciam operũ.

Hoc videmus hodie in fanaticis spiritibus, sectarum autoribus, qui nihil docti, nec rectè possunt docere de hac iustitia Gratiæ. Verba quidem ex ore & scriptis nostris hauserunt, ideo verba tantùm loquuntur & scribunt. Rem verò ipsam tradere, vrgere & acuere non possunt: Quia non intelligũt, nec intelligere possunt, quia tantùm hærent in iustitia legis. Sunt igitur & manent exactores operum, non potentes ascendere vltra illam actiuam iustitiam. Itaque manent ijdem qui fuerunt sub papa, nisi quod noua nomina, & opera noua faciunt, res tamen manet eadem. Vt, Turcæ faciunt alia opera quam Papistæ, Papistæ faciunt alia opera quam Iudæi, &c. Sed, vt maximè alij faciant alijs speciosiora, maiora, difficiliora opera, tamen eadem est substantia, qualitas tantùm est alia: Hoc est, specie & nomine tantùm variant opera, vera tamen opera sunt, & qui ea faciunt, non Christiani, sed operarij sunt & manent, siue vocentur Iudæi, Mahometistæ, Papistæ, Anabapistæ, &c.

Ideo nos sic semper repetimus, vrgemus & inculcamus hunc locum de fide seu Christiana iustitia, vt in assiduo vsu seruetur, & diserte discernatur ab actiua iustitia legis. Alioqui non poterimus seruare veram Theologiam (Ex illa enim & in illa scholastica doctrina fit & consistit Ecclesia) sed simus statim luristæ, cæremoniarij, legistæ, Papistæ, Christus obscuratur, & nemo potest in Ecclesia rectè doceri & erigi. Itaque si volumus esse prædicatores & doctores aliorũ, oportet nos habere maximam cura harum rerum, & probè tenere hanc distinctionem iustitiæ, legis & Christi. Est quidem dictu facilis, sed experientia & vsu est omnium difficillima, etiamsi diligentissimè eam acuas & exerceas: Quia in hora mortis, vel alijs agonibus conscientiæ, propiùs concurrunt hę duę iustitiæ, quàm tu optes aut velis.

Admoneo igitur vos, præsertim qui futuri estis Magistri conscientiarum, & vnumquemq;

vnumquemque seorsim, vt exerceatis vos studendo, legendo, meditando & orando, vt in tentatione possitis conscientias & vestras & aliorum erudire, & consolari & reducere à lege ad gratiam, ab actiua iusticia ad passiuam, in Summa, à Mose ad Christum. Solet enim Diabolus in adflictione & pugna conscientiæ per legem terrere nos, & opponere conscientiam peccati, vitam nostram pessimè transactam, iram & iudicium Dei, infernum & æternam mortem, vt sic nos in desperationem adigat, nos sibi subijciat, & à Christo abstrahat. Solet denique opponere locos ex Euangelio, quibus Christus ipse exigit à nobis opera, & cominatur manifestis verbis interitum ijs, qui ea non fecerunt.

Sic hic ignorauerimus discernere inter has duas iusticias, si hic fide non apprehenderimus Christum, sedentem ad dexteram Dei, qui est vita & iusticia nostra, qui etiam interpellat pro nobis miseris peccatoribus apud Patrem, tum sumus sub lege non sub gratia, & Christus non amplius saluator, sed legislator est. Ibi nulla salus potest esse reliqua, sed certa desperatio & mors æterna sequetur.

Discamus igitur diligentissimè hanc artem distinguendi inter has duas iusticias, vt sciamus quatenus legi parere debeamus. Diximus autem suprà, quòd lex in Christiano non debeat excedere limites suos, sed tantùm habere dominium in carnem, quæ & ei subiecta sit, & sub ea maneat. Hoc vbi fit, consistit lex intra limites suos. Si verò vult occupare conscientiam & hic dominari, vide vt tùm sis bonus Dialecticus, rectè diuidas & legi non plus tribuas, quàm ei tribuendum est, Sed dicas: lex tu vis ascendere in regnum conscientiæ, & ibi dominari & eam arguere peccati, & gaudium cordis tollere, quod habeo ex fide in Christum, & me in desperationem adigere, vt desperem & per eam. Hoc præter officium tuum facis, consiste intra limites tuos, & exerce dominium in carnem. Conscientiam autem ne attingas mihi. Sum enim Baptizatus, & per Euangelium vocatus ad communionem iusticiæ & vitæ æternæ, ad regnum Christi, in quo acquiescit conscientia mea, vbi nulla lex est, sed mera remissio peccatorum, pax, quies, læticia, salus & vita æterna. Ista ne interturbes mihi. Non enim feram te Tyrannum durum & crudelem exactorem in conscientia mea regnare, siquidem ea est sedes & templum Christi Filij Dei, qui est Rex iusticiæ & pacis, ac dulcissimus Saluator & mediator meus, is conseruabit conscientiam lætam & pacatam in sana & pura doctrina Euangelij, & cognitione istius passiuæ iusticiæ.

Hanc cùm intus habeo, descendo de cœlo, tanquam pluuia fœcundans terram. Hoc est, prodeo foras, in aliud regnum & facio bona opera, quæcunque mihi occurrunt. Si sum minister verbi, prædico, consolor pusillanimes, administro Sacramenta. Si paterfamilias, rego domum, familiam, educo liberos ad pietatem & honestatem. Si Magistratus, officium diuinitus mihi mandatum facio. Si Seruus, fideliter rem Domini curo. Summa. Quicunque certò nouit Christum esse iusticiam suam, is non solùm ex animo & cum gaudio benè operatur in vocatione sua, sed subijcit se quoque per Charitatem Magistratibus etiam impijs, legibus eorum, & omnibus præsentis vitæ, si res ita postulet, oneribus atque periculis. Quia scit Deum hoc velle, & ei placere hanc obedientiam.

VNDE SIT.

Tom. 3. Ienens. fol. 446. Iesai. cap. 61. Dominus definit iusticiam

humanam esse sacrilegium, & iusticiarios dicit reos læsæ maiestatis diuinæ. *Nam iustificare est opus SOLIVS DEI. Sicut creatio quoque solius Dei opus est.* Quia enim peccatores nati sumus renasci necesse est eos, qui fiunt iusti. Sicut dicit Christus Iohan. 3. Et iustus vbique apud Paulum noua creatura, & nouus homo dicitur. Iam illi, qui operibus volunt iusti esse, hoc tribuunt suis electicijs operibus, quod *Solius Dei est,* nempe, quod bona opera possint facere nouam creaturam & regenerare. Hoc autem est Deo eripere gloriam suam, & asscribere eam humano operi. Id quod hoc loco conqueritur, & appellat holocaustum rapinæ, quod holocausto tribuant diuinam virtutem, & eripiant Deo gloriam.

Tom. 4. Ienens. fol. 16. Galat. cap. 1. *Nulla* creatura, neque humana neque Angelica, potest hominem eripere ex hoc seculo nequam. Sunt enim *mera opera diuinæ Maiestatis, non humanæ aut Angelicæ potestatis, quòd Christus aboleuit peccatum,* & eripuit nos ex Diaboli tyrannide & regno, hoc est, ex nequam mundo, qui obediens seruus & imitator spontaneus est sui Dei Diaboli.

Et folio. 17. Sequenti. Laudemus igitur Deum *Patrem* & Gratias illi agamus, pro hac immensa sua misericordia, quòd nos ex Diaboli regno, in quo captiui tenebamur per Filium suum, cùm impossibilè erat nostris viribus hoc fieri, liberauerit. Simulque cum Paulo confiteamur omnia opera & iusticias nostras, cum quibus omnibus Diabolo ne pilum quidem curuare potuimus, esse damnum & stercus. Conculcemus item, & conspuamus omnem vim liberi arbitrij, omnem sapientiam & iusticiam Pharisaicam, omnes ordines, Missas, religiones, cultus, vota, abstinentias, cilicia, &c. Tanquam fœdissimum menstruatæ pannum, & pestilentissimum Diaboli venænum. Contrà illustremus & magnificemus gloriam Christi, qui non ex simplici, sed ex nequam mundo nos sua morte eripuit.

MERITVM ET OBEDIENTIAM IESV CHRISTI ESSE IVSTICIAE NOstræ causam.

Tom. 4. Ienens. fol. 386. Psal. 51. TANTVM VNA Iustificationis causa est, scilicet MERITVM CHRISTI, seu gratuita misericordia, quam corda Spiritu Sancto accensa, fide appræhendunt. Quod si quis vult, numeret agnitionem peccati, tanquam causam secundam, seu vt eruditi loquuntur, causam sine qua non, quia sic est causa, vt tamen tota res pendeat ex misericordia Dei, seu ex promissione, quod scilicet Deus promisit, se velle illorum misereri, qui agnoscunt sua peccata, & iusticiam sitiunt.

Alioqui si de natura peccati loquaris, etiam peccatori sensitiuo, nihil aliud debetur secundum omnem legem & naturam, quàm pœna & indignatio summa. Quod autem tales pœnam & iram effugiunt, hoc totum est misericordiæ Dei, qui promisit se eos, qui sentiunt peccata & horrores iudicij diuini, velle refocillare, gratuitò remittendo peccatum.

Nihil

Nihil est igitur est, quod possit quoquo modo allegari pro merito. Quia nec agnoscere peccatum aliquid est, nisi quantum promissio diuina facit. Nam cùm peccatum per Spiritum Sanctum arguitur ac reuelatur, vt Dauid non adulterium tantùm, sed vniuersaliter totam naturam peccato deformatam, penitus animo intueatur, tunc, si nihil quàm nostra satisfactio expectanda esset, opprimeretur Damus. In monasterijs proponebantur satisfactiones, & accurrata peccatorum confessio, sed non ideo in tranquillo erat conscientia. Suadebatur cucullus, sed ijdem uid metu & iudicio Dei, & desperatione, sicut nostra experientia sæpe edocti sumus. in cucullo durabant animi dolores, quos antea eramus passi, nec proderat iterum abijcere cucullum. Hoc autem experimur, Dei benignitate, præsentissimum & certissimum remedium esse, nosse seu credere, quòd Deus territus peccato suo velit ignoscere, & quòd iubeat sperare tales remissionem peccatorum. Hunc promissionis locum ostendit Dauid suo exemplo, sibi causam esse implorandæ misericordiæ, & doni quo purificetur.

Quare rationalis particula, qua hîc vtitur, non ponitur, quasi cognitio peccati sit prima causa, quæ merentur remissionem peccatorum. Peccatum enim est peccatum, & meretur pœnam sua natura, siue agnoscas, siue non agnoscas. Sed agnitio peccati est correquisitum quoddam, quod Deus vult agnoscentibus peccata ignoscere, non agnoscentibus, non vult ignoscere. Hæc promissio sola causa est, & prima, media & vltima causa, hoc est, totum est in iustificatione.

Item, Tom. 4. Ienens. fol. 60. Galat. cap. 2. *Si per legem est iusticia, Ergo gratis Christus mortuus est.* Hîc admoneo Paulum non loqui de lege Cęremoniali, vt perpetuò Sophistæ nugantur. Et huiusce erroris primi extiterunt Origenes & Hieronymus, in hac parte nocentissimi Doctores. Quos secuti postea sunt omnes Scholastici, & illorum errorem approbat & confirmat hodie Erasmus. Abstinendum est pijs simpliciter à nugis illorum, qui Paulum sic stultis suis glossis depranant. Loquuntur enim de re, quam nunquam nouerunt aut experti sunt. Quasi verò Cęremoniæ etiam non fuerint bonæ & Sanctæ, certè ordinatio Sacerdotij, Circumcisio, Sacrificia, Cultus, Religio, & similia Sancta opera omnia fuerunt Cęremoniæ. Ideo de tota lege loquitur.

Sunt autem hæc Pauli verba diligenter expendenda ad hunc modum. Est ne verùm nec ne, quòd Christus mortuus est? Item: Est ne gratis mortuus? Ibi certè respondere cogimur, nisi manifestè simus insani, Quòd mortuus sit, Item: quòd non gratis, non pro se, sed pro nobis mortuus sit. Si igitur gratis non est mortuus. Ergo ex lege non est iusticia. Quare accipe nunc vtramque legem, Cęremonialem & Moralem seu Decalogum, & finge quod per meritum congrui eo profeceris, quod datus sit tibi Spiritus, quod habeas charitatem (Quamuis hoc monstrum sit, & nusquam in rerum natura inueniatur) sed finge inquam, quod faciendo, quod in te est acquiras gratiam, sis iustus, habeas Spiritum Sanctum, Vnde? Ex merito congrui? Ergo non opus habes Christo, sed tibi ociosus & gratis mortuus est.

Deinde accipe etiam ipsum Decalogum, qui præcipit summum cultum scilicet, timorem, fidem & dilectionem Dei. Item: Dilectionem proximi, & da aliquem qui sit ex lege Decalogi iustificatus. Nihilominus manet verum, quòd Christus gratis mortuus sit. Nam iustificatus ex lege Decalogi, habet in se vim ac-

quirendi iusticiam, Quia non ponendo obicem, & faciendo quod in se est, mere-
tur infallibiliter gratiam, & infunditur ei Spiritus Sanctus, vt Deum & proxi-
mum diligere possit. Hoc stante, necessariò sequitur, Christum gratis esse mor-
tuum. Quid enim homo opus habet Christo, qui amet eum, & tradat seipsum
pro eo, cùm sine Christo, per meritum congrui possit consequi Gratiam. Et de-
de bene operari, & vitam æternam de condigno mereri, aut certè faciendo legem
iustificari? Tollatur igitur Christus cum omnibus beneficijs suis, quia omnino
ociosus est. At cur Christus nascitur, crucifigitur, moritur? Cur sit pontifex
meus diligens, & tradens inæstimabilem hostiam, Seipsum, pro me? Cur ista om-
nia facit? Simpliciter frustra, Si ratio iustificationis, quam Sophistæ tradunt, ve-
ra est. Quia in lege aut in me iusticiam inuenio, extra gratiam & Christum.

Est ne illa Blasphemia toleranda aut dissimulanda? Quod diuina Maiestas
proprio filio non parcens, sed tradens eum pro nobis omnibus, ista seriò non agat,
sed tantùm ludat? Priusquam hoc admitterem, velim potiùs, non solùm omni-
um Papistarum & iusticiariorum, sed omnium etiam Sanctorum & Angelorum
sanctitatem, cum ipso Diabolo in profundum inferni detrusam, & in æternum
damnatam esse. Ego planè nihil videre volo, præ illo Christo, Is tantus mihi
Thæsaurus esse debet, vt reliqua omnia præ ipso mihi sordeant. Is denique mihi
tanta lux esse debet, vt eo appræhenso Fide nesciam, an sit lex, peccatum, vlla iu-
sticia aut iniusticia in mundo. Quid enim omnia, quæ in cœlo & terra, sunt ad
Filium Dei, Iesum Christum Dominum meum, qui delexit me, & tradidit semet
ipsum pro me?

Quare abijcere gratiam Dei, maximum peccatum & vulgatissimum est,
quod omnes isticiarij committunt. Quia dum quærunt, aut per meritum con-
grui, aut per opera & afflictiones suas, aut per legem iustificari, abijciunt, vt dixi-
mus, gratiam Dei & Christum. Et harum abominationum omnium autor fuit
Papa. Is enim obscurato, imò prorsus obruto Christi Euangelio, repleuit & cor-
rauit mundum suis impijs traditionibus. Id quod inter cætera testantur etiam
indulgentiæ & Bullæ ipsius, in quibus non credentes, sed contritos, confessos &
manus adiutrices porrigentes, &c. absoluit. Quare satis testatus est, Christum
simpliciter gratis mortuum, & gratiam inanem & irritam esse. Ideo abomina-
nes & blasphemiæ regni Papistici sunt inæstimabiles. Et tamen Sophistæ cæci &
indurati, etiamnum in tanta luce veritatis, perseuerant in impijs & vanissimis il-
lis suis opinionibus dicentes: Naturalia esse integra, & homines posse suis bene-
ctis, & meritis parare se ad gratiam. Tantumque abest, vt agnoscant impietatem
& errorrem suum, vt eum etiam contra conscientiam defendant.

Nos verò cum Paulo constanter affirmamus (nolumus enim abijcere gra-
am Dei) Aut Christum gratis mortuum esse, Aut legem non iustificare. Si
Christus non est gratis mortuus. Ergo lex non iustificat. Christus Dei Filius, e
mera gratia & misericordia, nos iustificauit. Ergo lex non potuit hoc præstare.
enim potuisset, stultè egisset Christus, quod seipsum tradidisset pro peccatis
stris, vt per hoc iustificaremur. Concludimus igitur, Neque merito congrui ne
condigni, neque cruce aut afflictionibus, neque ipsa lege, sed sola fide in Chri
stum nos iustificari.

Si autem Christo salus mea tanti constat, vt mori cogatur pro peccat
meis, tum palàm est, mea opera, & iusticiam etiam legis, præ hoc tali tantoq; pr
cio viliſſima & planè nihili esse. Quia certè non emam vili nummulo, quod con
mate

multis millibus auri talentis. Est autem lex vt longè inferiora silentio prætream, cum omnibus suis operibus & iusticijs, teruncíolus quidam ad Christum, cuius morte & resurrectione mea mors victa, & iusticia & vita æterna mihi parata est. Num igitur hoc incomparabili pretio contempto & obiecto, quærerem per legem aut per opera congrui & condigni (per istas sordes & stercora, vt Paulus vocat, præsertim si ea cum Christo conferas) iusticiam quam Paulus testatur hic Christum mihi gratis, & ex mera charitate donasse, & hoc tanti ei constitisse, vt coactus sit sese tradere pro me? Id quod vt dixi, totus mundus facit, & præcipuè qui optimi & Sanctissimi in mundo haberi volunt. Atque per hoc satis testantur, vt maximè ore aliud fereantur, Christum gratis esse mortuum, Quod est extremè blasphemare Christum, ei in faciem conspuere, filium Dei conculcare, Sanguinem Testamenti prophanare, &c.

Item: Gal. cap. 3. Tom. 4. Ienens. fol. 94. Clarus est igitur hic textus, quod omnes homines, etiam Apostoli & Prophetæ & Patriarchæ sub maledicto manssissent, nisi Christus sese opposuisset peccato, morti, maledictioni legis, iræ & iudicio Dei, & ea in corpore suo superasset. (Nam ista immania monstra, nulla humana potentia superari potuerunt,) Iam verò Christus non est lex, non est opus legis, non est actus elicitus, sed persona diuina & humana, quæ suscepit peccatum, damnationem legis & mortem, non pro se, sed pro nobis, Igitur tota Emphasis est in verbo pro nobis. Non debemus ergo fingere Christum innocentem & priuatam personam (vt Sophistæ & ferè omnes Patres, Hieronymus & alij fecerunt) quæ pro se tantùm sit Sancta & iusta. Verum quidem est, quòd Christus est purissima persona, sed ibi non est resistendum. Nondum enim habes Christum, etiamsi noris eum Deum & hominem esse, sed tunc verè habes, cùm credis hanc purissimam & innocentissimam personam tibi donatam à patre, vt esset pontifex & Saluator, imò seruus tuus, qui exuta innocentia & Sanctimonia sua, & suscepta persona tua peccatrice, portaret peccatum, mortem & maledictionem tuam, ac fieret hostia & maledictum pro te, vt sic à maledicto legis te liberaret.

Vides igitur quàm planè Apostolico Spiritu Paulus hoc grauissimum argumentum de benedictione & maledictione tractauerit, dum ipsum Christum non solùm maledicto subijcit, sed eum etiam dicit factum maledictum. Sic 2. Corinth. 5. Vocat eum peccatum cùm ait: Eum qui peccatum non nouerat, Deus fecit pro nobis peccatum, &c. Quanquam hæ sententiæ rectè exponi possint hoc modo, Christus factus est maledictum, id est, hostia pro maledicto, peccatum id est, hostia pro peccato, &c. Tamen magis placet, si seruetur propria significatio vocum, propter maiorem Emphasin. Quia cùm peccator venit reuera in notiam sui, non solùm sentit se peccatorem concretiuè seu adiectiuè, sed etiam abstractiuè seu substantiuè, hoc est non solùm videtur sibi calamitosus, sed ipsa calamitas, non solùm peccator & maledictus, sed ipsum peccatum & maledictum. Vt & in latina lingua, cùm excellenter volumus aliquem significare scelestum, vocamus eum scelus. Est enim maxima res portare peccatum, iram Dei, maledictionem & mortem. Quare homo ista seriò sentiens, vt Christus verè sensit, pro toto genere humano, fit planè ipsum peccatum, mors, maledictum, &c.

Verè ergo Apostolico Spiritu Paulus hunc locum tractat. Quia nullus Sophista, Legista, Iudæus, Fanaticus, aut quisquam alius ita loquitur. Quis enim auderet allegare hunc locum ex Mose: Maledictus omnis qui pendet in ligno, &c.

& eum interpretari de Christo ? Qua ergo ratione Paulus hanc sententiam, Male-
dictus omnis, &c. Ad Christum accommodauit, eadem & nos non solùm illud
totum caput Deut. 27. Sed etiam omnes maledictiones legis Mosaicæ colligere,
re, & de Christo interpretari possumus. Nam sicut Christus ipse innocens est in
hac generali lege, pro sua Persona, ita etiam in omnibus alijs. Et sicut ipse reus
est in hac generali lege, cùm maledictum pro nobis factus, ac suspensus est in cruce
vt homo sceleratus, blasphemus, parricida, proditor, &c. Ita & in omnibus alijs
legibus reus est. Omnes enim maledictiones legis in eum congestæ & positæ sunt,
ideoque eas portauit & sustinuit in corpore suo pro nobis. Non solùm igitur fuit
maledictus, sed factus est etiam maledictum pro nobis.

Hoc verè est interpretari Apostolico more Scripturas. Nam homo sine Spi-
ritu Sancto non potest ita loqui, nempe, quod totam Legem comprehendat vno
dicto (scilicet Christus maledictum factus est pro nobis) ac eam totam semel con-
gerat in Christum. Et econtrà, quod omnes promissiones Scripturæ comprehen-
dat, & semel in Christo impletas dicat. Ideo Apostolicum & firmissimum est hoc
argumentum, non ex vno loco legis, sed ex vniuersis legibus sumptum, quo etiam
vehementer nititur Paulus.

Ex his apparet quanta diligentia Paulus legerit Scripturas, & quàm studio-
sissimè expenderit singula verba istius loci, In Semine tuo benedicentur omnes gen-
tes terræ. Primùm ex vocabulo Benedictionis sic colligit, Si Benedictio est futura
in omnes gentes, Ergo omnes gentes sunt sub maledicto, etiam Iudæi, qui Legem
habent. Et affert testimonium Scripturæ, quo probat Iudæos sub maledicto esse,
qui sub lege sunt, Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c. Dein-
de vrget particulam, Omnes gentes, ex qua sic colligit, Benedictionem non solùm
pertinere ad Iudæos, sed etiam ad omnes gentes totius orbis terrarum, Cùm autem
ad omnes Gentes pertineat, impossibilè sit eam contingere per legem Mosi, cum
nullæ Gentes eam habuerint, præter Iudæos. Et quanquam hi Legem habuerint,
tamen adeo per illam non contigisse eis Benedictionem, vt quò plus conati sint
eam facere, hoc magis obnoxij facti sint maledictioni legis. Quare oportere aliam
Iusticiam esse, quæ longè excellat Legis iusticiam, per quam contingat Benedictio
non solùm Iudæis, sed etiam omnibus gentibus in toto mundo.

Postremò particulam, in Semine tuo, hoc modo explicat, quod aliquis ho-
mo nasci debebat ex Semine Abrahæ, scilicet Christus, per quem ventura erat Be-
nedictio in omnes Gentes. Cùm itaque Christus debuit benedicere omnes Gen-
tes, quas inuenit maledictas, oportuit ipsum auferre ab eis Maledictionem. Non
potuit autem per Legem auferre, quia per eam magis augetur. Quid ergo fecit ?
Adiunxit se maledictis, assumens illorum carnem & sanguinem & sic interposuit
se Mediatorem inter Deum & homines. Licet, inquiens, caro & Sanguis sim, &
agam inter maledictos, tamen sum Benedictus ille, per quem sunt benedicendi o-
mnes homines. Atque ita in vna persona coniunxit Deum & hominem, admix-
tusque nobis maledictis, factus est propter nos maledictum, & suam Benedictio-
nem abscondit in nostrum peccatum, mortem & maledictionem, quæ eum dam-
nauerunt & occiderunt. Sed quia Dei Filius erat, ab illis teneri non potuit, vicit
ea, & triumphauit de illis, & quicquid adhæsit carni, quam causa nostra assumpsit,
secum tulit. Itaque omnes illi carni adhærentes, benedicuntur à Maledicto, hoc
est, à peccato & morte liberantur.

Qui hoc beneficium Christi, de quo Euangelium propriè concionatur, non
intelligunt, nec aliam præter Legis iusticiam nouerunt, hi, cum audiunt Legis o-
pera

pera non esse necessaria ad salutem, sed per hoc contingere salutem hominibus, si tantùm audiant & credant, Christum Filium Dei assumpsisse carnem, & adiunxisse se maledictis, vt per hoc benediceret omnes Gentes, hi, inquam, offenduntur. Nihil enim horum intelligunt, aut certè tantùm carnaliter intelligunt. Sunt enim occupati alijs cogitationibus & fanaticis imaginationibus, Ideo sunt eis mera ænigmata, Imò nobis, qui primitias Spiritus habemus, impossibilè est ista perfectè intelligere & credere. Quia fortissimè pugnant cum ratione humana.

In summa, Omnia mala inundatura erant super nos, vt inundabunt super impios in æternum. Sed Christus pro nobis factus omnium Legum, maledictionum, peccatorum & malorum nostrorum reus, venit medius, amplectens nos miseros & perditos peccatores, in sese suscepit & pertulit omnia nostra mala, quæ in æternum oppressura ac discrutiatura erant nos, eaque semel ad modicum tempus obruerunt eum, & inundauerunt super caput ipsius, vt Psal. 87. Propheta in persona Christi queritur, cum ait: Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me. Item, In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Hoc modo liberati ab istis æternis terroribus & cruciatibus per Christum, æterna & ineffabili pace & felicitate, modò hoc credamus, fruemur.

Hæc sunt illa adoranda mysteria Scripturæ, & vera Cabala, quam etiam Moses aliquot locis subobscurè indicauit, quam Prophetæ & Apostoli cognouerunt, & per manus posteris tradiderunt, de qua futura Sancti veteris Testamenti plus lætati sunt, quàm nos de ea iam exhibita. Agnoscimus quidem ingentem Thesaurum esse, cognitionem Christi & iusticiæ fidei, Sed tam plenum gaudium spiritus inde non concipimus, quale habuerunt Prophetæ & Apostoli. Hinc tam copiosè tractauerunt, & tam sæpe inculcauerunt, præcipuè Paulus, Articulum iustificationis. Est enim hoc proprium Apostolorum munus, Christi gloriam & beneficium illustrare, atque per hoc afflictas conscientias erigere & consolari.

Vt in Gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum Iesum. Paulus semper in conspectu habet hunc locum, In Semine tuo, &c. Quia benedictio Abrahæ promissa, non potuit venire in Gentes, nisi per Semen Abrahæ Christum. Et quidem hoc modo, Oportuit ipsum fieri maledictum, vt promissio Abrahæ facta, In Semine tuo benedicentur omnes gentes, sic impleretur. Nulla igitur alia ratione, hoc quod hîc promittitur fieri potuit, nisi Iesus Christus fieret Maledictum, & coniungeret se Gentibus maledictis, & sic ab illis auferret maledictum, & è sua benedictione afferret eis iusticiam & vitam. Memineris autem, vt etiam suprà monui Benedictionis vocabulum non esse inane, vt Iudæi somniant, qui Benedictionem interpretantur salutationem vocalem vel scriptilem. Sed de peccato & iusticia, de morte & vita coram Deo, Paulus hîc agit. Loquitur ergo de rebus inæstimabilibus & incomprehensibilibus, cùm ait: Vt in Gentes benedictio Abrahæ veniret per Iesum Christum.

Vides præterea, quæ merita congrui & condigni afferamus, ac qua ratione acquiramus istam benedictionem. Ista est præparatio, hoc est, meritum congrui & condigni, illa sunt opera quib. paratur hęc iusticia, quod Christus Iesus factus sit pro nobis Maledictum. Nos enim sumus ignorantes & inimici Dei, sumus mortui in peccatis & maledicti, Ergo meritum nostrum planè nullum est. Quid enim mereretur maledictus peccator, ignorans Dei, mortuus in peccatis, obnoxius iræ & iudicio Dei? Cùm Papa aliquem excommunicauit, quicquid is faciebat, maledictum erat. Quantò magis maledictus coram Deo, vt omnes sumus, ante cognitum Christum, nihil facit præter maledicta.

Quare illa vnica via est euadendi maledictionem, credere & certa fiducia dicere, Tu Christe es peccatum & Maledictum meum, seu potius ego sum peccatum tuum, maledictum tuum, mors tua, ira Dei tua, infernus tuus, Tu contrà es, iusticia, benedictio, vita, gratia Dei cœlum meum. Quia textus clarè dicit. Christus factus est pro nobis maledictum. Itaque nos sumus causa, quod factus sit maledictum, imò nos ipsius maledictum sumus.

Is potentissimus locus & consolationis plenissimus, etsi Iudæis excæcatis & induratis non satisfacit, tamen nobis, qui sumus Baptizati, & suscepimus istam doctrinam, satisfacit & conducit potentissimè, quod per maledictionem, peccatum, mortem Christi, Benedicti, hoc est, iustificati & viuificati simus. Donec peccatum, mors & maledictio in nobis manent, peccatum terret, mors occidit, & maledictio damnat nos. Cùm verò ista in Christum transferuntur, fiunt hæc mala nostra ipsius propria, & sua bona, nostra. Discamus igitur in omni tentatione peccatum, mortem, maledictionem, & omnia mala, quæ præmunt nos, à nobis transferre in Christum, & vicissim iusticiam, vitam & benedictionem ab eo in nos. Nam reuera omnia mala nostra portat, cùm Deus pater omnium nostrum iniquitates, vt Iesaias ait, coniecerit in eum. Et ipse libens eas suscepit. Nam cum erat reus, sed vt in hoc faceret patris voluntatem, per quam Sanctificati sumus in æternum.

Hæc est ineffabilis & infinita illa misericordia Dei, quam Paulus libenter exuberanti & largissima quadam copia verborum effundere vellet, sed illam abyssum profundissimam & Zelum ardentissimum diuinæ charitatis erga nos, non potest angustia cordis humani comprehendere multò minus eloqui. Quinetiam ipsa magnitudo diuinæ misericordiæ non solùm difficultatem credendi, sed & incredulitatem parit. Non solùm enim audio, quòd omnipotens Deus conditor omnium sit bonus & misericors, sed quòd etiam illa summa maiestas, pro me peccatore, filio iræ & mortis æternæ, tam solicita fuerit, vt proprio filio non pepercerit, sed tradiderit eum in mortem ignominiosissimam, vt pendens in medio latronum, fieret pro me peccatore & maledicto, peccatum & maledictum, vt benedictus, hoc est iustus, filius & hæres Dei efficerer. Quis potest istam bonitatem Dei satis prædicare? Ne quidem omnes Angeli.

DE FORMA ET PROPRIETATIBVS IVSTICIAE.

Tom. 4. Ienens. fol. 42. 43. &c. Gal. cap. 2. IVSTICIAM Vero fidei IMPVTAT DEVS GRATIS, per misericordiam propter Christum. Ideo Emphasi & Epitasi quadam dixit, ex operibus legis. Non enim dubium est, quin lex sit Sancta, iusta, bona, Ergo opera legis, sunt etiam Sancta, iusta, bona, & tamen per ea homo non iustificatur coram Deo.

Repudianda est igitur opinio Hieronymi & aliorum, qui somniant Paulum hîc loqui non de operibus Decalogi, sed legis Cæremonialis, tamen cogunturfateri etiam Cæremoniarum legem fuisse bonam & Sanctam, circumcisio enim & aliæ leges de ritibus templi, &c. Fuerunt iustæ & Sanctæ, æquè enim præceptæ & ordinatæ erant à Deo, ac leges morales. Hîc dicunt, sed post Christum fuerunt mortiferæ. Hoc ipsi fingunt è capite suo. Deinde Paulus non loquitur hic de gentibus, quibus sint Cæremoniæ mortiferæ, sed de Iudæis, quibus erant bonæ, quas

quas & Paulus ipse seruauit. Ergo eo etiam tempore, quo leges Cæremoniarum fuerunt Sanctæ, iustæ, bonæ, non potuerunt iustificare. Loquitur ergo Paulus non de parte legis, quæ & ipsa bona & Sancta est, sed de vniuersa lege. Quod opus secundum totam legem factum, non iustificet. Neque appellat peccatum legis, aut opus carnis, sed opus legis, hoc est, opus secundum legem factum. Ergo non occidere, non Mœchari, &c. Siue fiat secundum naturam, secundum vires humanas, secundum liberum arbitrium, siue secundum donum Dei, vel diuinam virtutem, tamen non iustificat.

Possunt autem opera legis fieri, aut ante iustificationem, aut post iustificationem. Ante iustificationem multi boni viri, etiam inter gentiles, quales sunt Xenophon, Aristides, Fabius, Cicero, Pomponius Atticus, &c. Præstiterunt legem & fecerunt egregia opera. Cicero mortem fortiter perpessus est in causa iusta & bona. Pomponius vir fuit verax & constans, qui nullum neque dicebat, neque ferre poterat mendacium. Constantia autem & veritas, sunt optimæ virtutes ac pulcherrima opera legis, & tamen per ea non sunt iustificati. Post iustificationem faciunt opera legis, Petrus, Paulus, & omnes Christiani, sed per ea non iustificantur. Nihil mihi conscius sum, inquit Paulus, sed per hoc non iustificatus sum. Constat ergo eum loqui de vniuersa lege, & de operibus totius legis, non de peccatis contra legem.

THEOLOGIA SOPHISTICA.

Damnanda est igitur pernicioſa & impia opinio Papistarum, qui tribuunt operi operato meritum Gratiæ & remissionis peccatorum. Dicunt enim, Opus bonum, ante Gratiam, valere ad impetrandam gratiam de congruo. Impetrata verò iam Gratia, sequens opus mereri vitam æternam de condigno. Exempli gratia, Homo existens in peccato mortali, sine gratia, si bona naturali intentione faciat opus bonum, id est, legat vel audiat Missam, det Eleemosynam, &c. is meretur gratiam de congruo. Imperata hoc modo Gratia de congruo, iam facit opus condignum & meritorium vitæ æternæ. In primo quidem Deus non est debitor, sed quia est bonus & iustus, decet eum, vt approbet tale opus, etiam in peccato mortali factum, & reddat pro tali officio gratiam. Post Gratiam autem iam factus est Deus debitor, & iure cogitur dare vitam æternam. Quia iam non solum est opus liberi arbitrij, factum secundum substantiam, sed etiam factum in gratia gratificante, hoc est, in dilectione.

Hæc est Theologia Regni Antichristiani, quam ideo commemoro, vt eò melius intelligi possit disputatio Pauli. Oppositа enim iuxta se posita, magis illustria fiunt. Deinde vt palàm fiat, quàm longè aberrauerint à veritate cæci isti & cæcorum duces, & quàm ista sua impia & blasphema doctrina, non solùm obscurauerint, sed simpliciter sustulerint Euangelium & Christum obruerint. Si enim ego existens in peccato mortali, possum facere aliquod opusculum, quod non solùm secundum substantiam sit gratum Deo, sed etiam possit mereri gratiam de congruo. Et vbi habuero gratiam, possum facere opera secundum gratiam, id est, dilectionem, & acquirere de iure vitam æternam.

Quid iam opus est mihi Gratia Dei, remissione peccatorum, promissione, morte & victoria Christi? Christus planè iam mihi ociosus est, Habeo enim liberum arbitrium & vires faciendi bonum opus, per quod gratiam mereor decongruo, & postea vitam æternam de condigno.

Talia

Talia monstrosa portenta & horribiles Blasphemiæ debebant proponi Turcis & Iudæis, non Ecclesiæ Christi. Et ea res satis ostendit, Papam cum suis Episcopis, doctoribus, Monachis, &c. Neque habuisse vllam cognitionem aut curam rerum sacrarum, neque solicitos fuisse pro salute deserti & mirabiliter discerpti gregis. Nam si vel per nebulam vidissent, quid Paulus vocet peccatum, quid Gratiam, tales abominationes & impias nugas non obtrusissent populo Christiano. Ipsi peccatum mortale tantùm intellexerunt de opere externo, commisso contra legem, vt est homicidium, adulterium, furtum, &c. Non viderunt peccatum mortale esse, Ignorantiam, odium, contemptum Dei in corde, ingratitudinem, murmurationem contra Deum, auersari voluntatem Dei, carnem nihil posse cogitare, loqui & facere, nisi contra Deum, pro Diabolo. Si istas maximas pestes in natura hominis hærentes vidissent, non tam impiè nugati fuissent de merito congrui & condigni, &c.

Quare propriè & disertè definiendum est, quid impius seu peccator mortalis sit. Est autem talis Sanctus Hypocrita & Sanguinarius, qualis fuit Paulus cùm proficisceretur Damascum, persecuturus Iesum Nazarenum, aboliturus doctrinam Euangelij, trucidaturus fideles, & prorsus euersurus Ecclesiam Christi. Et certè erant maxima & horrendissima peccata, contra Deum, sed quæ Paulus non potuit cernere. Ita enim excęcatus erat impio Zelo Dei, vt sentiret ista nefanda flagitia esse summam iusticiam, cultum & obsequium Deo gratissimum. Tales scilicet Sancti, qui defendunt eiusmodi horribilia peccata, esse summam iusticiam, mererentur gratiam?

Quare cum Paulo in totum negamus meritum congrui & condigni, & certa fiducia pronunciamus, istas speculationes esse mera ludibria Satanæ, nunquam facta, aut exemplis ostensa. Nemini enim vnquam dedit Deus gratiam & vitam æternam pro merito congrui & condigni. Sunt ergo illæ disputationes Scholasticorum de merito congrui & condigni, tantùm inania figmenta, & speculatiolia hominum ociosorum somnia de rebus nihili. Super quæ tamen vniuersus Papatus fundatus est, & adhuc hodie his nititur. Quisque enim Monachus habet imaginationem. Ego per obseruationem Sanctæ Regulæ, possum mereri gratiam de congruo, operibus autem, quæ post acceptam gratiam facio, tantum meritum accumulare possum, vt non tantùm mihi sufficiat pro consequenda vita æterna, sed etiam hoc alijs communicare & vendere possim. Sic docuerunt & vixerunt omnes Monachi, Et pro hac manifesta blasphemia in Christum defenda, nihil non tentant hodie contra nos Papistæ. Et quò quisque est sanctior Hypocrita ac iusticiarius, hoc deterior est Euangelij Christi hostis.

VERA CHRISTIANISMI RATIO.

Vera autem Christianismi ratio hæc est, quòd homo primùm per legem agnoscat, se esse peccatorem, cui impossibilè sit vllum bonum opus facere. Lex enim dicit, Tu es arbor mala, ideo omnia quæ cogitas, loqueris & facis, pugnant contra Deum. Non igitur poteris mereri gratiam operibus tuis. Si verò hoc tentas, facis malum deterius. Quia cùm mala sis arbor, non potes facere nisi malos fructus, hoc est, peccata. Quicquid enim ex fide non est, peccatum est. Quare velle mereri gratiam, præcedentibus operibus, est velle Deum placare peccatis. Quod nihil aliud est, quàm peccatis addere peccata, ridere Deum & eius iram pro uocare. Cùm homo sic eruditur lege, terretur & humiliatur, vereque videt mi-

gnitudinem

gnitudinem peccati sui, ac ne micam quidem dilectionis Dei in se inuenit, iustificat Deum in verbo suo, & fatetur se reum æternæ mortis & damnationis. Est igitur prior Christianismi pars, prædicatio pœnitentiæ & cognitionis suiipsius.

Altera pars, si vis saluus fieri, Salus non contingit per opera, sed Deus misit vnigenitum filium suum in mundum, vt nos per eum viuamus. Is crucifixus, mortuus est pro te, & obtulit peccata tua in corpore suo. Ibi nulla est congruitas aut opus ante gratiam, sed mera Ira, peccatum, pauor, mors. Itaque lex ostendit tantum peccatum, perterrefacit & humiliat, atque hoc modo præparat ad iustificationem & impellit ad Christum. Deus enim reuelauit per suum verbum, se fore propicium patrem, qui velit sine nostro merito, cùm nihil mereri possimus, nobis donare gratis remissionem peccatorum, iusticiam & vitam æternam propter Christum. Nam Deus est, qui sua dona gratis largitur omnibus, eaque est laus diuinitatis ipsius. Sed hanc suam diuinitatem non potest defendere contra iusticiarios, qui Gratiam & vitam æternam non volunt gratis accipere ab eo, sed illa mereri suis operibus. Ideo simpliciter volunt ei adimere gloriam Diuinitatis. Vt ergo hanc retinere possit, legem præmittere cogitur, quæ terreat & conterat, quasi fulmen & tonitru quoddam cœleste, illas durissimas petras.

Hęc in summa, nostra est Theologia de iusticia Christiana contra abominationes & portenta Sophistarum de merito congrui & condigni, seu de operibus ante gratiam & post gratiam. Ea enim inanissima somnia homines securi, qui nullis vnquam tentationibus & veris pauoribus peccati & mortis exercitati sunt, è suo capite finxerunt. Ideo non intelligunt quid loquantur, aut de quibus affirment. Deinde nullum exemplum operis ante gratiam & post gratiam potest dari. Sunt igitur nugacissimæ fabulæ, quibus Papistæ seipsos & alios deludunt. Ratio, Quia Paulus hîc manifestissimè dicit, Hominem non iustificari ex operibus legis, siue præcedentibus (de quibus hic loquitur) siue sequentibus. Vides ergo quòd Christiana iusticia non est inhærens forma, vt Sophistæ loquuntur, cùm dicunt. Quando homo facit aliquod bonum opus, illud Deus acceptat, & pro illo opere infundit ei charitatem. Hanc infusam charitatem dicunt esse qualitatem hærentem in corde, eamque vocant formalem iusticiam (expedit vobis scire istum modum loquendi) Nihilque minus audire possunt, quàm istam qualitatem informantem cor, vt albedo parietem, non esse iusticiam. Non altius possunt ascendere, quàm ad illam cogitationem humanæ rationis, Homo est iustus formali sua iusticia, quæ est gratia gratum faciens, id est dilectio. Sic isti habitui & formæ inhærenti animæ, id est charitati, quæ est opus & donum secundum legem (quia lex dicit, Diliges Dominum &c.) Tribuunt iusticiam formalem, & dicunt eam esse dignam vita æterna. Et eum, qui hanc habet, dicunt formaliter esse iustum, Deinde etiam effectiuè, Quia iam bona opera facit, quibus debetur vita æterna. Hæc est Sophistarum opinio, & eorum qui optimi sunt.

Alij non sunt tam boni, vt Scotus & Occam, qui dixerunt non opus esse pro acquirenda gratia Dei, charitate illa diuinitus donata. Sed hominem posse ex naturalibus viribus elicere charitatem Dei super omnia. Sic enim Scotus colligit, si homo potest diligere creaturam, adolescens puellam, auarus pecuniam, quæ sunt minus bonum, potest etiam diligere Deum, qui est maius bonum. Si homo habet ex naturalibus viribus dilectionem creaturæ, multò magis

habet

habet dilectionem creatoris. Hoc argumento fuerunt omnes Sophistæ conuicti, Et nemo ex eis potuit hoc soluere. Dixerunt tamen, Scriptura nos cogit fateri, Deum ipsum vltra naturalem amorem, quo non est contentus, exigere etiam charitatem donatam à se. Per hoc accusant Deum esse sæuum Tyrannum & crudelem exactorem, qui non sit contentus, quod seruo & impleo legem suam, sed vltra legem, quam benè implere possum, etiam exigat vt circumstantia & ornatu seu vestitu quodam impleam. Vt si hæra non esset contenta, quòd coca optimè parasset cibos, sed expostularet cum ea, quòd non parasset cibos induta pretiosa veste, & ornata corona aurea. Qualis hæc esset Domina, quæ præter hoc, quod coca debet, & etiam egregiè præstat, exigit gestari ab ea auream coronam, quam habere non potest? Sic cuiusmodi esset Deus, quòd exigeret à nobis legem suam, quam alioqui naturalibus viribus seruamus, tali ornatu impleri, quem tamen habere non possumus?

Sed hic distinctionem faciunt, ne videantur contraria asserere & dicunt. Legem dupliciter impleri. Primò secundum substantiam facti. Deinde secundum intentionem præcipientis. Secundum substantiam facti, id est, quod ad rem ipsam, possumus simpliciter implere omnia, quæ lex præcipit, sed non secundum intentionem præcipientis, quæ est, quod Deus non est contentus, te fecisse & implesse omnia, quæ in lege mandata sunt, quanquam non habeat, quod amplius exigat. Sed vltra hoc exigit, vt in charitate legem facias, non naturali, quam habes, sed supernaturali & diuina, quam ipse dat. Quid hoc aliud est, quàm ex Deo facere Tyrannum & carnificem, qui hoc exigit à nobis, quod præstare non possumus? Et parum abfuit quin manifestè dicerent, non fieri nostra culpa, quod damnemur, Sed Dei, quod ista circumstantia exigit legem suam à nobis impleri.

Ista repeto & pluribus inculco, ad illustrandam illam causam, vt videant quàm longè aberrauerint à sententia Scripturæ, qui dixerunt nos naturalibus viribus Deum super omnia diligere posse, vel saltem ex opere operato mereri gratiam & vitam æternam. Quia verò Deus non sit contentus legem impleri à nobis, secundum substantiam facti, sed velit eam impleri etiam secundum intentionem præcipientis, ideo cogat nos Scriptura Sancta habere habitum supernaturalem, è cœlo infusum, qui est charitas, quam dixerunt esse formalem iusticiam, informantem & ornantem fidem, facientemque vt ea iustificet. Sic fides est corpus, siliqua, color, charitas verò est vita, nucleus, forma. Hæc sunt Scholasticorum somnia.

Nos autem loco charitatis istius ponimus fidem. Et quemadmodum ipsi dicunt, fidem μονόχρωμα, & charitatem viuos colores & plenitudinem ipsam. Ita nos econtrà dicimus fidem apprehendere Christum, qui est forma, quæ fidem ornat & informat, vt color parietem. Quare fides Christiana non est otiosa qualitas, vel vacua siliqua in corde, quæ possit existere in peccato mortali, donec Charitas accedat & eam viuificet, sed si est vera fides, est quædam certa fiducia cordis & firmus assensus, quo Christus apprehenditur, Ita vt Christus sit obiectum fidei, imò non obiectum, sed vt sic dicam, in ipsa fide Christus adest.

Fides ergo est cognitio quædam vel tenebra, quæ nihil videt. Et tamen in istis tenebris Christus fide apprehensus sedet, sicut Deus in Synai & in templo sedebat

in templo ſedebat in medio tenebrarum. Eſt ergo formalis noſtra iuſticia, non charitas informans fidem, ſed ipſa fides & nebula cordis, hoc eſt, fiducia in rem quam non videmus, hoc eſt, in Chriſtum, qui vt maximè non videatur tamen, præſens eſt.

Iuſtificat ergo fides, quia apprehendit & poſſidet iſtum Thæſaurum, ſcilicet Chriſtum præſentem. Sed quomodo præſens ſit, non eſt cogitabile, quia ſunt tenebræ, vt dixi. Vbi ergo vera fiducia cordis eſt, ibi adeſt Chriſtus in ipſa nebula & fide. Eaque eſt formalis iuſticia, propter quam homo iuſtificatur, non propter charitatem vt Sophiſtæ loquuntur. Summa, ſicut Sophiſtæ dicunt charitatem formare & imbuere fidem, ſic nos dicimus Chriſtum formare & imbuere fidem, vel formam eſſe fidei. Ergo fide apprehenſus & in corde habitans Chriſtus eſt iuſticia Chriſtiana, propter quam Deus nos reputat iuſtos & donat vitam æternam. Ibi certè nullum eſt opus legis, nulla dilectio, ſed longè alia iuſticia, & nouus quidam mundus extra & ſupra legem. Chriſtus enim vel fides, non eſt lex, nec opus legis. De hac re, quam neque docuerunt, neque intellexerunt Sophiſtæ infrà dicemus copioſius. Iam ſatis ſit breuiter monuiſſe, Paulum hîc non loqui tantùm de Cæremoniali, ſed de tota lege.

Monui ſuprà valde perniciosum eſſe errorem, quòd Scholaſtici Theologi docuerunt hominem hac ratione conſequi remiſſionem peccatorum & iuſtificationem, Si operibus præcedentibus, quæ appellant merita congrui, mereatur gratiam, quam vocant qualitatem inhærentem voluntati, diuinitus donatam ſupra illam dilectionem, quam viribus naturalibus habemus, Hac habita, dicunt hominem eſſe iuſtum formaliter & verè Chriſtianum. Illa, inquam, impia & peſtilens perſuaſio eſt, quia non facit niſi Turcam, Iudæum, Anabaptiſtam, fanaticum hominem, &c. Quis enim non poſſet virtute humana, ſine gratia facere opus bonum, & hoc modo mereri gratiam, &c. Sic ſomniatores illi fidem fecerunt inanem qualitatem in anima, quæ ſola nihil valeat ſine charitate, charitate verò accedente ſit efficax & iuſtificet.

Sequentia autem opera dixerunt valere ad promerendam vitam æternam de condigno. Ita quòd Deus propter charitatem, quam infudit voluntati hominis, acceptet illud opus ſequens ad vitam æternam, Sic enim illi loquuntur, Deum acceptare bonum opus ad vitam eternam, malum autem opus deacceptare ad damnationem & pœnam æternam. Audierunt per ſomnium de acceptatione, eam poſtea relationem tribuerunt operibus. Iſta omnia erronea ſunt, & blaſphema in Chriſtum. Quanquam non omnes tam benè loquuntur, ſed quidam vt diximus, docuerunt nos ex puris naturalibus poſſe Deum ſupra omnia diligere. Hæc prodeſt noſſe, vt magis perſpicua reddatur Paulina diſputatio.

Contra illas nugas & inaniſſima ſomnia, vt & ſuprà admonuimus, ſic nos docemus fidem & veram Chriſtianiſmi rationem, vt homo primùm erudiatur legge ad cognitionem ſui, vt diſcat orare cum Propheta, Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Item: Non eſt iuſtus, ne vnus quidem, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, omnes declinauerunt, &c. Item: Ibi ſoli peccaui, &c. Sic contrario modo abſterremus homines à merito congrui & condigni. Humiliato autem homine per legem, & redacto in ſui cognitionem, tum verè conſtitutus eſt pœnitens (vera enim pœnitentia incipit à timore & iudicio Dei) videtque ſe tam magnum peccatorem, vt ſuis viribus, ſtudijs & operibus non poſſit à peccatis liberari. Tum demum rectè intelligit, quid Paulus velit, cùm dicit, Hominem eſſe ſeruum & captiuum peccati, Item: Deum omnia concluſiſſe ſub peccatum, To-

tum mundum reum esse coram Deo, &c. Ibi videt meram Matheologian esse Sophistarum Theologiam de merito congrui & condigni, & ruere totum Papatum.

Hìc tum oritur huiusmodi suspirium, Quis tum potest opem ferre? Nam sic Lege homo exterritus, desperat prorsus de viribus suis, circumspectat & suspirat auxilium Mediatoris & saluatoris. Ibi tum tempestiuè venit salutare verbum Euangelij, dicit: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Crede in Iesum Christum pro peccatis tuis crucifixum, &c. Si sentis peccata, noli ea in te aspicere, sed mineris ea translata esse in Christum, cuius liuores te sanauerunt, &c. Esai. 53. 1. Pet. 2. Hoc initium est salutis, hoc modo liberamur à Peccato, iustificamur & donatur nobis vita æterna, non propter nostra merita & opera, sed propter Fidem, qua Christum apprehendimus. Quare nos quoque facimus qualitatem & formalem iusticiam in corde, non charitatem, vt Sophistæ, sed Fidem. Sic tamen vt cor nihil spectet & apprehendat quàm Christum Saluatorem. Ibi autem necesse est, vt scias, quid sit Christus definitiuè. Hoc ignorantes Sophistæ, fecerunt eum Iudicem & tortorem, & excogitauerunt illud stultissimum commentum de merito congrui & condigni.

Christus autem definitiuè non est Legislator, sed propiciator & Saluator. Hoc fides apprehendit, & sine dubio credit, eum opera & merita congrui & condigni feciisse superabundanter. Potuisset enim per vnicam guttulam sanguinis satisfacere pro peccatis Mundi. Iam autem copiosè satisfecit. Ebr. 9. Per proprium sanguinem intrauit semel in Sancta, &c. Et Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam Dei per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in Sanguine ipsius, &c. Ideo magna res est fide apprehendere Christum portantem peccata mundi, Eaque fides sola reputatur ad iustitiam, Rom. 3. & 4.

Hìc obseruandum est, ista tria, Fidem, Christum, Acceptionem seu reputationem, coniungenda esse. Fides apprehendit Christum, & habet eum præsentem, inclusumque tenet, vt annulus gemmam. Et qui fuerit inuentus hac fiducia apprehensi Christi in corde, illum reputat Deus iustum. Hæc ratio est & meritum, quo peruenimus ad remissionem peccatorum & iusticiam. Quia credis, inquit, Deus in me, & fides tua apprehendit Christum, quem tibi donaui, vt esset Mediator & Pontifex tuus, ideo sis iustus. Itaque Deus acceptat seu reputat nos iustos, solùm propter fidem in Christum, &c.

Et valde necessaria est acceptatio seu reputatio, Primùm, quia nondum sumus perfectè iusti, sed in hac vita hæret adhuc Peccatum in carne, Hoc reliquum in carne peccatum purgat in nobis Deus. Deinde relinquimur etiam quandoq; à Spiritu Sancto, & labimur in peccata, vt Petrus, Dauid, & alij Sancti. Habemus tamen semper regressum ad istum articulum, quod peccata nostra nostra tecta sint, quodque Deus ea non velit nobis imputare, Psalm. 32. & Rom. capit. 4. Non quòd peccatum non adsit (vt Sophistæ docuerunt, Tamdiu benè operandum esse, donec nobis conscij simus nullius peccati) Imò peccatum adest verè, & pij illud sentiunt, Sed absconditum est & non imputatur nobis à Deo propter Christum, Quem quia fide apprehendimus, oportet omnia peccata non esse peccata. Vbi verò Christus & fides non est, Ibi nulla est remissio peccatorum, nulla absconsio, sed mera imputatio & damnatio peccatorum. Sic Deus vult glorificari filium, & ipse glorificari in nobis per eum.

Postquam

Postquam fidem in Christum sic docuimus, docemus etiam de bonis operibus. Quia apprehendisti Fide Christum, per quem iustus es, incipe nunc benè operari, dilige Deum & proximum, Inuoca, gratias age, prædica, lauda, confitere Deum, Benefac & serui proximo, fac officium tuum. Hæc verè sunt bona opera, quæ fluunt ex ista Fide & hilaritate cordis concepta, quod gratis habemus remissionem peccatorum per Christum. Quidquid postea crucis & passionum ferendum venit, toleratur suauiter. Nam iugum, quod Christus imponit, suaue, & onus ipsius leue est. Remisso enim peccato & conscientia liberata ab onere & morsu peccati, Christianus omnia facilè ferre potest. Quia intus omnia sunt suauia & dulcia, ideo omnia volens facit & patitur. Quando autem homo in propria iusticia incedit, quidquid facit & patitur, graue & molestum ei est, quia inuitus facit.

Definimus ergo hunc esse Christianum, non qui non habet aut non sentit peccatum, Sed cui illud à Deo propter fidem in Christum non imputatur. Ista doctrina affert firmam consolationem conscientijs in veris pauoribus, ideoque non frustra tam sæpe & tanta diligentia inculcamus remissionem peccatorum, & imputationem iusticiæ propter Christum. Item, quod Christiano nihil prorsus negocii debeat esse, præsertim in tentatione, cum Lege & peccato. Quatenus est Christianus, est supra Legem & peccatum. Habet enim in corde præsentem, & inclusum, vt annullus gemmam, Christum, legis Dominum. Itaque cùm Lex eum accusat, peccatum perterrefacit, &c. Intuetur in Christum, quo Fide apprehenso, habet secum victorem Legis, peccati, mortis & Diaboli, qui illis omnibus impedirat, ne nocere possint.

Quare Christianus propriè definitus, est liber ab omnibus legibus, & nulli prorsus nec intus nec foris subiectus. Sed significanter dico, in quantum Christianus (non in quantum masculus aut fœmina) hoc est, in quantum habet Conscientiam imbutam, ornatam & ditatam illa fide, illo magno & incomprehensibili thesauro, vel, vt Paulus ait, inenarrabili dono, quod non potest satis magnifieri & laudari, Quia facit filios & hęredes Dei. Hinc Christianus etiam maior est toto mundo, Quia hoc paruum, vt videtur, donum habet in corde, Sed paruitas huius doni & precij, quod in fide tenet, maior est cœlo & terra, quia Christus maior est, qui hoc donum est.

Stante & salua ista doctrina, pacificante Conscientias, Christiani constituuntur iudices omnium doctrinarum, & domini sunt super omnes legestotius mundi, certissimè iudicare possunt, Turcam cum suo Alcorano esse damnatum. Quia non incedit recta via, hoc est, non agnoscit se peccatorem miserum & damnatum, nec fide Christum apprehendit, propter quem credat sibi remitti peccata. Sic cum fiducia pronunciant sententiam contra Papam, eum esse damnatum cum toto regno suo. Quia sic incedit cum omnibus Monachis & Scolis suis, quod per meritum congrui perueniamus ad gratiam, postea per meritum condigni recipiamur in cœlum. Ibi Christianus dicit, Illa non est vera ratio iustificandi, non sic itur ad astra, Non possum per præcedentia opera mereri gratiam de congruo, neque per sequentia merita vitam æternam consequi de condigno, sed credenti in Christum remittitur Peccatum imputatur iustitia. Illa fiducia facit eum Dei Filium & hæredem, qui habet in spe promissam vitam æternam. Itaque per fidem Christi donantur nobis omnia, Gratia, pax, remissio peccatorum, salus & vita æterna, non per meritum congrui & condigni.

Quare doctrina illa Sententiariorum de merito congrui & condigni, omnes cultus, Missæ & fundationes innumeræ regni Papistici, sunt abominandæ Blasphemiæ Dei, Sacrilegia & abnegationes Christi. Vt Petrus prædixit 2. Petri 2. His verbis, Erunt, inquit, inter vos Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & Dominum, qui eos mercatus est, negabunt, &c. Q. d. Dominus redemit & mercatus est nos suo Sanguine, vt nos iustificaret & saluaret, hæc via est iusticiæ & salutis. Sed futuri sunt mendaces Doctores, qui negantes Dominum Blasphemabunt viam veritatis, iusticiæ & salutis, inuenient nouas vias fallitatis, & perditionis. Et multi sequentur eorum perditionem, &c. Isto toto capite Petrus egregiè depinxit Papatum, qui neglecto Euangelio & fide Christi, docuit opera & traditiones humanas, vt sunt de merito congrui & condigni, de discriminе dierum, ciborum, personarum, de votis, de inuocatione Sanctorum, de peregrinationibus, de purgatorio, &c. Has fanaticas opiniones de traditionibus & operibus ita imbiberunt Papistæ, vt impossibile sit eos intelligere vel syllabam de Euangelio, fide & Christo.

Hocque res ipsa satis ostendit. Nam illud ius sibi vsurpant, quod solius Christi est. Ipse solus liberat à peccatis, donat iusticiam & vitam æternam. Ista meritis congrui & condigni, excluso Christo, impetrare nos posse impudenter & impiè mentiuntur. Hoc Petrus & alij Apostoli vocant instituere sectas perditionis, negare Christum, conculcare Sanguinem eius, Blasphemare Spiritum Sanctum & gratiam Dei. Itaque nemo satis videt, quàm horribilis sit idolatria Papistica. Quàm inenarrabile est donum, quod nobis per Christum offertur, tam abominabiles sunt Prophanationes illæ Papisticæ. Ideo non sunt leuiter æstimandæ, aut obliuioni tradendæ, sed diligenter considerandæ. Id quod ad hoc etiam valet, vt gratia Dei & beneficium Christi per contrarium amplificentur. Quò plus agnosco Prophanationem Missæ Papisticæ, hoc magis abhorreo & detestor eam, & amplector verum Missæ vsum, quem Papa sustulit & vertit simpliciter in mercem, quæ coempta alteri prosit. Quia dicit, quod Sacerdos missarius Apostata, negans Christum & Blasphemans Spiritum Sanctum, stans in Altari, faciat opus non solùm pro se, sed pro alijs etiam, viuis & mortuis, & pro tota Ecclesia, & non alia ratione, nisi ex opere operato, &c.

Itaque vel in hoc apparet, patientiam Dei esse inæstimabilem, quod iamdudum non perdiderit totum Papatum, & igni ac sulphure, vt Sodomam & Gomorrham, non euerterit. At belli homines iam volunt hanc suam impietatem & turpitudinem operire & ornare, Hoc non est dissimulandum. Summa igitur diligentia illustrare debemus Articulum iustificationis, vt is, velut clarissimus Sol, è tenebris & caligine Hypocrisis suæ eos protrahat in lucem, & reuelet turpitudines & pudenda ipsorum. Ideo libenter acuimus & vrgemus iusticiam Fidei, vt aduersarij confundantur, vtque Articulus iste constabiliatur & certus fiat in cordibus nostris. Hocque summè necessarium est, Amisso enim hoc Sole, relabimur in priores tenebras. Valde autem horrendum est, Papam hoc potuisse efficere in Ecclesia, quod Christus negatus, conculcatus, consputus & Blasphematus sit, & hoc per Euangelium & Sacramenta, quæ ita obscurauit & in tam detestabilem abusum vertit, vt sibi, contra Christum, seruierint pro statuendis & corroborandis suis Diabolicis abominationibus, O tenebras & infinitam iram Dei.

DE EX

DE EXCLVSIVA.

In Genes. Tom. 2. cap. 22. fol. 206. 207. Excluſa eſt igitur omnis gloriatio per additam particulam ad promiſſionem, In Semine tuo. Illud Semen tollit omnes alias benedictiones, & gloriam propriæ iuſticiæ & confert nobis ſuam, hoc eſt, illam quæ eſt ex fide Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſticia in fide Philip. 3. Omnes igitur gentes benedicent ſe, non in alio quàm in Semine tuo, in ipſo omnes Thæſauri ſunt ſapientiæ, iuſticiæ, ſanctitatis, quicquid vſquam apud eos erit laudabile, id totum habebunt per hoc Semen.

Sicut inquit Paulus 1. Cor. 1. Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſticia & ſanctificatio & redemptio, vt quemadmodum Scriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur. Ipſe eſt vita Salus & pax noſtra. Ioan. 10. Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, viuet.

Abraham multis præclaris virtutibus & donis ornatus fuit, quæ agnoſcere certè & prædicare debuit, ſed non habet gloriam coram Deo. Quia excluſa eſt omnis gloriatio. Quantò magis de alijs Sanctis idem iudicabimus, quantumcunque eſt in eis meritorum, ſiue congrui, ſiue condigni.

Quia Deus benedicit in illo ſolo Semine Abrahæ, & hoc vult vt ſimus benedicti, nosque ipſos benedicamus in hoc Semine, hoc eſt, gloriemur, & certò ſtatuamus eſſe id Semen noſtrum, & ad nos pertinere cum omnibus ſuis bonis & Thæſauris cœleſtibus.

Vidit idem Burgenſis ſatis fœliciter conuerſus à Iudaiſmo cùm dicit, Benedicere includere autorem & benedictorem non gentes, ſed Semen Abrahæ, quod ſit cauſa principalis effectiua illius benedictionis.

Neque ſolùm eſt cauſa efficiens, ſed & formalis, Hoc eſt, benedictio ipſa, ex ipſo enim & in ipſo ſumus benedicti, chriſti & vncti, & de hoc ſinguli poſſumus gloriari. Chriſtus eſt mea formalis benedictio, vnctio, vita, Salus, quia ei adhæreo per fidem, & ab hoc benedicente denominor benedictus, meque ipſum benedictum nuncupo.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 395. Ieſai. cap. 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Hic apertè facit excluſiuam, & damnat quicquid non eſt Chriſti verbum aut opus. Neque enim puto Prophetam loqui de diuinitate, ſed ſimpliciter de officio & opere Chriſti, vt intelligas gloriam iuſticiæ, q. d. Gloriam meam non dabo alteri. Hic Solus Chriſtus iuſticia tua erit. Qui igitur in hoc Chriſto fide non hæſerint, illi iniuſti ſunt & damnabuntur, etiamſi occidi ſe patiantur, & ſanctiſſimè in ſpeciem viuant. Huic vni Chriſto tribuo gloriam meam vt iuſtificet credentes in ipſum. Nulla igitur alia creatura, vel in cœlo vel in terra, nullum aliud opus ad iuſticiam proderit.

Hic vides Blaſphemam doctrinam eſſe, quæ iuſticiam operum docet. Et nihil aliud eſt ſperare, ſe operibus iuſtum fore, quàm velle Deum eſſe, & affectare diuinitatem. Hanc Blaſphemiam ſequitur caſus Luciferi. Quare piæ mentes hic benè ſibi proſpiciant. Quod autem iuſticiam gloriam vocat, tangit quaſi acu corIuſticiariorum, quod maximè in omnibus ſuis operibus & ſtudijs quærant gloriam. Sic Paulus, Volunt nos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur.

VT CONSCIENTIAE FIRMAM CONSOLATIONEM HABEANT CONTRA TENTATIONES *de peccato & ira Dei, excluſiua vrgenda & retinenda.*

Tom. 4. Ienenſ. fol. 493. 494. Pſal. 130. *Quia apud te eſt propitiatio.*

Ergo propiciationem non inuenies in Mose, non in Lege & factis Legis, non in professione vitæ monasticæ, non in dura & laboriosa vita, non in Eleemosinis, non apud diuum Iacobum, aut Romæ in æde diui Petri, In summa, nusquam inuenies propiciationem, quia nusquam est, quàm APVD TE. Est autem propiciatio non nostrum meritum, aut iusticia nostra, sed gratuita remissio peccatorum, ignoscentia, & indulgentia per Christum. Hanc, etiamsi mille annis te affligas in monasterio, in monasterio tamen, & tuis alijs operibus, non inuenies, sed cut satis probat *conscientia*, quæ sentit desperationem, etiam in Sanctissima & dura sima vita. In hoc autem vno acquiescit *conscientia*, quod simpliciter, sine vllo addita mento propriæ dignitatis, nudissima, vt sic dicam, nudissimæ misericordiæ Dei per Christum se committit, & dicit: O Domine habeo tuam promissionem, quod ex sola misericordia sit iusticia, quæ iusticia nihil aliud est: quàm tua ignoscentia, id est, quod non vis obseruare iniquitates, &c.

Commendo igitur vobis hanc Dauidicam definitionem iusticiæ Christianæ, Quod obseruare peccatum, est condemnare, Econtrà, non obseruare peccatum, est iustificare, seu iustum pronunciare, Et quòd iusticia est, quando non obseruantur peccata, sed ignoscuntur, condonantur & non reputantur, sicut alio in loco beatum definit, & Paulus eam definitionem valde propriè allegat: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Non enim dicit, Beatus vir, qui non habet peccatum, sed cui peccatum, quod habet, Dominus non imputauit, sicut hic quoq; dicit, Cùm non obseruantur peccata. Hæc testimonia diligenter colligenda sunt, vt videamus quomodo hæc doctrina sit fundata in Scriptura Sancta, & quomodo omnis fiducia iusticiæ operum & Legis in iudicio Dei præcisa sit.

Nam sine discrimine adæquat hæc doctrina omnes homines. Si enim tùm sumus iusti *imputatione*, sequitur nos non solùm omnes peccatores esse, sed planè nihil interesse, quo ad Deum, inter coniugem & Monachum, inter Erem tam & ciuem, inter Principem & Agricolam. Hæc enim differentia conditionum, nihil subleuat homines in iudicio Dei, hoc autem subleuat, quod peccata condonantur. Quod si in Ecclesia hæc doctrina diligenter tradita esset, non Monachatus, non alia vitæ genera inuecta essent, quæ homines stulti crediderunt eorum Deo plus commendationis habere. Qualis qualis enim vita sit, in hoc omnium eadem est conditio, quod opus habemus remissione peccatorum, sicut Paulus in Actis dicit, Deum tulisse mores Patrum in deserto quadraginta annis, τροποφόρησεν αὐτοὺς inquit, Act. 13. Sicut bonus maritus fert mores vxoris, præceptor discipulorum, Princeps suorum Aulicorum. Quod si hæc ciuilis vita opus habet ista epijkia, vt non summo Iure homines omnia inter se agant, quantò magis hoc necesse est, vt Deus sit τροποφόρος in hac nostra tùm imbecillitate, tum prauitate? Esset quotidie quòd obseruaret, & puniret, sed non vult obseruare nos, hoc vult, vt nos credamus in Christum, tunc vult ipse τροποφορεῖν, vult ad nostram imbecillitatem conniuere, & ignoscere, ac propter fidem in Christum nos pro iustis habere.

Ad hunc modum Dauid à desperatione ad fiduciam & certam spem Misericordiæ se conuertit. Nam cùm ad peccata nostra respicimus, necessariò perturbamur & prolabimur ad desperationem, Sed non sunt oculi ad peccata solùm defigendi, huc respiciendum est ad propiciatorium, vt quanquam non possimus negare nos esse peccatores, tamen etiam non negemus remissionem peccatorum. Cur

Cur autem remissio peccatorum promissa est, si non peccatores eam debent conse-
qui? Quin quod propiciationem Dauid nominat, hoc ipso testatur se esse pecca-
torem, & propiciationem ad se propriè pertinere. Sed inquies, peccata indignum
faciunt, cuius Deus misereatur, Sperent igitur Dauid, Paulus, Petrus, tanquam
Sancti & digni, At ego peccator sum, sperare non possum, &c. Huiusmodi co-
gitationes, ceu ipsissimam pestem animæ tuæ fugias, & sic potius cogites, Quia pec-
cator sum, ideo remissio peccatorum ad me pertinet. Non igitur desperabo, non
absorbebor tristitia, sed conuertam me ad Dominum, qui promisit propiciatio-
nem, qui iubet sperare & credere, &c.

Sic proponit Dauid in his duobus versiculis summam totius doctrinæ Chri-
stianæ, & Solem illum, qui illuminat Ecclesiam. Stante enim hac doctrina, stat
Ecclesia, ruente autem, ruit ipsa quoque. Ego autem ideo sæpius eam inculco,
quia scio Satanam nihil æque velle & agere, quàm vt hanc cognitionem ex con-
spectu & animis tollat. Hunc principaliter spectant omnes turbæ, quas tum pu-
blicè, tùm priuatim excitat. Per Sacramentarios & Anabaptistas, videmus quan-
tum malum dederit Ecclesiæ, quod non solùm homines intenti in nouas disputa-
tiones, Articuli huius ferè obliti sunt, sed multi deterriti dissensionibus, etiam o-
disse hanc doctrinam cœperunt. Boni igitur Pastoris est, ne sinat se vlla disputa-
tione ab assidua huius loci tractatione abduci. Priuatim autem quoties accidit,
vt per cogitationes Legis & peccati, hæc cogitatio remissionis peccatorum aut a-
mittatur, aut periclitetur? Ideo Dauid in hoc Psalmo non solùm propriam expe-
rientiam, sed adhortationes & promissiones, sicut audiemus, proponit, vt appa-
reat eum anxiè laborasse pro conseruatione huius doctrinæ. Et sanè periculi ma-
gnitudo, diligentiam hanc excitare & augere debet. Amisso enim hoc loco, om-
nis generis tentationibus obruuntur animi.

Sic cùm in Papatu hic Articulus amissus esset, quid tam monstrosum fuit,
quod non æquis animis & auribus acciperetur ab omnibus? Pudet dicere, tan-
tum non crepitus ventris sui nobis impudens Monachorum temeritas adorandos
proposuit, Econtrà cùm hæc cognitio retinetur, facilè omnis generis hæreses euer
ti possunt. Et insigne exemplum Papatus est, qui vnico hoc loco victus, & ex a-
nimis hominum exturbatus est. Nam etiam si Papistarum vitam insectaris, &
sceleratam libidinem, auariciam, crudelitatem, &c. exagites, atque ex malis le-
gis operibus eorum impietatem arguas, nihil profeceris. Concedit enim id to-
tum Papa, sicut non potest negare manifesta suorum scelera, Sed inquit, nihilo-
minus vocatio nostra, doctrina & regnum nostrum sanctum est, etiamsi vita sit
deformata peccatis.

Ad hunc modum Diabolus quoque in lege & operibus non potest vinci.
Sic enim tum Leges, tum opera tractat, vt ceu per aranei telam perrumpat, salua
sua potentia. Sed tùm vincitur, cùm doctrina fidei & hic locus vrgetur, quod
Christum & rationem iustificationis Papistæ non amiserint solum, sed etiam fœ-
dis dogmatibus deformauerint & obruerint. Hoc caput cùm petitur, veritere ter-
ga coguntur, tum Papa, tum Satan, Nihil enim habent, quo se tueri possint, si
doctrina conuincatur quod falsa sit.

Hunc igitur Principalem locum, date operam vt diligenter agnitum, &
firmiter fundatum habeatis. Nec quisquam vestrum ita si arrogans, vt existi-

met se hanc diuinam sapientiam plenè hausisse. Nam dum Satan & mundus, Item, nostra ratio valent, nunquam erimus in hac cognitione perfecti, & quia si. cut milites in acie collocati sumus, quotidie pericula obijcientur, in quibus omnibus stare, non est humanæ aut virtutis aut sapientiæ. Summa est huius versiculi. Quoniam apud te propitiatio est, quod concludit Deum non velle nobiscum agere secundum legem, vt nos viciſſim cum Deo non agamus secundum legem, sed dicamus cum Publicano: Domine propitius esto mihi peccatori. Qui extra hæc gratiæ septa progrediuntur, & relicta hac amplitudine gratiæ, de lege disputare volunt, quod hæc fecerint, illa non fecerint, hi quantò progrediuntur longius, tantò altius demerguntur in infernum.

Non frustra hoc moneo, video quid acciderit optimo viro Bernhardo. Eum, si diligenter excutias, inuenies esse duplicem. Quando enim est apud se in fide, tunc pulcherrimè docet Christum, prædicat magna eius beneficia, accendit animos ad amplectendum Christum, hic nihil spirat, nisi rosas & mella. Rursus cùm disputat ex lege, aut de lege, tunc non aliter disputat, quàm Turca aut Iudæus aliquis, qui Christum aut nescit aut negat. Legat eius disputationes quisquis volet, de vita monastica, de obedientia erga Abbates, &c. Et videbit me verum dicere. Idem alijs doctoribus omnibus vsu venit. Quando sunt secum extra disputationes, purè docent Christum, cùm autem in campum legis progrediuntur, sic disputant, quasi nullus vsquam esset Christus, qui instituisset, imò qui suo Sanguine remissionem peccatorum emisset. Idem nos quoque experimur, cùm in legalia & traditiones incidimus.

Ergo in illo Paradyso seu cœlo gratiæ consistendum est, & nusquam progrediendum aliò, vt maneamus in hac simplici confessione cum Dauide: Apud te est propitiatio.

EXCLVSIVA RETINENDA, QVIA SI EX LEGE SEQVITVR AVT *desperatio, aut præsumptio.*

Tom. 4. Ienens. fol. 495. Psalm. 130. Si iusticia esset ex operibus aut lege, necesse esset aut desperationem sequi ex Lege non sanctè seruata, aut præsumptionem, si seruata esset. In desperatione autem timor maior est, quàm debeat esse, in præsumptione planè nullus timor est. Media igitur via est, quod Deus omnia concludit in misericordiam. Non quidem tollit legem, nam hæc vita sine lege non potest consistere, Quæ enim Reipub. forma futura esset, si cædes, adulteria, furta impunè admitterentur? Deinde, oportet etiam piorum exercitia & opera verbo Dei regi, Ad hunc vsum relinquit Deus legem, & accipit eam pro obœdientia in ijs, qui credunt. Sed quod ad ipsum peccatum attinet, iubet, vt posita omni fiducia legis, tantùm speremus in misericordiam, quam in Christo Iesu pro peccatis passo, ostendit Deus. Ita tollitur præsumptio, & relinquitur timor, non qualis in desperatis est, sed qualem inuenias apud rectè institutos liberos erga patrem. Ergo nullus Monachus saluabitur propter Regulam & duram vitam, Ego etiam non saluabor ideo, quod cum summa fide & studio Christum prædico, Non saluatur Princeps, quia diligenter præest suis, & defendit suos. Ac de Monacho facilè probaueris hoc verum esse, nam totum vitæ genus est sine verbo Dei, Sed docere Ecclesias, gubernare Respublicas, sunt quidem sanctissimo & summo

& ſumma opera, ſed tamen ſunt opera Legis, quæ per ſe aut deſperationem, aut præſumptionem pariunt. Igitur etiam ſtantibus his operibus, non contingit ſalus, niſi per id, quod apud Deum propiciatio eſt, vt timeatur.

Rectè igitur concluſit Deus omnia ſub peccatum, vt omnium miſereatur. Nam ſi aliquid relinquas humanæ naturæ, quo Deum poſſit demereri, Nemo timebit nec colet Deum, ſed venient ad Deum omnes, ſunt Monachi, afferentes ieiunia, orationes, obædientiam, & ſimilia, Sed hoc modo amittitur Deus, & loco Dei colitur Idolum cordis. Nam dum cogitat Monachus Deo placere funem, quò rectius ex arbore penderet, quàm cinctus eſt, dum cogitat placere Deo alias traditionum obſeruationes, Nonne à vero Deo diſcedit, & cogitationes cordis ſui in Dei locum collocat, dum ſentit Deum idem cogitare quod ipſe cogitat? Sequitur igitur ex iuſticia Legis vera idolatria, quæ fingit alium Deum, & verùm amittit. Nam verus Deus eſt propiciatio per Chriſtum, Operarij autem volunt opera ſua eſſe propiciatoria. Deus igitur abijcit opera omnia, & nudam miſericordiam ſuam proponit, vt ſcilicet timeatur, vt non contemnatur à præſumptuoſis, omni cauſa præſumptionis ſublata.

Diſcamus igitur ex hoc verſiculo hanc Maximam, quod cùm doctrina remiſſionis peccatorum, Gratiæ, ſeu propiciationis, amiſſa eſt, neceſſariò ſequitur, vt Idolatria regnet. Nam ſublata Gratia, etiam timorem Dei tolli Propheta dicit. Quid autem eſt timere Deum aliud, quàm colere & venerari Deum? Item agnoſcere quòd ſit beneficus, & ideo ei obedire? Hunc Deum amiſi ego, cùm eſſem Monachus, & ambularem in fiducia iuſticiæ meæ. Nam facto & verbo probare poſſum, ex perfectiſſima iuſticia Legis nihil aliud poſſe ſequi, quàm aut deſperationem, quæ eſt rarior, aut præſumptionem, quæ eſt communior. Natura enim & Diabolus non poſſunt cauere quin præſumant.

Quid igitur, inquies, an non facienda Lex eſt? An non ſunt facienda bona opera? Profectò facienda ſunt. Nam ideo Eccleſiam habet Deus in mundo, Ideo Reſpublicas & Oeconomiam inſtituit, vt nuſquam deeſſet occaſio rectè operandi. Sed quis eſt, etiam cùm hæc facit ſtudioſiſſimè, qui non videat quantum adhuc relinquatur immundiciei, præſertim ſi facta ſua deducat in conſpectum Dei? Ergo caput negocij totius relinquitur Soli Miſericordiæ, quam Sola Fide in Chriſtum apprehendimus. Et qui per opera ſumus ſerui inutiles, per Gratiam, quæ in Chriſto exhibita eſt, conſtituimur filij, Iohan. 1. Si verus timor Dei, verus cultus, reuerentia vera, imò agnitio Dei vera, ſola miſericordia nititur, quòd per Chriſtum confidimus Deum eſſe propicium.

Cum hoc cultu Dei plus pugnant deſperatio & præſumptio, quàm aqua & ignis inter ſe pugnant. Quia autem Lex aut ad deſperationem, aut præſumptionem inclinat, ideo rectè concluditur, per Legem neque iuſticiam, nec verum Dei cultum exiſtere. Et tamen ſeruandus eſt Decalogus. Qui enim præeſt, præſit in ſolicitudine, qui eſt ſubditus, pareat. Hic ſunt diſſimilimæ inter ſe conditiones, & perſonæ, Principis, Doctoris, miniſtri, ſenatoris, ciuis, ſerui, ancillæ, patris, matris, filij, &cet. Debent autem ſinguli in ſuo genere obedientiam Deo, vt ſummo ſtudio faciant, quantum poſſunt. Sed quia Legis opera hæc ſunt, per ea tantùm ſerui ſumus, & accipimus promiſſam mercedem ex pacto,

Per propi-

Per propiciationem autem seu Gratiam constituimur filij & Hæredes regni Dei. Opera igitur quæsequuntur, non faciunt Hæredes aut filios, sed fiunt ab Hæredibus & filijs, ad gratiarum actionem, & testandam obedientiam.

Quare commendo vobis has consequentias, Quod, vbi propiciatio non est, ibi nullus est Deus, Item, vbi Deus non est, ibi non est propiciatio, Item, vbi propiciatio non est, ibi non est timor aut cultus Dei, sed manet idolatria & iusticia operum. Hæc, stante Lege & natura, non possunt aliter se habere, Ergo Papatus, Mahometismus, Iudaismus, Monachismus, & quicquid simile est, quod propiciationem non intelligit, aut credit, simpliciter est coram Deo Idolatria, etiamsi specie videatur eximium esse, quia extra propiciatorium non est timor Dei, sed præsumptio. Christiana igitur doctrina non negat aut damnat opera bona, sicut impudenter aduersarij nos calumniantur apud imperitos, Sed docet Deum non velle obseruare iniquitates, hoc autem velle, vt credamus, seu fidamus misericordiæ. Quia apud eum est propiciatio, vt timeatur, & maneat Deus noster. Quicunque igitur credunt Deum esse ignoscentem, & propter Christum remittere peccata, hi verum & rationalem cultum Deo præstant, non litigant cum Deo de lege, operibus, & iusticia, Sed posita omni propria fiducia, reuerentur eum ob propiciationem, & sic constituuntur filij, qui accipiunt Spiritum Sanctum, & Legem verè incipiunt facere.

EXCLVSIVA RETINENDA QVIA NON LEX SED SOLA FIDES *iustificat.*

Tom. 4. Ienens. fol. 47. Galat. cap. 2. Victoria peccati & mortis, Salus & vita æterna, non contingunt per Legem, non per opera Legis, non per vires liberi arbitrij, aut nostram voluntatem, sed per solum Iesum Christum. Ergo *Sola Fides*, hoc apprehendens, iustificat. A sufficienti diuisione & inductione, victoria peccati & mortis est *in Solo Iesu Christo*, Ergo non est in operibus Legis, non in voluntate nostra, &c. Ibi libenter patiemur nos vocari *Solarios* ab aduersarijs, qui de hac Pauli disputatione nihil intelligunt, &c.

Item: Cap. 2. Ad Galat. Tom. 4. fol. 54. Nam vt neque lex neque vllum opus, sed solus Christus nobis offertur, Ita nihil à nobis requiritur nisi fides, quæ apprehendat & credat meum peccatum & mortem damnari, & abolere in peccato & morte Christi.

Sic semper certissima habemus argumenta, ex quibus necessariò concludendum est, *Solam fidem iustificare.* Quomodo enim Lex & opera cooperarentur ad iustificationem, cùm Paulus contra legem & opera agat, & clarè dicat, Nos debere mortuos esse Legi, si Deo viuere velimus? Si autem mortui sumus Legi, & ipsa nobis mortua est, tunc certè nihil habet commercij nobiscum. Quomodo ergo cooperaretur ad iustificationem? Quare necesse est dicere, Nos sola Gratia seu fide in Christum, sine lege & operibus iustos pronunciari.

Hoc Sophistæ cæci non intelligunt, ideo somniant, Fidem non iustificare, nisi

nisi faciat opera charitatis. Hoc modo Fides, quæ credit in Christum, fit ociosa & irrita, quia ei detrahitur vis iustificandi, nisi formata sit charitate. Tu verò sepone iam Legem & charitatem in alium locum & tempus, & intende animum ad statum præsentis causæ. Is autem status est, Quod Iesus Christus Dei filius moritur in cruce, & portat meum Peccatum, legem, mortem, Diabolum, infernum, in corpore suo, Hi hostes & Tyranni inuicti me premunt & mihi iam negocium faciunt, Ideo solicitus sum, quomodo ab eis liberer iustificer & saluer. Hîc non inuenio Legem, opus aut charitatem aliquam, quæ me possit ab his liberare, sed Solus Christus tollit Legem, occidit Peccatum meum, destruit mortem meam in corpore suo, atque hoc modo euacuat Infernum, Diabolum iudicat, crucifigit & detrudit ad infernum. Summa, Omnia quæ me antea cruciauerunt & oppresserunt, illa Christus è medio sustulit, expoliauit, ostentauit palàm, & de illis per Seipsum triumphauit, vt iam amplius non possint dominari, sed cogantur seruire mihi.

Ex his satis intelligi potest, hîc nihil oportere agi, quàm audire ista sic gesta esse, & indubitata Fide apprehendere, eaque est verè formata fides. Postea, Christo sic fide apprehenso, me mortuo Legi, iustificato à peccato, & liberato à Morte, Diabolo & inferno per Christum, facio bona opera, diligo Deum, ago gratias, exerceo charitatem erga proximum. Sed illa charitas, vel sequentia opera, nec informant meam Fidem, nec ornant, sed fides mea informat & ornat charitatem. Hæc nostra est Theologia, & Paradoxa rationi mirabilia & absurda, Quòd non solùm cæcus, surdus sum legi, & liber ab ea, sed planè ei mortuus.

QVOMODO RELIQVIIS PECCATI ADHAERENTIBVS SIMVS *niue puriores, id est, iusti & Sancti.*

Tom. 4. Ienens. fol. 398. Psalm. 51. Sed hîc oritur Theologica quæstio. Quomodo possimus fieri puriores niue, cùm tamen reliquiæ peccati semper nobis adhæreant? Respondeo. Sæpe dixi hominem diuidi in Spiritum & carnem. Quod igitur attinet ad totum hominem, manent reliquiæ peccati, seu sicut Paulus appellat, inquinamenta Spiritus & carnis.

Spiritus inquinamenta sunt, dubitatio de Gratia, imperfecta fides, murmurationes contra Deum, impatientia, imperfecta cognitio voluntatis Dei, &cet.

Carnis inquinamenta sunt, adulteria, concupiscentiæ, homicidia, iurgia, &c.

At inquinamenta Spiritus, per Hæreticos, inquinamenta carnis, per reliqua scandala in mundo cumulantur, vt & Spiritus & corpus polluatur.

Propter

Propter hæc inquinamenta igitur, etsi nunquam simus ita puri & Sancti, sicut nos esse conueniebat, tamen consecuti iam sumus Baptismum, qui purissimus est, consecuti sumus verbum quod purissimum est, consecuti sumus etiam in verbo & Baptismo per fidem Sanguinem Christi, qui profectò etiam est purissimus. Ergo secundum hanc puritatem, quam Spiritu & fide habemus, ex Christo & Sacramentis ab eo institutis, rectè dicitur Christianus purior niue, imò purior Sole & stellis, etiamsi adhæreſcant illa inquinamenta Spiritus & carnis. Sunt enim tecta & obruta mundicie & puritate Christi, quam consequimur auditu verbi & fide. Est autem diligenter notandum, quod hæc puritas est aliena puritas. Christus enim sua iusticia nos ornat & vestit. Quod si Christianum intuearis, secluſa Christi iusticia & puritate, qualis in se sit, etiam cùm est Sanctissimus, tum inuenies, non solùm mundiciem nullam, sed Diabolicam, vt sic vocem, nigredinem. Porrò, quid Papa facit aliud in sua doctrina, quàm vt separet nos à Christo, vt Baptismum, auditum Euangelij, seu promissiones Dei nobis adimat, & nos relinquat Solos. Hoc verò est omnem puritatem homini adimere & nihil relinquere, nisi peccatum.

Quando ergo dicunt. Peccatum semper hæret in homine, quomodo igitur potest ablui, vt sit niue candidior? Respondeo, Homo considerandus est, non qualis in se est, sed qualis est in Christo, ibi inuenies quod credentes lunt abluti & mundificati Sanguine Christi. Quis autem tam prophanus est, vt neget Sanguinem Christi esse mundissimum? Quid ergo causæ est, cur dubitet fidelis homo de mundicie sua? An quia sentit adhuc reliquias peccati in se? At tota mundicia hæc aliena esset debet, nempe Christi & Sanguinis eius, non debet esse nostra, quam ipsi nobis circumdamus. An non in Oeconomia filius hæres est Patris, qui tamen propter imbecillitatem gestatur, tractatur, & regitur à seruula? Hîc si gestationem respicias, nonne filius qui hæres est, seruulæ seruus est, cui parere cogitur? Et tamen non ideo desinit esse hæres, est enim ex patre familias natus, non est ex seruua natus. Ad eundem modum de Christiano quodam iudicandum est, & huc oculi figendi sunt oculi, qualis è Baptismo sit retractus, non qualis è parentibus sit natus. Nam regeneratio est potior prima natiuitate. Non enim est ex homine, sed ex Deo & promissione eius, quam fides nostra amplectitur.

QVIBVS CONTINGAT IVSTIFICATIO SEV AD QVOS *pertineat.*

Genes. Tom. 2. fol. 207. cap. 22. Diligenter Hebrea Phrasis in verbo benedicendi notanda & expendenda est: Omnes Gentes benedicentur semetipsas. Significat enim πληροφορίαν illam & naturam fidei, quod certò & indubitanter statuere debeo me esse benedictum, meque adeo viuum, saluum, iustum & benedictum pronunciare: Alioqui iniuriam facio Semini Abrahæ, Christo, autori vitæ & Salutis.

Neque enim in meis meritis, aut operibus hæret promissio: Sed in Semine Abrahæ, ab illo benedicor, cùm id fide apprehendo, & vicissim mihi adhæret, fit benedictio, & diffunditur per totum corpus & animam, vt & ipsum corpus viuificetur, & saluetur per idem Semen. Idque

Idque in hac vita incoatur per fidem, quando anima oppressa morte & peccato erigitur, & consolationem vitæ & salutis accipit. Aliquanto pòst in resurrectione mortuorum sequetur & corpus animam, sine omni impedimento, non instrumentaliter, sed effectiuè, & quasi formaliter, adeo vt corpus nostrum humile trãsformetur, vt sit conforme corpori Christi glorioso. Philipp:3.

Multipliciter autem hæc fiducia, & tam sancta gloriatio in nobis impeditur. Nascitur enim nobiscum vitio originalis peccati conceptum malum, Superbia & præsumptio, qua præsumunt homines, de suis viribus, sapientia, potentia, opibus.

Carni & sanguini nihil est facilius, quàm sese benedicere & efferre coram Deo, sed propria iustitia & sanctitate. Sed hæc benedictio carnis mortificanda & occidenda est, tanquam pestilentissimum venenum. Et priusquam benedictionem illam apprehendamus, cogitanda est & agnoscenda maledictio, qua peccatis & horribili corruptioni immersi sumus, diffidentiæ, blasphemiæ, securitati, & alijs infinitis moribus & cupiditatibus.

Quando enim pronunciat Deus gentes esse benedicendas, significat eas esse maledictas. Non enim ociosè id à Deo dicitur, sed significat carere eas benedictione, & egere gloria Dei. Hæc cõsequentia est necessaria & ineuitabilis. Sicut Paulus Apostolus seipsum huic iudicio subijcit. 1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.

Iusticiarij & Hypocritæ hæc non attendunt, neq; existimant se esse maledictos. Sicut superbè gloriatur apud Lucã Pharisęus: Non sum sicut cæteri, ideo nõ pertinet ad eos benedictio, tametsi semper eam in ore habeant, & sese benedicant, sed in seipsis non in semine.

Ea verò Diabolica & maledicta est. Et prophetæ passim cum hoc genere acerrimè dimicant, appellant eorum benedictiones mendacium, vanitatem, idolum, incantationes, auguria, &c.

In hanc sententiam loquitur Paulus Galat:3. Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Omnes igitur gentes, quia egent benedictiõe, sunt sub maledictione & peccato, vt subditus sit Deo omnis mundus. conclusit enim scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hæc & similia multa ex hac promissione, tanquam ex largissimo fonte emanarunt.

Sed hæ voces iudicij diuini carni & rationi non perinde gratę sunt. Defugiunt enim omnes homines etiam palàm impij & facinorosi cõfessionẽ peccati: præsertim verò hypocritę audientes doctrinam Euangelij, ægerrimè ferunt argui ipsorum peccata & impietatem. Benedictionem facilè omnes admittunt, & iactant, sed maledictos & damnatos dici propter peccatum haud vnquam patiuntur: quin etiam docentes & arguentes oderunt & persequuntur hostiliter.

Sciamus igitur pertinere hunc locum non ad saturos, præfractos & propria iustitia tumẽtes, sed ad humiliatos & adflictos, quos vexat & angit peccatum, qui sentiunt maledictionem & iram Dei, quæ impendet maledictis & peccatoribus, qui si etiam habeant iusticiam, sapientiam & alia domi, tamen clamitant hæc nihil esse, nisi laruas & vmbram, queruntur se omnium qui viuunt miserrimos. Ideoque miseri-cordiam & gratiam Dei implorant.

Sic Dauid erat prępotens & Diues, tamen quia norat se esse sub ira Dei, peccato & morte & potestate Diaboli: Quid prosunt mihi, cogitat, omnes opes totius mundi, siquidem mihi non benedicunt, nec adferunt vitam & salutem æternam.

Sic omnes Gentes quæ agnoscunt se esse damnatas, habentes spiritum contribulatum, & fiduciam de suis donis & viribus mortificatam, etsi incedunt in pompa, & gloria pulcherrimorum donorum spiritus, vt Dauid & alij: tamen reputant se pro miserrimis & maledictissimis, quia sentiunt vim peccati, terrores inferni & iræ Dei.

Illis igitur hæc promissio proponenda est. Sicut Prophetæ hinc omnes consolationes suas sumpserunt.

PAPISTAE DOCENT IN CAVSA FORMALI IVSTIFICAT. QVOD IPSI NON FACIVNT.

Tom.4.Ienens. fol.492.In Psal.130. Nec sanè puto quenquam inter aduersarios esse, qui ausit iudicium Dei subire fiducia suæ iusticiæ. Et tamen docent, iubent, ac hortantur, vt alij faciant. Nos autem contrarium docentes & deducentes Ecclesiam, ad fiduciam meriti & mortis Christi, damnant tanquam hæreticos. Hæc an non extrema est malicia? Ipsi non faciunt quod docent, vt fiducia suorum meritorum moriantur, & volunt ad hoc alias cogere, aut tanquam hæreticos damnãt. Sic omnium sanorum hominum experientia hoc docet, neminem vincere in conspectu Dei, suis operibus, aut iusticia sua, & tamẽ tota natura cum extra tentationem est, circumspicit ad opera, & quærit quomodo per ea Deum possit placare. Sed hîc proponitur simplex & clara doctrina, si peccata obseruaueris, nemo sustinebit. Quis igitur cupiat in iudicium descendere, vt vincatur & condemnetur.

Quare hæc summa est, quod nos omnes (Dauid, Petrus, Paulus, &c.) peccatores nascimur, viuimus, sumus & morimur. Hæc autem est gloria nostra & salus, quòd edocti per Euangelium de misericordia Dei & merito Christi, prosilimus extra legem & nostra opera, quasi in alium orbem doctrinæ, & aliam lucem, & cum fiducia ad Deum accedentes, dicimus: O Domine, non possumus tecum iudicio contendere, non possumus de nostra iusticia & peccato tecum disputare: Quòd si vis iniquitates obseruare, si vis tanquam in iudicio interrogare, an iusti simus, perimus. Appellamus igitur ab hoc iudicio ad thronum misericordiæ, si quid sanctè egimus, fecimus hoc ex tuo dono. Igitur nos respice oculis misericordiæ tuæ, non oculis iusticiæ iudicij tui. Nisi enim indulseris iniquitates nobis, & ad eas clauseris oculos, ne videas, non saluabimur, &c.

Hanc doctrinæ lucem videmus Dauidem in tenebris legis secutum esse. Nostra hodie melior est conditio, quòd hæc clarè videmus in Nouo Testamento proponi. Nam quid docemus hodie aliud, quàm sola fide in Christum nos saluari? Solo Christi merito tegi & tolli peccata nostra? Secundum sententiam: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Remissio peccatorum igitur est cœlum illud, sub quo habitamus fiducia meriti Christi.

Qui enim credit non iudicatur, sed transijt à iudicio in vitam æternam. Dauid non addit manifestam de Christo mentionem, & tamen quia propiciationem sperat, rectè respicit ad hoc propiciatorium in Nouo Testamento reuelandum clariùs. Non enim vides, quod significet sibi desperandum esse, si velit Deus peccata obseruare? Nam extra remissionem peccatorum, seu cognitionem gratiæ, quid est, quo possimus fidere, aut tuti esse?

Qui igitur non in hoc vno fidunt, quod per mortem Christi peccata sublata, & Deo quasi clausi oculi sint, ne peccata nostra videre possit, hi sine dubio periere. Hoc enim vnum proponunt sacræ literæ. Vitam nostram esse tantùm sub remissione peccatorum, sub conniuentia, tolerantia, indulgentia Dei, vt nihil sciamus, nisi iusticiam Christi. Non quòd non sit bene operandum, non quod peccatum non adsit, aut id Deus non oderit, sed quod dicit Deus & promittit, se non velle obseruare transgressiones nostras, quia credimus in Christum, & Christo fidimus. Hunc clypeum qui obijciunt, & sub eo latent, illi habentur pro filijs, quia habent propiciatorem, qui non habent, coguntur desperare. Quid enim promouent cursitando ad loca Apostolorum? quid promouent induendo cucullum, & misere affligendo corpus? cùm simpliciter dicat Dauid, si obseruaueris iniquitates, quis sustinebit te Domine?

DE FINE

DE FINE ET EFFECTIBVS IVSTIFICATIONIS.

Donatio Spiritus Sancti & pax cordis. Tom.3. Ienenſ.fol.16. Galat:Cap:2. Iuſtificato autem ſic corde per fidem quæ eſt in nomine eius, dat eis Deus poteſtatem filios Dei fieri, diffuſo mox Spiritu Sancto in cordibus eorum, qui charitate dilatet eos, ac pacatos hilareſq; faciat, omnium bonorum operatores, omnium malorum victores, etiã mortis contemptores & inferni.

Pugna ſpiritus contra concupiſcentiam carnis. Tom.4.Ienenſ.fol.170.Galat.Cap.5. Semper fidendum & ſperandum eſt, ſemper appræhendendus eſt Chriſtus, vt caput & fons iuſticiæ noſtræ, qui in hunc credit, non pudefiet. Deinde operam dare debemus, vt etiam externè iuſtiſimus, hoc eſt, ne aſſentiamur carni, quæ ſemper ſuggerit aliquid mali, ſed illi reſiſtamus per ſpiritum. Ne frangamur impatientia, propter ingratitudinem & contemptum vulgi, qui abutitur libertate Chriſtiana, ſed ſpiritu vincamus hanc & omnes alias tentationes. Quatenus igitur luctamur ſpiritu contra carnem, eatenus etiam externè iuſti ſumus. Quanquam iſta iuſticia nos coram Deo non commendat.

Noua obedientia ſequitur iuſtificationem. Tom. 4.Ienenſ.fol. 405. In Pſal:51. Poſtquam per fona antè iuſtificata & per Spiritum Sanctũ renata eſt, ſequuntur bona opera. Oportet enim arborem eſſe ante fructum, ſicut Chriſtus quoque dicit:Matth. 12. aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum. Quaſi dicat, fruſtra laboratur de fructu, niſi prius ſit bona arbor. Nam phariſæorum ferè eadem conditio & ſtudium erat, quod hodie in aduerſarijs videmus qui pleno ore iactãt bona opera & toti mali ſunt. Quomodo autem fieri poteſt, vt ex malo ſemine boni aliquid enaſcatur? Igitur induti cucullis, ieiunantes, prædicantes, vigilantes, nihilominus veterem impietatem cordis retinuerunt. Sicut enim Horatius dicit: Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt. Ita iſti, veſtem, dietam, exercitia mutant, ſed animus idem manet. In Theologia vera igitur hoc primum agitur, vt homo fiat bonus per regenerationem ſpiritus, qui ſpiritus eſt certus, ſanctus & animoſus, Deinde fit, vt ceu ex arbore bona, etiam fructus boni enaſcantur.

Igitur hactenus Dauid tacuit de ſuis operibus, & tantùm rogauit ea, quæ Deus debeat per verbum & ſpiritum ſuum efficere. His autem impetratis, redit ad ſua quoque opera, quæ in regeneratione ſequi debent. Ea opera non ſunt, qualia impius Papatus ſuaſit, ſuſcipere vota peregrinationum, ingredi monaſteria, quod opus, cum ſumma Chriſti contumelia, vocarunt alterum baptiſmum, ſed Deo ſic beneficò & miſericordi agere gratias, & amplificare dona eius, & per ea erudire alios quoq; homines ad eandem gratiam. Sicut in Euangelio faciunt ij, qui à Chriſto ſanati ſunt. Nam etiam cùm prohibẽtur à Chriſto, non poſſunt omittere, quin eius beneficia prædicent, eum laudent, & alios quoq; in eandem ſpem vocent.

Hæc ſunt principalia opera, quæ teſtantur arborem mutatam eſſe ex ſterili in fœcundam, ex arida in ſucci plenam & florentem. Ad hanc vitam reuocat Chriſtus diſcipulum, cùm dicit, ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem me ſequere. Significat eum alia opera eſſe mortuorum opera, eos autem qui in Chriſto viuunt, debere eſſe in agnoſcenda & prædicanda miſericordia Dei, vt eam alij quoque diſcant agnoſcere. Summa igitur hæc eſt, quòd vita & ſalus noſtra, tota ſit poſita in miſericordia Dei, quam per verbum Deus reuelat hoc modo, vt iubeat peccatores in ea ſperare propter Chriſtum. Hæc cognitio eſt iuſticia, ſicut Eſaias dicit. Et iuſticia eius iuſtificabit multos. Hìc nullum aliud noſtrum opus eſt, quàm vt oblatam miſericordiam non recuſemus, ſed eam fide accipiamus. Sed hoc ipſum quoque eſt donum Spiritus Sancti, quia fides non eſt omnium. Poſt iuſtificationem, cum

iam promissio remissionis peccatorum & vitæ æternæ creditur & fide possidetur, tunc proximum & perpetuum opus est, agere Deo gratias, & hæc eius beneficia prædicare. Quia autem mundus omni vi sese opponit, neque Satan etiam cessat hanc prædicationem variis incommodis obiectis nobis excutere: Ideo petijt Dauid in proximo versu, Spiritum illum animosum, qui contemnat pericula omnia & magno animo det testimonium Christi, sicut Lucas de Apostolis dicit.

Iustificati faciunt opera. Tom.1.Ienens.fol.539.In disputat: De fide.

29. Iustificati autem sic gratis tum facimus opera, imò Christus ipse in nobis facit omnia.

30. Quòd si opera non sequuntur, certum est, fidem hanc Christi in corde nostro non habitare, sed mortuam illam, scilicet, acquisitam fidem.

34. Fatemur opera bona fidem sequi debere, imò non debere, sed sponte sequi. Sicut arbor bona non debet bonos fructus facere, sed sponte facit.

35. Et sicut boni fructus non faciunt arborem bonam: Ita bona opera non iustificant personam.

36. Sed bona opera fiunt à persona iam antè iustificata per fidem, sicut fructus boni fiunt ab arbore iam antè bona per naturam.

37. Tamen & in Philosophia ita habet: Quod sine & ante omne opus bonum, necesse est, rationem & voluntatem bonam esse.

38. Nec fit ratio recta, aut voluntas bona ab opere, sed opus fit à recta ratione & voluntate.

39. Et artificis Idæa non fit à domo vel fabrica, sed fabrica fit ab Idæa, quæ, sine & ante fabricam, est in corde artificis.

Et Tom.1.Ienens. fol.307. In Resolut. Propositi. Lipsiæ Disput: Nulla opera iustificant seu iustum faciunt, sed Sola fides. Iustificatus autem facit opera. Sic enim habet sensus scripturæ, vt iustificatio sit prior operibus, & opera fiant à iustificatis. Non enim, vt errat Aristoteles, iusta faciendo, iusti efficimur, sed iusti facti, operamur iusta.

Sicut non fit Episcopus, opera Episcopi faciendo, sed Episcopus factus, facit opera Episcopi: sic non opera fidei, faciunt fidem, sed fides facit opera fidei. Sic non opera gratiæ, faciunt gratiam, sed gratia facit opera gratiæ. Inde est quòd Deus respicit primùm ad Habel (in quo sibi placet) & sic tandem ad opera. Hoc est quod vult Apostolus, quòd sola fide iustificamur, non operibus, licet opera, iam iustificati, non omittamus.

Iustificationis articulus euertit Papatum. Tom:4. Ienens. fol.73. Galat. Cap:3. Papatus hodie labefactatur & ruit, non per illos tumultus sectariorum, sed per prædicationem articuli de Iustificatione, qui non solùm debilitauit regnum Antichristi, sed etiam nos hactenus contra ipsius vim sustentauit, & defendit. Et nisi hoc præsidium habuissemus, iamdudum perijssent sectarij, & nos vnà cum ipsis. Et tamen adeo non agnoscunt hoc beneficium, vt pro eo, vt Psalmus ait, quòd deberent nos diligere, detrahant nobis, & infensissimis animis insectentur nos. Articulus autem iustificationis, qui est vnicum præsidium nostrum, non solùm contra omnes vires & dolos hominum, sed etiam contra portas inferorum, is est: Sola fide in Christum, sine operibus nos pronunciari iustos & saluari. Si ea vera ratio est iustificandi, vt certè est, aut totam scripturam solui necesse est: Tum statim sequitur, neque Monachatu, neque votis, neq; missis, aut vllis operib. nos iustos pronũciari. Ibi sine abrogatiõe vllius externę rei, sine tumultu, sine aliqua vi humana, sine vlla impugnatione sacramentorũ, solo Spi-

solo spiritu præcipitatur Papatus. Neque à nobis paratur hæc victoria, sed per Christum, cuius beneficium prædicamus & illustramus.

Et hoc quod iam dico res ipsa etiam testatur. Nam eo tempore quo primum incipiebat inclinari & ruere Papatus, nihil planè faciebant sectarij, neque enim potebant, sed tacebant. Contrà nihil docebamus & vrgebamus, propter articulum iustificationis, qui tum solus imminuebat Papæ autoritatem, & regnum ipsius deuastabat.

Iustificationis articulus erigit contra scandala. Tom.4.Ienens.fol.146.Galat:Cap:4. Discendus est igitur diligenter articulus Iustificationis, is solus erigit cõtra infinita illa scandala & consolari nos potest in omnibus tentationibus & persecutionibus. Videmus enim aliter fieri non posse, quin mundus offendatur doctrina pietatis, & perpetuò clamitet nihil boni ex ea venire. Quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim illi sunt.1.cor.2. Tantùm videt externa mala, conturbationem rerum, rebellionem, cædes, sectas, &c. His spectris offenditur, excæcatur & ruit in contemptum & blasphemiam verbi.

Nos contrà debemus confirmari, quia aduersarij non accusant & damnant nos propter manifesta scelera, vt sunt, adulterium, cædes, rapina, &c. Sed propter doctrinam nostram. Quid docemus igitur? Christum filium Dei morte crucis redemisse nos à peccatis nostris & morte æterna. Non ergo vitam sed doctrinam nostram, imò non nostram, sed Christi impugnant. Ergo culpa Christi est quod nos impugnant. Et peccatum, propter quod nos persequuntur aduersarij, non nos, sed Christus commisit.

An autem Christum, propter hoc si Deo placet, peccatum, quòd solus est Iustificator & saluator noster, deturbaturi sint è cœlo & damnaturi vt hæreticum & sedi-tiosum, viderint ipsi. Nos hanc suam causam illi commendantes, læti & securi interim erimus spectatores, visuri vtri vicerint, Christus ne an ipsi. Dolet quidem nobis secundum carnem, quod ipsi Ismaelitæ nostri tam furenter nos oderunt & persequuntur, secundum spiritum tamen gloriamur in afflictionibus nostris, tum quia scimus eas nos ferre, non propter peccata nostra, sed propter Christum, cuius beneficium & gloriam illustramus, tum etiam quia Paulus hîc prẽmunit nos & dicit, oportere Ismaelem illudere & persequi Isaac.

DE CONTRARIIS.

RESPONSIO AD ARGVMENTA QVAE ADVERSARII *opponunt contra doctrinam & iusticiam fidei.*

Tom.4.Ienens.fol.85.86.87. Galat:Cap:3. Cùm hic locus præbeat occasionem, dicendum est de argumentis quæ opponunt aduersarij contra doctrinam fidei. Quę est quod sola fide iustificemur: Multa occurrunt in sacris literis Noui & veteris Testamenti loca, de operibus & præmijs, quibus aduersarij nituntur, & ijsdem putant se egregiè posse euertere doctrinam fidei, quam nos docemus & tuemur. Ideo instructos nos esse oportet, vt non solùm docere nostros, sed etiam respõdere aduersariorum obiectionibus possimus. Sophistæ & quotquot articulum Iustificationis non tenent nullam iusticiam intelligunt, quàm politicam & legalem, quæ etiam aliquo modo gentibus notæ sunt. Ideo ex morali Philosophia & lege rapiunt vocabula, facere, operari, & similia, & transferunt in Theologiam. In quo non solùm pessimè, sed impijssimè agunt. Diligenter discerni debent Philosophia & Theologia. Sophistæ ipsi fatentur & docent, Ita natura esse, præcedere, operari, quia arbor naturaliter prior est fructu. Item, in Philosophia concedunt, opus moraliter non esse bo-

num, nisi adsit priùs recta ratio & bona voluntas. Statuunt igitur rectam rationem & bonam voluntatem ante opus, hoc est, iustificant personam moraliter ante opus. Contrà, in Theologia vbi maximè debebat fieri (adeo stupidi sunt asini) inuertunt hoc peruersissimè, statuentes opus ante rectam rationem, &c.

Quare aliud est facere in natura, aliud in Philosophia, aliud in Theologia. In natura primùm oportet esse arborem, deinde fructum. In morali Philosophia, facere, prærequirit bonam voluntatem & rectam rationem operandi, ibique consistunt Philosophi. Hinc Theologi dicunt, Moralem Philosophiam non habere in obiecto & causa finali Deum. Quia Aristoteles, Sadduceus, aut homo ciuiliter bonus, vocat hoc rectam rationem & bonam voluntatem, si quærat communem vtilitatem Reipublicæ, tranquillitatem & honestatem.

Altius non assurgit Philosophus, aut legislator. Non cogitat per rectam rationem, &c. consequi remissionem peccatorum & vitam æternam, vt Sophista aut Monachus. Ideo Gentilis Philosophus longè melior est tali hypocrita. Manet enim intra limites suos, habens tantùm rationem honestatis & tranquillitatis publicæ, non miscens humanis diuina, contrà, Sophista imaginatur Deum spectare suam bonam intentionem & opera, ideoq; miscet diuinis humana, polluit nomen Dei, eamque imaginationem haurit ex Philosophia morali nisi, quòd ea petius abutitur quàm homo gentilis, &c.

Itaque oportet nos altius ascendere in Theologia, quàm in natura & Philosophia, cum vocabulo faciendi, vt planè nouum fiat. Nam vt ex naturalibus rapta in moralia aliud fit, ita multò magis ex Philosophia & lege translatum in Theologiam, aliud fit, vt prorsus hîc nouam significationem habeat, & requirat etiam rectam rationem & bonam voluntatem, nõ moraliter, sed Theologicè, quę est, quod per verbum Euangelij cognosco & credo, Deum misisse filium suum in mundum, vt redimeret nos à peccato & morte. Ibi facere, est res noua, incognita rationi, Philosophis, legistis, & omnibus hominibus.

Est enim sapientia in mysterio obscondita, &c. Prærequirit igitur opus necessariò ipsam fidem in Theologia. Cùm igitur opponunt aduersarij sententias scripturæ de lege & operibus, & vrgent vocabula operandi & faciendi, sic respondebis. Ea esse vocabula Theologica, non naturalia aut moralia. Quæ, si naturalia vel moralia sint, accipi in suo vsu. Si verò Theologica, includere rectam rationem & bonam voluntatem incomprehensibilem rationi humanę. Quare, facere, in Theologia, intelligatur semper de fideli facere, vt fidele facere sit alius circulus, ac nouum quasi regnum, à facere morali. Itaque, cùm nos Theologi loquimur de facere, necesse est nos loqui de fideli facere, quia in Theologia nullam rectam rationem, & bonam voluntatem habemus, præter fidem.

Ista regula pulchrè obseruatur Ebreis. Illic numerantur multa & varia Sanctorum opera ex sacra scriptura. Vt de Dauide, qui occidit leonẽ & vrsum, occidit Goliathum. Ibi insultat asinus Sophista, tantũ faciem operis, vt bos nouã portam, inspicit. Sed ibi inspiciendũ est hoc opus, vt primũ cõsideres, qualis fuerit persona Dauid antequam hoc opus faceret, nẽpe talis, cuius cor cõfidebat in Dominũ Deũ Ismael, vt textus clarè habet, Dominus, qui eripuit me de manu leonis & vrsi, ipse liberabit me de manu Philistęi huius. Deinde, tu venis ad me cũ gladio, hasta & clypeo, ego autem ad te venio in nomine Domini Zebaoth, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie. Et dabit te Dominus in manum meam, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, &c. Quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus, &c. Vides ergo eum iustificari & accipi

& acceptum Deo, in fide fortem & constantem fuisse, antequam hoc opus faceret. Itaq; facere Dauidis, non est naturale aut morale, sed fidele.

Sic eadem Epistola dicit de Abel, quòd fide meliorẽ hostiam obtulit Deo quàm Cain. Si Sophistæ incidunt in istum locum, vt in Genes. legitur (vbi simpliciter describitur, quòd vterq; Cain & Abel, obtulerunt munera, & quòd Dominus respexit ad Abel & ad munus eius) statim arripiunt hæc verba: obtulerũt munera, Dominus respexit ad munera Abel, & clamãt. Ibi auditis & videtis Deum respexisse munera: Ergo opera iustificant. Sic immũdi porci putant iusticiam esse rem moralem, tantùm inspicientes laruam operis, non cor facientis opus. Cùm tamen in ipsa Philosophia cogantur spectare, non nudum opus, sed bonam voluntatem operatoris. Hîc autem hærent tantùm in vocabulis, obtulerunt munera, Dñs respexit ad munera, non videntes quod textus in Genesi manifestè dicat, Dñm respexisse primùm ad personam Abelis, quæ placuit propter fidem, deinde ad munera eius. Itaq; loquimur in Theologia, de operibus, sacrificijs, oblatiõibus & muneribus fidelibus, hoc est, quę oblata & facta sunt in fide, vt Epistola ad Ebræos exponit. Fide, inquiens, Abel meliorem hostiam obtulit, fide Enoch translatus est, fide obediuit Abraham, &c. Habes itaque Canonem ex cap. 11. ad Ebræos, quo modo simpliciter respondendum sit ad argumenta, quæ objciuntur ab aduersarijs de lege & operibus, scilicet: Hoc opus ille vel alius fecit in fide, & sic soluis ipsorum omnia argumenta.

Ex his, manifestum est in Theologia opus nihil valere sine fide, sed oportere præcedere fidem antequam opereris. Impossibile enim est, sine fide placere Deo, sed accedentem ad Deum oportet credere. Hinc dicit ille ad Ebræos, hostiam Abelis fuisse meliorem, quia credebat. Ideo opus seu sacrificium Abelis fidele fuit. Contrà in Cain, quia impius & hypocrita erat, nulla fides gratiæ, sed mera præsumptio iusticiæ propriæ fuit, ideò opus eius, quo studebat placere Deo, hypocriticum & infidele fuit. Quare, coguntur aduersarij ipsi concedere, in omnibus operibus Sanctorum præsupponi fidem, propter quam opera placent. Ergo in Theologia est nouum facere, diuersum à morali.

Deinde hoc modo etiam distinguere solemus fidem, quòd fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Vt enim artifex variè de sua materia, & hortulanus de arbore vel nuda, vel gestante fructum, loquitur: Ita & Spiritus Sanctus in scriptura, variè de fide loquitur, iam de fide (vt sic dicam) abstracta vel absoluta, iam de fide concreta, composita seu incarnata. Fides absoluta seu abstracta est, quando scriptura absolutè loquitur de iustificatione, seu de iustificatis, vt cernere est in Epistola ad Romanos & Galatas. Quando verò scriptura loquitur de præmijs & operibus, tunc de fide composita, concreta seu incarnata, loquitur. Huius fidei exempla aliquot recensebimus, vt, fides per dilectionem efficax. Hoc fac & viues. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Qui fecerit hæc, viuet in eis. Declina à malo & fac bonum, &c. In istis & similibus locis (quales sunt innumeri in Sacris literis) vbi fit mentio de faciendo, scriptura semper loquitur de fide-li facere. Vt cùm dicit, fac hoc & viues, hoc vult, cogita primùm, vt sis fidelis, habeas rectam rationem & bonam voluntatem, id est, fidem in Christum, ea habita opereris.

Quid igitur mirum, si illi fidei incarnatæ, hoc est, operanti, qualis fuit Abelis, vel operibus fidelibus, promittuntur merita ac præmia? Quid ni ita variè loquetur scriptura de fide, cùm etiam de Christo Deo & homine variè loquatur, scilicet, iam de tota persona, iam de duabus naturis ipsius seorsim, aut diuina, aut humana. Si de naturis seorsim loquitur, de CHRISTO absolutè loquitur. Si verò de diuina vnita humanæ, in vna persona loquitur, de Christo composito & incarnato.

incarnato loquitur. Extat regula apud Scholasticos vsitata, de cõmunicatione Idiomatum, cùm proprietates diuinitati Christi conuenientes, tribuuntur humanitati ipsius. Id quod passim cernere est in Scripturis. Lucæ 2. Vocat Angelus infantem ex Maria natum, saluatorem hominum, & communem Dominum Angelorum & hominum. Et cap. 1. Filium Dei. Hinc verissimè dicere possunt, ille infans, qui in præsepio & virginis gremio iacet, creauit cœlum & terram, est Dominus Angelorum. Hìc loquor quidem de homine, sed homo in ista propositione est planè nouum vocabulum, & vt Sophistæ ipsi fatentur, supponit pro diuinitate, id est, iste Deus, qui factus est homo, creauit omnia. Creatio quidem tribuitur soli diuinitati, quia humanitas non creat. Et tamen rectè dicitur, Homo creauit, quia diuinitas, quæ sola creat, est incarnata cum humanitate, Ideoque humanitas participat ijsdem proprietatibus cum diuinitate. Quare rectè & piè dicitur: Iste homo Iesus eduxit Israel de Aegypto, percussit Pharaonem, & fecit omnia mirabilia ab initio mundi, &c.

Igitur cùm scriptura dicit, si vis in vitam ingredi, serua mandata Dei, Hoc fac & viues, &c. Primùm, videndum est de cuiusmodi seruare & facere loquatur. Nam in his & similibus locis, vt dixi, loquitur de fide concreta, non abstracta, composita, non nuda aut simplici. Estq; ista huius loci, Fac hoc & viues, sententia: Tu viues propter hoc facere fidele, vel hoc facere dabit tibi vitam propter solam fidem. Hoc modo iustificatio soli fidei tribuitur, vt creatio diuinitati, & tamen, vt verè dicitur, Iesus Mariæ filius creauit omnia. Ita tribuitur etiam iustificatio fidei incarnatæ, seu fideli facere. Ideo nullo modo sentiendum est cum Sophistis hypocritis, quòd opera absolutè & simpliciter iustificent, quòdque moralibus operibus promittantur merita & præmia, sed fidelibus.

Permittamus igitur Spiritum Sanctum loqui in scripturis, vel de fide abstracta, nuda, simplici, vel de concreta, composita, incarnata, omnia sunt fidei, quæ operibus tribuuntur. Non enim moraliter, sed Theologicè & fideliter sunt opera inspicienda.

Fides in Theologia perpetuò sit diuinitas operum, & sic perfusa per opera, vt diuinitus per humanitatem in Christo. Qui in ferro ignito attingit ignem, ferrum attingit. Ita qui tetigit cutem Christi, verè Deum tetigit. Est igitur fides, fac totum (vt ita loquar) in operibus. Abraham dicitur fidelis, quia fides diffusa est in totum Abraham, vt inspiciens eum operantem, nihil videam Abrahæ, carnalis vel operantis, sed tantùm credentis.

Ista ideo tam diligenter inculco, vt clarè tradam fidei doctrinam. Deinde vt ad obiecta aduersariorum, qui commiscent Philosophiam & Theologiam, & ex moralibus operibus Theologica faciunt, rectè & facilè respondere possimus. Theologicum opus, est fidele opus, sic homo Theologicus est fidelis: Item ratio recta, voluntas bona, Theologicè, est fidelis ratio & voluntas, ita vt fides in vniuersum sit diuinitas, in opere, persona & membris, vt vnica causa iustificationis, quæ postea etiam tribuitur materiæ propter formam, hoc est, operi propter fidem.

Potentia æterna & infinita traditur Christo homini, non propter humanitatem sed diuinitatem. Sola enim diuinitas creauit omnia, humanitate nihil cooperante. Ita neque peccatum & mortem humanitas vicit, sed hamus qui latebat sub vermiculo, in quem Diabolus impegit, vicit & deuorauit Diabolum, qui volebat deuorare vermiculum. Itaque sola humanitas hìc nihil effecisset, sed diuinitas humanitati coniuncta sola fecit & humanitas propter diuinitatem. Sic hìc Sola fides iustificat & facit omnia, & tamen operibus idem tribuitur, sed propter fidem.

Sunt igitur

Sunt igitur ista vocabula, facere, operari, tripliciter accipienda, substantialiter seu naturaliter, moraliter & Theologicè (Sophistæ finxerunt quædam opera neutralia, quæ dixerunt nec bona nec mala) In substantijs seu naturis & moralibus, vt dixi, accipiuntur ista vocabula in suo vsu & naturali significatione. In Theologia verò, fiunt planè noua vocabula, acquiruntque nouam significationem. Quare ad morale facere pertinent omnes hypocritæ, qui volunt ex lege iustificari, & falsas opiniones de Deo habent, contra quos Paulus hic disputat. Habent enim facere, quod fluit ex recta ratione & bona voluntate morali seu humana. Ideo opera eorum sunt planè moralia seu potiùs rationalia. Contrà piorum sunt Theologica, quæ fidem includunt.

Quare cùm legis in Scripturis de Patribus, Prophetis, Regibus, quod operati sint iusticiam, suscitauerint mortuos, vicerint regna, &c. memineris talia & similia dicta, secundum nouam & Theologicam Grammaticam exponenda esse, vt Epistola ad Ebræos exponit, nempe hoc modo, fide operati sunt iusticiam, fide suscitauerunt mortuos, fide vicerunt Reges & regna. Ita vt fides incorporet & informet facere. Et hoc aduersarij, si sani sunt, negare non possunt, nec habent quod contradicant aut opponant. Clamare quidem possunt, scripturam sæpe loqui de faciendo & operando. Nos perpetuò respondemus, eam loqui de facere fideli. Oportet enim, primùm rationem illustratam esse fide, antequàm operetur, habita autem vera opinione & notitia Dei tanquam recta ratione, incarnatur & incorporatur ei opus, vt quicquid fidei tribuitur, postea etiam operibus tribuatur, sed propter solam fidem.

Valde igitur prodest, vt Theologiæ Studiosi benè distinguere discant inter facere verum & hypocriticum, morale & Theologicum. Hoc enim facientes, facilè explicare poterunt omnes locos, qui iusticiam statuere videntur. Est autem verum facere, vt dixi, fidele seu Theologicum, quod is non habet, qui ex operibus quærit iusticiam. Ideo maledictus est omnis legis operator & moralis sanctus. Quia incedit contra Deum in præsumptione iusticiæ propriæ, dum per voluntatem & rationem humanam vult iustificari, & sic faciendo legem non facit. Hocq; vocat Paulus esse sub operibus legis, hoc est, hypocritas facere legem, & tamen faciendo non facere. Quia intelligunt facere iuxta Grammaticam moralem, quæ in Theologia non valet. Operantur quidem multa, sed ex præsumptione propria, sine recta ratione & bona voluntate Theologica, hoc est, sine cognitione Dei & fide vt Phariæ. Lucæ 18. & Paulus ante conuersionem. Ideo cæci sunt & errant, ac manent sub maledicto.

Quare, iterum moneo, sentẽtias quas aduersarij opponunt ex Scripturis de operibus & mercede, semper Theologicè exponendas esse per definitionem. Vt si obiciatur dictum illud Danielis 4. Redime peccata tua eleemosynis, statim consulenda est Grammatica, non moralis, sed Theologica. Illa ostendet hoc redimere non esse morale, sed fidele, hoc est, includere fidem. Nam opus in sacris literis prærequirit etiã bonam voluntatem & rectam rationem, non moralẽ, sed Theologicam, quæ fides est. Hoc modo facilè poteris obturare os Sophistis. Nam ipsimet coguntur concedere, quia ita docent ex Aristotele, omne opus bonũ procedere ex electione. Si hoc verum est in Philosophia, multò magis in Theologia oportet esse ante opus, bonam voluntatẽ & rectam rationem per fidem. Hocq; volunt omnia verba imperatiua. Itẽ omnia verba quę legem docent, vt Epist. ad Ebr. cap. 11. clarè exponit, fide Abel obtulit, &c.

Et esto, quod ista solutio sit insufficiens, quanquam certissima sit, tamen istud argumentum argumentorum & Principale spectrum Christianorum sit, contra omnes tentationes & obiectiones, non tantùm aduersariorum, sed etiam ipsius Diaboli, vt

Diaboli, vt apprehendant caput, scilicet Christum. Deinde esto etiam quòd Sophistæ sint argutiores me, & ita obruant & illaqueent me argumentis pro operibus contra fidem, vt prorsus me explicare non possim (quamuis hoc illis impossibile sit) tamen potiùs honorem habere & credere velim vni Christo, quàm permoueri omnibus locis, quos contra fidei doctrinam pro iustitia operum statuenda producere possent.

Quare simpliciter eis ita respondendum est, Hìc Christus est, illic scripturæ testimonia de lege & operibus. Christus autem Dominus est Scripturæ & omnium operum. Idem est Dominus cœli, terræ, sabbati, templi, iustitiæ, vitæ, iræ, peccati, mortis, & simpliciter omnium. Et hunc prædicat Paulus ipsius Apostolus peccatum & maledictum factum pro me. Audio igitur quòd nulla alia ratione potuerim liberari à peccato, morte & maledictione mea, quàm per mortem & sanguinem ipsius. Ideo certissimè & securissimè concludo, quòd Christum ipsum in corpore suo oportuerit vincere peccatum, mortem & maledictionem meam, non opera legis aut mea. Cogitur autem ratio naturaliter assentiri & dicere quod Christus non sit opus legis aut meum, quod sanguis & mors sua non sit circumcisio, obseruatio rituum legalium, multò minùs cucullus, vertex rasus, ieiunium, votum, Quod sua victoria quam mihi donauit, non sit Carthusianus. Quare si ipse est precium redemptionis meæ, si ipse factus est peccatum & maledictum, vt me iustificaret & benediceret, nihil moror scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro iustitia operum, contra fidei iustitiam, & clamites scripturam pugnare. Ego autorem & Dominum scripturæ habeo, à cuius parte volo potiùs stare, quàm tibi credere. Quàm impossibile sit scripturam pugnare, nisi apud insensatos & induratos hypocritas. Apud pios autem & intelligentes, dat testimonium pro Domino suo. Videigitur quomodo tu scripturam concilies, quam pugnare dicis, Ego cum autore scripturæ maneo.

Ideo si quis non satis instructus est, vt tales locos scripturæ de operibus conciliare aut soluere possit, & cogitur tamen audire instantiam aduersariorum, qui vehementer huiusmodi locos vrgent, Ille respondeat sic simpliciter: Tu vrges seruum, hoc est, scripturam, & eam non totam, neque potiorem eius partem, sed tantùm aliquot locos de operibus, hunc seruum relinquo tibi. Ego vrgeo Dominum, qui Rex est scripturæ, qui factus est mihi meritum & precium iustitiæ & salutis. Illum teneo & in eo hæreo, & relinquo tibi opera, quæ tamen nunquam fecisti. Hanc solutionem neque Diabolus, neque vllus iusticiarius tibi eripere aut euertere potest. Deinde tutus es etiam coram Deo. Cor enim manet fixum in obiecto, quod vocatur Christus, qui crucifixus & maledictus est, non pro se, sed pro nobis, sicut textus sonat, Factus pro nobis maledictum. Hunc locum vrge, & oppone omnibus sententijs de lege & operibus, & dic: Audis ne hoc Satan? Tum cedere eum oportet, quia nouit Christum esse Dominum suum.

DILVTIO ARGVMENTI SOPHISTARVM.

DILECTIO EST IMPLETIO LEGIS.

Ergo lex iustificat.

To. 4. Ien. fo. 168. Gal. ca. 5. Quanquam Paulus propriè & diserte hîc locutus est, tamen nihil profuit. Sophistæ enim ex hoc dicto Pauli malè intellecto. Dilectio est plenitudo legis, sic collegerũt. Si dilectio est impletio legis. Ergo dilectio est iustitia. Ergo diligẽtes sumus iusti. Belli homines argumentãtur â verbo ad opus, à doctrina seu à prẽceptis ad vitã, hoc modo, lex prẽcipit dilectionẽ. Ergo opus statim sequitur. Est autem

Est autem ineptissima consequentia, à præceptis argumentari, & concludere ad opera. Deberemus quidem implere legem, & impletione eius iustificari, sed peccatum obstat. Præscribit & præcipit quidem lex, vt Deum ex toto corde, &c. & proximum vt nos ipsos diligamus, sed ideo non sequitur. Hoc scriptum est, ergo fit. Lex præcipit dilectionem, ergo diligimus. Non dabis aliquem in terris qui ita diligat Deum & proximum vt lex requirit. In futura autem vita, vbi plane mundati ab omnibus vitijs & peccatis, & puri vt sol erimus, perfectè diligemus, & perfecta dilectione iusti erimus. In illa verò vita, impedit puritatem illam caro, in qua, donec viuimus, hæret adhuc peccatum. Hinc tam potens est amor nostri vitiosus, vt longè superet amorem Dei & proximi. Interim tamen vt & in hac vita iusti simus, habemus propitiatorium & thronum gratiæ, Christum, in quem credentes, peccatum nobis non imputatur. Est igitur fides iustitia nostra in hac vita, in futura autem, vbi perpurgati & prorsus liberi erimus ab omnibus peccatis & concupiscentijs non amplius opus habebimus fide & spe, sed perfectè diligemus.

Magnus igitur error est tribuere iustificationem dilectioni, quæ nulla est, aut si aliqua est, tamen non tanta est vt possit Deum placare. Quia Sancti etiam in hac vita imperfectè & impurè, vt dixi, diligunt. Nihil autem impurum intrabit in regnum cœlorum. Interim tamen hac fiducia sustentemur, quod Christus, qui solus peccatum non fecit, neque dolus in ore eius inuentus est, obumbrat nos sua iustitia. Hoc vmbraculo, cœlo remissionis peccatorum & throno gratiæ, concluſi & protecti incipimus diligere & implere legem. Sed propter hanc impletionem non iustificamur, neque accepti sumus dum hic viuimus. Vbi verò tradiderit Christus regnum Deo patri, & aboleuerit omnem principatum &c. & Deus erit omnia in omnibus, ibi tum cessabit fides & spes, & charitas erit perfecta & æterna. 1. Corinthiorum 13. Hoc Sophistæ non intelligunt. Ideo cum audiunt, dilectionem esse summam legis, statim inferunt. Ergo dilectio iustificat. Vel contrà, cum legunt in Paulo fidem iustificare, addunt, scilicet, informatam charitate. Ea non est sententia Pauli, vt suprà dictum est copiosè. Si ab omnibus peccatis puri essemus & perfectè arderemus charitate erga Deum & proximum, tum certè iusti & sancti essemus per charitatem, nihilque esset quod vltrà Deus à nobis exigere posset. Hoc in præsenti vita non fit, sed differtur in futuram. Accipimus quidem hic donum ac primitias spiritus, vt incipiamus diligere, sed valde tenuiter. Si autem verè & perfectè, vt lex, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. requirit, diligeremus Deum, tum inopia tam grata esset nobis quàm copia, dolor quàm voluptas, mors quàm vita, &c. Imò verè & perfectè diligens Deum, non diu posset viuere, sed mox absorberetur illa charitate.

Nunc autem humana natura adeò corrupta est, & peccatis submersa, vt plane nihil rectè de Deo cogitare aut sentire possit, non diligit, sed vehementer odit Deum, &c. Quare vt Iohannes ait: Nos non dileximus Deum, sed ipse dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Et supra capite secundo, Christus dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Et capite quarto, Misit Deus filium suum, factum sub legem, vt eos, &c. Per hunc Filium redempti & iustificati, incipimus diligere. Iuxta illud Pauli Rom. 8. Quod erat impossibile lege, &c. vt iustificatio legis in nobis impleretur, id est, inciperet impleri. Mera igitur somnia sunt, quæ Sophistæ de impletione legis docuerunt. Quare Paulus iudicat his verbis: Ambulate spiritu, &c. quomodo velit accipi sententiã suam, qua dixerat. Per charitatem seruite vobis inuicem. Itẽ, dilectionem esse impletionẽ legis, &c. q. d.

Dum iubeo

Dum iubeo vos diligere mutuò, hoc à vobis exigo vt Spiritu ambuletis, scio enim quòd legem non implebitis, quia peccatum hæret in vobis donec viuitis, ideo impossibile est vos implere legem. Interim tamen hoc diligenter curate, vt spiritu ambuletis, hoc est, luctemini spiritu contra carnem, & sectemini motus spirituales, &c.

Non igitur oblitus est causæ iustificationis. Nam cum iubet eos spiritu ambulare, manifestè negat opera iustificare. Quasi dicat, cùm de impletione legis loquor, non hoc volo, quod lege iustificamini, sed hoc dico, quod duo contrarij duces sint in vobis, spiritus & caro. Deus suscitauit in corpore vestro rixam & pugnam, spiritus enim cum carne luctatur, & vicissim caro cum spiritu. Hìc nihil exigo à vobis, neq; enim plus potestis præstare, nisi vt, sequentes ducem spiritum, resistatis duci carni. Illi obedite, contra hanc pugnate. Itaque cùm doceo legem & adhortor vos ad dilectionem mutuam, ne putetis me reuocare doctrinam de fide, & nunc tribuere legi vel charitati iustificationem. Sed hoc volo, vt spiritu ambuletis, ne concupiscentiam carnis perficiatis. Vtitur autem Paulus verbis propriè acceptis, quasi dicat. Nõdum peruenimus ad impletionem legis, ideò ambulare & exerceri spiritu nos oportet, vt ea cogitemus, dicamus, & faciamus, quæ spiritus sunt, vtque resistamus his quæ carnis sunt.

IVSTIFICATIONIS ARTICVLVS PERPETVO INCVLCANDVS ET DOCENDVS.

Tom. 3. Ienens. fol. 397. Iesai. cap. 42. Diligenter articulus iustificationis, quem nos solí hodiè docemus, discendus & retinendus est. Hoc enim amisso, nulli hæresi, nulli falsæ doctrinæ, quantumuis ridiculæ & vanæ, resistere poterimus. Sicut sub Papa accidit, vbi ea credidimus, quorum nunc nos pudet pigetq;. Rursus si manserimus in hoc articulo, securi sumus ab hæresibus, & retinemus remissionem peccatorum, quæ infirmitatem morum & fidei condonat.

Tom. 4. Ienens. fol. 11. Galat. cap. 1. Vt confirmentur conscientiæ nostræ contra hæreses futuras, non erit molestum repetere ea, quæ alias docemus, prędicamus, pingimus, cantamus, & scribimus. Iacente enim articulo iustificationis, iacent omnia. Itaque summè necessarium est, vt eum perpetuò inculcemus & acuamus, quemadmodum Moses de sua lege dicit. Nam satis vel nimiùm non potest inculcari & vrgeri. Imò etiamsi probè discamus & teneamus eum, tamen nullus est qui eum perfectè apprehendat, aut pleno affectu & corde credat: Adeò lubrica est caro nostra, & repugnat obedientiæ spiritus.

IVSTIFICATIONIS DOCTRINA NVNQVAM PERDISCITVR.

Tom. 4. Ienens. fol. 401. Psal. 51. Petitio Dauidis probat, Iustificationis locum talem esse, qui nunquam possit perdisci. Qui igitur sibi persuadent, quod eum plenè norint, hos verissimum est, nunquam cœpisse, vt eum discerent. Quia enim quotidie noua certamina, nunc à Satana nunc à carne nostra, nunc à mundo & conscientia nostra oriuntur, quibus ad desperationem ad iram, ad libidinem & alia vitia rapimur, quomodo possibile est in tanta infirmitate nostra, non sæpe concidere nos, aut saltem frangi. Deinde quot negocia vita hæc nobis obijcit, quibus paulatim eo abducimur, vt obliuiscamur huius gaudij? Quare summa necessitas est, petere vt Deus nos semper hoc auditu læticiæ perfundere seu aspergere velit, ne obruamur iterum tristicia illa, quam sensus peccatorum affert.

ADHOR

ADHORTATIO AD DOCTRINAM IV-
STIFICATIONIS DISCENDAM.

Tom.4.Ienenſ. fol.400. Pſal.51. Papa,omiſſo verbo, de forma & virtute Sacramentorum diſputat. Item,de contritionibus & attritionibus: Hac doctrina ſanè ita ſum ego in Scholis corruptus,vt vix magno labore,Dei gratia,me ad ſolum auditum gaudij potuerim conuertere. Nam ſi expectandum eo vſq; eſt,donec ſufficienter conteraris,nunquam peruenies ad auditum gaudij. Id,quod in monaſterio magno cum dolore ſæpiſsimè expertus ſum.Sequebar enim hanc doctrinam de contritionibus,ſed quantò conterebar magis,tantò dolores, & conſcientia inſurgebat maior,nec poteram admittere abſolutionem & alias conſolationes, quas afferebant ij, quibus confitebar. Sic enim cogitabam. Quis nouit an talibus conſolationibus credendum ſit? Poſtea caſu accidebat, cum apud præceptorem meum de his meis tentationibus,quas ſanè plurimas,& propter ætatem,patiebar, cum multis lachrymis quererer, vt is ad me diceret: Fili quid facis? An neſcis quòd ipſe Dominus iuſsit nos ſperare? Hoc vno verbo (IVSSIT) ita confirmabar, vt ſcirem Abſolutioni credendum eſſe,quam ſæpe quidem anteà audieram, ſed,ſtultis cogitationibus impeditus, non putabam me verbo debere credere, ſed audiebam,tanquam nihil ad me pertineret.

Quare,meo exemplo & periculo moniti,diſcite hanc doctrinam Iuſtificationis, quam præſens verſiculus oſtendit, quòd Iuſticia non contingat, niſi ei, qui credit verbo,vt diſtinguatis inter verbum abſoluentis,& veſtrum propoſitum ſeu contritionem,ſicut inter cœlum & terram. Nam contritio etiam cum ſumma & perfectiſſima eſt,tamen,reſpectu iuſticiæ, eſt infimum quiddam,imò merum nihil, quo neq; meremur aliquid,nec ſatisfacimus. Quale enim meritum eſt agnoſcere peccatum, & de eo dolere? Quare,procul à tua contritione auerte oculos, & in vocem fratris abſoluentis toto pectore intuere,ne dubites quin illa vox fratris, in Sacramento ſeu abſolutione,ſit diuinitùs dicta ab ipſo Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, ita vt totus pendeas ab eo quod audis,non ab eo quod tu facis & cogitas.

Diuerſum Papa facit, adigit primò ad contritionem, & ex contritione poſtea vult ſtatuere,ſitne verbum efficax an non? Quaſi promiſsio Dei non valeat per ſe, ſed habeat opus acceſsione noſtrorum meritorum, cõtritionum aut ſatisfactionum. Atque hanc doctrinam ſic retinent,vt nos ſaniora docẽtes,tanquam hæreticos damnent,& omni genere ſuppliciorum afficiant. Hinc in omnibus bullis addita eſt hęc clauſula: Ritè confitentibus & contritis: Quaſi certitudo abſolutionis pendeat ex certitudine contritionis, cum tamen cor nunquam poſsit ſtatuere, quando ſit ſatis contritum. Has indulgentias etiam magno auro vendidit Pontificum auaritia. Sed, ô Chriſte,aufer indulgentias iſtas, & potiùs ſine vt nobis irati ſint Pontifices, quàm vt,relinquentes certitudinem verbi,nitamur contritionibus noſtris,ſicut ipſi docẽt. Certitudo enim omnis,nobis in verbo tuo eſt poſita, quo reuelas totius orbis peccata,tuo ſacrificio, morte & reſurrectione tua,expiata & deleta eſſe. Hanc vocem cum audit cor,tum oritur gaudium, de quo Dauid hic loquitur. Quo modo enim non gaudeat animus, cum audit tantam diuinæ miſericordiæ eſſe magnitudinem, vt cum voluptate largiatur gratiam, & non ſpectet inſufficientem contritionem, ſed ſimpliciter ſuam miſericordiam & noſtram calamitatem conſideret. Hunc auditum ſequitur fiducia illa, vt dicamus,ſum baptizatus, ſumpſi corpus pro me in cruce traditum,audiui Dei vocem ex miniſtro vel fratre,qua mihi annunciata eſt remiſsio peccatorum,hac autem fiducia vincitur mors & omnia mala.

Libenter hæc pluribus dico,vt ſciatis formam remiſsionis peccatorum non eſſe

per opera, sed per auditum. Canunt quidem & orāt hunc Psalmum quotidie in templis Papistæ, sed nemo est qui intelligat quid sit hoc gaudium, quo pij lætantur in Domino, nempe certa fiducia misericordiæ Dei, & conscientia non dubitans de remissione peccatorum. Hæc fiducia, seu cognitio, seu auditus ille si non adsit, nulla potest firma haberi consolatio. Nam hoc quoque propria experientia didici, quòd post vigilias, studia, ieiunia, orationes & alia durissima exercitia, quibus Monachus ego ad mortem vsque me affligebam, tamen illa dubitatio relinquebatur in animo, vt cogitarem: Quis scit an Deo hæc grata sint?

Fœlices igitur vos iuuenes, si modo grati fueritis Deo, pro tanto dono, quod auditis iam sanam & veram rationem, qua peruenitur ad iusticiam, vt possitis dicere in cordibus vestris. Si non tantùm oraui aut feci, quantùm oportebat aut satis erat, quid ad me? Non enim ædifico super hanc arenam. Si non perfectè contriui, quid ad me id quoque? Sed hoc ad me pertinet propriè, & super hoc ædifico, quòd Deus mihi loquitur per fratrem: Ego absoluo te in nomine & merito Christi. Hoc verbum credo esse verum, nec me fallet fides mea. Est enim ædificata supra petrā sermonem filij Dei, qui mentiri non potest, est enim veritas, &c. Ad hunc modum perfunduntur animi vero gaudio, & vera lætitia Spiritus Sancti, quæ tota consistit in certitudine verbi, seu in auditu.

DE FIDE IVSTIFICANTE.

DE VOCABVLO FIDEI.

Fides interdum significat fidelitatem. Tom. 4. folio 178. Galat. 5. Cùm Paulus hic fidem inter fructus Spiritus numeret, palàm est, eum non fidem in Christum, sed fidelitatem seu candorem intelligere. Hinc, 1. Corinth. 13. ait, charitatem omnia credere. Qui igitur hanc fidem habet, non est homo suspicax, sed simplicis & candidi cordis. Qui etiamsi fallitur & diuersum experitur quàm credit, tamen adeo lenis est, vt libenter hoc condonet. Summa, omnibus credit, non tamen confidit. Contrà, hoc virtute carentes, homines sunt suspicaces, difficiles, morosi & virulenti. Neminicredunt nec credunt, nihil ferre possunt, benedicta & facta aliorum calumniantur & peruertunt, & eos à quibus non laudantur, & magnifiunt, oderunt. Ideo impossibile est eos charitatem, amicitiam, concordiam, pacèm cum hominibus seruare. His autem ablatis, nihil aliud est hæc præsens vita, quàm morsus & deuoratio. Fides ergo, hoc loco est, quòd alter alteri fidem adhibet in his rebus, quæ ad præsentem vitam pertinent. Qualis enim esset præsens vita nostra, si alter alteri non crederet?

Fidei vocabulum in Ebræo veritatem significat. Tom. 4. fol. 78. Galat. cap. 3. Sed obijciat aliquis, vt Iudæi, & hodie quidam scioli, Fidei vocabulum in Ebræo significare veritatem. Ergo malè vrgeri à nobis. Deinde, locum ex capite 15. Genes. loqui de re corporali, scilicet, de promissione posteritatis. Ideo malè eum detorqueri à Paulo ad fidem in Christum, sed simpliciter intelligendum esse de fide Abrahæ, qua credebat se iuxta promissionem Dei habiturum Semen. Atque hinc ostendere volunt, allegationes & probationes Pauli nihil concludere. Similí modo cauillari etiam possunt locum, quem Paulus infrà ex Habacuc citat, qui loquitur de fide totius visionis implendæ, non de fide tantùm in Christum, de qua Paulus eum allegat. Similiter quoque totum 11. caput ad Ebræos de fide & exemplis fidei. Tales variè gloriosi Spiritus, in his rebus laudem & persuasionem sapientiæ ac doctrinæ, venantur vbi maximè non deberent. Sed breuiter respondeamus propter simplices ad eorum cauillationes.

Ad primam

Ad primam sic respondeo. Fidem nihil aliud esse, quàm veritatem cordis, hoc est, rectam cogitationē cordis de Deo. Rectè aũt de Deo cogitat & sentit Sola fides; non ratio. Tum autem homo rectè de Deo cogitat, quando credit ipsius verbo. Cùm autem extra verbum, Deum ex ratione sua metiri, & ei credere vult: Non habet veritatem de Deo, ideo neq; rectè de Deo cogitare, neque iudicare potest, vt Monachus cum imaginatur suum cucullum, rasuram & vota, placere Deo, illaq; acceptare eum, & pro his donare sibi gratiam & vitam æternam, non habet veram, sed mendacem & impiam cogitationem de Deo. Igitur veritas est ipsa fides, quæ rectè de Deo iudicat, scilicet, quod Deus nostra opera & iusticias non respiciat, cùm simus immundi, sed quod velit nostri misereri, nos respicere, acceptare, iustificare & saluare, si credamus in filium, quem misit vt esset propiciatio pro peccatis totius mundi. Illa vera est cogitatio de Deo, & planè nihil aliud, quàm ipsa fides. Mea ratione non possum apprehendere, neque certò statuere, me in gratiam recipi propter Christum, sed audio hoc annunciari per Euangelium, & fide apprehendo.

Ad alteram cauillationem respondeo. Paulum rectè citare locum ex cap. 15. Genes. de fide in Christum. Nam in omni fide debet inesse fiducia misericordiæ erga Deum. Illa autem complectitur, fidem remissionis peccatorum propter Christum. Nam impossibile est conscientiam expectare aliquid à Deo, nisi primùm statuat sibi Deum propicium esse propter Christum. Ideo omnes promissiones referendæ sunt ad primam illam de Christo Genes. 3. Semen mulieris cõteret, &c. Ita etiam Prophetæ intellexerunt & exposuerunt. Hinc fides Patrum in veteri Testamento & nostra iam in nouo eadem est, licet alia atq; alia externa obiecta accedant. Id quod Petrus Act. 15. testatur, cum ait: Neq; nos, neque Patres nostri, &c. sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus saluari, quemadmodum & ipsi. Et Paulus 1. Cor. 10. Patres nostri omnes biberunt de spirituali, consequente eos, petra. Petra aũt erat Christus. Et Christus ipse, Iohan. 8. de Abraham, cùm ait: Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est. Hærebat tamen fides Patrum in Christo venturo, vt nostra hæret iam in exhibito. Abraham suo tempore iustificatus est, Fide futuri Christi. Si hodie viueret: iustificaretur fide iã exhibiti & præsentis, sicut suprà dixi de Cornelio, qui credebat primùm in venturum Christum. Admonitus verò à Petro, credebat eum iam venisse, &c. Itaq; diuersa tempora non mutant fidē, Spiritum sanctum, dona. Eadem enim semper voluntas & cogitatio fuit, est & erit, de Christo, in præteritis Patribus & futuris filijs. Sic & nos æquè habemus futurum Christum, & credimus in eum, ac Patres veteris Testamenti. Expectamus enim eum, in extremo die venturum, cum gloria, ad iudicandum viuos & mortuos, quem iam credimus venisse ad salutem nostram. Ideo neminem offendit ista allegatio Pauli, nisi insulsos cauillatores illos.

Nobis tamen nullo modo licet ad futurum Christum redire, nisi quatenus in extremo die expectamus eum redemptorem, qui nos liberaturus sit ab omnib. malis. Nam hoc facientes, crederemus Christum nondum reuelatum, sed adhuc reuelandum esse. Atque ita negaremus Christum & omnia eius beneficia, negaremus Spiritum Sanctum, & mendacem faceremus Deum, & ipso facto testaremur, eum nondum præstitisse quod pollicitus est, vt Iudæi faciunt.

Rectè ergo vt dixi, Paulus locum ex Genesi, qui de fide Abrahæ loquitur, de fide Christi citat. Quia omnes præteritæ promissiones inclusæ fuerunt in Christum venturum. Ideo vtriq; cùm Abraham & alijs Patres, tum nos fide in Christum iustificamur, illi fide in futurum, nos in præsentem. Disputamus enim nunc de natura & ratione iustificationis, quæ vtrobique eadem est, siue Christus venerit, siue venturus sit. Satis ergo est Paulum ostendere, quod lex non iustificet, sed sola fides, siue illa sit in venturum, siue in præsentem Christum. Est & hodie Christus alijs præsens, alijs futurus. Cre-

turus. Credentibus præsens est, seu venit. Incredulis nõdum venit neq; eis prodest. Hi si audiunt Euangelium & credunt, fit ipsis præsens, iustificat & saluat eos.

QVID SIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 44. Galat. cap. 2. Fides est quædam certa fiducia cordis & firmus assensus, quo Christus apprehenditur. Eodem Tom. fol. 809. Ioel. cap. 3. Fides est certa fiducia, qua statuimus Deum per Christum placatum, & condonare gratis peccata, & adoptare nos in filios & hæredes vitæ æternæ. Hanc fidem cùm Papistæ prorsus nesciant (credere enim eis aliud nihil significat, quàm professionem seu notitiam historiæ) quo modo inuocare nomen Domini possunt?

Eodem Tom. fol. 116. Galat. cap. 3. Fides est pertinacissimus intutus, qui nihil aspicit præter Christum victorem peccati & mortis, & largitorem iusticiæ, salutis & vitæ æternæ. Hinc Paulus in Epistolis suis ferè in singulis versibus proponit & inculcat Iesum Christum, proponit autem per verbum. Neque enim aliter potest apprehendi, quàm fide in verbum.

Hoc pulcherrimè significatum est Serpente æneo, qui est figura Christi. Iudæos morsu ignitorum serpentum in deserto percussos, Moses nihil iubebat facere, quàm immotis oculis aspicere serpentem illum æneum. Qui hoc faciebant, solo illo fixo aspectu serpentis, sanabantur. Alij contrà, qui non audiebant vocem Mosi, aspicientes sua vulnera, non serpentem, moriebantur. Sic, si debeo consolationem in certamine conscientię vel agone mortis cõcipere, oportet me planè nihil aliud præter vnicum Christum fide apprehendere, & dicere: Ego credo in Iesum Christum Dei filiũ, pro me passum, crucifixum, mortuum, &c. In cuius vulneribus & morte, video peccatum meum, & in eius resurrectione, victoriam peccati, mortis & Diaboli. Item, iusticiam & vitam æternam. Præter hunc nihil audio nec video. Ea est vera fides Christi & in Christum, per quam mẽbra sumus corporis eius, de carne & ossib. eius. Ergo in ipso viuimus, mouemur & sumus. Ideo vana & impia est fanaticorum hominum speculatio de fide, qui somniant Christum spiritualiter, hoc est, speculatiuè in nobis esse, realiter verò in cœlis. Oportet Christũ & fidem omnino coniungi, oportet simpliciter nos in cœlo versari, & Christum esse, viuere & operari in nobis. Viuit autem & operatur in nobis non speculatiuè, sed realiter, præsentissimè & efficacissimè.

QVOTTVPLEX SIT FIDES.

Tom. 2 Ien. fol. 512. De votis Monasticis. Sophistæ multiplicem fidẽ habent generalem, specialem, acquisitam, infusam, informẽ, formatam, catholicã, particulare, implicitam & explicitam, hoc est, confusissimam Babylonẽ errorum & opinionum.

Tom. 1. Ien. fol. 525. In disput. de votis. Omne quod non est ex fide, peccatum est. 2. Hoc verbum, de fide illa vnica iustificante, dicitur. 3. Fides informis, acquisita, generalis, & quam docẽt prostibula Papæ, somniũ est. 4. De qua nihil in scripturis, &c.

Eodem Tom. fol. 538. in disputat. de Fide. Arbitramur hominem iustificari fide. Fides hìc vera, & donum illud Spiritus Sancti intelligi debet. 2. Si Paulus de fide acquisita seu historica loqui intelligitur, in vanum totus laborat. 3. Nam & Sophistę, etsi rerum istarum nihil intelligunt, tamen fatentur fidem istam non iustificare. 4. Imo docent neq; infusam S.S. fidem iustificare, nisi formata sit charitate. 5. Hoc enim palam asserunt, fidẽ infusam posse stare cum peccato mortali, & damnari. 6. Sequitur hinc, si Paulũ de hac fide intelligas, ipsum de ocioso aut fabuloso Christo prædicare. 7. Nam Christus nihil plùs adest vel prodest talib. credentib. cũ ipsis Dæmonib. & damnatis. Cùm verò Paulus prolixè tribuit Iustificationẽ fidei, necesse est ipsum de istis fidebus (vt sic dicã) acquisita, infusa, informi, formata, explicita, implicita, generali, speciali, nihil dicere. 9. Quin & Dæmonibus & pessimis hominibus concedunt hanc fidẽ acquisitam. 10. Oportet igitur, de alia fide quadã eum loqui, quę faciat Christũ in nobis efficacem,

efficacem, contra mortem, peccatum & legem. 11. Et quæ nos non sinat similes esse Dæmonibus, & hominibus descendentib. in infernum, sed similes faciat sanctis Angelis & filijs Dei ascendentibus in cœlum. 12. Hæc est autem fides apprehensiua, (vt dicimus) Christi pro peccatis nostris morientis, et pro iustitia nostra resurgentis. 13. Hoc est, quæ non tantùm audiat res à Iudæis & Pilato, in Christo crucifigendo, gestas, vel de resurgẽte narratas. 14. Sed quæ intelligat charitatem Dei Patris per Christum, pro tuis peccatis traditum, te redimere & saluare volentem. 15. Hanc fidẽ Paulus prędicat, quam Spiritus sanctus, ad vocem Euangelij, in cordibus audiẽtium donat & seruat. 16. Hæc est illa fides, quæ verè infusa dici debet, nec viribus nostris acquiri (sicut illa acquisita) potest. 17. Fides acquisita, seu Sophistarum, infusa, de Christo dicit: Credo filium Dei passum & resuscitatum, atq; hîc desinit. 18. Sed vera fides dicit: Credo quidem filium Dei passum & resuscitatum, sed hoc totum pro me, pro peccatis meis, de quo certus sum. 19. Est enim pro totius mundi peccatis mortuus. At certissimum est me esse partem aliquam mundi. Ergo certissimum est, pro meis quoque peccatis mortuum esse. 20. Fides acquisita, habet finem seu vsum passionis Christi, nudam speculationem. Fides vera, habet finem & vsum passionis Christi, vitam & salutem. 21. Fides acquisita stat, velut piger manum sub ascella abscondens & dicit: Ista nihil ad me. 22. Fides vera, extensis brachijs amplectitur læta filium Dei, pro se traditum, & dicit: Dilectus meus mihi & ego illi. 23. Exemplum huius Paulus ad Galatas de seipso præstat, dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 24. Igitur illud pro me, seu pro nobis, si creditur, facit istam veram fidem, & secernit ab omni alia fide, quæ res tantùm gestas audit. 25. Hæc est fides, quæ sola nos iustificat, sine lege & operibus, per misericordiam Dei in Christo exhibitam.

Item Tom. 1. Ienens. fol. 566. in disputat. de Fide. 4. Sophistæ docent fidem informem stare cum peccato mortali, & de remissione peccatorum dubitare, quod est verè Christum negare. 5. Sequitur, fidem hanc informem non esse ex fide, sed meram esse incredulitatem contra Christum. 6. Quin figmentum & idôlum vanissimum est cordis illorum, qui nesciunt quid loquuntur, aut de quibus affirmant. 7. Promissio autem diuina, non accipitur corde vano, incredulo & idôlatrico, cùm efficiat ipsa veram Dei cognitionem in credente. 8. Quare impossibile est promissionem Dei posse accipi seu credi fide informi. 9. Nec est opus hominis, sed spiritus donum, fides Christi: Fides autem informis est cogitatio seu imaginatio hominis, id est, nulla fides. 10. Infusa fides similiter est merum somnium, & nihil in rerum natura, nisi vocabulum planè ficticium, sicut Chymera & Hircoceruus. 11. Frustra iactatur, fidem informem charitate fieri formatam, & sic iustificare. 12. Charitas enim non approbat, multò minus informat idolum, mendacium, figmentum hominis, sed potiùs destruit. 13. Quid est aliud dicere, charitas informat fidem informem, quàm charitas facit vt sit mendacium veritas, & vanitas sit res ipsa? 14. Extra Synagogam pellendæ sunt istę barbaræ Sophistarum voces, fides informis, formata, gratia gratum faciens, &c. 15. Sunt enim sumptæ ex Philosophia rationis, quæ non potest ea capere & tradere, quæ sunt Christi & Spiritus eius. 16. Imò verò sunt prophanę vocum inanitates, quibus obscuratur veritas Christiana, & nec à docente nec audiente intelligi possunt. 17. De rebus sacris loquendum est, sanis, sacris, sobrijs, Spiritus Sancti verbis, in scriptura traditis. 18. Ne contingat, sicut contigit nobis Magisterio Sophistarum illud Nehem. 13. loquebantur iuxta linguas populi & populi. 19. Proinde, fides informis non fuit, cùm Daniel inter leones illæsus viuebat, sicut dicitur: Quia credidit Deo suo. 20. Fides informis non fuit Susannæ fides, de qua scribitur, Erat cor eius fiduciam habens in Domino. 21. Nec Dauid prostrauit Goliath futili illa & incredula cogitatione, qualis est fides informis. 22. Fides vera est substantia cordis, id est, firma & certa fiducia, in Deum promissorem misericordiæ & auxilij.

23. Fides verè informis fuit Petri, quando Christus ad eum dixit: Modicæ fidei, quare dubitasti? 24. Quin illa fides Petri seu dubitatio, improportionabiliter maius quiddam erat, quàm fides informis. 25. Illa vocatur modica fides, hæc verò est peccatum & incredulitas, & tota cordis humani impietas. 25. Summa, frustra disputatur cum scholasticis de his rebus, sibi incognitis & inusitatis.

FIDES FORMATA ET INFORMIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 88. cap. 3. Iustus ex fide viuit. Sophistæ, vt parati sunt ad eludendum scripturas, hunc locum sic cauillantur. Iustus viuit ex fide, scilicet efficaci, operante vel formata charitate, si verò est fides informis non iustificat. Hanc glossam ipsi finxerunt, eaq; vim faciunt Prophetæ verbis. Si fidem formatam vocarent veram & Theologicam, vel vt Paulus, ἀνυπόκριτον, quam Deus fidē vocat, nihil me offenderet hæc ipsorū glossa: Tunc enim fides non distingueretur contra charitatē, vanam opinionem fidei, quomodo & nos distinguimus inter fidem fictam & veram. Ficta est, quæ audit de Deo, Christo, & omnibus mysterijs incarnationis & redemptionis, & apprehendit illas res auditas, & pulcherrimè de eis nouit loqui, & tamen mera opinio & inanis auditus manet, qui tantùm relinquit bombum in corde de Euangelio, de quo multa garrit, reuera tamen fides non est, quia non renouat nec immutat cor, non generat nouum hominem, sed relinquit eum in priori sua opinione & conuersatione. Estq; hæc fides valde pernicioſa, quam satius esset non habere. Et Philosophus moralis melioreſt tali hypocrita, qui hanc fidem habet.

Itaque si formatam fidem, distinguerent contra falsam seu fictam fidem, nihil me offenderet ista illorum distinctio, sed ipsi loquuntur de fide formata charitate, faciuntq; duplicem fidem, Informem & formatam. Hanc pestilentissimam & Satanicam glossam, non possum non vehementer detestari. Quamuis, inquiunt, adsit fides infusa, quæ donum Spiritus Sancti est, & acquisita, quam nos ipsi parimus nobis multis actionibus, credendi, tamen vtraque est informis & formatur charitate. Sic fides sine charitate vt ipsi somniant, est quasi pictura & res speciosa in tenebris, quæ tum primùm cernitur, cùm lux, id est, charitas accesserit, Atque hoc modo charitas est forma fidei, & fides pura materia charitatis. Hoc præferre est charitatem fidei, & tribuere iusticiam non fidei, sed charitati. Quia propter quod vnumquodq; est tale, & ipsum magis. Itaq; cùm non tribuunt iusticiam fidei, nisi propter charitatem, fidei nihil omninò tribuunt.

Deinde dicunt euersores Euangelij Christi, fidem etiam infusam, quæ non accipitur audiendo, aut vlla alia operatiõe acquiritur, sed quam Spiritus Sanctus creat in homine, stare in peccato mortali, eamq; pessimos homines posse habere. Ideo fidem ita sit, ociosam & inutilem esse, etiamsi mirabilia faciat. Ita fidei suum officium prorsus auferunt & tribuunt charitati vt fides prorsus nihil valeat, nisi accesserit forma, id est, charitas. Ergo iuxta hoc pestilens figmentum Sophistarum, fides illa misera virtus, erit quoddam informe chaos, nullius operis, efficaciæ & vitæ, sed tantùm passiua materia. Ista omnia blasphema in Deum & Satanica sunt, quæ prorsus obscurant & euertunt fidei doctrinam à Christo mediatore, & à fide apprehendēte ipsum, retrahunt. Nam si charitas est forma fidei, vt ipsi nugantur, statim cogor sentire, ipsam charitatem esse principalem & maximam partem Christianæ religionis, & sic amitto Christum, sanguinem, vulnera, & omnia beneficia eius, & inhæreo charitati, & diligo ac venio in facere morale, vt Papa, Gentilis Philosophus, aut Turca.

At Sanctus Spiritus, qui dat omnibus os & linguam, nouit etiam loqui. Bene potuisset dicere, vt Sophistæ impiè nugantur, Iustus ex fide formata viuit. Sed consultò omisit hoc, & simpliciter dixit, Iustus ex fide viuit. Abeant igitur Sophistæ in malam cru-

malam crucem, cum sua impia & pestilente glossa. Nos volumus retinere & extollere hanc fidem, quam Deus fidem vocauit, id est, veram & certam fidem, quæ non dubitat de Deo, nec de diuinis promissionibus, nec de remissione peccatorum per Christum, vt tuti & securi manere possimus in obiecto, Christo, & retinere in oculis passionem & sanguinem Mediatoris & omnia ipsius beneficia. Sola autem fides quæ Christum apprehendit, est vnicum medium, vt illa è conspectu non sinamus nobis auferri.

FIDES PROPRIA, ALIENA, FIDES ECCLESIAE.

Tom. 4. Ienens. fol. 304. In Mathæ. Cap. 9. Visitatum dictum est: Paruulos baptisari in fide Ecclesiæ, cùm propriam non habent. Hoc sobriè est intelligendum. Fide Ecclesiæ, id est, orante ex fide Ecclesia, datur paruulis fides propria. Sicut hîc, orantibus ex fide hominibus istis, datur paralytico sanitas, quam non habebat. Quia oratio fidei est omnipotens, sicut Christus dicit, credenti omnia possibilia, licet non semper sentiamus adesse, quæ petimus in fide, tamen certò sunt impetrata, & suo tempore apparebunt.

FIDES INFIRMA.

Tom. 4. Ienens. fol. 123. Galat. Cap. 4. Videmus quanta sit adhuc infirmitas Fidei in pijs. Nã si certò possemus statuere, nos esse in gratia, nobis peccata esse remissa, nos habere spiritum Christi, nos esse filios Dei, tum profectò læti ac Deo grati essemus, pro hoc inenarrabili dono. Quia verò sentimus contrarios motus, timorem, dubitationem, tristiciam, &c. Ideò non audemus hoc certò statuere, Imò conscientia iudicat magnam præsumptionem ac superbiam esse, hanc gloriam sibi arrogare. Ideo res ista tum demum rectè intelligitur, cùm ad vsum transfertur, sine experientia enim nunquam discitur.

Quare vnusquisque assuefaciat se, quòd certò statuat se esse in gratia, & persuadeat sibi placere cum operibus. Si autem sentit se dubitare, exerceat fidem, & luctetur contra dubitationem, ac nitatur ad certitudinem, vt dicere possit, scio me accepisse, Spiritum Sanctum habere, non propter meam dignitatem aut meritum, sed propter Christum, qui propter nos subiecit se legi & tulit peccata mundi. In hunc ego credo, si ego peccator sum, & erro, ipse iustus est, errare non potest.

FIDES PROFICIENS.

Tom. 4. Ienens. fol. 342. In Mathæ. Cap. 13. De Fide proficiente hîc docet. Et significat Margaritam non esse incognitam, sed auditam, quod sit pretiosa. Ideo quæritur velut cognita, & petitur plenè possideri, quę incepta est nosci: Nam iste mercator non aliud agit, quàm vt Margaritam querat. Supra, ille agricola aliud quę rens inuenit, id est, sine meritis accepit, Hic mercator vnum hoc spectat, vt cognitam obtineat. Sic est enim vita Christiana, vt qui cœperit videatur sibi nihil habere, sed tendit & pergit vt apprehendat. Vnde Paulus, non arbitror me apprehendisse, sed obliuiscens anteriora, quę retrò sunt, ad ea quę priora sunt me extendo, &c. Quia reuera nihil perniciosius est, homini fideli, quàm ista præsumptio, quasi apprehenderit, & opus quærendi non sit. Hinc enim multi retrò labuntur, & marcescunt securitate & ignauia.

Sic Bernhardus quoque dicit. Stare in via Dei est retrogredi. Quare, qui cœpit esse Christianus, hoc restat, vt cogitet se nondum esse Christianum sed quærere, vt fiat Christianus. Vt cum Paulo possit gloriari. Non sum, sed cupio esse: Et, quotquot perfecti sumus, in hac regula maneamus. Christianus enim non est in facto

sed in fieri. Dicitur enim ad eum, Petite, quærite, pulsate, Non dicitur, habetis, inuenistis, intrastis, sed, petite, quærite, &c. Igitur qui Christianus est, non est Christianus, hoc est, qui se putat factum Christianum, cùm sit tantum fiendus Christianus, ille nihil est: Tendimus enim in cœlum, nondum sumus in cœlo. Et sicut nunquam veniet in cœlum, qui putat se iam esse in cœlo, ita iam est in cœlo, qui tendit in cœlum. Quia Deus reputat eum quasi iam sit in cœlo. Summa, proficiendum est, non standum & securè stertendum. Homo nostervetus debet de die in diem. (vt Paulus) renouari. Veh illi qui iam totus renouatus est, id est, qui putat se esse renouatum: Ille absque dubio nondum cœpit renouari nec vnquam gustauit, quid sit esse Christianum. Nam qui cœpit, ille non putat se esse Christianum, sed valde cupit se fieri Christianum. Et quò magis proficit, hoc magis cupit fieri, & minus putat se esse. Adeo sunt opera regni huius mirabilia. Qui stat ait Paulus, videat ne cadat, Et iterum, Qui existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse seducit se, &c.

FIDES PERFECTA.

Tom. 4. Ienens. fol. 127. Galat: Cap: 4. Satis testatur infirmitas & lucta carnis cum spiritu in sanctis, quam imbecillis adhuc sit fides in ipsis. Perfecta enim fides, mox afferret perfectum contemptum & fastidium præsentis vitæ. Si concipere & certò statuere possemus, Deum esse patrem nostrum, ac nos esse filios & hæredes ipsius, profectò vilesceret nobis mundus, cum omni sua gloria, iustitia, sapientia, potentia, cum omnibus regijs coronis, opibus, voluptatibus, &c. Non sic essemus solliciti pro victu, non sic adhæreremus corde corporalibus rebus, ac illis præsentibus confideremus, ablatis abijceremus animũ, ac desperaremus, sed omnia fierent à nobis summa charitate, humilitate, patientia, (Ista hæretici quidem iactant, sed reuera, nihil est crudelius, nihil magis superbum & impatiens illis) Nunc contrarium fit à nobis, caro enim adhuc fortis, fides autem imbecillis, & spiritus infirmus est. Ideo rectè ait Paulus, nos tantùm primitias Spiritus in hac vita habere, illic habituros decimas.

VNDE SIT FIDES.

Tom. 4. Ienens. fol. 24. Galat. Cap. 2. Perpetuò inculcamus, cognitionem Christi & fidem, non esse rem aut opus humanum, sed simpliciter donum Dei, qui vt creat, ita conseruat fidem in nobis. Sicut autem per verbum Fidem primùm donat, ita deinceps per verbum, exercet, auget, confirmat & perficit eam. Itaq; summus Dei cultus & sabbatum sabbatorum est, exercere sese ad pietatem, tractare & audire verbum. Econtrà nihil periculosius est, quàm fastidium verbi. Qui ergo sic friget, quod putat se apprehendisse, & incipit paulatim fastidire verbum, ille iam Christum & Euangelium amisit, & hoc, quod putat se nosse, tantùm speculatiuè apprehendit, Estque similis viro, vt Iacobus ait, consideranti faciem in speculo, qui abiens, statim obliuiscitur qualis fuerit. Taleſq; fiunt tandem fanatici ac nugaces spiritus.

Tom. 3. Ienens. fol. 82. In Deut. Cap. 1. Scias fidem esse opus non liberi arbitrij, sed gratiæ Dei solius.

Et Tom. 3. Ienens. fol. 428. Iesai. Cap. 53. Nisi Spiritus Sanctus corda illuminet, huic verbo assentiri nemo potest. Assentimur autem, cùm apprehendimus promissionem, quod in Semine illius sit benedictio Gentium.

Tom. 1. Ienens. fol. 539. In disput. De fide. Omnium quidem est auditus verbi, sicut scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum. Sed non omnium est fides ista, sicut scriptum est, Quis credidit auditui nostro?

Item. Tom. 3. Ienens. fol. 446. Iesai. Cap. 61. Christianus non fit, sed nascitur, non paratur humanis viribus, sed plantatur manu diuina. Christus enim hortulanus est, & Christiani sunt opera meræ gratiæ, qui per verbum eradicantur ex horto mundi, & transferuntur de mundo in aliam vitam.

DE OB-

DE OBIECTO FIDEI.

Tom. 4. Ienenf. fol. 32. Galat. Cap. 2. Verum Euangelium eſt, quod opera aut charitas, non ſint ornatus ſeu perfectio fidei. Sed quòd Fides per ſe eſt donum Dei, & opus diuinum in corde, quòd ideo iuſtificat, quia apprehendit ipſum Chriſtum ſaluatorem. Ratio humana obiectum habet legem, hoc feci, hoc non feci. Fides autẽ quando in proprio ſuo officio eſt, nullum prorſus aliud obiectum habet, quàm Ieſum Chriſtum filium Dei, traditum pro peccatis totius mũdi. Non reſpicit charitatem, nõ dicit, quid feci? Quid peccaui? quid meruí? Sed quid fecit Chriſtus? quid ille meruit? Ibi veritas Euangelij dicit: Redemit te à peccato, Diabolo, morte æterna. Agnoſcit igitur Fides, ſe in iſta perſona Ieſu Chriſto, habere remiſsionem peccatorum & vitam æternam. Qui hoc obiecto excidit, non habet veram fidem, ſed fucum & opinionem, & vertit oculos à promiſsione ad legem, quæ perterrefacit & in deſperationem adigit.

Quare, quæ Sophiſtæ docuerunt de fide iuſtificante, ſi ſit charitate formata, mera verborum portenta ſunt. Ea enim fides, quæ apprehendit Chriſtum filium Dei & eo ornatur, nõ quę includit charitatem, iuſtificat. Nam fidem, ſi certa & firma eſſe debet, nihil apprehẽdere oportet, quàm ſolum Chriſtum, neq; alia re, in lucta, & terroribus conſcientiæ, niti poteſt, quàm iſto vnione. Quare qui Chriſtũ fide apprehẽdit, quantumuis lege perterrefiat, & mole peccatorum grauetur, tamen gloriari poteſt ſe iuſtũ eſſe. Quomodo, aut per quid? per gẽmam Chriſtum, quẽ fide poſsidet. Hoc aduerſarij nõ intelligunt, ideo abijciũt gemmam Chriſtum, & in locum eius, reponũt charitatẽ, quam dicunt gemmam eſſe. Cùm autem ignorent quid Fides ſit, impoſsibile eſt eos habere fidem, multò minus poſſunt eam docere alios. Quod autem habent ſomnium opinio & ratio naturalis, non fides eſt.

DE FORMA SEV PROPRIETATIBVS FIDEI.

Iuſticia Chriſtiana conſtat fide cordis & imputatione Dei. To. 4. Ienenſ. fol. 73 Galat. Cap. 3. Et reputatũ eſt illi ad iuſticiã. Genſ. 15. Hanc particulã nõ fruſtrà addit. Iuſticia enim Chriſtiana duabus rebus conſtat, ſcilicet, fide cordis & imputatiõe Dei. Fides eſt quidem iuſticia formalis & tamen non eſt ſatis. Quia poſt fidem hærent adhuc reliquiæ peccati in carne. Sacrificium illud fidei cœpit in Abraham, ſed in morte tandem conſummatur. Ideoq; neceſſe eſt accedere alteram partem iuſticię, quę eam perficit, ſcilicet imputationem diuinam. Fides non dat Deo formaliter ſatis, quia eſt imperfecta, imò vix ſcintilla fidei eſt in nobis, quę incipit Deo tribuere diuinitatem. Primitias ſpiritus accepimus, nondum decimas. Deinde ratio tota non occiditur in hac vita. Quod hinc apparet: Quia in nobis reliqua eſt adhuc concupiſcentia, ira, impatientia, & alij fructus carnis ac infidelitatis. Item perfectiores etiam ſancti, non habent plenum & perpetuum gaudium in Deo, ſed variè affecti ſunt, iam triſtes, iam læti, vt de Prophetis & Apoſtolis ſcriptura teſtatur, ſed talia errata non imputantur eis, propter fidem in Chriſtum, alioqui nemo ſaluus fieret. Concludimus ergo ex his verbis, Et imputatum eſt illi ad iuſticiã, Iuſticiam quidẽ incipere per fidem ac per eã nos habere primitias ſpiritus, ſed quia Fides infirma eſt, eam non perfici ſine imputatione Dei. Quare fides iuſticiam incipit, imputatio perficit vſq; ad diem Chriſti. Diſputant & Sophiſtę de imputatione, cùm de acceptatione operis loquuntur, ſed extra & contra ſcripturam, quia eam trahunt tantùm ad opera. Non conſiderant immũdiciem & internas peſtes cordis, Incredulitatem, dubitationem, contemtum & odium Dei, quę capitales beſtię, fontes & cauſę ſunt omnium malorum. Sola externa & craſſa illa vicia & iniuſticias, quę riuuli ſunt, procedentes ex illis fontibus, conſiderant. Hinc tribuunt acceptationem operibus, Quòd videlicet Deus, acceptet opera non quidem ex debito, ſed ex congruo. Contrà nos excluſis omnibus operibus, rem

gerimus

gerimus cum capitibus huius bestiæ, quæ vocatur Ratio, quæ est fons omnium malorum. Quia ratio non timet, non diligit Deum, non confidit Deo, sed securè contemnit eum, neque minis neq; promissionibus eius mouetur, non delectatur ipsius verbis & factis, sed contra Deum murmurat, irascitur ei, iudicat & odit Deũ. In summa, inimica est Dei, Roman. 8. non tribuens ei gloriam. Hac peste (ratione) occisa nihil essent externa & crassa peccata.

Quare, primùm omnium hoc agendum est, vt per fidem occidamus incredulitatem, contemptum, odium Dei, murmurationem contra iudicium, iram, omnia verba & facta Dei: Tum occidimus rationem. Neq; enim alia re potest occidi, quàm per fidem, quæ credens Deo tribuit illi gloriam, non obstante quod loquatur, quæ ratio ni stulta, absurda & impossibilia videntur, neque obstante quod se depingat Deus, aliter quàm ratio vel iudicare vel capere possit, nempe sic. Non propter obseruationem legis, opera, aut merita tua, sed propter fidem in Iesum Christum filium vnigenitum meũ, natum, passum, crucifixum & mortuum pro peccatis tuis, acceptabo & pronunciabo te iustum. Et quod reliquum in te est peccati, non imputabo tibi. Nisi igitur ratio mactetur, & vniuersæ religiones & cultus sub cœlo ab hominibus excogitati, ad parandam iustitiam coram Deo, damnentur, iustitia Fidei non habet locum. Hoc audiens ratio, statim offenditur, insanit & ostendit inimicitiam suam aduersus Deum, dicens. Ergo bona opera nihil sunt? Ergo frustra laboraui & portaui põdus diei & æstum? Hinc ille tumultus gẽtiũ populorũ, Regum & principum aduersus Dominum & Christum eius. Mundus non vult neque potest ferre, sapientiam, iustitiam, religiones & cultus suos, argui & damnari. Papa cum suis non vult videri errasse, multò minus patitur se damnari, &c.

Discant igitur studiosi sacrarum literarum ex hoc dicto, credidit Abrahã Deo, & imputatum est illi ad iustitiam, Christianam iustitiam propriè ac desertè sic definire, Quod sit fiducia in filium Dei, seu fiducia cordis per Christum in Deum. Deinde addant hanc particulam tanquam differentiam: Quæ fiducia imputatur ad iustitiam propter Christum. Nam (vt dixi) ista duo, perficiunt iustitiam Christianam, scilicet fides in corde, quę est donum diuinitùs datũ, & formaliter credit in Christũ. Deinde quòd Deus reputat istam imperfectã fidem ad iustitiam perfectã, propter Christũ, in quem cœpi credere. Propter hanc fidem in Christum, non videt Deus dubitationem de voluntate eius erga me, diffidentiam, tristitiam spiritus, & alia peccata quæ adhuc habeo. Donec enim viuo in carne, verè peccatum est in me. Quia verò sub vmbra alarũ Christi, velut pullus sub alis gallinę, protegor, & securus ago sub latissimo cœlo remissionis peccatorum, quod supra me obductum est, tegit & cõdonat Deus reliquum peccati in me, hoc est, propter fidem, qua cœpi apprehendere Christum, reputat iustitiam imperfectam pro iustitia perfecta, & peccatum pro non peccato, quod tamen verè peccatum est.

Sic viuimus sub velamine carnis Christi, qui est columna nostra, nubis per diẽ, & ignis per noctem, ne Deus videat peccatum nostrum. Et quanquam nos illud videamus, & propter illud terrores conscientiæ sentiamus, tamen recurrentes ad Christũ mediatorem & propitiatorem nostrum, per quẽ consummati sumus, seruamur. In eo enim vt sunt omnia, ita per eundem habemus omnia, qui & omnia in nobis supplet. Hoc nobis credentibus, conniuet Deus ad reliquias peccati, in carne nostra adhuc hærẽtes, & vult esse tectas quasi nullæ essent. Quia inquit, credis in filiũ meum, etiãsi habes peccata, tamẽ debent esse remissa, donec ab ipsis penitus absoluaris per mortẽ.

Locum hunc de Iustitia Christiana, quem Sophistæ non intelligunt, nec intelligere possunt, Christiani summa diligentia discant intelligere, Non autem cogitent se semel hunc posse perdiscere. Quare operã dent, vt Paulum sępe & summa diligentia legant, relegant, & prima cum postremis, imò Paulum totũ cum seipso conferãt, tum inuo-

tum inueniẽt rem sic sẽ habere, quod istis duob. constat iustitia Christiana, Fide, quę gloriam tribuit Deo, & imputatiõe Dei. Fides enim, vt dixi, infirma est, ideo oportet imputationem Dei accedere, quod Deus nolit reliquum peccati imputare, nolit illud punire, aut propter illud nos damnare, sed tegere & ignoscere,, tanquam nihil esset, non propter nos, nostram dignitatem vel opera, sed propter ipsum Christum in quem credimus.

Sic homo Christianus simul iustus & peccator, amicus & hostis Dei est. Hæc contraria nulli Sophistæ admittunt. Quia veram rationem iustificandi non tenent. Hinc est quod coegerunt homines, tam diu benè operari, donec nullum planè peccatum sentirent. Et hac re dederunt multis occasionem, qui cùm conarentur totis viribus hoc efficere, vt toti essent iusti formaliter, nec tamen possent cõsequi, vt verterẽtur in insaniam. Et innumerabiles ex illis ipsis etiam qui huius impij dogmatis autores fuerunt, in articulo mortis adacti sunt in desperationem. Id quod & mihi accidisset, nisi Christus clementer me respexisset, & ex isto errore liberasset.

Nos contrà hoc modo docemus, & consolamur afflictum peccatorem, Impossibile est frater te sic fieri iustum in hac vita, vt nullum planè peccatum sentias, vtque corpus tuum sit lucidum, sine maculis velut sol, sed habes adhuc rugas & maculas, & tamen sanctus es. At ais, qui possum esse sanctus, cùm habeam & sentiam peccatum? Quòd sentis & agnoscis peccatum, bonum est, gratias age Deo, ne despera. Est gradus ad sanitatem, cùm ægrotus agnoscit & fatetur morbum suum. Sed quo modo liberabor à peccato? Accurre ad Christum medicum, qui sanat contritos corde & saluat peccatores.

Ne sequaris iudicium rationis, quæ dictat eum irasci peccatoribus. Sed mactata ratione, crede in eum. Si credis, es iustus, quia tribuis ei gloriam, quòd sit omnipotens, misericors, verax, &c. iustificas & laudas Deum, summa, tribuis ei diuinitatem & omnia. Quod reliquum in te peccati est non imputatur, sed condonatur tibi propter Christum, in quem credis, qui est perfectè iustus formaliter, cuius iustitia, est tua, peccatum tuum, est suum.

Ex his videmus vnumquemque Christianum esse verum sacerdotem. Quia primùm offert & mactat suam rationem & sensum carnis. Deinde tribuit Deo gloriã, quòd sit iustus, verax, patiens, miserator & misericors. Hocque est iuge illud sacrificium vespertinum & matutinum in nouo testamento. Vespertinum, mortificare rationem, Matutinum, glorificare Deum. Sic Christianus quotidie & perpetuò versatur in illo duplici sacrificio & vsu eius. Et nemo satis prædicare potest precium & dignitatem sacrificij Christiani. Est itaque, vt diximus, Christiana iustitia imputatio diuina pro iustitia vel ad iustitiam, propter fidem in Christum, vel propter Christum. Hanc miram & incognitam rationi definitionem, cùm audiunt Sophistæ, ridենt, quia imaginantur iustitiam esse qualitatem, primò infusam, deinde in membra diffusam. Non possunt exuere cogitationes rationis, quæ dictat iudicium rectũ & voluntatẽ recta esse iustitiã. ideo donũ illud inenarrabile excellit omnẽ rationẽ, quod Deus reputet & agnoscat, sine vllis operibus illũ iustum, qui solùm fide apprehendit filium suum, missum in mundum, natũ, passum, crucifixum, &c. pro nobis.

Res quantum ad verba attinet, facilis est, scilicet iustitiam non esse formaliter in nobis, vt Aristoteles disputat, sed extra nos, in sola gratia & reputatione Diuina. Et nihil formæ seu iustitiæ in nobis esse, præter illam imbecillem Fidem, seu primitias fidei, quod cœpimus apprehendere Christum, interim tamen verè peccatum in nobis manere. Res tamen non est ludicra, sed seria & maxima. Quia Christus qui nobis datur, & quem fide apprehendimus, non fecit aliquid exile pro nobis, neque lusit, sed vt suprà dixit Paulus, dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. Factus est pro nobis maledictum, &c. Non est autem speculatio inanis, tradi Christum

Christum pro peccatis meis, & fieri maledictum pro me, vt eripiar ex morte æterna. Itaque, apprehendere illum filium & corde in illum credere (quod donum Dei est) facit, quod Deus reputet illam fidem, licet imperfectam, pro iustitia perfecta. Et hic in alio prorsus mundo extra rationem sumus, vbi non disputatur, quid nos facere debeamus, quo genere operum Gratiam & remissionem peccatorum mereamur. Sed hic sumus in diuina Theologia, vbi audimus hoc Euangelium, quòd Christus pro nobis mortuus sit, quòdque, hoc credentes, reputemur iusti, manentibus nihilominus in nobis peccatis & quidem grandibus.

Sic & Christus in Iohanne definit Iustitiam Fidei. Ipse pater, inquit, amat vos. Quare amat? Non quia fuistis Pharisæi, in iustitiam legis imprehensibiles, circumcisi, bene operantes, ieiunantes, &c. sed quia ego vos elegi de mundo, nihilque fecistis, nisi quod me amastis, & credidistis quòd à patre exiui. Placuit vobis hoc obiectum (ego) missum à patre in mundum. Et quia hoc obiectum apprehendistis, ideo amat vos pater & placetis ei. Et tamen alibi vocat eos malos, & iubet petere remissionem peccatorum: Ista ex diametro pugnant, Christianum esse iustum & amari à Deo, & tamen simul esse peccatorem. Deus enim non potest negare suam naturam, hoc est, non potest non odisse peccatum & peccatores, hocque necessario facit. Nam alioqui iniustus esset, & amaret peccatum. Quomodo igitur simul vera sunt ista duo contradictoria, habeo peccatum, & sum dignissimus ira & odio diuino, & pater amat me? Hîc nihil omnino intercedit nisi mediator Christus. Pater, inquit, non ideo amat vos, quia digni estis amore, sed quia amastis me, & credidistis, quòd à deo exiui. Sic Christianus manet in pura humilitate, sentiens reuera peccatum, & propter hoc, agnoscens se dignum ira, iudicio Dei, & morte æterna, vt humilietur in hac vita. Manet tamen simul & in pura & sancta superbia, qua sese vertit ad Christum, & per eum sese erigit, contra hunc sensum nõ imputari sibi reliquias peccati, sed etiam se amari à patre, non propter se, sed amatum Christum.

Ex his nunc constat quomodo fides sine operibus iustificet, & quomodo tamen necessaria sit imputatio iustitiæ. Peccata in nobis manent, quæ Deus maximè odit. Ideo propter illa oportet nos habere imputationem iustitiæ, quæ nobis contingit propter Christum, qui nobis datus, & à nobis fide apprehensus est. Interim ergo dum nec viuimus, portamur & fouemur in gremio misericordię & tolerantiæ diuinę, & nec aboleatur corpus peccati, & resuscitemur noui in die illa. Tunc erunt cœli noui & terra noua, in quibus iustitia habitabit: sub hoc interim cœlo peccatum & impij habitant, & pij peccatum habent. Hinc est, quod Paulus Roman. 7. conqueritur de peccato, quod in sanctis reliquum est. Et tamen Cap. 8. dicit, Nihil damnationis esse his, qui sunt in Christo Iesu. Quis concíliat illa summè pugnantia? Quòd peccatum in nobis non sit peccans, quod damnabilis non sit damnandus, quòd reiectus non sit reijciendus, quod dignus ira & morte æterna, non sit daturus pœnas? Vnicus mediator Dei & hominum Iesus Christus, vt Paulus ait: nihil Damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu.

FIDES CVR IVSTIFICET,

Tom. 4. Ienens. fol. 44. Galat. Cap. 2. Iustificat ergo Fides, quia apprehendit & possidet istum thæsaurum, scilicet, Christum presentem. Et in Genes. Cap. 4. Tom. 1. fol. 75. Neque enim Fides tanquam opus iustificat, sed ideo iustificat, quia apprehendit misericordiam in Christo exhibitam. In hac fiducia misericordiæ Dei, incedit vera Ecclesia, cum humili confessione peccatorum & indignitatis, quæ sperat Deum condonaturum per Christum.

Opera autem quæ sequuntur, sunt ceu testimonia huius fidei & placent Deo, nõ propter se simpliciter, sed propter fidem, seu propter personam credentem.

Et Genes.

Et Genes. cap. 15. fol. 57. Tom. 2. Apprehensio promissionis certa locatur fides, & iustificat non tanquam opus nostrum, sed tanquam Dei opus: Promissio enim est donatio, est cogitatio diuina, qua Deus nobis aliquid offert, non est nostrum aliquod opus, cùm nos Deo facimus aut damus aliquid, sed accipimus à Deo, idq; tantùm per ipsius misericordiam.

Qui igitur promittenti Deo credit, qui sentit eum esse veracem, & esse præstiturum quicquid promiserit, hic est iustus seu reputatur iustus. Postea est lex quoq;. Deus enim non solùm promittit, sed etiam iubet & mandat. Ad legem autem pertinet, vt accommodes voluntatem tuam, & iubenti Deo pareas seu obtemperes.

An non dices autem hanc peruersitatem insignem, statuere quod promissio & lex idem sit? Si autem distincta sunt & sola fides promissionem amplectitur: Opera autem legi seruiunt, quæ insania est fingere fidem informem, & dicere quod fides formata charitate iustificet? Cur non vtrunq; relinquis intra suos certos limites?

Profectò fides aliud nihil est, nec aliud potest, quàm assentiri promissioni. Si autem hic assensus reputatur pro iusticia, cur insane Sophista asseris, dilectionem, spem, & alias virtutes? Scio has esse insignia Dei dona, diuinitus mandata, per Spiritum Sanctum in nostris cordibus excitari & ali, scio fidem sine his donis existere, sed nunc nobis quæstio est, quid cuiusq; proprium sit.

Tenes manu varia semina, non autem quæro ego quæ cum quibus coniuncta sint, sed quæ cuiusq; propria virtus. Hic apertè dic, quid facit sola fides, non cum quibus virtutibus coniuncta sit. Sola autem fides apprehendit promissionem, credit promittenti Deo, Deo porrigente aliquid, admouet manum, & id accipit. Hoc proprium solius fidei opus est charitas, spes, patientia, habent alias materias circa quas versantur, habent alios limites intra quos consistunt. Non enim amplectuntur promissionem, sed mandata exequuntur. Audiunt Deum mandantem & iubentem, non audiunt Deum promittentem, id fides facit.

Scripturæ autem testimonium hic clarum & indubitatum est, quod fidei imputatur iusticia, hoc est, quod Deo credens Abraham, reputatur à Deo iustus. Hoc non pronunciat scriptura de operibus, sic ex fontibus hæc erant iudicanda, non ex stultis Sophistarum opinionibus, qui cogitant sic: Ecce non satis est si credas, oportet etiam vt benè operaris, quasi verò nos statuamus Deum tantùm promittere, non etiam legem dare & imponere certa officia. Sed cùm Deus promittit, ibi ipse Deus nobiscum agit, nobis aliquid dat & offert. Cùm autem per legem iubet, requirit aliquid à nobis, & vult vt nos aliquid faciamus.

Retinenda igitur distinctio hæc est, quòd fides, quæ agit cum Deo promittente, & eius promissionem accipit, hæc sola iustificat. Charitas autem, quæ agit cum Deo iubente & mandante, ea mandata exequitur & paret Deo. Sicut autem promissio & lex, sicut fides & charitas, sic finis fidei & charitatis est distinguendus, & pestilens illa glosa explodenda, de fide formata charitate, quæ charitati tribuit omnia, fidei adimit omnia.

Attendendum autem scripturæ sanctæ est, quæ abundè testatur, quod nemo possit satisfacere legi. Exigit lex vt diligas Deum ex toto corde tuo & proximum sicut teipsum. Sed quis quæso est, qui hoc faciat? Nam etiam Sanctorum dilectio imperfecta est, & sæpe turbatur metu, sæpe diffidentia, sæpe impatientia in aduersis. Vbi igitur manet tum fides formata charitate? Si enim te Deus non habiturus est pro iusto, nisi dilexeris eum ex toto corde, & præstiteris legem, nunquam iustificaberis. Disce igitur iusticiam tribuere, non tuæ delectioni, non tuis operibus & meritis. Hæc enim semper contaminata, imperfecta & polluta sunt, ideo requirunt confessionem indignitatis, & humiliationem cum deprecatione

veniæ, sed soli misericordiæ, soli promissioni de Christo, quam fides accipit, & ea in iudicio Dei contra conscientiam tuetur ac defendit.

Hæc est sana & vera doctrina, contrà, illa Sophistica doctrina de fide informi & formata, est ex diabolo & extinguit fidei doctrinam, nosq; inuoluit in Turcicos & Iudaicos errores. Abijciamus igitur eam tanquam pestem infernalem, sciamus quidem, quod fides nunquam est sola, sed affert secum charitatem & alia multiplicia dona. Qui enim in Deum credit, & certus est quod faueat nobis, siquidem & Filium dedit, & cum Filio spem æternæ vitæ, quomodo hic non amaret ex toto corde Deum, quomodo eum non reuereretur? Quomodo non studeret declarare pro tantis beneficijs, gratum animum? Quomodo non probaret Deo obedientiam in aduersis perferendis? Sic fides chorum pulcherrimarum uirtutum secum ducit, neq; unquam sola est, sed non ideo confundendæ res, & quod sibius fidei est alijs uirtutibus tribuendũ. Fides ceu mater est, ex qua soboles illa uirtutum nascitur, hæc nisi prima adsit, frustra quæres illas. Hæc nisi amplexa fuerit promissiones de Christo, non charitas, non aliæ uirtutes aderunt, & si earum quasi simulachra hypocritæ pingant ad tempus.

Discernenda igitur est promissio à lege. Promissio requirit fidem, lex opera. Promissio certa & firma est, ac certò fit, quia Deus eam facit. Lex autem non fit, quia nos, qui eam facimus, sumus homines, hoc est, infirmi peccatores.

Iusticia igitur nostra, non stat in lege & operibus, quia legem non possumus perfectè facere, sed in promissione, quæ firma & immutabilis est. Itaq; cùm eam apprehendit fides, certò fit, & impletur ac sequitur infallibili consequentia, quia sola fides promissionem amplectitur, quòd sola fides iustificat.

Lex & opera non iustificant, & tamen lex docenda, ac opera docenda ac facienda sunt, ut intelligamus nostram miseriam & tantò auidius amplectamur gratiam.

Hæc Theologia non, ut blasphemi Papistæ clamant, nobiscum nata, aut à nobis excogitata aut iuuenta est. Tradit eam D. Paulus, & citat eius testem Moysen, qui dicit Abrahamum credidisse Deo, & hoc ei reputatum ad iusticiam, hoc est, reputatum Abrahamum iustum, miserente Deo, cùm crederet promissioni. Porrò omnis promissio Dei includit Christum, si enim absq; hoc mediatore sit, Deus nihil nobiscum agit. Differentia igitur fidei Abrahæ & nostra nulla alia est, nisi quòd Abraham credidit in Christum exhibendum, nos credimus in exhibitum iam, & illa fide iustificamur omnes.

QVOD SOLA FIDES IVSTIFICET.

Tom. 4. Ienens. fol. 47. Galat. 2. Hęc uera est ratio Christianissimi, scilicet credere in Christum, non operibus legis nos iustificari. Hic nihil te moueat impia glosa Sophistarum, qui dicunt, fidem tum demum iustificare, si accesserit charitas & bona opera. Ista pestilenti glosa hanc & similes sententias in Paulo, quibus disertè tribuit iustificationem fidei, obscurarunt & deprauarunt Sophistæ. Cùm autem homo audit, quòd debeat quidem credere in Christum, fidem tamen non iustificare, nisi accesserit illa forma, scilicet charitas, tum statim à fide deficit & cogitat, si fides sine charitate non iustificat, ergo fides ociosa & inutilis, & charitas sola iustificat. Quia, nisi fides sit formata & ornata charitate, nihil est.

Et pro hac sua pernicioſa & pestilente glosa comprobanda, allegant aduersarij locum 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum & charitatem autem non habuero, nihil sum. Hic locus est murus ipsorum aheneus, sed homines sine mente sunt, ideo nihil intelligunt nec uident in Paulo. Eaq; falsa interpretatione

pretatione non solũm fecerunt iniuriam uerbis Pauli, sed etiam negauerunt Christum, & omnia eius beneficia obruerunt. Ideo uitanda est, ut uenenum infernale, concludendumq; cum Paulo, Sola fide, non fide formata charitate nos iustificari. Quare non isti formæ gratificanti tribuenda est uis iustificandi, sed fidei quæ apprehendit & possidet in corde ipsum Christum saluatorem. Hæc fides sine & ante charitatem iustificat.

Concedimus docendum quoq; esse, de bonis operibus & charitate. Sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de operibus extra hunc capitalem articulum. Hic autem status causæ est, per quid iustificemur & uitam æternam consequamur? Hic respondemus cum Paulo, *Sola fide in Christum nos* pronuncari iustos, non operibus legis aut charitate. Non quod opera aut charitatem reiiciamus, ut aduersarij nos accusant, sed ex statu præsentis causæ, non sinemus nos dimoueri id, quod Sathan quærit. Cũm igitur iam uersemur in loco communi de iustificatione, & reiicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam admittit disputationem de bonis operibus. Abscindimus igitur in hoc proposito simpliciter omnes leges & omnia opera legis.

At lex bona, iusta & sancta est, benè, sed cũm uersamur in disputatione de iustificatione, non est locus iam dicendi de lege, sed quæstio est, quid Christus sit, quid beneficij nobis attulerit? Christus autem non est lex, non est opus meum, aut legis, non est charitas mea aut legis, non est castitas, obedientia aut paupertas mea, sed Dominus uitæ & mortis, mediator & saluator peccatorum, Redemptor eorum qui sunt sub lege. In illo sumus per fidem, & ipse in nobis. Iohan. 6. Oportet hunc sponsum esse solum cum sponsa in conclaui, amotis omnibus ministris & tota familia. Postea uerò cũm aperit ostium & egreditur, accurrant serui & ancillæ, ministrent, offerant cibum & potum. Ibi tum incipiant opera & charitas.

Vt igitur rectè definiamus Christum, debemus diligenter discernere omnes leges etiam diuinas, & omnia opera à promissione Euangelij & fide. Christus autem non est lex, ergo nec exactor legis nec operum, sed est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Hoc sola fides* apprehendit non charitas, quæ quidem fidem sequitur, non debet, sed ut gratitudo quædam. Quare uictoria peccati & mortis, salus & uita æterna non contingunt per legem, non per opera legis, non per uires liberi arbitrij, aut nostram uoluntatem sed per solum Iesum Christum. Ergo sola fides hoc apprehendens, iustificat. A sufficienti diuisione & inductione. Victoria peccati & mortis est in solo Iesu Christo, Ergo non est in operibus legis, nec in uoluntate nostra &c. Ibi libenter patiemur nos uocari *Solarios* ab aduersarijs, qui de hac Pauli Disputatione nihil intelligunt.

Item fol. 108. Tom 4. Ienens. Galat. cap. 3. Ergo illa propositio *Sola fides iustificat*, uera est, quam aduersarij nullo modo ferre possunt. Quia Paulus hic fortissimè concludit, quòd lex non uiuificat, quia in hunc finem non est data. Si igitur ipsa non iustificat & uiuificat, multò minus opera iustificant. Hoc enim uult Paulus inferre cum dicit, Legem non uiuificare, quòd scilicet nec opera uiuificent. Quia fortius sonat, lex non uiuificat, quàm opera non uiuificant. Si ergo lex ipsa etiam impleta (quanquam impleri eam sit impossibile) non iustificat, multò minus ipsa opera. *Ergo sola fides* sine operibus iustificat, Non patitur Paulus istam additionem, fides cum operibus iustificat, sed simpliciter per negatiuam procedit Roman. 3. & supra cap. 2. Ex operibus legis inquit, non iustificatur omnis caro. Et hoc loco, Non est data lex ad uiuificandum.

Item, Galat. cap. 4. fol. 120. Ista quoq; huc pertinent, *Quod sola fide* iustificemur, Quia cum hoc duellum gestum est inter legem & Christum, nulla prorsus opera aut merita nostra interuenerunt, sed solus Christus ibi fuit, qui induta persona

noſtra, ſubiecit ſe legi, & ſumma innocentia ſuſtinuit omnem eius tyrannidem. Ideo lex tanquam latro & ſacrilegus, homicida Filij Dei, amittit ius & meretur damnari, ut ubicunq; eſt, uel ſaltem nominatur Chriſtus, procul diſcedere & fugere hoc nomen ut Diabolus crucem, cogatur. Quare credentes liberi ſumus à lege per Chriſtum, qui de ea triumphauit per ſemetipſum. Itaq; hic glorioſus triumphus per Chriſtum nobis partus, nullis operibus, ſed ſola fide apprehenditur, Ergo ſola fides iuſtificat. Plura teſtimonia de hac ſententia ſuprà commemorata ſunt.

DE VOCE SOLA.

Tom. 2. Ienenſ. fol. 600. Aduerſus Cocleum. Primùm ego conatus ſum reddere quàm potui clariſsimè uim Paulinæ ſententiæ, quam Sophiſtæ diuturno & ſcrilego uerborum abuſu penitus obſcurarunt. Nam ubi ad Romanos de fide & operibus diſputat aduerſus iuſticiam operum, certè id uehementiſsimè urget, ut iuſtificationem operibus in totum adimat & ſoli fidei tribuat. Hæc enim ſunt uerba eius: Ex operibus legis nemo iuſtificatur. Et iterum, Omnes peccauerunt & uacui ſunt gloria Dei, gratis autem iuſtificantur per fidem, &c. Et Rom. 14. Peccatum eſt quicquid non ex fide eſt.

Denicq; hæc confirmat potentiſsimo exemplo Abrahæ, qui iuſtificatus eſt, non ex Circumciſione, quod erat optimum & egregium opus diuinitùs mandatum, & omni obedientia perfectum, ſed fide ante Circumciſionem, Negatq; eum habere gloriam coram Deo, ſi ullis operibus ſit iuſtificatus, ſcripturam uerò dicere, Fides eſſe iuſtificatum &c. Hæc certè ſunt fulmina diuinæ autoritatis.

Tu nunc uide, an non Paulus uehementius aſſerat ſola Fide nos iuſtificari, quàm ego, licet uocabulo, Sola, non utatur, quo ego ſum uſus. Nam dicere, Opera non iuſtificant, ſed fides iuſtificat, certè robuſtius affirmat ſolam fidem iuſtificare, quàm ſi dixeris: Sola fides iuſtificat, niſi quòd hoc clarius ſonat quàm illud, dum per impios Sophiſtas, Pauli tum, phraſis tum, ſententia neglecta perit.

PHRASIS (SOLA FIDES) QVID SIGNIFICET.

Tom. 1. Ienenſ. fol. 565. in diſput. de dicto ad Ebre. cap. 13 18. Fruſtra credunt Papiſtæ & Sophiſtæ Deum Patrem & omnes articulos fidei noſtræ, dum reſpuunt opus Chriſti pro nobis impletum.

19. *Negant enim ſola fide, ſeu quod idem eſt, ſolius Chriſti opere impleto, nos iuſtificari.*

20. Sola enim fide in Chriſtum, olim promiſſum, nunc exhibitum, tota Eccleſia ab initio mundi, usq; in finem iuſtificatur.

21. Sic ſola Fide, ut neq; ratio, neq; lex, neq; plenitudo ipſa legis, quæ dicitur charitas, quidquam faciant ad iuſtificationem.

22. Fides enim ante ſpem & charitatem, ſola accipit remiſsionem peccatorum, propter ſolum Chriſtum, facitq; per eundem perſonam gratam, ante & abſq; charitatis merito.

Fides debet hærere in ſolo puro uerbo. Tom. 3. Ienenſ. fol. 379. Ieſaiæ cap. 37. Hæc autem fidei natura eſt, ut ſimpliciter omnes ſenſus exuat, & in nudum uerbum ſe reijciat. Alia enim res aduerſatur oculis, & aliud audiunt aures. Si res conſiderates, omnia diuerſa ſunt à uerbo. Fides igitur eſt certitudo certiſsima, quæ apprehendit uerbum & in uerbo hæret, non conſiderata externa facie rerum. Sic in tentationibus peccati, nos de peccato accuſat, non ſolùm conſcientia, ſed quoq; ſigna, lapides, domus & omnes creaturæ, in medio tamen iſtarum rerum uenit unicum

unicum uerbum & dicit, Confide. Hoc uerbum apprehendit fides, contra conscientiam, Sathanam, infernum, & mortem uincit.

Sunt igitur insignes huiusmodi loci de fidei natura, quòd fides sit certitudo animi, hærens in solo puro uerbo, sine ista re, quam significat uerbum. Imò cum omnia sunt contraria uerbo. Quare rectissimè feceris in tentatione, si quàm longissimè ex oculis & animo externam rerum faciem remoueris. Creduntur enim ea, quæ non sunt, & postquam credita fuerint, certò implentur.

Fides uersatur circa inuisibilia, dilata, contraria. Genes. Tom. 3. fol. 1. cap. 25. Fides primùm rapit nos in inuisibilia, quando proponit ea amplectenda, quæ non apparent oculis, idq; aliquo modo ferre & sustinere possumus. Sed animus non solùm ducitur in inuisibile, sed etiam suspenditur, & differtur in longum. Sicut Abraham supra uiginti quinq; annos expectauit, antequam nasceretur ei filius. Isaac uiginti annos sobole caret. Tertium uerò & longè grauissimum illud est, quando moram & dilationem temporis sequitur etiam dispositio in contrarium, ibi tum, qui perdurare & expectare potest, sperare dilata, amare contraria, is tandem experietur Deum ueracem esse & seruare promissa.

Verùm hæc nec carnis nec rationis humanæ opera sunt, neq; Monachorum & hypocritarum, quibus omnis mora nimis longa & molesta est. Statim enim quod petunt, auferre cupiunt, nec fident Deo nisi de præsentibus, non de ijs quorum expectatio adhuc suspensa est. Sed uult Deus inuisibilia & contraria esse quæ promittit, ut tentemur & exerceamur ac discamus uerum & Deo gratissimum cultum esse expectationem. Hinc in Psalmis tam frequentes sunt admonitiones, illæ: Expecta Dominum, uiriliter age &c. Et Prophetæ idem assiduò inculcant: Expectate, credite. Sed ridentur hæc à Prophanis, sicut recitantur eorum subsannationes Iesaiæ 28. Manda, remanda, expecta, modicum hic, modicum ibi. Sic enim deridebant doctrinam & consolationes de fide & patientia, tanquam uanas & incertas. Atqui certùm est uerè & præsenter iam tum id paratum & in promptu esse quod petitur aut promittitur, cùm incipimus orare & confidere, iuxta sententiam: Et erit antequam clament, aut uocem emittant, exaudiam, adhuc illis loquentibus adsum ego & audiam. Id profectò certissimum est & uerissimum. Sed animus humanus quando est in tentatione & periculo, difficulter hac consolatione acquiescit. Sic enim perpetuò angi & queri solet: Quid fiet? Quando fiet? Vbi fiet? Respondeo igitur, expecta expecta. Quod si longius differtur & rursus quærit quando tandem futurum sit, non habeo aliud quod consulam inquies, quàm ut feras & expectes amplius, annum unum, duos, tres. Veniens ueniet & non tardabit.

Verum id enim est & usitatum Deo, ut tardet, ut differat & protrahat auxilium in longum, sed ita, ut ueniat in necessitate & ueniat subitò. Sicut in mirranda liberatione & eductione populi Irael ex Aegypto apparet. Expectauerat populus longo tempore, graui seruitute oppressus, tardante Domino. Sed postquam in extremum discrimen uitæ & mortis adductus est, ac utrinq; præsentissimum exitium ostenditur, Ibi dicit ad Mosen Dominus: Quare sic clamas? Et repentè liberatio & magnalia Domini exhibentur. Sed quando non exigit necessitas summa, & inextricabilis humanis consilijs difficultas, tum differt opus & auxilium suum.

Hæc exempla nobilissima proponuntur nobis in Sanctis uiris, ut discamus cultum Dei principalem & spiritualem positum esse, non in ædificandis templis, augendis Cæremonijs, quæ omnia sunt puerilia & ludicra, quibus allicit & inuitat nos ad sese Deus, quemadmodum Iudæos uarijs ritibus, & quadam quasi pædagogia exercebat. Sed Patrum cultus est expectatio. Sicut Hiob inquit: Etiamsi occiderit me in eo sperabo. Et Iacob infrà quando pugnat cum Angelo

firmiter & constanti animo retinet promissionem. Sed differtur illa, & variè fides eius concutitur. Attamen is eius animus est: Ego credo quòd uera sit promissio, si non statim impletur, tamen spero, si etiam luctatur mecum, tamen amabo eum. Huiusmodi sacrificia, suauissimum de se odorem præbent in conspectu Dei, & animum hominis tandem perpetua fœlicitate & lætitia exhilarant. Econtrà, qui franguntur desperatione, & deficiunt, seipsos priuant æternitate, sicut inquit Syrach, Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Qui verò perdurat & retinet fiduciam & expectationem, is vincit & triumphat. Sic Noah expectauit centum & viginti annos, & interim sannas & irrisiones impiorum tulit, sed tandem totus mundus submersus est, ipse autem cum domo sua mirabiliter saluatus, & pater iusticiæ factus est.

Natura fidei est luctari cum infirmitate. Genes. Tom. 3. fol. 190. cap. 34. Sed hæc est natura fidei, quando sol lucet, & cœlum est serenum acquiescimus consolationibus propositis & canimus: Te Deum laudamus &c. Benedicam Dominum omni tempore &c. Rursus auertisti faciem tuam & factus sum conturbatus, inquit Psalm. 29. Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem, Hæ uidentur esse voces desperantium sicut dicit: Domine deduxisti ab inferno animam meam, saluasti meâ descendentibus in lacum, Iam actum erat de me.

Ad hunc modum luctatur fides cum infirmitate, cùm Diabolus & Caro dominantur, & apparet ipsi luctanti, non adesse amplius fidem. Sicut queritur hic Iacob: Ego factus sum obominabilis omnibus vicinis, coniectus sum in extremum periculum. Nec aliud sentio quàm interitum. Vbi hic fides & memoria promissionum, cur non illud animum inducit, aduersus Deum præualuisti, quanto magis contra vicinas gentes? Omnia hæc exciderunt. Tentatio absorbet magnificas illas promissiones & victorias gloriosissimas fidei. Et tamen nondum desperat, quanquam desperanti est simillimus. Non diffidit, nec est incredulus, quanquam sic apparet, sed est tentatio: Sicut Paulus de se dicit, Ne simus fidentes, responsum mortis habuimus in nobis. Oportet sanctos sic exerceri, descendere ad infernum & abyssum, atq; inde reuocari in cœlum.

Adhuc enim retinet Iacob linum fumigans in corde suo. Cùm nunciatur Simeon & Leui percussisse & diripuisse totam ciuitatem, non potuit non uehementer commoueri, propter tot homicidia. Ideo fuit haud dubiè infirmitas maxima, querelæ, eiulatus, & clamor ad Deum? & in conclaui solus & cum lachrimis orauit: Domine Deus adiuua me, qui dedisti mihi promissionem, versor enim in summo periculo. Hæc oratio exaudita est, iuxta promissionem, habuit enim Spiritum fidei, siue gratiæ & precum. Ideo rursus oritur ei lucifer & aurora, fides erigitur, & vincit omnia pericula. Tegitur enim peccatum filiorum, & defenditur optimus pater à vicinis, neq; quisquam est, qui se ausit ipsi opponere, &c.

Fides non est lex neq; opus legis. Tom. 4. Ienens. fol. 89. Galat. cap 3. Iusticia fidei est credere, iuxta illud, Iustus ex fide viuit. Ideo lex exigit, ut Deo aliquid præstemus, Fides autem non exigit à nobis opera, aut vt præstemus aliquid Deo, sed ut credentes Deo promissioni, recipiamus ab ipso. Itaq; legis officium est in summo suo gradu, operari, fidei promissionibus assentiri. Quia fides est promissionis fides, opus est legis opus, Remoratur ergo Paulus in uocabulo facere, utq; clarè ostendat, quæ sit iusticia legis, quæ fidei, opponit inter sese promissionem & legem, fidem & opera. Ex lege dicit nihil sequi nisi facere, fidem autem esse omninò contrariam rem, nempe quæ promissioni assentiatur.

Oportet itaq; ista quatuor distincta esse perfectissimè. Nam sicut lex: lex promissio habet suum proprium officium. Ad legem pertinet facere, ad promissionem

sionem credere: Quàm latè ergo lex & promissio, tam latè facere & credere distincta sunt, etiamsi facere Theologicè intelligas. Nam Paulus hic in alio loco uersatur, urget distinctionem inter facere & credere, ut separet charitatem à fide, & declaret Solam fidem sic iustificare, quod lex siue fiat moraliter, siue Theologicè, siue non fiat, prorsus nihil cooperetur ad iustificationem. Quia lex perinet ad facere, Fides autem non est huius generis, sed omninò diuersum quiddam, quod requiritur antequam lex fiat, quo præexistente, tunc fiat pulchra incarnatio. Quare fides perpetuò iustificat & uiuificat, & tamen non manet sola, id est ociosa. Non quod non sola in suo gradu & officio maneat, quia perpetuò sola iustificat, sed incarnatur & fit homo, hoc est, non est & manet ociosa, uel sine charitate, sic Christus secundum diuinitatem est substantia uel natura diuina & æterna sine principio, Humanitas uerò est natura in tempore creata. Hæ duæ naturæ in Christo sunt inconfusæ & impermixtæ, & utriusq; proprium est distinctè intelligendum. Humanitatis est incæpisse in tempore, diuinitatis est esse æternum sine principio. Et tamen conueniunt hæc duo & incorporatur diuinitas sine principio in humanitatem cum principio. Vt ergo distinguere cogor inter humanitatem & diuinitatem & dicere, Humanitas non est diuinitas, & tamen homo est Deus. Ita hic distinguo, fides non est lex & tamen fides operatur. Conueniunt igitur fides & opera in conposito, & tamen utrumq; habet & seruat suam naturam & proprium officium. Habes ergo cur Paulus hunc locum hic alleget, nempe ut fidem longissimè à charitate distinguat.

Pereant itaq; Sophistæ cum sua maledicta glossa & damnetur uox ista, Fides formata, ac dicamus constanter, ista uocabula, fides formata, informis, acquisita &c. Diaboli esse portenta, nata in perniciem doctrinæ & fidei Christianæ, ad blasphemandum & conculcandum Christum & ad statuendam iusticiam operum. Dicamus (inquam) ut retinere possimus fidem ueram & rectam sine operibus. Debent quidem opera fidem sequi, sed fides non debet esse opera, nec opera fides, ne confundantur, sed rectissimè distinguantur utriusq; & legis seu operum & fidei fines & regna.

Itaq; cùm credimus, uiuimus simpliciter fide in Christum, qui est sine peccato, qui denicq; est nostrum operculum, propiciatorium & remissio peccatorum. Contrà, cùm legem facimus, operamur quidem, sed iusticiam & uitam non habemus. Legis enim non est iustificare & uiuificare, sed ostendere peccatum & occidere. Dicit quidem lex, Qui fecerit ea homo uiuet ut eis, sed ubi est qui facit legem, hoc est, qui diligit Deum ex toto corde &c. & proximum sicut seipsum? Ergo nemo facit legem, ut maximè aliquis conetur eam facere, faciendo eam non facit, manet ergo sub maledicto. Fides uerò non facit, sed credit in Christum iustificatorem. Itaq; homo uiuit non propter facere, sed credere, Credens uerò facit legem, quod autem non facit, condonatur per remissionem peccatorum propter Christum, & quod reliquum est peccati, non imputatur ei.

Fides debet crescere in tentationibus. Genes. Tom. 3. fol. 42. cap. 26. Siquidem scio me esse absolutum à peccatis per ministerium uerbi, esse Baptizatum, debeo esse animo excelso & infracto ad omnia pericula, siue corpus siue anima extrema patiatur. Sed non possum hoc credere inquies, & tam fortis esse. Concedo sanè. Caro enim repugnat promissioni, ut de se dicit Paulus Roman. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Vbi loquitur de peccato uniuerso, & corruptione totius naturæ, qua fit, ut non tam constanter resistamus legi membrorum & ad hæreamus legi mentis. Atq; idem omnes pij queruntur, dum uiuunt in hac carne. Habemus quidem hanc sapientiam, ut aliquo modo & teneamus promissiones diuinas, & suspiramus quotidie, ut caro, quæ impedit fidem, redigatur in cinerem. Conandum autem est, ut crescamus in cognitione illa Heroica, donec perfecti fiamus.

Sed sine tentatione nihil discimus, neq; quicquam proficimus. Ea enim militia & exercitatio Christianorum est, qua cognoscimus nos esse sub custodia Angelorum, & quantumuis grauibus & difficilibus tentationibus exerceamur, non tamen nocere eas nobis. Hæc Theologia nostra est, quæ non facilè aut subitò discitur, sed assiduè meditandum est in lege, standum est in acie contra Diabolum, qui conatur nos retrahere à studio uerbi & languefacere fidem nostram.

QVOD SIT DISCRIMEN INTER FIDEM ET SPEM.

Hic quæstio oritur, quid interſit inter fidem & spem. Hac in re ualde sudauerunt Sophistæ, sed nihil certi ostendere potuerunt. Nobis, qui tamen diligentissimè uersamur in sacris literis, & longè maiori (absit uerbo inuidia) spiritu & intelligentia eas tractamus, difficile est aliquod discrimen inuenire. Tantam enim cognationem inter se habent fides & spes, ut hæc & illa diuelli non possit. Et tamen aliquod discrimen inter ipsas est, quod ab officijs, contrarijs & finibus ipsarum sumendum est.

I. *Differunt subiecto*, quia fides est in intellectu, spes in uoluntate. Re tamen separari non possunt, respiciunt enim se mutuo, ut duo Cherubim propiciatorij.

II. *Officio*, quia fides dictat, dirigit & docet, estq; noticia. Spes exhortatio est, quia excitat animum ut sit fortis & erectus, ut audeat, ferat, perduret in malis, ac in illis expectat meliora.

III. *Obiecto*, quia fides habet obiectum Veritatem, cui certò & firmiter docet adhærendum esse, & intuetur in uerbum rei seu promissiones rerum. Spes habet obiectum Bonitatem, & intuetur in rem Verbi, hoc est, in rem promissam seu in res sperandas, quas fides dictauit suscipiendas.

IIII. *Ordine*, quia fides est ante omnem tribulationem, initium uitæ, Ebræ. 11. Spes posterior, ex tribulationibus parta. Rom. 5.

V. *A contrarijs*, Quia fides doctor & iudex est, pugnans contra errores & hæreses, iudicans spiritus & doctrinas. Spes Imperator seu dux belli est, pugnans contra tribulationem, crucem impatientiam, tristitiam, pusillanimitatem, desperationem, blasphemiam, & expectat bona sub malis.

Quando igitur fide in uerbum Dei edoctus, apprehendo Christum, & tota fiducia cordis (quod tamen sine uoluntate fieri non potest) credo in eum, hac noticia iustus sum. Sic fide, seu hac noticia me iustificato, statim uenit Diabolus, mendacij pater, & nititur extinguere fidem dolis, hoc est, mendacio, erroribus & hæresibus. Deinde, quia homicida est, conatur eam etiam ui opprimere. Ibi spes luctans apprehendit rem fide dictatam, fit animosa et uincit Diabolum impugnantem Fidem, quo uicto, sequitur pax & gaudium in Spiritu Sancto. Ita ipsa igitur fides & spes uix discerni possunt, & tamen est aliquod discrimen inter ipsas. Hoc, ut facilius agnosci possit, declarabo rem similitudine. In Politia dicuntur ferunt prudentia & fortitudo, tamen ita coniunctæ sunt hæ uirtutes, ut facilè diuelli non possint. Est autem fortitudo constantia animi, quæ in aduersis non desperat, sed fortiter perdurat, & expectat meliora. Nisi autem fortitudo dirigatur prudentia, temeritas est. Et uicissim, nisi ad prudentiam accesserit fortitudo, prudentia uana & inutilis est. Sicut igitur in Politia, prudentia sine fortitudine uana est, Ita fides in Theologia sine spe nihil est, Quia spes fert & perdurat in malis, ac uincit ea. Et uicissim, sicut fortitudo sine prudentia temeritas est, Ita spes sine fide præsumptio in spiritu & tentatio Dei est. Caret enim noticia uera uel Christi, quam fides docet, ideo cæca & temeraria fortitudo est. Quare primum omnium pius habere debet rectam opinionem & intellectum fidei informatum, secundum quem in afflictionibus regatur animus, ut speret in malis optima, quæ fides dictauit & docuit.

Fides

Fides igitur est dialectica, quæ concipit ideam omnium credendorum. Spes Rhetorica, quæ amplificat, vrget, exhortatur & persuadet ad constantiam, ne fides in tentatione succumbat, sed retineat uerbum, & firmiter illi adhæreat. Sicut autem Dialectica & Rhetorica distinctæ artes sunt, & tamen adeo inter se cognatæ, ut altera ab altera separari non possit (Quia Rhetor sine dialectica nihil firmi docere potest, & econtrà Dialecticus sine Rhetorica non afficit auditores, Vtranq; uerò coniungens docet & persuadet) Ita fides & spes distincti affectus sunt. Fides enim aliud est, quàm spes, & spes aliud, quàm fides, Et tamen propter magnam cognationem, quam habent inter se, diuelli non possunt. Vt igitur Dialectica & Rhetorica mutuas sibi inuicem operas tradunt, Ita fides & spes. Est igitur ea distinctio fidei & spei in Theologia, quæ est intellectus & uoluntatis in Philosophia, Prudentiæ & fortitudinis in Politia, Dialectices & Rhetorices in sermone.

Summa, Fides docendo concipitur, Ibi enim instruitur animus quid ueritas sit, Spes autem exhortando, Quia exhortatione excitatur spes in afflictionibus, quæ confortat iam fide iustificatum, ne cedat malis, sed contrà ardentior eat, sed nisi facula fidei luceret uoluntati, non posset ei persuaderi spes. Habemus igitur fidem, qua docemur, sapimus, intelligimus cœlestem sapientiam, apprehendimus Christum, & manemus in ipsius gratia. Adhærentibus nobis Christo, fide, & eum confitentibus, statim insurgunt contra nos hostes, Mundus, Caro, Diabolus, odientes & persequentes nos acerrimè in corpore & spiritu. Ideo sic credentes, iustificati Spiritu ex fide, expectamus spem iustitiæ nostræ. Expectamus autem per patientiam, quia omnino contrariũ uidemus et sentimus. Mundus enim cum suo principe Diabolo, foris & intus nos omni genere malorum impugnat. Deinde hæret adhuc in nobis peccatum, quod subinde contristat nos. In his tamen omnibus non defatigamus nec deficimus, sed fortiter erigimus uoluntatem fide, quæ illuminat, docet & regit uoluntatem. Atq; ita constantes permanemus, & superamus omnia mala per eum, qui dilexit nos, donec reueletur iustitia nostra, quam credimus & speramus.

Fide ergo incepimus, spe perduramus, reuelatione totum habebimus. Interim dum uiuimus, quia credimus, docemus Verbum, & propagamus cognitionem Christi in alios. Hoc facientes persecutionem patimur (Iuxta illud, Credidi, ideo locutus sum, Ego autem humiliatus sum nimis) patientes, fortiter erigimur spe, exhortante nos scriptura suauissimis & consolatione plenissimis promissionibus, quas fides docuit. Atq; ita nascitur & crescit in nobis spes, Rom. 15. Vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Ideo non sine causa coniungit Paulus patientiam in tribulationibus cum spe, Rom. 5. 8. & alibi, illis enim excitatur spes. Contrà fides, ut & suprà monuimus, prior est spe, Est enim initium uitæ, & incipit ante omnem tribulationem. Discit enim & apprehendit Christum sine cruce, cognitionem tamen Christi statim sequitur crux & pugna. Ibi tum exhortandus est animus ad fortitudinem Spiritus (Spes enim nihil aliud est, quàm fortitudo Theologica, ut econtrà fides est prudentia Theologica) quæ sita est in ferendo, Iuxta illud, Vt per patientiam, &c. Manent ergo tria illa Fides docet ueritatem, ac defendit ab erroribus & hæresibus, Spes fert & uincit omnia mala corporalia & spiritualia, Charitas ut in textu sequitur, facit omnia bona. Sic homo intus & foris integer & perfectus est in hac uita, donec reueletur iustitia, quam expectat, Ea erit consummata & æterna.

Porrò hic locus grauissimam & doctrinam & consolationem continet. Doctrina est, quod non per opera, ritus & sacrificia, & totum illum cultum Mosaicæ legis,

legis, multò minus per opera & traditiones humanas iustificemur, sed per solum Christum. Quicquid præter hunc in nobis est, siue sit lex, opus, passio, siue intellectus, uoluntas &c. caro est, non Spiritus. Quicquid igitur mundus habet optimum & sanctissimum extra Christum, peccatum, error & caro est. Itaq; circumcisio, obseruatio legis, item opera, religiones, uota monachorum & omnium iusticiariorum, carnalia sunt. Nos uerò inquit Paulus, longè supra ista omnia uersamur in Spiritu. Quia per fidem tenemus Christum, & in tribulatione expectamus spe eam iusticiam, quam fide iam possidemus. Consolatio hæc est, ut in his pauoribus (in quibus adeo magnus & fortis est sensus peccati, tristiciæ, desperationis &c. penetrant enim & occupant omnia interiora cordis) non sequaris sensum tuum, alioqui dices, sentio uehementes terrores legis, & tyrannidem peccati, non solùm rebellantis mihi, sed omninò captiuantis me, nullam consolationem aut iusticiam sentio, ergo peccator, non iustus sum. Si peccator, ergo reus æternæ mortis. Contra hunc sensum nitere & dic: Etiamsi sentiam me prorsus oppressum & absorptum peccato, & cor dicet Deum auersum & iratum, Tamen reipsa hoc non est uerum, nisi quia sensus meus ita iudicat. Verbum Dei, quod in istis pauoribus sequi debeo, non sensum meum, longè diuersum docet, Deum scilicet propè adesse ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluare. Item, non despicere eum cor contritum & humiliatum. Deinde Paulus hic docet iustificatos spiritu ex fide, spem iusticiæ nondum sentire, sed expectare adhuc.

Quare cùm lex accusat & peccatum perterrefacit te, & nihil sentis quàm iram & iudicium Dei, ne ideo desperes, sed arripias armaturam Dei, scutum fidei, galeam spei, & gladium spiritus, & experire quàm bonus & fortis sis bellator. Fuge, de apprehende Christum, Dominum legis & peccati & omnium quæ illa comminari solent. In hunc credens iustificatus es (id quod ratio & sensus cordis tui nunquam tentato non dicit, sed uerbum Dei) Deinde in istis pugnis & terroribus, qui sibi inde redeunt & exercent te per spem patienter expecta iusticiam, quam nunc fide habes, sed tantùm inceptam & imperfectam, donec ea suo tempore reuelatur perfecta & æterna. At non sentio me habere iustic iam, aut saltem tenuiter sentio. Non sentire, sed credere debes te iustic iam habere, Et nisi credideris te esse iustum, insigni contumelia & blasphemia afficis Christum, qui te mundauit lauacro aquæ per uerbum, qui denique mortuus in cruce, peccatum & mortem condemnauit & occidit, ut per ipsum consequereris æternam iustic iam & uitam. Hic negare non potes (nisi uelis esse palàm impius & blasphemus, & prorsus contemnere Deum, omnia promissa diuina, Christum & omnia ipsius beneficia) ideo nec te iustum esse negare potes.

Discamus igitur in magnis & horribilibus terroribus, ubi conscientia nihil sentit præter peccatum, & iudicat Deum esse iratum & Christum auersum, non esse consulendum cordis nostri sensum, sed uerbum Dei consulendum esse, quod dicit, Deum non irasci, sed respicere ad afflictos, contritos spiritu & trementes ad sermonem ipsius. Christum non auertere se à laborantibus & oneratis, sed eos refocillare, &c. Docet igitur hic locus clarè legem & opera non afferre iusticiam & consolationem, sed hoc ipsum facere Spiritum in fide Christi, qui excitat spem in ipsis pauoribus & tribulationibus, quæ fert & uincit mala. Perpauci uerunt, quàm imbecillis & exigua sit fides & spes in cruce & lucta. Apparet enim esse linum fumigans, quod iam iam extincturus sit fortis uentus. Sed crudentes in illis pugnis & terroribus contra spem in spem, hoc est, pugnantes fiducia promissionem Christi, contra sensum peccati & iræ Dei, experiuntur postea istam scintillam fidei perexiguam, ut apparet rationi, quia eum uix sentit, sed uelut elementarem ignem, qui implet totum cœlum, & absorbet omnes terrores & peccata.

Ver-

Verè pij in toto orbe terrarum nihil charius & pretiosius habent hac doctrina. Quia tenentes eam, hoc nouerunt, quod totus mundus ignorat, nempe peccatum & mortem & alias calamitates ac mala corporalia & spiritualia, electis cedere in bonum. Item nouerunt Deum tum proximè adesse, cùm longissimè apparet adesse. Tum maximè esse misericordem & saluatorem, cùm uidetur maximè irasci, affligere & perdere. Norunt tum se habere iusticiam æternam, quàm ut certissimam possessionem spe expectant, repositam in cœlis, cùm maximè sentiunt terrores peccati & mortis, tum se esse Dominos omnium, cùm omnium sunt egentissimi, iuxta illud: Nihil habentes, omnia possidentes. Hoc uocat scriptura consolationem concipere per spem. Sed illa res sine crebris & magnis tentationibus non discitur.

DE EFFECTIBVS FIDEI.

Fides efficit pacem cordis. Tom. 3 Ienens. fol. 430. sicut Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus erga Deum per Iesum Christum. Quando ergo animus confirmatus est fide, quòd Deus sit pro nobis, dicit, Quis ergo contrà nos? Quem timebo? Num mundum? At quid mundus erga Deum? Quid creatura ad creatorem? Num mortem? At quid mors ad uitam, quæ in Christo est? Num peccatum? At quid peccatum ad æternam iusticiam, quæ in nobis est &c. Verùm hæc certitudo non potest esse in animo, nisi Deus prius doceat usum, & creet per uerbum pacem in corde.

Fides coniungit nos Christo. Tom. 4. Ienens. fol. 57. Gal. cap. 2. Fides purè est docenda, quod scilicet per eam sic conglutineris Christo, ut ex te & ipso fiat quasi una persona, quæ non possit segregari, sed perpetuò adhærescat ei, Vt cum fiducia dicere possis, Ego sum Christus, hoc est, Christi iusticia, uictoria, uita &c. est mea. Et uicissim Christus dicat, Ego sum ille peccator, hoc est, eius peccata, mors &c. sunt mea, quia adhæret mihi, & ego illi, Coniuncti enim sumus per fidem in unam carnem & os, Ephe. 5. Membra sumus corporis Christi, de carne eius, & de ossibus eius. Ita ut hæc fides Christum & me arctius copulet, quàm maritus est uxori copulatus. Ergo fides illa non est ociosa qualitas, sed tanta est eius magnitudo, ut obscuret & prorsus tollat ista stultissima somnia doctrinæ Sophisticæ de fictione fidei formatæ & charitatis, de meritis, de dignitate aut qualitate nostra &c.

Fides tribuit Deo gloriam. Tom. 4. Ienens. fol. 74. Gal. cap 3 Paulus his uerbis, credidit Abraham, summum cultum, summum obsequium, summam obœdientiam & sacrificium facit ex fide in Deum. Qui Rhetor est, exaggeret hunc locum, & uidebit, quod fides sit res omnipotens, quodq; uirtus eius sit inæstimabilis & infinita. Tribuit enim Deo gloriam, qua nihil maius ei tribui potest. Tribuere autem Deo gloriam, est credere ei, est reputare eum esse ueracem, sapientem, iustum, misericordem, omnipotentem, In summa, agnoscere eum autorem & largitorem omnis boni. Hoc ratio non facit, sed fides, Ea consummat diuinitatem, & ut ita dicam, creatrix est diuinitatis, non in substantia Dei, sed in nobis. Nam sine fide amittit Deus in nobis suam gloriam, sapientiam, iusticiam, ueritatem, misericordiam, &c. In Summa, nihil maiestatis & diuinitatis relinquitur Deo, ubi fides non est. Neq; postulat Deus ab homine aliquid amplius, quàm ut tribuat ei suam gloriam & diuinitatem, hoc est, ut eum habeat, non pro ídolo, sed pro Deo, qui respiciat, exaudiat, misereatur, iuuet, &c. Hoc obtento, habet suam diuinitatem integram & illæsam, hoc est, quidquid cor fidele ei tribuere potest, habet. Ideoq; illam gloriam posse tribuere Deo, est sapientia sapientiarum, iusticia iusticiarum, religio religionum, & sacrificium sacrificiorum. Ex his intelligi potest, quanta iusticia sit fides, & per Antithesin, quantum peccatum incredulitas.

Qui-

Quicunq; igitur credit uerbo Dei, ut Abraham, iustus est coram Deo, Quia fidem habet, quæ tribuit Deo gloriam, hoc est, reddit Deo, quod ei debetur (quo modo ut iura definiunt iustum) Nam fides ita dicit, Ego credo tibi Deo loquenti. Quid loquitur Deus? Impossibilia, mendacia, stulta, infirma, absurda, abominanda, hæretica & diabolica, si rationem consulas. Quid enim magis ridiculum, stultum & impossibile, quām cum Deus ait ad Abraham, quod accepturus sit ex sterili & iam emortua carne Saræ filium.

Sic semper Deus, cūm obiicit articulos fidei, simpliciter impossibilia & absurda, si iudicium rationis sequi uoles, obiicit. Certè ridiculum & absurdum videtur rationi, in Cœna nobis exhiberi corpus & sanguinem Christi, Baptismum esse lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti, Mortuos resurgere in extremo die, Christum Filium Dei concipi, gestari in aluo uirginis, nasci, pati mortem indignissimam crucis, resuscitari, sedere nunc ad dexteram Patris, & habere potestatem in cœlo & terra. Hinc Paulus Euangelium de Christo crucifixo, uocat uerbum Crucis & stultitiam prædicationis, quam Iudæi scandalosam, Gentes stultam doctrinam iudicent, &c. Itaq; ratio non intelligit, putat uerbum Dei & credere, summum cultum esse, sed ea quæ ipsa eligit & facit bona, ut uocant, intentione & propria deuotione, sentit Deo placere, Ideo cùm Deus loquitur, iudicat Verbum eius esse hæresin & Diaboli uerbum, Apparet enim ei esse absurdum, &c.

Contrà, Fides rationem mactat, & occidit illam bestiam, quam totus mundus & omnes creaturæ occidere non possunt. Sic Abraham eam occidit Fide uerbum Dei, quo promittebatur ei semen ex sterili & iam effœta Sara. Huic uerbo non statim quidem assentiebatur ratio in Abraham, sed certè pugnabat in ipso contra fidem, iudicans ridiculum, absurdum & impossibile, quod Sara, quæ iam non solūm nonagenaria, sed etiam natura sterilis erat, paritura esset filium. Istam luctam profectò habuit fides cum ratione in Abraham. Sed fides in eo uicit, mactauit, sacrificauit rationem, acerrimum & pestilentissimum hostem Dei. Sic omnes pij, ingredientes cum Abraham tenebras fidei, mortificant rationem, dicentes: Tu ratio stulta es, non sapis quæ Dei sunt, itaq; ne obstrepas mihi, sed tace, non iudica, sed audi uerbum Dei, & crede. Ita pij fide mactant bestiam maiorem mundo, atq; per hoc Deo gratissimum sacrificium & cultum exhibent.

Et ad hoc piorum sacrificium & cultum, omnes omnium gentium Religiones, omnia omnium monachorum & iusticiariorum opera collata, prorsus nihil sunt. Per hoc enim sacrificium primùm mactant, ut dixi, rationem, hostem Dei omnium maximum & inuictissimum. Quia ratio comdemnit Deum, negat esse eius sapientiam, iusticiam, uirtutem, ueritatem, misericordiam, maiestatem. Deinde per idem sacrificium, tribuunt Deo gloriam, hoc est, credunt eum esse iustum, bonum, fidelem, ueracem, &c. Credunt eum omnia posse, omnia uera esse eius esse sancta, uera, uiua, efficacia. &c. Quod est Deo acceptissimum obsequium. Ideo nulla maior, melior aut gratior religio cultusue Deo exhiberi potest in mundo, quām fides.

Contrà, Operarij carentes fide, multa quidem faciunt, ieiunant, orant, filiis ipsis crucem imponunt. Quia uerò his rebus existimant se placare iram Dei, & gratiam mereri, non tribuunt Deo gloriam, hoc est, non iudicant eum esse Misericordem, ueracem, seruantem promissa, &c. Sed iratum iudicem, placandum operibus. Atq; hoc modo contemnunt Deum, arguunt eum mendacij in omnibus suis promissis, negant Christum & omnia beneficia eius. In summa, deum

bant Deum è sede sua, & sese in locum ipsius collocant. Neglecto enim & contemto uerbo Dei, eligunt cultus & opera ā Deo non præcepta. His Deum delectari somniant, & se pro illis mercedem recepturos ab eo sperant. Itaq; rationem, atrocissimum Dei hostem, non mactant, sed uiuificant, auferuntq; Deo maiestatem & diuinitatem, & eam operibus suis tribuunt. Quare sola fides tribuit Deo gloriam, ut testatur Paulus Rom. 4. de Abraham, Abraham, inquit fide confortatus, dedit gloriam Deo, certissimè sciens quod quæcunq; promisit Deus, potens est & facere, ideo reputatum est illi ad iusticiam.

Fides uictoria nostra. Tom. 4. Ienens. fol. 119. Galat. cap. 4. Hæc fides est uictoria nostra, qua uincimus terrores Legis, peccati, mortis & omnium malorum, non tamen sine magno certamine. Verè pij, qui grauibus tentationibus quotidie exercentur, hic sudant. Illis sæpenumerò in mentem uenit, Christum uelle expostulare nobiscum, uelle rationem exigere ā nobis transactæ uitæ, uelle accusare & condemnare nos. Non possunt certò constituere eum missum à patre, ut nos tyrannide Legis oppressos redimeret. Hocinde accidit, Sancti nondum penitus deposuerunt Carnem, ea autem repugnat spiritui. Ideo subinde redeunt terrores Legis, pauor mortis, & alia spectra tristia, quæ fidem impediunt, ut tanta certitudine beneficium Christi, qui nos è seruitute Legis redemit, non apprehendat, quanta deberet.

Sed qua ratione seu modo Christus nos redemit? Iste fuit modus redemptionis, Factus est sub Legem. Christus ueniens, inuenit nos omnes captiuos sub Pædagogis & tutoribus, hoc est, conclusos & custoditos sub lege. Quid facit? Ipse est Dominus legis, ideo Lex non habet ius in eum, non potest eum accusare, quia est Filius Dei. Cūm igitur esset sub lege, sua sponte se legi subiecit. Ibi Lex exercuit in eum omnem Tyrannidem, quam in nos. Accusat autem & terret nos, subijcit nos Peccato, morti, iræ Dei, ac iudicio suo condemnat, & hoc iure facit, quia omnes peccatores & naturaliter filij iræ sumus. Contrà, Christus peccatum non fecit, neq; inuentus est dolus in ore eius, ideo Legi nihil debuit, & tamen Lex in tam innocentem, sanctum, iustum & benedictum æquè seuijt, ac in nos peccatores, maledictos & damnatos, & multò atrocius. Accusauit enim ut blasphemum & seditiosum, fecit eum reum coram Deo omnium peccatorum totius Mundi, denicq; sic contristauit ac paue fecit, ut sudaret sanguinem, postremo sua sententia condemnatur ad mortem, & quidem crucis.

Hoc profectò mirabile duellum est ubi Lex creatura, cum Creatore sic congreditur, & præter omne ius, omnem tyrannidem suam in Filio Dei exercet, quam in nobis filijs iræ exercuit. Quia ergo Lex tam horribiliter & impiè peccauit in Deum suum, uocatur in ius & accusatur. Ibi Christus ait, Domina lex, imperatrix & regina potentissima ac crudelissima totius generis humani, Quid commisi quod accusasti, perterrefecisti & condemnasti me innocentem? Hic Lex quæ damnauerat & occiderat prius omnes homines, cum non habeat, quo se defendat aut purget, uicissim ita damnatur & occiditur, ut amittat ius suum, non solum in Christo (in quem iniustè sæuijt & occidit) sed etiam in omnibus, qui credunt in eum. His enim dicit Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis sub iugo legis. Ego potuissem uincere Legem summo iure, sine meo malo, Sum enim Dominus legis, ideoq; nullum ius in me habet, sed propter uos, qui eratis sub Lege, assumpta carne uestra, subieci me legi, hoc est, per superabundantiam demisi me in eundem carcerem, tyrannidem & seruitutem Legis, sub qua captiui seruiebatis uos, passus sum Legem dominari mihi, Domino suo, perterrefacere me, subijcere me peccato, morti & iræ Dei &c. quod non debebat. Ideo du-

plici iure Legem uici, proſtraui, trucidaui. Primùm ut Filius Dei, Dominus legis. Deinde in perſona ueſtra, quod tantundem eſt ac ſi uoſipſi Legem uicistis, quia mea uictoria eſt ueſtra.

Ad hunc modum Paulus de illo mirabili duello paſſim loquitur. Et ut res iucundior & illuſtrior fiat, Legem pingere ſolet per proſopopœiam, quaſi ſit potentiſſima quædam perſona, quæ Chriſtum condemnauerit & occiderit, Quam ipſe, ſuperata morte, uiciſſim uicerit, condemnauerit & occiderit, Ephe. 2. Interficiens inimicitiam in ſemetipſo. Et cap. 4. ex Pſalm. 68. Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et proſopopœia uſus eſt, etiam ad Ro. Cor. Col. De peccato damnauit, peccatum, &c. Hac ergo uictoria ſua fugauit Chriſtus è conſcientia noſtra Legem, ut amplius non poſſit nos confundere in conſpectu Dei, in deſperationem adigere & damnare. Non deſinit quidem oſtendere peccatum, accuſare & perterrefacere, Sed conſcientia apprehendens hoc Apoſtoli uerbum, Chriſtus â lege nos redemit, fide erigitur & conſolationem concipit, Deo nicq; ſancta quadam ſuperbia inſultat Legi, dicens, Nihil moror terrores & minas tuas, quia crucifixiſti Filium Dei, & ſumma iniuria crucifixiſti. Ideo peccatum quod in eum commiſiſti, eſt irremiſſibile, amiſiſti ius tuum, & nunc in poſterum non ſolùm Chriſto uicta ac ſtrangulata es, ſed etiam mihi credenti in eum, cui donauit hanc uictoriam. Sic Lex perijt nobis in ſempiternum, modò in Chriſto permaneamus. Deo igitur gratia, qui dedit nobis uictoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Facit ex eo quod nihil eſt, ut ſit &c. Geneſ. Tom. 3. fol. 59. 60. cap. 27. Fides facit ex eo, quod nihil eſt, ut ſit & ex impoſſibilibus facit omnia poſſibilia. Stulticiam & temeritatem Rebeccæ uidiſti: Quomodo adornarit filium Iacob, ut falleret patrem, circumdedit manibus & collo pelliculas hædorum, ut pater putaret eum uera piloſum eſſe.

Eſt res plena periculi, ſicut trepidat Iacob, & auerſatur conſilium matris: Ne fortè inquit, pater palpet & ſentiat, ac inducam ſuper me pro benedictione maledictionem. Sed tanta eſt fides iſtius optimæ mulieris, ut per illa omnia perrumpat. Iacob ingreſſus eſt in ſpecie filij Eſau, habens manus piloſas, ſic arte facta & dolo, ſed patrem non fallit per omnia, quia intelligit tamen uocem Iacob, uides ergo quòd Deus pulcherrimè corrigit temeritatem iſtam per fidem mulieris, propter quam neceſſe eſt ſtolidiſſimum conſilium, fieri optimum et fœliciſſimum.

Ita ſcriptura ſancta deſcribit hiſtorias Sanctorum, ut commendet uirtutem fidei. Qui igitur uerbum Dei habet, ille exiſtimet ſe beatum, & auertatur oculos à rebus præſentibus ad futuras & inuiſibiles. Quia uerbum Dei præſertim promiſſio non loquitur de præſentibus, ſed futuris rebus & neminí compertis. Fides fertur in rem quæ adhuc purum nihil eſt, & expectat donec fiant omnia. Eſt ſcientia & ſapientia tenebrarum & nihilitudinis, hoc eſt, rerum quas habere, compertas, & non apparentes, ac ferè impoſſibiles. Qui uolet Chriſtianus eſſe, eum oportet hoc animo benè meditatum ac infixum habere. Aliæ enim ſcientiæ omnes docentur ex Syllogiſmis, Inductionibus & experimentis, non habent fundamenta aut principia ſua, in eo quod nihil eſt, ac præſertim non apparens, impoſſibile, abſurdum, ſtultum, ſed fides apprehendens promiſſionem, figit cor in id, quod omninò eſt abſurdum, impoſſibile, contentum uerbo & promiſſione diuina.

Sic enim Iacob facit: Mater iubet eum benedictionem â patre accipere, Iſ obſtat pura nihilitudo, quia benedictio pertinebat ad Eſau, non ad Iacob, obſtabat rerum impoſſibiltas. Quomodo enim poſſum benedici cogitauit, fratri debetur benedictio, præterea eſt hirſutus, ego glaber ſum, periculum eſt, ne â patre maledictionem auferam. Ideo impoſſibile eſt, quod ad rem attinet, quia benedictio

ctio non est mea. Pater enim cogitat de benedicendo Esau, de me nihil est solli-
citus. Deinde possibile est ut hæreat maledictio in me, qui sum leui & glabra cu-
te, si pater fallaciam agnoscat. Ideo certò impingemus mea mater. Sed mater
contra hæc omnia, maledictio illa mihi noceat, si qua ueniet. Illa est mulier non
mulier, Homo est spiritu fœminino, sed tantus ardor est in ea, ut superet uiros for-
tissimos, quia cogitat se posse perrumpere, ut benedictio ei conferatur, cui lege &
regula non debebatur: Credit simpliciter impossibilia, absurda, stulta, periculosa.
Non dubitat, quin sit benedicendus Iacob, utut repugnent ac aduersentur o-
mnia.

Sic fides & eius uirtus est cordis cogitatio, seu ut ita dicam, opinio, qua fertur
in id quod nihil, quod impossibile & absurdum est. Tantum habet uerbum di-
uinum, quod dicit: Maior seruiet minori. Ipsa uerò sensit ut mater, uter istorum
esset maior, & accessit illuminatio Spiritus Sancti, ut uerbum id rectè intelligeret.
Isaac contrà stat rigidus, sicut immota rupes, ac hæret tantùm in lege & regula,
Esau esse primogenitum, uerùm ea, mater nihil mouetur.

Ad eundem modum nos quoq; comparemus, quando habemus uerbum,
tunc omnes disputationes contra uerbum abijciamus, neq; quicquam moremur
siue stulta, siue impossibilia, siue denique contraria legi naturæ & Mosi obijcian-
tur, sed recta sequendum est hoc, quod dixit, Deus. Quod si ratio accedit & dispu-
tat de uerbo, tum actum est. Hinc lucta illa carnis contra spiritum existit Galat.
5. ubi Paulus loquitur de sublimibus illis affectibus, qualis est credere quæ non
sentias, ac quæ sunt secundum rationem impossibilia.

Sic in uocatione, ac tandem etiam in morte faciendum est, Quando Deus
instituit me ducem contra portas inferorum, contra furorem totius mundi, con-
tra infirmitatem carnis meæ. Quid hic animi nobis debet esse? Quis enim ego
sum, qui pugno primùm contra tot exercitus omnium Dæmonum & hominum,
deinde contra infirmitatem Carnis meæ? Respondeo. Respiciendum est ad man-
datum Dei. Dominus dicit: Vade & prævalebis. Ego tecum ero. Sicut Mosen
iubet regem Aegyptium aggredi, & educere populum de tyrannide & fornace
ferrea. Nonne illa stulta & impossibilia uidentur, educere tantum populum, &
sic educere, ne relinquant ungulam post se (sicut loquitur Moses ad Pharaonem)
Ego uerò dixissem secundum rationem, Tu non educes, ne ungulam quidem,
multò minus uniuersum populum? Quia Rex potens est & crudelis Tyrannus.
Verùm Moses non aliter loquitur cum Pharaone, ac si iam haberet eductam tur-
bam illam ingentem. Quantumuis apparent fabula, stulta cogitatio & prorsus
impossibilis, si rationem spectes. Quicquid enim fides dictat & uerbum pro-
mittit, id oportet fieri: Quia Deus est uerbum, & uerbum est Deus, qui habet
uerbum, habet potentiam diuinam. Roman 1.

In speciem quidem non aliter apparet, quàm humana uox, & stultícia homi-
nis loquentis, Sicut Petrus Act. 10. dicit: Homo sum tui similis ad Cornelium. Pe-
trus habet uerbum & sonat uox humana in auribus Cornelij, sed tamen facit om-
nia mirabilia, sic animandi sumus contra omnia pericula, quæ à Turcis & alijs ho-
stibus impendent: Imò contra mortem ipsam, si enim absoluti sumus per os fratris
aut ministri, non inspiciendus est homo qui loquitur, neq; in periculum aut mor-
tem dirigendi sunt oculi, non in sepulchrum, corruptionem uermes, putredinem
quæ obijciuntur mihi, respiciendum est. Ratio enim sine fide cogitat: Num
possibile est, ut corpus mortuum uiuat, quod sepelitur, corroditur à uermibus aut
exuritur, & in cineres redigitur? Id uerò simpliciter negat & dicit: Non est ue-
rum, spiritus contra pugnans dicit: est uerum? Iam morti destinatus, uideor mihi
uiuere, & resurrecturus sum ex sepulchro gloriosus, & clarificato corpore.

Ideo fides est pugna omnipotens, quæ contra pugnam carnis uno eodemq; prospectu hæret in uerbo & promissione. Non enim loquimur hic de fide historica, quæ est simplex notitia, ut cũm scio Dauid uicisse Goliath & Philistheos, licet id sit exemplum fidei, mihi tamen tantum historica est & si esset mihi proposternendus Goliath, lacerandus leo, ibi historia nihil ualeret, nisi quod esset quædam exhortatio, quæ me ad similem fortitudinem excitaret. Si uerò ita cogitarem Dauid, Samson, adepti sunt clarissimas uictorias, ideo mihi quoq; idem præstandum erit, id esset mihi impossibile. Nam & Dauid non sine ingenti pugna tam præclaras res gessit. Fuit enim in carne, perinde ut nos sumus, habuit contradicentem, militantem, imõ captiuantem se carnem, non aliter atq; nos habemus. Multõ plus sensit incredulitatis quãm fidei, fides enim apparet & est infirma, quia caro non solũm militat, sed etiam captiuat, ut inquit Paulus Roman. 7.

Ego olim non aliter mihi persuadebam, quãm Paulum nihil cogitasse, sudando & pugnando contra carnem. At uerò inquit: Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, ut me colaphiset: Ille docet me quid sit fides. Video ego uictorias gloriosas martyrum & Sanctorum, sed mea fides hoc non potest præstare. Et ipsi etiam sudauerunt, & mortem uicerunt non sine ingenti certamine. Ita nos quoq; habemus eundem baptismum, eundem consolatorem Deum, Spiritum Sanctum paracletũ, qui proponit nobis in uerbo multiplicem consolationem. Ac historiam quidem de certaminibus & uictorijs Sanctorum libenter audio, sed eadem non possum præstare. Ideo apprehendendum est uerbum: Sustine Dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum. Deus etiam infirmum in fide non abijcit. Quin nec Apostoli ipsi & prophetæ in fide fortes fuerunt, præsertim magna facturi per fidem. Moses ad mare rubrum trepidat & clamat. Caro contra eum non solũm militauit, sed captiuauit eum. Vides enim suggerere ei caro, quod in utroq; latere sunt montana, retro est Aegyptus, ante nos est mare, per quod cũm pueris & mulierculis ac pecudib. non poterimus transire. Sic quoq; ad desperationem cogebatur, lex enim carnis & membrorum hoc ei dictabat. Ergo sumus destituti omni auxilio. Quid egi educendo populum? Pereundum est nobis omnibus. Ibi tum gemitus inenarrabiles, ut uocat Paulus, incipiunt. Hic clamor non potest scribi literis, nec ullius sermone enarrari. Quia hoc uerbum *Cordis gemitus*, nimis grande est, quod replet cœlum & penetrat nubes, ac pertingit ad aures Maiestatis diuinæ, ut respondeat Deus: Quid clamas? Atquit ille, mauit, sed obstupuit, steteruntq; comæ, & uox faucibus hæsit. Is uerò, qui scrutatur corda, intelligit quid uelit spiritus ingemiscens.

Hæc ideo repeto & diligentius inculco, quia fides apparet coram ratione quasi leuis res, & uacua opinio, quam quilibet animo concipere possit. Cogitant esse non historicam quæ sit facilis. Sed quando obijcitur mare rubrũ, mors, uictoria peccati, mortis, inferni per nos, tum fit copula & coniunctio uirtutis Dei, cum infirmitate humana, omnipotentia coniungitur cum nihilitudine & extrema imbecillitate, ac tandem eõ perducit infirmum, ut faciat impossibilia & incredibilia.

Fidei uirtus in hora mortis. Genes. cap. 28. Tom. 3. fol. 80. Fides informis nihil uolet, nec potest sustinere & ferre illos impetus. Vera autem & uiuax fides, quæ uincit dubitationem, reuera est uiuacissima qualitas, si tamen ita appellanda sit, & est irrequietum bonum in corde nostro, quod Diabolus singulis momentis impetit & oppugnat. Sicut in primis in agone mortis discitur & sentitur, utrum fides informis, an uera & uiua fides. Christianus enim subit mortem, ingreditur sepulchrum, absumitur à uermibus, breuiter in nihilum redigitur, & sanè contrarium est omnibus promissionibus diuinis. Quid igitur faciat? Ibi nimirum experitur fidem non esse nudam qualitatem, siquidem terrores mortis uincit & dicit

dicit, Tametsi non mortem tantùm, sed & mille Diabolos & infernum ipsum cer-
uici impositum sustineres: Tamen non faciam Deum mendacem, sic enim affe-
cti sunt animi piorum in eiusmodi agone. Etsi effunderet infernus omnes flam-
mas, & euomeret in me quidquid est mali, tamen maneo in fide illa. Credo in Ie-
sum Christum Filium eius unicum: Domine Deus serua me per Christum, ne
oriatur blasphemia illa: Tu mentiris. Contrarium quidem sentio, sed uerbum
tuum habeo, quod non fallit, imò est mihi omnia in omnibus.

Ad hunc modum scriptura sancta commendat patres, & proponit exempla fidei ipsorum luculenta. Nec est ulla alia doctrina in mundo, præter scripturam Sanctam, quæ docet solam fidem esse uictricem mundi, quæ fides est habere uerbum in corde, & non dubitare de uerbo. Atq; interim pati simpliciter contraria, non frangi, non fatigari usq; in finem, hoc est, donec ueniat promissio. Hiob ad uxoris exprobrationem durauit fortiter. Respondet enim: Quasi una de stultis locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? Si habuimus uitam, si comedimus & bibimus hactenus, Deo alente & sustentante, cur non etiam aduersi aliquid feramus? Tobiæ uxor etiam cecidit. Sed Dauid manet firmus & constans toto decennio, cum esset quidem Rex sine corona, sine terra, sine populo: imò à Saulitis esset hostis declaratus & seditiosus. Postea cùm Absalon regno eum ejicit, tantùm dicit: Si placuero reducet me, si autem dixerit mihi non places, præsto sum, faciat mihi quod bonum est coram se. Id nimirum est firmiter retinere promissionem. Non in solo pane uiuit homo &c.

Fides facit bona opera. Genes. cap. 38. Tom. 4. fol. 38. Fides si adest non tacet, sed docet & instruit populum, hortatur ad credendum, orandum, sacrificandum, laudandum, sicut scriptum est, Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Si firmiter credis, & habes uerbum in corde, fieri non potest quin & ore illud fiones & confitearis. Ita fit ex uerbo cordis confessio oris, ut laudes Deum, & gratias agas pro beneficijs & doctrina patefacta, & hanc etiam tradas, & profitearis ipse, sicut Iuda suam familiam hospites & uicinos docuit, & perduxit ad agnitionem Dei, & ut Apostoli errantes per orbem propagarunt, & inuocarunt Deum.

Per fidem non sumus liberi ab operibus. Tom. 1. Ienens. fol. 472. De libertate Christiana. Non enim liberi sumus per fidem Christi ab operibus? Sed ab opinionibus operum, id est, à stulta præsumptione iustificationis per opera quæsitæ. Fides enim conscientias nostras, redimit, rectificat & seruat, qua cognoscimus iusticiam esse non in operibus, licet opera abesse nec possint nec debeant, sicut sine cibo & potu & uniuersa corporis istius mortalis opera esse non possumus, non tamen in eis iusticia nostra uita est, sed in fide, nec tamen illa ob id contemnenda sunt aut omittenda. Sic in mundo sumus necessitate uitæ huius corporis coacti, sed non ex hoc iusti sumus. Regnum meum non est hinc seu de hoc mundo ait Christus, sed non dixit, Regnum meum non est hic, seu in hoc mundo. Et Paulus, Licet in carne ambulemus, non tamen secundum carnem militamus. Et Galat. Quod uiuo in carne, in fide uiuo Filij Dei, sic quod facimus, uiuimus, sumus in operibus & Cæremonijs, necessitas huius uitæ facit & corporis regendi cura, non tamen in his iusti sumus, sed in fide Filij Dei.

Item. Tom. 1. Ienens. fol. 470. De libertate Christiana, Quanquam Christianus liber est ab omnibus operibus, debet tamen rursus se exinanire, hac in libertate, formam serui accipere, in similitudinem hominum fieri, & habitu inueniri ut homo, seruire, adiuuare, & omnimodo cum proximo suo agere, sicut uidet secum actum & agi à Deo per Christum, & hoc ipsum gratis, nulloq; respectu, nisi diuini placiti, & ita cogitare.

En mihi indigno, damna utq; homuncioni, citra omne meritum, mera gratuitaq; misericordia, dedit Deus meus in Christo omnes diuitias iusticiæ & salutis,

ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, quæ credat hoc se sic habere. Hinc ergo tali patri, qui me suis his inæstimabilibus beneficijs obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoq; studio omnia faciam, quæcunq; sciuero placita & grata coram illo esse? Dabo itaq; me quendam Christum proximo meo, quemadmodum Christus sese præbuit mihi, nihil facturus in hac uita, nisi quod uidero proximo meo necessarium, commodum & salutare fore, quandoquidem per fidem omnium bonorum in Christo abundans sum.

Ecce sic fluit ex fide charitas & gaudium in Domino, & ex charitate hilaris, libens, liber animus, ad sponte seruiendum proximo, ita ut nullam habeat rationem gratitudinis, ingratitudinis, laudis ac uituperij, lucri aut damni. Neq; enim agit hoc, ut homines sibi demereatur, nec inter amicos inimicosq; discernit, nec gratos nec ingratos suspicit, sed liberrimè dispergit, se & sua, siue ea perdat in ingratis, siue mereatur. Sic enim & Pater eius facit, omnibus omnia distribuens abundanter & liberrimè, faciens Solē suum oriri super bonos & malos. Ita Filius, nihil nisi gratuito gaudio, quo in Deo per Christum delectatur, tantarum rerum Largitore facit & patitur.

Vides ergo, si cognoscimus ea, quæ nobis data sunt, maxima & preciosa, ut Petrus ait, mox per Spiritum diffundi in cordibus nostris charitatem, qua hilares, omnipotentes operatores, & omnium tribulationum uictores, proximorum serui, nihilominus tamen omnium Domini sumus. Qui uerò non cognoscunt donata sibi per Christum, ijs Christus frustra natus est, per opera illi incendunt, ad istarum rerum gustum & sensum nunquam peruenturi. Igitur sicut proximus noster necessitatem habet & nostra abundantia indiget: Ita & nos debemus Deo necessitatem habuimus & misericordia eius indiguimus. Ideo sicut Pater, omnia nobis in Christo gratis auxiliatus est: Ita & nos debemus gratis per corpus & opera eius proximo nostro auxiliari, & unusquisq; alteri Christus quidam fieri, ut simus mutuum Christi, & Christus idem in omnibus, hoc est uerè Christiani.

Fides retrahit à peccato. Tom. 2. Ienens. fol. 180. Psal. 15. Proponebam Dominum in conspectu meo semper. Facit autem hæc propositio Domini, cor animosum, hilare & spontaneum ad omnia bona opera faciendo & mala ferenda, & ab hoc propositio, sicut sæpius dictum est, ordienda est bona uita & bonum opus. Quid enim non libentissimè faceret & auderet, qui confidit sese placere Deo, & Dominum esse sibi fauentem ac propitium? Quod peccatum quantumuis blandum non contemneret eadem fiducia in Deum nixus? Verē non facit, nec facere potest malum hæc fides, sicut nec uinci ab ullo malo. Nemo creditquàm retrahat à malo, & moueat ad bonum fiducia ista, nisi expertus.

Fidem habens contra conscientiam agere non potest. Tom. 2. fol. 513. De uotis Monasticis. Christus per auditum uerbi sui, cordi manifestatus, quod ipse sit, qui pro nobis lacerdos factus est, nobis datus, suum Sanguinem fuderit, nostra peccata tulerit, & nos in suos acceperit. Hic inquam auditus cor lætificat, conscientiam erigit ut audeat dicere & gloriari in ipso: Si Christus pro me & meus est, quis contra me? Quomodo non placeam ego, & opera omnia mea, si Christus meus & ego Christi? Nunquid Christus displicere potest? Ecce ista est fides, quam scriptura docet, quam qui habet, contra conscientiam agere non potest, quia non potest dubitare sese placere Deo. Qui uerò non habet, non potest non contra conscientiam agere semper, quia non potest non dubitare, sese placere Deo. Deest enim promissio Dei, & pignus promissionis Christus, relicta sola natura sibi incerta quid Deus de se cogitet. At habens promissionem & Christum certissimus est quid Deus super ipsum cogitet, nempe cogitationes pacis, propter Sanguinem Christi, clamantem remissionem peccatorum, & Abba Pater, in cordibus nostris.

Exercitium fidei. Tom. 4. Ienens. fol. 428. Psal. 2. Grad. Hoc est, Fidei exercitium, de quo Dauid hoc in loco nos admonet, ut discamus respicere ad promissiones & uerbum, ac iudicare secundum oculos sursum leuatos, non secundum præ-

sentia. Experimur autem hic Theologiam esse infinitam sapientiam, quæ nunquam plenè apprehendi aut perdisci potest. Videmus enim mutationem, quam subiti casus offerunt. Hodie rectè ualeo, cras morior. Id periculum facit ut cœlum & terra augustiora esse uideantur, quàm ut nos possint capere & tota creatura sit nobis qualis infernus. Sic Caro solet, quam etiam inspirat Sathan ut non Deum non uitam uideat, sed infinitum malum esse iudicet. Atqui hoc non iudicium, sed mendacium carnis nostræ, & Diaboli est, contra quod pugnandum est & credendum, quod etiam in morte nostra Deus maneat, & noster Rex Christus uiuat, in cuius conspectu mea mors, cum omnibus tribulationibus & periculis sit unum nihil. Quid enim mors? quid liberorum amissio, & similia sunt, si ad Deum conferas?

Sed hanc autem quis satis didicit? Loqui & docere aliquo modo possumus, sed experimentis & usu oportet fieri Theologum, ut cum Dauide affirmemus. Non dabit pedem tuum in commotionem, hoc est, non sinet te subuerti. Caro enim reclamat, quia sentit non solùm moueri pedem, sed se prorsus conculcari. Vid. Fi-lium Dei quid passus est, uide Iohannem Baptistam, Mariam, Apostolos, Prophetas, quid passi sunt, uide hodie Ecclesiam, quid quotidie patiatur. Hæc experientia prouerbio locum fecit, quo dicitur. Quo quisq; nequi, oreo fœlicior. Itaq; mundus metu horum periculorum discedit ab Euangelio. Ita contrarium apparet ab eo, quod in hoc loco Dauid promittit. Videtur enim Dominus dare pedem in commotionem, sed uidetur tantùm, reuera non facit, ac uidetur carni, contrà spiritus & fides iudicant hanc esse exaltationem coram Deo & gloriam. Iudicant mortem, quæ ob confessionem Euangelij subitur, esse initium melioris & æternæ uitæ, ignominiam iudicant esse inæstimabilem gloriam in oculis Dei. Hoc est fidei iudicium, etsi caro aliter sentit, sed ex sensu carnis non est faciendum iudicium. Quorsum enim pertineret doctrina uerbi & huiusmodi exhortationes & promissiones? Igitur malum est, conuertendum in bonum, & ibi caro concludit se dari, quotidie in conculcationē luti, ibi fides secundum uerbum pronunciare debet, æquarise Filio Dei, & conformem fieri Christo, Credenda enim sunt hæc tanquam inuisibilia, & etiam insensibilia, non uidenda & sentienda.

Qui autem non uolunt credere, sed sequi sensum, hi punctum gloriæ & delitiarum huiusmundi relinquunt, sed quam misera eorum erit conditio, cùm post momentū illud uanissimi gaudij, excipientur æternis doloribus & lachrymis? Quanto erat melius cum Lazaro ægrotare & egere ad modicum, quàm cùm diuite hic abundare, & istic torqueri in æterna flamma? Pertinet igitur hæc doctrina ad eos, qui credere uolunt, & non sentire, ut distinguant inter pericula tua & Deum, & ut oculos non tantùm defigant in calamitatem præsentem, sed leuent ad auxilium inuisibile & in uerbo promissum. Nam pericula illa quibus credentes exposiri sunt, sanè mouent pedem, sed fides facit ut res non moueatur ad lapsum, sed ut quasi tranſiliamus scopulos illos periculorum, & conferamus punctum afflictionis, cùm alijs quæ infinita sunt, sicut est ipse Deus, eius potentia, gratia, Deniq; æterna uita quam promisit credentibus in Christum.

CONTRARIA.

Tom. 4. Ienens. fol. 157. Galat. cap. 5. Fides per charitatem efficax. Hunc locum Sophistæ trahunt ad suam sententiam, qua docent nos charitate seu operibus iustificari. Dicunt enim, fidem, etiamsi sit infusa diuinitus (de acquisita taceo) non iustificare, nisi sit informata per charitatem. Quia charitatem uocant gratiam gratum facientem, hoc est, iustificantem (ut nostro uerbo, seu Pauli potius, loquar) Charitatem deinde acquiri nostro merito congrui, &c. Quin hoc affirmant, Fidem etiam infusam, stare posse cum peccato mortali. Adeo in totum transferunt iustificationem à fide, & solo tribuunt (hac ratione) charitati. Atque hoc uolunt hoc loco per S. Paulum demonstratum habere, Fides quæ per charitatem operatur. Quasi Paulus uelit dicere, Ecce, Fides non iustificat, imò nihil est, nisi accedat operatrix Charitas, quæ fidem informet.

Verùm hæc omnia monstra sunt, per homines ignauos confícta. Quis enim ferat doceri, Quod fides, donum Dei per Spiritum Sanctum infusum cordibus, possit stare cum peccato mortali? Si de fide acquisita seu historica & naturali opinione, ex historia concepta loquerentur, tolerari possent, Imò de historica fide rectè loquerentur. At de fide infusa sic sentire, hoc est, planè confiteri sese prorsus nihil de fide rectè intelligere. Deinde hunc locum Pauli per coloratum (ut dicitur) uitrum legunt, & textum deformant ad sua somnia. Non enim dicit Paulus, Fides, quæ per charitatem iustificat, Nec dicit, Fides, quæ per charitatem gratum facit. Talem textum ipsi fingunt, & huic loco per uim intrudunt. Multò minus dicit, charitas gratum facit. Non sic dicit Paulus, sed sic dicit, Fides, quæ per charitatem operatur. Opera fieri dicit ex fide per charitatem, non iustificari hominem per charitatem. At quis est tam rudis Grammaticus, qui non ex uocabulorum uirtute intelligat, Aliud esse iustificari, aliud operari? Clara enim & aperta sunt uerba Pauli, Fides per charitatem operatur. Quare manifestum fit tum est, quòd illi uero & germano sensu Pauli sublato, pro operari, intelligunt iustificari, & per opera iusticiam, cùm etiam in morali Philosophia fateri cogantur, opera non esse iusticiam, sed à iusticia fieri opera.

Porrò Paulus hic non facit Fidem informem, & rude uelut chaos, cuius nihil sit neq; esse, neq; agere. Sed operationem ipsam tribuit fidei, & non charitati. Non fingens rudem quandam & informem qualitatem, sed asserens efficacem & operosam quidditatem, ac uelut substantiam seu formam (ut uocant) substantialem. Non enim dicit, Charitas est efficax, sed fides est efficax. Non Charitas operatur, sed fides operatur. Charitatem uerò facit fidei uelut instrumentum, per quod operetur. Iam quis nescit, quod instrumentem habet uim, motum & actionem, non à seipso, sed à fabro, operatore seu agente? Quis enim diceret, securis dat uim & motum secandi fabro? Nauis dat uim & motum nauigandi nautæ? Vel ut Esaiæ exemplum adducam, Quis dicit, Serra trahit fabrum, & baculus leuat manum? Non dissimile est, quod isti dicunt, Charitatem esse formam fidei, seu habuere uim & motum fidei, seu iustificare, cùm Paulus nec opera charitati concedat, quomodo concederet iustificationem? Certùm igitur est, iniuria magna, non solùm Pauli, sed ipsius quoq; fidei & charitatis, hunc locum pro charitate contra fidem esse deprauatum.

Sed ita accidit ignauis lectoribus, & qui suas cogitationes afferunt lectioni sacrarum literarum, Cùm uacui accedere deberent, & ex sacris literis referre cogitationes, Deinde uerba diligenter considerare, præcedentia cum sequentibus conferre, & hoc studere, ut integrum sensum alicuius loci caperent, non truncatis uocabulis aut excerptis uerbis, sua somnia affingerent. Paulus enim hoc loco non agit, Quid sit fides, aut quid coram Deo ualeat. Non (inquam) de iustificatione disputat. Hoc enim superius per totum prolixè fecit. Sed breui uelut Epiphonemate concludit, quid sit ipsa uita Christiana, dicens, In Christo Iesu neq; circumcisio neq; preputium quicquam ualet, sed fides per charitatem operosa, Id est, fides non ficta neq; hypocritica, sed uera & uiuax, Ea est, quæ exercet & urget bona opera per charitatem. Hoc est tantùm dicere, Qui uult esse uerè Christianus seu in Christi regno, hunc oportet esse uerè credentem. Verè autem non credit, si opera charitatis fidem non sequuntur. Et sic utriq; à dextris & sinistris excludit à regno Christi hypocritas. A sinistris Iudæos & operarios, dicens, In Christo neq; circumcisio, id est, nulla opera, nullus cultus, nullum prorsus uitæ genus, sed sola fides sine omni fiducia operum ualet. A dextris, ignauos & inertes ac desides, qui dicunt, si fides sine opere iustificat, ergo nihil operemur, sed credamus solùm, & faciamus quæ uolumus. Non sic impij, dicit Paulus. Verum est sine operibus iustificaueris, non iam fidem iustificare, sed de fide uera loquor, quæ postquam iustificauerit, non sistertet ociosa, sed est per charitatem operosa.

Igitur

Igitur sicut dixi, Totam uitam Christianam Paulus hoc loco pingit, scilicet esse fidem erga Deum intus, & charitatem seu opera erga proximum foris. Vt sic homo absolutè sit Christianus, Intus coram Deo per fidem, qui operibus nostris non indiget, Foris coram hominibus, quibus fides nihil prodest, sed opera seu charitas. Hac igitur forma uitæ Christianæ audita seu cognita, scilicet quod sit fides & charitas (ut dixi) nondum dicitur, Quid sit fides, Quid sit charitas, Hæc enim alia est disputatio. Nam de fide seu interna natura, ui & usu fidei, suprà disputauit, ubi eam docuit esse iusticiam seu potius iustificationem coram Deo. Hic docit eam esse inpultricem & effectricem bonorum operum seu charitatis erga proximum.

Quare hunc locum nemo rectè sapiens, potest intelligere de negocio iustificationis coram Deo, cum loquatur de tota uita Christianorum. Et est planè uitiosa Dialectica, seu fallacia Compositionis & Diuisionis, ubi de parte accipitur, quod de toto dicitur. Neq; enim Dialectica pati debet figuras Synecdochas & Hyperbolas, ut Rhetorica facit, cũ sit Magistra docendi, definiendi, diuidendi & colligendi, quantum fieri potest proprijssimè. Qualis enim esset ea Dialectica, Homo est anima & corpus nec sine anima & corpore esse potest, ergo corpus intelligit, anima sola non intelligit? Eadem Dialectica est, Vita Christiana est fides & charitas, seu fides per charitatem efficax, ergo charitas iustificat, non sola fides. Sed facessant humana somnia.

Hoc simul ex isto loco discamus, quàm horribiles sint tenebræ in istis Aegyptijs, qui non solũm fidem, sed etiam charitatem in Christianismo contemnunt, & loco eius sese fatigant operibus electitijs, rasuris, uestibus, cibis, & alijs infinitis personatibus & laruis, quibus uolunt Christiani uideri. Sed stat hic liberrimus Paulus apertis & disertis uerbis, Christianum facit. Fides efficax per charitatem. Non dicit Christianum facit cucullus, ieiunium, uestis, ritus, Sed fides uera erga Deum, quæ diligit proximum & benefacit, siue sit Seruus, Dominus, Rex, Pontifex, uir, mulier, purpuratus, pannosus, carnibus uescens, piscibus utens. Nihil, nihil horum facit Christianum, sed fides & charitas, Cætera sunt omnia mendacia & mera idolatria. Et tamen nihil est contemptius ea ipsa Fide & Charitate apud eos, qui Christianissimi esse uolunt, & planè Ecclesia sanctior, quàm ipsa Dei sancta Ecclesia. Rursus suas laruas & figmenta electiciorum operum admirantur & iactant, sub quibus alunt & tegunt horribiles suas idolatrias, impietates, auaritias, immunditias, odia, homicidia, & totius inferni & Diaboli regnum. Tam potens est uiolentia hypocrisis & superstitionis in omnibus seculis ab initio usque ad finem mundi.

REFVTATIO PAPISTICAE DOCTRINAE DE DVBITATIONE AN *simus in gratia.*

Tom. 4. Ienens. 122. Galat. cap. 4. Non debemus igitur dubitare Spiritum Sanctum habitare in nobis, sed certò statuere & agnoscere nos esse templum, ut Paulus ait, Spiritus Sancti. Nam si aliquis sentit amorem erga Verbum, & libenter audit, loquitur, cogitat, dictat & scribit de Christo, is sciat, hoc non esse opus humanæ uoluntatis aut rationis, sed donum Spiritus Sancti. Impossibile est enim ista sine Spiritu Sancto fieri. Contrã, ubi odium & contemptus Verbi est, ibi Diabolus, Deus huius seculi regnat, excæcat & captiua tenet corda hominum, ne illis fulgeat lux Euangelij, gloriæ Christi. Id quod hodie in uulgo uidemus, qui nihil afficitur Verbo, sed securrissimè contemnit,

temnit, ac si prorsus nihil ad se pertineret. In quibus uerò est aliqua flamma & scintilla Spiritus erga uerbum, illi agnoscant cum gratitudine, istum affectum per Spiritum Sanctum sibi infusum esse. Cum isto enim affectu non nascimur, neq; ullis legibus erudiri possumus, ut eum acquiramus. Hæc planè & simpliciter mutatio est dexteræ excelsi. Itaq; cùm libenter audimus prædicari de Christo Filio Dei, qui propter nos factus est homo, & subiecit sese legi, ut nos redimeret, cum Deus per & cum ista prædicatione certò mittit Spiritum Sanctum in corda nostra. Ideo maximè expedit pijs scire se Spiritum Sanctum habere.

Hæc dico pro confutanda Sophistarum & Monachorum perniciosa doctrina, quam docuerunt, & statuerunt, uidelicet, Neminẽ certò posse scire, etiamsi pro uirili sua benè operetur & inculpatè uiuat, Vtrum in gratia sit. Et ista sententia uulgatissima & receptissima fuit Principium & articulus quidam Fidei in toto Papatu, quo doctrinam fidei prorsus obruerunt, fidem euerterunt, conscientias perturbarunt, Christum ex Ecclesia sustulerunt, omnia beneficia & donum Spiritus Sancti obscurarunt & abnegarunt, uerum cultum Dei abrogarunt, idolatriam, contemptum & blasphemiam Dei in cordibus hominum erexerunt. Nam qui de uoluntate Dei erga se dubitat, & non certò statuit se esse in gratia, is non potest credere se habere remissionẽ peccatorum, se Deo curæ esse, se posse saluari.

Augustinus rectè & piè dicit, Vnumquenq; fidem suam certissimè uidere, si eam habet. Hoc ipsi negant, Absit, aiunt, ut certò statuam, quòd sim in gratia, quòd sim sanctus, quòd habeam Spiritum Sanctum, etiamsi sanctè uiuam & omnia faciam. Hanc impiam opinionem, qua totum regnum Papæ nititur, ut nocentissimam pestem uos iuniores fugite & exhorrescite, quia ea nondum imbuti estis. Nos senes in ea à puero educati sumus, eamq; ita imbibimus, ut coaluerit in imis uisceribus cordis nostri. Ideo non minori labore dediscimus eam quam ueram fidem discimus. Omninò autem nos certò statuere oportet, quod simus in gratia, quod placeamus Deo propter Christum, quod habeamus Spiritum Sanctum. Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Deinde quicquid dubitans cogitat, loquitur & operatur, peccatum est. Quia omne quod non est ex fide, peccatum est.

Quare siue sis Verbi minister, siue gubernes Rempublicam, certò statuere debes, tuum officium placere Deo. Illud autem nunquam statuere poteris, nisi habeas Spiritum Sanctum. At ais, Non dubito officium placere Deo, quia est ordinatio diuina, sed de persona dubito, an illa placeat? Hic consulenda est Theologia, quæ præcipuè hoc agit, ut certos nos reddat, quod non solùm officium personæ, sed etiam persona ipsa Deo placeat. Quia persona baptisata est, credit in Christum, sanguine eius ab omnibus peccatis mundata est, uiuit in societate Ecclesiæ, Item, non solùm amat puram uerbi doctrinam, sed uehementer etiam gaudet eam propagari, & numerum credentium augeri. Contrà, odit Papam & fanaticos spiritus cum impia sua doctrina, iuxta illud: Iniquos odio habui, legem autem tuam dilexi.

Ideo statuere certò debemus, non solùm officium nostrum placere Deo, sed etiam Personam nostram, Quicquid ea etiam priuatim dixerit, gesserit, cogitauerit, placet Deo. Non quidem propter nos, sed propter Christum, quem credimus pro nobis factum esse sub Legem. Sumus autem certissimi Christum placere Deo, eum sanctum esse, &c. Quatenus igitur placet Christus, & in eo hæremus, carnus & nos Deo placemus ac sancti sumus. Et quanquam hæreat peccatum adhuc in carne, & præterea etiam quotidie adhuc labamur, Tamen gratia uberior & potentior est peccato, Misericordia & ueritas Domini regnat super nos in æternum. Quare peccatum non potest terrere aut dubios nos reddere de gratia Dei in nobis. Christus enim Gigas potentissimus, sustulit Legem, peccatum damnauit, Mortem & omnia mala aboleuit, Donec ille est in dextera Dei, interpellans pro nobis, non possumus de gratia Dei erga nos dubitare.

Deinde

Deinde quoq; misit Deus Spiritum Filij sui, ut Paulus hic ait, in corda nostra. Christus autem certissimus est in Spiritu suo, se Deo placere, &c. Ideo & nos cũm eundem Spiritum Christi habeamus, debemus certi esse, nos esse in gratia, &c. propter eum qui certus est. Hoc de testimonio interno, quo cor certissimẽ statuere debet, se esse in gratia, se habere Spiritum Sanctum. Externa uerò signa, ut suprà dixi, sunt, libenter audire de Christo, docere, gratias agere, laudare, confiteri eum, cum dispendio etiam rerum & uitæ. Deinde secumdum uocationem pro uirili facere officium in Fide, gaudio, &c. non delectari peccatis, non irrumpere in alienam uocationem, sed propriæ seruire, adiuuare fratrem egentem, consolari tristes &c. Istis signis certi reddimur & confirmamur â posteriori, nos esse in gratia. Imaginantur & impij se ista signa habere, sed nihil minus habent.

Ex his satis constat, Papam sua doctrina tantum perturbare & ad extremum in desperationem adigere conscientias. Quia non solũm docet, sed etiam præcipit eas ambigere, &c. Ideo in ore eius, ut Psalmus ait, nihil est certi. Et alibi, Sub lingua eius est labor & dolor, uidemus autem hic, quanta sit adhuc infirmitas Fidei in pijs. Nam si certò possemus statuere, nos esse in gratia, nobis peccata esse remissa, nos habere Spiritum Christi, nos esse Filios Dei, tum profectò læti ac Deo grati essemus pro hoc inenarrabili dono. Quia uerò sentimus contrarios motus, timorem, dubitationem, tristiciam, &c. Ideo non audemus hoc certò statuere. Imò conscientia iudicat magnam præsumptionem ac superbiam esse, hanc gloriam sibi arrogare. Ideo res ista tum demum rectè itelligitur, cũm ad usum transfertur. Sine experientia enim nunquam discitur.

Quare unusquisq; assuefaciat se, quod certò statuàt, se esse in gratia & personam suam placere cum operibus. Si autem sentit se dubitare, exerceat Fidem & luctetur contra dubitationem, ac nitatur ad certitudinem, ut dicere possit, Scio me acceptum esse, Spiritum Sanctum habere, Non propter meam dignitatem aut meritum, sed propter Christum, qui propter nos subiecit se legi, & tulit peccata mundi. In hunc ego credo, Si ego peccator sum & erro, ipse iustus est, errrare non potest. Deinde libenter audio, lego, canto, scribo de eo, nihil magis cupio quàm Euangelium ipsius innotescere mundo, & multos conuerti.

Hæc certò testantur Spiritum Sanctum adesse. Talia enim non fiunt humanis uiribus in corde, nec ullis exercitijs aut laboribus acquiruntur, sed per Christum contingunt, qui primùm notitia sui iustificat nos, Deinde creat cor mundum, parat nouos motus, donat certitudinem illam, qua statuimus nos placere Patri propter ipsum, Donat item certum iudicium, quo probamus ea, quæ prius ignorabamus aut prorsus contemnebamus. Debemus igitur quotidie magis magisq; luctari ab incertitudine ad certitudinem, & operam dare, ut istam pestilentissimam opinionem (Quod homo dubitare debeat de gratia Dei) quæ totum mundum deuorauit, funditus extirpemus. Nam si dubitamus nos esse in gratia, nos placere Deo propter Christum, Negamus Christum nos redemisse, negamus simpliciter omnia eius beneficia. Vos iuniores facilè puram doctrinam Euangelij capere, & illam pestiferam opinionem uitare potestis, Quia ea nondum estis infecti.

Clamantem, Abba Pater. Potuisset Paulus dicere, Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, inuocantem Abba Pater, Sed consultò dicit clamantem, ut indicaret tentationem Christiani, qui adhuc infirmus est, & infirmiter credit. Rom. 8. uocat hunc clamorem, gemitum inenarrabilem, Similiter, & Spiritus adiuuat infirmitates nostras inquit, Nam quid oremus, ut oportet, nescimus, sed ipse Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, &c.

Est autem grauissima consolatio, quòd Paulus hic dicit, Spiritum Christi, missum à Deo in corda nostra, clamare, Abba Pater &c. Item Ro. 8. adiuuare infirmitates

mitates nostras,& intercedere pro nobis gemitibus inenarrabilibus, Qui hoc certò crederet, ille in nulla afflictione, quantumuis magna, deficeret. Sed multa hanc fidem impediunt. Primùm, quòd cor nostrum natum est in peccatis. Deinde, quòd hoc malum nobis naturaliter ingenitum est, quod de diuino fauore ergà nos dubitamus, non possumus certò statuere, nos placere Deo, &c. Præterea obambulat aduersarius noster Diabolus, edens terribiles rugitus, & dicit: Tu es peccator, ideo Deus irascitur tibi, & damnabit te in æternum. Contra hos maximos & intollerabiles clamores, nihil planè habemus, quo nos erigamus & sustentemus, nisi nudum uerbum, quod proponit nobis Christum uictorem Peccati, mortis & omnium malorum. Sed huic adhærere firmiter in isto certamine & pauoribus conscientiæ, hoc opus, hic labor est. Nulli sensui tunc ostenditur Christus, Non enim uidemus eum, non sentit cor in tentatione eius præsentiam & auxilium, Imò tunc apparet Christus irasci nobis & deserere nos. Deinde sentit homo in tentatione uim Peccati, infirmitatem carnis, dubitationem, ignita tela Diaboli, terrores mortis, sentit iram & iudicium Dei. Ista omnia fortissimos ac horribiles clamores edunt contra nos, ut nihil prorsus uideatur reliquum, quàm desperatio ac mors æterna.

At in mediis istis terroribus legis, tonitruis peccati, concussionibus mortis & rugitibus diaboli, incipit clamare (ait Paulus) Spiritus Sanctus in corde nostro, Abba Pater. Et clamor ipsius longissimè superat & perrumpit clamores fortissimos ac horribiles Legis, peccati, mortis, diaboli, &c. penetrat nubes & cœlum, ac pertingit usq; ad aures Dei, &c. Significat ergo Paulus his uerbis, infirmitatem adhuc in pijs esse. Idem docet Rom. 8. cùm ait Spiritus adiuuat infirmitates nostras. Cùm igitur sensus contrariorum fortis sit apud nos, hoc est, cum plus sentiamus Deum irasci, quàm fauere nobis, &c. Ideo mittitur Spiritus Sanctus in corda nostra, qui non suspirat, non inuocat, sed fortissimè clamat, Abba Pater, & intercedit pro nobis, secundum uoluntatem Dei, gemitibus inenarrabilibus. Quomodo?

In serijs pauoribus & certaminibus conscientiæ apprehendimus quidem Christum, & credimus eum saluatorem nostrum. Sed lex tum maximè terret & peccatum conturbat nos, Impugnat denique Diabolus nos omnibus machinis ac ignitis telis suis, & conatur totis uiribus eripere nobis Christum, & omnes consolationes excutere. Ibi parum abest, ne succumbamus & desperemus. Sumus enim tum arundo illa contrita, & linum fumigans. Inerim tamen Spiritus Sanctus adiuuat infirmitates nostras, & interpellat pro nobis gemitu inenarrabili, dato testimonium spiritui nostro, quod simus Filij Dei. Hoc modo in terroribus ergitur mens, suspirat ad Saluatorem ac Pontificem suum Iesum Christum, uincit infirmitatem carnis, atq; iterum consolationem concipit, & dicit, Abba Pater. Iustum ergo gemitum, quem nos uix sentimus, uocat Paulus clamorem & gemitum inenarrabilem, qui replet cœlum & terram. Deinde etiam clamorem & gemitum Spiritus uocat, quia nobis infirmis & tentatis, excitat Spiritus hunc clamorem in corde nostro.

Vt maximè igitur Lex, peccatum, diabolus, magnos & terribiles edant contra nos clamores, qui uidentur totum cœlum & terram replere, ac longissimè uincere gemitum cordis nostri, tamen non possunt nocere nobis. Nam quò plus hi hostes nostri instant, accusant & cruciant nos suis clamoribus, hoc magis ingemiscentes apprehendimus Christum, corde & ore inuocamus eum, hæremus in eo, & credimus eum pro nobis factum sub Legem, ut nos à maledicto legis redimeret, utq; peccatum & mortem destrueret. Atq; sic apprehenso Christo fide, clamamus per eum, Abba Pater, Iscq; clamor noster longè superat clamorem diaboli, &c. Verum

Verùm, vsque adeo non putamus istum gemitum, quem edimus in his terroribus, in hac imbecillitate nostra, esse clamorem, vt ægrè deprehendamus esse gemitum. Fides enim nostra, quæ sic in tentatione suspirat ad Christum, infirmissima est, quantùm ad sensum nostrum attinet. Ideo hunc clamorem non audimus. Verbum solùm habemus, quo apprehenso in illa lucta, respiramus paululum ac ingemiscimus, Hunćque nostrum gemitum aliquo modo sentimus, clamorem verò non audimus. Ille verò inquit Paulus, qui scrutatur corda, intelligit quid spiritus desideret, &c. Huic cordium scrutatori, iste exilis, vt nobis apparet, gemitus, est fortissimus clamor & inenarrabilis gemitus, in cuius comparatione, maximi & horribiles rugitus legis, peccati, mortis, Diaboli, inferni, prorsus nihil sunt, nec audiri possunt. Non frustra ergo Paulus hũc gemitum pij cordis afflicti vocat clamorem, & gemitum inenarrabilem spiritus. Replet enim totum cœlum, ac tam fortiter clamat, vt angeli putent se nihil vsquam audire, præter istum clamorem.

Contrà, apud nos est omnino contrarius sensus. Non videtur iste exiguus noster gemitus ita penetrare nubes, quòd solus audiatur in cœlo, à Deo & Angelis. Imò putamus, præsertim durante tentatione, Diabolum horribiliter contra nos rugire, cœlum mugire, terram tremere, omnia collapsura esse, omnes creaturas minari malũ, infernum operiri, ac velle nos deglutire. Hic sensus est in corde nostro, has horribiles voces, hanc terrificam faciem nos audimus & videmus. Atq; hoc est, quòd Paulus 2. Cor. 12. dicit, Potentiam Christi in infirmitate nostra perfici. Est enim Christus, tum verè omnipotens, tum verè regnat ac triumphat in nobis, quando nos tam infirmi sumus, vt vix gemitum edere possimus. Verùm Paulus dicit eum gemitum, in auribus Dei esse fortissimum clamorem, qui totum cœlum ac terram repleat.

Vocat & Christus Lucæ. 18. in parabola de iniquo iudice istum gemitum cordis pij, clamorem, & talem clamorem, qui indesinenter die ac nocte clamet ad Deum, cum inquit: Audite quid iudex iniquus dicat. Num igitur Deus non faceret vindictam electorum suorum, clamantium ad se die ac nocte, & patientiã haberet super illis? Dico vobis, citò faciet vindictam illorum. Nos hodie in tanta persecutione & contradictione Papæ, tyrãnorum ac Fanaticorum spirituum, qui impugnant nos à Dextris & sinistris, nihil possumus quàm ędere tales gemitus, ac isti fuerunt bombardæ ac instrumenta nostra bellica, quibus dissipauimus tot annis consilia aduersariorum, quibus demoliri cœpimus Antichristi regnum. Illi etiam prouocabunt Christum accelerare diem aduentus sui glorioſi, quo abolebit omnem principatum, potestatem ac virtutem, ponetq; omnes inimicos sub pedes suos, Amen.

Item Exodi. 14. loquitur Dominus Mosi ad mare rubrum, dicens: Quid clamas ad me? Certè Moses non clamabat, sed tremebat, ac penè desperabat. Erat enim in summis angustijs. Incredulitas videbatur regnare in eo non fides. Videbat enim populum Israel ita montibus, exercitu Aegyptiorum, ac mari conclusum, vt nusquam posset aufugere. Hîc Moses ne mutire quidem audebat quomodo igitur clamauit? Quare, non debemus iudicare secundum sensum cordis nostri, sed secundum verbum Dei, quod docet Spiritum Sanctum ideo afflictis, conterritis, desperabundis, &c. Vt eos erigat ac consoletur, ne in tentationibus & omnibus malis succumbant, sed ea vincant, non tamen sine maximis pauoribus & laboribus.

Papistæ somniarunt sanctos ita habuisse Spiritum Sanctum vt nunquam sensérint aut habuerint tentationem. Hi speculatiuè tantùm, vt & hodie fanatici homines de Spiritu Sancto, loquuntur. Sed Paulus dicit virtutem Christi in nostra infirmitate perfici. Item, Spiritum Sanctum adiuuare infirmitatem nostram, & interpellare pro nobis gemitu inenarrabili, &c. Ergo tum maximè habemus opus

Spiritus Sancti auxilio & consolatione, tumque maximè adest nobis, cùm maximè sumus impotentes ac desperationi proximi. Si quis forti ac læto animo mala perfert, in eo iam fecit officium suum Spiritus Sanctus. In his autem, propriè exercet opus suum, qui vehementer conterriti sunt, & appropinquauerunt, vt Psalmus ait, vsq; ad portas mortis. Vt de Mose iam dixi, qui videbat præsentissimam mortem in aquis, & quòquò vertebat vultum. Fuit igitur in summa angustia & desperatione, proculque dubio sensit in corde fortissimum clamorem Diaboli contra se dicentis: Iste totus populus hodie peribit, nusquam enim potest elabi. Huius maximi mali tu solus eris autor, quia eduxisti eum ex Aegypto. Ad hæc accessit clamor populi qui dixit. An non erant sepulchra in Aegypto? Tu ideo eduxisti nos, vt hîc moreremur in deserto. An non melius fuisset seruire Aegyptijs, quàm hîc miserè nos mori in deserto? Ibi Spiritus Sanctus non fuit speculatiuè in Mose, sed reuera, qui pro ipso interpellauit gemitu inenarrabili, vt suspiraret ad Deum, & diceret, Domine tuo iussu eduxi populum, fer igitur opem. Hunc gemitum vocat scriptura clamorem.

Ista copiosius tractaui, vt clarè ostenderem, quod sit officium Spiritus Sancti, & quando hoc præcipuè exerceat. Debemus igitur in tentatione nullo modo iudicare de illa re ex sensu nostro, seu ex clamore legis, peccati, Diaboli, &c. si hîc sensum nostrum sequi, & istis clamoribus credere volumus, iudicabimus nos destitutos omni auxilio Spiritus Sancti, ac planè proiectos à facie Dei. Quin potiùs meminerimus tunc, quod Paulus dicat, Spiritum adiuuare nostras infirmitates, &c. Item, clamare, Abba pater, hoc est, edere infirmissimum quēdam singultum ac gemitum cordis, vt nobis apparet, qui tamen sit coram Deo maximus clamor & inenarrabilis gemitus. Quare in omni tentatiōe ac infirmitate tua, here saltem in Christo ac geme, is dat Spiritum Sanctum, qui clamat, Abba pater. Isque exiguus gemitus, in auribus Dei, fortissimus est clamor, & ita cœlum & terram replet, vt præter eum Deus nihil audiat, præterea compescit omnes omnium aliarum rerum clamores.

Obseruabis etiam quod Paulus dicit, spiritum non multis verbis aut longa oratione intercedere pro nobis in tentatione, sed tantùm gemitu, inenarrabili tamen, nec voce fortiter testari clamorem cum lachrymis, & dicere: Miserere mei Deus, &c. Sed tantùm ipsam clamoris ac gemitus vocem edere, quæ est, Ah pater. Quæ quidem breuissima vox est, sed omnia complectitur. Non os, sed affectus ibi loquitur ad hunc modum. Etiamsi angustiæ sint mihi vndique, & videar desertus ac proiectus à facie tua proiectus, sum tamen filius, tu pater, propter Christum, sum dilectus, propter dilectum.

Quare vocabula pater, formaliter dicta in corde, est eloquentia, quam Demosthenes, Cicero, & quique eloquentissimi, qui vnquam fuerunt in mundo, non possunt exprimere. Res ista, non verbis, sed gemitibus exprimitur, qui omnibus verbis omnium Rhetorum, non exprimuntur. Sunt enim inenarrabiles.

Multis indicaui Christianum hominem oportere certissimè statuere, se esse in gratia Dei, & habere clamorem Spiritus Sancti in corde suo. Hoc ideo feci, vt omnino discamus repudiare pestilentissimam opinionem totius regni Papæ, quòd docuit, Hominem incertum debere esse de gratia Dei erga se. Hac opinione stante Christus planè nihil prodest.

Nam qui de gratia Dei erga se dubitat, illum necesse est etiam dubitare de promissionibus diuinis, & per consequens de voluntate Dei, de Christi beneficijs, quod pro nobis natus, passus, mortuus est, resurrexit, &c. Nulla autem maior blasphemia in Deum est, quàm negare eius promissa, negare Deum ipsum, Christum, &c. Ideo extrema fuit, non solùm dementia, sed etiam impietas, quòd Monachi

Monachi tanto ſtudio allexerunt iuuentutem vtriuſque ſexus in monaſteria ad religiones & ordines Sanctos, vt vocauerunt, tanquam ad certiſsimum ſtatum ſalutis: Et tamen poſtea ſic allectos, iuſſerunt dubitare de gratia Dei. Deinde, Papa totum genus humanum vocauit ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tanquam ad Sanctum ſtatum, in quo certò conſequi poſſent ſalutem, poſtea tamen obedientes ſuis legibus iuſsit dubitare. Sic regnum Antichriſti, primùm iactat & inflat ſanctitatem legum, ordinum, regularum, &c. ac certò promittit vitam æternam obſeruantibus illa. Deinde, vbi diu afflixerunt miſerrimi homines corpora, iuxta præſcriptum humanarum traditionum, vigilijs, inædia, &c. hoc lucri inde reportant, quod neſciunt an iſta eorum obedientia placeat Deo, nec ne. Sic Satan horribiliter luſit in mortibus animarum per Papam. Ideoq; Papatus eſt veriſsima carnificina conſcientiarum, & ipſiſsimum Diaboli regnum.

Vſi autem ſunt, pro hoc ſuo peſtilenti errore ſtatuendo & confirmando, dicto Salomonis. Eccleſ. 9. Sunt iuſti & ſapientes, & eorum opera in manu Dei. Et tamen neſcit homo, vtrùm amore an odio dignus ſit. Hoc dictum alij de futuro, alij de præſenti odio Dei accipiunt. Sed vtriq; non intelligunt Salomonem, qui nihil minus dicit hoc loco, quàm quod ipſi ſomniant. Deinde tota ſcriptura hoc præcipuè agit, ne dubitemus, ſed certò ſperemus, confidamus, & credamus, Deum eſſe miſericordem, benignum, patientem, non mentientem & fallentem, ſed fidelem & veracem, qui ſeruet promiſſa. Imò qui nunc præſtiterit quod promiſit, tradendo vnigenitum filium ſuum in mortem, propter peccata noſtra, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ibi certè nullum poteſt eſſe dubium, quin Deus ſit placatus, & ex animo nobis faueat, quin ablatum ſit odium ac ira Dei, cùm ſinat pro nobis peccatoribus mori filium ſuum. Quanquam totum Euangelium hoc vbique proponat, & crebrò inculcet, nihil tamen profuit. Hoc vnicum dictum Salomonis, malè intellectum, plus valuit, præſertim apud deuotarios & ſeuerioris religionis Monachos iſtos, quàm omnes promiſsiones & conſolationes totius ſcripturæ, quàm Chriſtus ipſe. Abuſi ergo ſunt ſcripturis ad ſuam ipſorum perniciem, & dederunt iuſtiſsimas pœnas contemptæ ſcripturæ & neglecti Euangelij.

Iſta expedit nos ſcire. Primùm, Quia Papiſtæ hodie ornant ſe, quaſi nihil mali vnquam commiſerint. Ideo conuincendi ſunt ſuis propriis abominationibus, quas innumerabiles ſparſerunt in mundum. Id quod teſtantur ipſorum libri, quorum infiniti de hac re adhuc extant.

Deinde vt certi reddamus nos habere puram ac veram Euangelij doctrinam. De qua certitudine impoſsibile eſt, Papatum poſſe gloriari. In quo ſi etiam omnia ſalua eſſent, tamen iſtud monſtrum Incertitudinis, ſuperat omnia monſtra. Et quam palam eſt, inimicos Chriſti incerta docere, quia iubent dubitare conſcientias, tamen adeo Satanica rabie pleni ſunt, vt nos qui ab ipſis diſſentimus & certa docemus, condemnat & occidant ſecurriſsimè tanquam hæreticos, velut certiſsimi de ſua doctrina.

Agamus igitur Deo gratias, quod liberati ſumus ab hoc monſtro incertitudinis, ac iam certò ſtatuere poſſumus Spiritum Sanctum clamare, ac inenarrabilem gemitum edere in cordibus noſtris. Hocque fundamentum eſt noſtrum. Euangelium iubet intueri nos, non benefacta & perfectionem noſtram, ſed ipſum Deum promittentem, ipſum Chriſtum mediatorem. Contrà, Papa iubet reſpicere, non Deum promittentem, non Chriſtum pontificem, ſed noſtra opera & merita. Ibi neceſſariò ſequitur dubitatio & deſperatio, illic verò certitudo & gaudium ſpiritus. Quia in Deo hæreo qui mentiri non poteſt, Dicit enim, ecce trado filium meum in mortem, vt te ſanguine ſuo redimat à peccatis & morte, ibi non poſſum dubitare,

nisi velim prorsus Deum negare. Atque hæc est ratio cur nostra Theologia certa sit. Quia rapit nos è conspectu nostro, & ponit nos extra nos, vt non nitamur viríb. cõscientia, sensu, persona, operib. nostris, sed eo nitamur quod extra nos, hoc est, promissione & veritate Dei, quæ fallere nõ potest. Hoc Papa nescit, ideo impiè nugatur cũ suis furijs: Neminem scire ne iustos quidem & sapientes vtrùm dignisint amore, &c. Imò si iusti & sapientes sunt certò sciunt se dilígi à Deo, vel iusti & sapientes nõ sunt.

Porrò hoc dictum Salomonis prorsus nihil loquitur de odio vel fauore Dei erga homines, sed politica est sententia, taxans ingratitudinẽ hominum. Tanta enim est peruersitas & ingratitudo mundi, vt benè meritis de se, sæpè referat malam gratiã, & quandoq; etiam indignissimè eos tractet. Contrà, improbos euehit & honorea ficit. Sic Dauid hic sanctus & optimus Rex, eiectus est è regno, Prophetæ, Christus Apostoli occisi sunt, Deniq; omnium gentium historiæ testantur multos viros optimè meritos de patria, eiectos esse à proprijs ciuibus in exilium & illic miserè vixisse, quosdam etiam turpiter perijsse in carcere. Quare Salomon non loquitur hîc de conscientia agẽte cum Deo, seu de fauore & iudicio Dei, sed de iudicijs & voluntatibus hominum inter se, Q. D. Multi iusti & sapientes sunt, per quos Deus multum bona operatur, & præstat pacẽ hominibus. Sed tantùm abest, vt hoc agnoscãt homines, vt sæpe talibus pessimam gratiam pro optimis suis benefactis referant. Itaq; vt maximè aliquis omnia benè fecerit, tamen nescit vtrum hac sua diligentia & fide mereatur odium aut fauorem apud homines.

Sic nos hodie cùm putabamus inuenturos nos fauorem apud Germanos nostros, quòd illis prædicamus Euãgelium pacis, vitę & salutis æternæ, inuenimus prorsus fauore acerbissimum odium. Multis primùm arridebat doctrina nostra, & auidè suscipiebant eam: Hos putabamus fore amicos & fratres, qui nobiscum vnanimi consensu plantaturi & propagaturi essent ad alios doctrinam hanc. Sed nunc experimur eos esse Pseudofratres & infensissimos hostes nostros, qui errores serũt, & hoc quod nos rectè & piè docemus, deprauant, &c. euertunt, ac passim scandala in Ecclesijs excitant. Quicunq; igitur piè & fideliter facit officium suum, in quocunque tandem vitæ sit genere, & accipit pro beneficijs suis ingratitudinem, &c. odium hominum, is propter hoc se nõ ad mortem vsq; excruciet, sed dicat cum Christo, odio habuerunt me gratis. Item, pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, Ego autem orabam.

Papa igitur hoc impio dogmate, quo iussit homines dubitare de fauore Dei erga se, sustulit Deum & omnes promissiones de Ecclesia, obruit beneficia Christi, & totum Euangelium aboleuit. Ista incommoda necessariò sequuntur, quia homines non promittenti Deo, sed suis operibus & meritis nituntur. Hoc vbi fit, impossibile est hominem certum esse de voluntate Dei, imò necesse est eum semper ambigere de ea, ac tandem desperare. Nusquam cerni potest, quid Deus velit, quid ei placeat, nisi in verbo ipsius. Hoc certos nos reddit, Deum abiecisse omnem iram ac odium erga nos, tradiderit filium suum vnigenitum pro peccatis nostris, &c. Reddunt item nos certos sacramenta, potestas clauium, &c. quæ, nisi diligeret nos Deus, non tradidisset nobis. Talibus infinitis testimonijs de fauore suo erga nos, obruit nos Deus. Quare explosa hac peste incertitudinis, qua tota Ecclesia Papę infecta est, certò statuamus Deum nobis propicium, nos illi placere & curę esse propter Christum, nos habere S.S. qui interpellat pro nobis clamore & gemitu inenarrabili. Est aũt iste clamor & gemitus formaliter, vt Deum in tentatione appelles non tyrannum, iratũ iudicẽ aut tortorẽ, sed patrem. Quanquã is gemitus tam exiguus & occultus sit, vt vix sentiri possit. Nam in veris pauorib. cõscientia cũ iudicio Dei luctans, vocare solet Deũ non patrem, sed iniquum iratum & crudelem Tyrannum ac iudicẽ, atq; is clamor, quẽ inserit cordi Satan, longè superat clamorem S. & fortissimè sentitur. Apparet enim rũ, quod Deus deseruerit nos, ac velit nos detrudere ad miseros. Sic sæpè in Psalmis sancti, quæ-

ſancti, queruntur, proiectus ſum à facie Dei. Item, factus ſum ſicut vas perditum, &c. Is certè non eſt gemitus, qui dicit, Pater, ſed rugitus odij Dei, qui fortiter clamat, ſæue iudex, crudelis tortor, &c. Hîc tempus eſt, vt auerſis oculis à lege, operibus, ſenſu conſcientiæ tuæ, apprehendas fide promiſsionem, hoc eſt, verbum gratiæ & vitæ, quod conſcientiam iterum erigit vt incipiat gemere & dicere, vt maximè accuſet me lex, perterrefaciat peccatum & mors, tamen tu Deus promittis gratiam, iuſticiam & vitam æternam per Chriſtum. Sicque promiſsio gemitum affert qui clamat, Abba pater.

DIFFERENTIA TIMORIS SERVILIS ET FILIALIS.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 774. Pſal. 2. Omnes Chriſtianos exercet & vexat, imò prorſus abſorbet, vel triſticia in rebus aduerſis, vel ſecuritas in lætis. Tales natura ſumus omnes. Peccata captiuant nos, vt non poſsimus exultare in timore in exultatione. Adeo difficilis mixtura, & prorſus impoſsibile hoc temperamentum põderis eſt (licet enim Philoſophico vocabulo in Theologica materia vti) quod Spiritus Sanctus hîc ponit. Nam timere & lætari ſunt affectus prorſus contrarij, & tamen ſi volumus Chriſtiani eſſe, vtrumque neceſſe eſt, vt & paueamus & exultemus.

Recentiores Theologi diſputarunt multa de timore ſeruili & filiali: Ac ſanè facilè eſt videre, quid interſit inter patrem caſtigantem filium, & lictorem. Cùm enim pater filium caſtigat, non abijcit omnem ſpem filius. Videt enim finem virgæ, hoc eſt, ſentit iam cum virga ceſſare. Igitur etſi dolet, etſi, patris iram metuit, tamen retinet ſpem miſericordiæ. Tali animo in pœna non eſt fur, cùm à lictore arripitur. Nouit enim lictoris animum talem, vt propitius non ſit, niſi prius laqueo ſtrangulauerit furem. Deſperat igitur quia pœnæ nullum videt finem.

Hoc Oeconomicum exemplum admodum luculentum eſt, ſed nobis conſtitutis in pœna perſuaderi non poteſt, Deum eſſe nobis patrem. Itaque timemus eum, non filiali timore (non enim videmus conſilium erudiendi) ſed ſeruili. Statuimus enim Deum iraſci ſine fine. Qui igitur hîc poſſet ſapere, cùm ſentit peccatorũ pœnas & diſcere, Es filius Dei, Deus autem, ſicut pater filium, quem diligit, caſtigat. Momentum eſt ira eius, Non in æternum iraſcetur Dominus, hic faceret, quod Spiritus Sanctus hoc in loco iubet.

Dauid hanc artem tenuit, ſicut teſtantur conciones eius. Deinde, etiam experientia oſtendit, eum in pœna non abijcere ſpem, retinet enim inuocationem. Etſi aũt exultatio valde eſſet infirma, tamen quia finem flagelli videbat, vincebat timorem, ne, quod impijs accidit, abſorboremur penitùs. Carnem ſi ſpectes etiã in Dauide penè obruta eſt timore, vt exultationem non ſentiat. Et tamen ſicut Paulus dicit, mente ſeruit legi Dei, etiam in ipſa pœna exilij, Deum inuocat, ſentit, non vt apud lictorem nullum eſſe veniæ locum, etiam dum plagas accipit, Hoc ſecum ſtatuit, Pater eſt, non iraſcetur in perpetuum. Facilè igitur dictu eſt, quod timor Dei, verus ſit filialis timor hoc eſt, mixtus cum exultatio, ſeu ſpe, ſed ſi ſequaris ſenſum, timore ſenties exultationem quaſi obrui & extingui. Sed ne ideo abijcias animum, nec deſperes ſuſtine Dominum, & apprehẽde verbum, quod concionatur iram Dei eſſe momentaneam, vitam autem eſſe in voluntate eius, hoc eſt velle Deum vt viuamus, non velle, vt pereamus, atque hanc ipſam ob cauſam immittere plagas. Sic fiet vt ſaltem guttulam aliquam exultationis ſentias, ea paulatim creſcet, vt tandem ſuperet timorem. Difficilis praxis, ſed tamen eiuſmodi, quam, ſicut teſtantur exempla, ſancti Dei didicerunt. Oportet autem nos eorum ſequi veſtigia, & hanc artem etiam diſcere, Adiuuabit autem nos, preſertim ſi orauerimus, Spiritus Sanctus.

Multi iuuenes timent Dominum, nec ruunt sicut Satanæ mancipia in libidines. Horum corda si inspicias, videbis ea sic turbari æstibus libidinis, vt ipsi ne guttam quidem castitatis sentiant, quam tamen totis animis optant sibi dari. Quid multa? Ipsi iudicant & sentiunt sua corda esse ceu lupanaria, in quibus nihil sit castitatis, & tamen latet in imo cordium castitas, sed oppressa sensu libidinis, donec tempus contigij venit. Etsi enim sensu carnis carere non possunt, tamen gemunt corda castitatem, quam abesse sentiunt, optant adesse, & inuiti tolerant istas flammas libidinis. Ita Sicut igitur hîc castitas ceu in angulo latens penè extinguitur sensu libidinis, quoque exultatio nõ sentitur, sed occupat omnia timor, & tamen non vincit timor. Sic aliæ passiones prædominantur, quô ad sensum, sed virtus & spes tandem prædominantur quô ad vim. Maior enim est vis virtutis, quàm timoris, libidinis & aliarum passionum.

Hæc sic discenda & ferenda sunt. Non enim aliter fiet, virtus Dei in infirmitate perficitur. Paulus quoq; libẽter habuisset purum timorem, puram exultationem, puram castitatem, hoc est, purum sensum horum donorum, quæ habebat, & quibus indigebat. Sed hæc in hac vita, si contingant, non erit amplius calamitosa vita, sed amœna Paradisus. Iuuenis, senex, si nullum peccati sensum haberet, si non exercerentur desperatione, simpliciter esset in regno cœlorum. Sed talis hæc vita non debet, imò ne potest quidem esse. Non debet sentiri pura exultatio, debet admixtus esse timor, donec enim hæc caro viuit, facit quôd est carnis. Hæc nos nunquam emendabimus perfectè, Itaq; ideo non desperemus. Spiritus enim est absc̃ditus, eum Deus videt, & quia Christum apprehendimus fide, peccata carnis libenter condonat. Hęc est vna pars cultus, vt seruiamus Christo regi in timore, & exultemus ei in tremore. Magna autem causa est cur exultationem coniungat cum tremore. Si enim pura exultatio sentiretur, sequeretur securitas, securitatem præsumptio, præsumptionem autem damnatio. Non enim tolerare Deus præsumptionem potest. Sic autem rectè miscebimus hæc, si in Deo exultemus, in nobis autem conturbemur. Sumus enim non solùm stulti, sed etiam miseri peccatores. Causæ igitur satis est, vt tremamus & metuamus nobis.

Sed hîc non consistendum est. Si enim nihil videas, quàm quòd peccator sis, sequetur desperatio. Igitur attollendi sunt oculi, & respiciẽdum est in Christum, cum quo sequetur timorem exultatio. Sic enim dicemus, sum sanè peccator, sed non ideo desperabo. Christus enim iustus est, Imò Christus mea peccata transtulit in se, & ideo passus est ac resurrexit, vt ego iusticiam eius induerem. Si igitur in me non est consilium, ipse est mihi à Deo positus, vt sit sapientia mea, &c.

REFVTATIO OPINIONIS, QVEMLIBET SVA FIDE SALVARI.

Genes. cap. 47. Tom. 4. fol. 179. Zuinglius nuper scripsit, Numam Pompilium, Hectorem, Scipionem, Herculem, frui æterna beatitudine in Paradiso cum Petro & Paulo & alijs Sanctis. Quod nihil aliud est, quàm apertè fateri, quòd sentiant nullam esse fidem, nullum Christianismum. Si enim Scipio & Numa Pompilius, qui fuerunt Idolatrę, saluati sunt, cur oportuit Christum pati & mori, aut quorsum opus est baptizari Christianos, aut doceri Christum? Adeo horribiliter ruunt neglecto & omisso verbo, neque quicquam sciunt de fide, sed illud ipsum statuunt & docent, Homo faciens quod in se est, saluatur.

Itaq; valde pernicios̃us error est, quem nos neutiq; probare aut tueri possumus. Et tamen audio Zuinglium allegare commentarium meum in Genesin, vbi dixi aliquos de generatione Cainica saluatos esse, idq; etiamnum doceo, sed non dico, quòd saluati sunt, vt Cainitæ aut Aegyptij, sed vt incorporati & coniuncti Ecclesiæ piorum. Supra enim

Suprà enim audiuimus quoties narrauit Moses excitata fuisse altaria ab Abrahamo & alijs Patribus, docuisse eos familiam suam, & ad eam alios quoque accessisse, audiuisse conciones, & verbum traditum à Patribus amplexos esse, adiunxisse etiam vota & preces suas ad inuocationem piorum. Non hoc dixi, esse gentes per se, aut ex sese ipsis, aut per suos ritus saluatas, sed per verbum Patrum, id quod tantopere prędicat Psalmus 105. De Ioseph. Erudiuit Regem, Principes & senes Aegypti, &c.

At quę hæc Theologia est, non discernere inter verbum & non verbum, inter lucem & tenebras? Vbi enim est verbum, ibi & lux est, vbi non est verbum, ibi sunt tenebræ. Num igitur hi qui lucem & verbum habent, coniungendi videntur cum ijs qui in tenebris sunt? Ita fit nimirum, quando ab vno articulo aberratur, vt nullus modus nec finis sit errandi. Sic enim Aegypti subinde ad turpiorem idolomaniam prolapsi sunt, vt tandem non sint veriti cattos & mures adorare, quę insania etiam à Iuuenale Ethnico poeta ridetur:

Fœlices quibus hæc, nascuntur numina in hortis. Coluerunt enim allia quoque & cœpe, Qui igitur semel à recta via deflexerunt, illi paulatim à Sathana & alios & grauiores lapsus impelluntur. Et Zuingliani adhuc multò fœdius labentur, propterea quòd pergunt defendere errores.

Non igitur hoc adfirmo cum Zuinglio, Cainicam Ecclesiam aut Numam Pompilium & similes seruatos & factos esse hæredes regni cœlorum, sed aliquos bonos viros & mulieres ex genere & familia Cain, audiuisse verbum & doctrinam Patrum & ea fide peruenisse ad societatem regni cœlestis cum Ecclesia Patriarcharum.

Semper enim solitus est Deus ex gentibus etiam sibi Ecclesiam colligere, sicut Ruth fuit Moabitis, Raab fuit Cananitis, quæ recensentur in genealogia Christi. Neque hæ solæ adiunxerunt se pijs, sed & multi alij Cananæi cum illis. Non quòd Ruth aut Raab suo errore facta sit particeps remissionis peccatorum, sed conuersa & accepit verbum ab Israelitis. Id nimirum est, ex gentili & infideli, fieri fidelem. Postquam enim credidit verbo quod audiuit, non iam amplius gentilis, sed membrum Ecclesiæ fuit. Sic & Naaman conuersus fuit per Prophetę Helisæi verbum & doctrinam.

Scio multos in ea fuisse opinione ante quindecim annos, quòd quilibet homo in sua fide saluaretur. Hoc quid aliud est, quàm ex omnibus inimicis Christi vnam facere Ecclesiam? Vnde mox sequetur frustra missum esse verbum, & Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum: Nec iam vlla erit differentia inter Turcas, Papistas, Iudæos, & nos qui habemus verbum.

Non excludo quidem gentes, sed dico eas nulla alia ratione fertiari, quàm per verbum Christi. Iethro sacerdos Midian, vel per Mosen vel per Ioseph noticiam Dei adeptus est quia Ioseph non fuit otiosus, sed diligenter & sedulò docuit, & multas familias cum quibus vixit, ad agnitionem Dei perduxit. Verbum non est ex gentibus, sed vt Christus inquit: Salus ex Iudæis. Veruntamen non solùm apud Iudæos mansit, sed propagatum est ad gentes, quæ à Iudæis acceperunt.

Mira igitur audacia & impudentia Zuinglianorum est, qui talia docere, & mea autoritate atque exemplo abuti audent. Non enim aliud docui nec sensi vnquam, quàm quòd ex. 105. Psal. in hac historia aliquoties repetiui, Principes Aegypti eruditos esse à Ioseph, qui cum essent gentiles, nequaquam saluati sunt suis impijs sacrificijs, sed sapientiam & veram Dei agnitionem hauserunt ex concionibus Ioseph.

Ad eundem modum conuertit maximam partem populi, & verbum eius commodissimum locum habuit, aucta & confirmata ipsius authoritate, per mirandam administrationem toto illo tempore famis & fertilitatis. Huc accessit Iacob, cum filijs & familia sua, fuitque pulcherrima Ecclesia, Rex fidelis, Principes pij &

populus rectè sentiens de Deo sine circumcisione tamen & alijs ritibus: quinetiam quibusdam cæremonijs Aegyptiorum & mactatione pecorum concessa.

Quanquam postea abiecta vera & simplici doctrina externa tantùm opera & sacrificia retinuerunt, quæ etiam sanctorum Patrum posteritas secuta est, vt in cultu vituli aurei, & sæpe aliàs. Sacrificia habuerunt à Patribus, sed his abusi, deinde in horribilem Idolomaniam prolapsi sunt. Sic enim solet Diabolus ex Ecclesia facere infernum. Atque idem nobis Germanis timendum est, qui tanta luce Euangelij fruimur, pro qua vt simus grati, & summo studio verbum retinere conemur, quotidie monemur, & minatur Deus grauissimas pœnas & tenebras contemptoribus. Sed facillimè poterit fieri, vt aliquantò post omnia repleantur delirijs & sectis hominum fanaticorum, qui nobis viuentibus iam non obscurè petulantiam suam exercere, & corruptelas doctrinæ spargere audent. Simus igitur grati, & insidias eorum cauere discamus.

DE NOVA OBEDIENTIA SEV DE BONIS OPERIBVS FIDELIVM.

QVID SIT.

Genes. cap. 22. Tom. 2. fol. 197. Bonum opus esse illud nos adfirmamus, quod fit in fide & obedientia Dei, ab eo qui credit Deum creatorem, seruatorem & resuscitantem à mortuis. Econtrà Monachus, Sacerdos Baal, Turca, Iudæus, nunquam credit in obedientia Dei. Nequaquam: quia nullum mandatum Dei habet.

Sic Achas magnum opus facit, sed contra Deum & eius verbum. Ideò rectè. Micheæ 6. dicitur. Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo? &c. Non, quia non est præceptum. Abraham habuit singulare mandatum Dei, alij non item. Quia non generaliter dicit: Quicunq; immolauerit Deo filium, placet Deo.

Non possumus omnes vnum & idem opus facere, sicut in corpore humano diuersorum membrorum diuersas operationes esse necesse est. Pedes non fabricant, manus non ambulant. Sed vna est obedientia, & vnus Spiritus S. Obedientia autem sit certa de fide, quæ nulla est, vbi non est promissio diuina. Neq; opera placent, vbi non est mandatum Dei. Papistæ & Turcæ sunt pleni fide sed conficta, quia dicunt: Ego sic credam, igitur sic Deo placebo. Id verò electicium est propria opinione: Ideoque deuotio est, non ad Deum, sed ad Diabolum pertinens.

Itaque exemplum illud singulare Abrahæ, non est trahendum in consequentiam. Sed obedientiam & fidem resurrectionis, occisi peccati, mortis, quæ in ipso & filio sunt, imitari debemus. Postea quisque suo loco & ordine in eadem fide maneat, & obediat Deo. Ita erimus socij Angelorum, hospites, & conuiuæ Regni Dei.

OBEDIENTIA VERA QVID SIT.

Genes. cap. 12. Tom. 2. fol. 11. Obedientia vera est non facere quod tu elegeris, vel tibi imperaueris, vel quod Dominus per verbum suum te iusserit. Hæc definitio ex hoc ipso Mosis loco sumitur, cùm de Abrahamo dicit: Abijt itaque Abraham, sicut locutus erat ad eum Dominus. Hîc obedientiam Dialecticè descriptam habes, quod requirit verbum Dei. Itaq; vbi Deus non loquitur sed tacet, ibi nulla potest esse obedientia.

Deinde non satis est Deum loqui, sed requiritur vt tibi loquatur. Sic verbum Dei erat ad Abrahamum, vt mactaret filium. Vera igitur obedientia & digna laude fuit, quòd Abraham verbum illud voluit exequi. Sibi enim id dictum erat. Sed quod

quod posteri Abrahæ, hoc ipsum imitabantur, etsi opus idem esset, tamen non fuit obedientia. Non enim iussi erant ipsi hoc vt facerent, sicut Abraham erat iussus. Sic iubetur adolescens in Euangelio omnia vendere, & Christum sequi, ac pulcherrimum fuisset obedientiæ opus, si paruisset. Monachi gloriantur se idem facere, ac putant hanc veram obedientiæ laudem, sed non est obedientia, quia non ipsis hoc mandatum dedit Christus.

Diligenter igitur notanda hæc descriptio est: Abijt Abraham sicut ad eum locutus est Dominus. Dominus inquit, locutus est, & locutus est Abrahamo vt egrederetur. Ergo hæc egressio fuit sanctissimum opus, & Deo gratissima obedientia.

CVLTVS DEI QVID.

Genes. cap. 4. fol. 95. Tom. 1. Hic pulcherrimè definitur, quid sit colere Deum. Nempe inuocare nomen Domini, quod est opus seu cultus primæ tabulæ, quæ de veris Dei cultibus præcipit. Complectitur autem inuocatio nominis Domini, prædicationem verbi, fidem seu fiduciam in Deum, confessionem, &c. Sicut coniungit hæc eruditè Paulus Roman. 10. Pertinent quoque ad cultum Dei, opera secundæ tabulæ, sed ea non immediatè ad Deum referuntur.

Porrò quod Moses non dicit, inuocari cæptus est Dominus, sed nomen Domini, rectè id refertur ad Christum, sicut etiam in alijs locis vocatur, Schem, Iehoua. Et illustris indè nascitur sententia, Quod nomen Domini tum cæptum sit inuocari, hoc est, quod Adam, Seth, Enos, hortati sint posteritatem suam, vt expectarent redemptionem, vt crederent promissioni de semine mulieris, & spe illa vincerent Cainitarum insidias, cruces, persecutiones, odia, iniurias, &c. nec desperarent de salute, sed potius gratias agerent Deo, liberaturo eos aliquando per Semen mulieris.

Quid enim aliud potuit Adam & Seth melius aut vtilius docere, quàm liberatorem Christum suæ posteritati promissum? Et conueniunt hæc cum vera ratione, quæ in docenda religione sequenda est. Nam primæ tabulæ prima debet esse cura, hac cognita postea est secundam intelligere. Imò facilè est secundam implere. Quomodo enim vbi doctrina pura est, vbi rectè creditur, rectè inuocatur, rectè aguntur gratiæ Deo, possunt abesse alij inferiores fructus?

Porrò sicut suprà quoque ostendi: Dialectica definitio hîc constituenda est, quòd non vocat cultum Dei cæremonias per homines inuentas & traditas, non statuas erectas, non alia ludibria rationis humanæ, sed inuocationem nominis Domini. Hic igitur est summus cultus, Deo placens, & in prima tabula postea mandatus, qui complectitur timorem Dei, fiduciam in Deum, confessionem, inuocationem, prædicationem.

Primum enim præceptum postulat fidem, vt credas Deum adiutorem esse in oportunitate sicut Psal. 9. dicitur. Secundum, postulat confessionem & inuocationem, vt nomen Dei inuocemus in periculis, vt gratias agamus Deo. Tertium, vt vera doceamus, vt sanam doctrinam tueamur & custodiamus, &c. Hi sunt veri & proprij Dei cultus, quos requirit Deus, non requirit sacrificia, non pecuniam, non alia, primam tabulam requirit, vt audias, mediteris, doceas verbum, vt ores, vt Deum tuas. Hoc cùm fit, sequentur quasi sua sponte etiam secundæ tabulæ cultus seu operis. Est enim impossibile, vt qui primæ tabulæ cultus præstat, non etiam præstet secundam tabulam.

Sicut quoque dicit Psalmus primus, qui meditatur in verbo Dei die ac nocte, hic est, sicut arbor plantata ad riuos aquarum, qui dat fructum suum tempore, & cuius folium non defluit. Hæc euidens & infallibilis est cõsequentia. Qui enim credit Deo, & timet Deum, qui inuocat Deum in tribulatione, qui laudat & gratias agit pro beneficijs, qui libenter audit verbum, qui assiduè meditatur opera Dei, qui docet

qui docet alios vt faciant eadem, hic num noceret proximo? an non obediret parentibus, num occideret? num moecharetur? &c.

Prima igitur tabula primò proponenda, & de veris Dei cultibus primò docendi sunt homines. Hoc enim est facere arborem bonam, ex qua postea enascentur boni fructus. Aduersarij nostri contraria ratione vtuntur, volunt esse fructus antequam arbor est.

DE CAVSA EFFICIENTE BONORVM OPERVM.

Tomo. 4. Ienens. fol. 441. in. 4. Psalm. Graduum. Omnia sanctorum opera, sunt opera Christi in eis regnantis.

Item. Tom. 4. Ienens. fol. 402. De Gratia nos docemus, nempe, quod Gratia sit continua & perpetua operatio, seu exercitatio, qua rapimur & agimur spiritu Dei, ne simus increduli promissionibus eius, & cogitemus atque operemur quidquid Deo gratum est & placet. Spiritus enim est res viua non mortua. Sicut autem vita nunquam ociosa est, sed aut augentur corpora, vt in pueris, aut alia in anhelitu & pulsu vitæ opera sentiuntur, sic Spiritus Sanctus nunquam ociosus est in pijs, semper aliquid agit, quod pertinet ad regnum Dei. Quare moneo, vt ista vocabula Theologica, assuescatis rectè intelligere, ne, cùm auditis vocabulum creandi, cogitetis de vno aliquo momentaneo opere, sed de perpetua gubernatione, conseruatione, & augmento spiritualium actionum in corde fideli.

Item. Tom. 4. fol. 658. Cap. 10. Hoseæ. Messis non antecedit, sed sequitur sationem. Si igitur iusticia semen est, quis furor, quæ cæcitas aduersariorum nostrorum est, quod semen hoc damnant & abijciunt, & vrgent populum ad messem? In omnibus suggestis audiuntur, præclara bonorum operum encomia. Hæc sola à nobis clamitant negligi, cùm hoc vnum sollicitè agamus vbique, vt verum semen Ecclesiæ retineant, ex quo enascatur beneficientia.

Ipsi autem hanc totam doctrinæ partem non modò non tradunt, sed prorsus non intelligunt, quod capti suis opinionibus, statuunt iusticiam esse, non imputationem, sed qualitatem. Hortantur igitur tantùm ad benè operandum, vnde autem ea facultas sit, non ostendunt.

Propheta igitur alium doctrinæ ordinem tradit. Vult seri iusticiam, hoc est, doctrinam de vera iusticia per Christum, non per opera aut studia nostra, vnde initiò tradi. Ac ostendit post hanc quasi sationem, secuturam messem, non talium operum, quæ fingunt hypocritæ, vt per ea remissionem peccatorum consequantur, qualia in lege erant sacrificia, oblationes, obseruationes rituum legalium. In Papatu autem sunt impium Missæ sacrificium, vota, cœlibatus, delectus ciborum, ratio singularis vestiendi, inuocatio & cultus sanctorum, adoratio statuarum, sed verè bona opera dilectionis, quæ hic (hesed) seu beneficentiam vocat. Hæc enim absoluunt Dei cultum.

Tom. 1. Ienens. fol. 469. De libertate Christiana. Vera sunt hæc duo verba. Bona opera non faciunt bonum virum, sed bonus vir facit bona opera. Mala opera non faciunt malum virum, sed malus vir facit mala opera. Ita vt semper oporteat ipsam substantiam seu personam esse bonam ante omnia opera bona, & opera bona sequi & prouenire ex bona persona. Sicut & Christus dicit: Mala arbor non facit bonos fructus, Bona arbor non facit malos fructus. Clarum autem est, quod fructus non ferunt arborem, nec arbor crescit in fructibus, sed è diuerso, Arbores ferunt fructus, fructus crescunt in arboribus.

Vt ergo necesse est, arbores esse priores fructib. suis, & fructus nõ faciũt arbores, nec bonas neque malas, sed econtrà arbores tales, faciunt tales fructus. Ita necesse est primùm

primùm personam ipsam hominis esse bonam vel malam, antequam faciat bonum vel malum opus, & opera sua non faciunt eum malum aut bonum, sed ipse facit opera sua aut mala aut bona.

Similia videre licet in omnibus artificijs. Mala domus vel bona, non facit malum aut bonum fabrum, sed bonus aut malus faber facit malam aut bonam domum. Et in vniuersum, nullum opus facit artificem talem, quale est ipsum, sed artifex facit opus tale, qualis est ipse. Ita res se habet in operibus hominum, qualis est ipse, siue in fide, siue in infidelitate, tale est opus eius, bonum si in fide, malum si id infidelitate factum fuerit. Non autem id conuertitur, vt quale sit opus, talis fiat & homo in fide vel in infidelitate. Opera enim vt non faciunt fidelem, ita nec iustum. At fides vt facit fidelem & iustum, ita & bona opera.

Cùm ergo opera neminem iustificent, & hominẽ oporteat esse iustum, antequam operetur bonum, manifestissimum est, solam fidem esse, quæ ex mera Dei misericordia per Christum in verbo eius personam dignè & sufficienter iustificet & saluet, & nullo opere, nulla lege, Christiano homini opus esse ad salutem, cùm per fidem liberrens aut commodi aut salutis (cum iam satur & saluus sit gratia Dei ex fide sua) sed solùm beneplacitum Dei.

Sic infideli nullum opus bonum prodest ad iustitiam & salutem. E diuerso, nullum malum opus facit eum malum aut damnatum, sed incredulitas, quæ personam & arborem malam facit, mala & damnata facit opera. Vnde dum bonus aut malus quisquam efficitur, non hoc ab operibus, sed à fide vel incredulitate oritur, sicut Syrach. 10. dicit: Initium peccati apostatare à Deo, id est, non credere. Et Paulus Ebræ. 11. Oportet accedentem credere. Et Christus idem dicens: Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, aut facite arborem malam, & fructus eius malos, ac si dicat: Qui volet fructus bonos habere, ab arbore incipiet, & hanc bonam plantabit. Ita qui vult bona operari, non ab operando, sed à credendo incipiat, quod personam bonã facit. Non enim personam bonam facit, nisi fides, nec malam, nisi incredulitas.

Hoc sanè verum est, operibus fieri hominem bonum aut malum coram hominibus, hoc autem fieri, est idem quod ostendi & cognosci, quis sit bonus aut malus, vt Christus Matth. 7. dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. At hoc totum in specie & extra manet, qua in re plurimi falluntur, qui scribere & docere præsumunt bona opera, quibus iustificentur, interim fidei ne memorentur quidem, euntes in vijs suis, falsi & fallentes semper, proficientes in peius, cæci cæcorum duces, multis sese operibus fatigantes, & tamen nunquam ad veram iustitiam peruenientes. De quibus S. Paulus, 1. Timoth. 3. dicit: Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.

Qui ergo cum istis cæcis non voluerit errare, oportet vt vlterius prospiciat, quàm in opera legis aut doctrinas operum, imò auerso ab operibus intuitu, personam inspiciat, & qua ratione illa iustificetur, quæ non operibus neq; legibus, sed verbo Dei (id est, promissione gratiæ suæ) & fide iustificatur & saluatur, vt stet gloria Maiestati diuinæ, quæ nos non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam, per verbum gratiæ suæ saluos fecit credentes.

Disputat. 5. de operibus legis & gratiæ. Tom. 1. Ienens. fol. 545. proposit. 8. Opera gratiæ sunt, quæ ex fide fiunt, Spiritu sancto mouente & regenerante voluntatem hominis. Necesse tamen est, eam etiam per verbum & signum externum, hoc est, minis & promissis, admoneri & excitari. Placuit enim Deo per ministerium vetbi & Sacramenti, Spiritum distribui & augeri. Nec illa ipsa opera iustificant coram Deo, sed fiunt à iustificatis, licet rectè dicantur iustitia operum, Deo grata per Christum.

QVAE

QVAE BONA OPERA FACIENDA.

Genes. cap. 22. Tom. 2. fol. 214. In religione ante omnia quærendum est, quis iusserit? Seneca ait: Non quis, sed quid dicatur attende. Id præceptum in œconomia & politia locum habet. In Ecclesia verò & religione, inuertendum est, & quærendum non quid? sed quis? In homine est aliqua sapientia ex lumine rationis diuinitùs insito. Sed quia hominis proprium est errare & falli, ideo quid dicatur attendendum est, non quis dicat, non innitendum personæ.

Sed in Ecclesia consideretur, Quis, Qualis, Quantus sit qui iubet: id, si non fit, Diabolus facillimè immutat, Quis, Qualis, Quantus, in Quid, Quale, Quantum.

Achas cogitat de insigni, cultu Deo præstando, immolat filium exemplo Abrahæ. Sed peccat grauiter. Nam Quis, hoc est, Deus non iussit, Mincha siue vitulum offerri mandauit, hoc ipse negligit, & Quid pro quis arripit.

Hæc in Ecclesia sæpe monenda & diligenter agitanda sunt, vt simus contenti doctrina semel tradita. Hanc si secuti essemus ante hæc tempora, haud vnquam coenobia, peregrinationes, indulgentias, sacrificia, pro defunctis amplexi essemus. Quilibet pastor in sua parochia docuisset verbum Dei, & Ecclesia acquieuisset Verbo, Baptismo, cœna Dñi, Absolutiõe, consolationibus in morte & vita. Singuli deinde fecissent suum officium in functiõibus ciuilibus & œconomicis, siue serui essent siue Domini, Magistratus seu subditus. Ista portenta Papisticarum abominationum nunquam irrepsissent in Ecclesiam.

Sic enim Abraham se gerit, relicta religione, Angelis, conspectu Dei, in monte Morija, quo tum nullus sanctior in toto orbe fuit, sonuit enim ibi vox & promissio diuina, omnibus illis tergum vertit, tanti facit vocatiõem & ministerium verbi, cùm Deus nihil iubeat, nihil tentet, sed reuertitur ad operas œconomicas, gubernat familiam, vxorem, seruos, vbi planè nihil spirituale, aut Ecclesiasticum apparet, ea enim relinquit in mõte Morija, nec moratur eum Angelorum apparitio, sed redit ad pueros & asinum.

Hæc si audiret religiosus aliquis Heremita, aut Monachus, detestaretur Abrahamum. Num enim is S. Patriarcha est, qui relinquit locum tam sacrum, vbi Deus habitat cum Angelis, & vadit ad asinum, exercet opera œconomica, popularia, fabulosa & stabularia? Qualis hæc est sanctitas? Mirum enim est, quantus sit apud istos contemptus horum, & id vnum, religionem & sanctitatem ducunt, deserto mundo, hoc est, patre, matre, & ciuilibus officijs secedere in angulum desertum.

Hieronymus alicubi tantopere prædicat hanc sanctimoniam, vt dicat matrem & patrem occurrentem Monacho ingressuro Monasterium & cupientem eum retrahere, reijciendum & proculcandum esse. Impia hæc & detestanda vox est. Quare Hieronyme conculcamus, cum tua Bethlehem, cucullo & deserto. Quia ministerio verbi diuini vocor non in Bethlehem, sed in parochiam, ad Ecclesiam, ad audiendum verbum Dei, ibi habitat Deus, ibi sunt custodes Angeli, ibi audio honore efficiendos parentes, seruiendum vocationi piè & fideliter. Si Deus aliò me collocare volet, vocabit me, sine vocatione sequatur te & alios Diabolus.

Honorabo igitur non conculcabo parentes propter verbum & mandatum Dei. Si autem à Baptismo, fide & obedientia Dei deficio, quod omnes Monachi fecerunt, quæ potest esse sanctitas aut cultus Dei?

Propter me, inquit Christus, & propter nomen meum, relinquetis fratres, sorores, patrem, matrem, vxorem, filios, agros, non vestro arbitrio aut electione deserentis parentes, cùm maximè opere & ope vestra opus habuerint. Similis impietas apud Iudæos quoq; inualuerat, quam taxat Christus, Matth. 15. Cùm sacrificium longè sanctius esse docerent, quàm obedientiam erga parentes: Corban, hoc est, donum, & sacrificium, plus tibi proderit quàm honor, atque ita tollebant specie sanctitatis &

ctitatis & religionis parentum, ſtatum & dignitatem, ad ſuam auaritiam explendam.

Hæc doctrina vt multis hactenus agitata, & diligenter explicata eſt, Ita aſsiduò eſt repetenda propter adoleſcentes, & teneram ætatem, quæ eſt ſeminarium Eccleſiæ, vt diſcant ibi perſiſtendum & manendum eſſe, vbi Deus loquitur, & ad ea officia adſuefcant, quę ſunt mandata diuinitùs, niſi aliò vocentur, aut expellantur, vt quando Tyranni proſcribunt, & eijciunt ſuis functionibus pios.

Spontanea electio & voluntaria in religione, aridet quidem carni, & rationi eſt admodum plauſibilis. Sed ſi ſequeris, perinde facis ac illi, qui relicto tabernaculo ad arbores & lucos currebant. Id diabolicum eſt, non diuinum. Et Paulus etiam damnat electicias religiones, vbi non adeſt verbum vocans, ſed tantùm voluntas eligens & inſtituens.

Moſes igitur diligenter hoc annotauit, quod non voluit Abraham manere in loco iſto ſacro, cùm peregiſſet ſacrificium. Sed reuerſus eſt ad laicas operas & ſordidas, & ad ſuos cultus liberos adhuc nondum vlli loco alligatos. Adhuc enim vagabatur, non habebat cultum fixum, ſed iubente Deo quandoque offerebat.

Geneſ. Cap. 12. Tom. 2. fol. 11. Meminerimus huius breuis ſententiæ: Abijt Abraham ſicut ad eum locutus eſt Dominus, & ſcribamus eam ſuper omnia negocia noſtra, quæ gerimus ſiue domi ſeu foris, ſiue in bello ſeu pace, ſiue in peſte ſeu alio periculo. Tum fiet vt etiam ſi moriendum ſit, tamen nos ipſos conſolemur, quòd in Dei obedientia ſteterimus. Etſi enim euentus videbitur triſtior, tamen ſumma conſolatio eſt ſcire, quod Deo ſis obſecutus. Ab eo igitur expectabis opem, & præmium multò maius, quàm ſi res ex ſententia cecidiſſet.

Atque hæ ſunt veræ laudes obedientiæ, quę tantùm eſt vel promiſsionum, vel præceptorum diuinorum. Hęc enim ſi non adſint, non meretur dici obedientia. Niſi fortè velis Satanę obedire, eſt Satanę obedire.

Igitur pręcipua nobis verbi ſeu vocationis cura ſit. Hęc enim ſola facit veram obedientiam & Deo gratum cultum, quem ſi pręſtamus, non ſolùm tueri teſtimonio conſcientię noſtrę nos poſſumus: Sed etiam expectare à Deo opem, cuius vocem etiam in certis periculis ſequimur.

Ac ſi quis in omnibus actionibus ſuis obſeruet hanc particulam: Dominus dixit, is perpetuò lętus & plenus ſpe viueret. Sed impedit nos Satan inuidens nobis hanc felicitatem, & mirabili ſpecie à vera hac obedientia vocat ad ſuam obedientiam, hoc eſt, ad talem obedientiam, quę non habet mandatum Dei, qualis Monachorum eſt, &c.

Papa in omnibus ſuis decretis, vrget obedientiam, quia vult eſſe ſummus Pontifex, & Chriſti vicarius, ac addit horrenda fulmina, futurum, niſi qui obediat, vt vergat in periculum animarum talis inobedientia. Promiſsiones quoque addit ſplendidas, qui currunt ad numina diuorum Petri & Pauli, habituros plenariam remiſsionem omnium peccatorum. Talibus promiſsionibus ornat omnia ſua opera, cultus ſanctorum, inuocationes ſanctorum, Miſſas, &c. vt inuitet ſimplices ad obedientiam. Ac inuenit ſanè populum, proh dolor, nimis obedientem. Quot enim hominum millia in hac obedientia, dum ſe recta via ad cœlum ire iudicabant, demerſi ſunt in infernum?

Etſi autem impij Doctores horribile iudicium Dei ob has impoſturas ſentient, tamen turba quę eos ſecuta, non eſt ideo excuſata. Debebant enim circumſpicere, num in talibus mandatis eſſet, quod hîc Moſes dicit. Sicut Dominus dixit. Vbicunque enim hoc non eſt, ibi non eſt Dei, ſed Satanę obedientia. Ad hunc modum

impleuit Papa mundum Satanica obedientia: Præcepit enim non quæ Deus iussit, sed quæ ipse excogitauit. Inde accidit, vt tota eius religio, non vera sed facticia & electicia, ac mera hyprocrisis esset.

ELECTICII CVLTVS NON PLACENT DEO.

Tom. 2. Genes. Cap. 21. fol. 177. De Antonio Hæremita, qui incœpit genus vitæ monasticæ, narratur historia: Cupiuisse eum scire, quem habiturus esset dignitatis & gloriæ socium in æterna vita: placebat enim sibi mirum in modum, ob hoc solitarium vitæ genus. In somnis igitur audit esse Alexandriæ sutorem, seu coriarium quendam, illum eiusdem gloriæ socium fore. Miratur Antonius collationem, & Alexandriam proficiscitur, visurus scilicet hominem sanctitate sibi parem, & nescio quæ magnifica de sutore illo sibi pollicetur, sed cùm ad eum venit, vidit quòd manu sua laborando victum quęreret, & sic se & vxorem, & liberos aleret. Inquit igitur, quęso te mi sutor, scio quod Deum fideliter colas & verè ei seruias: Dic igitur mihi quid facis, quid comedis, quid bibis, quomodo aut quando oras? Num totas noctes insommes agis orationi incumbens? &c. Nullo inquit ille modo. Mane & vesperi ago Deo gratias pro fideli eius tutela & gubernatione. Peto remissionem omnium meorum peccatorum per Christum, ac suppliciter oro, vt me spiritu suo gubernet, & in tentationem non inducat: post hanc orationem tracto corium meum, & mihi ac meis alimoniam paro, prętera facio nihil, nisi quòd caueo, necubi aliquid contra conscientiam faciam.

Antonius hęc audiens miratur, ac intelligit electicios cultus non esse cultus, ac quę ijs nihil esse confidendum. Hoc beneficium non solùm ipsi Antonio contigit, sed est quoque admonitio ad omnem posteritatem, qua Deus Ecclesię suę voluit succurrere, ne indulgerent electicijs cultibus, qui semper hanc noxiam fiduciæ pestem secum adferunt, quam mortificari necesse est. Non vilis vestitus, non asper victus, non ieiunia, non longæ orationes, non vigiliæ, non vlla opera nobis prodesse possunt ad vitam æternam, sola fiducia misericordiæ, seu sola promissio est quæ salutat. Absque hac si sis, liberè confitere, & dic ergo nihil sum. Ego ad hæreditatem non pertineo, ego ex patris domo eiectus sum, &c.

BONA INTENTIO ELECTICIORVM CVLTVVM FONS EST OMNIVM HAERESIVM.

Genes. Cap. 44. Tom. 4. fol. 132. Neque enim vita illa in pretio est, & grata Deo quæ nostra sapientia & industria eligitur. Durissimam etiam ἀπάθειαν Stoicorũ, quæ exuit hominem omnibus sensibus, & affectibus, & incedit in mirabilibus super se, odit & auersatur Deus, atque idem tibi dicit, quod Iudæis Iesai. 1. Quô mihi multitudinem victimarũ vestrarum dicit Dominus, plenus sum holocausto arietum, &c. Quis quęsiuit hęc de manibus vestris? **Wer hat euch doch daß alles heissen thun?** &c. Rogant me iudicia iusticiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus & non aspexisti, humiliauimus animas nostras & nescisti? Magnum enim & eximium aliquid voluerunt pręstare, quod placeret Deo. Sicut ille qui retentione vrinę, seipsum occidere cogitabat. Sed audiunt à Deo, non mandaui.

Ita nuper in Hispanijs decumbente regina adhibiti sunt aliqui seipsos ferreis scorpionibus flagellantes, vt sanguine suo placarent Deum, & impetrarẽt prorogationem vitę ipsius. Illis quoque opponi debuisset vox diuina: Quis quęsiuit hęc de manibus vestris?

Discamus igitur Deum non delectari operibus electicijs, neque ei prescribendam esse rationem cultuum nostro arbitrio, sed ipso monitore & duce vti debemus.

Miser hic

Vnser Herr Gott wil dein Schuler nicht sein / er sols auch nicht sein / er sol Doctor vnd Gubernator sein. Verùm tanta est peruersitas humani ingenij, vt quod mandat Deus negligamus, ea verò quæ non præcipit eligamus.

Sed inquiunt: Nos bono studio & intentione hæc facimus. Inde enim omnes superstitiones, & hæreses natæ sunt, inde extiterunt Monachi, Stoici, Baalitæ, qui pungendo corpus lanceolis sanguinem eliciebant, & propterea se exaudiri sperabant.

Sciamus igitur Christianis ambulandum esse in eo vitæ genere, quod præceptum & approbatum est diuinitùs, vt, siue vigilans, siue dormiens, siue comedens, siue bibens, possis dicere: Hoc facio in nomine Domini, non proprio arbitrio & electione. Tum denique quicquid egeris, aut passus fueris, placitum erit Deo, & videbis eum suauissimè tecum ludere in tota vita.

Sic Ioseph honorat regem, & ea quæ ad gubernationem regni pertinent fidelissimè exequitur, ornat Rempublicam legibus, bonis moribus, doctrina religionis, ac nouit hæc officia Deo grata esse, adeoque seruat hoc, quod monet Salomon: Omni tempore vestimenta tua sint candida, lætare cum vxore tua, &c.

Ita quicquid egeris vt inquit Paulus Colos. 3. Sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facias. Sicut Ioseph animo tranquillo vsitatas operas obit, neque quicquam suscipit contra mandatum Dei. Sed Papistæ cum sua ἀπαθείᾳ & indolentia monstrosa, non intelligunt bona opera Ioseph incedentis in fide & spiritu timoris erga Deum & Regem, & vtentis hac potentia, & dignitate ad gloriam Dei, & aliorum salutem.

Sic Samuel inquit ad Saul. 1. Sam. 10. Cùm ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est, Deus dabit successum, & mutaberis in alium virum, vbi ad Prophetas illos veneris. Quando igitur cor tuum, & spiritus rectus est, ac fides sincera, quicquid posthea feceris, quantuncunque exile & contemptum, coram Deo erit precio sum. Quia opera illa fiunt volente & dirigente fide, & Spiritu Sancto.

Sed inquies: Ego non sum Ioseph, aut Patriarcha. Atqui exemplum eius intuere, & vide vocationem tuam, si es præceptor, discipulus, magistratus, subditus, cura vt diligenter operas tibi mandatas obeas, & vtaris tempore & persona, qua Deus te ornauit. Quod si fueris fidelis, & assiduus in faciendo officio, plùs satis erit quod agas, & varię difficultates & ęrumnę obijcientur, neque opus erit accersere cruciatus voluntarios. Sicut Ioseph non fodit corpus suum Baalitarum more, sed plagas illas ęquo animo sustinuit, quæ diuinitùs infligebantur.

Id non solent facere Monachi, & hypocritę, illis enim nihil est impatientius, quando affliguntur à Deo. Sed cùm patiuntur quæ elegerunt ipsi, flagella, ieiunia, & quascunque macerationes corporis, magnam deuotionem & humilitatem præ se ferunt. Sed ea demum vera humiliatio fuit, quando sancti Patres Abraham, Isaac, Iacob, grauissimis ęrumnis sæpe obruti, tamen ingenti robore & fide immota summam patientiam præstiterunt. Daß lassen die Munchen.

Proinde Papistæ nequaquam intelligunt ea, quæ scribit Spiritus Sanctus de Patriarchis, sed videntur ipsis puerilia, abiecta & carnalia, quia pugnant contra electicias eorum iusticias & deuotiones, & docent nos ambulare in via Dei, & studiosè parere vocationi.

Deus auersatur & damnat omnia opera hypocritarum, quia ad nihil aliud prosunt, quàm vt offendicula obijciant, quibus regia & vera via Dei intercluditur. Et homines paulatim ad alias semitas, & diuerticula deflectunt. Ideo iubet ea caueri Paulus, Roman. 16. Rogo autem vos fratres vt obseruetis eos qui

dissensiones & offendicula contra doctrinam quam vos didicistis, faciunt & declinetis ab illis.

Si fueris maritus, aut quocunque vitæ genere feceris officium tuum sedulò, dabit tibi Deus abundè quod agas, quodque patiaris. Sed hoc nobis deest, quod non curamus ea, quæ curare debebamus, sed aliis potius occupamur, quæ non sunt mandata nobis. Ideo manemus imperiti rerum spiritualium, semper discētes, nunquam ad scientiam peruenientes. Sic igitur accedit grauitas quædam rebus illis leuiculis & exilibus, quæ proponuntur in sacra historia. Iamque videmus talia ac tanta esse, vt nullus Baalitarum & Monachorum sustinere ea vnquam potuerit. Sicut ante dixi de impatientia & superbia eorum, qui sectātur religiones. Es ist kein vnleidlicher vnd giftiger ding auff erden/ denn ein parfusser Münch. Quia delectantur viis suis, & illis volunt honorari, & somnia sua haberi pro veritate diuina, nec possunt ferre reprehensionem vllam. Sed Patriarchas videmus exercitatos esse fide & spe, & patientia, iuxta verbum & voluntatem Dei, ac rebus secundis pariter & aduersis in timore Dei vsos esse.

VERI CVLTVS QVATVOR SPECIES.

Tom. 4. Ienens. fol. 678. Hoseæ Cap. 14. Cultus Dei non sunt, quæ nos instituimus, sed quæ Deus per verbum suum mandat. Hoc verbum qui aut negligunt, aut contrà faciunt hi sunt rebelles, & non tantùm non præstant Deo cultum, sed etiam irritant Deum, & ad seueras pœnas prouocant.

Sunt autem veri cultus quatuor species, dignitate & ordine inter se differentes. Primus & summus cultus, est fides in Christum, secundum vocem istam de cœlo sonantem: Hunc audite. Hæc fiducia includit timorem Dei, studium verbi, inuocationem, & reliqua, quæ prima tabula ostendit, & Paulus vocat λογικὴν cultus, quia sunt sine hypocrisi, & manant ex corde per Spiritum Sanctum illuminato.

Secundum locum obtinet obedientia erga secundam tabulam, seu dilectionis opera.

Tertio loco sunt Cęremoniæ, quas Deus in Ecclesia voluit extare, vt essent non solùm exercitia, sed etiam testimonia diuinæ voluntatis. Sic non satis fuit Iudæo seruare Decalogum, etiam circuncidi oportuit. Et nos hodie, si volumus Ecclesiæ membra esse, sanctum baptisma, & cœnam Domini nullo modo debemus aut negligere, aut abijcere: Ac quod ad hos tres ordines attinet, omnes inter se Christiani sunt similes. Obligantur enim omnes pariter ad hos cultus præstandos.

Quartum locum vendicant opera vocationis, hæc quoque sunt Deo grati cultus, quanquam diuersa sint. Magistratus colit Deum, cùm potentiam suam confert ad iuris & æqui conseruationem, Paterfamilias cùm strenuè laborat, Materfamilias, cùm curat liberos & familiam, &c. Qui igitur non volunt Deo rebelles esse, sed præstare obedientiam debitam & gratam, hi in curriculo se contineant, caueant ne hypocritarum more alios cultus sibi quærant, frustra enim colitur Deus mandatis hominum.

OPERA IVSTIFICATORVM PRAECIPVA.

Tom. 4. Ien. fol. 408. Psal. 51. Est audacia super audaciā, virtus super virtutē, & fortitudo super fortitudinē, audere loqui in publico, & cōfiteri nomē Domini. Hic enim Satā imminet omni genere insidiarū, vt hāc cōfessionē impediat. Eas insidias omnes si oculis humāis possibile esset cernere, facilè causa pateret, cur & spiritu antea roganti confirmari

confirmari Propheta, & nunc ab ipso Domino labia aperiri optet, non ad orandas horas Canonicas, sed ad portandum nomen Domini coram Diabolo, mundo, Regibus, Principibus & carne vniuersa. Hîc enim variæ occasiones sunt, quæ labia præmunt, nonnunquam metus periculi, nonnunquam lucri spes, sæpe etiam amicorum consilia interueniunt, quibus hoc sacrificium Satan conatur impedire. Sicut ego quoque sæpe expertus sum, & tamen in magnis causis, vbi periclitabatur gloria Dei, Deus affuit, & aperuit mihi os contra ista obstacula.

Docet igitur hîc de publica confessione & prędicatione eius, qui iam est iustificatus, vt discamus, quanta res sit audere loqui quæ expertus sis. Non solùm enim Satan, sed Principum & Regum tyrannis, imò peccata & caro nostra hanc confessionem voluit impedire, contrà ex altera parte vrget spiritus, sicut Petrus dicit Act. 4. Non possumus non loqui quæ vidimus & audiuimus. Hîc S. hanc præcationem multis gemitibus coram Deo orat, vt ipse aperiat labia nostra, ad annunciãdam laudem eius. Atq; hîc admoneo vos, vt quoties in sacris literis occurrunt vocabula ista, Annunciare laudem Dei, iusticiam, &c. memineritis significari simul extrema periculà. Quia dicere laudem Dei, est se obijcere Diabolo, mundo, carni & omnibus malis. Quomodo enim laudabis Deum, nisi priùs reum facias, ac damnes totum mundum cum omnibus iustícijs suis? Hoc autem quisquis facit, sibi non odium solùm, sed etiam manifestum periculum accersit, sicut econtrà qui docent ordines, inuocationem sanctorum, merita, fraternitates & similia, non Deum, sed se laudant, ideo etiam facilè tolerantur, & admittũtur à mundo. Igitur dicit Propheta, Domine aperi tu labia mea, & da vt possim confidenter clamare, docere, erudire alios hoc, quod ego didici, quod tu solus sis laudabilis & glorioſus in secula, qui gratis iustificas impium, &c.

Atque hîc audis, quis sit ille iustificatus, & quænam potissimùm opera eligat, non ieiunium, non abstinentiam, non cilicium Iohannis, non Eremum, &c. quæ etiam aliquid sunt. Sed si ad hoc summum opus conferas, ad prædicatiõem nominis Domini, ludus & iocus sunt, non solùm in istis Papæ laruis, sed etiam in verè Sanctis. Neque enim Iohannes ideo tantus fuit, quia pellibus vestijt, &c. non bibit vinum nec siceram, sed quia erat plenus Spiritu, & audebat Pharisæos appellare germina viperarum. Quia audebat Tyranno dicere, Non licet tibi habere vxorem fratris tui.

Quia audebat coram toto populo testimonium dare Christo inter suos contemptores, post me venit, qui prior me est, cuius calceos soluere non sum dignus. Hæc sunt quæ Iohannem cõmendant, & eum maiorem faciunt inter natos mulierũ. Eremum, pelles, cibum, potum, quiuis etiam malus imitari potest, idq; sine periculo, sed docendi munus sine periculo administrabit nemo. Et sanè patet, quod præmium Iohannes inde tulerit, cùm ita turpiter ad arbitrium meretriculæ iugulatur. Ergo qui volunt magnum & dignum Christiano homine opus ornare meritis laudibus, non laudent stulticias Papæ, non priuata sanctorum exercitia & afflictiones, sed hoc laudent, confiteri nomen Domini coram mundo. Hæc enim virtus virtutum, & summum ac difficilimum opus est.

In politia apparet, quàm pauci sint, qui magno animo Rempub. capessere, & pericula priuata contemnere possint, & plerunque accidit quod Cicero dicit, vt qui spe amplissimorum præmiorum ad Rempubl. accedunt, metu grauissimorum supplicíorum carere non possint.

Et sanè Themistoclis, Ciceronis, Demosthenis & aliorum in Repub. magnorum virorum exempla satis testantur, etiam illud vitæ genus plenissimum periculorum esse. Muliebre enim est, sedere in angulo, & reprehendere aliorum res

gestas, sed in senatu & conuentibus principum versari, & liberè sententiam dicere, etsi necessarium & vtile erat, tamen paucissimi audent. Quantô maius & augustius esse putas sacra loqui & docere, in conspectu Dei & Angelorum, contra voluntatem non principum & Regum solùm, sed etiam Diaboli & totius mundi? Hîc maius periculum suscipitur quàm in Republica, quamuis ibi quoque magno animo opus sit, sed hîc etiam Spiritu Dei opus est, & digito Dei, quo deducantur labia, & soluatur os in laudem Dei. Ergo post iustificationem & Gratiam, nullum aliud opus maius est quàm loqui veritatem de Christo. Corporalia exercitia, non homines solùm præstare possunt, sed bestiæ quoque ieiunijs & alijs possiunt affligi. Et fertur Turcarum in corporalibus afflictionibus magna esse seueritas. At sanè inter Christianos omnia illa exercitia suscipienda sunt, quæ pertinent ad frenandam seu mortificandam carnem, sed audere ob nomen Christi periculum vitæ & fortunarum adire, ad id requiritur spiritus principalis, & oratio hæc, Domine labia mea aperias.

QVOMODO ET A QVIBVS BONA OPERA FIERI POSSINT.

Genes. Cap. 29. Tom. 3. fol. 96. Papistæ in vita Patriarcharum nihil aliud cernunt præter ista carnalia: quæ tamen non tam sunt carnalia ac opera ipsorum, quæ gubernantur à Diabolo, & fiunt sine Spiritu Sancto. Etiamsi enim ieiunant, abstinent à coniugio, murmurant in templis: tamen in precibus eorum nullus spiritus, nullus affectus, nullus cultus Dei est, plena sunt omnia auaritia, idolatria, inani gloria, & contemptu Dei.

Nos vero sic docemus. Primùm omnium spectandam esse personam, an sit iusta & pia: id quod fit per verbum, quod credit. Tum verò exercet suum ministerium in Ecclesia, docet, exhortatur, orat, discit & audit verbum, fert crucem propter verbum, mortificatur carne. Illa est persona sancta, viua & benè placens Deo, quæ progreditur ad alia externa officia, postquam audiuit verbum, credidit, orauit & fecit Ecclesiasticum officium.

Sicut Dauid, post hæc prodit ad administrationem regni, audit causas, gerit bellum, instruit exercitum, facit impetum in hostes, interficit, fundit sanguinem hostilem. Hæc non sunt propriè Ecclesiastica, sed sunt politica. Si quis igitur dicat: Dauid tunc non est sanctus, quia est miles & portat gladium, ille nimis crasse iudicat, sicut Papistæ. Quis enim est ille Dauid, qui fundit sanguinem & gerit bellum? Est iustificata persona in Ecclesia, verbo & fide. Sed postea habet mandatam administrationem politicam, ideo iudicat, condemnat, iustificat, administrat Rempublicam, punit fontes, gerit bella. Et manet nihilominus homo fidelis, & arbor bona: Illa autem effusio sanguinis placet Deo. Quanquam multi Pontifices & Monachi, omnesque alij hypocritæ, vehementer offenduntur, propterea quod intuentur tantùm in externam laruam operum, non vident verbum, non fidem, non Spiritum & impetum Dei, qui gubernat personam: non solùm in sublimibus, sed etiam in politicis & oeconomicis officijs: Quia ad hoc vocatus est diuinitùs, sicut dicitur, vt faciat omnem voluntatem meam, quæ etiam hoc mandat, vt humiliet Philistæos, Damascenos, Amalechitas, Ammonitas, &c.

Quid isthuc verò inquiunt Papistæ, debebat orare, sacrificare, & offerre in templo. Rectè sanè: Etiam Ecclesiastica suo loco & ordine facit: Mane orat, meditatur in verbo, credit, Psallit, & diligenter ea obit, quæ pertinent ad Ecclesiam. Politica etiam poli-

etiam politica & œconomica administrat, generat liberos, curat familiam, edit, bibit. Ita incedit Dauid piè & sanctè, per omnes tres Hierarchias: Ecclesiasticam, Politicam & Oeconomicam.

Ad eundem modum nostra quoq; vita instituenda est, vt inueniamur in ordine & statu, qui placet Deo secundum verbum ipsius. Ante omnia credas in verbum, idq; confitearis, & sis paratus pati & mori pro verbo, Postea siue Magistratus es, siue paterfamilias, seruias vocationi tuo loco. Talis vita placet Deo, & ornatur diuinitùs multis magnis præmijs & successibus.

Sic igitur tractanda & aspicienda sunt exempla Patrum in sublimi illo gradu, ne contemnantur infima, carnalia & sordida exempla œconomiæ & politiæ. Iam enim non sordent, nec vilia & abiecta sunt, quando fiunt à persona credente, accepta, sancta, diuina, quæ quicquid fecerit, scit Deo placere. Sic tamen ne confundatur ordo, sed maneat & viuat in fide, posteà placent etiam opera vocationis.

In hunc modum describit Moses, Patriarcham Iacob, quomodo venerit in Haran, inuenerit ibi filiam auunculi, amauerit puellam, duxerit Vxorem, genuerit filios, pauerit pecudes, quæ omnia stulta & carnalia sunt, vt non magis apud Ethnicos ipsos carnalia inueniri queant. Quia nemo videt differentiam essentialem, quæ maxima est inter gentilem, & hunc Patriarcham Iacob. Esau enim & Ismael etiam colunt agros, pascunt oues, mulgent vaccas, habent familiam, præbent pabulum pecudibus, quæ sunt similia opera Sanctorum operibus: & tamen non sunt sancta. Quare? Quia magna & incomprehensibilis differentia est, inter opera vtriusque partis. Hic apud Iacob est fides & verbum. Illic nullum verbum est, sed incredulitis mera. Tantum igitur distant opera Iacob ab operibus Ismael aut Esau, quantum cœlum à terra, quantumuis sint eadem opera in speciem.

Sic Erasmus magnificè Ethnicorum virtutes prædicat: Socratis, Ciceronis, Attici, &c. & facit comparationem. Vix inquit: inuenias apud Christianos, qui præstiterint hoc quod Pomponius Atticus, aut alij: Imò apud Christianos multi inueniuntur apertè mali & flagitiosi, quibus Ethnici hi longè fuerunt meliores. Respondendum est autem: Philosophicè & in materia conueniunt, hoc est, in genere vitæ, sed non in specie & differentia. Si enim vel Cicero vel Socrates sanguinem fudisset, tamen propterea non placeret Deo. Neque est quæstio quæ & quanta opera fecerint Alexander Magnus, Hannibal, Iulius Cæsar, Scipio, quos quidem maiores res gessisse constat, quam vllum vnquam Christianum. Illud enim robur militare, patientiam item & tolerantiam malorum & laborum, non facilè reperies in vlo Rege Christiano, imò ne quidem in populi Israelitici Regibus: Dauide aut alijs. Quare igitur non extollis eos, aut præfers omnibus Christianis Regibus, Dauidi & alijs?

Respondeo. Si daretur mihi optio, eligerem vnius Christiani rustici, aut ancillæ sordidissimum, & maximè agreste opus, præ omnibus victorijs & triumphis, Alexandri Magni, Iulij Cæsaris, &c. Quare? Quia hic est Deus, illic est Diabolus, quæ est differentia essentialis. Materia operum est eadem, sed species & differentia, in infinitum diuersa est. Quia Deus dicit, huius mulierculæ opera & officia domestica, quòd venit domum, obtemperat matrifamilias, mihi placent.

Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ, vbi etiam nihil magnorum & glorioſorum operum est, nisi quòd domi humiliter fungitur officijs ancillæ, siue in re culinaria, siue pecuaria. Tales erant istæ duæ Lea & Rachel, quæ

pascebant greges patris, agebant aquatum, mulgebant vaccas & capras: Hæc opera placebant Deo. Hannibal autem, Alexander, Scipio, Cicero, non placent. Quare? Quia genere quidem conueniunt, vel superant potiùs, sed specie & differentia superantur.

Hoc non omnes possunt cernere, ne Erasmus quidem vidit. Soli credentes cernunt precium, & pondus operum Christianorum. Pondus autem & precium maximum operum est fides & verbum. Ibi enim Deus ipse est, & Spiritus in operante. Homines verò qui sunt sicut equi & muli, vehementer mouentur externa specie. Ego quoque olim in Monachatu longè eram sanctior, quàm nunc sum, quò ad externam laruam, plus orabam, vigilabam, abstinebam, macerabam carnem meam; breuiter tota vita mea erat speciosissima in aliorum oculis: tametsi in meis non item, quia valdè contritus & afflictus eram. Iam verò comedo & vestio generali & vlitato modo, nihil præcipuum aut singulare præ alijs in vita mea eminet. Tum cùm essem Monachus, nihil aliud feci, quàm quòd perdidi tempus, adflixi meam valetudinem, quin etiam conscientiam meam sauciaui illis iusticijs operum, vt etiamnum aegrè sanari queat. Quia præter naturam, cui insita est gloriatio de operibus, etiam comparaui habitum & consuetudinem respiciendi ad mea opera, & dignitatem meam. Cæterùm, certò scio iam vnam lectionem, vnum Pater noster plus valere & Deo magis probari, quàm omnes illas precationes, quas murmuraui, totis quindecim annis: quia scio me exaudiri. Nec opus est vllis vigilijs, aut singularibus icijnijs & abstinentia, quia Deus dedit Angelum Satanæ, cum alijs difficultatibus & crucibus huius mundi, quæ magis me, quàm illa omnia exercent.

Atque hactenus de loco isto, quòd sanctissimus Patriarcha tam presse & exiliter describitur, vt nihil differat etiam ab infimo, & abiectissimo inter Ethnicos. Sed inde discat lector discrimen inter Christianum & Ethnicum & eorum opera. Si enim est Christianus, vide an colat, audiat, & seriò amet verbum, an exerceatur etiam cruce & vexationibus: Quod si ita est, conueniet ad templum, libenter audiet verbum, delectabitur in eo, credet ex animo, orabit, gratias aget, habebit bonam conscientiam. Hæc si videris tum certò statue, & admirare eum tanquam sanctum & placentem Deo. Et quicquid posteà rerum geret, siue in Magistratu, siue in Oeconomia, dices esse Deo gratum, quod remunerabitur Deus, non in hac tantùm, sed etiam in futura vita. Sicut dicitur in Apocalypsi: Opera eorum sequuntur illos. Non solùm Ecclesiastica opera, sed etiã politica & œconomica. Impiorum autem & Ethnicorum opera non placent Deo. Ideo non sequuntur eos, sed moriuntur sine gloria, sine memoria, sine admiratione. Nostra autem habent gloriam & inspectionem Dei & Angelorum, & sequuntur nos in illam vitam.

DE VIRTVTIBVS QVAE SVNT IN HEROICIS VIRIS INTER ETHNICOS.

Genes. capite 8. Tomo primo, fol. 140. Augustinus immodicè laudat M. Attilium regulum ob fidem hosti seruatam. Omnium enim virtutum veritas pulcherrima est, & accedit hoc in loco summa commendatio, quòd coniunxit hanc virtutem cum amore erga patriam, quæ ipsa quoque singularis & laude dignissima virtus est.

Inuenias autem multos claros viros, qui hanc veritatis laudem non habent, sicut certè Themistocles eam non habuit, etsi heroicus vir esset, & patriæ vtilis. Ita que admiratur Attilium Augustinus, videt enim rationem & voluntatem rectam, in summo

in summo gradu, hoc est, quanta in hanc naturam potest cadere. Quid igitur hic vitij est, aut quid est malum? Certè opus reprehendi non potest.

Primùm, in Regulo est ignorantia Dei, & quanquam rectè facit, tamen vide an non etiam finis à Theologo reprehendi possit. Cum hoc enim studio iuuandæ patriæ, etiam cupiditas gloriæ coniuncta est. Contemnit enim vitam, vt hoc modo sibi paret immortalem ad posteros gloriam. Si igitur hoc quasi somnium vitæ, & externam hanc laruam consideres, pulcherrimum factum est. Sed coram Deo est fœda idolatria, sibi enim huius facti gloriam arrogat. Et quis dubitat fuisse cum hoc gloriæ studio etiam coniuncta alia vicia?

Ergo Attilius hanc summam virtutem veritatis & studij in patriam præstare non potest, nisi furens & insaniens ad malum. Malum enim est, quod gloriam Deo eripit, & sibi arrogat: Hoc spolium diuinitatis ratio videre non potest.

Ergo discernendæ sunt virtutes gentilium, à virtutibus Christianorum. Verum est, quod vtrinque impellũtur animi diuinitùs, sed hos diuinos motus magnorum hominum corrumpit postea in Ethnicis, gloriæ studium & ambitio. Si igitur Rhetor accedat, qui causam efficientem amplificet, contrà finalem hanc vitiosam causam dissimulet, quis non videt duabus potissimis causis formali & finali dissimulatis, miseram hanc virtutis quasi vmbram ab homine eloquente ornari posse?

Sed Dialecticus facilè deprehendet fucum, videt enim deesse causam formalem, hoc est, rectam rationem, quia Deus non agnoscitur, nec est recta voluntas erga Deum. Causam autem finalem, videt vitiosam esse. Non enim spectatur verus finis, obedientia erga Deum & dilectio proximi. Qualis autem hæc virtus est, in qua penè omnes causæ desiderantur, præter naturalem, quæ est tantùm passio, hoc est, impetus seu impulsus quo mouetur animus ad præstandam hosti fidem? Habent autem hos impetus vt dixi, etiam impij. Igitur si pro patria suscipiuntur, fiunt virtutes, si contra patriam, fiunt vitia, sicut Aristoteles erudite disputat.

Hæc eò dico, vt hunc locum obseruent studiosi sacrarum literarum, qui diserte pronunciat naturam corruptam esse. Nam illa virtutum simulachra, quæ in gentibus sunt, diuersum videntur probare, quod scilicet in natura aliquid integrum relictum sit: Accurato itaq; iudicio ad hæc distinguenda opus est.

QVOMODO PLACEANT DEO BONA OPERA.

Genes. cap. 4. fol. 74. Tom. 1. Est autem hæc doctrinæ nostræ summa, quod docemus & profitemur personam priùs Deo acceptam esse quàm opus. Et personam non fieri iustam ex opere iusto, sed opus fieri iustum & bonum ex persona iusta & bona, sicut textus hic probat. Quia enim Deus ad Habel respicit, respicit etiam ad oblationem eius, & quia ad Cain non respicit, ideo etiam ad oblationem eius non respicit. Hanc sententiam textus clarè probat, nec ab aduersarijs potest negari. Sequitur autem ex his verbis clarissima & optima consequentia, quòd Habel fuit iustus ante opus suum, & quòd opus propter personam placet, non persona propter opus. Sicut aduersarij nostri contendunt dum docent, hominem iustificari ex operibus, & non ex sola fide.

Ad hunc modum puris & mundis oculis inspexit hunc locum autor Epistolæ ad Ebræos cùm dicit: Fide meliorem hostiam obtulit Habel quàm Cain, per quam testimonium accepit, quod sit iustus, testificante super donis eius DEO. Offert Cain quoque, ac quidem prior, sed offert inflatus illa gloria sanguinis, ac sperat DEO placiturum munus, quod offeratur à primogenito.

Venit igitur

Venit igitur sine fide, sine confessione peccati, sine imploratione gratiæ, sine fiducia misericordiæ Dei, sine petitione remissionis peccatorum, nulla alia re sperans se placiturum Deo, quàm quòd esset primogenitus. Sicut adhuc hodie omnes Iusticiarij faciunt, tantùm in opus suum intenti sunt, ac sperant se Deo propter id placituros, non fidunt in misericordiam Dei, non sperant Deum propter Christum peccata condonaturum esse. Talis etiam Cain fuit. Impossibilè enim est, quod displicuisset Deo, si habuisset fidem.

Contrà Habel agnoscit se esse indignum & miserum peccatorem. Confugit itaque ad misericordiam, & credit Deum esse propicium & velle misereri. Deus itaque qui corda inspicit, iudicat inter duos fratres offerentes simul, ac Cain damnat, non propter hostiam, quasi ea minus fuisset bona, si enim putamen nucis obtulisset in fide, gratum Deo fuisset, sed quia persona mala & sine fide, ac superbia & fastu plena est. Contrà ad munus Habel respicit, quia persona placet. Sicut textus dicit, Primò respexisse ad Habel, & post ad munus eius. Nam cùm persona placet, etiam ea placent quæ facit. Cùm contrà omnia ingrata sint, quæ is facit, quem odisti.

Insignis igitur hic locus est, quo clarè probatur. Deum non respicere neque magnitudinem, nec multitudinem, nec etiam precium operis, sed simpliciter personam fidem. Sicut econtrà non contemnit, neque paucitatem neque indignitatem, nec abiectionem operis, sed tantùm personæ infidelitatem.

Quid igitur est, quòd Iudæi gloriantur Templum Domini? Quid est quòd Papistæ iactant missas suas, cilicia, labores, sudores, magnitudinem, multitudinem, denique precia operum suorum? Non enim curat Deus opera, ne à se quidem præcepta, cùm non fiunt in fide. Sicut etiam prædictus Ieremiæ locus ostendit. Multò autem curat minus opera ab hominibus inuenta sine verbo Dei, solam fidem curat, hoc est, fiduciam misericordiæ per Christum, hac personæ incipiunt placere Deo, & postea etiam placent earum opera. Sic Cain oblatio non placuit, quia infidelis Cain non placuit. Contrà oblatio Habel placuit, idque propter fidem, quod non consilio eſt dignitate sua, non sacrificijs, non opere, sed simplici promissione de Semine mulieris facta.

Item. Genes. cap. 20. Tom. 2. fol. 160. Papistis sunt bona opera, in templo ine affectu & intellectu recitare Psalmos, vestire cilicio, abstinere à carnibus, sed non a piscibus & vino. Hæc iudicant digna tantis opibus & tam lautis præbendis.

Sed aliter Spiritus Sanctus & scriptura de bonis operibus concionatur, requirit scilicet ad opus bonum fidē, quod in gratia sis apud Deum propter Christum. Hoc fundamento stante, posteà omnia sancta sunt, siue doceas verbum, siue consoleris afflictos, siue patiaris vel tuas infirmitates, vel aliorum iniurias. Ideo Christus dicit: Amen dico vobis, qui credit in me, opera faciet, quæ ego facio, & etiam maiora.

Qualia autem fecit opera Christus? nimirum quæ Patri cœlesti placebant, arguebat Pharisæos, humiles consolabatur, hæc Deo grata opera erant. Sed etiam in naui dormiens, etiam iter faciens, edens & bibens placebat Deo. Idem inquit, accidit ijs, qui credunt in me. Atqui inquiunt Papistæ laicalia hæc sunt, & ciuilia opera, frons erat corruganda, erat fugienda consuetudo hominum, & nihil faciendum, quod simile esset aliorum factis. Sic scilicet probant se nihil scire de bonis operibus, de quibus tamen perpetuò vociferantur. Nosque accusant, quasi nihil boni operemur, & fruuntur interim opibus mundi, quibus ingurgitantur & impinguantur, sed veniet interitus eorum subitò. Oramus quidem pro eis:

pro eis: quòd si ipsi impediunt sua impœnitentia orationes nostras, & necesse est istam Sodomam ruere & perire, tamen valebit oratio nostra pro misero Loth & familia eius.

BONA OPERA NON IVSTIFICANT, NEC SVNT AD SALVTEM *necessaria.*

Genes. cap. 22. Tom. 2. fol. 208. 209. 210. Remouenda hîc est omnis opinio & arrogantia propriæ iusticiæ, atque illud Semen accuratè separandum ab omnibus operibus. Semen enim Abrahæ conceptum ex Spiritu Sancto, non est meum opus. Sed sunt distinctæ res, iusticia nostra & semen. Opera quidem etiam dicuntur & sunt benedictiones, de quibus Iohan. 14. Maiora his faciet: sed tum demum verè bona sunt, si prius adsit benedictio.

Benedictio autem Seminis alienum opus est & non nostrum: Ergo nec iustitiæ legis, nec traditionibus Papisticis iustificatio tribuenda est. Sed in Christo Iesu liberatore nostro benedicam me ipsum, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, 1. Corinth. 1. & in Psal. 104. Laudamini in nomine sancto eius, ibi gloriemur cum fiducia & lætitia æterna.

Hactenus verò affirmatiuam sententiam huius loci tractauimus. De fide in Christum Semen Abrahę, exclusa operum dignitate & meritis. Quia textus clarè dicit, quòd omnes Gentes, in se quidem maledictæ, & sine vlla dignitate & iusticia, seipsas tamen sint benedicturæ aliena benedictione.

Damnata est igitur omnis benedictio extra hanc, omnis sapientia, iusticia, potentia & quicquid possidet homo iuxta suam primam originem & natiuitatem ex Adam. Vtcunque floreamus vel vniuersi mundi opibus & bonis, stante maledictione, damnata est omnis illa corporalis benedictio. Nec vllius tanta est dignitas & gloria, qui hîc excipiatur. Quia omnes Gentes significant omnes homines.

Hæc cum doctrina nostra de iustificatione & fide rectè & piè congruunt, quam pontificij tanquam erroneam & hæreticam damnant & persequuntur, & nos vocant solarios, propterea quòd soli fidei tribuimus iusticiam.

Huius verò doctrinæ nos non autores sumus: sed ex hac & similibus promissionibus, Spiritu Christi illustrante, hausimus. Manifestè enim hîc reijcitur omnis opinio, & fiducia iusticiæ operum, & in vnam hanc benedictionem per Semen Abrahæ includitur iusticia, salus, & vita.

Quia verò tam impudenter apertæ veritati contradicunt, operæ precium est tractare & negatiuam, siue aduersatiuam nostræ doctrinæ, quam ipsi statuunt, vnà cum noua glossa, quam recens commenti sunt ad palliandum suum errorem.

Non enim simpliciter operibus iusticiam tribuunt, sed operibus coniunctis cum fide: Quia vident se in manifesto & turpi errore deprehensos, quòd opera tantùm sine fide, & quidem traditionum humanarum docuerunt. Iam igitur paululum sese inflectunt, & pro traditionibus suis, opera & iusticiam legis ad iustificationem exigunt.

Verùm, cùm ne id quidem ad declinandam iustam ignominiam satis sit, eò decurrunt, vt adsuant fidem operibus, & dicãt, Nec opera sola, nec solam fidem iustificare, sed fidem cum operibus, quia fides sine operibus est mortua.

Examinemus igitur negatiuam hanc. Adfirmatiuam suprà posuimus, quod sola

quod sola fide iusti reputemur & pronunciemur, ea confirmatur ex hoc loco, vbi dicitur, quod Gentes benedicent se non in sapientia, & iustitia sua, nec in lege, sed in benedictione Seminis, hoc est, Christo Iesu, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio, 1. Corinth. 1.

Negatiua hæc est. *Non sola fides iustificat, sed fides coniuncta operibus.* Ac huic propositioni callidam declarationem siue limitationem addunt. Licet exigamus opera tanquam necessaria ad salutem, inquiunt, tamen non docemus confidendum operibus. Est satis astutus Diabolus, sed nihil agit, tametsi fucum imperitis & rationi faciat.

Posito enim illo, quòd fiducia operum reijcitur, & damnatur, tum iustitia operum prorsus nihil est. Impossibile enim est, esse veram iustitiam in hominibus, nisi accedat simul fiducia, etiam præcepto diuino, quo prohibeor mentiri, aut negare iustitiam, quæ reuera talis est. Non enim eam peccatum dicere debeo.

Si igitur est aliqua iustitia operum, vt ipsi dicunt, quòd fides sine operibus nihil sit, diuina autoritate eam iustitiam adfirmare & habere debeo, & denecessitate salutis credendum est, quod hæc iustitia valeat ad salutem & vitam æternam.

Itaq; fallacia & mendacium est, quòd docent non esse fidendum operibus. Et contraria sententia retinenda est, quòd necessariò fiducia comitetur iustitiam operum. Quia omnis iustitia & veritas adfert secum fiduciam, quæ est endelechia, siue actus primus, substantia & factotum iustitiæ.

Sic ciuilis & Oeconomica iustitia non possunt esse sine fiducia. Quomodo igitur illi detrahatur, quam coram Deo iustitiam esse volunt? In œconomia certum me esse oportet, quod hæc mulier est vxor mea, hæc proles mea est. In politia certum esse debeo de meo Magistratu, quis sit, cui sum subditus, qui ciues mei, qui ijsdem legibus mihi coniuncti sint: non licet dubitare aut ambigere. Quin etiam tanta constantia & certitudo requiritur, vt non dubitem, nec recusem vitam & omnia bona impendere, pro salute & defensione domus, Vxoris, Magistratus & ciuium. Si autem dubito num hæc sit mea coniunx, meus pater, filius, Princeps, aut ciues, ruit, non est Vxor mea, nec pater, nec filius, nec Princeps, &c. Atq; ita tollitur iustitia cum Oeconomica, tum ciuilis.

Omnis igitur iustitia & veritas siue politica, siue Oeconomica fiduciam adiunctam habet, tanquam suam formam substantialem.

Quando igitur dicunt Papistæ se docere iustitiam operum, & tamen negant confidendum esse operibus, sibi ipsis contradicunt, & iustitiam operum prorsus nullam esse ipsimet fatentur. Sicut in Oeconomia, si dubitas de vxore, an sit tua vxor, non est vxor, sed meretrix. In qualibet enim iustitia oportet esse certitudinem, non tantùm Christianorum, verumetiam Gentilium & Turcorum. Turca certus est de sua coniuge, familia, Imperatore, &c. Sic Christianus statuat sua opera Deo placere & bona esse, siue in Ecclesia fiant, siue in Oeconomia, siue politia: & fallacia est, quando docent opera facienda, & tamen non confidendum illis.

Vnde etiam conciones illæ Prophetarum: adorant opus manuum suarum & similes: nisi quia omnes qui volunt iustificari suis operibus, reuera sunt idolatræ, quia non possunt vitare, quin habeant fiduciam operum.

Quare sustinui ego maximos labores in Monasterio? Cur corpus meum ieiuniijs, vigilijs & frigore adflixi? nimirum, quia conabar esse certus, per ea mihi contingere remissionem peccatorum, &c.

Ideo respondeo: Tu loqueris pugnantia, asseris iustitiam operum, & negas fiduciam, cùm tamen omnis iustitia necessariò includat fiduciam: diffidentia autem est argumentum, concludens nullam adesse iustitiam. Quòd si collocas fiduciam in opera, es idolatra.

Hoc an

Hoc an non est docere pugnantia & implicantia contradictionem ? Quis non videt, eos semetipsos conficere, & deuorare suis contradictionibus ? Modò statuunt iustificationem, modò negant, verbis quidem non negant, sed reipsa. Quia fidem cum operibus iustificare dicunt, & tamen fiduciam excludunt.

Quæ antea de traditionibus humanis & operibus legis nugati sunt, ipsorum etiam iudicio, & confessione damnantur. Postquam autem fidei vocabulum arripuere, ita vt negent solam sufficere ad salutem, & assuant operum merita, simul etiam fidem cum operibus amittunt.

Sed allegant locum Luc .17. Omnia cùm feceritis dicite: Serui inutiles sumus, hoc tuentur suum dogma, quod non sit confidendum operibus. Sed rursus deformiter impingunt. Quod enim pro se facere iudicant, id vniuersam eorum doctrinam labefactat. Non enim fiduciam tantùm, sed & iusticiam omnem, & merita operum damnat Christus. Si enim dicendum est opera esse inutilia, sequitur necessariò, quòd non sint iusticia, nec valeant ad vitam æternam, sed sint vilia & nihili prorsus.

Igitur omnis fiducia, iusticia, sapientia, quicquid est operum reijcitur, & falsum est, quod fide cum operibus iustificemur. Solum autem Semen benedictum liberat à morte & confert iusticiam, & vitam æternam oppræhensum fide.

Non negamus nos facienda esse opera, sed hoc improbamus, quod aduersarij commiscent fidem iustificantem, & opera iustificatorum per fidem. Benè quidem conueniunt, & sunt connexa inseparabiliter fides & opera. Sed sola fides est, quæ appræhendit benedictionem. Ideo solam fidem iustificantem prædicamus, quia sola benedicitur, opera non habent gloriam quòd benedicant, sed sunt fructus benedictæ personæ.

Hæc nostra iusticia est per fidem, de qua non est dubitandum, nec dicendum eam esse inutilem aut vanam, ne audiamus illud : Væ qui dicitis bonum malum, Esai. 5. Non dicam igitur, Ego habeo benedictionem : Igitur sum inutilis, sed verax, sanctus, iustus, benedictus, quia aliena iusticia talis sum, non mea. Hanc possum opponere iræ & iudicio Dei, & certus sum, quod Deus non potest se negare, & abijcere filium suum Semen illud Abrahæ, ideo cum fiducia & indubitanter statuo me esse iustum & hæredem vitæ æternæ.

Compræhenditur hac promissione penè vniuersa doctrina Christiana, incarnatio Christi & iustificatio, præter Sacramenta, quæ postea Christo veniente, declarata sunt. Deinde, refutatio Papisticæ doctrinæ, non tantùm de traditionibus & operibus : Sed etiam de fide coniuncta cum operibus, quam vrgent contra nos solarios. Et manet immota & firma hæc sententia, quod Sola fides iustificet. Quia simpliciter damnatur vniuersa fiducia omnium hominum, & ponitur Sola fiducia in Semen.

Ergo concludemus contra aduersarios : Iustificatio vestra in qua docetis operacum fide coniungenda, est mendacium : Quia contradicitis vobisipsis, statuitis iusticiam operum & negatis fiduciam, qua sublata, ipsam iusticiam tolli necesse est. Quia ipsa vita iusticiæ est certitudo & fiducia.

Econtrà, vera Iustificatio est, quando certus sum per fidem, Semen benedictum habitare in me, per quod me benedico. Nec dubitandum est, aut sentiendum benedictionem illam esse nihil, aut ociosam. Semen enim Abrahæ non sinit me esse inutilem, sed plenum fructibus Iohan. 14. Qui credit in me, &c.

Item, Obijciunt verò & illud quod hoc loco textus habet. Quia fecisti hanc rem. Hinc videtur sequi quòd Abraham suis operibus sit meritus benedictionem. Igitur & nostra opera sunt meritoria. Est enim causalis locutio,

quando dicit Deus: Benedicam te, quia obedisti voci meæ, quasi diceret, Non benedicerem te & alios, nisi obedisses.

Hoc argumentum tanquam murum aheneum opponunt ijs, quæ hactenus diximus, ac imperitis facilè fucum faciunt. Vbi nunc manet, quòd dicis inquiunt: Omnes gentes benedicent sese in Semine Abrahæ? Item, quod damnata sit iustitia operum, Moses hîc contrarium dicit: Quia fecisti, Quia obedisti. Consequentia est manifesta. Obedienti & facienti Abrahæ datur benedictio, obedire, facere sunt opera: Ergo per opera consequimur benedictionem.

Respondeo: Duæ quæstiones sunt in hac disputatione. Prima, an per opera iustificemur. Secunda, an Deus faciat magnalia & mirabilia propter electos, quia iam Sancti & iusti sunt per fidem.

Nos de prima quæstione nunc agimus, per opera ne mereamur iustificationem, an ex gratia & misericordia Dei, tanquam donum accipiamus sine merito.

Non hoc quæritur an iustificatus per gratiam & fidem mereatur vel impetret à Deo, vt propter ipsum facit Deus miracula & insignia opera. Sicut Sanctos suos mirificat, & ornat varijs & mirandis modis.

Has duas quæstiones ipsi Satanica malicia miscent & confundunt, estque, quod Dialectici loquuntur, fallacia Compositionis & Diuisionis. Eiusmodi Doctores digni odio sunt & reprobandi, quia seducunt populum meris fallacijs, non distinguunt inter argumenta & materias, de quibus disputatur.

Doctoris & Dialectici est, primùm omnium rectè definire & diuidere, postea argumentari & concludere. Priora duo aduersarij non faciant. Sed ponunt propositiones, & conclusionem sine vlla definitione & diuisione. Illa confusione nihil sani docent. Sed turbant & seducunt simplices animos.

Quæstio nostra hæc est: An peccator possit mereri iusticiam per opera bona, vel sola, vel cum fide coniuncta: Aut num Sola fides absq; operibus iustificat.

Ab hac quæstione distinguenda est secunda: An Deus propter iam iustificatos, sanctos, constitutos hæredes vitæ æternæ, faciat mirabilia, de quibus Psalmus 16. Mirifica misericordias tuas, &cet. Nam hanc propositionem aliqui intelligunt ipsi, de mirificis Dei, quæ fiunt in ijs, qui iam habent iusticiam, Spiritum Sanctum, sunt filij & Hæredes Dei, & confundunt opera iustificandorum cum operibus iustificatorum.

Quin potius ad hoc respondent: An Abraham sit iustificatus per imputationem filij, & consecutus hæreditatem æternæ vitæ. Id nos negamus, & ratio est, quia est iustificatus suprà capite. 15. Et hîc dicit textus, Credidit Abraham: Non iustificauit, antea enim acceperat remissionem peccatorum & iusticiam per fidem. Quando dicit Moses: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam, Illic non scriptum est, quia fecisti, quia obedisti.

Igitur nihil valet eorum argumentum, Sed horum verborum hæc sententia est. Fecisti mirabile opus, quia es iustus, viciſſim, mirabile opus tecum faciam, dabo benedictionem omnium gentium per Semen tuum. Per hoc non iustificatur Abraham. Quid enim ad ipsum omnium Gentium benedictio? Ad quod hoc totum pertinet, quod hîc dicitur per memetipsum iuraui.

Ergo promissio hæc non est facta Abrahæ vt eum iustificaret. Sed est testimonium quam præmium & ornamentum quoddam à Deo additum, vt testaretur Deus fidelibus & inuocantibus se largiturum immensa beneficia. Magna enim res est, quòd Abraham est Pater fidei, benedictionis & Christi. Hæc sunt dona increabilia, sed per ea non iustificatur, quia iam ante est benedictus, antequam benedictio omnium Gentium promittitur.

Long

Longè alia res est, quando Deus Sanctis suis ingentia miracula dat, quàm si eos iustificat, & recipit in gratiam. Promisit Christus fidelibus quicquid petierint à Patre impetraturos. Item: Qui manserit in me fructus faciet multos. Sed per hæc opera quæ impetrant à patre non iustificantur, sicut per fructus non fiunt palmites.

Concedimus igitur Deum benefacere iustificatis, remunerari & ornare grandibus & mirabilibus operibus: Sed hæc omnia non impetrarent eis remissionem peccatorum & gratiam Dei, nisi antea in Sanctis adessent. Et Sancti, quia sunt in gratia, & habent Spiritum Sanctum, ideo instructi sunt ad omne bonum. Abraham nisi fuisset iustus & donatus Principali illo dono gratiæ & misericordiæ diuinæ, nisi fuisset plenus iusticia & fide, nunquam obtulisset filium, nec hanc gloriam consecutus esset, de qua præsens locus concionatur.

Sic ego quotidie oro, vt Deus pessundet Papam & Turcam, Sed per hanc orationem non iustificor, imò nisi iustus essem, non orarem. Sentio autem, vt experior has meas & totius Ecclesiæ preces repellere & reprimere Turcos, Papam & complices eius. Ac magnum beneficium est, quod aduersariorum furor depellitur, qui diesnoctesque vires & artes suas exercent, ad fundendum sanguinem innocentem. Sed oratio hæc non facit Ecclesiam, sed econtrà Ecclesia orationem per quam obtinet mirabilem istam victoriam, aduersus Satanæ inuidias, & arcet malorum Angelorum læuitiam, & custodiam bonorum Angelorum impetrat. Hæc sunt opera & merita Sanctorum, de quibus inquit Christus: Qui in me credit, maiora his faciet.

Ad hunc modum Deus ad Abraham hîc loquitur: Tu fecisti hoc insigne opus, fuisti obediens, en vicissim insigni miraculo te ornabo, non vt iustificeris, sed vt scias Deum diligere Sanctos suos, non solùm vocare, iustificare, sed etiam magnificare & glorificare.

Iustificati igitur faciunt mirabilia, mirabilibus autem non iustificantur. Sic Paulus habet gloriam, quòd sit Doctor Gentium. Nos gloriamur de victoria aduerlus Satanam, & eius membra, quod nihil possint contra nos. Sed per hanc gloriam non iustificamur. Deus enim sic diligit Sanctos suos, vt quicquid agant, approbet, ornet & remuneret, non propter ipsa opera per se, sed propter fidem in Semen Abrahæ, quæ est efficax per omnis generis virtutes.

Quod si opera iustorum & fides possent disiungi, aut separari, quod non potest fieri, tunc reuera essent inutilia, & dicendum esset, Serui inutiles sumus, quod Papistæ de sua illa iusticia dicunt. Quia reliquiæ peccati adhærescentes nobis, contaminant opera. Sed oportet inuolui simul fidem, tanquam inseparabiliter connexam operibus. Ac si quid restat vitij, illud totum absorbetur per benedictionem Seminis.

Commendo igitur hunc locum omnibus pijs, plenum eruditione Spirituali, eaque multiplici & varia, in quo explicando, si non pro dignitate tractaui omnia, tenuitati meæ id adscribet æquus Lector. Capita tamen rerum hæc esse existimo.

Primùm quòd suppeditat hic locus pleniſſimam confirmationem doctrinæ de Iusticia fidei, quod Sola fide iustificemur. Quia nulla benedictio est speranda, nisi per Semen Abrahæ. Textus enim clarus est. Omnes gentes, quantumcunque iustæ, lapientes, ornatæ donis insignibus, tamen non benedicuntur, nisi per Semen tuum O Abraham, ita vt benedicant seipsas, non in seipsis, sed in Semine tuo.

Ac simul hîc fidei natura describitur, quæ est certò credere nos esse benedictos, non per nos ipsos, sed per Christum, qui est benedictio nostra. Benedicimus

igitur nos ipsos, & statuimus nos eos esse, ad quos pertineat ista benedictio: Quia fides est, quæ apprehendit benedictionem.

Ad illam confirmationem accedit refutatio aduersariorum de iusticia operum. Quia enim opera non sunt illa benedictio per Semen Abrahæ, manifestum est, idolatriam & maledictionem esse quæcunque iusticia, vel benedictio per opera præsumitur.

Hæc sunt capita nostræ doctrinæ, adfirmare iusticiam per Solam fidem, & refutare Papæ idolatriam. Corollariè autem sequitur, quicquid Papistæ de fide & operibus blaterant, ab ipsis non intelligi. Et reprehendendum in primis est, quod docent dubitationem, & auferunt iusticiæ formam suam substantialem, quæ est fiducia.

Nos autem ideo tam multis fidem prædicamus, vt adferamus fiduciam & certitudinem illam, qua persuasi & certi esse debemus, nos esse benedictos per Semen Abrahæ.

SI OPERA AD IVSTICIAM ESSENT NECESSARIA CHRISTUS *peccati esset minister.*

Tom. 4. Ienens. fol. 48. Galat. capite. 2. Si hoc verum est inquit Paulus, quod in Christo iustificamur, impossibilè est nos esse peccatores, aut per Legem iustificari, Contrà, si non est verum, sed oportet nos iustificari per Legem & opera eius, tum impossibilè est nos per Christum iustificari. Alterutrum istorum esse oportet, Aut non iustificamur in Christo, aut non in Lege. Sed in Christo iustificamur, Ergo non in Lege. Argumentatur igitur hoc modo, Si quærentes, &cet. Hoc est, Si conamur per Fidem in Christum iustificari, & sic iustificati, inuenimur adhuc peccatores, indigentes Lege, quæ nos peccatores iustificet. Si opus est, inquam, Legis obseruatione ad iustificationem, vt qui iusti in Christo, non sint iusti, sed opus habeant adhuc Lege iustificante, Vel, Si iustificatus per Christum, debet adhuc per Legem iustificari, Tunc Christus nihil aliud est, quàm Legislator & minister peccati. Ergo iustificatus & Sanctus in Christo, non est iustificatus & Sanctus, sed opus habet adhuc iusticia & sanctitate Legis.

Sed certè sumus iustificati & iusti in Christo, Quia veritas Euangelij docet, quòd homo non in Lege, sed in Christo iustificetur. Si autem illi, qui in Christo iustificantur, inueniuntur adhuc peccatores, id est, pertinent adhuc ad Legem & sunt sub Lege, vt Pseudoapostoli docent, ergo nondum iustificati sunt. Quia Lex accusat & arguit eos adhuc esse peccatores, & exigit vt opera Legis faciant, vt iustificentur. Ergo iustificati in Christo, non sunt iustificati. Et sic necessariò sequitur, Christum non esse Iustificatorem, sed peccati ministrum. His verbis grauissimè accusat Pseudoapostolos & omnes Iusticiarios, quod omnia peruertant, quia ex Lege Gratiam, ex Gratia Legem, ex Mose Christum, ex Christo Mosen faciunt. Docent enim, quòd post Christum & omnem iusticiam Christi, opus sit obseruatione Legis, si iustificari velis. Sic Lex fit Christus peruersitate intolerabili, Quia Legi tribuitur quod propriè Christo competit. Si feceris, aiunt, opera Legis, iustificaberis, Si non feceris, non iustificaberis, vt maximè in Christum credas. Si autem verum est, quòd Christus non iustificat, sed est Peccati minister, vt necessariò sequitur ex eorum doctrina, Ergo Christus est Lex, quia nihil aliud ex eo habemus, cùm doceat nos peccatores esse, quàm quòd ex Lege habemus, Et sic Doctor peccati, Christus, mittit nos ad Legem & Mosen iustificatorem. Itaque

Itaque Papistæ, & quotquot iusticiam Christi ignorant, aut non rectè tenent, Non possunt non facere ex Christo Mosen & Legem, & ex Lege Christum. Sic enim docent, Fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet etiam præcepta Dei. Quia Scriptum est, Si vis in vitam ingredi, serua mandata Dei. Ibi statim Christus negatus & fides abolita est. Quia mandatis Dei siue legi tribuitur, quod est Solius Christi. Est enim Christus definitiuè iustificator & redemptor à Peccatis. Si hoc Legi tribuo, iam lex ipsa meus est iustificator, liberans me à peccatis, quia opera eius facio. Sicque lex est Christus, & Christus in totum amittit suum nomen, officium & gloriam, nihilque aliud est quàm Legis minister, arguens, terrens, offerens & mittens peccatorem ad alium, qui possit eum iustificare, Quod verè est legis officium.

Sed proprium Christi officium est, peccatorem per Legem reum factum & constitutum, amplecti & absoluere à peccatis, si Euangelio credit. Christus enim est finis Legis ad iusticiam omni credenti, Ipse est Agnus Dei, qui portat peccata mundi. Quia verò Papistæ & fanatici Spiritus non tenent doctrinam de iustificatione, inuertunt omnia, ex Christo Mosen, & ex Mose Christum facientes. Estque hæc reuera (& si verbis aliud dicant) Principalis eorum propositio, Christus est Moses, &c. Deinde nos, qui tanta diligentia inculcamus & vrgemus Fidem, rident, dicentes: Ha, ha, Fides, fides, expecta donec fide peruenias in cœlum, Nitendum est ad sublimiora, Oportet te Legem Dei implere, iuxta illud, Hoc fac, & viues, Oportet te multa pati, fundere sanguinem, deserere domum, vxorem, liberos, imitari exemplum Christi. Fides, quam ita vehementer extollitis, securos, ociosos & stertentes reddit homines. Sic fiunt meri Legistæ & Operarij, à Christo ad Mosen deficientes, Item à Baptismo, fide, promissionibus Christi reuocantes populum ad Legem & opera, & ex Gratia, Legem, & ex Lege gratiam facientes.

Quis vnquam autem crederet, quod tam facilè ista possent commisceri? Nemo tam hebeti ingenio est, cui non appareat ista Legis & Gratiæ distinctio facilima esse, quia ipsa natura rerum & vocabulorum affert istam distinctionem. Quisque enim intelligit istas voces, Lex, Gratia, re & nomine diuersas esse. Ideo monstrum monstrosissimum est, stante ista distinctione clarissima, tamen aduersarios labi in istam peruersitatem Satanicam, quod Legem & gratiam confundant, & Christum in Mosen transforment. Ideo sæpe dico, istam doctrinam Fidei esse facilimam, istamque distinctionem Legis & Gratiæ quemlibet facilè posse intelligere, quantùm ad verba attinet, Sed in ipso vsu, vita, affectu esse omnium difficillimam.

Papa cum suis Scholasticis Doctoribus clarè dicit, Legem & gratiam esse distincta, Et tamen in ipso vsu planè contrarium docet. Fides in Christum, inquit, siue sit acquisita per vires, actus & habitus naturales, siue sit infusa per Deum, tamen mortua est, nisi sequatur dilectio. Vbi hîc manet distinctio Legis & Gratiæ? Nomine quidem ista inter se distinguit, reuera tamen Gratiam vocat dilectionem. Sic omnes Legis exactores operibus tribuunt iustificationem. Quicunque igitur Articulum iustificationis non probè tenent, illi necessariò confundunt Legem & Gratiam. Itaque diligenter discernere discat quilibet pius Legem a Gratia, affectu & vsu, non vt Papa & fanatici spiritus, verbis tantùm. Illi quantum ad verba attinet, fatentur illa duo esse distincta, re ipsa autem, vt dixi, commiscent ea, Quia non concedunt fidem sine operibus iustificare. Si hoc verum est, Christus iam nihil mihi prodest, Vt maximè enim veram fidem habeam, tamen, iuxta hanc ipsorum opinionem, non iustificor, si illa fides mea sit sine charitate,

tate, Et vt maximè eam habeam, tamen non satis diligo. Atque ita Christus fi-
de apprehensus non est iustificator, nihil prodest Gratia, nec fides vera esse potest
sine charitate (Aut vt Anabaptistæ dicunt, sine cruce, passione & effusione Sangui
nis) Si verò adest Charitas, opera & crux, fides vera est & iustificat.

Hac doctrina hodie iterum obscurant fanatici homines beneficium Christi,
detrahunt ei honorem iustificatoris, & constituunt ministrum Peccati. Nihil
ergo à nobis didicerunt, quàm verba recitare, rem ipsa non tenent. Videri qui-
dem volunt, se quoq; Euangelium & fidem Christi purè docere, vt nos, Sed quan-
do venitur ad vsum, sunt doctores Legis, per omnia similes ipsis Pseudoapostolis.
Nam quemadmodum illi vltra fidem in Christum, vrgebant per omnes Ecclesias
Circumcisionem & obseruationem Legis, sine qua detrahebant Fidei iustificatio-
nem (Nisi circumcidamini, dicebant, secundum Legem Mosi, non potestis Salui
fieri.) Ita hodie exactores Legis præter iusticiam fidei, requirunt etiam obserua-
tionem mandatorum Dei, Iuxta illud, Hoc fac, & viues. Item, Si vis in vitam in-
gredi, serua mandata. Ideo nemo ex ipsis, quantumuis videantur sibi sapere, in-
telligit discrimen Legis & Gratiæ, Ipso enim vsu & rerum iudicio conuincuntur.

Nos verò hîc distinguimus, & dicimus, Nos nunc non disputare, Num ope-
ra bona sint facienda? Neq; nos quærere, Num Lex bona, Sancta, iusta sit? aut,
Num sit seruanda? Nam is planè alius locus est. Sed nostra disputatio & quæ-
stio est, de iustificatione, An lex iustificet? Hoc aduersarij non audiunt, neque ad
hanc quæstionem respondent, neq; ibi distinguunt, vt nos, Sed tantùm clamant,
Bona opera esse facienda, Legem esse seruandam. Benè, scimus hoc. Sed quia
diuersi loci sunt, non patiemur eos commisceri, Suo tempore agemus de loco iusti-
Quod Lex & bona opera sint facienda. Cùm autem hîc versemur in loco iustifi-
cationes, reijcimus nunc opera, quæ aduersarij mordicus tenentes, adscribunt ea
iustificationem, Quod Christo est adimere gloriam, & eam operibus tribuere.

Est itaque satis firmum hoc argumentum, quo sæpe vsus sum in magnam
consolationem, Si quærentes, &c. Q. d. Paulus, si nos iustificati in Christo,
habemur adhuc pro non iustificatis, sed pro peccatoribus, qui per Legem adhuc
iustificandi sunt, Ergo non possumus quærere iustificationem in Christo, sed in
Lege. Si autem iustificatio per Legem fit, non fit per gratiam, Ad sufficienti diui-
sione. Si nunc iustificatio non fit per Gratiam, sed per Legem, Quid fecit Chri-
stus sua passione, prædicatione, victoria peccati, & mortis, & Spiritus Sancti mis-
sione? Aut igitur iustificamur per Christum, aut peccatores & rei per eum effici-
mur. Si verò Lex iustificat, tum ineuitabiliter sequitur, nos per Christum pecca-
tores effici, Igitur Christus peccati minister est. Ponatur itaque hæc propositio,
Omnis credens in Dominum Iesum Christum, est peccator & reus æternæ mortis,
& nisi recurrat ad Legem, & opera eius faciat, non saluabitur.

Scriptura, præsertim noui Testamenti, vbique inculcat fidem in Christum,
& magnificè eam prædicat. Qui, inquit, credit in eum, saluatur, non perit, non
iudicatur, non confunditur, habet vitam æternam. Illi contrà, Qui credit in eum
damnatur, &c. Quia habet Fidem sine operibus, quæ damnat. Sic peruertunt
omnia, ex Christo simpliciter perditorem, ex Mose saluatorem facientes. Nonne
autem inæstimabilis Blasphemia est, sic docere, Faciendo Legem & opera, efficie-
ris dignus vita æterna, Credendo autem in Christum, reus eris mortis æternæ?
Lex seruata saluat, fides in Christum damnat?

Itiusmodi

Istiusmodi quidem verbis Aduersarij non vtuntur, re vera tamen ita docent. Quia fides, inquiunt, infusa (quam propriè vocant fidem in Christum) non liberat à peccatis, sed fides formata charitate. Ex hoc sequitur, quod sola Fides in Christum, sine Lege & operibus, non saluat. Hoc certè est affirmare, quòd Christus relinquat in peccatis & ira Dei, & reos nos faciat mortis æternæ. Econtrà, Si feceris Legem & opera, tum fides iustificat, Quia habet opera, sine quibus aliqui fides nihil prodest. Ergo opera iustificant, non fides, Quia propter quod vnumquodque est tale, illud magis tale est. Si fides propter opera iustificat, ergo opera magis iustificant quàm fides. Profundæ sunt abominationes Blasphemæ huius doctrinæ.

Argumentatur ergo Paulus ab impossibili, & sufficienti diuisione, Si nos iustificati in Christo, adhuc sumus peccatores, iustificandi per aliud quàm per Christum, scilicet per Legem, Ergo Christus non potest nos iustificare, sed tantùm accusat & condemnat nos, Ergo gratis mortuus est. Et hi & similes loci falsi sunt, Ecce agnus Dei &c. Item, Qui credit in Filium, habet vitam æternam, Imò tota scriptura, quæ testatur, Christum esse iustificatorem & Saluatorem mundi, falsa est. Nam si inuenimur peccatores, postquam in Christo sumus iustificati, necesse est sequi, facientes Legem sine Christo esse iustificatos. Hoc si verum est, tum sumus Turcæ, Iudæi, Tartari, retinentes tantùm in speciem verbum & nomen Christi, vsu autem & re vera prorsus negantes Christum & verbum ipsius, At Paulus vult fidem esse ὀντυπόκριτον. Ideo error & impietas est asserere, fidem infusam non iustificare, nisi ornata sit operibus charitatis. Quod si autem hoc aduersarij omninò defendere volunt, Cur in totum Fidem in Christum non abijciunt? præsertim cùm ex ea nihil faciant, quàm inanem qualitatem in anima, quæ sine charitate nihil prosit, Cur non potius appellant Scapham scapham? hoc est, cur non claris verbis dicunt, opera iustificare, non Fidem. Item, cur in uniuersum manifestè non negant totum Euangelium & Paulum (vt reuera negant) qui soli Fidei, non operibus tribuunt iusticiam? Nam si Fides cum operibus iustificat, falsa est tota disputatio Pauli, qui differè dicit, Hominem non iustificari operibus Legis, sed fide Ihesu Christi.

Tom. 3. Ien. fol. 300. Iesai. cap. 1. Quemadmodum Christianus in peccatis non desperare, ita quoque de nullo opere præsumere debet, quod id ad iustificationem faciat. Et fol. 304. Opinio quod ad Iustificationem coram Deo requirantur opera est Idolum.

Plura de hac sententia seu propositione quod bona opera ad salutem non sint necessaria si cupis, vide. Tom. 1. Ienens. fol. 470. De libertate Christiana. Item, Tom. 2. Ienens. De votis Monasticis. fol. 513. 515. 516. 517. 518. 519.

OPERA PIORVM IMPERFECTA.

Tom. 4. Ienens. fol. 50. Galat. cap. 2. Impossibilè est humanam naturam implere Legem. Imò in Iustificatis, qui habent Spiritum Sanctum, repugnat lex membrorum, Legi mentis, &c. Quid non faceret in impijs, qui Spiritum Sanctum non habent. Quare docens per Legem contingere iusticiam, ipse met non intelligit quid loquatur, aut quid affirmet, multò minus seruat Legem, sed seipsum & alios ludit, & grauat onere importabili, præscribit & exigit impossibilia, & ad extremum se & discipulos suos adducit in desperationem.

Et Tom. 4. Ienenſ. fol. 382. Pſal. 51. Quicquid ſumus & viuimus, hoc totum eſſe meræ Gratiæ, non iuſticiæ aut meriti noſtri. Quid igitur inquies? An non Decalogus præſtari debet? Si autem præſtatur, an non ea iuſticia eſt? Reſpondeo, Volumus Decalogum præſtare & ſeruare, ſed cum larga, hoc eſt, vera Euangelica diſpenſatione, ſeu diſtinctione, Quia accipimus tantùm primitias Spiritus, & gemitus Spiritus in corde manent, Item caro noſtra, cum ſuis libidinibus & concupiſcentijs, hoc eſt, tota arbor cum fructibus etiam manet. Hæc cauſa eſt, cur Decalogus nunquam poſſit plenè præſtari, Alioqui ſi Decalogus poſſet præſtari integer, quid opus eſſet iuſticia illa, quam Dauid per verbum, Miſerere, petit, hoc eſt, quid opus eſſet imputatione? Nunc, cùm etiam in Sanctis remaneant peccati reliquiæ, nondum planè mortificatæ, vtrunque fit, vt per Spiritum inhabitantem peccato reſiſtamus, & obediamus Decalogo, & tamen peccatum & Satanam in peccatum impulſi, ſperemus remiſſionem peccatorum.

Sic obedientia erat in Lege, ſacrificare, & tamen infrà dicet Propheta, Sacrificium & holocauſta noluiſti. Sic enim erant ſacrificia, ne tamen tolleretur miſericordia. Ad eundem modum facimus Legem per Spiritum Sanctum, & tamen manet verbum, Miſerere, hoc eſt, nos manemus peccatores, & opus habemus gratuita remiſſione peccatorum per Chriſti meritum. Ergo miſericordia eſt, tota noſtra vita in mortem vsque, & tamen Chriſtiani præſtant obœdientiam Legis, ſed imperfectam, propter peccatum inhabitans in nobis. Quare hoc quoque diſcamus, vt verbum, Miſerere, benè extendamus, non tantùm ad actualia peccata, ſed ad omnia beneficia Dei, quod ſumus iuſti alieno merito, quod habemus Deum Patrem, quod Deus pater amet peccatores ſenſitiuos, In ſumma, quod omnis noſtra vita eſt miſericordia. Quia tota noſtra vita eſt peccatum, nec poteſt oppo ni iudicio aut iræ Dei.

QVI VERE SANCTI DICANTVR ET SINT ET QVOD PECcati reliquiæ in Sanctis maneant.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 173. Galat. cap. 5. Nullus vnquam fuit Sanctus, quem non ſæpius in vita ſolicitauerit caro ad impatientiam, iram, &c. Hinc Paulus de Sanctis hîc loquens, dicit Carnem in ipſis concupiſcere aduerſus Spiritum, &cet. Itaque non aberunt deſideria & pugnæ carnis, non tamen ideo ſtatim obſunt illis, qui eas ſentiunt. Sed ita de hac re iudicandum eſt, Aliud eſſe ſolicitari à carne, & eius concupiſcentias non vltrò ferre, ſed Spiritu ambulare & reniti, &c. Aliud eſſe aſſentiri carni, & opera eius ſecurè perficere, in illis commorari, & tamen interim ſimulare pietatem & iactare Spiritum, &cet. Priorem conſolatur, dum dicit eos Spiritu duci & ſub Lege non eſſe. Poſterioribus comminatur æternum interitum. Imò quandoque etiam accidit, vt Sancti labantur & deſideria ipſius carnis perficiant. Sicut Dauid grandi & horribili lapſu cecidit in adulterium. Item, autor fuit cædis multorum, dum volebat Vriam in acie perire. Eaque re hoſtibus etiam occaſionem dedit gloriandi contra populum Dei, adorandi idolum ſuum, & Blaſphemandi Deum Iſrael. Lapſus eſt horribiliter & Petrus, cùm negaret Chriſtum. Sed quamlibet illa peccata grandia ſint, tamen non ex contemptu Dei aut deſtinata malicia, ſed ex infirmitate commiſſa ſunt.

Deinde

Deinde admoniti non perseuerauerunt obstinati in peccatis, sed resipuerunt, &c. Tales infrà Cap. 6. Iubet recipi, instrui & instaurari, dicens, Si præoccupatus fuerit homo, &c. Ideo qui ex infirmitate peccant & labuntur, illis non denegatur venia, modò rursum resurgant, & in peccatis non perseuerent, Perseuerantia autem pessima est, &c. Si autem non resipiscunt, sed porrò obstinati persiciunt desideria carnis, certissimum signum est, quod dolus sit in Spiritu ipsorum.

Desiderijs igitur nemo carebit, quousque in carne viuit, ideoque nemo liberitá tentationibus. Alius tamen aliter tentatur, secundum discrimen personarum. Hic grauioribus motibus exercetur, quales sunt Tristicia spiritus, Blasphemia, diffidentia, desperatio, &c. Alius crassioribus, quales sunt, Libido, ira, odium, &c. Sed ibi Paulus requirit à nobis, vt Spiritu ambulemus, & carni resistamus. Qui autem carni obsequitur & pergit securus desideria ipsius perficere, ille sciat se non pertinere ad Christum, & vt maximè sese ornet nomine Christiano, tamen seipsum fallit. Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum concupiscentijs, &cet.

Hic locus, vt suprà quoque obiter monui, grauissimam consolationem continet. Quia admonet, quod sine concupiscentia & tentationibus carnis, imò etiam sine peccatis Sancti non viuant. Admonet igitur nos, ne faciamus, vt quidam de quibus Gerson Scribit, qui eò nitebantur, vt prorsus nihil tentationum & peccatorum sentirent, hoc est, vt planè saxa essent. Talem imaginationem habuerunt Sophistæ & Monachi de Sanctis, quasi fuerint meri stipites & trunci, & planè caruerint omnibus affectibus. Certè Maria sensit maximum dolorem animi amisso filio, Lucæ. 2. Conqueritur Dauid in Psalmis, se immodica tristicia propter magnitudinem tentationum & peccatorum suorum concepta, penè absorberi. Conqueritur & Paulus se foris pugnas, intus pauores sentire, Se carne seruire Legi peccati, Ait se solicitum esse pro omnibus Ecclesijs, Et Deum misertum esse sui, quod Epaphroditum vicinum morti, & restituerit vitæ, ne dolorem super dolorem haberet. Itaque Sophistarum Sancti, similes sunt Sapientibus Stoicorum, qui tales finxerunt sapientes, quales nulli vnquam fuerunt in rerum natura. Et hac stulta & impia persuasione, quæ nata est ex inscitia huius Paulinæ doctrinæ, adegerunt Sophistæ seipsos & alios infinitos ad desperationem.

Ego Monachus sæpe ex animo optabam eam felicitatem mihi contingere, vt possem videre conuersationem & vitam alicuius Sancti hominis. Interim tamen somniabam talem Sanctum, qui in Eremo agens, abstineret à cibo & potu, & victitaret tantùm radiculis herbarum & aqua frigida. Et illam opinionem de monstrosis illis Sanctis, non solùm hauseram ex libris Sophistarum, sed etiam Patrum. Nam alicubi Sanctus Hieronymus sic scribit, De cibis verò & potu taceo, cum luxuria sit etiam languentes aqua frigida vti, & coctum aliquid accepisse, &cet.

Nunc autem lucente veritatis Sole, clarissimè videmus Christum & Apostolos vocare Sanctos, non qui cælibem vitam agunt, abstemij sunt, aut alia opera in speciem monstrosa faciunt, vt de multis legitur in vitis Patrum, Sed qui vocati per Euangelium & Baptisati, credunt se Christi morte & Sanguine Sanctificatos & mundatos esse. Sic passim Paulus scribens ad Christianos vocat eos sanctos, filios & Hæredes Dei, &c. Sancti igitur sunt omnes, quotquot credunt in Christum, siue masculi, siue fœminæ, siue serui, siue liberi, &c. sint, non ex suis operibus, sed Dei, quæ fide accipiunt, vt sunt Verbum, Sacramenta,

Christi

Christi passio, mors, resurrectio, victoria, Spiritus Sancti missio, &c. In summa, Sancti sunt sanctitate passiua, non actiua.

Sic verè Sancti sunt ministri verbi, Magistratus politici, parentes, liberi, heri, familia, &c. Si primùm omnium certò statuant Christum esse suam Sapientiam, iusticiam, sanctificationem & redemptionem. Deinde, si vnusquisque ex præscripto verbi Dei faciat officium in vocatione sua, carni non obsequatur, sed Spiritu reprimat desideria & concupiscentias eius. Quod omnes æquè non sunt facimi, sed multæ adhuc imbecillitates & offensiones cernuntur in plærisque, hoc nihil impedit eorum Sanctitatem, modò non ex destinata malicia, sed ex imbecillitate peccent. Nam, vt iam aliquoties dixi, pij sentiunt concupiscentiam carnis, sed repugnant ne eam perficiant. Item, si etiam ex improuiso labantur in peccatum, tamen veniam consequuntur, si fide in Christum iterum eriguntur, quia non vult vt abigamus, sed quæramus perditam ouem, &cet. Absit igitur vt infirmos in fide aut moribus, si videro eos amare & reuereri verbum, cœna Domini, ca vti, &cet. statim iudicem profanos esse. Hos enim Deus assumpsit, & reputat eos iustos per remissionem peccatorum. Huic stant & cadunt, &c. Lætus igitur gratias ago Deo, quòd supra modum abundè mihi donauerit, quod olim Monachus petij, non vt viderem vnum Sanctum, sed multos, imò infinitos verè Sanctos. Non quales Sophistæ, sed Christus ipse & Apostoli pingunt ac describunt, quorum & ego, gratia Dei, vnus sum. Sum enim Baptisatus, & credo Christum Dominum meum sua morte me redemisse à peccatis, & donasse mihi iusticiam & Sanctitatem æternam. Et Anathema sit, quicunque hunc honorem Christo non habuerit, vt credat, quod eius Morte, Verbo, Sacramentis, &c. Iustificatus & Sanctificatus sit, &cet.

Repudiata igitur hac stulta & impia opinione de Sanctorum appellatione (quam putabamus competere tantùm Sanctis in cœlo, & in terra Eremitis ac Monachis, prodigiosa quædam opera facientibus) discamus nunc ex Scriptura Sancta, omnes fideles Christi Sanctos esse. Admiratur mundus Sanctitatem Benedicti, Gregorij, Bernhardi, Francisci & similium. Quia audit eos magnificam speciem & insolita quædam opera fecisse. Certè fuerunt etiam Sancti, Hilarius, Cyrillus, Athanasius, Ambrosius, Augustinus & alij, qui tam asperam & horridam vitam non egerunt, vt illi, sed conuersati sunt inter homines, ederunt cibos communes, biberunt vinum & vestitu eleganti ac decenti vsi sunt, & ferè nullum discrimen fuit, quod ad communem vitæ consuetudinem attinet, inter ipsos & illos honestos viros, & tamen longè præferendi sunt illis superioribus. Hi enim sine vlla superstitione docuerunt fidem Christi purè, Hæreticis restiterunt, & Ecclesiam ab innumeris erroribus repurgauerunt. Iucundissima fuit multis coram familiaritas, & præsertim tristibus & afflictis (non enim abduxerunt se à consolatione hominum, sed officium suum administrauerunt in frequenti turba) quos verbo erexerunt & consolati sunt. Contrà, illi non solùm contra fidem docuerunt, sed etiam multarum superstitionum, errorum & impiorum cultuum autores fuerunt. Ideo nisi in agone mortis Christum apprehenderunt, & solà ipsius morte & victoria confisi sunt, nihil planè profuit eis rigida vita.

Hæc satis ostendunt, qui verè Sancti sint, & quæ sit appellanda vita sancta. Non illorum, qui in angulis & antris delitescunt, inædia corpora macerant, cilicia gestant, &c. Hac opinione, vt singulare quoddam præmium in cœlis habeant præ cæteris Christianis, Sed qui Baptisati sunt & credunt in Christum, &c.

Qui non semel exuunt veterem hominem cum actibus suis, sed durante vita manet in eis concupiscentia, quam nihil obest ipsis sentire, modò eam non permittant regnare, sed subijciant Spiritui. Hæc doctrina affert consolationem pijs mentibus, ne, cum ista iacula carnis, quibus impugnat Satan Spiritum, sentiunt, desperent, vt multis in Papatu accidit, qui iudicabant se nullam prorsus concupiscentiam carnis debere sentire, Cùm tamen neque Hieronymus, neque Gregorius, neque Benedictus, neque Bernhardus & alij (quos Monachi imitandos sibi proposuerunt tanquam perfecta exempla castitatis & omnium Christianarum virtutum) huc peruenire potuerint, vt nullam planè concupiscentiam carnis sentirent, Imò sentiunt eam & fortiter. Id quod ingenue fatentur, non vno loco in libris suis. Ideo Deus non solùm, non imputauit eis ista leuia delicta, sed etiam pernicioſos errores, quos quidam ex ipsis in Ecclesiam inuexerunt. Gregorius autor fuit Missæ priuatæ, qua nulla vnquam fuit maior abominatio in Ecclesia noui Testamenti. Alij Monachatum, impios cultus & voluntarias Religiones excogitauerunt. Cyprianus disputabat, ab Hæreticis Baptisatos rebaptisandos esse.

Rectè igitur fatemur in Symbolo, nos credere Ecclesiam Sanctam. Est enim inuisibilis, habitans in Spiritu in loco inaccessibili, ideo non potest videri eius Sanctitas. Deus enim ita abscondit & obruit eam infirmitatibus, peccatis & erroribus, varijs formis crucis & scandalis, vt secundum sensum nusquam appareat. Qui hoc ignorant, cùm vident infirmitates, peccata, &c. eorum qui Baptisati sunt, Verbum habent & credunt, statim offenduntur, & iudicant eos ad Ecclesiam non pertinere. Et interim somniant Ecclesiam esse Eremitas, Monachos, &cet. Qui tantùm labijs Deum honorant, & frustra eum colunt, quia non verbum Dei, sed doctrinas & mandata hominum sequuntur & alios docent. Quia verò superstitiosa & prodigiosa opera, quæ ratio magnifacit & admiratur, faciunt, ideo iudicant eos esse Sanctos & Ecclesiam. Illi conuertunt articulum fidei, Credo Ecclesiam Sanctam, &c. Et pro Credo ponunt video. Istiusmodi humanæ iusticiæ & voluntariæ sanctitates reuera sunt spiritualia veneficia, quibus præstringuntur oculi & mentes hominum & abducuntur à cognitione veræ Sanctitatis, &cet.

Nos verò sic docemus, Ecclesiam non habere maculam aut rugam, sed esse Sanctam, per fidem tamen in Iesum Christum. Deinde in vita per abstinentiam à concupiscentijs carnis, & per exercitium Spiritualium fructuum. Sed nondum esse Sanctam per liberationem & ademptionem omnium desideriorum malorum, nec per expurgationem omnium impiarum opinionum & errorum. Semper enim fatetur Ecclesia peccatum suum, & orat sibi dimitti debita sua. Item, Credit remissionem peccatorum.

Quare Sancti peccant, labuntur & etiam errant, sed per ignorantiam. Non enim libenter vellent negare Christum, amittere Euangelium, reuocare Baptismum, &cet. Habent igitur remissionem peccatorum, Et si etiam per ignorantiam in doctrina errant, hoc illis ignoscitur. Quia ad extremum agnoscunt errorem suum, & Sola veritate & Gratia Dei in Christo nituntur, vt fecit Hieronymus, Gregorius, Bernhardus & alij. Opera igitur carnis studeant vitare Christiani, desideria non possunt.

Ad hoc

Ad hoc igitur prodest pijs sentire immundiciem carnis suæ, ne inflenturin-
ani & impia opinione de iusticia operum, quasi propter eam accepti sint coram
Deo. Hac Monachi inflati tam Sanctos se esse putauerunt propter electicium
vitæ genus suum, vt etiam alijs, quanquam interim corde proprio conuincebun-
tur se esse immundos, vendiderint suas iusticias & Sanctitates. Tam pernicioſa pe-
stis est fiducia iusticiæ propriæ, & somniare se esse mundum. Quia verò pijsen-
tiunt immundiciem cordis, non possunt fidere iusticia sua. Is sensus humilias
eos, vt demittant cristas, & non possint confidere benefactis suis, & compellit eos
accurrere ad Christum Propiciatorem, qui non habet carnem corruptam aut vi-
tiatam, sed purissimam & Sanctissimam, quam pro vita Mundi dedit, in illo inue-
niunt iusticiam solidam & perfectam. Sic manent in humilitate non ficta au-
monastica, sed vera, propter sordes & vitia, quæ hærent in carne sua, propter quas,
si Deus seuerè vellet iudicare, rei essent æternæ mortis. Quia verò non superbi-
unt contra Deum, sed humiliter & contrito corde agnoscentes peccata sua veniam
petunt, ac freti beneficio Mediatoris Christi, progrediuntur in conspectum Dei,
& orant propter ipsum ignosci sibi peccata, expandit super eos Deus immensum
cœlum Gratiæ ac peccata propter Christum, non imputat eis.

Hæc dico, vt caueamus pernicioſos Sophistarum de Sanctitate vitæ errores,
quibus ita mentes nostræ fuerunt occupatæ, vt eos sine magno labore non potu-
rimus excutere. Quare sedulò operam date, vt rectè discernatis inter iusticiam
seu Sanctitatem veram & Hypocriticam, tum poteritis alijs oculis inspicere re-
gnum Christi, quàm ratio, nempe Spiritualibus, & certò iudicare, illum esse
Sanctum, qui Baptisatus est & credit in Christum. Et deinceps in illa fide, qua
iustificatur & remittuntur ei peccata præterita & præsentia, abstinet ipse à delic-
rijs carnis. Sed ab his prorsus non mundatur. Caro enim concupiscit ad-
uersus Spiritum. Manent tamen istæ sordes in eo, vt humilietur, & sic humiliato
dulcescat Gratia & beneficium Christi. Sic istæ sordes & reliquiæ peccati non
obsunt, sed valde prosunt pijs. Quò magis enim sentiunt infirmitatem & pecca-
ta sua, hoc magis confugiunt ad Thronum gratiæ, Christum & eius auxilium im-
plorant, vt ornet eos sua iusticia, vt illis augeat fidem, subministret Spiritum, quo
duce vincant concupiscentias carnis, ne dominentur, sed seruiant. Sic Chris-
nus perpetuò luctatur cum peccato, & tamen luctando non succumbit, sed victo-
riam obtinet.

Hæc dixi, vt intelligeretis, non ex humanis somnijs, sed verbo Dei, qui vere
Sancti sint. Videmus ergo Christianam doctrinam maximè prodesse ad erigen-
das conscientias. Deinde eiusmodi esse doctrinam, quæ non de cucullo, raſuris,
rosarijs & similibus futilibus rebus agat, sed de arduis & maximis causis, videlicet
quomodo vincere debeamus carnem, peccatum, mortem, Diabolum. Hæc do-
ctrina vt ignota est iusticiarijs, ita impossibilè est eis, vel vnam conscientiam erran-
tem instituere aut conterritam & desperabundam consolari & pacificare.

DE FINE BONORVM OPE-
RVM ET CVR SINT FA-
cienda.

Tom. 4. Ienens. fol. 121. Galat. capite. 4. FINALIS causa
obedientiæ legis in iustis, non est iusticia coram Deo, quæ Sola fide accipitur, sed
pax mundi, gratificatio erga Deum, & bonum exemplum, quo alios inuitant ad
credendum

credendum Euangelio. Papa ita confudit ceremonialia, moralia & fidem, vt prorsus inter ea nihil discreuerit, donec tandem prætulerit ceremonialia moralibus, & moralia fidei.

Item. Tom. 4. Ienens. fol. 406. Psalm. 51. Sed inquies, An non ad regenerationem pertinet etiam noua vita? Ita. Sed sicut fructus non sunt, nisi prius sit arbor: Ita non possunt esse bona opera, nisi prius persona sit iusta & bona. Igitur vita æterna seu gratia, non venit ex merito operum, sed quia iam iusti sunt, & hæredes vitæ æternæ per Christum, cuius meritum fide accipiunt, isti bona faciunt, non eo fine, vt vitam æternam consequantur, quam iam iure habent alieno merito, scilicet Christi, sed vt grati sint, & obedientes diuinæ voci, vt gloria Dei, pariter doctrina & vita sancta promoueatur. Hunc ordinem finium non intelligunt aduersarij, sed peruertunt eum. Igitur necessarium est esse Dauides, qui magno animo hanc doctrinam spargunt, non tantùm in eos qui sunt extra gratiam, sed etiam in eos qui sunt in gratia. Hi enim quia sentiunt terrores & infirmitatem suam, cum singulari auiditate hanc doctrinam hauriunt. Alij extra gratiam, etsi magna ex parte persequuntur, tamen non omninò fructu caret prædicatio hæc.

BONA OPERA NON CONSERVANT IVSTICIAM, SED SPIRITVS SANCTVS.

Tom. 4. Ienens. fol. 404. Psal. 51. Sed hîc iterum admoneo, quod suprà: Quia enim Dauid ista petit à Domino, ideo manifestè nobis ostendit, non esse nostri operis, aut virium nostrarum conseruare ista dona, sed esse nos positos in eo periculo, ne proijciamur. Hoc proijci tum fit, cùm Dominus nos relinquit nobis, & subtrahit Spiritum suum, sicut scriptura dicit, Dimisit eos in sua desideria. Hoc cùm fit statim concidimus. Nam aut cupiditatibus nostris indulgemus, sicut Dauid in adulterio, aut in præsumptionem aut desperationem prolabimur. Ideo dicit ne me proijcias, hoc est, ne deseras me Spiritu tuo sanctificante, nam hoc cùm fit, verè proiectus sum ac perij. Et Spiritum tuum sanctum ne auferas à me. Fatetur enim Spiritum Sanctum se habere, sed nondum perfectè aut totum, sunt enim tantùm primitiæ spiritus: Post hanc vitam autem fiet, vt plenitudinem spiritus consequamur & fiamus sicut ipse est. Sic coniungenda sunt hæc duo, vt per Spiritum Sanctum seruemur ab omnibus inquinamentis, interiùs & exteriùs, spiritus & carnis, vt corda nostra fiant ceu purum habitaculum, ad quod non pateat reditus immundo spiritui, sicut Christus etiam docet in Euangelio.

BONA OPERA SVNT FACIENDA.

Ex Galat. Cap. 5. T. 4. fol. 163. Apostoli in more habent, post doctrinam fidei, instructionem conscientiarum, subijcere præcepta morum, quibus exhortantur credentes ad officia pietatis inter se mutuo exercenda. Et eam partem doctrinæ aliquo modo intelligit, & docet etiam ratio, de doctrina verò fidei prorsus nihil nouit. Ne igitur videatur doctrina Christiana dissoluere bonos mores, & pugnare contra politicas ordinationes, admonet Apostolus etiam de bonis moribus, honesta & externa conseruatione, de seruanda charitate, concordia, &c. Non potest igitur mundus iure accusare Christianos, quòd dissoluant bonos mores, quòd publicam pacem, honestatem, &c. perturbent. Quia melius tradunt mores & omnes virtutes, quàm illi aut Philosophi, aut Magistratus, quia fidem addunt.

Vos enim in libertatem vocati estis, fratres, Tantùm ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicem. Q. D. Nacti estis iam per Christum libertatem, hoc est, longè estis supra omnes leges secũdum conscientiam,

& coram Deo beati & salui estis, Christus vestra vita est. Igitur lex, peccatum, mors, etiamsi vos terrent, tamen nec̃ nocere, nec̃ in desperationem adigere possunt. Ea est præclara & inæstimabilis libertas vestra. Nunc vestrum est diligenter cauere, ne illam libertatem detis in occasionem carni. Hoc malum latissimè patet, & omnium deterrimum est, quod Satan in doctrina fidei excitat, quod scilicet hanc libertatem, qua Christus nos liberauit, in multis mox transfert ad occasionem carni. Hoc idem consequentur & Iudas in sua Epistola, subintrauerunt inquit, quidam homines impij, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciuiam. Caro enim prorsus non intelligit doctrinam Gratiæ, scilicet quod operibus non iustificemur, sed sola fide. Quod lex nullum ius in nos habeat. Ideo cùm audit hanc doctrinam transferteam ad lasciuiam, & statim sic infert, si sumus sine lege, viuamus igitur vt volumus, nihil faciamus boni, nihil demus egentibus, multò minus patiamur aliquid mali. Non enim est lex quæ cogat aut liget nos. Ita vtrinq; periculum est, alterum tamen altero tolerabilius. Si Gratia seu fides non prædicatur, nemo fit saluus. Fides enim sola iustificat & saluat. Contrà si prædicatur fides, vt necesse est eam prædicari, maior pars hominum carnaliter intelligit doctrinam de fide, & libertatem spiritus in libertatem carnis rapit. Hoc cernere est hodie in omnibus vitæ generibus superiorum & inferiorum. Omnes iactant se esse Euangelicos, iactant Christianam libertatem. Et tamen interim obsequentes suis cupiditatibus conuertuntur ad auaritiã, voluptates, superbiam, inuidiam, &c. Nemo fideliter suum officium facit, nemo per charitatem alteri seruit, &c. Ea indignitas nonnunquam adeo impatientem me facit, vt sæpe optem eiusmodi porcos, qui margaritas pedibus conculcant adhuc esse sub tyrannide Papæ. Impossibilè enim est hunc populum Gomorrhæ Euangelio parcis regi. Deinde nosipsi qui docemus verbum, non tanta diligentia & ardore iamin luce veritatis facimus nostrum officiũ, vt priùs in tenebris ignorantię illud fecimus. Quô enim sumus certiores de libertate illa à Christo nobis parta, hoc frigidiores & segniores sumus ad tractandum verbum, orandũ, benè operandum ad mala ferenda, &c. Et nisi Satan vexaret nos intus spiritualibus tentationibus, & foris persecutionibus aduersariorum, item cõtemptu & ingratitudine nostrorũ hominũ, prorsus securi, ignaui, & ad omne opus bonum reprobi fieremus, Atq; ita cum tempore amitteremus cognitionem & fidem Christi, desereremus ministerium verbi, & quæreremus commodiorem pro carne nostra viuendi rationem. Id quod plerisq; ex nostris facere incipiunt illa occasione moti, quòd laborantes in verbo, non solùm victum inde habere non possunt, sed quòd etiam indignissimè tractantur ab ijs, quos prædicatione Euangelij liberauerunt ex miserrima seruitute Papæ. Hi pauperem & scandalotum Christum deserentes, implicant se præsentis vitę negocijs & ventri suo, non Christo, seruiunt. Sed quo fructu, cum tempore experientur. Cùm itaque sciamus Diabolum maximè insidiari nobis, qui verbum habemus (alios enim captiuos tenet ad sua ipsius voluntatem) & hoc sedulò conari, vt libertatem illam spiritus nobis auferat, vel salutem hoc efficiat, vt eam transferamus ad lasciuiam: Ideo summa diligentia & cura docemus & adhortamur, exemplo Pauli, nostros homines, ne existiment illam libertatem spiritus, partam Christi morte, ideo sibi donatam, vt eam dent in occasionem carni, aut, vt Petrus ait, eam habeant, velut malitiæ velamen, sed vt per charitatẽ sibiipsis inuicem seruiant. Ne ergo vt diximus, Christiani abutantur hac libertate, imponit Apostolus carni eorum seruitutem, per legem de mutua dilectione.

Quare meminerint pij, se in conscientia coram Deo esse liberos à legis maledicto, à peccato & morte propter Christum, corpore autem esse seruos. Hîc alter alteri per charitatem, iuxta hoc Pauli præceptum, seruire debet. Vnusquisq; igitur studeat in sua vocatione diligenter facere officium suum, & quacunque re potest adiuuare proximum. Hoc exigit à nobis Paulus his verbis, Per charitatem seruite vobis inuicem

inuicem, quæ non sinunt sanctos secundum carnem esse liberos, sed subijciunt eos seruituti, &c. Porrò hæc doctrina de mutua charitate inter nos seruanda nullo modo potest inculcari & persuaderi carnalibus hominibus. Christiani hac in re libenter obsequuntur. Alij prædicata libertate illa, statim inferunt, si liber sum, ergo mihi licet facere quod volo. Hæc res mea est, cur ergo non venderem eam quanti possum? Item cùm propter bona opera non contingat nobis salus, cur daremus aliquid egentibus? Hi securissimè excutiunt hoc iugum, & seruitutem carnis, & transferunt libertatem spiritus in licentiam & lasciuiam carnis. Illis securis contemptoribus certò annunciamus (quanquam non credant nobis, sed nos rideant) quod si corpore & facultatibus suis vtantur pro sua libidine (vt certè faciunt quia non adiuuant inopes, non mutuũ dant, sed fraudant in negocio fratres, rapiunt per fas & nefas, &c.) quòd inquã liberi nõ sint, vt maximè se tales glorientur, sed amiserint Christum & libertatem, & serui sint Diaboli, quodque nunc sub nomine Christianæ libertatis septies deteriores sint, quàm antea sub tyrannide Papæ. Diabolus enim qui expulsus erat, reuersus est in eos, assumptis secum alijs septem spiritibus nequioribus ipso, &c. Ideo eorum nouissima facta sunt peiora primis. Nos diuinum mandatum habemus prædicandi Euangelium, quod annunciat omnibus hominibus, si modò credant, gratis propter Christum, libertatem à lege, peccato, morte, ira Dei, &c. Non est in arbitrio aut potestate nostra situm, hanc libertatem per Euangelium iam inuulgatam, celare homines aut reuocare. Quia Christus eam nobis donauit ac sua morte peperit. Neque possumus illos porcos, qui toto impetu ruunt in licentiam carnis, cogere, vt corpore & rebus suis seruiant alijs. Ideo quod possumus, facimus, hoc est, admonemus diligenter eos debere hoc præstare.

Si his monitis nostris nihil efficimus, committimus rem Deo, is suo tempore iustas infliget pœnas istis contemptoribus. Interim tamen hoc nos solatur, quod labor & diligentia nostra non est inanis apud pios, quorum proculdubio multi per nostrum ministerium erepti sunt è seruitute Diaboli, & translati in libertatem spiritus. Hi pauci, qui agnoscunt gloriam huius libertatis spiritus, & vicissim parati sunt per charitatem seruire alijs, & nouerunt se secundum carnem esse debitores fratrum, plus nos exhilarant, quàm innumera turba eorum, qui abutuntur illa libertate nos contristare possunt.

Paulus valde propriis, & disertis verbis loquitur, cùm inquit, Vos in libertatem vocati estis fratres. Hîc ne quis somniet libertatem carnis, seipsum exponit, cuiusmodi libertatem intelligat, dicens, Tantùm ne libertatẽ in occasionem detis carni, sed per charitatem seruite vobis inuicem.

Quare vnusquisq; Christianus sciat se per Christum constitutum esse in conscientia dominum legis, peccati, mortis, &c. ita quòd illa non habeant ius in eum, &c. Contrà sciat quoq; hanc seruitutem externam corpori suo impositam esse, vt per charitatem seruiat proximo. Qui autem aliter intelligunt Christianam libertatem, illi fruuntur Euangelij commodis in suam ipsorum perniciem, & peiores sunt Idolatræ sub nomine Christiano, quàm antea sub Papa fuerunt.

Paulus iam pulcherrimè declarabit ex decalogo, quid sit seruire per charitatem, &c. Tota enim lex in vno verbo impletur, nempe hoc, Diliges proximũ tuum sicut teipsum. Paulus vbi iecit fundamentum Christianæ doctrinæ, solet superstruere aurum, argentum, & lapides pretiosos. Fundamentum autem aliud nullum est, vt ad Corinth. ait, quàm ipse Iesus Christus, seu iustitia Christi. Super hoc fundamentum nunc superstruit, bona opera & verè bona, quæ omnia includit breui præcepto, Diliges proximum tuum, &c. Q. D. Cùm dico debere vos per charitatem seruire inuicem, idem volo quod lex alibi dicit, Diliges proximum tuum sicut teipsum, Hoc verè est interpretari scripturam & præcepta Dei. Cogitatio Sophistarum, quam habent

de verbo diligendi, prorsus frigida ac vana est. Dicunt enim diligere nihil aliud esse, nisi velle alicui bonum, Aut charitatem esse qualitatem inhærentem animo, qua homo elicit motum cordis vel actum, qui vocatur benè velle. Illa est planè nuda, macilenta & Methematica charitas, quæ non est (vt ita dicam) incarnata, neq; procedit in opus. Paulus contrà dicit, charitatem debere esse seruam, & nisi sit in officio seruitutis, non esse charitatem. De charitate autem præcipiens, obliquè simul taxat vanos doctores, in quos spicula sua dirigit, vt doctrinam suam quoq; de operib. contra ipsos defendat & confirmet. Q. D. Hactenus vos docui ò Galatæ veram & spiritualē vitā, nunc etiā verè bona opera docebo. Et hoc ideo, vt illa ridicula & fanatica opera cæremoniarum, quæ solum vrgent pseudoapostoli, longè inferiora esse cognoscatis operibus charitatis. Ea enim est dementia, & furor omnium impiorum doctorum & fanaticorum spirituum, quòd non solùm relinquunt fundamentum verum & doctrinam puram & solidam, sed etiam hærentes in superstitionibus suis, nunquam attingunt vera bona opera. Ideoq; tantùm superstruunt, super fundamentum, vt Paulus ait, lignum, fœnum & stipulam. Sic Pseudoapostoli qui erant acerrimi defensores operum, non docebant aut vrgebant opera charitatis esse facienda, vt Christiani mutuò sese diligerent, vt parati essent ad ferendam opem, in quacunque necessitate, proximis, non solùm facultate, verumetiam toto corpore, hoc est, lingua, manu, corde, & totis viribus. sed tantùm vrgebant, seruandam esse circumcisionem, obseruandos esse dies, menses, &c. Neque alia bona opera docere poterant. Destructo enim fundamento Christo, & obscurata doctrina fidei, impossibilè est remanere vllum verum vsum, exercitium, & opinionem bonorum operum. Sublata arbore, necessest auferri quoque fructus. Simili modo hallucinantur hodie sectarij in doctrina de bonis operibus, necesse est igitur eos fanatica & superstitiosa quædam opera docere. Sustulerunt Christum, succiderunt arborem, & fundamentum subuerterunt, ideo ædificant super arenam, & nihil possunt superstruere, quàm lignū, fœnum, stipulam. Egregiè quidem simulant dilectionem, humilitatem, &c. sed reuera non opere & veritate, vt Iohan. ait, sed tantùm verbo & lingua diligunt, &c. simulant & magnam sanctitatem, eaque sanctitatis simulatione, imponunt hominibus, vt iudicent opera eorum esse magnifica & Deo grata. Verùm si admoueris lucem verbi, inuenies esse meras nugas de rebus ridiculis & nihili, pertinentibus tantùm, ad loca, tempora, vestes, respectum personarū, &c. Quare æquè necessarium est, vt pij doctores tam diligenter vrgeant doctrinam de bonis operibus, quàm doctrinam de fide. Satan enim vtrique infensus est & acerrimè resistit. Fides tamen primùm plantanda est, sine ea enim impossibilè est intelligi, quid bonum opus sit, quid Deo placeat. Quod verò Satan doctrinam etiam verè bonorum operum oderit vel inde apparet. Tamen enim omnes homines notitiam quandam naturalem habeant animis ipsorum insitam, qua naturaliter sentiunt alteri faciendū esse, quod quis velit sibi fieri (Quæ sententia & similes quas legem naturæ vocamus, sunt fundamentū humani iuris & omnium bonorum operum) Tamen adeo corrupta & cæca est vitio Diaboli humana ratio, vt illam cognitionem secum natam non intelligat, aut si etiam admonita verbo Dei intelligat, tamen scienter (tanta est potentia Satanæ) eam negligat & contēnat.

Deinde, accedit hoc mali, quòd Diabolus omnes iustitiarios & hæreticos ita dementat, vt, omissa doctrina de verè bonis operibus, pueriles quasdam tantùm cæremonias aut portentosa quędam opera, quę ipsi excogitarunt, vrgeant. Ea magnifacit ratio ignara fidei, & mirificè illis delectatur. Sic in papatu faciebant homines studiosa illa & nihili opera, quę neq; præcipit neq; exigit Deus, summa voluptate, diligentia, ardore & magnis impensis. Idem studium ad res nihili cernimus hodie in sectarijs & eorum discipulis præcipuè autem in Anabaptistis. In nostris verò Ecclesijs vbi diligentissimè vrgetur vera doctrina de bonis operibus, dictu mirum, quanta socordia &

concordia & oscitantia regnet. Quò plus adhortamur & excitamus homines ad benè operandum, ad exercendam inuicem charitatem, ad abijciendam curam ventris, &c. hoc languidiores & magis frigidi redduntur ad omnia exercitia pietatis. Itaq; Satan non solùm doctrinam fidei sed etiam bonorum vehementer odit & impedit. Hîc ne homines nostri eam discant, aut si norint, factis tamen non præstent. Illic hypocritæ & hæretici eam penitus negligunt, & interim loco eius stultas cæremonias, aut ridicula & fanatica quædam opera docent, quibus capiuntur & delectantur homines. Mundus enim non Euangelio & fide, sed lege & superstitione regitur.

Admonet igitur Apostolus seriò Christianos, vt, postquam puram doctrinam de fide audierint & acceperint, etiam vera opera exerceant. Manent enim etiam in iustificatis peccati reliquiæ, quæ, vt à fide: ita & à verè bonis operibus abhorrent & auocant. Deinde ratio humana & caro quæ in sanctis resistit spiritui (in impijs verò potentissimè dominatur) naturaliter afficitur, Pharisæus superstitionibus, hoc est plus delectatur Deum metiri ex suis cogitationibus, quàm ex verbo ipsius. Et longè maiori ardore facit opera, quæ ipsa eligit, quàm quæ Deus præcepit. Ideo tam diligenter sudandum est pijs Doctoribus in tradenda & vrgenda charitate non simulata, seu in vrgendis verè bonis operibus, quàm in vera fide docenda. Nemo igitur putet se perfectè nosse hoc præceptum, Diliges proximum tuum, &c. Breuissimum quidem est & facillimum, quod ad verba ipsa attinet. Sed da Doctores & auditores, qui docendo, discendo, & viuendo hoc rectè exerceant & præstent. Ideo verba ista, Per charitatem, seruite vobis inuicem. Item: Diliges proximum tuum sicut teipsum, æterna sunt, quę nemo pius etiam satis expēdit, vrget & exercet. Et quod mirum est, pij hanc tentationem habent, quod statim læditur conscientia ipsorum, si vel rem leuem, quam debebant facere, omittant. Non item, si charitatem (quod quotidie fit) negligant, & puro ac fraterno corde erga proximum non afficiantur. Tanti enim non faciunt præceptum charitatis, vt superstitiones suas, à quibus in hac vita non sunt prorsus liberi, &c.

Compellat igitur Paulus Galatas his verbis, Tota lex in vno verbo impletur. Quasi d. Vos belli estis homines immersi superstitionibus, & cæremonijs vestris de locis, temporibus, cibis, quæ prosunt nec vobis nec alijs. Et interim charitatem, quę sola erat facienda, negligitis. Quæ ista est dementia vestra? Sic & Hieronimus ait, Nos frangimus corpora nostra, vigilijs, inædia, labore, &c. & charitatem, quæ sola est domina & Magistra operum, negligimus. Hocque egregiè cernitur in Monachis, qui rigidissimè obseruant traditiones suas de cęremonijs, esu, vestitu, &c. Hîc si aliquid vel tantillũ omittant, peccant mortaliter. Quod verò non solùm negligunt charitatem, sed insuper etiam alius alium acerrimè odit, hîc nihil peccant, aut lædunt Deum. Itaq; Paulus hoc pręcepto non solùm docet bona opera, nõ solùm superstruit super fundamentum aurum, argentum, lapides pręciosos, sed etiam destruit ligna, fœnum & stipulam. Deus quidem benefecit, quòd multas cæremonias luxurit dæis dedit. Per hoc enim significare voluit, humanum animum naturaliter superstitiosum, nihil curare charitatem, sed alligatum esse cęremonijs, & carnali iustitia delectari. Interim tamen Deus exemplis testatus est, etiam in veteri Testamento, quanti semper fecerit charitatem, cui cedere voluit ipsam legem cum suis cæremonijs. Daauid cùm esuriret ipse, & qui cum eo erant, cùm non haberent quod ederent, edebant panes sanctos, quos secundum legem solis sacerdotibus, non laicis edere licebat, &c. Discipuli violabant sabbatum, vellendo spicas, &c. violat & Christus ipse sabbatũ, vt Iudæi interpretabantur, sanando in sabbato infirmos. Hæc omnia indicant, charitatem longè pręferendam esse omnibus legibus & cęremonijs, &c. & Deum nihil vsque adeo requirere à nobis, quàm charitatem erga proximum. Idem testatur etiam Christus, cùm ait, Secundum autem simile est huic.

Tota enim lex in vno verbo impletur. Quasi dicat, Quid oneratis vos legef quid anxij sudatis & vexamini ceremonijs legis, de cibis, diebus, locis, &c. quòd hoc modo sit vescendum, bibendum, feriandum, sacrificandum, &c. Desistite ab his inceptijs, & audite quid ego dico. Tota lex plenissimè comprehenditur in vno illo verbo, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Deus certè non delectatur, nec indiget illa obseruatione rituum legalium. Sed hoc nunc à vobis requirit, vt credatis in Christum, quem misit ipse, tum in illo consummati estis, & habetis omnia. Si autem ad fidem, cultum Deo gratissimum, vultis & leges addere, tũ scitote hoc breuissimo præcepto, Diliges proximum tuum sicut teipsum, omnes leges comprehendi. Hoc præceptum studete seruare, quo seruato, implestis omnes leges. Et Paulus optimus est interpres præceptorum Dei. In breuissimam enim summam cõtrahit totum Mosen ostendens in omnib. ipsius legibus, quæ ferè infinitę sunt, nihil aliud cõtineri in summa, quàm hoc breuissimum verbum, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ideo vtramq; doctrinam de fide offenditur ista vilitate & paucitate verborum quia breuissimè dicitur, crede in Christum: Item, dilige proximum tuum sicut teipsum. Ideo vtramq; doctrinam de fide & verè bonis operibus contemnit. Interim tamen ista vilissima & breuissima fidei vox, Crede in Christum, credẽtibus diuina est potentia, qua vincunt peccatũ, mortem, Diabolum, &c. qua salutem consequuntur. Sic seruire alteri per charitatẽ, hoc est, docere errantem, consolari adflictum, erigere infirmum, adiuuare proximũ, quacunq; re possis, ferre eius agrestes mores, & importunitatem, tolerare in Ecclesia & politia æquo animo molestias, labores, hominum ingratitudinem & contemptum, obedire Magistratibus, honore parentes adficere, patientem esse domi cum morosa vxore, intractabili familia &c. opera vt ratio iudicat, nullius momenti sunt, sed crede mihi, tam egregia & præclara opera sunt, vt totus mundus eorum vtilitatẽ & dignitatem (quia non metitur opera aut vllas alias res ex verbo Dei, sed ex iudicio impiæ, cæcæ & stultæ rationis) non comprehẽdat. Imò ne quidem vnius minimi verè boni operis precium æstimare potest. Toto igitur cœlo errãt homines, quando somniant se bellè intelligere præceptum charitatis. Habent quidem illud scriptum in corde, quia naturaliter iudicant, Alteri faciendum quod tibi quis cupit fieri. Sed hinc non sequitur, quòd illud intelligant, alioqui factis etiam præstarent, & præferrent charitatem omnibus operibus, neq; tanti facerent, & inflarẽt suas bullas, hoc est, nugas & superstitiones, vt sunt, tristi vultu & demisso capite incedere, cœlibem esse, victitare pane & aqua, in eremo agere, sordido vestitu vti & similia. Illa prodigiosa & superstitiosa opera, quæ neq; Deo mandante, neq; approbante eligunt, iudicant tam præclara & sancta, vt charitatem quæ est sol omnium operum, longissimè superent & obscurent. Adeò incomprehensibilis & infinita est cæcitas humanæ rationis, vt nõ solùm de doctrina fidei, sed etiam de vita & operibus ritè iudicare non possit. Quare luctandum est nobis sedulò non solùm contra opiniones cordis nostri, quibus naturaliter libentius niteremur in re salutis, quàm verbo Dei, sed etiam contra laruam & sanctam speciem electiciorum operum. Vt ita discamus magnifacere opera quæ vnusquisque in sua vocatione facit, etiamsi in speciem leuia, & despecta videantur, modò habeant mandatum Dei. Et econtrà contemnere ea, quæ ratio eligit sine mandato Dei, vt maximè præclara, grauia, magna, sancta, videantur.

Hoc præceptum alibi diligenter & copiosè tractaui, ideo iam obiter tantùm illud percurram. Breue verbum est, & pulchrè ac potenter dictum, Diliges proximum sicut teipsum. Nemo potest dare melius, certius, & propius exemplum. Neque dari potest nobilior & profundior habitus, quàm charitas, neq; excellentius obiectum, quàm proximus. Exemplum ergo habitus & obiectum sunt nobilissima. Itaq; si cupis scire, quomodo diligendus sit proximus, & habere exemplum illustre huius rei, considera diligenter, quomodo tu teipsum diligas. Certè in necessitate & periculo

& periculo maximè cuperes te amari, & iuuari omnibus consilijs, facultatibus & viribus omnium hominum & creaturarum. Quare nullo libro indiges, qui te erudiat & admoneat, quomodo proximum diligere debeas, habes enim pulcherrimum & optimum librum legum in corde tuo. Non eges vllo doctore hac in re, tantum consule tuum proprium cor, hoc satis abundè docebit te, ita diligendum esse tuum proximum vt teipsum. Deinde charitas summa virtus est, quæ nō solùm parata est seruire lingua, manu, pecunia, facultatibus, sed etiam corpore & ipsa vita, neq; meritis aut vlla alia re prouocatur, neque demeritis, ingratitudine, &c. impediatur. Mater ideo fouet, curat, &c. filium quia diligit eum, &c. Postremò, nullum animal, erga quod exercere debes charitatem, nobilius est proximo tuo. Non est Diabolus, non leo, vrsus, lupus, non lapis, lignum, &c. sed animal tui simillimū, quo nullum viuit in terris iucundius, amabilius, vtilius, benignius, magis consolatorium & necessarium, quodq; naturaliter cōditum est ad ciuilitatē & societatem. Ideo nihil in tota rerum natura, potuit constitui magis dignum amore, quàm proximus noster.

Sed ea mira ars est Diaboli, vt non solùm possit egregiè obscurare hoc nobilissimum obiectum, & ex animo eximere, sed etiam potest cordi planè contrariam opiniorem persuadere, vt iudicet proximum non amore, sed acerbissimo odio dignum. Hocq; potest facillimè efficere, tantum suggerit, Ecce is homo hoc vitio laborat, ob iurgauit te, nocuit tibi, &c. Hic statim vilescit hoc obiectum amabilissimum, vt amplius non agnoscatur proximus diligēdus. Sed hostis odio dignissimus. Hoc modo Satan mirificè potest habitum diligendi in corde nostro mutare, vt ex amatoribus proximorum fiamus detractores, osores, & persecutores ipsorum, vt nihil in nobis de illo præcepto (diliges proximum tuū sicut teipsum) maneat, quam nudæ & inanes literæ & syllabæ. Est autem proximus noster quilibet homo, præsertim qui ope nostra indiget, vt Christus interpretatur lucæ. 10. Qui etiamsi me aliqua iniuria affecit, aut nocuit nō ideo exuit humanitatem, aut desinit esse caro, sanguis, creatura Dei mihi simillima, summa, non desinit esse proximus meus. Donec ergo in eo manserit natura humana, tantisper manet etiam præceptum charitatis, quod exigit à me, vt carnem meam non despiciam, non malum pro malo reddam, sed malum bono vincam, alioqui charitas nunquam erit tolerans, patiens, &c. 1. Corinth. 13. Non abscōditur membrum morbosum, sed fouetur, curatur. Et membris minus honestis, inquit Paulus, vberior honos addēdus est. Sed ita excęcata & corrupta est veneno Diaboli natura, vt si etiam norint filij seculi aliquem multis insignibus donis ac virtutibus præditum, tamen si vel vnum næuum, aut maculam in eo deprehenderint, in hanc solam intuentes, obliuiscuntur omnium donorum & bonorum ipsius. Multos etiam inuenies tam inhumanos & acerbos illusores, qui eos, quibus malè volunt, non appellant proprio nomine, sed describunt ignominiosa quadam periphrasi, vt ille apud Terenti. Limis oculis, odunco naso, sparso ore, &c. Breuiter mundus est regnum Diaboli, quod fidem & charitatem, & omnia Dei dicta & facta securissimè contēnit. Commendat ergo Paulus charitatem Galatis & omnibus pijs (hi enim soli diligunt) & hortatur eos, vt per eam sibi inuicem seruiant. Q. D. Non opus est onerare vos circumcisione & ritibus Mosaicis, sed ante omnia perseuerare in fidei doctrina quam à me accepistis. Post si vultis benè operari, ego vno verbo ostendam vobis summa & maxima opera, & quomodo omnes leges impleatis, Diligite vos mutuò per charitatem. Non deerunt quibus benefacere poteritis, Mundus enim plenus est hominibus, qui ope aliorum egent. Hæc perfecta est doctrina de fide & charitate, & Theologia breuissima & longissima. Breuissima, quod ad verba & sententias attinet, sed vsus & re ipsa latior, longior, profundior & sublimior toto mundo. Quod si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini. Paulus his verbis testatur, in Ecclesijs non posse constare pacem & concordiam, neque in doctrina,

neque in vita, si per impios Doctores, subuertatur fundamentum, hoc est, fides in Christum, sed subinde oriri alias atque alias opiniones & dissensiones de doctrina & vita. Semel autem violata Ecclesiæ concordia, non est modus neque finis dissensionum. Authores enim schismatum inter se dissentientes, hic illud, alius aliud opus docet ad iusticiam necessarium. Quisque suam opinionem & superstitionem probat, alterius reprehendit. Ibi necesse est oriri dissidia, & factiones. Vnde fit vt alij alios mordeant & deuorent, hoc est, iudicent & condēnent, donec tandem pereant. Hoc præter scripturam testantur etiam exempla omnium temporum. Vbi Aphrica euersa fuit per Manichæos, mox secuti sunt eos Donatistæ, qui & ipsi inter se dissentientes diuisi erant in tres sectas, &c. Nostro tempore primùm defecerunt à nobis sacramentarij, post Anabaptistæ, horum neutri inter se concordes sunt. Ita secta semper parit sectas, & alia aliam damnat. Cessante vnitate secundum Mathematicos, progreditur numerus vsque in infinitum. Sic læsa & ablata vnitate Spiritus, neque in doctrina neque in moribus possibile est manere concordiam, sed subinde noui vtrinque errores nascuntur vsque in infinitum. Hoc etiam vidimus in Papatu, in quo cùm neglecta iaceret doctrina fidei, impossibilè fuit manere concordiam spiritus. Ea ablata, postea per doctrinam operum natę sunt ferè infinitæ sectæ Monachorum. Hi discordes inter se metiebantur sanctitatem ex grauamine ordinum & difficultate operum superstitiosorum, quæ ipsi excogitauerunt. Hinc alij volebant haberi alijs sanctiores. Item non solùm Monachi diuersæ, sed etiam eiusmodi professionis, inter se dissentiebant, vt figulus figulo, ita Minorita Minoritæ inuidebat, &c. Denique tot erant opiniones in quolibet Monasterio, quot Monachi erant. Tam diu igitur mutuas inter se aluerunt æmulationes, contentiones, lites, virulentias, morsus & deuorationes, donec iuxta hoc dictum Pauli iam cōsumerentur, &c. Qui verò doctrinam fidei tenent, & iuxta hoc Pauli præceptum sese mutuò diligunt, non vituperant alij aliorum vitæ genus & opera, sed quisque alterius genus vitæ & officium, quod facit in sua vocatiõe, probat. Nemo pius præfert coram Deo officium Magistratus, officio subditi, qui nouit vtrumque esse orationem Dei & habere diuinum mandatum, non discernit inter officium seu opus patris & filij, prædagogi & discipuli, heri & serui, &c. Sed certò pronunciat vtrumq; placere Deo, si fiant in fide & obedientia Dei. Coram mundo quidem ista vitæ genera & eorum officia inæqualia sunt, sed ista externa inæqualitas nihil impedit vnitatem Spiritus. Quia omnes idem de Christo sentiunt & credunt, scilicet, per eum solum nobis contingere, remissionem peccatorum & iustiçiam. Deinde quod ad externam conuersationem & officium attinet, alius non iudicat alium, neque opera eius vituperat, sua laudat, etiamsi longè superent ea, sed vno ore & spiritu fatētur se habere eum dēChristum saluatorem, apud quem nulla est personarum aut operum acceptio, &c. Hoc impossibilè est eos facere, qui neglecta doctrina de fide & charitate, superstitiosa opera docent. Monachus non concedit Laici opera, quæ facit in sua vocatione, tam bona & accepta esse Deo, quàm sua. Nonna, longè præfert suum vitæ genus & opera, vitæ generi & operibus matronæ, quæ maritum habet. Sua opera iudicat meritoria esse gratiæ & vitæ æternæ, non item opera matrisfamilias. Atque hinc est, quod sacri isti homines, vt aurifames, vehementer contenderunt & persuaserunt etiam toti mundo, suum statum & opera, longè maiora & sanctiora esse Laicorum statu & operibus. Et nisi hanc opinionem sanctitatis de operibus suis adhuc hodiè apud quosdam haberent & defenderent, non diu seruarent dignitatem & opes suas. Nulli igitur Monacho, aut alij, quicunque tandem sit, iusticiario persuadebis opera mariti, vxoris, serui, ancillæ, &c. in fide & obedientia Dei facta meliora & magis accepta esse Deo, quàm superstitiosa & prodigiosa illa electicia opera, quæ ipsi

ipsæ ipsi faciunt. Sublato enim angulari lapide Christo, non possunt operarij aliter iudicare, quam se, (præsertim cum tam præclara & grandia opera faciunt) solos Deo esse acceptos. Sic hodie Anabaptistæ somniant, se, qui egent, esuriunt, frigent, & vili vestitu vtuntur, &c. esse sanctos, non item alios, qui proprium habent, &c. Ideo impossibile est iusticiarios & sectarum autores pacem habere cum ijs qui eorum opinio ni, non assentiuntur, sed mordent & deuorant eos. Contrà Paulus docet vitandas esse tales occasiones discordiarum & ostendit quomodo vitari possint. Ea, inquit, est vita ad concordiam. Quisque faciat in suo vitæ genere, ad quod Deus eum vocauit, suum officium. Non extollat se supra alios, neq; opera aliorum reprehendat, & sua velut meliora laudet, sed alij alijs per charitatem seruiant. Hæc germana & simplex est doctrina de bonis operibus. Hoc illi qui naufragium circa fidem fecerunt, & fanaticas opiniones de fide & vita seu operibus bonis conceperunt, non faciunt, sed statim dissentientes inter se de doctrina fidei & operum, alij alios mordent & deuorant, id est, criminantur & cõdemnant, vt de Galatis hic Paulus ait, Quòd si inuicem mordetis, &c. Q. D. Nolite alij alios inuicem crimari & damnare, propter circumcisionem, propter obseruatiõem feriarum, aut aliarum cęremoniarum, sed hoc potiùs præstate, vt vobis inuicem per charitatem seruiatis. Alioqui si perrexeritis vos inuicem mordere & deuorare, videte ne consumamini, id est, prorsus pereatis etiam corporaliter. Id quod ferè semper accidere solet, præcipuè autem autoribus sectarum, vt Arrio & alijs & nostro tempore nonnullis. Qui enim fundamento iacto in arenam superstruit ligna, fœnum, stipulam, hunc necesse est perdi & concremari. Illa enim omnia parata sunt ad incendium. Vt interim non dicam eiusmodi morsus, & deuorationes sequi solere, etiam deuastationes, non vnius ciuitatis, sed regionum & regnorum, &c. Nunc interpretatur, quid sit seruire proximo per charitatem.

Difficile & periculosum est docere, nos fide iustificari sine operibus, & tamen si nihil exigere opera. Hîc nisi sint fideles & prudentes ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, qui rectè secant verbum veritatis, statim fides & opera confundũtur. Vterque locus & fidei & operum diligenter doceri & vrgeri debet, sic tamen, vt vterque intra suos limites maneat. Alioqui si opera sola docentur, vt in Papatu accidit, fides amittitur. Si fides sola docetur, statim somniant carnales homines, opera non esse necessaria, &c.

CVR FACIENDA BONA OPERA.

Ex Esai. cap. 40. Tomo 3. folio 387. Sic cogitant homines, si bona opera nihil prosunt, ergo sequamur cupiditates nostras, & viuamus sine lege. Quare, videndum est vbi dicamus opera nihil prodesse. Sumus enim iam in loco iustificationis, & consulimus conscientijs. Hic nulla opera, nulla iusticia, nulli cultus valent, sed tantùm defigendi oculi sunt in meritum & mortem Christi, pro nostris peccatis passi. Hunc Christum cum fide apprehẽdimus, quòd pro nobis satisfecerit, & sua morte peccata nostra & mortẽ nostram deuicerit, tunc Deo viuimus in iusticia, nõ nostra, sed Christi, quæ sola dat vitam æternam. Porrò præter hanc spiritualem vitam, obligat nos politia, vt externè etiam honestè viuamus. Huc adhibenda est alia iusticia, nõ Christiana sed politica, quæ necessaria est & non sine peccato prætermittitur, sed ad iustitiam Christianam nihilò plus facit, quam edere, bibere, dormire, &c. Cùm igitur damnantur bona opera, sic damnantur tanquam ad iusticiam Christianam inutilia. Maior enim res est victoria mortis & inferni, remissio peccatorum & iusticia, quàm vt nostra bona opera, quidquam ad eam afferre possint. Gratia est & Dei gratia, qui gratis tantùm thesaurum in Christo donat credentibus. Disciplinam igitur Sancti Bernardi, Benedicti & aliorum quæ olim fuit, laudamus. Nam & Propheta humanam iusticiam florem appellat, tanquam rem pulchram & speciosam,

ſpecioſam, quæ capit oculos & rationem. Sed ſumma impietas eſt, credere per eam diſciplinam nos conſequi remiſsionem peccatorum & iuſticiam. Ratio quidem ſic ſtatuit, & capitur illa operum ſpecie, ſed Spiritus ſanctus aliter iudicat, quod ſcilicet, finis omnium operum legis ſit, Non vita æterna, quam iam antè habemus per fidem, ſed vt fidem hac obedientia teſtemur etiam coram hominibus, & carnem ac cupiditates noſtras quæ ſpiritui repugnant mortificemus.

Ex Eſai. cap. 58. Tom. 3. fol. 437. Et anteibit faciem tuam iuſtícia: Bona opera conſcientiam tuam confirmabunt. Habebis conſcientiæ teſtimonium, quod nemi nem læſeris. Sic bona opera, vt Petrus ait, certos faciunt de vocatione, & liberant à conſcientia malorum operum inter homines. Neque enim hîc verſamur in loco de Iuſtificatione. Gloria Domini colliget te. Ex illo teſtimonio conſcientiæ tuæ, & ex operibus tuis certus redderis, Deum tibi benè velle, & probare tua opera. Sic pia mater cùm ſuum officium in curandis líberis facit certò ſcit probare Deũ illud opus. Sic gloria operum hæc eſt, quod poſſumus bona cõſcientia dicere, ſcio hoc opus placere Deo. Alia enim fidei gloria eſt, quæ dicit ſcio me iuſtum eſſe ſola gratia, &c.

QVAESTIO.

SI FIDES OMNIA FACIT, ET SOLA AD IVSTICIAM SATIS EST, CVR ERGO PRAE-*cepta ſunt bona opera?*

Ex líbello de líbertate Chriſtíana. Tom. 1. fol. 468. Ociabímur ergo & nihil operabimur, fide contenti? Reſpondeo: Non ſic impíj, non ſic. Verè quidem ſic haberet res iſta, ſi penitùs & perfectè interni & ſpirituales eſſemus, quod non fiet, niſi in nouiſsimo die reſurrectionis mortuorũ, donec in carne viuimus, non niſi incipimus & proficimus, quod in futura vita perficietur, propter quod Apoſtolus Rom. 8. appellat primitias S. quòd in hac vita habemus accepturi, ſcilicet, decimas, & plenitudinem Spíritus in futuro. Ad hanc partem pertinet, quod ſuprà poſitum eſt, Chriſtianum eſſe omnium ſeruum & omnib. ſubiectum. Qua enim parte líber eſt, nihil operatur, qua autem ſeruus eſt, omnia operatur, quod qua ratione fiat, videamus.

Quanquam homo, vt dixi, intus ſecundum Spíritum per fidem abundè ſatis iuſtificetur, habens quidquid habere debet, niſi quòd hanc ipſam fidem & opulentiam oportet de die in diem augeſcere, vſque in futuram vitam: Tamen manet in hac vita mortali ſuper terram, in qua neceſſe eſt vt corpus ſuum proprium regat, & cum hominibus conuerſetur. Hîc iam incipiunt opera, hîc non eſt ociandum, hîc certè curandum, vt corpus ieiunijs, vigilijs, laboribus, alijſq; diſciplinis moderatis exerceatur, & ſpíritui ſubdatur, vt homini inferiori & fidei obediat, & conformis ſit, nec ei rebellet aut ipſum impediat, ſicut eſt ingenium eius, ſi cohercitus non fuerit. Interior enim homo conformis Deo, & ad imaginem Dei creatus per fidem, & gaudet & iocundatur propter Chriſtum, in quo tanta ſibí collata ſunt bona, vnde & hoc ſolum negocij ſibi habet, vt cum gaudio & gratis Deo ſeruiat in libera charitate. Hoc dum agit: ecce in carne propria offendit voluntatem contrariam, quæ mundo ſeruire & quærere quæ ſua ſunt, nititur: Id quod Spíritus fidei ferre non poteſt neque volet, & aggreditur hílarí ſtudio ad opprimendam & cohercendam eam, ſicut Paulus dicit, Rom. 7. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati. Et alibi, Caſtígo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte alijs prædícans ipſe reprobus efficiar. Et Galat. 5. Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum concupiſcentijs ſuis.

Verùm ea opera oportet, non ea fieri opinione, quò per ipſa coram Deo iuſtificetur quiſquam, hanc enim falſam opinionem fides non feret, quæ ſola eſt iuſtícia coram Deo

coram Deo, sed solùm ea opinione, vt corpus in seruitutem redigatur, & purificetur à concupiscentijs suis malis, ita vt oculum non nisi vertat ad concupiscentias expurgandas. Cum enim anima per fidem purgata sit & amans Dei facta, vellet omnia pariter purgari, præcipuè corpus proprium, vt omnia secum amarēt & laudarent Deū. Ita fit vt homo exigente corporis sui causa ociari non possit, cogiturq; ob id, multa bona operari, vt in seruitutem redigat. Hæc tamen opera ipsa non id sunt, quo iustificetur coram Deo, sed gratuitò ea faciat in obsequium Dei nihil aliud intuitus, quam diuinum beneplacitum, cui per omnia vellet obsequi officiosissimè.

Hac ratione quisq; seipsum erudire facilè potest, qua mensura aut discretione, (vt dicunt) corpus suum castigare debeat, tantùm enim ieiunabit, vigilabit, laborabit, quantùm satis esse viderit, ad corporis lasciuiam & concupiscentiā premendam. Qui verò præsumunt operibus iustificari, obseruant non mortificationem concupiscentiarum, sed ipsa tantùm opera: arbitrantes, si modò quàm plurima & maxima feceriint, sese benè habere & iustos factos esse: aliquando & cerebrum lædentes, & naturam extinguentes, aut saltem inutilem reddentes. Quæ est ingens insipientia & ignorantia Christianæ vitæ & fidei, velle sine fide per opera iustificari & saluari.

Vt autem ea quæ diximus facilius capiantur, similitudinibus ea monstremus. Debent opera hominis Christiani per fidem suam ex mera gratuitaq́ue misericordia Dei iustificati & saluati, non alio loco haberi quam opera fuissent Adæ & Heuæ in paradyso & omnium filiorum, si non peccassent, de quibus Genes. 2. sic dicitur: Posuit Deus hominem, quem formauerat in Paradysum vt operetur & custodiret illum. At Adam erat iustus & rectus, à Deo creatus, sineq; peccato, ita vt per suam operationem & custodiam non opus habuisset iustificari & rectus fieri. Sed ne ociosus iret, dedit ei Dominus negocium, vt Paradysum coleret & seruaret.

Quæ fuissent opera verè liberrima, nullius gratia facta, nisi beneplaciti diuini, non ad iusticiam obtinendam, quam iam habebat plenè, quæ & congenita fuisset omnibus omnibus. Ita & crederitis hominis opera, qui per fidem suam denuò repositus est in Paradysum, & de nouo recreatus, non eget operibus vt iustus fiat, aut sit, sed ne ociosus sit, & corpus suum operetur & seruet, sunt ei opera eiusmodi libertatis, solùm intuitu diuini beneplaciti facienda, nisi quòd nondum plenè recreati sumus perfecta fide & charitate, quas augeri oportet, non tamen per opera, sed per seipsas.

In eodem libro paulo post. Vltimò & de ijs dicemus quæ erga proximum suum operatur. Non enim homo sibi viuit soli in corpore isto mortali ad operandū in eò, sed & omnibus hominib. in terra, imò solùm alijs viuit & non sibi. In hoc enim corpus suum subiectum facit, quo sincerius & liberius queat alijs seruire, sicut Paulus, Rom. 14. dicit: Nemo sibi viuit, & nemo sibi moritur. Qui enim viuit Domino, viuit, & qui moritur, Domino moritur. Ideò non potest fieri, vt sit ociosus in hac vita, & absq; opere erga proximos suos. Necesse est enim vt loquatur, agat & cōuersetur cum hominib. sicut Christus in similitudinem factus, habitu inuentus est vt homo & conuersatus cum hominibus, vt Baruch 3. dicit. Nullo tamen horum opus est ei ad iusticiam & salutem. Ideo in omnibus operibus suis ea debet opinione esse formatus, & huc solùm spectare, vt alijs seruiat, & prosit in omnibus, quęcunq; fecerit, nihil ante oculos habens, nisi necessitatem & cōmoditatem proximi. Sic enim Apostolus iubet vt manibus laboremus, quò demus necessitatem habenti, cùm potuisset dicere, quò nos ipsos alamus, sed & inquit necessitatem habenti. Nam & in hoc ipsum corporis curam habere, Christianum est, quò per eius salutem & commoditatem laborare, res quærere, & seruare possimus, in subsidium eorum, qui indigent, vt sic membrum robustum seruiat membro infirmo, & simus filij Dei, alter pro altero solicitus & laborioſus, inuicem onera portantes, & sic legem Christi implentes.

Ecce hæc

Ecce hæc est verè Christiana vita, hîc verè fides efficax est per dilectionem, hoc est, cum gaudio & dilectione, prodit in opus seruitutis liberrimæ, qua alteri gratis & sponte seruit, ipsa abundè satura fidei suæ plenitudine & opulentia. Sic Philippenses cùm Paulus docuisset, quàm diuites facti essent per fidem Christi, in qua omnia obtinuissent, docet eos deinceps dicens: Si qua consolatio Christi, si quod solatii charitatis, si qua societas spiritus, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, & tãdem charitatem habentes, vnanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem, neque inanem gloriam, sed in humilitate superiores inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. Hîc clarè videmus, vitam Christianorum ab Apostolo in hanc regulam esse positam, vt omnia opera nostra ad aliorum commoditatem ordinentur, cùm per fidem quisq; suam sic abundet, vt omnia alia opera, totaque vita ei superfluant, quibus proximo spontanea beneuolentia seruiat & benefaciat.

Ex Genes. cap. 17. Tom. 2. fol. 102. Opera non faciunt iustam personam: sed iusta persona facit iusta opera, & tamen opera hoc præstant vt fides in eis exerceatur, & per ea quasi augescat & pingescat. Dum enim præstat obedientiam hanc Abraham & cum suis domesticis circumciditur, recordatur fides Dei promittentis & recipientis nos. Sic Petrus iubet vt certificemus electionem nostram per bona opera. Sunt enim testimonium, quod gratia in nobis sit efficax, & quod vocati & electi simus. Contrà, fides otiosa quæ non exercetur, moritur & extinguitur citò, extincta autem fide, dubium est an simus vocati & electi. Qui autem in assiduo fidei exercitio progreditur, is concludit: Non sum in exercitu contra Christum sed pro Christo: non nego verbum, non persequor Ecclesiam: Igitur sum vocatus ad Regnum Dei, & electus. Quod si per infirmitatem cado, resurgo, doleo de peccato, & veniam precor. Sic per ipsa opera pœnitentiæ & charitatis intelligo, me esse vnum de raptis ex incendio Babel, seu ex colluuie mundi. Ad hunc modum etsi obedientia hæc non iustificat, tamen fidem certificat & quasi illustrat, vt possit conspici. Hinc dicit Apocalypsis. Qui iustificatur, iustificetur adhuc. Sicut enim qui exercentur operibus incredulitatis, subinde magis ac magis increduli fiunt, & peccatum quasi robur illo exercitio assiduo accipit: Sic econtrà qui pietatem exercent, in his sumit incrementa fides, vt certò statuant se ad Ecclesiam pertinere.

RESPONSIO AD DICTA SCRIPTVRAE DE OPERIBVS.

Tom. 4. Ienens. fol. 366. Matth. cap. 16. Reddet vnicuique iuxta opera sua. Sophistæ intempestiuè hunc locum deprauant & trahunt ad iustificationem, scilicet, quod per opera iustificemur vel damnemur, cùm Christus non de iustificatione loquatur, sed de tribunali suo, in quo iudicabit iustos & impios. Non enim quomodo iusti fiamus hîc docet, sed quomodo examinandi sint iusti & iniusti, num iusti aut iniusti fuerint.

Sed quia Sophistæ non curant distinctam & propriam intelligentiam, in loco, secundum materiam subiectam, sed inuento vocabulo, opera, clamant: Ecce opera, opera, Ideo digrediamur & nos, & tractemus opera, verùm propter nostros, non propter ipsos, licet nostri monendi sint, vt locos huiusmodi, ad iustificationem non pertinentes,

pertinentes, negent ad causam iustificationis pertinere, & in hoc fortiter stent & perseuerent. Hoc stante, digrediantur ad Disputationem communem de operibus (etiamsi hîc non sit locus) & sic dicant.

Primùm, Scriptura duas habet partes, Altera est promissio, Altera Lex. Hæc distinctio est certa & indubitata etiam aduersarijs. Deinde certum est, Promissionem non exigere ea, quæ nos debemus facere, sed exhibere ea, quæ Deus nobis donat. Hac distinctione stante & concessa, sequitur (vt oportet) necessariò, quòd omnia dicta seu allegata de operibus & præmijs pertineant ad Legem, non ad promissionem. Si pertinent ad legem, necessariò sequitur, quod non docent quid Deus nobis promittat sine Lege, sed ostendunt quid nos debeamus facere. Ostendendo autem quid facere nos debeamus, comprehendunt totam vitam, qualis esse debeat. Vita autem tota esse non potest, nisi etiam includat cum operibus voluntatem, rationem & omnes vires & animæ & corporis. Exempli Gratia, Præceptum de non occidendo, de non furando, &c. Non solùm opera exigit, sed etiam cor & omnia membra, Vt Christus exponit Matth. 5. Hîc nihil dicitur, quid Deus velit facere, Sed quid nos oporteat facere, Ideo promissio hic nulla, sed solùm lex est, quæ totum hominem exigit.

Secundò, cùm Lex exigit sic totum hominem, rectè dicitur, Reddi vnicuique secundum opera sua. Quia necessariò subintelligitur etiam reddi secundum cor, affectum, voluntatem & rationem, à quibus fluunt & pendent opera, tanquam causa & affectus, ceu vnum compositum. Nam sine corde seu ratione non fieret vllum opus, nec bonum nec malum. Quare illi sunt vehementer detestandi, qui dicta Scripturæ Sacræ de operibus sic vrgent, quasi sine ratione & voluntate fieri possint, cùm ratio & voluntas sit potior, prior & maior pars operum, & necessariò includantur in omnibus dictis, quæ de operibus loquuntur. Hæc enim est fallacia Compositionis & Diuisionis, scilicet, cùm diuidunt ea, quæ debent esse composita seu coniuncta, nempe opera & rationem. Obtento igitur, quod opus necessariò includat, imò prærequirat rationem seu voluntatem (hoc est, totum hominem) Tunc sequitur prona consequentia, Ante opus oportere personam seu rationem esse rectam & bonam. Quia nisi prior sit ratio recta & bona, impossibile est opus rectum & bonum fieri.

Interroga nunc etiam Philosophum, Vtrum recta ratio sola & sine operibus personam faciat bonam? Hic cogitur respondere, Ante opera & sine operibus præcedentibus oportere rectam esse rationem. Quia non ex operibus ratio, sed ex recta ratione fiunt opera. Ergo sola recta ratione, sine operibus fit persona recta, tunc persona recta per rationem, fiunt opera. Ita fit, vt non opera recta faciant rationem rectam, sed ratio recta facit opera, Et ratio sine operibus & ante opera est recta, imò sunt effectus, rationis prius ante opera. Igitur rectè etiam in moreali Philosophia decerni oportet, Opus bonum sine ratione nihil esse, Et hominem sola ratione, sine operibus, & ante opera bonum fieri. Si hoc in morali Philosophia valet, quantò magis in Theologia, vbi requiritur vltra rationem naturalem, donum cœleste. Sicut enim in operibus moralibus necessariò prærequiritur ratio recta, quæ hominem ante opera & sine operibus bonum faciat, Ita multò magis in operibus Christianis requiritur ante omnia fides, quæ personam faciat bonam. Nam quod est ratio in moralibus, hoc fides est in Theologia, Sicut in natura, Arbor est prior fructu.

Quæri enim & hîc poteſt, An fructus faciat arborem, vel arbor fructum. Hîc reſpondebitur ex natura, Niſi primum ſit arbor habens ſuum ſuccum, &c. Non fiunt fructus. Ita in moralibus, Niſi homo ſit bonus, habens ſuccum ſuum, id eſt, rectam rationem, non ſequuntur bona opera. Ita in Theologia, niſi adſit ſuccus & pinguedo oliuæ, hoc eſt, fides & cognitio Dei, non fiunt opera fidelia. Stat ergo veritas, Arborem ſine fructu & ante fructum eſſe bonam, ſuo ſolo ſucco & natura. Stat veritas, Moralem hominem eſſe bonum, ſine operibus, & ante opera, per ſolam rationem rectam. Stat veritas, Chriſtianum eſſe iuſtum, ſine Charitatis operibus, & ante charitatem, per ſolam fidem.

Quid eſt ergo, quod vrgent opera, & dicta de operibus? Cùm cogantur fateri, Nullum opus eſſe poſſe, niſi prior ſit efficiens ſeu operans ſine opere, Et opus neceſſariò prærequirere perſonam, quæ ipſum faciat? Cur ergo ita pugnant contra nos, quod fidem ſine operibus dicimus eſſe, & facere perſonam iuſtam, Poſtea ſequi opera, quæ non faciant perſonam iuſtam, ſed fiant à perſona iuſta, Cùm fateri cogantur id ita fieri, tam in natura, quàm in Philoſophia morali, ſeu Lege.

Quando nunc arguunt Sophiſtæ, Deus reddit vnicuique ſecundum opera, Item, Hoc fac, & viues, & ſimilia, Reſpondendum eſt, Hæc dicta eſſe nihil aliud, niſi præcepta Dei, quæ totum hominem totamque vitam exigunt. Quia docent, quid nos facere debeamus, aut quid fecerimus, Sicut & S. Auguſtinus dicit, Talibus Scripturis nos admoneri, quid facere debeamus, non autem prædicari, quid poſſimus, aut quid fecerimus. Vitioſiſſimum igitur argumentum eſt, Deus reddit ſecundum opera, Ego opera iuſtificant vel damnant, Et eſt verè fallacia Compoſitionis & Diuiſionis. Peſſimè enim diuidunt, quæ compoſita ſunt. Siquidem illud verbum, opera, eſt compoſitum, includens fidem ſeu rationem fidelem, per quam fiunt opera, &cet.

At ipſi diuidunt iſtud compoſitum, & ſola opera ſeu partem compoſiti opponunt fidei, & per opera volunt ſaluari. Et ipſe textus Euangelij hanc diuiſionem vitioſam non patitur, quia coniungit opera cum perſona, & facit tale compoſitum ex operante & operibus, quod non ſit diuidendum. Non enim dicit, Reddet cuilibet operi, ſed ſic dicit: Reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Vnicuique, inquit, id eſt, qualis fuerit perſona operans, talem accipiet mercedem. Quare non opera, ſed operans recipiet mercedem. Operans verò eſt, qui ante opus, vel bonus vel malus eſt. Ergo argumentari ab opere ad operantem, eſt à parte ad totum argumentari, Sicut ſi argumenteris, Hoc animal habet duos pedes, ergo eſt homo, quia duo pedes ſunt pars hominis, non totus homo.

Si iſta ſubtiliora ſunt, quàm vt intelligi poſſint à vulgo, tunc manendum eſt in iſta ſimplicitate, Quod Scripturæ de operibus & præmijs loquentes, ſunt Regulæ, ſecundum quas tota vita agenda ſit. In quibus non quæritur, Quid ſit fides, quid Chriſtus, quod eorum officium? Sed tantùm requiritur, vt eas habeamus, & ſecundum eas viuamus, Quia præcipiunt. At Scripturæ de promiſſionibus, ſunt doctrinæ, in quibus quæritur, quid ſit fides, quid poſſit, quid faciat. Summa, Omninò alia res eſt, quando dicitur, Sic viuere debes, aut, ſic vixiſti. Quia hæc doctrina comprehendit totum hominem & vitam, & docetur præcepta & Lege.

Item, alia res eſt, quando dicitur, Vnde petenda ſit hæc vita, & quid ad eam pertineat? Statim dicitur, Eſto bonus, iuſtus, &c. Hîc non doceris aut quærere vnde aut per quid iuſtus fias, Sed ſimpliciter dicitur, Eſto iuſtus, dilige benè operare. Sed hęc longè diuerſa quęſtio eſt, Per quid iuſti fiamus? Hie teilet ſichs/vñ wir vnterſcheiden alſo/ Quod fides iuſtificet ſine operibus. Iuſtificata autem perſona fide, ſo geſchicht denn das gantze auch/ ſcilicet, quod iuſtus es, & bona opera facis, Id eſt,

id est, ex fide primùm iustificatus, facis opera. Hîc sunt duo diuersa, fides & opera, Et tamen sunt vnum in omnibus præceptis, quia omnia præcepta vtrumque requirunt. Sic fit fallacia in omnibus argumentis, quæ ab opere contra fidem fiunt. Quia apprehendunt totum & arguunt contra partem.

DE VOTIS MONASTICIS.

Genes. Tom. 3. fol. 93. 94. cap. 28. Iam de voto Iacob dicendum est. Hunc enim locum & exemplum Iacob allegant Papistæ aduersus nos, qui vota monastica impugnamus. Iacob vouit votum & seruauit: Igitur qui vouerit debet seruare. Et addunt locum Num. 30. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrixerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Item, Deut. 23. Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus à te, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri absque peccato eris, &c. Hæc & alia multa loca & exempla adducunt Monachi contra nos vt stabiliant & confirment abominationes suorum votorum.

Sed vt eas refutare possimus, primùm omnium hæc regula diligenter tenenda est. Quod iustificatio, remissio peccatorum, gratia vel misericordia est prima & veluti lapis angularis. Atque ea est simpliciter gratuita, & nullis operibus impetrata. Hanc Regulam semper inconspectu habeamus, quod neque ex operibus, neque ex lege iustificamur, sed gratuitò præueniente gratia omnia nostra opera & merita. Sicut apud Isaiam dicitur: Inuentus sum à non quærentibus. Hic sit lapis angularis, & Deus sit initium nostræ Salutis, qui manifestet & reuelet se nobis, vt ipsum agnoscamus. Hoc caput est, & fundamentum, quod in tota Scriptura proponitur. Primùm omnium est ipsum verbum Dei, vt & ipsa creatura est verbum vocale, quo omnes Gentes agnoscant Deum, Roman. 1. Necesse est aliquid esse siue verbum siue factum præcedens, quod nos mouet, hunc primum motum oportet esse à Deo. Hoc certum est. Persona primùm fit accepta, accepta inquam, gratia iustificante & dono Spiritus Sancti, quo agnoscit homo Deum talem Saluatorem. Hæc est verè prima gratia, vbi nos nihil facimus sed tantùm patimur, audimus Deum loquentem verbum, & sentimus operantem per verbum vocale, & Sacramenta per quæ in nobis excitat cognitionem sui.

Iam hoc posito, quod est certum & primum, sequitur altera sententia, Quod bona opera necessariò nihil aliud sint, quàm gratiarum actio & glorificatio, qualiacunque sint: Siue Eleemosynæ, siue vota, siue passiones, siue mors deniq; ipsa. Illa omnia debent numerari inter sacrificium gratiarum actionis: Quia Deo nihil possumus dare, nihil mereri aut efficere, vt personæ nostræ iustificentur. Iam vota Monastica tantùm sunt operis operati. Ego enim & omnes Monachi vouemus Deo castitatem, paupertatem, &c. Quare hoc facimus? Quia volumus mereri remissionem peccatorum & saluari. Pugnant igitur cum articulo iustificationis, tanquam abominationes & Blasphemiæ pessimæ, & sunt omnia vota Monachorum impia & sacrilega. Quia Monachi sunt de numero illorum, qui quærunt Deum, quos damnat Deus, & econtrà dicit per Esaiam: Inuentus sum à non quærentibus. Item, Tollite vos ipsi Sacrificia vestra & comedite. Non

volo vestra sacrificia: Non curo vestra vota. Nunquid manducabo carnes taurorum? Quam domum mihi ædificabitis? Vbi prius habitaui antequam condirem cœlum & terram? Sed hoc dixi: Audite vocem meam, Audite verbum Domini omnis Iuda, Meum verbum sit apud nos, vt sim ego initium Salutis vestræ. Quia inuentus sum à non quærentibus, vt scias quid sit gratuita iustificatio siue remissio peccatorum, qua persona est accepta, non propter aliquod opus, qualecunque illud sit. Sicut Iudæi hodie se mirabiliter macerant, vt inueniant gratiam Dei, vt placent iram Dei, sed nihil proficiunt. Hoc iam satis certum & firmum est.

Plurimum igitur differunt votum Iacob & vota Monastica. Verùm Iacob non est votum iustificationis, vel remissionis peccatorum. Imò nisi iam antea persona per remissionem peccatorum esset accepta & Filius Dei, non fieret per votum iustus, quin ne faceret quidem votum. Votum non facit arborem, sicut fructus arboris non est arbor, sed votum est fructus fidei. Sic ergo damnamus in vniuersum vota Monastica, & sacrificia omnia, etiam illa quæ sub Mose & Lege præscripta erant. Nam de ijs quoque dicit Deus: Nolo sacrificia vestra. Quare? Quia vos facitis ὕστερον πρότερον, vultis me quærere vestris sacrificijs, & placare, hoc non feram ego, vt aliquid fiat ad me placandum: Sed agnoscite me iustificatorem & datorem. Tunc opus placebit, si fiet vel in gratiarum actionem, vel in commodum & bonum exemplum proximi. Sed si me voletis cibare carne taurorum & hircorum, aut oblationibus vestris, ibi frustra laborabitis.

Non enim comedam carnes, non accipiam cultus vestros, quibus quæritis, vt dem vobis meam gratiam. Etenim gratia debet esse gratuita, siue gratis obla-ta, Sie sol vmb sonst sein / sonst heissets nicht Gratia. Postea acceptabo sacrificia vestra, holocausta & oblationes vestras, quia non offers eo fine, vt me places, sed vt agnoscas me largitorem & iustificatorem omnia gratis tibi dedisse. Accipiam igitur pro gratitudine & glorificatione mei: Sicut Paulus inquit Rom. 1. Deum cognouerunt Gentes, sed non vt Deum glorificauerunt. Deus manifestauit & dedit illis, sed cùm deberent gratias agere & laudare, ibi aliud egerunt: ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς, &c. Primùm donum est cognoscere Deum, id sequi debet gratiarum actio & laus. Sed stulti facti sunt in consilijs suis, & fecerunt sibi idolos Deos Idolatricos, quibus ipsi dent & offerant, non accipiant ab eis. Hoc est Idolum fingere & relinquere verum Deum, & seipsum glorificare, non Deum. Sic cogitant. Deus dabit mihi vitam æternam, pro meritis, pro cucullo meo, pro operibus supererogationis. Hæc est horribilis Blasphemia.

Ostendit igitur hîc textus, quod Iacob non vouerit tam stultum & impium votum, sed gratiarum actionis. Ita enim inquit: Si reuersus fuero, &cet. Quando diceret obligabo me iam ad debitum, & reddam ac satisfaciam vbi rediero. Quid? ædificabo ibi Scholam & Ecclesiam, & ad eam constituendam & conseruandam dabo decimas boum, capararum, pomorum, lactis item & burryi decimam partem. His quidem Deus non indiget. Non enim edit panem nec bibit vinum. Sicut inquit Psalm. 50. Nunquid carnes boum manducabo? Quid igitur facis? Respondeo Iacob est iam iustus. Non igitur vouet vt Deum placet per hoc, sed vult hoc facere vt gratias agat, vt glorificet Deum, qui deducat & reducat cum iuxta promissionem. Quis decimas illas accipiet? Non Angeli, non Sol, non Luna, Sed faciet illud insigne & præclarum opus, ad conseruationem ministerij, fundationem Ecclesiarum & Scholarum, vbi viuant & alantur Prophetæ & Prophetarum filij, qui esuriunt & sitiunt, sunt nudi & miseri. Sicut hodie videre est, quibus

quàm pauci miseria illa afficiuntur, & quàm malignè præbeant hi, qui abundant opibus ad educandam & restituendam iuuentutem, quæ succedat in locum eorum, qui nunc docent. Ideo valde delectatus sum voce Illustrissimi Principis & ducis Saxoniæ Henrici: Qui defuncto fratre Georgio successit in imperio, & hoc inprimis mandauit, vt stipendia honesta constituerentur Scholis & Ecclesijs sic dicens: **Ich muß dennoch meinen Pfaffen zu essen vnd zutrincken geben.**

Paucissimi verò sunt siue Principes siue priuati, qui laudatissimam hanc vocem aut sonent, aut sequantur. Ideo Scholæ & Ecclesiæ in magno periculo sunt, siquidem aliquantò post deerunt, qui Scholas & Ecclesias foueant ac sustentent. Ideo non solùm laudandum, sed necessarium votum hoc Iacob fuit. Et sic intelligatur Moses, quando dicit: Si quid Domino voueris, redde. Quid significat Deo vouere, aut quem sic appellat: Dominum Deum tuum? Est dare decimas Prophetarum discipulis, filijs, vxoribus, pauperculis & egentibus. Isti sunt alendi decimis Deo oblatis, per eas alitur Deus. Quicquid enim (inquit Deus) dederis filijs Sacerdotum & Prophetarum, per quos doctrina propagatur, hoc mihi datum cogitabis. Non vt te propter hoc opus iustificem: Sed pro gratiarum actione, & sacrificio laudis, quod te iustificaui, & in temporalibus etiam tibi benedixi, & insuper amplius benedicam, si adiueris, si alueris, & foueris miseros filios Prophetarum.

Magna res est, quod toties repetit Scriptura in Mose, Salomone & Psalmis: Si quid voueris, redde. Et pertinet ad præceptum maximè ad Sacerdotes, vt conseruetur ministerium. Si voueris aut promiseris tutelam Scholarum vide vt redas. Et Christus inquit: Pauperes semper habetis vobiscum, præsertim tempore reuelati Euangelij. Accidit enim verbo Dei & professoribus eius, quod alijs artibus omnibus vt dicitur Germanico prouerbio, **Die Kunst gehet noch Brodt.** Beatus igitur qui intelligit super egenum & pauperem inquit promissio diuina. Primam enim gratiam habes, & es iustificatus gratis, id agnosce & sis gratus, tunc ita tibi benedicam, ita locupletabo & cumulabo te, vt abundè tibi satisfactum sentias. Et monere nos in primis hoc debebat, vt studia discentium & docentium libenter iuuaremus, quia illæ Eleemosynæ appellantur hoc loco decimę non illis, sed Deo datæ. Et Christus inquit, Amen dico vobis, quicquid feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Leuitæ & Sacerdotes in Lege Mosi partem & Hæreditatem cum Israel non habebant, & nihil accipiebant de possessione fratrum suorum. Ego enim pars & Hæreditas tua, in medio filiorum Israel inquit Dominus. Sed quid habebat Dominus, aut quomodo erat portio ipsorum? Vota, Sacrificia, decimas. Ista inquit do vobis, vt vos & vestram familiam sustentare & alere queatis, ut possitis vacare meo ministerio, docere & discere, & conseruare meum verbum. Nihil igitur possidebant, nec habebant partem inter filios Israel, Sacerdotes. Nihil habebant ipsi quod ederent ex suis agris aut possessionibus, sed edebant cum Deo, **Assen mit vnserm Herrgott** / de decimis Dei, Et hæ vocantur diuina oblatio & diuina vota, **Alß wens vnser Herr Gott selbs solt essen / vnd must sonst hungers sterben.**

Si quid igitur Scholasticis confers, Deo ipsi contulisti, ac scias Deo gratissimum cultum & sacrificium te præstitisse, ornatum magnifico hoc & summo titulo, vt dicatur votum Dei. Sed hæc qui credit & præstat, sciat singulare Donum

Dei esse. Mundus enim non curat. Ideoque Turca venit & rapit ea, quæ corra-
dimus, & illis quibus debebamus, præbere denegamus. Vult enim Deus nobi-
scum edere, aut nihil eorum relinquere quæ possidemus. An non autem magni-
fica & omnibus expetenda gloria est, quod Deum ipsum alo & cibo, si quando
Doctorem aut discipulum alo. Tum enim das decimas pro domo Dei, quæ fine
Scholis & Scholasticis conseruari non potest. Sicut Iacob vidit in hoc itinere fi-
lios Sem, habitantes ad montem Morija, qui habuerunt filios, filias, nepotes, ne-
ptes, amitas, Materteras pauperculas & inopes. Cùm enim fuisset antea vastatus
per Tyrannos, Eber fortè eum restaurauit, post Eber Abraham & Isaac, si viderunt
eum desolatum, etiam instaurarunt & excoluerunt. Ita Iacob iam videt filios &
filias Patriacharum esurire & egere in loco deserto. Ideo vouet, si reduceretur in-
columis à Domino, se daturum decimas, hoc est Scholam Patriarcharum se instau-
raturum, conferendo ea quæ sunt necessaria ad eius sustentationem, conferendo
ea quæ sunt necessaria ad eius sustentationem.

Vota legalia, qualia Nazareorum erant, fuerunt extraordinaria & super-
flua. Sed illud verùm votum est, quod sequitur iustificationem, & dici potest
votum charitatis, quale hoc Patriarchæ Iacob votum erat. Summum enim &
Principale votum est in primo præcepto, quo pacisci mur cum Deo, quod velit
nobis esse Deus, & nos credere velimus in Deum Patrem. Hoc est pactum primæ
Tabulæ, figuratum illis Leuiticis votis & Sacrificijs, & est gratiæ & iusticiæ vo-
tum. Sed hæc sunt vota charitatis, & sunt naturalia & perpetua, de quibus dici-
tur, Si non voueris absque peccato es, sin autem vouisti, redde. Non sumus obli-
gati, nec cogimur ad certum modum, vel præscriptum voti. Sed si ministri Eccle-
siæ non aluntur, tum votum hoc fit naturale & morale præceptum, vt adiuuemus
singuli suo loco conseruationem ministerij. Sicut illustrissimus Princeps Ioannes
Fridericus Dux Saxoniæ Elector, confert quotannis ter mille aureos, ad conserua-
tionem Academiæ Vuitenbergensis. Id verissimè est votum Iacob.

Etsi enim non dicit conceptis verbis, se Deo dare aut vouere, tamen reuera
est Dei votum, quo tantùm impendit, vt possint ali Pastores, Magistri, Professores
Artium & facultatum. Et tenetur reddere, licet non sit de facto votum, tamen de
votum de Iure, quia omnes tenemur vi religionis Christianæ vouere & dare Scho-
lis, etiamsi non vouemus de facto.

Lyra dicit: Quæ necessaria sint non cadere sub votum, sed esse votum in re
libera. Sicut Monachi vouent obedientiam, castitatem, paupertatem, quæ qui-
dem ante votum non sunt de necessitate, sed post votum fiunt maximè necessaria.
Tale est votum charitatis, quo promitto alicui egenti decem aureos, quibus opus
habet. Ibi teneor seruare promissa, imò alioqui debeo, cùm video egere proxi-
mum, vt inopiam eius subleuem: Non enim debo pati, vt Christus esurias, vt tu
nudus aut egens.

Ad hunc igitur modum vouet Iacob, se Scholam in Morija velle instaurare,
& discipulis & filijs Patriarcharum præbere necessaria ad vitam. Si reuersus fuero,
inquit, dabo vobis filijs Eber decimas, propter donum Dei, qui me benedixit, &
hanc visionem & portam cœli ostendit. Hinc in Psalmis vota passim appellantur
gratiarum actiones, quæ alioqui opera necessaria, & Mandata sunt omnibus. Ne-
que Verbalia tantùm opera sunt, sed etiam rerum & verorum officiorum. Sicut
dicitur: Honora Deum de tua substantia: Quod non de verbis tantùm, & cultu
oris, aut de genuflexione intelligendum est, sed de reipsa. Sicut honor parentum
non hoc tantùm exigit, vt operiamus caput, reuerenter alloquamur, simus mor-
geri. Sed eos etiam alamus, & reipsa honoremus. Et Paulus inquit: Qui bene
præsunt

præsunt duplici honore digni sunt. Item, Ad Galat. 6. Communicet autem is, qui Catechisatur verbo, ei qui se Catechisat, in omnibus bonis. Quando igitur vult Deus se honorari, tum vult offerri Sacrificia, non oris tantùm, sed etiam cordis reuerentiam, imò factum ipsum. Vult nos adiuuare ministerium, & conterre singulos, vt studia discentium sustententur & propagetur doctrina. Ibi tum verè laudatur & glorificatur Deus, ibi fac votum & dic: Promitto me velle aliquid conferre ad iuuandas Ecclesias. Illud est votum S. Iacobi.

Duplex igitur votum est figuratum votis legalibus, Vnum est fidei erga Deum, qui nobiscum pacisci tur quod velit nobis esse in Deum, sicut suprà de voto primi præcepti diximus. Alterum est votum charitatis, ex præcepto & verbo, liberum quidem, quando ego nescio egere, aut non eget meo auxilio proximus. Sed fit necessarium quando opus habet meo auxilio, & alij id ferre recusant, tametsi non interposui nomen Domini, tamen est dandum, quia Christus præcipit: Da omni petenti te.

Mundus hæc officia & vota non tantùm negligit, sed etiam rapit, & spoliat Ecclesias & Scholas decimis ab alijs collatis, idque agit vt strenuè esuriamus & egeamus. Ideo hoc exemplum diligenter inculcandum est, quod Iacob fouet decimas, non vt Deus ipse comedat aut locupletetur, sed dat pauperibus ministris, & ijs qui semper sunt minimi fratres, aut discipuli Christi in terris. Omnes enim aliæ artes quæstuosæ sunt & habent sua lucra. Hæc sola professio indiget donatione & largitione. Viuendum est nobis de altari, vt inquit Paulus: Qui igitur pius est & amans verbi Dei, confert aliquid Qui odit doctrinam cum docentibus & discentibus rapit & spoliat.

Cæterum sic ordinauit Deus, vt viuamus ex votis, Sacrificijs & Eleemosynis, que debentur nobis Iure diuino. Et pij cùm vident inopiam & egestatem ministrorum Ecclesiæ & Scholæ, vouent & tenentur dare decimas, sicut Iacob dedit, qui magnitudinem & dignitatem huius officij præclarè intellexit.

DE VITA SPECVLATIVA ET ACTIVA.

Genes. cap. 35. Tom. 3. fol. 201. Opinor ne ipsos quidem Patres quæ docuerunt, de duplici vita intellexisse. Monachi enim appellarunt vitam actiuam, quæ consistit in frenandis cupiditatibus, & regendis moribus externis, per ieiunia & macerationes carnis, per habitum sordidum & similia, quod fanaticus ille Monetarius, **Entgroben**/ dicebat, hoc est, emendationem viciorum crassiorum. Ethnici externam disciplinam appellarunt, quæ est vtilis & necessaria in hac vita, præsertim primæ ætati, quæ opus habet institutione & doctrina, ne fiant prorsus barbari & inculti, & ad omnia officia communis vitæ inepti.

Sed Theologicè Actiua & speculatiua vita multò aliter definienda est, ea enim præsertim hoc tempore, talis est, **Da einem die Augen vbergehen.** Non sunt iucundæ speculationes & consolationes, quales Monachorum erant. Sed qui vult esse Israel & vincere Deum, eum oportebit versari in his exercitijs, de quibus antea diximus, videlicet in petendo, quærendo, pulsando, retinendò verbum & promissionem. Hæc verè est vita speculatiua piorum, vbi deficit ratio & imaginatio, mortificatur sensus & intellectus, cum omnibus viribus, & viuit homo solo verbo Dei. Sicut Scriptum est Deut. 8. Adflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & Patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni Verbo, quod egreditur de ore Domini.

Aliæ Speculationes Monachorum sunt imaginationes frigidæ, mortuæ & periculosæ, quia procedunt ex proprio arbitrio & ratione, sine verbo & promissione. Ideo fugiendæ sunt. Et qui volet piè & fœliciter de Deo speculari, non sine verbo, sed apprehendat filium incarnatum, incipiat à præsepio & fasciis, quibus inuolutus est donec veniat ad ascensum in cœlum. Ita fide accipiet & manebit in verbo & promissione data. Noui quosdam qui gloriabantur de suis speculationibus, quarum suauitate ita capti essent, vt viderentur sibi quodammodo rapti & sublati in cœlum. Tales ego non amo, nec vnquam mihi exoptauerim. Quia sunt sine verbo, & qui eas sectantur, sunt homines ignari Legis & Euangelij.

Vera autem speculatio quæ facit Israelitam, est mortificatio omnium vitium, quæ sunt sensuum & rationis nostræ, & hærere in sola fide & expectatione promissionis. In agone mortis verus vsus harum speculationum conspicitur, tunc enim nihil consilij nec auxilij sentimus. Necessaria ergo est speculatio, id est, apprehensio puri & solius verbi, abstracta à sensibus, iuxta sententiam: Qui Sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

Actiuam vitam constituit & ordinat lex Dei, non traditiones Monasticas, sed ea quæ sunt vocationis nostræ in externa vita. Considerent singuli in quo genere vitæ versentur, & in eo seruiant suæ vocationi, & diligenter exerceant officia mandata in Decalogo. Postea in tentationibus fies Israelita, retinendo & exercendo fidem in promissionem. Sicut in Decalogo fuisti Iacob, ita eris Israel in promissionibus, quæ vrgebunt te ad inuocationem. Cuius rei insigne exemplum est Cananitis Matth. 15. Quæ pulcherrimè exercetur in vita speculatiua. Ecce instat, vt nulla atrocitate verborum patiatur se impelli. Tam diu pulsat & impedit fores donec Christus cogatur cedere, & cum insigni prædicatione fidei & perseuerantiæ eam exaudire.

Ad hunc modum rectè docetur de doctrina & speculatiua vita, si discernatur iuxta Decalogum & promissiones, quod Monachi non intellexerunt. Decalogus enim monstrat vnicuique opera vocationis suæ. Tentationes autem docent intelligere Decalogum, sed Deum apprehendere fide, non iactare merita & promissiones. Sicut Pharisæus Lucæ 18. Et apud Esaiam. Quare iciunauimus & non aspexisti nos? &c. Quia hæc gloriatio damnata est à Deo. Extra promissiones possum eorum, quæ aut feci aut passus sum in persecutionibus meis, nisse. Sed non ad exemplum Monachorum, qui fingunt meritum vitæ æternæ in operibus. Atque hæc ex Patribus repetenda putaui, ne videamur eorum scripta prorsus abiecisse: Non enim negligenda, sed legenda sunt cum iudicio. Ipsa & Gregorius, non videntur intellexisse, quid sit actiua aut contemplatiua vita, vtrumque enim collocant in Monasticis Ceremonijs & traditionibus. Sed actiua manet in Decalogo: Contemplatio in promissione. Iacob fit conculcator in lege, & promissionibus Israel.

OPERA PIORVM ETIAM VILISSIMA ET ABIECTISSIMA DEO CVRAE *sunt.*

Genes. cap. 29. Tom. 3. fol. 98. Hoc ad consolationem nostram pertinet, quando proponuntur exemplo Sanctissimorum Patriarcharum, non tantum in sublimibus & Heroicis virtutibus, sed etiam leuissimis & vilissimis actionibus, in sordi-

in fordidis illis & contemptis vitæ Oeconomicæ opusculis, ne desperemus aut co-
gitemus, nos quando his vitæ officijs occupamur, à Deo obiectos & spretos esse,
Sed sciamus omnia Sanctificari verbo & fide: Quanquam mundus hanc sancti-
tatem non cernit, sed quando etiam de Sanctissimis hominibus vulgaria ista offi-
cia commemorari audit, omnem operam ludi putat & bonas horas malè colloca-
ri in Lectione harum Legendarum. Quia non est dignus vt videat gloriam Dei,
iuxta illud: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Soli credentes vident & in-
telligunt opera Dei, ideo in nostris, imò Dei oculis sunt hæc præciosa.

Neque est quòd cogites aut mireris, quare delectetur Spiritus Sanctus de-
scriptione horum seruilium & contemptorum operum. Sed audi Diuum Paulum
dicentem: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per
patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Si firmiter credere-
mus, sicut ego licet infirmiter credo, Spiritum Sanctum ipsum & Deum condito-
rem omnium rerum esse autorem huius libri & rerum tam vilium, vt videntur car-
nali: Tunc haberemus maximam consolationem. Sicut ait Paulus. Imò cor no-
strum posset in hoc gloriari & superbire, quod Deus dignatur recordari, & memi-
nisse horum Patriarcharum, quod noluit eorum obliuisci. Et non solùm Heroi-
cas virtutes sed etiam ipsas sordes operum voluit celebrari, & tanquam gemmis &
auro his descriptionibus ornari, ac proponi toti orbi terrarum vulgandas, legen-
das, cognoscendas. Credentib. ergo omnia cooperantur in bonum, imò in glo-
riam quæ etiam viliſſima, fordidissima, contemptissima erant. Quia vident Deum
istis delectari, vt canat & psallat, non solùm magnificas & eximias Sanctorum vir-
tutes, sed etiam minima opuscula, quia sunt opera Dei. Ideo delectatur Deus in
operibus suis, siue maxima sint siue minima, nobis in maximam consolationem,
iuxta sententiam: Beneplacitum est Domino, super timentes eum. Item in Ps. 56.
inquit Dauid. Posuisti Lachrymas meas in conspectu tuo, fugas meas nume-
rasti.

Quid igitur? Num nihil aliud habet quòd agat Deus, quàm vt Lachrymas
& fugas Dauidis numeret? An non occupatus est, in administratione mundi,
Item, audiendis Choris Angelorum, laudantium & benedicentium sine fine?
Quid potest dici mirabilius? Et tamen verum est. Hæc quoque cura incumbit
Deo, vt numeret Lachrymas & fugas Dauidis. Sic alius Psalmus canit: Quoni-
am requirens Sanguinem eorum recordatus est: Non est oblitus clamoris pau-
perum. Item, Pretiosa mors & Sanctorum in conspectu Domini. Imò Moses ait
ad Pharaonem: Ne vngulam quidem vnam relinquemus. Non modò viri, mu-
lieres, paruuli, iumenta exibunt ex Aegyptò: Sed quicquid habemus, etiam mi-
nimam vngulam, non relinquemus. Non solùm igitur pretiosa sunt in conspectu
Domini, Heroicæ virtutes, magnifica opera, quæ per nos operatur, sanguis Item
& mors, ac grauissima certamina, sed etiam vngulæ ipsæ viliſſimæ, pretiosæ sunt.
Quin Christum audi, **Der machts noch besser**/ Vestri autem & capilli capitis om-
nes numerati sunt. **Ihr solt nicht ein Har verlieren.** Quid quæso vilius & negle-
ctius est in toto corpore humano quàm pilus, capillus, vnguis? Et tamen, hi quo-
que numerati & Patri qui in cœlis est, curæ sunt.

Ad hunc modum tractanda sunt hæc exempla vilium & sordidotum operum
in Sanctis, vt doceant & consolentur nos. Non enim negamus esse abiecta & vi-
lia, si in instrumentum tantùm, in quo fiunt aspiciamus, sed Deum ipsum auto-
rem respiciendum est. Siue enim sordes, siue gemmas Sanctorum, & operum eo-
rum videas, tamen placent Deo autori pariter vilium & honestorum operum, sunt
enim opera Dei, & Deus est cooperator. Magna igitur & infinita hæc consola-
tio est ijs qui credunt.

Et ideo

Et ideo ista describuntur, vt videamus quàm tenerè nos diligat & complectatur Deus, quantam & quàm anxiam curam nostri gerat. **So genaw sicht er auff mich / das er sorg hat / ich verlier ein Har.** Quod si capillos numerat & curat, multò magis ergo corpus, Animam, sanguinem, & omnes passiones. Sed hæc minus sublimia sunt, propterea non credimus, & quò viliora & sordidiora sunt opera, eò etiam minus credimus. Sordes ipsæ & vilitas operum, impediunt Fidem nostram. Alioqui in immensum amplificaremus misericordiam Dei, in his minutissimis & leuissimis operibus, & fides nostra maximè corroboraretur. Tanta enim cura & solicitudo Deo est de nobis, vt non queat obliuiſci vnius capilli, vnius lachrymulæ, aut perturbatiunculæ, vt sic dicam. Et hoc vult Spiritus Sanctus, quando sic infirmiter incedit, in describendis suis Sanctis, quod omnium maximè, minima opera Sanctorum placent Deo. **Es ist ein Köstlich ding vmb ein Christen Menschen / Es ist nichts so gering an jhm / es gefelt Gott /** Sanguinem fundere, mori, ludare, certare, & luctari aduersus Diabolum reuera est magnum & vehementer placet Deo. Sed sic statuas, quando es fidelis tum placent Deo etiam Physica, carnalia animalia officia, siue edas, siue bibas, siue vigiles, siue dormias, quæ merè corporalia & animalia sunt. Tanta res est fides.

Primùm omnium igitur vide, vt fias Christianus & persona grata & accepta per verbum, per Baptismum & Sacramenta. Si persona credit & adhærer verbo, non persequitur illud, sed agit gratias pro eo, tum nihil aliud facias, quàm quod Salomo dicit: Vade ergo & comede in læticia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: Quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum Vxore, quam diligis cunctis diebus vitæ vanitatis tuæ, qui dati sunt sub Sole omni tempore vanitatis tuæ. Hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub Sole. Quid requires amplius? Quid posset dici iucundius, suauius & clarius?

Verum est quidem placere Deo, etiam in impijs sedulitatem & industriam in officio. Sed obstat incredulitas, & vana gloria, ne possint opera sua referre ad gloriam Dei. Vicium & peccatum est in persona, quæ Deo non placet. Meretur igitur etiam impiorum bona opera in hac quidem vita præmia sua, sed non numerantur, non colliguntur in vtre, iuxta Psalm. 55. Sententiam Sanctorum autem Lachrymæ, fugæ, tentationes, opera minima, maxima numerantur in æternum laudanda & celebranda.

Dulcissima igitur hæc consolatio est, quam monstrat Paulus Roman. 15. Quando dicit, nihil frustra Scriptum esse in Scriptura Sancta. Quia certum est hęc infima & leuissima ideo proponi, vt significetur beneplacitum diuinum in Sanctis suis, semper enim manet enim remissio peccatorum, & acceptatio, ac sub umbra & vmbraculo alarum, & protectione Dei viuunt, quamdiu sunt in gratia. Atque hæc nobis quoque applicemus. Si enim sumus Christiani & verè pij, scimus nos esse similes summis illis sanctis, si non in summo gradu maximarum virturum, tamen his infimis & sordidis actionibus huius vitæ, & quòd ad curam & protectionem Dei attinet, non minùs nos diligi atque illos. Cuius tenerrimæ & ardentissimæ dilectionis certum pignus habemus Filium Dei, propter quem diligit nos Pater, & consedere nos fecit in cœlestibus, sicut inquit Paulus. Sciamus etiam ad nos pertinere, quod in Psalm. 36. Dulcissimè dicitur: A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, cùm ceciderit non collidetur: Quia Dominus sup-

bus supponit manum suam. Tantùm credamus & assentiamur huic promissioni. Sicut enim parentes diligentissimè obseruant filiolos, ne fortè cadant, ne qua impingant aut offendant, & si vident maculam aut pituitam genis adspersam, abstergunt & emungunt. Id quod hostis & alienus non facit. Si pluma capillis inhærerit, pectunt & ornant. Tanta etiam cura, tantus amor & vera paternitas Dei est erga omnes, qui credunt in eum.

SANCTI ALIAS FORTES ET INTREPIDI ALIAS *infirmi.*

Genes. cap. 20. Tom. 2. fol. 147. Spiritus Sanctus non semper impellit pios homines: Quædam sinit eos facere suo arbitrio & voluntate. Elias cùm occideret Prophetas Baal, Spiritu Dei impellebatur. Sed idem post nuncia-ta ira Iesabelis, sibi metuit & secedit in desertum, vitæ suæ hoc modo consulens: Id facit sua voluntate, non enim iubetur diuinitus vt secederet. Ratio dictabat tutum fore, si lateret in deserto: Igitur qui præsentissimo animo erat cùm Prophetas occideret, hîc in suo periculo trepidabat, & nusquam credebat se tutum fore in Israel. Hæc ad nostram consolationem sunt scripta, qui de Sanctis non aliud cogitamus, ac si fuissent trunci & caudices sine sensu.

Rectè igitur de se Paulus & Barnabas dicunt Actor. 14. Sumus homines mortales vobis similes, hoc non veretur dicere ad Idolatras, quia Sancti non semper feruntur impetu Spiritus Sancti. Habent suas appetitiones & afflictiones sicut cæteri homines, igitur communibus studijs etiam occupantur, seminant, arant, edificant, &c. Ad hæc rectè facienda, sufficit ratio & industria, & quanquam similia impij quoque faciunt, tamen hæc in pijs Deo grata sunt, propter fidem in qua viuunt. Nihil igitur Monstrosè faciunt, nisi impellente Spiritu Sancto singulariter, & certo verbo iussi, alioqui manent & viuunt in communibus affectibus & studijs, non occupantur singularibus operibus, sicut Pontificis Sancti, qui in vestis mutatione, in mutatione loci, quod soli viuunt & se à reliqua multitudine segregant, Sanctitatem ponunt, & interim negligunt timorem Dei, & dilectionem Dei, colantes culicem, & glutientes Camelum. Es sind Mucken Seuger vnd Camel Schlucker.

Non talis fuit Abraham, qui cùm omnibus Monachis Sanctior esset, qui vel fuerunt, sunt, vel erunt vnquam, tamen cùm ad ignotos Geraritas accedit, trepidat & vitæ metuit, suspicans, postquam tanta Sodomitarum fuit malitia, in eo quoque loco nullum esse timorem Dei. Sic Sem & proaui eius patres familias habuerunt verbum, & docuerunt Ecclesiam. Sic nos quoq; in eo maneamus, quod Deus ordinauit: Si enim Deus aliquid singulare per te volet fieri, vocabit te & occasiones ostendet, quas sequaris, hoc si non fit, gaudeat tamen vnusquisque se esse in vocatione diuina, cùm ista vulgaria huius vitæ officia sustinet, & exequitur.

Papistæ iactant Canones suos & Decreta Patrum, quæ tamen non habent autoritatem diuinam, ea adorant & negligunt interim charitatem, spem & fidem, imò quia persequuntur verbum, fidei hostes sunt. Hos fugito & imitare Sanctorum hominum vestigia, qui non abhorruerunt à communi societate, nec consuluerunt ocio suo, sed communibus huius vitæ passionib. subiecti, habuerunt vxorem, familiam, quam sua industria, & labore aluerunt, sicut communiter solent omnes Patresfamilias etiam inter Gentes.

Sed

Sed communia sunt inquies? At commendata per Scripturam Sanctam, quæ testatur hominem ad Oeconomica & politica officia creatum. Igitur communia ista sunt Dei ordinatio: Quam autem requiris tu magnificentiorem commendationem? Aut quod clarius testimonium? Ancilla igitur cùm mulget vaccas, seruus cùm pastinat agrum, modo fidelis sit, hoc est, vt statuat placere Deo tale vitæ genus, & à Deo institutum esse, Deo magis seruit quàm omnes Monachi & Monachæ, qui de suo vitæ genere certi esse non possunt. Oppone igitur huic historias, traditionibus & canonibus hominum: Certùm enim Spiritus Sancti testimonium hic est, qui describit suos Sanctos, quod in fide, verbo & confessione vixerunt, per reliqua omnia similes alijs hominibus, Sicut Paulus ad gentes dicit, nos sumus homines sicut vos, hoc est, similiter affecti, dolemus cùm dolor adest, gaudemus cùm res cedunt ex sententia.

Sæpe hæc & libenter inculco, & scio non fieri absque fructu, tam altè sedet hic error omnium animis insedit, quod tantùm admiremur rara, aliena mostrosa. Quin maneamus discipuli Spiritus Sancti & Scripturæ, imitantes eorum vitam & facta, quos Scriptura commendat & proponit, non curantes, quod Abraham secundum suam singularem vocationem fuit bellator, & occidit quatuor Reges, id fecit singulariter iussus, cùm tale aliquid Deus abs te volet fieri, etiam te iubebit, non quidem de cœlo per Angelos, sed per ordinariam potestatem. Id non fit, quiesce à singularibus, & propone tibi Abrahamum Patrem familias in ea vocatione, etsi, vt Papistæ dicunt, sunt laicalia opera, tamen propter fidem & verbum verè sunt Spiritualia. Sic gloriari Monachus de cucullo, & Monasterio non potest, siue Canones Patrum, siue Decreta Pontificum pro se habeat. Canones enim cum suis concilijs & Decreta, si quid habent boni, consentiunt cum Scriptura Sancta. Si non consentiunt nihil ea curamus, sed etiam vt suspecta merito fugimus & abijcimus. Nos autem cum testimonio Scripturæ prædicamus ciuilia opera. Voluit enim Deus nos ferre communes afflictiones, & casus humanæ vitæ, & iubet ne in ijs desperemus, sed confidamus cum nobis adfuturum, qui instrixit nos ratione naturali, qua regamus ista ciuilia, ne tentemus Deum, subijcientem nobis terram.

DE ORATIONE.

QVID SIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 809. Ioel. cap. 3. Non existimabis inuocationem esse nudam appellationem nominis Dei. Hanc si spectes totus mundus plenus erit inuocantibus Domini nomen. Non Iudæus, non Turca, non Monachus inuenitur, qui non multùm & seriò inuocet, præsertim constitutus in periculis. Sed reuera vt vt hæc sint, nullum inter omnia opera inuocatione vera rarius est. Id vt intelligi possit, definitio vera quærenda est. Hanc autem non peres ex Sophistarum Scholis. Paulum fide dignum testem adhibeto, qui hanc ipsam Prophetæ sententiam, & citat, & egregiè explicat, Roman. 10. Non inquit, est differentia Iudæi & Græci. Idem enim Dominus omnium, diues in omnes inuocantes ipsum. Omnis enim, qui inuocauerit nomen Domini, saluabitur. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo autem credent, quem

quem non audiuerunt? Quomodo autem audient si non sit prædicator? Quomodo autem prædicabunt nisi fuerint missi, sicut scriptum est, Quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona, &c. Hæc est pulcherrima & eruditissima huius sententiæ explicatio, qua ostendit Paulus, quid sit vera inuocatio, cui Ioel salutem ex morte & peccatis tribuit.

Imperitus aliquis sacrarum rerum cogitabit inuocationem esse opus secundi præcepti, ac mirabitur, cùm huic operi secundi præcepti tribuatur salus, & non potiùs vel primo præcepto, quod fidem & timorem exigit, vel integro Decalogo. Sed Paulus eruditissimè respondet, inuocationem pendere ex fide, fidem autem ex verbo, ac constituit hanc definitionem inuocationis.

Inuocare nomen Domini est, cum audis primùm Euangelium de filio Dei, ac vera fide amplectens promissionem, & postea fiducia promissionis in Euangelio proposita, inuocas Deũ vt propter Christum, te contra peccatum, mortem & Satanã defendat ac liberet. Ad hunc modum, qui inuocat, is verè inuocat & certò saluatur.

Non igitur inuocatio est nuda appellatio Nominis Domini, quam etiam Turcæ, Iudei, Papistæ vsurpant, complectitur res longè maximas, vt humili corde audias Euangelium, & primò baptismum, deinde etiam sacrosanctam cœnam non negligas. Hæc enim quia habent Euangelij promissionem adiunctam, non possunt sine periculo salutis negligi aut contemni, & vt clarius quod sentio dicam, fides omnino existere sine his nõ potest. Fides enim nititur verbo, verbum autem remissionis peccatorum inclusit quasi Deus in hæc mysteria, Baptismum & Cœnam. Baptismus habet promissionem. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Cœna hanc habet promissionem, quòd corpus Christi pro nobis traditum, & sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus sit. Cum hac promissiõe ipsę res de quibus promissio loquitur, nẽpe corpus & sanguis Christi, cum pane & vino nobis exhibẽtur, vt tantò firmius niti promissione corda possint, scelerate igitur agũt, qui docent tantùm panem & vinum in cœna exhiberi. Hoc primum est quod inuocatio requirit, vt verbum audias, & sacramẽto vtaris. Quomodo igitur inuocare Deum possunt Turcæ & Iudei, qui verbum non habent, & sacramẽta rident? Quomodo inuocare Deũ possunt Papistæ, qui etiã persequuntur verbũ, & verũ sacramentorum vsum dãnant?

Sed non satis est audire verbum & vti sacramentis, fide audire verbũ oportet, & in fide sacramenta debent accipi. Est aũt fides certa fiducia, qua statuimus Deum per Christum placatum, & condonare gratis peccata, & adoptare nos in filios & hęredes æternæ vitæ. Hanc fidem cùm Papistæ prorsus nesciant (credere enim eis aliud nihil significat, quàm professionem seu noticiam historiæ) quomodo inuocare nomen Domini possunt? Tertium est vt animus cõfisus misericordia Dei, se aperiat, & viua voce ac ardentibus votis expetat liberationẽ. Hę inuocationis verę, vt sic dicam, conditiones rectè consideratę, ostendunt nullum cultum vera inuocatione esse rariorem eumque non nisi in vera Ecclesia inueniri. Dei nomen quidem appellatur ab omnibus, sed alij, vt Turcæ, verbo sacramentis carent. Alij, vt Papistę, verbum oderunt & persequuntur, sacramentis autem sine fide vtuntur, ac si ex opere operato prosint vtentibus. Certum igitur est, neutros nomen Domini inuocare, sed potiùs in vanum assumere & afficere contumelia. Sicut in Psalmo de persecutoribus Iudæis dicitur, oratio eorum vertatur in peccatum. Sicut enim qui verè inuocant nomen Domini saluantur, & sentiunt orationis fructum æternum. Ita qui sine fide inuocant, cumulant peccata, & exitium suum properant.

QVIS INVOCANSDVS ET DE DISCRIMINE VERAE FT FALSAE ORATIONIS.

Tom. 4. Ienes. fol. 787. Ioel. Cap. 1. Obseruanda est Emphasis, quod dicit Prophetа Ioel

pheta Ioel. Ad te clamo Deus. Discernit enim hoc modo suam & sui populi orationem ab Ethnicorum orationibus. Si verba spectes, etiam Turcæ, etiam Iudæi hodie in hunc modum orant, vt dicant, At te Deus clamo. Ac intelligunt ipsi quoq; aeternum illud numen, à quo vniuersa sunt condita. Sed hoc nondum est, Deum vere nosse, si noris eum esse conditorem omnium rerum. Sicut enim hominem nondum nouisti, si vestem aut os noris, Hæc enim iumenta quoque obseruant, & norunt, Mentem si noris, tunc verè eum nouisti. Ad hunc modum, qui plus de Deo norunt, quàm quòd conditor sit cœli & terræ, verè Deum nesciunt, nec possunt vere inuocare Deum. Quia enim animum Dei, qualis sit, ignorant, coguntur dubitare cùm orant, nec possunt statuere certi aliquid de auditione.

Prophetæ autem alia inuocatio est. Deum enim quem inuocat, verè nouit, non solùm ex hoc eius opere, quod oculis subiectum est, quòd est conditor & conseruator totius creaturæ, sed ex alijs propioribus, & animum eius clarius ostendentibus. Nouit enim hũc populum peculiariter vocatum, vt esset populus Dei, nouit liberatum ex Aegypto, nouit expulsis gentibus donatum possessione terrę Canaan, & ornatum verbo & cultu Dei. Hęc omnia certa sunt signa diligi hunc populum à Deo. Igitur orans statuit, se non frustra orare. Scit enim quòd oret benignum & fauentem Patrem. Hęc opera propius quasi ostendunt Deum, & certa beneuolentiæ argumenta commonstrant huic populo peculiariter exhibita. Sed ne hęc quidem perfecta Dei noticia est. Arguunt enim curam Dei sed eam temporalẽ & huius tantùm vitę. Vera autem Dei noticia hęc est, quod norant Prophetę, Deum cœli promisisse Semen mulieris, quod contereret caput serpentis, quod maledictionem, in qua totũ genus humanum propter peccatum est, auerteret, & adduceret super nos benedictionẽ. Sicut ad Abrahamũ dicit Deus: In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Hæc illa vera nota est, quam qui norunt, Deum verè norunt, hoc est, animum & voluntatem eius norunt, quod non oderit genus humanum propter peccatum, sed id amet, ac certo liberaturus sit per Filium suum à morte ęterna, à peccato & Satanę Tyrannide. Hanc noticiam postea sequitur certa fides. Quomodo enim dubitare de dei beneuolentia animus amplius potest? An qui filium promittit & donat, frustra à se petisinet, quae longè inferiora & huius tantùm vitæ sunt? Hæc vera Dei noticia omnibus temporibus in Ecclesia fuit, & sola est fons verè inuocationis. Quia autem ex solo verbo nascitur, certùm est non Turcas, non Iudæos, non vllas Gentes, non denique infideles in ipsa Ecclesia orare. Quanquam enim verba recitant, tamen quem inuocent, non norunt, coguntur igitur dubitare de euentu seu exauditione.

Sed non tantùm hęc Dei noticia accẽdit fidem, Ecclesia habuit omnibus temporibus certam exauditionis promissionẽ. Nam in lege erat certum verbum, quod orantes in templo Deus exaudire vellet. Quia enim eum locũ suo cultui delegerat Deus, ac se ibi habitaturum promiserat, ac auditurum supplicãtium preces, pij inuitati hac promissione, de dei voluntate nihil poterant dubitare. In nouo Testamento Ecclesia non est alligata ad certum locum, sicut in veteri. Nam vt Christus inquit, neq; in hoc, nec illo monte adoratur Deus, sed veri adoratores, adorant eum in Spiritu, hoc est, non sunt alligati ad certum locum, sed mens intuetur Christum, sicq; inuocans Deum exauditur, secundum Christi dictum: Quicquid rogaueritis patrem in nomine meo, hoc vobis dabit, petite & accipietis. Talem promissionem non habent Turcæ, non Iudæi, non Papistæ. Igitur oratio eorum prorsus sine fide est, nec meretur orationis nomen, potiùs est illusio, aut blasphemia in Deum. Si extaret promissio, Deum auditurum in Mahometis nomine inuocantes, Deum auditurum eos, qui Christum negarent, qui inuocarent nomen Mariæ, Petri, Pauli & aliorum Diuorum, possent Turcæ, Iudæi, Papistæ aliquid suæ inuocationi tribuere, sed cùm Turcæ & Iudæi Christum abijciant, Papistæ autem in diuorum inuocatione spem ponant, coguntur dubitare

dubitare quoties orant. Fides enim nititur promissione. Vbi igitur promissio non est, ibi nec fides esse potest.

Diserte igitur Propheta dicit: Ad te Domine clamo, qui scilicet te nobis patefecisti, non solũ illis magnificis beneficijs corporalibus, sed promissiõe de semine mulieris contrituro caput serpentis. Deinde qui in hoc loco iussisti te inuocari, ac addidisti certã promissiõem, futurũ, vt hîc te inuocãtes exaudias, Ad te inquit clamo. Inuocant te Gentes quoq;, sed nesciunt te, & inuocant sine promissione exauditionis, necessariò igitur dubitãt, & potiùs blasphemãt quã orant. Qui enim dubitat de exauditiõe, adimit Deo gloriã bonitatis & misericordię. Meminerimus igitur, admoniti hoc loco, in omni vera inuocatione hoc primũ esse, vt mens intueatur Deum ac norit voluntatẽ eius esse talẽ, quod velit nobis adesse, nos exaudire, nos liberare, siquidẽ promisit liberationẽ ab ęternis malis per filiũ suũ. Deinde, vt intueatur etiã promissionem de exauditione peculiariter loquentẽ. Ita enim cõfirmabitur animus, vt cum certa fiducia oret, & excludetur dubitatio. Etsi enim in corporalibus malis, nos submittere voluntati dei ęquũ est, nec sic vrgẽda est exaudítio, quia, si Deo ita videatur, volentes pariturí simus eius voluntati, ac humiliaturí nos sub eius potentem manũ, tamen cum hac obedientia fides rectè coniungitur. Certus est enim animus de ætenia liberatione per filium Dei facta, ac statuit in leuioribus quoq;, misericordiam Dei nobis non defuturam, si sic & gloria eius, & nostra salus postulet.

QVOMODO ANIMVS AD ORATIONEM PRAEPARANDVS.

Tom. 3. Ienens. fol. 379. Iesai. Cap. 37. Paratior est Deus ad exaudiendũ, quàm nos ad orandum. Sicut ex hoc exemplo patet. Quare nos quoq; debemus discere, quòd nostrę orationes non sint ociosę, sed placeant Deo & certò exaudiantur, sicut monet etiam Syrach. cap. 18. Ante orationem prępara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum, Hoc est, erige animum certa fiducia, quòd Deus sit te exauditurus, non propter tuã dignitatẽ, sed primùm quia certus es Deum præcipere, vt oremus, & æquè peccatum est non orare, ac si cædem facias, aut aliud quiddã obmittas, quod Deus pręcepit. Secũdò quia Deus promisit se exauditurũ. Tertiò quòd habeas vocẽ & formã orationis ab ipso dictatam, quare non est quod metuas, ne offendat eũ oratio tua. Hęc sunt quibus Amen, quo orationẽ claudimus, nititur, nõ scilicet tua dignitas, sed Deus præcipiens, Deus promittens & Deus dictans. Qui hæc considerat, is verè prępărat animam suam. Monachi etiam pręcipiunt de præparatione ad orationem, verùm ea nihil habet, præter inanes cogitationes, Neque enim necessitatem aliquam vrgentem afferunt, nec respiciunt ad Deum promittentem, sed in ventum orant, & verè tentant Deum.

QVI EXAVDIANTVR.

Tom. 4. Ienes. fol. 379. Psal. 51. Deinde illud considerandum est, quomodo conueniat quod dicit (Dauid Psal. 51.) Miserere mei. Hîc enim si personas spectes Deum & peccatorem Dauidem, inter quas res agitur, apparebit summa dissimilitudo, & contradictio immutabilis. An non enim hîc totius naturę sensus, an non hoc omniũ hominum iudicium est, quod Deus peccatum odit? Sicut Iohan. 9. cæcus dicit, Scimus quòd peccatores Deus non audit. Eos autem audit, qui eũ colũt, & faciũt voluntatẽ eius. Item in decalogo est, Ego sum Deus zelotes. Quin per totum Mosen ferè nihil est, nisi merę cõminationes contra malos & inobedientes. Conuenit cum lege Mosi sensus naturę, quẽ nullo modo possumus exuere. Sic enim omnes homines iudicant, Tu es peccator, Deus autem est iustus, Ergo te odit, ergo infliget pœnas, ergo te nõ audiet, Hanc consequẽtiam tota natura impossibilè est, vt negare possit. Hinc sancti

patres, qui in Psal. scripserunt, ferè exposuerunt, Iustus Deus, pro eo quòd iustè vin-
dicat ac punit, non pro eo quòd iustificat. Inde mihi accidit inueniri, vt hanc appella-
tionem dei odissem, & ex illa hexi seu habitu adhuc hodie quasi cohorresco, cũ audio
Deum iustum dici. Tanta est vis impię doctrinæ, si ea animi in prima ætate imbuan-
tur, & tamen veteres doctores ferè omnes sic exponunt.

Sed si Deus sic iustus est, vt puniat iustè, seu pro merito, quis potest subsistere in
huius iusti Dei cõspectu? Siquidem omnes sumus peccatores, & afferimus ad Deũ
iustã pœnarum inflígendarũ causam. Procul hinc cum tali iustícia, & tali iusto Deo,
quia nos omnes sicut ignis consumens, vorabit. Quia aũt Christum saluatorẽ Deus
misit, profectò nõ hoc modo iustus vult esse vt puniat pro merito, sed vult iustus esse
& dici, vt agnoscẽtes peccata iustificet, & eorum misereatur. Quod igitur Dauid pec-
cator dicit: Miserere mei Deus, perinde sonat, ac si loquatur contra Decalogum, in
quo Deus mandat ne sis peccator, & minatur peccatoribus pœnas. Quomodo enim
cõuenit inter peccatorẽ & Deum, qui est iustus, verax, inimicus & hostis peccatorũ,
qui sua natura non potest ferre peccata? Et tamẽ Dauid infrà dicit: Agnosco iniqui-
tatem meam. Item, Peccatum meum coram me est semper, Hic Dauid, inquã, Deum
appellat & dicit: Miserere mei. Hoc verò est coniungere duo incompatibilia vt lo-
quuntur. Ergo statim initiò ostendit Dauid eam artem & sapientiam, quæ est supra
sapientiam Decalogi, & verè cœlestis sapientia, quam neq; lex docet, nec ratio sine
Spiritu Sancto cogitare aut intelligere potest.

Nam natura in vniuersum hoc statuit, & secũ dicit, Non audeo eleuare oculos ad
cœlũ, sed terreor conspectu dei. Vtrumq; enim scio me peccatorẽ esse, & Deum pec-
cata odisse, Nunquid igitur orabo? Hîc verò incipit certamẽ difficillimum. Nam aut
animus in se propter peccati conscientiam confusus, statuit orationem differendam,
donec aliquam in se inueniat (vt sic dicam) dignitatem, aut circumspicit humana con-
silia, & Sophisticas consolationes, vt priùs cogitet de satisfactione, vt possit cum ali-
qua fiducia propriæ dignitatis accedere, & dicere: Miserere mei Deus. Hęc perpetua
nostræ naturæ est sententia, sed longè pernicioſissima est. Nam animi erigunturin
fiduciam proprię iustícię, & statuunt Deum posse placari nostris operibus. Hęc blas-
phema præsumptio est propriorum meritorũ, contra meritum Christi. Deinde quia
in peccatis nati sumus, sequitur nunquã nos oraturos esse, si non priùs sumus orantes
quàm sentiamus nos ab omnibus peccatis puros esse.

Ergo excutienda hęc blasphema cogitatio est, & in ipsis peccatis, seu vt significa-
tiùs dicam in ipso mari peccatorum, hoc medio vtẽdum est, quo hîc Dauid vtitur, ne
oratio differatur. Quorsum enim attinet, verbũ miserendi, si isti qui orãt, mũdi sunt,
& misericordia non opus habent? Sed vt dixi, acerrimũ hoc certamẽ est, posse animũ
in ipso peccatorũ sensu excitare, vt clamet ad Deũ miserere mei. Aliquoties meo exẽ-
plo didici, qui hæc doceo & alijs pręcipio, Omnium ferè operum difficillimum esse
orare. Quare non profiteor me artificem huius operis. Hoc autem confiteor, sæpe in
maximis periculis me admodum frigidè hęc verba pronũciasse, Miserere mei Deus,
quod mea offendebar indignitate, & tamen vicit tandem Spiritus Sanctus, qui fing-
gesit qualis, qualis es, certè orandum est. Deus enim non propter tuam dignitatem,
sed propter suam misericordiam orari vult, & exaudire.

Vt igitur hęc rectè intelligãtur Deũ odisse peccatores & amare iustos, distinctio
facienda est, inter peccatorem sentientem peccata, & peccatorẽ non sentientem pec-
cata sua. Orationẽ peccatoris non sentientis peccata sua, Deus nõ vult, Quia hoc ip-
sum quod orat nõ intelligit nec vult. Sic Monachus qui in superstitiõe sua viuit, sæpe
canit & murmurat, Miserere mei Deus, sed quia in fiducia propriæ iusticiæ viuit, &
immundiciem cordis non sentit, tantùm syllabas recitat, rem ipsam nec intelligit nec
optat. Ad hæc addit contraria orationi suæ, petit ignosci, petit misericordiam, &
interim

interim ipse iam hoc, iam alio modo quærit expiationem peccati & satisfactionem. Hoc verò an non est palàm Deo illudere? Perinde ac si quis mẽdicus clamosus importunis vocibus instat pro stipe, & cùm eam aliquis offerat, ipse suas opes, hoc est, mendicitatem suam iactet, & manifestè ostendat, se non indigere stipe.

Sic inimici Euangelij verba numerant, rem aũt non modò non intelligũt, sed rẽ ipsa contrarium faciunt, dum varios cultus suscipiunt, dum quęrunt remissionẽ peccatorum impijs missis, peregrinatiõibus, inuocationibus Sanctorum, &c. Tales peccatores, qui peccatores sunt, & tamen non sentiunt se esse peccatores, sed præfracta fronte perrumpunt, se iustificant, verbũ Dei persequuntur, &c. Tales inquã procul arcendi sunt ab omni misericordia, & iræ dicta eis proponẽda, quibus Deus non misericordiam, sed æternas minatur pœnas, sicut est sententia primi præcepti, Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem Patrũ in tertiam & quartam generationẽ. Proponenda etiam sunt exempla iræ, interitus Sodomorum, diluij super omnem carnem effusio, direptio populi sancti, & si qua alia horribilia spectra iudicij & irę Dei in scripturis extant, vt deducantur insensati, impœnitẽtes peccatores ad cognitionem sui, & seriò incipiant implorare misericordiam. Hi enim sunt, de quibus dicitur, Deus peccatores odit, Deus peccatores non audit, &c.

Alij peccatores sunt, qui sentiunt sua peccata & irã Dei, ac terrentur à facie Dei: Hi arripiunt cõtra se comminationes in verbo Dei propositas, & ex horribilibus iræ diuinę exemplis, ita deijciuntur animo, vt propter peccata easdem pœnas ipsi quoq; timeant. In his terroríb. cùm animus malleo legis & iudicij dei sic quasi cõtritus est, tum verò locus, tempus & occasio est huius diuinæ sapientiæ arripiendę, vt cor se erigat, & certò hoc statuat, Deum cùm irascitur peccatoribus, irasci ijs tãtùm, qui duri & insensati sunt, Qui autem sentiunt molem peccatorum suorum, de ijs dictum esse, Beneplacitum est Domino super timentes eum. Tum enim per legem satis effectum est, & debent cessare fulmina illa irati Dei, ac lucere illa misericordię lumina, in verbo dei proposita, Quod beneplacitum sit Domino super timentes eum, quod Deus contritum & humiliatum non despiciat, quod sint aures eius apertę, & oculi eius intenti in pauperem, vt eum de stercore erigat, vt foueat lichnum fumantem, vt quassa tam arundinem iterum conglutinet, &c. Hi enim sunt iste tenerrimus vermiculus, (sicut translatio Hieronymi habet. 2. Reg. 23. de Dauide, quanquam in Ebreo non est) & mollissimus flos, qui ad leuem aurulam comminationis diuinę commouetur ac trepidat, vbi illi alteri insensati peccatores in maximis procellis ceu montes ferrei, stant immoti ad omnem pœnitentiæ prædicationem. Quare hoc vnum in istis pauoribus conscientiarum agendum est, ne sic territi animi iudicent secundum naturam & sensum suum, quia abriperentur in desperationẽ. Sed sicut diuersorum morborum natura inter se diuersa remedia sunt, Ita hi territi verbis gratiæ erigendi sunt, sicut illi rigidi sunt concutiendi ferreo sceptro.

Papa cum suis doctoribus nihil sani potest in talibus periculis conscientiarum cõsulere, sicut meo exẽplo expertus sum. Orationes enim iudicãt secundum naturã, quæ dicit, sum peccator, Deus autem iustus est, ergo eadem me pœna manet, quæ alios peccatores. Hic natura resistit, nec potest in illis nebulis iræ diuinę, radios misericordiæ intueri. Sed hîc vera Theologia nostra venit, & docet, cùm animi sic sunt territi, tum vnam Theologię partem completam esse, quę lege & minis legis vtitur, vt peccator se incipiat cognoscere, & exuat securitatem, in qua omnes ante hanc iræ reuelationem, naturaliter viuimus, Neque hîc resistendum esse, sed debere nos progredi ad alteram Theologiæ partem cognoscendam, in qua tota Theologię cognitio impletur, quod Deus humilibus dat gratiam, pertinere minas illas & horribilia exempla ad induratos & securos peccatores, his Deum esse zelotem & ignem consumẽtem, sed illos contritos & pauidos esse populum gratię, cuius vulnera alligare

& ſanare velit Paſtor bonus, qui animam ſuam ponit prò ouibus. Ergò non debere tales obſequi cogitationibus cordis ſui, quæ propter peccata ſuadent non eſſe orandum, non eſſe ſperandam gratiam, ſed cum Dauide animo confidenti clamandum eſſe, Miſerere mei Deus, propterea quòd tales ſint Deo beneplacitum.

Hæc huius Pſal. Theologia eſt, ignota ſcholis Papiſtarum. Nam hîc Dauidē videbenè aperto ore in hæc verba erumpentem, Miſerere mei Deus, & ſic coniungentem res ſua natura diſsimillimas, Deum & ſe peccatorem, iuſtum & iniuſtum. Ingentem autem illum montem iræ diuinæ, qui ita diſiungit Deum & Dauidem, tranſcendit fiducia miſericordiæ, & ſe cum Deo coniungit. Hoc verò eſt quod addit Theologia noſtra ad legem. Nam appellare Deum & dicere, Miſerere, non magni laboris eſt, ſed addere particulam, mei, id verò eſt, quod omni ſtudio inculcatur in Euangelio, & tamen experimur, quàm ęgrè à nobis præſtari poſsit. Nam hoc, mei, ferè omnes orationes noſtras impedit, cùm contrà deberet, vnica & ſumma orandi cauſa & occaſio eſſe.

Ergo primò Exemplum diſcendum eſt, vt rectè intueamur pronomen Mei, & ſtatuamus id ſignificare peccatorem, ſicut poſtea manifeſtè exponit. Cùm dicit: In peccatis conceptus ſum. Fatetur enim ibi hunc, Mei, eſſe maximum peccatorem. Ergo nos quoq; hoc diſcamus, vt illę turbæ cogitationum, quę nos volunt compeſcere, nos magis excitent ad clamorem, ſicut de cæco legimus in Euangelio, qui increpatus magis clamabat. Experimur enim in nobis hanc cogitationum quaſi turbam, obiurgantem nos, Quare vis orare? Neſcis quid tu ſis, & quid ſit Deus? Hæc cogitationum turba valde moleſta eſt ſpiritui, & plurimos impedit, ſed contemnenda eſt, & ob eam ipſam cauſam eſt orandum, quæ videtur nos ab oratione retrocare, vt vi quadam per illam turbam ad Chriſtum perrumpamus & rogemus miſericordiam. Hoc qui faciunt, illi rectè orant, ſed profectò magna contentione Spiritus opus eſt. Nam propria experientia didici, his cogitationibus ſæpiſsimè orationem mihi excuſam eſſe, Dei tamen gratia ad eā cognitionem peruenì, vt Satanę, telis furis me oppugnanti, non cederem, ſed erepta vi Spiritus arma in ipſum hoſtem conuerterem & dicerem. Tu ideo ab oratione deterres, quia ſum peccator, ſed ego, ob hanc vnam cauſam mihi potiſsimum orandum eſſe video, quia ſum maximus peccator, & opus habeo miſericordia.

Idem faciendum eſt in ipſo æſtu tentationum, cùm animi, aut libidinis, aut vitæ dictæ cogitationibus tentantur. Ibi ſi quis ad orationem hortetur, ſtatim obijcit animus impuritatem, Quaſi in iſtis ſordibus cogitationum, orationi non poſsit eſſe locus. Hîc contrà vrge nullo modo expectandum finem tentationis, donec libidinis aut alterius vitij cogitationes animo penitùs effluant, ſed in eo ipſo momento, quo tentationem ſentis eſſe validiſsimam, & te ad orandum imparatiſsimum, ſecede in locum ſolum, & ora Dominicam precationem, aut quicquid tandem potes dicere, contra Satanam & tentationem eius, Tunc ſenties tentationem mitigari, & Satanam terga vertere.

Quod ſi quis orationem exiſtimat differendam, donec animus purus fiat ab impuris cogitationibus: Is nihil aliud facit, quàm vt Satanam alioqui plus ſatis potentem, adiuuet ſua ſapientia & virtute. Hęc verò gentilis religio & Sophiſtica eſt, imò Satanę doctrina, contra quam exemplum & doctrina huius Pſal. tenenda eſt, in qua videmus, Dauidem in ipſo totius ſiue impuritatis conſpectu & in ſingulari carnis peccato, non à Deo fugere, ſicut Petrus ſtultè dicebat in naui, Domine exi à me, quia peccator ſum, ſed cum fiducia miſericordię prorumpit in orationem & dicit, Domine ſi ſum peccator, ſicut ſum, Miſerere mei. Quia enim verè ſentiunt noſtra corda peccatum, ideo magis debemus per orationem ad Deum accedere. Antea erat fugiendum, antea erat metuendus Deus, cùm periculum eſſet ne laberemur in peccatum

in peccatum. Post lapsum debet sperari venia, & peti, non debet resisti in cogitationibus iræ & timoris. Nunc Satan hoc agit, vt iste ordo peruertatur, vt in peccatis paratis simus securi, & sine timore Dei, & vt postquam patrata sunt, maneamus in timore, sine spe & fiducia misericordiæ.

Sed Dauidem vt dixi, vide diserte confugientem ad misericordiam & dicentẽ, Miserere mei Deus, quasi dicat. Scio me esse malum & peccatorem, te autem esse iustum. Quòd igitur me erigo, & orare audeo, hoc totum facio, fiducia verbi & promissionum tuarum. Quia scio te non esse Deum Mahometistarum aut Monachorum &c. Sed Deum Patrum nostrorum, qui promisisti te redempturum peccatores, non quidem simpliciter peccatores, sed peccatores sensitiuos, qui norunt & sentiunt se esse peccatores, &c. Ergo nos quoq; audeamus dicere, Miserere mei Deus, sum peccator tentatus à carne, sanguine, ira, odio, sed spes est in misericordia & bonitate tua, quàm promisisti sitientibus iusticiam, &c.

Non possunt hæc satis aptè dici, sed necesse est accedere experiẽtiam propriam, ea docet, quàm magnus labor sit, superare istum quasi montem propriæ indignitatis & peccatorum, qui inter nos oraturos & Deum est. Etsi autem hîc maximè sentitur infirmitas fidei, tamen etiã hæc consolatio nobis tenenda est, quòd non soli dicimus, Miserere mei Deus, sed idem nobiscum dicit & orat Spiritus in corde nostro, gemitibus inenarrabilibus. Hos gemitus sicut nos neq; videmus, neq; plenè intelligimus, ita clarè videt, & plenissimè intelligit Deus, qui etiam Spiritus est. Fiducia igitur huius interpellatoris, etiam in media contentione certaminis seu tentationum, debemus Satanę resistere & dicere, si sum peccator, quid tum? Deus est misericors. Si sum propter peccata ad orandum ineptus, benè est, nolo fieri aptior. Nam proh dolor plus satis ad orandum aptus sum, quia nimiùm sum peccator.

Hæc huius loci doctrina est, quòd audendum est sensitiuis peccatoribus (vt sic appellem docendi causa) & quòd Deus iustus & homo peccator sunt cõciliandi, ne sic in peccatis Deum metuamus, quia cum Dauidè canamus miserere. Ne autem pro nomen mei, aut nomen Deus nos impediat, quin in medio horum ponamus verbũ misererę, per quod Deus & homo peccator conciliantur. Hoc nisi fiat, non solùm hunc Psalmum nunquam rectè canere, sed ne orationem Dominicam vnquam rectè orare poterimus. Quia hoc minus in hac vita futurum est, vt simul ab omnibus peccatis simus puri. Nam etsi, actualia, vt vocãt, desint, quod perrarũ est, tamen non deerit originale peccatum. Quia autem semper sumus in peccatis, ergo semper quoq; orandum est, sicut reuera Christianorum corda omni momento orant, cùm vident omni momento suam indignitatem, & cupiunt eam condonari. Hęc perpetua Christiani cordis suspiria, cogitationibus, nonnunquam etiam negocijs perturbantur & teguntur, ne ea semper videamus. Verè igitur Theologica virtus est, hoc modo oratione obruere peccatum, & cùm sentimus nostram infirmitatem, confugere ad canticum hoc, Miserere mei Deus.

SOLITVDO APTA PRECANTIBVS.

Genes. cap. 32. Tom. 3. fol. 163. Iacob deligit solitarium locum. Propterea quòd solitudo maximè opportuna est precantibus, etiam interdiu. Quando enim est seria & ardens inuocatio, non libenter patimur verba illa, quæ coram Deo effundimus ineptiùs, exaudiri.

DE CONDITIONIBVS ET VIRTVTIBVS VERAE ORATIONIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 524. Psalm. 90. *Prima veræ & seriæ orationis virtus est, quod apprehendit spem salutis, & statuit Deum esse propitium.* Ideoq; confidit, in eo esse præsidium contra mortem. Cur enim, nisi hoc ita esset, appellaret eum habitaculum nostrum Moses, &c.

Sunt igitur hæc verba maximæ fiduciæ & perfectissimę spei de vita consequenda, si quidem in ipso sensu iræ & peccati, dicere audet, ô Domine quanquam meritò irasceris nobis propter peccata nostra, tamen nunquam ita deseruisti genus humanum, quin semper tibi reseruaueris Ecclesiam, quin eorum fueris habitaculum & portus, qui spem salutis in te habuerunt positam. Hæc prima orationis est virtus, apprehendere Deum quòd sit misericors, & faueat & iuuare velit.

Quis iam neget Spiritum Sanctum in suis esse optimum oratorem? Siquidem Moses in difficillima causa, qua se & totum mũdum coram Deo reum agit, tam apte beneuolentiam captat, & iudicem causæ conciliat, per fidem in misericordiam Dei, quam omnibus seculis Ecclesiæ exhibuit. Sine hac fide oratio non potest esse oratio. Quomodo enim orabit ille, qui non putat in Deo tantùm bonitatis esse, vt orantes audiat, sed vel contemnit Deum, vel de Deo desperat? Cuius generis sunt omnes orationes Papatus. Non solùm enim in fide orare non possunt, siquidem fidem non intelligunt, sed etiam postea in eo viciant orationem, quòd Sanctorum meritis & intercessionibus nituntur. Quare nos hunc Doctorem sequamur, qui in Spiritu Sancto, hoc est, in vera fide cordis orat & dicit, Tu es habitaculum nostrum, Hoc sine fide, sine dono Spiritus Sancti, nemo ex corde potest dicere.

Necessaria autem doctrina est, quæ in exemplo hoc proponitur, quòd videmus in oratione necessariam esse fidem. Hæc si adest, triumphamus. Nam propter fidem in Christum oratio accepta est, & placet & impetrat omnia. Si credis Deum esse habitaculum tuum, est tibi verè habitaculum, si non credis, non est. Quare qui sine fide sunt, non solùm sine omni fructu orant, sed etiam vertitur eorum oratio in peccatum, & magis irritant Deum. Blasphemia enim est, venire per orationem in conspectum Dei, & tamen statuere quòd frustra ores, quòd non sit te auditurus Deus.

Secunda uirtus veræ orationis est, quòd se vertit ad Deum, non ad alia præsidia carnalia. Atq; hoc est fidei opus est, quæ non solùm nos conciliat Deo, sed simul etiam tuetur contra omnes impias doctrinas & præsidia humana. Nam hæ duæ sunt virtutes, Habere Deum & Retinere Deum. Qui fidem habet, habet Deum fauentem, Ideo placent & oratio eius & omnia reliqua vocationis opera. Sed magna diligentia & cura, imò magno Dei beneficio opus est, vt Deum sic retineamus, & non supplantemur à Satana, vrgente solicitante nos, si quo modo à vero Deo ad fiduciam humanorum præsidiorum nos possit abducere. Ideo Moses diserte hîc dicit, Tu Domine es refugium nostrum.

Oratio debet fieri in nomine solius Christi, aut frustra oratur. Tom. 4. Ienens. fol. 441. Psal. 4. Grad: Apud nos nulla est oratio extra Christum, sed quicquid oramus, oramus in nomine & fiducia Domini nostri Iesu Christi, qui ita est habitator cœli, vt tamen secundum verbum & Spiritum sit nobiscum in terra, & regnet in manu, lingua, & omnibus membris nostris. Omnia enim Sanctorum opera, sunt opera Christi in eis regnantis. Neque enim separandum est cœlum à terra, sicut Dauid nõ separat cœlum & Zion seu Ierusalem. In Christo enim cœlum & terra coniuncta & idem sunt, in Christo omnia impleta sunt, & possidentur omnia. Itaq; qui Christum habet & credit, habet cœlum & terram, & quicquid in eis est, sicut tempore veteris Testamenti Deus omnia collegerat ad locum tabernaculi.

Fanatici spiritus semper fingunt sibi proprias religiones, sicut Iudæi quærebant valles, lucos, amœna flumina, &c. Hi etiam volebant videri, quòd leuarent oculos ad Deum habitantem in cœlis, sed fallebantur. Quomodo inquis, An non cœli id est, quod supra caput est? Recte. An non ea sedes est Dei? An non Deus ibi inuenitur? Non, Quia Deus sic est habitator cœli, vt verbo suo dixerit se in loco tabernaculi habitaturum esse. Ibi quære cum Saul, Ahab, Baesa, Ierobeam, ibi secũdum verbum suum eum inuenies. Alibi nusquam, neque in cœlo, nec in terra eum inuenies. Turcæ etiam orant ad Deum, cœli & terræ creatorem, sed nõ inueniunt, qui in Christo Deum

sto Deum non credunt nec quærunt. Sic Papa orat ad Deum Augustini, Francisci, Petri, Pauli, &c. Sed talis Deus nusquam est. In Christo enim placuit habitare omnem plenitudinem. In eo qui orat, inuenit Dei aures apertas, qui extra Christū orat, huic Deus aures non præbet. Hinc facilè est iudicare de Papistarum orationib. quæ omnes ferè in genere nituntur, non solius Christi nomine, sed meritis & intercessionibus Sanctorum. Impossibilè igitur est, vt vel hunc vel alium Psalmum possint recitè orare. Amisso enim aut posthabito Christo, amissus est Deus cum omni creatura, cum scriptura & omnibus alijs quæ sunt. Ergò hoc Epitheton est Dei, nō gloriosi in Maiestate, sicut iudicant Papistæ, sed reuelati, nō (vt sic loquar) Dei speculati, aut per nos reperibilis, sed manifestati per suum verbum, in quo se reuelat talem habitatorem cœli, qui habitare velit ad arcam in tabernaculo. Est quidem reuera cœli habitator, sed non mihi, cui per verbum suum dicit aliud, nempè quòd tum in templo, nunc in homine Christo inueniri & esse velit. Hanc regulam orandi & colendi Deum, nesciunt idolatræ Iudæi, Turcæ, Papistæ, & omnes voluntariarum religionū autores, qui putant se Deum velle inuenire & colere, secūdum quod ipsis cor dictat. Tales cultores Deus non nouit, nec accipit, sicut ipsi Deum non nouerunt. Neque enim Deus nudus à nobis apprehendi potest, circumstantiæ autem, tempus, locus, persona, non sunt sumendæ ex nostra ratione, sed simpliciter ex verbo Dei. Qui ad hunc modum habet Deum descriptum circumstantijs in verbo suo propositis, is poterit sine periculo eum potest appellare secundum Maiestatem suam, Habitatorem cœli, Deum habitantem lucem inaccessibilem, creatorem cœli, &c. Sicut aliquando Prophetæ & Apostoli solent.

Oratio non potest fieri sine verbo. Genes. cap. 13. Tom. 2. fol. 29. Impossibilè est orare, nisi priùs docueris populum de Deo: Imò tu priuatim nūquam orabis fœliciter, nisi ipse tibi prædicaueris vel Symbolum, vel alium scripturæ locum, qui te admoneat bonitatis diuinæ, vt qui nō tātùm iusserit te orare, sed etiam addiderit promissionē de exaudiēdo. Hac priuata cōcione, quam ipse tibi subijcis, excitatur animus ad orationē. Fit aūt idem publicè in nostris Ecclesijs, non habemus mutos cultus, semper sonat Euangelij vox, qua docentur homines de voluntate Dei. Concionibus autem addimus orationes aut gratiarumactiones. Sic Paulus 1. Corinth. 14. Vult primò doceri Ecclesias & admoneri, postea rectè benedicitur vel oratur: Et Zacharias promittit effusurum Dīm S. gratiæ & precum. Spiritus gratiæ est, qui docet de voluntate Dei, & commendando misericordiam Dei, erigit ad fidem. Hunc sequitur Spiritus precum: Qui enim norunt Deum reconciliatum & fauentem, hi in periculis eum inuocant, cum certa spe liberationis. Ita perpetuò prædicatio & oratio sunt coniuncta.

Orationis fundamentum promissio. Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 13. Omnis oratio nititur præcepto & promissione Dei: Quia extat verbum Dei in secundo præcepto, quod docet orare: Non assumes nomen Dñi Dei in vanum. Item: Inuoca me in die tribulationis. Posita aūt oratione, scias tibi de exauditione non esse dubitandum, quam de promissione dubitare nō potes, nec debes. Quia oratiōis fundamentū est promissio: Non voluntas nostra, non dignitas, non merita nostra. Huius doctrinæ insigne exēplum est Rebeccæ oratio, quæ post tot impedimenta, tandem mirabiliter exauditur. Postquam enim grauida facta est initiò nihil dubitat se exauditam, & adiutā esse diuinitus. Sed statim fiducia illa turbatur nouo & inexpectato periculo: collidunitur enim fœtus in vtero, ita vt denuò in desperationem redigatur. Cùm verò in summa trepidatione est, erigit eam rursus Deus verbo, & significat ipsam verè exaudiam esse, vt testetur se amare orantes in fide, & expectantes in oratione, hoc est, in difficultate orationis.

Talia exempla Papistæ non norunt nec intelligūt. Eorū enim oratio nihil aliud est, quàm irrisio Dei. Sed seria & ardens oratio, quæ non desinit, non defatigatur,

sed ex-

ſed expectat vſq; ad vltimum punctum, hæc tandem perrumpit cœlum & terram, & eſt impoſsibilè vt non exaudiatur. Tunc enim eſt ſacrificium Deo gratiſsimum, quando ſic oramus, vt oratio excedat noſtrum captum & intellectum. Sicut ad Ephes.3. dicitur: Qui potens eſt omnia cumulatè facere, ſuprà quàm petimus aut intelligimus. Quando deſperata res eſt, omnia conſilia & ſtudia irrita, ibi tum eſto fortis, caue deficias. Quia Deus ex mortuis, & ex nihilo vocat omnia. Quando nihil rei aut ſpei eſt reliquum, ibi demum incipit auxilium diuinum. Atq; hę perfectę orationes ſunt. Interim tamen non ſunt contemnendæ, orationes infirmæ & hominũ infirmorum. Sed illæ proponuntur nobis in ſummo gradu, & perfecto exemplo, vt imitari conemur. Primùm enim, vt pueri Alphabetum & Donatum diſcunt: ſic nos balbutimus in imperfecta oratione, quæ neutiquam contemni debet. Vt enim qui Alphabetum & Donatum non diſcit, nunquam Virgilium, aut latinè loqui diſcet: Ita qui non orat infirmiter, nunquam ad perfectam orationem pertinget.

Geneſ.cap.32. Tom.3.fol.159.160. In hunc modum Iacob inſtituit orationem. Deus Patris mei Abraham, &c. In Hebræo eſt Dij. Eſt ardens oratio, pro illa ſcintilla fidei laborantis. Eſt clamor Moſe ad mare rubrum. Primùm autem apprehendit fides Iacob Deum Abraham & Iſaac, & poſtea etiam ſuum Dominum appellat. Ita admonet Deum promiſsionum factarum ad Abraham & ad Iſaac, præcipuè verò ad ſeipſum, quæ valdè augent & inflammant orationem, & excitant ac fouent fidem laborantem & linum fumigans. **Du haſts Abraham geredt.** Tu dixiſti Abrahæ & Iſaac, & mihi, non mentieris nobis. Et tamen adhuc luctatur. Tanta robora & tam robuſtas columnas habere conſolationum & promiſsionum, quibus nitaris & tamen trepidare, profectò mirabilis res eſt.

Ait autem: Tu dixiſti ad me (reuertere in terram tuam) Tu perduxiſti me in hanc tribulationem, tentationem & periculum vitæ. Hæc verò ingens conſolatio eſt, quando quis poteſt dicere: Domine Deus, non mea temeritate incidi in hanc calamitatem, nec vllius vel ſapientis vel ſtulti conſilio, ſed tu dixiſti, tu iuſsiſti. Rectè igitur feci deſerendo Laban, & iam tua res agitur, tua promiſsio & veritas laborat, tua fides liberanda eſt, non mea.

Hęc eſt illa infirma fides, & ſingultus ille de quo dictum eſt: Hic irritat cœlum & terram, & eſt gratiſsima oratio: Tu dixiſti, Ego ſum in tua obedientia. Redeundũ eſt in patriam meam autoritate & iuſſu tuo ô Dñe. Sed vide quantum impedimentorũ obijciatur. Redactus ſum in has anguſtias & difficultates, vnde meis viribus & conſilijs non poſſum eluctari. Ergo opus eſt mihi tuo auxilio. Alij fortaſsis non orauerunt, ſed illud obiecerunt. Si manſiſſemus apud Laban, potuiſſemus in tuto eſſe. Sed Iacob non curat iſta. Eſt valdè fortis oratio. Sed quid dixit ampliùs. Et benefaciam tibi, **das iſt dein wort.** Hoc eſt, verbũ tuum, quod nõ velis perdere, nocere, ſed benefacere in mea patria, in quã iuſsiſti me redire. Atq; inde apparet eum nõ à Diabolo tantùm tentatũ & vexatum fuiſſe, propter nunciũ de fratre aduentante: ſed etiã ab vxorib. filijs & tota familia, **Ach lieber Vater wo nu hinaus?** Mi pater, mi marite, mi Dñe, clamarunt, quid feciſti, cur in tantum diſcrimen nos adduxiſti? Illæ querelę expreſſerunt ei tam violenta verba: Domine Deus audi quæſo, quomodo trepidant hi, & meum quoq; animum excruciant, quãquam ſcio te promiſiſſe mihi auxiliũ & ſalutẽ.

Ita emicat & emittit vocem fides, licet ſit infirma. Sic enim haud dubiè eos cõpellauit. Quid trepidatis adeò, nũ deſperabitis? propterea non abijcienda eſt ſpes liberationis. Ego non deſpondebo animum, etiamſi vos deſperaueritis. Ad hunc modum & ſeipſum erexit, & lachrymas ac fremitus ſuorum repreſsit. Non iuſsit me Deus reuerti vt noceret, **Es muß noch gut werden.** Deus aderit nobis, tantum vtamur remedijs quæ adſunt, & clamemus.

Eiuſmodi verô preces Deo ſunt gratiſsimæ, quę fundũtur in extrema deſperatiõe maximis

maximis periculis. Isti sunt gemitus inenarrabiles & violentissimi, quibus excitat se pij contra desperationem. **Nun muß es dennoch nicht so sein.** Non tamen peribimus: Non moriar, sed viuam, &c. Habeo promissionem, Dominus dixit se velle mihi benefacere, nolite lachrymari, lugere, trepidare: Deus iussit nos exire de Mesopotamia, & reuerti in patriam meam.

Hæc est lucta piorum, qua violenter excitant fidem, memoria ac fiducia promissionis & mandati diuina. **Ich muß vnd sol predigen/ der Teuffel aber weret/ Wolan so muß geprediget sein/ vnd solt die Welt zerreissen.** Hi sunt violenti illi, qui rapiunt regnum cœlorum. Carnales homines talia oscitanter legunt, neque quicquam intelligunt: Quia sunt rudes & imperiti talium tentationum. Nesciunt quomodo adfectus sit is, qui laborat in extrema necessitate, **Da blest der Teuffel zu/ es ist verlorn.** Satan suggerit adflicto. Quid clamas? Actum est de te, res deplorata est, sed Spiritus contra, **Ey es ist nit verloren/ harr dargegen.** Nequaquam actum est: Scio aliud Deum de me statuisse & promisisse. Illa est ingens vehementia & potentia spiritus in infirmitate. Et est Deo gratissimum sacrificium secundum Psal. 51. Quia est sacrificium mortificationis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies: **ja freilich/** non despicies: Quia est acceptissimum sacrificium in odorem suauitatis, qui replet cœlum & terram.

Vt in Canticis dicitur. Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi. Tenuis sane virgula est, **Aber es reucht hinauff in Himel/ vnd macht vnserm Herrn Gott die nase so voll/ daß er sagt/ höre auff ich kan nimmer hören.** Est tenuis & exilis gemitus, sed & odore & clamore ad cœlum in conspectum Dei pertingit, quo excitatur Deus ad ferendum auxilium.

Discamus igitur esse forti & infracto animo, quantumcunq; malorũ & periculorum nobis obijcitur, quantumuis desperatio animis obuersatur, & seruemus illud, quod ab Ethnico Poeta dictum est: Tu ne cede malis, sed cõtra audentior ito. Nam qui non cedit, nec remittit manus, ille saluus est, & egregius sacerdos, qui præstantissimum & optimum sacrificium sacrificauit. Iacob nunquam fuit sanctior sacerdos, quàm hoc loco, tametsi multis tentationibus antè mortificatus est. Ideò Moses tam copiosus & prolixus est in hac descriptione. Et postea pugnam cum angelo commemorabit, & fient maiora, quàm petere aut expectare ausus fuerat Iacob. Ad hunc modum vult Deus nos exerceri, & excitari fidem nostram, vt de die in diem crescamus, & firmiores fiamus.

Hactenus igitur promissiones, quæ requiruntur ad orationem, vt in nouo Testamento docetur & mandatum. Neque enim ita orandum est, vt Monachi inane murmur & βατταλογίαν precum suarum sonabant: nulla ratione habita promissionum aut mandati, nec de necessitate vrgente cogitantes. Illud non est orare. Sicut ante hæc tempora ipse orabam, cùm Monachus essem, inuocabam quidem in tentatione, sed promissiones & mandatum nesciebam. Verba tantùm murmurabamus. At vera oratio proficisci debet ex animo fideli, & proponente sibi & necessitatem, & mandatum Dei, quo incenditur animus ad petendum in fide. Vbi singula verba ponderantur: Non vt Monachi aut Nonnæ solent animo peregrinante, nec intelligente preces suas, murmurare.

Neq; verborum quidem numerum, aut multitudinem curat vera oratio, sed multiplicat & auget suspiria, quibus nulla verba respõdent, nisi admodum exiliter, vt in hac oratione apparet. Non enim hisce tantùm verbis precatus est quæ recitat Moses, sed tota nocte & tota die suspirauit. Fuit prolixa oratio, quo ad gemitum, tametsi verba sint paucissima.

Deinde requiritur etiam ad orandum GRATITVDO, & memoria beneficiorum præteritorum. Ea exempla si colligantur, mirabiliter excitant fidem,

& Deo

& Deo est gratissimum. Ait ergo: Minor sum omnibus miserationibus tuis, & omni veritate, quam exhibuisti seruo tuo, hoc est, maximam misericordiam & veritatem mihi præstitisti. Hæc est gratitudo, siue sacrificium ἀντχαριστικὸν, sicut priùs fuit sacrificium mortificationis, quo gemitu occiditur, & desperat de viribus suis & omnium creaturarum. Inter reliqua autem beneficia numerat, Quoniam in baculo transiui Iordanem istum. Diuisi totum populum in duas turmas, adeò creui apud Laban, cum initiò nihil præter baculum habuerim, quando egrediebar de domo patris na, id est, eram solus. Habebam quidem viaticum & pauxillum pecuniæ (neq; enim ita egenus erat, quin esset instructus à parentibus viatico) sed solus fui sine comite. Est phrasis Hebræa, qua vtitur Moses, Exod. 21. Si cum corpore suo fuerit ingressus seruus, cum corpore suo exeat, id est, solus. Significat tantùm solitudinem, non inopiam pecuniæ.

Agnosco igitur, inquit, non esse hoc opus meum, cùm solus transierim in baculo meo Iordanem, quod tantam substantiam acquisiui, sed misericordiam & veritatem tuam. Quatuordecim annis apud Laban gratis seruiui, pauper & inops, vix panem habebam quo vescebar. Et tu Deus sex annis ita me locupletasti, vt creuerim hoc breui tempore in duas turmas. Hæc est manifesta & palpabilis benedictio ô Deus. Magnum enim est pastorem ita crescere, ex lacte, lana, caseis, butyro, sine auaricia. Et habebat Iacob quatuor vxores, vndecim liberos, magnum numerum seruorum.

Hoc ergo sacrificium gratitudinis amplificauit pulcherrimis verbis, quod alioqui paucis hic describitur: Sicut superius etiã breuiter absoluit. Quia continuata fuit oratio dies & noctes: tantùm semel recitatur hoc loco, sed Iacob non semel orauit.

Cæterum phrasis hæc nota est, misericordia & veritas. Semper enim in scriptura sancta coniunguntur. Sicut Micheæ 7. & alibi in Psalmis. Misericordia ipsum beneficium, vel beneficentiam significat, vt in Matthæo loquitur Christus ex Hosea. Misericordiam volo non sacrificium. Hasid significat vtrumq;, qui diligit proximum & benefacit ei, & cui benefit, qui à Deo donatur multis misericordijs & beneficijs. Ita ergo dicit Iacob: Misericordiæ tuæ & beneficiorum tuorum erga me non est numerus. Iam verò hoc accedit, quòd pauperem me sex annis locupletasti, vt creuerim in duas turmas.

Veritas est promissio, sicut Roman. 15. loquitur Paulus. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Gentes autem super misericordia honorare Deum. Iudæis fuit promissus Christus. Ideo seruata eis est veritas. Gentibus non fuit promissus, sed ex misericordia donatus. Nullus Patrum nostrorum habuit promissionem, Deus quidem promisit se velle esse Deum omnibus hominibus, quæ noticia indita est animis hominum, sicut testatur Paulus, Rom. 1. Et testantur omnium gentium opera & cultus, quòd Deum esse nihil aliud sit, quàm benefacere hominibus. Ideò enim inuocant alius Iouem, alius Martem, &c. non alia opinione, nisi quòd velint iuuari. Ita naturaliter omnes homines intelligunt, & statuunt Deum esse numen aliquod beneficum, à quo petenda & speranda sint omnia bona. Deus est promissor & est veracissimus, hoc est, promittit omnibus hominibus in lege naturæ, quæ dicit: Inuoca, aut cole Deum.

Etsi igitur errant in persona Dei propter Idolatriam, tamen studia ibi sunt quæ debentur verò Deo, id est, inuocatio & expectatio bonorum & auxilij. Huic cautem populo sunt exhibitæ promissiones de Deo, expressa est veritas, & definitio siue cognitio Dei sine Idolatria & errore. Id verò ingens & inæstimabile beneficiũ Dei est. Ideò prædicat Iacob misericordiam & veritatem Dei. Tu promisisti & præstitisti etiam hanc veritatem, præsertim istis sex annis. Promisisti item, quòd velis benefacere redeunti

cere redeunti in Patriam, propter has misericordias & ueritates, quas exhibuisti & exhibiturus es, te rogo ut me liberes.

Porro Gratitudo illa nē pertinet, quod sine meritis suis exaudiatur. Non enim sic orandum est. Respice me Deus, quia sum Sanctus Monachus, sum uirgo casta, sum Episcopus excellens. Sicut Pharisæus in Euangelio. Ieiuno bis in Sabbatho, do eleemosynam. Illud monstrum procul remouendum & expurgandum est ab oratione, alioqui corrumpitur oratio, & utrumq; sacrificium mortificationis & gratitudinis, fœdatur isto stercore.

Nequaquam igitur sic docendum est, sed sequamur exemplum Iacob, qui inquit, minor sum omnibus miserationibus tuis. Non sum dignus, ne una quidem misericordia aut ueritate, quam unquam præstitisti, aut etiamnum præstas, & deniceps prestabis, sine meo merito. Impossibile enim est ut ego aliquid merear. Non igitur nitor mea dignitate, sed tuis promissionibus & miserationibus. Hoc est uerax cor & uera oratio. Quia reuera hoc iudicium Dei de nobis est, quod alibi expressit Paulus. Quid habes, quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris? Ideo sic orandum est: Domine Deus, quæ hactenus præstitisti, sunt tua promissio & misericordia, nihil in me est dignitatis. Sicut igitur hactenus fecisti, & mihi licet indigno dedisti omnia, sic deinceps me indignum exaudi & iuua. Aliquis arguet te Deus, quid superbis cinis & puluis? Terra es & in terram reuerteris. Nonne ex stercore creauit te? Quis conseruauit uitam tuam? Omnia quæ habes simpliciter mea sunt.

Hæ igitur tres conditiones sunt bonæ orationis, quæ faciunt eam gratissimam, & odorem suauissimum coram Deo, quæ non potest non exaudiri. Primùm ut apprehendas promissionem. Deinde mortificeris in angustia tua. Tertiò agas gratias, agnoscas te non esse dignum una miseratione, sed per solam misericordiam petere & sperare auxilium. Laudandæ quidem sunt, & à Deo mandatæ hæ uirtutes, castitas, sobrietas, liberalitas in iuuandis Pauperibus. Sed non est confidendum ijs. Fiducia nostra non debet niti lege & eius operibus: Quanquam debent adesse, sed misericordia & ueritate Dei. Tunc oratio & gemitus est aureum sacrificium.

Conscientiæ puritas requiritur in inuocatione. Genes. cap. 37. Tom. 4. fol. 24. Vehementer miror quid animi fratribus Ioseph totis 22 annis fuerit. Tot enim intersunt anni, inter uenditionem Ioseph, & descensum in Aegyptum. Fuit profectò maximum scandalum, & mihi planè persuasum est, eos toto illo tempore nihil boni facere, uel minimum gemitum inuocationis & Precum, ad patrem in cœlis edere potuisse. Hoc certissimum est, quia sanguis Ioseph, mors patris, & luctus familiæ totius hæret infixus cordibus eorum. Tanta autem mole oppressa conscientia, haud quaquam inuocare potest. Ego sanè si uel minimæ offensæ aut liuoris mihi conscius essem, non possem orare. Oportet igitur cor ab omni maleuolentia, odio & inuidia erga proximum liberum esse, quod nemini malè uelit, sed omnibus optimè cupiat & ignoscat. Nam siquando officij ratio postulat, ut uitia hominum reprehendamus, quos castigando ad pœnitentiam perducere conamur, nequaquam charitatis officium cessare ibi existimandum est. Non enim odio aut cupiditate nocendi, sed emendandi & corrigendi studio tales obiurgationes fiunt.

Itaq; in inuocatione oportet animum ab omni odio esse alienissimum, tametsi uitia & peccata hominum odisse & detestari debeamus. Sic pro impijs Episcopis rectè oramus. Neq; enim ita adfecti esse debemus, ut imprecemur eis mala aut exitium: Hoc fine autem reprehendo & arguo impietatem & flagitia eorum, ut emendentur.

Valde itaq; miror quid fecerint fratres his uiginti duobus annis quibus uiderunt patrem in sacco & cinere sedentem, lachrymantem & eiulantem ob inte-

ritum filij. Ego sanè non potuissem tanti & tam miserabilis luctus spectator esse, nec me continere, quin dicerem: Ah nos infœlices quid fecimus, &c. Atquitiã audiunt quotidie patrem docentem, habentur pro membris Ecclesiæ & domus Iacob & tamen nullus eorum potest Deum inuocare, nihil boni facere, aut si quid benè operantur, impium tamen est & abiectum, quia hærent impliciti peccato mortali, & homicidio paterno, fraterno, auito. Hypocrisis kan solch schendlich ding angeben vnd treiben. Hypocrisis tam abominanda committere, & in tanus malis durare potest.

DOCTRINA DE GRADIBVS PRAECATIONIS.

Genes. cap. 25. fol. 7. Tom. 3. Hebræum uerbum (Athar) magnam Emphasin habet, quia est singulare uerbum orandi, significat importunè & improbè orare. Ita ut pulsando & odiosè instando Deo molestiam exhibeamus. Nos exorare docemur. Primùm enim petendum est. Secundò quærendum. Tertiò pulsandum. Si clamauerimus, Domine Deus adiuua me in hac calamitate, libera nos ab hoc uel alio malo, nec sequitur statim liberatio, tum quærenda sunt omnia exempla Patrum: Vide ò Pater cœlestis, ut præstò fueris populo tuo omnibus temporibus. Si adhuc cessat, tu tamen ne cesses orare, sed dicas non discedam, nec desinam pulsare, sed clamabo & pulsabo usq; ad finem uitæ meæ. Sic Rebecca maritum hortata est. Mi Isaac ne defatigeris, ne cesses. Et Isaac ipsius lachrymas & gemitus uidit, & exorauit Dominum.

Hinc igitur discendum est, quando oramus, certissimum esse quod exaudiamur, ut certè hactenus Ecclesia oratione pacem impetrauit, & Turcam cum Pontifice repressit. Tantùm illud caueamus, ne postquam semel inceperimus precari, statim defatigemur, sed quæramus & proijciamus omnem curam, calamitatem & crucem in Deum, & exempla liberationum omnis generis proponamus. Deinde cum fiducia & continuis ictibus pulsemus fores. Ibi tum experiemur id, quod Iacobus dicit: Multum ualet deprecatio iusti, penetrat enim cœlum & terram. Nec potest amplius ferre clamores nostros, ut Lucæ 18. de iudice iniquo & uiduae dicitur. Verùm non una tantùm hora petendum est, sed clamandum & pulsandum, ibi coges eum ut ueniat. Sic ego planè confido, si seriò & ardenter in oratione perstabimus, exoraturos nos Deum, ut ueniat extremus dies.

Ad eundem modum confugit Rebecca ad intentam & perseuerantem orationem, & anxiè noctes & dies suspirauit. Isaac quoq; pro ea deprecatus est, & Deo nihil aliud proposuit, quàm unicam illam necessitatem, uidelicet sterilitatem coniugis. Vnde discamus Deo omnes necessitates etiam corporales proponendas esse, ante omnia autem spirituales. Isaac ita orauit: Si est nominis tui sanctificatio si ad conseruationem regni tui pertinet, da Rebeccæ prolem. Vbi deest promissio sicut Rebeccæ deerat, suppleat id & succurrat oratio. Sed est res ardua & magni laboris, & longè difficilior, quàm prædicatio uerbi, aut alia officia Ecclesiastica. Quando docemus, patimur magis quàm agimus. Deus loquitur per nos, est opus diuinum, sed orare est difficillimum opus, ideo etiam rarissimum.

Magnum igitur est, quod audet Isaac oculos & manus attollere ad diuinam Maiestatem, quod petit, querit, pulsat: Maxima enim res est cum Deo loqui. Et illud magnum, quando ipse nobiscum loquitur, sed hoc difficilius est. Accedit enim infirmitas, & indignitas quæ retrahit nos ut cogitemus: Quis ego sum, qui audeam attollere oculos, leuare manus ad diuinam Maiestatem? Vbi Angeli sunt & ad cuius nutum tremit totus mundus, ad eum ne ego homuncio miser dicam. Hoc uolo & peto ut mihi des? Monachorum & sacrificorum uulgus hoc ignorat, nec sciunt quid sit orare. Quanquam piorum aliqui facilius has cogitationes uincunt. Sed preces uerè potentes, ut ualidæ quæ nubes penetrare debent, præ-

sectō difficiles sunt. Ego enim qui cinis, puluis & plenus peccatis sum alloquor uiuum, æternum, & uerum Deum. Non igitur mirum est, trepidare & refugere precantem. Sicut ego olim cùm adhuc essem Monachus, & primùm in Canone Missæ legerem hæc uerba. Te igitur clementissime Pater. Item, Offerimus tibi uiuo, uerò & æterno, totus stupebam & cohorrescebam ad illas uoces. Cogitabam enim, quo ore alloquor ego tantam Maiestatem, cùm ad conspectum aut colloquium alicuius Principis aut Regis, expauescere omnes oporteat.

Fides autem quæ nititur misericordia & uerbo Dei, uincit & exuperat tribulationem istam, sicut in Isaac uicit, qui de omni humano auxilio desperauit. Nemo enim potest sterilem uxorem iuuare, sumit igitur animum, & instituit orationem ad Deum, ardentem & ualidam. Illam excellentem audaciam & magnitudinem Fidei non uidet Caro. Propter nos uerò ista scribuntur, ut simus audaces & confidentes, & discamus orare. Non enim possunt esse irritæ preces fidelium. Sicut nec Isaac frustra orat. Sed ut Moses inquit, & exoratus est Dominus: Ita nec nostros gemitus & clamores negliget Dominus, tantùm ad orandum excitemur.

ORATIO DEBET ESSE VOCALIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 787. Ioel. cap. 1. Quidam in eo errore sunt, ut satis esse putent si de calamitatibus suis cogitent. Orationem autem seu recitationem certorum uerborum putant ociosam & superuacaneam, siquidem cor inspicit Deus, & intelligit cogitationes nostras. Sed hæc sententia si uera est, cur ipse Christus docuit orationem Dominicam? Cur ipse in agone suo ter ijsdem uerbis orationem repetit? Cur in ultima cœna tam uerbosam orationem pro se & Ecclesia instituit? Statuamus igitur inuocationem illam mandatam, quæ ore fit, nec carere certo suo fructu, cùm mandata, & ab ipso Filio Dei usurpata sit.

Contrà alij, quia multiloquium prohibitum est, peccatum esse putant, si pluribus uerbis in oratione utantur, sed hi non intelligunt causam cur battologiam damnet Christus. Verè enim si rem æstimes, non prolixitatem orationis, sed infidelitatem damnat. Qui enim ideo utuntur longiore oratione, quasi Deus aut causam non intelligat, tanquam imperitus Iudex, aut non sua sponte exaudire uelit, nisi longa oratione quasi impellatur & excitetur, hi peccant. Statuere enim utrumq; animi debent, Primùm, quod (ut Christus dicit) Pater noster in cœlis norit quibus habeamus opus. Deinde quod sponte & uolens exaudire uelit, sicut dicit Christus Lucæ 11. Si uos qui malie stis, nouistis bona dare filijs uestris, quantò magis Pater, qui ex cœlo est, dabit Sanctum Spiritum se petentibus? Negligens & durus Iudex, opus habet longa instructione, ut causam discat, & non statim ad primum uerbum flectitur, Talis inquit Christus, Pater cœlestis non est. Igitur sufficiet si paucis exponas quid uelis. Nouit enim hoc priusquam tu ores, & quia misericors est, ultro cupit dare. Hanc sapientiæ & misericordiæ laudem, qui Deo non tribuunt, & ideo cùm orant, benè prolixi sunt, non rectè orant. Sunt autem ferè tales orationes Monachorum, in quibus amplificantur non promissiones Dei, quod cum fructu fieret, sed cruciatus Christi in cruce & similia. Propheta quidem hoc in loco satis prolixus est, sed non ut doceat Deum, non ut cogitet Deum hoc modo flectendum, suo affectu cogitur ne sit breuis, ac ipsa diligenti consideratione præsentium malorum exuscitat se, ut tantò oret ardentius. Idem facit Daniel in longa ista oratione pro liberatione populi. Idem facit Psalmus 79. dum etiam tragica ista addit, Effuderunt Sanguinem ipsorum, tanquam aquam circuitu Hierusalem, adeo ut deessent, qui eos sepelirent, &c. Non dicuntur hæc, quasi aut nesciat ea Deus, aut hoc modo excitandus sit ad ferendam opem, nec sua sponte oppresso populo adesse uelit. Sensus mali tam altè impressus est animis piorum, ut nulla quantumuis longa oratione exprimi posse uidentur.

Tragica hoc in loco figura est, cũm dicit igni deuorari, quicquod in agris amœnum est, & flammis exuri arbores, sed quæ potest aptior imago bellifingi, quam si id compares cum incendio? Oppida, pagi pacis tempore florent, exornantur, & omnium necessariarum rerum copia instruuntur. Sicut autem orto incendio omnia pereunt, ac miserabilis facies ruinarum conspicitur, dum omnia in cinerem redacta, confusa iacent, ita bellum omnia ornamenta tollit, ac relinquit informem uastitatem. Sicut paulò post Propheta de Babilonio hoste dicit. Terra ante eum est sicut Paradisus, sed post eum deserta solitudo. Sed hac pictura in oratione cur Propheta utitur? Cur non satis ei est dixisse, quod hostis omnia ornamenta domi foriscp abstulerit? An non uidebat, norat, intelligebat hæc Deus qualia essent, etiamsi Propheta non sic amplificaret? Norat quidem, nec Propheta ut Deum doceat, ideo sic orat, sed uehemens affectus, & ingens desiderium speratæ opis, eum sic facit copiosum, & uehementem oratorem. Non enim decet orationem esse languidam, eluceſcere in ea debet fides. Quantò autem calamitas redditur atrocior, tantò facilius exauditio sperari potest. Non igitur eris Babylogus, si contra Turcicum Tyrannum orans, intuearis animo Pannoniam, Macedoniam, Græciam, Asiam, tot præclaras Ecclesias, tot millia hominũ, qui aut gladio perierunt, aut degenerarunt in Turcicam impietatẽ. Excitatur enim hoc modo animus, ad diligentiorem orationem, & ad certiorem fiduciam exauditionis. Deus quidem Deus misericors & bonus est, nec potest longius tolerare tantam crudelitatem.

RES PETENDA.

Genes. cap. 19. Tom. 2. fol. 138. Prima conditio bonæ orationis, est Deo gratias agere, & beneficia quæ diuinitus acceperis repetere animo & uerbis. Sic in oratione Dominica, petimus quidem quotidianum panem, sed cum initiò Deum Patrem nostrum appellamus, confitemur hoc ipso nomine, nos hactenus alitos & defensos à Deo esse, & omnia paterna officia à Deo accepisse. Hæc igitur in Rhetoricis præceptis, uocatur beneuolentiæ captatio, quæ optimè fit per laudes & gratiarum actionem. Secundo loco est uel querela, uel commemoratio necessitatis. Ego inquit Loth, sum in maximis periculis, si secundum tuam uoluntatem ascendero in mortem, peccaui iam antea tardando, posset autem mihi simile casus accidere, ideo propter misericordiam qua me seruasti, te oro, ut mihi hoc donnes quod peto. Tertio loco proponit quid sibi donari uelit, Fugiam inquit, in pinquam ciuitatem, & ibi seruabor.

Et Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 7. Quando oro pro aliquo propono illum mihi in conspectu cordis mei, et nihil aliud uideo, aut cogito, in eũ solũm animo intueor.

Sic Isaac orauit proposita uxore sua in conspectu. Quo uult significare Moses, fuisse orationem ardentem & intentam, in qua non hæsitauerit, non uagatus sit animo & cogitationibus. Qualis oratio celebratur illius, qui cum Bernardo cetauerat, se orationem Dominicam sine ullis peregrinis cogitationibus dicturum, cum autem deposuissent equum, & finita oratione, ex pacto uerũm fateri cogeretur, fassus est se inter orandum fuisse sollicitum de ephippio & freno num & illi equo addenda essent an non. Talis non debet esse inuocatio piorum, quia non fit in directo, sed animus nunc ad dextram, nunc ad sinistram euagatur. Vera autem & ardens oratio Deo proponit causam, & magno studio & ardore in illam intuetur, nec turbatur illa uel præsumptione uel desperatione, sed dicit, Domine Deus, respice ad flictam istam mulierculam, & promissionem tuam, quia nihil præterea cogitat aut curat. Atcp hæc est deprecatio illa iusti assidua, id est intenta & directa, de qua in Epistola Iacobi dicitur.

Item Genes. cap. 32. Tom. 3. fol. 161. **Das Kind mus ein namen haben / sol mans tauffen.** Quasi nesciat Deus quibus indigeamus, profectò non ignorat. Ita enim inquit Christus: Scit pater uester quibus opus habeatis, antequam petatis. Cur ergo uult suspirem, ut clamem, gemam, pulsem, & agnoscam me indignum eius

auxilio? Ideo hoc uult, ut tu quoq; memineris quid tibi desit. Alioqui securi sternimus, & somniamus nos esse fœlicissimos, cum simus miserrimi. Id uerè nescimus, neq; discimus aliàs, nisi tempore tentationum.

DE DISCRIMINE RERVM PETENDARVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 420. 1. Psalm. Grad. Exauditio sic est definienda, non ut Deus semper faciat, quod nos optamus, sed ut faciat quod nobis est utile. Nam Deus cum bonus sit, nihil potest dare nisi quod bonum est. Nos autem sæpe pro liberis, sæpe pro amicis, sæpe pro nobis ipsis oramus, non quod est bonum, sed quod nobis bonum esse uidetur. In talibus Deus etiam tum exaudit, cũm non facit quod nos petimus. Itaq; in oratione Dominica prius pro sanctificatione nominis, pro aduentu regni Dei, pro uoluntatis suæ impletione oratur, quam de nostris & uitæ nostræ commodis, ut scilicit in talibus Deus non faciat, quod nobis uidetur esse bonum, sed quod uerè sit bonum. Rectè igitur traditur discrimen rerum petendarum, ut in ijs quæ ad gloriam Dei & salutem nostram pertinent, sine conditione statuamus nos exaudiri. Contrà in ijs quæ ad hanc præsentem uitam pertinent, etiam speremus liberationem, sed cum resignatione nostræ uoluntatis in uoluntatem Dei, ut in talibus Deus faciat secundum quod ipsi uidetur, & nobis utile est. Ipse enim scit quid sit bonum, nos non scimus, sicut Paulus quoq; dicit. Ad hunc modũ saluandus Deo nostro fideli & bono est titulus, quod sit auditor precum &c.

DE MORA ET CVR EXAVDITIO INTERDVM DIFFERATVR.

Tom. 4. Ienens. fol. 299. Matth. cap. 8. Fides debet esse certa de exauditione, tamen resignata & executione, quando, ubi, quomodo, per quem, Deus fieri uelit. Certa debet esse de fauore Dei conscientiæ, sed subiecto, de consilio & hora à Deo determinanda, pro gloria sua & nostro bono. Sicut hic leprosus, dum munditioni suæ nullam horam, locum, modum præscribit, sed eius uoluntati sese submittit, subitò hoc ipsa hora, hoc modo, hoc loco quibus non putabat, accipit intentam mundationem. Hac re significat, quam grata sit sibi ista certa de sua fauore fides, & tamen humilis de eius consilio & uoluntate, patientia, quam fides libenter præstat, uidelicet in omnibus Patriarchis, Prophetis, Sanctis, qui nihil dubitantes de Dei fauore erga se, tamen longanimiter eius consilium & uoluntatem expectabant, ut hæc res potest exemplis Adæ, Abrahæ, & multis alijs amplificari. Deinde dictis eorum confirmari, ut expecta, sustine, si moram fecerit, quibus plenum est Psalterium & Prophetæ, Quia natura Dei est, differre effectum orationis nostræ, ut cumulatius & plusquam petimus aut intelligimus (Paulo teste, Eph. 3.) facere possit.

CVR DIFFERAT DEVS EXAVDITIONEM.

Genes. cap. 50. Tom. 3. fol. 121. Quemadmodum oratio & gemitus est ineffabilis: Ita exauditio & gaudium inæstimabile & inæffabile est. Sicut inquit Paulus. Et qui potens est, superabundanter quam petimus aut intelligimus dare. Non hoc dat quod in superficie cordis, & spuma illa uerborum sanctorum petunt, sed est largitor omnipotens & opulentissimus, qui reddit secundum profunditatem istius singultus. Ac propterea sinit orationem intendi, crescere, augeri, & non statim exaudit. Quia si ad primum clamorem, aut petitionẽ responderet, oratio non augesceret, sed refrigesceret. Ideo differt auxilium, atq; inde crescit indies, & grandescit oratio, Gemitus item cordis fit profundior & ardentior, donec perueniat quasi ad desperationem. Ibi tum fit ardentissima & acerrima oratio, quando uidetur propemodum iam deficere gemitus.

Quod si statim audiret non fieret ita fortis, uiuax & ardens precatio. Sed esset tantùm superficialis & pædagogicus gemitus, qui adhuc discit orare, gemere, desiderare, nondum est Magister precum. Quando uerò ad desperationem peruentum est & cogitat animus tentatus, **aches wird nichts draus/ es ist alles verlorn/** tamen adest adhuc scintilla & linum fumigans: Ibi tum esto fortis, & perdura, **halt fest.** Ea enim est lucta Sanctorum, qui putant funiculum iamiam rumpturi: Et tamen retinent suspiria, ideo tunc oratu est perfecta & fortissima.

Ita hoc loco de Rahele dicitur (Recordatus est Deus &c.) Quasi diceretur: Nihil sentiebat Rahel, quàm omnes preces & lachrymas fuisse inanes & irritas. Arbitrabatur se simpliciter esse extinctam & deletam ex animo & memoria Dei. Sed non sic erat tuas mea Rahel: Longè enim erras, sensus ille tuus carnalis est. Nondum est ipse ritus singultiens & gemitus inenarrabilis, sed caro sentiens & infirma. Nunquam fuit tui oblius Deus. Sed statim à principio cùm inciperes petere prolem audiuit & signauit omnia uerba gemitus tui. Nondum autem erat satis ardens & fortis oratio. Ideo oportuit eam adolescere & grandescere, ac propterea distulit Deus usq; secundum, tertium, quartum, quintum annum. Ibi dedit primùm consolationem per ancillam. Sed gemitus nondum acquiescebat, adhuc uidebatur Deus auertisse. Ideo recordatus est Deus. Quanquam nunquam unum momentum tui oblius fuit, sed hoc demum tempus fuit, ut audiret tua suspiria, cùm putares ea sepulta & obruta prorsus esse obliuione.

Ad hunc modum nos quoq; discamus petere & sperare auxilium siquando res aduersa sunt & fides labascit. Habemus enim promissionem Euangelij, habemus baptismum, absolutionem &c. Quibus eruditi & confirmati sumus. Habemus mandatum quo iubemur precari, habemus spiritum gratiæ & precum. Sed cùm primum cæpimus orare, angitur animus & querulatur se nihil proficere. Discendum igitur est, si petendo nihil efficis, ut adiungas inquisitionem, hoc est quæras. Si ut illa uidetur esse irrita, quin magis se abdit & abscondit Deus, adde pulsationem, & non desinas, donec expugnes ianuam, qua clausus est. Non est dubium est, quin oratio nostra audiatur, statim prolata prima syllaba. Sicut dicit Angelus ad Danielem. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: Ego autem ueni ut indicarem tibi. Sed quod non ilico dat Deus, quod petimus, hoc ideo fit, quia uult quæri, & improbè instando expugnari: Sicut docet similitudine iniquo Iudice Lucæ 18. Tum enim uenit & liberat electos, & cumulatius quàm petiuimus, quæsiuimus, pulsauimus. Ideo autem differt ut augescat oratio, gemitus fiat fortior: Qui dum suspiramus nobis admodum exilis uidetur, sed uera est ardentissimus. Sicut Paulus clamorem appellat. Non enim recitamus tantùm uerbo formando uocem per linguam & labia, neq; etiam expressa uoce preces nostras sonamus, sed simpliciter clamamus. Non oris sonus aut uox, sed clamor cordis & gemitus est inenarrabilis, **vnterdem lincke zitzen stecket er.** Quando cor singultit & suspirat propemodum deficens præ angustia. Ac tum quidem oratio perfecta est & efficax.

Hæc sæpe dicenda & repetenda sunt, ne omnem spem & fiduciam abiicemus de inuocatione nostra, quæ utcunq; initiò est frigida, nec statim impetrat auxilium, tamen sciamus ideo id differri, ut fiat oratio perfectior & firmior. Miserabilis enim uirtus & omnipotentia est orationis. Vt cùm Rahel uideretur prorsus despecta & spreta esse à Deo, & ipsa tamen maneret adhuc linum fumigans, non potuit non expergisci inuocatus, quæsitus & expugnatus Deus. Eodem uerò modo adest omnibus inuocantibus, atq; ita cumulatè & liberaliter, ut cogatur fateri se nihil tale unquam speraſſe. Sicut Monica potuit dicere: Non hoc petiui, nec ausus fui sperare filium meum unquam futurum tantum doctorem Ecclesiæ, &c. Non igitur deficiamus, sed persistamus in inuocando, optando, & quærendo, donec spes & liberatio expectata affulgeat.

MORA

MORA EXERCET FIDEM.

Genes. cap. 49. Tom. 4. fol. 191. Hoc diligenter tenendum est, quod promittit Deus, & differt rem promissam, ac tentat nos penuria uerum præsentium, ut eruditat nos fide promissionis, eaq; confirmetur & discat Deo credere, non tantũ florentibus siue præsentibus, sed etiam absentibus, aut aduersis rebus, quam fidem Papa & omnes doctores illius non habent nec norunt.

Verũm hic Principalis locus est totius scripturæ sanctæ, nosse & intelligere Deum promittentem. Auxiliatur enim & opem fert etiam re ipsa & in euentu, sed prius in promissione fidem exerceat, inopia eorum quibus indigemus, ut discamus ei confidere, non tentare ipsum, quod Iudæi faciebant, quibus cũm Deus non statim ad libitum & præscriptum ipsorum omnia suppeditaret, confestim alienos Deos sectabantur. Non enim poterant sustinere consilium eius. **Sie kunden nicht erharren.**

Huic impatientiæ opponuntur tot exhortationes in Prophetis & Psalmis. Vt Habacuc 2. Quia adhuc uisus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si morem fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet & non tardabit. Et psal. 27. Expecta Dominum, uiriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Sed Iudæi hæc non uidebant, nec cupiebant discere. Ideo eligebant alios cultus, & quærebant tales Deos Astaroth, Baal, qui ilico, & in præsentia iuuarent, sine fide promissionis, ut palpare & manibus apprehendere auxilium possent. Sicut superbè & contumaciter dicunt Ieremiæ: Facientes faciemus uerbum, quod ex ore nostro egreditur &c. Verbum tuum non audiemus &c. Q. D. uolumus habere Deum qui nos statim exaudiat, & largiatur q̃ cupimus, non qui differat auxilium.

At uero Deus moram facit, non ut perdat, neq; ut deserat, sed potius ut copiosissimè promissa præbeat. Sicut de eo testatur Paulus Eph 3. Qui potens est omnia facere, ultra omnia quæ petimus aut cogitamus. Tales igitur uult nos esse qui patientes moræ, certò expectantes, quod abundè & cumulatè daturus sit quod promisit.

Hæc eadem didicit & consequutus est Iacob, cũm daretur ei promissio seminis uenturi, & posteris ipsius terra Canaan, & ipso adhuc uiuente Ioseph ad summum honorem & dignitatem eueheretur.

Ea uerò securitas & malicia carnis est, ut non solũm promissionibus diffidat, sed & comminationes contemnat: Nam hæ quoq; differuntur. Ideo commianti Deo non credit, & cũm audiunt contemptores illi & insensati restare iudicium aduersus peccatum, in diem ist huc aiunt, est fortasse quod minitare. **Het ich dieweil gelt zu zelen.** Tamen uult Deus timeri minas, & expectari promissiones, quod non potest fieri nisi fide.

Mundus enim neutrum horum curat, **ist jr eben so viel/als pfiffe sie ein Gans an/** quia Deus est patiens & tardans, cũm in promissionibus tũm in comminationibus implendis, uerũm non est fallax, & tarditatem illam grauitate pœnæ, aut beneficio rum cumulo & magnitudine compensat, **Erkömpt endlich/vnd kömpt nur wol.**

Ideo utrumq; præcipit scriptura: Timete Dominum & credite ei. Item Beneplacitum est Domino, super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Itẽ Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Et oportet fidem inuisibilia & credere & timere. Vt Noah timet pœnam Diluuij, quam non uidet, & sperat liberationem non apparentem. Nos credimus in Christum Dominum, quem non uidemus, & credimus eum uenturum in extremo die, noscq; susciturum à mortuis, & clarificaturum, Philip. 3. Impijs uerò redditurum pœnas, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio 2. Thess. 1. Ita pij formidant minas & fidunt promissionibus: Impij autem nec timent nec credunt, nec sperant, nec curant Deum.

Sic ergo orditur Iacob orationem suam ad filios, Congregamini filij & audite, docebo uos, quid euenturum sit posteris temporibus: Ego condo testamentum, cuius memoriam uelim apud uos esse sempiternam, ut timeatis Dominum Deum uerum. Prædicabo uobis minas & promissiones diuinas, ut habeatis Deum quem timeatis, & in quem speretis. Hoc uult Iacob illa attentione, ut retineat eos in timore comminationum & fide promissionum. Q. D. Scio multos ex uobis malos & contumaces fore. **Jr werdet böse buben werden/ vnd wird ein los pöfel vnter euch sein/** qui erunt Idolatræ, contemptores Dei, comminantis & promittentis, perinde ut Moses quoq; Samuel, item & Dauid, & alij multi de posteris suis uaticinabantur: Tamen in illa posteritate mea erunt aliqui, qui timebunt Deum, eiq; confident. Propter illos hæc dicuntur. Alij contemnebant Deum hunc, qui differebat auxilium, **sie hetten denn Gott nicht angesehen/** Ideo adorabant, ut apud Hieremiam dicitur omnium Gentium Deus. Et testantur libri Iudicum & Regum, cumulasse eos idωla per totam terram, perinde ut nos quoq; sub Papatu fecimus, & longè crassiore modo omnia impleuimus idolamania Sanctorum. Alius Erasmum, ut opes donaret, colebat, alius Margaretam, ut opem ferret parturientibus, & Maria culta est ab omnibus tanquam mediatrix & auxiliatrix in cunctis necessitatibus. Nemo uoluit sperare, aut expectare liberationem Dei. Parturiens desiderabat præsens auxilium, ideo non inuocabat Deum sed Margaretam. Rustici uerò Christophoro, Georgio & alijs Diuis plurimis supplicabant.

Sic Caro negligit Deum comminantem & promittentem liberationem, quia enim tardat & protrahit auxilium, ideo contemnitur. Nemo uult assuescere ad excitia fidei, sed sine fide uolunt uiuere, & præsentibus frui. **Den bauch wollen sie vol haben.** Promissionem uerò certam, licet de inuisibilibus, tamen certò euenturis abijciunt. Hæc est præcipua doctrina & argumentum huius capitis: Quare & quo fine comminetur & promittat Deus. Videlicet, ut exerceat fidem uerbi. **Wer mit Gott handeln wil/ der mus das lernen/** vt non uiuat ex pane solo, sed omni uerbo quod procedit de ore Domini. Si deest panis, non est propterea inuocandus Deus alienus, sed confirmandus animus fide uerbi, Deus promisit se fore Deum & Dominum meum, si uolet me occidere fame, faciat sanè, tamen sperabo in eum.

Oportet enim fidem & timorem existere in animis hominum, quia correlatiua promissio et fides, et è contra nulla est fides sine promissione, sicut nullus est timor, ubi deest comminatio. Sed Deus utrumq; differt ut tentet nos, quam tentationem timet, cum mundus non uelit sustinere, utrumq; contemnit, nec comminantem timet, nec promittenti credit.

DEVS NON PATITVR SIBI MODVM AVT TEMPVS PRAESCRIBI ETC.

Tom. 4. Ienens. fol. 442. in 4. Psal. Grad. Deus sicut in natura sua, sic etiam in modo agendi & uirtute sua, est infinitus, Itaq; non patitur à nobis circumscribi. Proponitur igitur nobis hic exemplum patientiæ, quod expectanda sit manus Domini, & non dubitandum de auxilio diuino & manu Domini affutura. Cum enim prima syllaba, seu potius primus gemitus orationis incipit, annuit Deus & respondet nobis, Fiat, Non tamen debemus statuere, ubi, quomodo, quando, per quos sit daturus quæ petimus. Hæc enim relinquenda sunt Deo ut ipse definiat, nobis hoc agendum est, quod nostri officij est, ut scilicet oremus, & sicut seruus respiciamus ad manum nostri Domini.

Ad hunc modum docet nos Dauid suo exemplo, & monet ut etiam expectemus, non remittamus brachia, nec auertamus oculos à Domino, sed urgeamus, instemus, perseueremus, sicut Christus quoq; monet in similitudine illa mulierculæ & iniusti iudicis, qui etsi neq; Deum nec homines timeret, tamen improba assiduitate uincitur, ad cognoscendam causam. Si enim homo pessimus tam malus non est, quin superetur improbitate orandi, quid non de Deo sperabimus.

mus, qui se ultrò ad audiendas preces offert, nos autem etiam mandato suo cogit ad orandum? Imò ut dicam, quod res est, qui ad largiendum est promptior quàm nos ad accipiendum? Nam illa mora qua auxilium differt, non hoc agit, ut ostendat se nos non auditurum esse, sed ut exerceat fidem nostram, & nos discamus cognoscere uarias & multiplices rationes auxilij diuini, tam longè positas supra hoc, quod capere & intelligere possumus. Statuamus ergo rem quam petimus differri non negari, nec patiamur nos unquam eo adduci, ut moram hanc interpretemur esse neglectum. Vult enim Dominus ita nobiscum agere, ut nomen suum retineat, quod Dauid in alio loco ei tribuit, quod scilicet sit adiutor in oportunitate. Hæc oportunitas definitur ab ipso, à nobis non potest definiri.

QVOMODO OCCVRRENDVM SIT TALIBVS COGITATIONIBVS CVM ANIMI *non audent ad Deum clamare.*

Tom. 4. Ienens. fol. 418. in 1. Psalm. Grad. Vsus fidei, nempe sic se conuertere ad Dominum ac orare, & præsumere quod oratio placitura sit, & Deus eam sit auditurus, longè difficillima res est, propterea quod conscientiæ timidæ ferè repugnant huic fiduciæ, & de medicina desperant, præsertim si accedat conscientia peccati seu indignitatis. Ibi enim ferè accidit, ut animus prius secum disputet, An oratione aliquid possit proficí, præsertim ad hanc quæstionem qui deducuntur, nunquam orabunt, si id ex sensu suæ dignitatis metientur. Quin hoc faciendum est, ut qualis tu sis, hoc in loco negligas, & in promissionem potius, in necessitatẽ orandi, in periculũ & causam ipsam intuearis. Ita enim fiet, ut etsi ab oratione tua conscientia te reuocet, tamen periculi magnitudo ad orandum cogat. An enim (exempli causa sic loquor) si quis scortatus est, & inter eundum casu de ponte in flumem labitur, in tanto periculo ideo non orabit, quia conscientiam peccati habet? Imò quantò periculum & necessitas maior est, tantõ ad orandum debet animus esse exercitatior & promptior. Ad hunc modum in hoc periculo quoq; faciendum est, ut quales, quales simus nos, magis illuc respiciamus, quod Sathan per impios Doctores tantum malorum excitat, quàm quod nos indigni simus, qui exaudiamur.

Huc etiam facit promissio, quod in Christo non solũm habemus promissionem exauditionis, sed ipsa uerba, ipsas syllabas & literas quas debemus orare, Christus prescripsit, Imò etiam mandatum accedit, ut nõ nostri arbitrij sit orare, sed est præceptum opus. Hæc cum cogitamus & postea accedit etiam necessitatis seu periculi consideratio, tum acuuntur animi, & excutitur illa propriæ dignitatis tentatio, & conscientia quasi absorbetur. Sicut in subitis periculis quoq; fit, cum aut obruitur aliquis in itinere à grassatoribus, aut cum periculo in aquam mergitur, &c. Ibi priusquam quisquam de sua dignitate cogitat, prorumpit aut in uerba, aut cogitationem hanc, O Deus adsis. Hic enim uerũm est, quod medici dicunt, appetitum prouocari acribus condimentis. Neq; enim melior orandi Magister est, quàm necessitas. Sed dum nos securi, & quasi oculis capti obambulamus, nec sensu præsentium malorum tangimur, non mirum est si oratio nostra aut nulla sit, aut planè langueat. Mihi quidem hoc accidit, ut sentiam me nunquam orare melius, quàm in tribulatione. Ea est hoc acre condimentum, quod etiam in Dauide famem ut ita dicam & appetitum orandi excitat, sicut dicit, cum tribulor, clamo.

Ergo discamus ex hoc uersu Dauidem hoc remedio esse usum in periculo falsæ doctrinæ, ut primùm docendo se & suos erigeret, deinde oraret. Idem nobis faciendum est, tantũm fiducia causæ seu necessitatis, quam etiam oratio Dominica nobis ostendit. Quia enim polluitur nomen Domini, quia conscientiæ

entiæ perduntur, quia confessio Euangelij periclitatur, magna profectò causa est, ut dicamus, sanctificetur nomen tuum, ut sit finis abominationum & blasphemiarum, Adueniat regnum tuum, quod per regnum Sathanæ quasi opprimitur, &c. Qui ad hunc modum orat, is sic orat, ut facilè cœlum gemitibus suis impleat, cum alioqui extra tribulationem uix impleatur os nostrum, sicut Papistarum orationes & cantica sunt, Qui cum in summa securitate uiuunt, quomodo orare possunt. Hanc causam ostendit Dauid, cùm dicit, cùm tribularer clamaui. Oportet enim esse necessitatem urgentem, quæ impellat, sicut sunt nostra & fratrum nostrorum Salus, mors æterna, peccata nostra, incommoda nostra, gloria Dei, regnum Dei. Item, Pax, bellum & cætera, quæ omnia pulcherrimo ordine in oratione dominica proposita sunt, & uerè sunt tribulationes, quæ docent nos orare. Imò si boni æstimatores horum periculorum sumus, etiam nos cogunt & urgent. Hæc conderemus, & perrumpamus per nubes illas, quæ nobis conspectum Dei faciem adimunt, & statuamus orationem esse sacrificium gratissimum Deo, & talem cultum, quem ipse à nobis exigit. Quidam de medio cogitant, & fratrum orationibus nituntur, id sanè non est reprehendendum, nam plurium oratio est fortior, sed non cesse est, ut tu quoq; ores, & fias pars Ecclesiæ, quæ uno ore dicit, Pater noster. Nec enim huius aut illius tantùm, sed tuus quoq; uult esse Pater.

Disertè autem additum est, Ad Dominum, contra illas cogitationes quæ me olim exercuerunt, & adhuc hodie, si qui inter Papistas sunt simplices, exercent. Sic enim cogitabam, peccator sum, non igitur possum orare ad Deum, propter peccata succensentè, quæram mediatores, quibus propitius est, Mariam, Petrum, Annam, &c. Conscientiæ enim pauidæ audito nomine Dei terrentur. Et sanè magna est Maiestas, sed non tam magnam fingere tibi debes, ut ideo orare nolis. Si enim Maiestatem consideras, cur non in hoc consideras, quod ipsa Maiestas præcepit ut orares? Profectò non ita pusillus, aut nihil es, quin te auctoritas præcipientis liget. Hoc mandatum intuere, & committe te eius gratiæ, quæ mandauit, dic, Domine non est arbitrij mei, orem ne an non orem (sicut Monachi somniabamus) Tu præcepisti, agnosco igitur me debere parere tibi. Si indignus sum, at præceptum & uoluntas tua digna est, cui paream, promissio tua digna est in qua confidam. Oro itaq; in dignitate non mea, non Mariæ, non Petri, sed in dignitate, nominis Iesu, & Dei præcipientis & mandantis,

Hanc rationem orandi totus Papatus ignorat, & possum exemplo meo affirmare. Sicut ego in Monachatu nunquam unam orationem dominicam uere oraui, ita quoq; adhuc hodie Papistas, ne unam quidem syllabam in fide orare. Hoc forte factum est, ut Deus audiret gemitus inenarrabiles cordis mei, sicut credo alios multos fuisse, qui istos gemitus etiam habuerunt, quanquam eos non agnouerunt, sed extra hos gemitus nulla pax orationis rectè aut intellecta, aut pronunciata est, ut debet, & ut Dei gratia nunc oramus, ac reliquos quoq; docemus orare.

Extat sententia cuiusdam Eremitæ, inter Monachos hos celebris, qui dixit, Nullum esse tantum laborem, sicut est labor orandi. Id quidem uerum est, si respicias ad orandi legem sine fide, quæ tradita fuit sacrificulis, sed magis uerum est, si cum loquimur de oratione in fide, ut correluctetur conscientiæ & desperationi, ac audeat fiducia misericordiæ Dei. Quanquam difficultatem hanc mitigat non solùm promissio orantibus facta, item mandatum, sed etiam necessitas quæ nos urget. Quod autem ad ipsam rem attinet, oratio sine fide uerè est impossibilis. Hæc enim duo orationem faciunt efficacem, promissio Dei & tribulatio. In hoc exercete uos, & assuefacite uos etiã ad clancularias preces in cubiculo, sicut Christus præcipit. Quod si Sathan eam orationẽ, sicut solet conatur impedire, discite oculos claudere & dicere, O Domine ecce hic tribulatio & angustia, ego hic periclitor, ille frater meus sic periclitatur, sic uexatur à Satana, nõ patitur tempus ut [illegible] me cogitẽ, sim ne bonus an dignus, adiuua me in tempore secundũ uerbum tuum [illegible]

&c. Hoc modo considerata causa & promissione uincitur Sathan. Et ad hanc rationem orandi inuitat nos Dauid suo exemplo, non solùm in periculo impiæ doctrinæ, sed in omnibus tribulationibus. Ac placet Deo, si hic fiducia misericordiæ & promissionis, benè sis impudens, secundum hoc quod sequitur, & ipse exaudiuit me. Q. D. Hoc modo declarat Deus sibi gratam esse orationem nostram, quam suscipimus fiducia promissionis & misericordiæ eius, quo eam exaudit.

Atq; hic uide, ut hoc nomen Dei diligenter discas, quod Dauid hic ei tribuit, Auditor precum, ac caue ne cum oras, per diffidentiam hoc nomen ei eripias, si cui plerumq; facimus. Nam sicut Germanico prouerbio dicitur. Finem commendare omnia si bonus sit. Ita pierique in concludenda oratione peccant, ac orationem uitiosam reddunt. Cum enim addendum est Amen, dubitatio quæ in cordibus est, Amen mutat in negatiuum, quod nihil sit. Contra hanc dubitationem Dauid hic nos confirmat suo exemplo, & præter promissiones quas habemus, proponit suam experientiam, ut nos ad orandũ in fide excitet, ut statuamus Deum certò nos auditurum esse, siquidem est auditor omnium gemituum eorum, qui in fide orant. Quod si non tam citò audit, audiet suo tempore, si non audit eo modo quo tu uis & optas, audiet meliore, si non per hanc personam, quam tu optas, faciet per commodiorem &c. Sic dicit Bernhardus alicubi, nec memini me quidquam legisse in omnium Recentiorum scriptis, aut pulchrius, aut magis piè dictum. Fratres inquit, Nolite dubitare de oratione uestra sed scitote, quando uerbum per os erumpit, tunc oratio uestra scripta est in oculis Dei, & aut fiet quod petitur, aut expedit non fieri. Quid potuit dici magis Christianum? Quid consolatione plenius, quãm quod Deus tanquam Rex quidam munificentissimus, ad omnes supplicationes, nihil aliud respondet, quãm fiat quod petitur? Sed inquis, sæpe fit diuersum. Quoties oratur pro grauida & parturiente fœmina, quæ in partu moritur? An enim Iacob non putas orasse pro sua Rahel, in tali periculo occumbentem? Sic orauit Dauid maxima spiritus contentione, pro filio ex Bathseba, sed oratio frustra fuit? Eiusmodi etiam inter sanctos innumera quotidie exempla uidemus. Respondeo, utcunq; sit, hoc primũm statuendum est, Deum esse auditorem precum. Hic tuus Deo nunquam est adimendus. Sicut in hac fide prima pueritia pulcherrimè oratione in pulcherrima plerophoria pueri retinent. Quare eorum orationem & probo maximè, & sæpe mihi ad exemplum propono. Quanquam enim pueri formam orandi, & uerba à nobis discunt, tamen nos rectè ex ipsis disceremus orationis efficaciam, propter nostræ naturæ peruersitatem, & malam institutionem quoq;. Ergo hoc primũm sine exceptione est statuendum, quod nostra oratio sit exaudita. Secundò exauditio sic est definienda, non ut Deus semper faciat, quod nos optamus, sed ut faciat, quod nobis est utile, &c.

QVAESTIO AN LICEAT DEO PRAESCRIBERE TEMPVS ET MODVM *in Inuocatione.*

Genes. cap. 24. Tom. 2. fol. 239. Ex præcatione (serui Abrahæ) Nascitur quæstio, An liceat Deo præfinire, tempus, locum, personam, & modum rei, quam petimus. Quia enim Deus est liberrimus, ita orandum est, ne Deum illi circumstantiæ alligemus, sed simpliciter dicendum: Fiat uoluntas tua.

Sic in historia Iudith cũm dixissent Osias, hos quinq; dies expectemus ã Domino misericordiam, grauiter id reprehendit Iudith, Posuistis uos tempus misericordiæ Domini, & in arbitriũ uestrum diem constituistis ei. Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.

Quæritur igitur: An seruus iste peccauerit præscribendo Deo modum rei gerendæ? An sit tentatio? Similis petitio est Ezechiæ requirentis signum sanitatis futuræ, & quod ascensurus esset in templum. Item Gideonis, cum peteret signum uictoriæ in uellere.

Respon-

Respondeo breuiter. Secundum legem non licet Deo quicquam præscribere, sed secundum Euangelium pijs licet, qui sine lege sunt, impijs non item. Ideo conceditur seruo huic petitio ista, quia habet mandatum à Deo. Sic breuiter responderi posset, sed uolumus uti hac libertate Euangelica.

Secundum legem potius explicemus quæstionem. Ac primùm illud notandum est, exempla Sanctorum & filiorum Dei non esse trahenda in consequentiam & regulam, nisi quando sequuntur præscriptam regulam in uerbo.

Secundò responderi potest, seruum locutum non indicatiuè, sed optatiuè, & ueri simile est eum hæc uerba non apertè & clarè proloquutum, sed fuisse gementem & uotum cordis. Scriptura autem solet ea etiam quæ quis cogitat, dicta appellare, ut in Psal. 14. Dixit insipiens in corde suo. Item, Mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur Matth. 9. dicebat intra se, hoc est, cogitabat, si tetigero tantùm fimbriam uestimenti eius, Salua ero.

Sic seruus cogitauit. En ueni in Mesopotamiam, quid nunc agam, incertus sum, non habeo in mandatis, ubi diuertendum sit, & qui adeundi sint ex cognatis. Domine Deus fer opem: Et addit uotum, utinam ueniret uirgo, quæ futura sponsa filio Domini mei: Nihil præscribit Deo, in Indicatiuo aut Imperatiuo modo. Quod in historia Iudith fit, sed optat tantùm, perinde ac si ego tacitus exoptarem, Principis, aut amici cuiusdam aduentum, præter omnium spem & opinionem.

Pertinet autem hoc ad consolationem & confirmationem fidei nostræ in inuocatione, quia significat scriptura sancta hoc loco, Deum tam propè adesse pijs, ut non solùm exaudiat præces indicatiuas, ut sic dicam, sed & optatiuas. Sicut quilibet, si totam suam uitam exploret, hoc expertus est, & testabitur sæpenumerò inter spem optanti tantùm, multa contigisse.

Quare non est necesse hanc quæstionem, per libertatem Euangelicam explicare, non enim alius sensus est, quàm quod seruus tacitus optat: O si uenisset iam puella illa destinata Isaaco in matrimonium, ad fontem, & ferret hydriam ad hauriendam aquam.

Iudæi meras nugas adferunt. Sed simplex hæc sententia est serui optantis aduentum puellæ, & ubi eam uidet ijsdem signis oblatam ad se accedere expectat, scit, quòd tam subitò & insperata optatis eius respondet euentus. Ideo non est petitio, sed significatio desiderij cuiusdam. Perinde ac si adolescens ueniret ad chorum puellarum, & cogitaret utinam conspicerem eam, quæ mihi futura est uxor, aut casu aliquam conspicaretur, quæ postea ei collocaretur.

Huiusmodi exempla innumera sunt etiam apud impios, qui interdum uoto compotes fiunt præter opinionem. Sed piorum hæc magna consolatio est, quòd etiam optando orant & inuocant. Præterea huius serui is animus fuit, ut etiam non oblata Rebecca acquieuisset Dei uoluntati: alioqui rectè diceretur tentatio, sed prædicta ratione non est tentatio, aut petitio signi.

Cæterùm si homini contentioso hæc non satisfaciunt. Respondendum eodem modo, quæ ad Ezechiæ & Gideonis exemplum respondemus. Illi enim humiliter ueniam præcantur, & petunt sibi ignosci, quòd signum petant. Nec petunt diffidentia aliqua moti: Sed magnitudo rei promissæ tanta est, ut uix possit capere, & quasi lætitia & admiratione obstupefacti, coguntur signum tantæ rei postulare.

Gideon non dubitabat se missum, & uocatum diuinitus ad suam militiam, sed lætitia quadam, & stupore spirituali signum petit: ut etiam alij, qui hanc prophetiam missionem audituri erant, signo confirmarentur. Sic seruus tacitus requirere signum potuit non sua causa, sed ad confirmandum animum & amorem puellæ. Hæc non incommoda responsio est, sed magis placet, quæ de optatiuo modo diximus, quia conuenit cum experientia communi tàm piorum, quàm impiorum.

QVAE

QVAE ORATIONEM IMPEDIANT.

Tom.3.Ienenſ.fol.439.Eſai.cap.59. Sic nobis oraturis accidit. Cũm enim orandum eſt pro ſtatu Eccleſiæ, impediunt orationem primũm aduerſariorum furor & crudelitas, qui uerbum crudeliſsimè perſequuntur. Deinde Principum & illorum, qui in publicis officijs uerſantur negligentia. Tertiò illa effrenis licentia uulgi, qualis uix ullis ſeculis fuiſſe uidetur. Tum ſine modo peccamus ſinguli in noſtris officijs. Et in his omnibus nemo agit pœnitentiam. Hæc certè impediunt orationem, ut cum dubitatione oremus. Videtur enim Deus in tanta malicia mundi, non exauditurus nos, Et tamen non eſt deſperandum.

EFFECTVS ORATIONIS.

Oraturi non poſſumus animo concipere quantum Deus uelit dare. Tom.4.Ienenſ.fol.498.in 11. Pſal.Grad. Cũm oramus pro liberatione, ita oramus, ut modico uideamur contenti fore. Sic qui triſticia animi turbantur, optant quietem unius diei, qui premuntur inopia, pane quotidiano uidentur ſibi contenti fore, Sed Deo hoc non ſatis eſt, dat enim ſupra quam poſſumus intelligere aut petere, & prorſus uerum eſt, neſcire nos, quomodo aut quid petamus. Libenter utor propriis experientijs. Quid enim & quantum mihi uni dedit? Non plus optabam, quàm ut iſte unus abuſus indulgentiarum tolleretur, ſed quod diluuium mirabilium ac maximorum beneficiorum ſecutum eſt? Ita in uniuerſum uerum eſt, neminem audere optare tantum, quantum Deus paratus eſt donare. Cauſa eſt anguſtia cordis noſtri, paruitas ſpei & infirmitas fidei. Superat igitur copioſa redemptio infinitis modis petitionem noſtram. Ideo etiam Dominus tradidit formam orandi. Hæc enim niſi ita ã Chriſto præſcripta eſſet, quis noſtrum eſſet auſus tot & tanta petere? Igitur non ſolùm conſtituimur per meritum Chriſti uictores peccati, inferni & mortis, ſed etiam in hac uita multipliciter ſentimus beneficentiam Dei. Et, licet nunquam tantum auſi eſſemus petere, tamen donauit ea Dominus, & donabit alia quoq;. Ideo dicit Propheta, Copioſam redemptionem eſſe, quæ ſcilicet ſit ſupra noſtrum captum. Nos enim, ſicut exiliter credimus, ita etiam petimus exiliter. Ipſe autem Pater in cœlis pluit uberrimè ſuper ſcintillas orationis noſtræ, & guttas fidei noſtræ, & compenſat moram liberali copia. Nam etiamſi expectandum eſt, tamen tantò poſtea eſt liberatio uberior. Iacob, qui eſt Iſrael, expectauit Dominum, Quid igitur ſecutum eſt? Totum ferè orbem mutauit ille populus, ex tam paruis initijs ſuccreſcens, An non putas autem, ſi Abraham hanc poſteritatem ſuam omnem, & inſignes res geſtas uidiſſet, eum dicturum fuiſſe, nunquam ſe hoc potuiſſe ſperare animo? Credebat quidem promittenti Deo, ſed tam miram poſteritatis ſuæ fortunam non potuit credere, propter anguſtiam cordis humani. Sic Eccleſia poſt Chriſtum, orauit pro regno Dei, Ad hanc orationem ſecuta eſt ruina regni Romani, inuicti, ut uidebatur. Nos quoq; oramus hodie pro liberatione, ueniet igitur dies Domini, & diſsipabit uniuerſum mundum, cum omni potentia Satanæ & inferorum. Ergo hoc tantũm curemus, ut perſeueremus in ſpe & fide, tunc faciet Dominus glorioſum euentum omnium periculorum. Non enim deſeret nos Deus, niſi nos priores ceſſauerimus ſperare & orare.

Ergo Chriſtiani hanc conſolationem teneant, nunquam eſſe tantam opreſſionem, quanta futura eſt liberatio. Quod ſi aliter ſentiunt & cogitant, malè cogitant. Hæc enim eſt primi Præcepti ſumma, quod hic dicit: Copioſa eſt apud Deum redemptio. Hoc enim uerè eſt, eſſe Deum, redimere & liberare, idq; maiore diguitate & ſplendore, quãm ab animo humano cogitari poteſt.

Preces noſtræ exauditæ antequam Amen addamus. Geneſ. cap.24. Tom.2.fol.243.241. Illuſtre exemplum (in ſeruo Abraham) hic proponitur clementiæ & benignitatis diuinæ, in exaudiendis precibus piorum, quo & inuitamur ad inuocationem, & fides noſtra mirificè confirmatur contra diffidentiam & dubitationem. Non

enim propter seruum, sed propter te & mehæc scripta sunt, priusquam loqui de-
sierat, ecce audita est oratio. Inter loquendum annuit Deus precibus eius.

Proinde sine ulla hæsitatione nobis persuadeamus Deum facillimũ & prom-
ptissimum esse ad audiendam orationem nostram, & largiendum quod petimus,
sicut prædicat eum Psal. 65. Benedictus sit Deus qui non reiecit orationem meam,
& misericordiam suã à me. Ac ueriss imum & proprium nomẽ Dei est. Exaudito
precum, & tamquidem proprium, quàm illud est, Creator cœli & terræ. Nec audit
tantùm preces sine circumstantijs oblatos, sed etiam illo ipso momento, quo ora-
tio profertur, fieri aut factum esse quod petitur, statuamus. Sicut testantur plura
mæ & dulcissimæ uoces Psalmorum, clamauerunt & salui factisunt, simpliciter &
absolutè nulla circumstantia addita.

Hic ergo clamator, illic exauditor Deus, tantũm tu clama & exaudieris
quemadmodum hortatur Psalmo. 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies
uestræ non confundentur. Atq; inde mutuatus est Esaias pulcherrimam promis-
sionem: Et erat antequam clament, ego exaudiam: Adhuc illis loquentibus ego
audiam. Sic Bernardus alicubi præclarè & piè dixit: Fratres nolite contemnere
orationes uestras, sed scitote quàm primum incipitis orare, mox oratio uestra re-
citata & scripta est coram Maiestate diuina.

Hanc rationem orandi omnes Monachi ignorant, tantũm enim demum-
rant preces, propter obedientiam Ecclesiæ aut Regulæ suæ. Orandum igitur cl-
hac fiducia & plerophoria, ut statuas tuam orationem exauditam esse, antequam
per os erumpat. Quod si non tam citò datur quod petis, non propterea irrita est
precatio, sed dabitur suo tempore, & dabitur hoc, quod optas, aut longè melius
& optabilius. Absit igitur longissimè omnis dubitatio de exauditione. Ego in-
nẽ quando oro, ut Deus sanctificet nomen suum contra Papam, contra Turcam,
illam orationem certò exauditam scio, priusquam ego adijciam Amen: Quia an-
tequam cœpi orare, uidit Deus motum & desiderium cordis, quem multò ante in-
tuetur & audit, quàm uerba per labia sonent.

Sed multiplicia impedimenta obijciuntur. Diabolus enim aduersatur & turba
quacunq; ratione potest fiduciam hanc: Caro nostra & corda non ardent fide, pro-
excitantur assidua meditatione & tractatione eiusmodi sententiarum & exempla-
rum, quæ colligi animo debebant, & sæpe repeti, ut excuscitarent nos ad inuocatio-
nem contra Papam, & omnes potentes, persequentes sanam doctrinam. Quod
hoc anno non sequitur effectus aut euentus optatus, altero anno sequetur.

Inter omnia uerò exempla precationum, insignis & tanquam gemma est,
quæ Danielis nono describitur, quam omnibus pijs diligenter commendo. Cùm
adhuc loquerer & orarem &c. Ecce uir Gabriel &c. Hæc omnia enim delectio
sunt, non ut legamus semel tantùm obiter, sicut prophana exempla cognoscere
solemus, sed ut erudiamur, atq; ita, ut ad nos pertinere statuamus. Nec dubitemus
de exauditione, locum uerò, tempus & circumstantias omnes arbitrio & consilio
Dei relinquamus. Hoc quicunq; fecerit, reipsa sentiet, quàm miranda uis & effi-
cacia sit orationis, similiter enim ut spiritus adiuuat infirmitatem nostram & po-
stulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus Ro. 8. Eph. 3. Qui potens est omnia fa-
cere abundanter quàm petimus aut intelligimus. Nos petimus tantũm bona illa ex-
terna, pacem tranquillitatem, bonam ualetudinem & necessaria ad hanc uitam, sed
potentia Dei superat omnem intellectum, spem & petitionem nostram. Multò ple-
tur plura & maiora largitur Deus inuocantibus, quàm humanus animus possit
capere aut postulare: Quia adoramus eum cuius potentia & beneficentia est in-
finita. Quin & circumstantias omnes, locum, tempus, personam longè melius &
rectius disponit, quàm nos cogitando præscripserimus. Assuefaciamus itaq; ani-
mos nostros & excitemus ad inuocationem, ut multi simul orent, quo enim plu-
res orabunt, hoc citius & abundantius impetrabunt. Orandum autem est in nomi-
ne Christi, non Mariæ, Petri, aut Sanctorum aliorum, sicut Papistæ solent, de
quo alias sæpe.

Seria & ardens oratio statim initiò exauditur. Genes. cap. 44. Tom. 4. fol. 137. Vtinam nos tanto ardore inuocare Deum possemus, sicut hic Iudas coram fratre orat. Jch wolt viel drumb geben / das ich für vnserm HErrn Gott so wol kündt beten / als hie Judas für Joseph bett. Est enim perfectum exemplar orationis imò adfectus qui debet esse in oratione. Hic audax est & confidens, neq; meminit uel potestatis & potentiæ Ioseph, uel suæ humilitatis. Oratio & necessitas facit eum audacem, ut accedat ad Ioseph sine illa trepidatione.

Si nos tam perfectè possemus orare, præsertim in nomine saluatoris & mediatoris Christi, impossibile esset talem precationem non exaudiri. Sicut Ioseph non poterit se continere diutius, quin Illachrymet seseq; aperiat. Nam nos quoq; hodie uexamur multis calamitatibus & tribulationibus, præsertim in ministerio, & officio Ecclesiastico, ubi tentatio alia aliam excipit, ac finita una mox septem aliæ longè grauiores sequuntur.

Iam ante omnia certò sciendum est, nos habere uerbum. Id enim fundamentum est & basis qua nitimur, nos esse auditores, & Deum loqui nobiscum: De hoc nemo debet dubitare, qui enim nescit aut dubitat, murmurabit quidem preculas, Battologia usitata hypocritis, sed orare non potest. Posito uerò hoc fundamento, quod est uerbum Dei, imò tum ultimum præsidium, imò non præsidium, sed uirtus & uictoria nostra est oratio in omni tentatione. Sicut sonat uox diuina: Inuoca me in die tribulationis, & ego exaudiam te. Et in Esaia: Eritq; antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et ad Danielem inquit Gabriel: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo. Quando enim cor seriò & ardenter orat, impossibile est preces illas ā Deo non exaudiri initiò statim cum incoatur precatio. Id ego uerè adfirmare & testari possum. Non libet quidem gloriari de meis precibus, sed uerum esse uerbum illud Gabrielis nihil dubium est. Quamuis non semper eodem affectu & ardore possumus precari, non semper adest gemitus ille inenarrabilis, quia non est in potestate nostra. Sed quando spiritus clamat: Abba Pater, ibi os quidem obmutescit, nec potest assequi aut enarrare gemitum hunc. Sed cùm primùm erumpit clamor Spiritus, ut ait Esaias, nihil est certius, quàm exauditam esse orationem adeo uehementem. Ac si etiam Turca, Pontifex, Cæsar, & omnes portæ inferorum sese opponerent, tamen nihil quicquam agerent, si Ecclesia hunc gemitum inenarrabilem adferret ad precationem. Quia nos pugnamus contra Diabolum, & portas inferorum quid uerò est caro & sanguis in hostibus Ecclesiæ? siquidem Satanam occidimus oratione, cur non etiam Turcam & Pontificem profligaremus? Ita enim de Aegypto dicitur apud Iesaiam: Caro est & non Spiritus. Item de nostris aduersarijs & persequutoribus statuendum est. Sicut hactenus sanè totos 24. annos oratione repressimus hostilem impetum Cæsaris, Turcæ, Papæ, &c. Verūm hoc ardore uehementissimæ precationis non semper accenditur Ecclia publicè, nec sancti priuatim, sicut usitato prouerbio apud Theologos dici solet: Spiritus Sanctus non semper tangit corda Prophetarum. Illuminationes Proheticæ non sunt continuæ & perpetuæ. Sicut Esaias non habuit continuas & assiduas reuelationes de rebus maximis, sed per uices temporum. Idem testatur exemplum Elisei cùm ait de Sunamitide: Dimitte illam, anima enim eius in amaritudine est, & Dominus cœlauit ā me & non indicauit mihi. Ibi fatetur Deum non semper tangere corda Prophetarum. Interdum etiam uenit spiritus, cùm aut Cythara, aut Psalterio luderent, & Psalmos quosdam & cantica spiritualia decantarent.

Atquæ hæc exempli causa dico, quod oratio non semper talis est, qualis solet esse in motu Spiritus Sancti. Et tamen hoc optimū remedium, & consilium est ad excitandum impetum precationis, ut legamus, psalamus, audiamus uerbum, adhibeamus Psalterij lectionem, aut cœtum publicum Ecclesiæ accedamus. Ibi tum paulatim incalescet cor, & accendetur spiritus. Regulare enim hoc & usitatum est, quod Spiritus Sanctus non semper tangit corda nostra gemitu inenarrabili. Cùm

uerò tangit tum concluſum & definitum eſt, quod penetrauit nubes oratio, & in petrauit hoc quod petitur in cœlo & terra. Oder Himel vnd Erden müſſt ehe brechen.

Inſignis igitur ea precatio eſt, ubi primo omnium uerbum, poſtea uerò neceſsitas urgens oculis & animo obuerſatur. Quando Diabolus impellit, mundus affligit, tum quantò atrocius urgemur, tantò ardentius petimus. Quia animus credentis commouetur, & exuſcitatur in eo clamor & gemitus inenarrabilis. Actum quidem, cùm cœpit primùm inuocatio, ſtatim exauditur iuxta illud: Abintio precum tuarum egreſſus eſt ſermo.

Ita in hoc loco deſcribitur exemplum uehementiſsimæ orationis in Iuda, qui Maieſtatis & potentiæ Ioſeph prorſus obliuiſcitur, & neceſsitate impellente accedit, & orat ſine ulla reuerentia.

Sic nos cum fortuna ſecunda eſt, cogitamus de Maieſtate & gloria Dei, quem inuocamus, deq; indignitate noſtra, ac metuimus potentiam eius. Ideo cum non eſt fortis & ardens inuocatio. Sed cum in periculo & tentatione conſtituti ſumus, ibi nulla ratione habita ſublimitatis illius, dicimus: Domine Deus adiuua me, hilff lieber Gott/nu hilff Gott las dich das erbarmen im Himel. Sine ulla præfatione. Ita neceſsitas extrema facit audaces & confidentes, qui perrumpunt & uincunt. Verbum autem fundamentum eſſe debet inuocationis, quo nitatur fides, quæ credit in Deum, & accedit ad ipſum fiducia mediatoris Ieſu Chriſti.

Quod ſi ad hunc modum poſſemus orare, facilè minas & potentiam totius mundi contemneremus, ſicut hactenus omnium hoſtium uim & impetum ſuſtinuimus, & quanquam frigidè orauimus, tamen uirtus orationis in conſpectu Dei eſt.

Incredibilis ſanè furor eſt Behemoth, & omnium Diabolorum aduerſus nos, tamen non poſſunt nos opprimere. Sin autem Deus unico momento illis frænum laxaret, ſubitò omnem noſtram ſapientiam, uires & arma deuoraret. Noſtra enim præſidia & conſilia, ueluti exigua ſpecies, & larua quædam ſunt, quibus ludit Deus aduerſarios, ut putent ſubeſſe ingens robur, & hanc laruam meruntur. Quare? Quia titulus Dei noſtri eſt, qui aufert ſpiritum, impetum & fortitudinem Principum. Sed quis hoc efficit? Qui credit, qui uerbum habet, qui orat & inuocat Deum, ille ipſe eſt Spiritus Gratiæ & precum.

CAVSA QVAE AD PRECANDVM IN VITARE DEBENT.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 455. Ieſai. cap. 65. Antequam clament &c. Id eſt, antequam clamorem finiant. Sicut Moſi factũ eſt ad mare rubrum. Eſt neceſſaria promiſsio, pro confirmandis conſcientijs, & excitandis cordibus ad orationem. Quemadmodũ autem aliæ promiſsiones, ita hæc quoq; eſt abſcondita & fide tantùm implenda, ut autẽ oratio noſtra exaudiatur, hoc primũm ſcire prodeſt, quòd ſumus in regno Chriſti, non obſtante hoc, quod ſumus in pelle iſta externa, quæ ſapit originem ſuam & ſeruat odorem peccati, quo eſt imbuta, imò perdita. Hæc autem gloria & conſolatio noſtra eſt, quod uerbum nos ſuſpendit extra hanc pellem & in aliud cælum.

Quare non debemus propter peccata noſtra, uel orandi fiduciam obijcere, uel orationes noſtras, tanquam ingratas Deo, & uanas contemnere, ſed debemus diuerſum potius partem urgere & dicere: Etiamſi reclamat conſcientia, quia baptiſmum & uerbum & ſacramentum altaris habeo, ideo pertineo ad regnum Chriſti, & ſum uerẽ os de oſſe, & Caro de carne Chriſti. Hæc præſumptio & ſuperbia (ut ſic uocem) animo concipienda eſt, non tanquam meritum, ſed tanquam gratuitum donum, & tum gratæ & exauditæ erunt preces animi ſic inſtituti & confirmati fiducia mortis & meriti Chriſti.

Sum

Sunt autem magnæ & multæ causæ, quæ nos ad orationem hortantur. Vrgemur enim non solùm propriis peccatis, sed incumbunt etiam in nos uniuersa monstra Dæmonum & mundi, & uerè sicut Atlas, soli sustinemus pondus cœli, præter priuata nostra peccata, ut sunt infirmitas fidei, & defectus aliarum Christianarum uirtutum. Oratio igitur depellit illa mala, quæ nobis minantur mortem & damnationem. Deus enim qui nobis hic promittit, se exauditurum, maior est quàm mundus, Satan & peccata.

Sanctus Bernardus benè monuit fratres suos, cùm in hanc ferè sententiam eos ad orandum inuitat. Ne contemnant orationes suas, sed sciant quamprimum orare cœperint, omnes suas uoces in cœlo perscriptas esse. Certissimo igitur alterum horum euenturum, ut uel fiant quæ petunt, uel si non fiant, mutentur in melius. Verè ex Spiritu Sancto Bernardus hoc loco de oratione monuit. Verè enim fiunt quæ rogamus, nisi quod Deus non tam augustè dat, sicut nos oramus. Vult enim magna dare, & parua dat gratuitò, non rogatus. Porrò optima orandi forma est in oratione Dominica, quam ipse Christus nobis præscripsit & orare iussit. Eam cùm oras, ne sis sollicitus te aliquid prætermisisse. Ipse enim melius eam intelligere, & extendere ad omnes partes præsentium calamitatum potest, quàm tu, etiamsi longa expositione utaris. Non tamen malum est, imò maximè prodest disertè hæc uel illa rogare. Tantùm in hoc laboremus, ut certus sit animus non uanam orationem fore, & id præter Christum. Si enim Christus orandi formam præscripsit, ergo placet ei. Si præcepit, ergo delectatur hoc cultu. Si promisit se exauditurum, ergo audiet.

Quare assuefaciamus nos ad hoc Christianum opus, quod nemo præter Christianum potest facere. Tentat autem fidem nostram nonnunquam Deus, cùm non statim dat hoc quod petimus. Discendum igitur est, ut in fide expectemus, & non absterriti mora, annectamus orationi nostræ hanc uoculam Amen, certi fore, ut aliquando fiant, quæ petimus, & fiant uberius ac alio prorsus modo, quàm nos cogitare possumus. Sicut superiore capite dixit, Nec aurem audisse, nec oculum uidisse ea, quæ contingunt cordi expectanti Dominum.

Item. Tom 4. Inens. 459 in 7. Psalm. Grad. Etsi redemptio est facta, & nos uerè redempti sumus sanguine Filij Dei, tamen necesse est, ut quotidie pro redemptione oremus, sicut Christus quoq; in oratione sua iubet orari, Vt sanctificetur nomen Dei, quod tamen constat esse sanctum & sanctificatum, Vt ueniat regnum Dei, quod tamen uenit & est &c. Item Christus dicit: Pater glorifica nomen tuum, ac respondet Pater, glorificaui id & glorificabo adhuc amplius: Item Paulus, Non arbitror me apprehendisse &c.

Hoc enim est quod etiam suprà monui, beneficium Euangelij & inæstimabile illud donum redemptionis nostræ, & uitæ æternæ facilè dici quidem, sed difficilimè credi. Quia habemus in hac uita non decimas, sed tantùm primitias Spiritus, plenitudo autem carnis ferè tota adhuc uiuit, & est incolumis, Ingredimur quidem in regnum Dei, ac, ut sic dicam, uno pede certi sumus de promissione consequenda, sed non sic subsistendum est, etiam alter pes trahendus, hoc est, quotidie crescendum & proficiendum est in hac agnitione gratiæ & fide. Ideo Zacharias dicit: Effundi Spiritum precum, qui augmentum hoc requirat. & Paulus dicit: Spiritum gemere gemitibus inenarrabilibus, imò uniuersam creaturam ingemiscere, pro liberatione filiorum Dei. Igitur donec habitamus in hoc corpore, quod nos grauat & remoratur, quò minus possimus ista plenè apprehendere, habemus non solùm Spiritum gratiæ, sed precum quoq;, ut sciamus quidem nos esse in Gratia, propter Christum in quem credimus, & tamen assiduè oremus, ut quod Deus in nobis cœpit, perficiat.

Nemo igitur tam sit arrogans, ut æstimet, cùm hæc semel audiuit, se esse Theologum, & plenè scire ista. Hæc enim arrogantia facit phanaticos spiritus.

qui sicut canis Aesopicus, umbram sectantur, & quod uerum est, amittunt. Verbum quidem, Baptismus, denicq; ipse Christus, plena, perfecta & integra sunt. Sed nos hic non de rebus ipsis agimus, sed de apprehensione rerum. Sic uita aeterna uerè est perfecta, sicut Christus dicit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, Sed in his mansionibus nos dum hic uiuimus, nondum consedimus, ipsi tantùm eas possidemus, & uexamur interim peccatis, desperatione, curis, laboribus &c. Ac nonnunquam, fides satis firma est, sed rursum accidit ut sit infirmissima, ibi immergimur tanquam in profundissimum lutum, ex quo eluctari non possumus, quin undicq; commaculemur. Talis est uita Christianorum, qui iam primitias spiritus acceperunt, Hi usu discunt, non ista posse sic planè apprehendi, quin sæpe fiat, ut labantur, periclitentur, & alleuatione opus habeant, sicut Christus Paulo respondit: Virtus mea in infirmitate perficitur. Infirmitas est nostra, manet nostra, dum uiuimus, uirtus autem est solius Christi.

Hoc in Papatu ignorauimus, Nam & de Sanctis, etsi historiæ sacrarum literarum diuersum ostendunt, credimus, eos fuisse purissimos, & de nobis cogitauimus, si quis unum, ut sic dicam, gradulum Gratiæ haberet, saluum esse. Ac [illegible] non nego hoc postremum, & tamen uerum est, præsertim in pugna & tentationibus, tales sæpe labi, & scintillam Spiritus penitus extingui, sicut Dauidi accidit in adulterio. Quare excutienda hæc est Papistarum opinio, qua animi reddimur securi, ac putant satis esse, cœpisse hæc semel. At Christus dicit: Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit. Quod si quis post Baptismum aquæ & Spiritus statim extingueretur, is saluaretur, sed quia uiuimus longius, non potest aliter fieri, quàm ut sæpissime inpugnemur à Diabolo, qui conatur spem, fidem, & [illegible] mas uirtutes, quæ in nobis per gratiam Dei sunt, conuellere & labefactare. Habet autem Satan hic eam prærogatiuam, quod gratia in nobis cœpta, nondum [illegible] tem impleta & perfecta est. Res quidem integræ & perfectæ sunt, Sed nos non dum sumus integri & perfecti, Ideo non possumus res integras & perfectas integrè & perfectè apprehendere, sicut Paulus loquitur. Ideo autem inuadit Satan hæc initia, quod metuit ne perficiantur, & pugnat contra spem, fidem, & charitatem.

In hoc periculo Ecclesia se confert ad orationem, & dicit: Ne inducas nos in tentationem, Item, Da uictoriam, ne deficiat fides mea, ne confundatur spes mea, perfice bonum opus, quod cœpisti in me &c. Tales sunt Christiani, qui habent perfectam redemptionem, & certam spem uitæ æternæ & remissionis omnium peccatorum, & ueram liberationem à Diabolo, morte, & inferno. Has res habent, nec in rebus ullus defectus est, Sed in me, & te est defectus, quod ista nondum plenè apprehendimus. Nam caro & sanguis, ac peccati reliquiæ adhuc uiuunt, ideo S. Paulus clamat, Video aliam Legem in membris meis, repugnantem legi Dei. Hæc causa est cur Christianus non possit esse securus. Videt enim semper pericula nondum superasse, quæ quotidie hostis excogitat. Quod autem ad Christum attinet, quem fide apprehendit, uerùm est quod habet omnia. Nam in Christo, hosto, Diabolus prostratus, Lex impleta, ira Dei submota, peccata exoluta, & mors ipsa deuicta est. Sic sunt hæc, cum in Christum, in quem credimus, respicimus. Sed cùm postea ad nos respicimus, cogimur fateri nos nondum esse purosq; nos, fides nondum perfecta est, quæ ista dona perfectè apprehendere possit. Igitur in pugna formidamus, cedimus hosti, patimur nobis excuti spem, commouemur in tristitiam, im patientiam &c. Sic Christiani sunt bellatores & ueri milites Dei, qui in acie stant, nec possunt esse securi, ideo orant solicitè & implorant Dei auxilium. Contrà qui securi sunt, nihil orant, sentiunt enim Diabolum procul abesse, & fidem etiam non sentientes amittunt, & postea in tentatione sunt tanquam arundinum folium.

Hoc dicit hic uersus, nempe quod in Ecclesia semper sit continuanda oratio, si non ore, at corde & gemitibus, secundum Præceptum Pauli, Abundet uerbum Dei

Dei inter uos, ut non tantùm docendo publicè & priuatim, quotidie acuatur, sed etiam orando, & ut Moses in Deut. dicit, meditando, siue constamus, imus, uigilamus, edimus &c. Non quidem ideo, quod in re sit dubitatio aliqua, sed quia Aduersarius noster tanquam leo circumit, quærens quem deuoret. Nos autem sumus infirmi gestantes thesaurum hunc in testaceis uasis, imò aggrauati adhuc carne peccatis plena, in qua fides est ceu surculus, qui nondum peruenit ad maturitatem & facilè à uentis commoueri, aut extingui etiam potest. Hoc nesciunt, qui antequam in pugna periculum faciunt, se Christianos esse, & credere putant. Hi aut hæretici fiunt, apprehendentes temere omnia, aut planè prophani redduntur, sicut iam uulgus est, quod quidem doctrinam nostram uerbis aliquo modo referre potest, sed inclinatum, tanquam porcus in stercus, uerè uerbum nihil curant, sed etiam deteriores nunc sunt, quàm ante fuerunt. Hi non intelligunt quod necessarium sit quotidie crescere, ut in pugnis quotidianis contra sagittas Satanæ consistere possimus, impellentis ad contemptum Dei & hominum. Vigilandum itaq; est & orandum, secundum præceptum Christi.

Ad hunc modum intelligo orationem hanc non in persona Prophetæ, quasi oret pro reuelatione redemptionis futuræ, sed in persona Christianorum, qui quotidie necesse habent hunc uersum orare, & dicere, Domine Redemisti de captiuitate, redime amplius, Remisisti peccatum, remitte amplius, Occidisti Diabolum, occide amplius, Sustulisti Legem, tolle amplius. Postulandum enim hoc est, quod iam ante habemus, donec fiamus perfectè puri, id quod fiet mortuo hoc corpore nostro, in quo peccatum hic regnat. Sententia igitur est, Domine conuerte captiuitatem nostram, hoc est, nos qui incepimus esse initium nouæ creaturæ, redime, ut sicut redemtio per Christum plenè & perfectè facta est, ita nos plenè & perfectè eam apprehendamus & sentiamus. Multa enim sunt in hac uita, quæ huic redemptioni aduersantur, quare opus est nos sic defendi, ne relabamur in captiuitatem, ne fides nostra per Satanam euertatur. Caro enim est infirma, at Satan est potens, nisi igitur nos defenderit & seruauerit Deus, frustra incepimus redimi. Ad hunc modum semper orandum est, ut augeantur in nobis primitiæ Spiritus, & renouemur de die in diem, donec uetus homo totus aboleatur per mortem. Tunc enim futurum est, ut captiuitas perfectè conuertatur, sicut torrentes seu aquæ austri exiccatæ sunt. Siue mare rubrum, siue Iordanem intelligas, parum enim refert. Similitudo enim hæc est, sicut per manum tuam mirabiliter fecisti, ut mare exiccaretur à sicco uento. Ita penitus exicca quicquid est captiuitatis in nobis, ut perfectè absumatur, sicut torrentes, qui per hyemem inundant, per æstatem autem toti exiccantur. Significat enim simpliciter siccitatem, siue eam intelligas, quæ in mare rubro & Iordane fuit, siue quæ in torrentibus solet accidere.

Hoc igitur est, quod moneo, ut assuefaciamus nos ad assiduam *orationem*, & meditationem Scripturæ sanctæ. Qui non pugnauerunt contra Satanam, nesciunt quàm Spiritus precum sit necessarius. Paulatim enim crescit negligentia & securitas, sicut rubigo in ferro, & uerbum paulatim quasi de manibus delabitur, priusquam sentiamus. Hoc cum fit, iam dimidium uictoriæ Satan abstulit. Non enim dormit, sed obseruat omnia momenta, & tum adoriri solet, cum cor uacuum uerbo, senserit. Ibi facilè tanquam ex scintilla ingens incendium in conscientia excitat, id priusq; restingui possit. & Christus ac uerbum iterum apprehendi, aut doloribus & cruciatibus oppressi aut penitus enecati sumus. Est enim homicida, & omnia consilia sua instituit ad nos occidendos. Necessarium igitur est uerbum ruminare, & orare, siue cùm surgimus, siue cubitum imus, ne nos uacuos & impparatos hostis inueniat, & redemptionem hanc penitus nobis excutiat.

Ego etiam Theologus sum, qui mediocrem usum & peritiam sacræ scripturæ uarijs periculis sum consecutus, Sed non ita efferor hoc dono, quin quotidie unà cum pueris Catechismum, hoc est, Decalogum, Symbolum & decem Præ-

cepta mecum orem, & intento corde inſpiciam, non tantũm uerba tranſcurrens, ſed etiam obſeruans, quid ſingula uerba ſignificent, Et ſanè, cũm hoc non facio, & alijs negocijs occupor, ſentio inde certum incommodum. Verbum enim à Deo in id datum eſt, ut id nobis acuamus, ſicut Moſi dicit, & exerceamus, ſine exercitio animi noſtri contrahunt quaſi rubiginem, ut ipſi nobis ipſis excidamus. Vide, mus, & quotidiana uita ſatis magnum documentum eſt, quô homines cadant, & quibus excipiantur periculis. Sed huius rei quæ alia cauſa eſt, quàm quod ſecun ſunt, non orant, Verbum non audiunt, nec ruminant, contenti eo ſunt, quod in libris habent & legere poſſunt. His paulatim inſerit Satan contemptum Verbi, deinde aut in ſubitam deſperationem, aut alia pericula conijcit. Quid enim rely quum eſt, uerbo amiſſo, quo homo contra hunc hoſtem ſe munire & defendere poſſit? Theologi igitur eſt, aſſiduè diſcere, aſſiduè exerceri in uerbo & oratione, non tantũm quia res ſunt maximæ, quæ animo plenè includi non poſſunt, ſed etia am, quia aduerſarius noſter non ſemel tentat, ſed aſſiduè, Ergo aſſiduè uerbo con tra eum pugnandum, & orandum eſt. Ita ad populum Chriſti & Eccleſiam, ſeu redemptos & ſanctificatos pertinet oratio. Increduli enim & impij non orant.

FIDES PROMISSIONIS SPIRITVALIS REQVIRITVR AD FIDEM PROMIS- *ſionum corporalium.*

Geneſ. cap. 49. Tom. 4. fol. 233. Deinde hoc quoq; notandum eſt, omnes promiſsiones & fidem earum, neceſſariò includere fidem promiſsionis ſpiritua lis. Quicunq; enim uolet Deum inuocare, illum neceſſe eſt ſtatuere in corde, Deu um ſibi placatum & fauentem eſſe, & uelle exaudire. Tametſi Louanienſes hanc doctrinam impugnant & oderunt, tamen res uera & certa eſt. Nunquam inuoca bis Deum Patrem Creatorem, qui te condidit, qui paſcit te in pane, & liberat te à omnibus malis, niſi crediderís & certus fueris, te habere eum propitium.

Ita hodie contra Papam & ultimum furorem Satanæ clamamus & oramus, ut politia, pace, principibus & omnibus neceſsitatibus huius temporis, non tantũm pro uerbo, ſed & pro uentre & pane quotidiano. Sed non poſſemus ſeriò & uere orare, niſi crederemus Deum eſſe noſtrum Patrem, uelle nos exaudire & nobis proprium eſſe. Sic omnia recapitulantur, ut Paulus ait, in unum Chriſtum. Omnis creatura & quidquid eſt in cœlo & in terra, id uniuerſum redigitur in illam ſummam, & unum Chriſtum, ita ut ſit mediator, ſiue petamus ſpiritualia, ſiue corporalia.

Ad hunc modum loquitur Spiritus Sanctus per Iacob de promiſsione cor porali, quę nulla eſt, niſi accedat fides promiſsionis ſpiritualis. Inde enim eſt quod in hiſtorijs huius populi ſæpe dicitur, Filios Iſrael clamaſſe ad Dominum, neq; tamẽ exauditos & liberatos eſſe, quia uolebant Deum placare ſacrificijs, & mac tionibus hoſtiarum, quin etiam filiorum & corporum ſuorum, quæ incidebant cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine, aut alioqui uitam uitiebant duriſsimam, ſed erant idolatræ, & colebant Deum cultibus commenticijs, ideo non exaudiebantur. Sic Achas erat ſanctiſsimus & religioſiſsimus Rex, qui offe bat omnes filios Deo, inuocabat Deos Syriæ & nullos alios. Sed Deus non audie bat. Sic Papa cumulat preces & cultus immenſo ſtudio, incedunt nudis pedibus, indicunt ieiunia, confeſsionem peccatorum, uſum Euchariſtiæ: Sed illis omnibus Deus irritatur magis, non placatur aut flectitur ad ferendam opem.

Nos uerò habemus promiſsiones: Inuoca me in die tribulationis, & ego ex audiam te. Item, Voluntatem timentium ſe faciet. Item, Propè eſt Dominus in cantibus eum in ueritate. Item, Beatus uir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. His promiſsionibus nitimur, & confidimus Deum nobis reconciliatum eſſe, & audire noſtros gemitus & uota.

Papa cum tota illa lerna Monachorum, non poteſt inuocare Deum, quia prodeunt in conſpectum Dei iactitantes merita & cultus ſuos ſicut Baalitæ, de ho-

de hac superstitione & fiducia operum perpetuum certamen fuit Prophetis cum populo Israelitico, qui damnant omnes eorum cultus, & totum regnum tanquam maledictum & abiectum à Deo.

Omnes itaq; promissiones corporales includunt fidem promissionum spiritualium. Ne buccellam quidem panis dabit Deus, etiam ad rauim usq; clamantibus sine fide, nisi fortè ut hostibus etiam suis & impijs bona quædam largiri soleat, nobis quoq; indignis ea obijciat, sed ut faueat nobis & animo paterno nos alat & tueatur, necessaria est fides, etiam in prophano opere, & petitione rei carnalissimæ, Oportet ut apprehendam Deum Patrem, qui habet Filium, in quo se reuelauit.

Nihil sanctius & religiosius unquam fuit disciplina falsorum Prophetarum, lustrabant illi filios per ignem, & cremabant charissima uiscera & fructus uentris sui, sine ulla commiseratione, in honorem & cultum Dei. Sicut dicitur Michææ cap. 6. Nunquid dabo primogenitũ meum pro scelere meo, fructum uentris mei, pro peccato animæ meæ? Sed respondet Propheta: Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare coram Deo tuo. Id uerò Idolatræ clamabant hæreticum & impium esse, maius enim studium & ardor est in tuendis superstitionibus, quàm amplectenda & retinenda uera doctrina & fide. Sicut hodie in Papatu uidere est, & mundus omnibus temporibus plenus est exemplorum.

Ego non possem iam ferre labores, uigilias, & macerationes illas quas olim Monahus sustinui. Cùm enim in Academia Erfurdiensi præceptis primis artium & studijs Philosophiæ ornatus essem gradu Magisterij, potuissem ibi aliorum exemplo docere iuuentutem, aut ad altiora studia progredi. Sed desertis parentibus & propinquis, ijsq; inuitis omnibus, conieci me in cucullum & monasterium, quia persuasum habebam, me eo genere utæ, & laboribus illis tetricis, magnum obsequium Deo præstare.

Sed scriptura testatur omne quod non est ex fide, peccatum esse, & ècontra, quod est ex fide, esse iustitiam. Ego in possessione domus, administratione politiæ, & uniuerso curriculo carnalis uitæ oremus in fide mediatoris, & statuamus orationem illam Deo gratiam esse, & ab eo axaudiri. Nostris temporibus admirandam uictoriam obtinuimus oratione, & fide contra Papam. Quanquam non desunt arma & gladij, tamen Ecclesia sola inuocatione eum uincit & occidit, & exuit eum armis suis, & fulmine illo excommunicationis, etiam apud subditos & complices ipsius, & adhuc maiora faciemus, si perseuerauerimus in fide & oratione.

VITIA ORANTIVM

Tom. 4. Ienens. fol. 298. Matthæ. cap. 6. Duo uitia in primis taxat orantium: Primùm. Qui putant orationem esse, si multa uerba proferant in oratione (Quasi Deus puer sit qui erudiatur & informetur de rebus nostris, uelut rerum ignarus) hoc uitiũ multas habet species. Sub Papatu alij multos sanctos inuocauerunt. Alij singulos singulis precibus. Sic Missatores multas Missas, multas preces in Missa una, uarijs sanctis obtulerunt. Item alij certis, multis, uarijs precibus, ut Rosarijs, Psalterijs, Coronis Mariæ, & certis numeris Pater noster, Aue Maria, Psalmorum, ita ut non solũm Sacerdotes, Monachi, Nonnæ in templis sese penitus enecarint multitudine & uarietate precum. Sed & laici intolerabiliter grauati fuerint suis infinitis orationibus. Omnes isti fuerunt & sunt Battologi tantũm multiloquio orantes, & gentiliter de oratione sentientes.

Secundò qui, quasi Deus nostra ignoret, uolunt per orationem eum admonere, cùm ipse sciat, antequam oremus, quo sit nobis opus. Hoc uitium etiam latè patet præsertim in his (inter quos etiam boni sunt) qui putant se non exaudiri,

exaudiri, quia ſtatim non fit quod petitur. Ideo urgent quaſi Deus ignoret, cum ſcire debeant, eum noſſe & uelle antequam ipſi orent, ſed tempus & modum, locum, nolit ſibi præſcribi. Et hoc loco urgendum eſt illud, quod in oratione maximẽ opus eſt ſcire, ſcilicet, quod certum quidem ſit, nos eſſe exauditos, Deum etiam noſſe & uelle, ante noſtram orationem, &c. Sed quod tempus, modus, perſona, locus, non ſit illi præſtituendus. Hoc uult cũm Chriſtus hic dicit. Sic enim Pater noſter, Q. D. nolite eum docere orantes, ſed certi eſtote ipſum ea ſcire, ſed hoc facite, expectate, fidite, certi eſtote de eius gratia. Ipſe ſecundum ſuam uoluntatem uos exaudit, ſecundum ſuum tempus, non ſecundum ueſtrum. Secundum ſuum modum, non ſecundum ueſtrum. Hæc omnia in eius uoluntatem reiſcite, non ſecundum affectum ueſtrum menſurate. Vide hiſtoriam lodici, & omnium Sanctorum, qui exauditi ſunt, non præſcriptis ſecundum propriam uoluntatem temporibus, modis & locis &c.

Igiturnon oratur ut Deus doceatur, ſed magis ut nos moueamur malis noſtris, ſentire quid deſit, quid petendũ eſt. Nã oratio me me docet, quid mihi ſit opus, & meme mouet ad orandum & clamandũ. Et ita Deus occaſionẽ miſerendi arripiu per clamantem ad ſe, cuius miſereri non poteſt, donec ipſe malum ſitum non ſenti neq; clamat. Tertium uitium hic non tractat, ſed Matth. 23. Vbi Phariſæi quæſtus gratia, imò gloriæ quoq; & auaritiæ cauſa orauerunt. Hoc uitium ſuperat Gentilium uitium, qui multiloquio peccant. Iſti planẽ uertunt orationem in idolatriam, dum propter gloriam & pecuniam orant. Gentiles tamen pro ſalute ſua orabant. Hoc uitio regnant Papiſtæ, ſed Imperatores ſunt præ omnibus Minoritæ impudentes hypocritæ, propter fauorem & uentrem omnia orantes & facientes.

PAPISTARVM ORATIONES SINẽ AFFECTV ET INTELLECTV.

Geneſ. cap. 20. Tom. 2. fol. 159. Narratur de ſancto Hulderico aluiſſe eum mendicum quendam, qui quotidie pro ipſo oraret: Accidiſſe autem ut Oeconomus eius quodam die mendicum negligeret, & portionem ſolitam non daret, longo mendicum etiam intermiſiſſe orationem: Quia autem Huldericus aliquid incommodi paſſus, & eo die periclitatus erat, interrogat mendicum, oraſſet ne eo die pro ſe: Mendicus id negat, & addit cauſam, nihil ſibi eo die ab Oeconomo eſſe datum. Igitur Huldericus obiurgat Oeconomum, quod ſua tenacitate priuauerit ipſum interceſſione mendici. Heus inquit Oeconomus, quanti eſſe putas orare unum Pater noſter? Huldericus eum ablegat Romam, ut interrogaret quanti æſtimaret unum Pater noſter? Reſpondit Pontifex nummo. Hic cum rideret Oeconomus, reſpondet ſecundõ Pontifex aureo æſtimare. Tertiõ reſpondens ait: Totus orbis cum omnibus ſuis opibus pro uno Pater noſter, ſatisfacere non poſſet.

Hæc ſic fortaſſe ficta ſunt, ſed profectõ non ſine fructu aut fruſtra narrantur. Si ergo Papiſtæ tam ampla beneficia rectẽ poſsidere uolunt, orare ipſi quoq; debent, ſed cum oratio requirat fidem in Chriſtum ipſi autem non ſolũm ſine fide ſint, ſed etiam uerbum, quo ſolo fides nititur, oderunt & perſequuntur, nullo prorſus apud eos oratio eſſe poteſt. Oratio eis tantùm linguæ labor eſt, clamant & uociferantur in templis, ſine omni intellectu, nec ſuam miſeriam, nec Dei miſericordiam norint. Oratio autem ſine intellectu, eſt etiam ſine affectu, quia ignoti nulla eſt cupido. Sic Papiſtarum oratio tædioſum opus & moleſtiſsimus labor eſt, qui ne quidem obulum ualet in oculis Dei, imò eſt abominatio, ſiquidem ſine fide ſunt, & Deo honorem ſuum non tribuunt, q̃ gratis ignoſcere & propter Chriſtum dare uelit, quibus indigemus. Hoc nullus Monachus ſtatuit, & tamen tegunt impietatem ſuam iſto falſo operculo, quod Eccleſia mandauerit ſi in templis uociferari, & quod Pontificis autoritate liberati ſint ab orando, & tantùm obſtricti ad legendos Pſalmos: Sicut in decretis ſententia hæc eſt, ualde cele Tales lebris: Nullam attentionem eſſe neceſſariam niſi uerborum.

Tales oratores seu petitores quis non execraretur? Templa igitur ipsorum nerè sunt scholæ Diaboli, & debebant decuplo spoliari præbendis suis. Quia primùm non orant. Sunt enim sine fide, & quæ orant non intelligunt. Deinde ex oratione faciunt laborem linguæ, & ex tritura uerborum cultum Dei, cùm uerè sint in omnibus suis orationibus blasphemi in Christũ. Sunt autẽ affirmatiua peccata, sic enim appellare licet docẽdi causa, longè horribiliora, quàm peccata omissionis.

Cùm igitur Monachi & Canonici suas orationes tanti faciant, ut eas etiam uendant, nihil ijs sceleratius dici potest. Isti autem ueri oratores sunt, qui habent uerbum sicut Abraham, nec dubitant se esse filios gratiæ, quia uocati & à Spiritu Sancto per Euangelium eruditi sunt, ac imbuti agnitione Christi, per quem facti sunt hæredes Dei. Hæc gloria, quæ non ex nobis, sed ex cœlo contingit, necesse est ut adsit cùm uolumus orare. Nisi enim credamus nos placere Deo, quomodo de oratione possumus cogitare, quòd Deo grata sit? Qui autem de eo dubitat, sicut omnes Papistas de hoc dubitare necesse est, frustra orabit. Contrà qui credunt se propter Filiũ Dei in gratia esse, etiam cùm aliud agũt, sine intermissione orant. Est enim in eis gemitus inenarrabilis, qui non quiescit nec Sabbathisat, sed replet orbem terrarum dies & noctes clamoribus, imò etiam ipsum cœlum. Hos gemitus Papistæ non uident: Igitur palàm nos accusant, quòd nihil oremus. Se autẽ gloriantur dies ac noctes orare. Cum quid uera oratio sit nesciant, ac multò minus quid uera oratio faciat, & quàm sit efficax, & tamẽ de merito orationis multa blaterant.

Quod ad uerba attinet, orant nobiscum orationem Dominicam, quid autem erent, nec uident, nec intelligunt, nesciunt quid sit Dei nomen, nesciunt quomodo sanctificetur, nesciunt quod sit regnum Dei. Et quomodo uerè orare possent pro sanctificatione nominis ipsius, & pro aduentu regni ipsius, cùm nomen Dei, hoc est, sanam doctrinam blasphement, & Ecclesiam persequantur. Nos autem qui retinemus uerbum, intelligimus pericula, quæ Satan Ecclesiæ struit, & uidemus potentiam regni ipsius, quod in hoc mundo habet. Igitur uero affectu clamamus, sanctificetur nomen tuum, hoc est, da sanctos & pios doctores in Ecclesia, qui nomen tuum pate faciunt mundo, quod sis misericors, & propter filium tuum pro nobis crucifixum, peccata condonare, & uitam æternam donare uelis, ut omnes homines in misericordia tua confidant, & te inuocent, te prædicent, tibi gratias agant &c. hoc enim est sanctificare nomen Dei. Veniat regnum tuum, hoc est, da Spiritum Sanctum, qui nos gubernet, & serua nos, ne relabamur in regnum Satanæ, qui uerbum, fidem, cultũ Dei omnem conatur abolere &c. Sic cùm oramus sumus ipsi quoq; Prophetæ, seu Prophetarum filij & discipuli, nec opus est ut futuri euentus nobis reuelentur. Satis ad Prophetæ officium est, quod scriptura nim Propheta non est, neq; docere, neq; orare potest, nec ullum opus bonũ facere. intelligimus, & alios docere possumus, ac nos inter nos precibus adiuuare. Qui e-

Commune igitur Prophetæ nomen est omnibus Christianis, & qui hoc negat, etiã negetse baptisatum, & uerbo institutum esse: Saltem hæc differentia est, quod alij Spiritum Dei plenius habent, alij minus plenè, & si enim non tam copiosus est in me, ut in Helia, tamen pro sua parte etiam in me est: Igitur & doceo uerbum Dei, & oro pro Ecclesia, quod si Abraham maiorem Spiritus mensuram habuit, tamen non habuit alium spiritum, non habuit alium Dominum & Deum.

Frustra igitur Papistæ hoc Abrahæ exemplo suam auaritiam & rapinas defendunt, sunt eis bona opera: In templo sine affectu & intellectu recitare Psalmos, uestire cilicio, abstinere à carnibus, sed non à piscibus & uino. Hæc iudicant digna tantis opibus, & tam lautis præbendis.

CONTRA INVOCATIONEM SANCTORVM.

Tom. 3. Ienens. folio. 450. Iesai. cap. 64. Quoniam Abraham non scit &c. Est bonus locus contra inuocationem Sanctorum. Nihil enim glossa illa ualet, Abraham nescíuit nos, scilicet cùm uiueret, Imò credidit Abraham & per fidem sciuit se habiturum posteritatem. Hic disputant scholastici,

tici an Sancti nostras miserias uideant. Scriptura autem dicit quod dormiant. Scimus igitur nos, & sentire debemus, quòd sint nobis mortui. Quomodo autem Deo uiuat, nihil ad nos, neq; enim illa per uerbum nobis sunt reuelata. Et satis est nosse, quòd sint nobis mortui. Non ergo à nobis sunt inuocandi. Vnicum refugium est non ad Sanctos, præsertim mortuos, sed ad Deum, qui est Pater ab æterno. Illi ut maximè Patres fuerunt, tamen iam cessarunt patres esse.

PRO PAPISTIS QVATENVS ORANDVM.

Tom. 4 Ienens. fol. 653. in cap. 9. Hoseæ. Pontificia turba hodie uerbum non solùm non admittit, sed crudeliter odit & damnat. Nec solùm nulli emendantur abusus, quantumuis manifesti, sed excogitantur quotidie noui fuci, quibus ornetur impietas. Hic quid facias? Ea spe docuimus, ut emendarentur, quotidie quoq; oramus pro successu uerbi, & contra Satanæ mendacia. Sed impij homines, quanto nos & docemus diligentius & oramus studiosius, tantò fiunt deteriores, agunt, conantur, moliuntur omnia, quæ uidentur ad doctrinæ nostræ interitum & idolatriæ propagationem pertinere. Num igitur orabimus, ut sint felices, ut habeant quietem ab hostibus? Vt nullis arceantur pœnis, cùm certum sit, & successu confirmaturos ad Dei contumeliam, & pace ad delendas Ecclesias, quæ sanam doctrinam & ueros cultus retinent? Quin potius oremus pro sanctificatione nominis Dei. Hæc oratio sic demum exaudiri cognoscitur, cùm Dominus subuenit impietatis patronos, & omni genere calamitatum eos coercet, ne possint hoc perficere, quod tanto studio statuerunt.

Ita quoq; consideratione peccati excusari Propheta potest, cui prior est cura sanctificationis nominis Dei, quàm salutis sui populi. Vellet quidem saluum populum, sed cum hoc non possit fieri, nisi cum perpetua nominis Dei blasphemia, siquidem nolunt emendari uerbo, mauult perire populum, quàm gloria Dei, uerbum, & cultus ueros periclitari. Ad hunc modum Moses orat contra seditiosum Core & socios eius. Et Ieremias prohibetur orare pro populo, & Johannes dicit, esse peccatum ad mortem, pro quo non sit orandum. Hic si obijcias, ubi manet Spiritus Sanctus, qui est spiritus dilectionis? Vbi manet Charitas? Sic enim nobis respondent hodie sectarum patroni. Respondetur: Peccatum eiusmodi est, ut charitatem omnem excludat. Nam prima cura nobis debet esse nominis Dei, posterior salutis aliorum: Horum alterum cùm intercidere necesse sit, pereat Papa, pereant impij Magistratus, pereant impiorum dogmatum patroni, pereat totus mundus, & saluetur Deo sua Gloria, suum uerbum, sua Ecclesia, suus cultus, AMEN.

DE POENITENTIA

QVID SIT.

Ex Genes. Tom. 4. fol. 250. cap. 50.

Pœnitentia complectitur terrores conscientiæ, & fidem, hoc est, docet Christum subuenire peccatori, uicino desperationi, & fide tamen se erigenti & clamanti: Miserere mei Deus propter Christum, in quem confido passum pro me. Quod si in hac fide perseueras, certò saluaberis. Sed senties simul horribilem pugnam legis, naturæ, consuetudinis, totius denique mundi repugnantis huic fiduciæ salutis, ideo non paratur ea nostris uiribus, non est acquisita fides, sed ut Paulus dicit, donum Dei est, non ex uobis.

DE PARTIBVS POENITENTIAE.

Ex Galat. cap. 2. fol. 45. Tom. 4. 2. pars Christianismi est prædicatio pœnitentiæ.

Sic nos docemus fidem & ueram Christianismi rationem, ut homo primùm erudiatur lege ad cognitionem sui, ut discat orare cum Prepheta, Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Item, Non est iustus ne unus quidem, non est intelligens, non est requirens Deum, Omnes declinauerunt, &c.

Item, Tibi soli peccaui, &c. Sic contrario modo absterremus homines à merito congrui & condigni. Humiliato autem homine per Legem & redacto in sui cognitionem, tum verè constitutus est pœnitens (Vera enim pœnitentia incipit à timore & iudicio Dei) videtque se tam magnum peccatorem, vt suis viribus, studijs & operibus non possit à peccatis liberari. Tum demum rectè intelligit, quid Paulus velit, cùm dicit, Hominem esse seruum & captiuum peccati, Item, Deum omnia concluisse sub peccatum, Totum mundum reum esse coram Deo, &c. Ibi videt meram Matheologiam esse Sophistarum Theologiam de merito congrui & condigni, & ruere totum Papatum. *Contritio.*

Hîc tum oritur huiusmodi suspirium, Quis tum potest opem ferre? Nam sic Lege homo exterritus, desperat prorsus de viribus suis, circumspectat & suspirat auxilium Mediatoris & Saluatoris. Ibi tum tempestiuè venit salutare verbum Euangelij, & dicit: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Crede in Iesum Christum pro peccatis tuis crucifixum, &c. Si sentis peccata, noli ea in te aspicere, sed meminisse ea translata esse in Christum, cuius liuores te sanauerunt, &c. Esa. 53. 1. Pet. 2. Hoc initium est Salutis, hoc modo liberamur à Peccato, iustificamur & donatur nobis vita æterna, non propter nostra merita & opera, sed proter Fidem, qua Christum apprehendimus. Quare nos quoque facimus qualitatem & formalem iusticiam in corde, non charitatem, vt Sophistę, sed Fidem. Sic tamen, vt cor nihil aliud spectet & apprehendat quàm Christum Saluatorem. Ibi autem necesse est, vt scias, quid sit Christus definitiuè. Hoc ignorantes Sophistæ, fecerunt eum Iudicem & tortorem, & excogitauerunt illud stultissimum commentum de merito congrui & condigni. *2. Predicatio Euangelij ex qua fides oritur applicans sibi meritũ Christi.*

Christus autem definitiuè non est Legislator, sed propiciator & Saluator. Hoc fides apprehendit, & sine dubio credit, eum operâ & merita congrui & condigni fecisse superabundanter. Potuisset enim per vnicam guttulam Sanguinis satisfacere pro peccatis Mundi. Iam autem copiosè satisfecit. Ebr. 9. Per proprium Sanguinem intrauit semel in Sancta, &c. Et Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam Dei, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in Sanguine ipsius, &c. Ideo magna res est fide apprehendere Christum, portantem peccata mundi, Eaque sola reputatur ad iusticiam, Roman. 3. & 4.

Postquam fidem in Christum sic docuimus, docemus etiam de bonis operibus. Quia apprehendisti Fide Christum, per quem iustus es, incipe nunc benè operari, dilige Deum & proximum, Inuoca, gratias age, prædica, lauda, confitere Deum, Benefac & serui proximo, fac officium tuum. Hæc verè sunt bona opera, quæ fluunt ex ista Fide & hilaritate cordis concepta, quod gratis habemus remissionem peccatorum per Christum. Quidquid postea crucis & passionum ferendum venit, toleratur suauiter. Nam iugum, quod Christus imponit, suaue, & onus ipsius leue est. Remisso enim peccato & conscientia liberata ab onere & morsu peccati, Christianus omnia facilè ferre potest. Quia intus omnia sunt suauia & dulcia, ideo omnia volens facit & patitur. Quando autem homo in propria iusticia incedit, quidquid facit & patitur, graue & molestum ei est, quia inuisus facit. *Doctrina bonorũ operum post fidem tradenda.*

Habes quid sit pœnitentia. Timere Deum propter peccata admissa, dolere de peccato, odisse peccatum, seriò cogitare de emendanda vita. Hæc est vna pars. Altera est retinere spem veniæ propter misericordiam Dei, quam ostendit in filio suo promisso primùm, Deinde exhibito, vt fieret victima pro peccatis totius mundi. Hic cultus Deo est gratissimus. Delectatur enim primò humilitate, Deinde ista certa fiducia bonitatis per Filium concepta. *Ex Ioel ca. 2. Tom. 4. Ienens. fol. 863.*

Ex Ioel ca. 2. Tom. 4. fol. 793.

De vera pœnitentia diximus incoari eam ab agnitione peccati, quod sua natura cùm verè nos arripit, aliud nihil potest, quàm terrere, anxios reddere, ac in desperationem adigere. Absolui autem fide in Christum, in quo Deus se nobis benignum, ac placatum ostendit, siquidem per eum expiari omnium peccata voluit. Hæc singulis præstare satis est, nec Deus quidquam aliud à nobis requirit. Nam pauores illi odium peccati instillant, & asserunt studium emendationis, quam facultatem non præstant. Ea enim per Spiritum Sanctum confertur, & fide in Christum iustificamur, hoc est, peccata nobis non imputantur.

Ex Ioel ca. 2. Tom. 4. fol. 790. 791.

Conuertimini ad me, hoc est, nolite mihi obuertere tergum, cùm loquor ad uos, auscultate mihi, idque ex toto corde vestro, ne aut sit simulata conuersio, aut non integra. Vult enim Deus totum cor, non vult timeri, non vult credi alium Deum, sicut Christus quoque dicit: Nemo potest duobus Dominis seruire. Vsitatum autem hoc inter nos est, cùm audimus in verbo quid nobis sit faciendum, vt tamen hactenus seruatos cultus, ac vsitatos mores non prorsus abijciamus aut damnemus. Dicit igitur in toto corde ad me conuertimini, vt summo studio intendentes verbo, nusquam ab eo deflectamus. Hoc primùm est vt verbo audiamus. Quid autem tradit verbum? quàm ostendit placandi Dei viam? In ieiunio, in fletu, & in luctu conuertimini ad me, & scindite non vestes, sed corda vestra. Hæc prima pars est pœnitentiæ quam Prophetæ tradunt.

Notus autem Iudæorum mos est, vestes scindentium ac lacerantium, in rebus aduersus: Sic Annas indicaturus dolorem, quem ex Christi Blasphemia iudicabat, voce acceperat, vestem rumpit. Ac multa alia in veteri Testamento similia exempla sunt. Disertè autem dicit Ioel, Non vestes sed cõrda scindite, significans velle se, vt serius sit dolor, non simulatus. Nam homines etsi in calamitatibus dolent, tamen non dolent seriò. Serius enim & verus dolor, ad quem Propheta hortatur, non est querulari de incommodis, quæ patimur, sed causam commodorum inspicere, peccata scilicet, de ijs dolere, ea emendare, ac porrò non admittere, Is demum verus dolor, & verum pœnitentiæ initium est. Impudica mulier, maritus adulter, præter ignominiam etiam sentiunt maledictionem & inopiam, de his dolere nihil noui est. Est enim hæc veteris hominis natura, de se vt amet, de suis malis vt doleat & quæratur, etiamsi causam mali nondum videat, aut execretur.

Dolor autem, de quo Spiritus Sanctus hic concionatur, est non afflictionis sensu pœnæ, sed sensu peccati, quod per adulterium Deum offenderis, quod contieceris te in iram & damnationem. Hic sensus cùm verè occupauit animum, is demum sequitur quòd vulgo vocant bonum propositum. Non quærentur amplius occasiones prohibitarum libidinum, animus etiam ad cogitationem prauiriti peccati cohorescet, & abhorrebit à tanta fœditate. Hic dolor Spiritus Sancti opus est, qui per verbum Legis ad hunc modum animos terret, Non est, vt Papistæ docent, opus hominis, quod, quoties libet, præstari à nobis potest, oportet verbo ad hunc modum per Spiritum Sanctum excitentur animi, Absque eo si vetus homo semper antiquum obtinet, & delectatur peccatis, sectatur occasiones peccatorum, & potius ijs, tanquam re benè & fœliciter gesta, gaudet, Sic vsitatum est. Cùm pestilitas, aut annonæ caritas incidit, dolere & conqueri, sed quotus quisque est, qui de horum malorum fontibus seriò cogitet, ac admonitus his calamitatibus peccare desinat, emendet vitam, minuat auaritiam, luxum, negligentiam

Contritio opus est Spiritus Sancti.

tiam in vocatione? &c. Sic Iudæi quoque dolebant de incommòdis, quæ hostis ac noxiæ bestiæ inuexerant, sed non dolebant de idolatria, de verbi & Prophetarum contemptu, & alijs peccatis, quæ tantas calamitates concitarant. Iubet igitur per Prophetam Deus corda scindi, non vestes, hoc est, iubet vt seriò de peccatis admissis doleant. Id enim cùm fit, sequitur seria vitæ emendatio, audiunt animi & amplectuntur verbum, non sequuntur amplius vel cupiditates, vel studia sua, Igitur iacent idolatria, falsi cultus, fiducia in propria opera, & totum illud peccatorum agmen, quod impietas secum trahit.

Talem luctum requirit Deus, ac meminit quoque ieiunij, non solùm quod aptos facit ad orandum, sed quòd indicium etiam est animi seriò perturbati. Sicut etiam Lachrymæ animi testes sunt. Peccatrix Lucæ 7. Prouoluta ad pedes Christi, muta prorsus est, sed intelligit Lachrymas eius Christus, & iubet vt sit ocioso animo, dimissa enim iam ei esse peccata, Talem fletum hîc quoque Propheta exigit.

In pœnitentia enim hoc primum est, agnoscere peccatum, seriò perturbari & dolere de peccatis admissis. Hanc contritionem sequuntut deinde certi fructus, emendatio scilicet vitæ, & vehemens peccati odium. Sed etsi necessaria hæc sunt nondum tamen ad iusticiam satis sunt, nec, vt Sophistæ disputarunt, merentur remissionem peccatorum. Fide enim in Christum opus est, ea sola, quia misericordia Dei nititur, remissionem peccatorum impetrat, & absoluit pœnitentiam. *Contritio-onis fructus.* *Fides.*

DE POENITENTIA PAPISTICA.

Hæc est admodum pulchra, & Sancta ad pœnitentiam exhortatio, quam si cum Papæ dogmatibus conferas, videbis in fœdissimum monstrum transformatam sanam doctrinam. Iubet Propheta ad Dominum conuerti ex toto corde, hoc est attendere verbo, & sequi verbum, ac seriò dolere de peccatis, deinde niti bonitate Dei & misericordia. His duabus partibus, doctrinam de pœnitentia absoluit. Sed tu audi Pontificem, Contritionem mandat, eam statuit nostri arbitrij opus esse, ac mereri remissionem peccatorum, Vtrumque autem falsum est. Deinde contritis imponit onus confessionis, hoc est, vt Catalogum peccatorum texas, & recites ministro Ecclesiæ. Statuit autem confessionem quoque meritoriam esse. Tertiò addit infinitum mare operum, satisfactionem scilicet, cum certa opera iniunguntur. Hæc quia semper cum vitio sunt, nec vnquam in eis acquiescere conscientia potest, rectè mare appellatur, quod semel ingressus portum nunquam attinges. Nihil monstrum hoc docet de Pauore, quem excitat in animis Lex, cùm ostendit iram Dei, & nos in iudicio Dei accusat. Nihil docet de fide, de promissione nihil, quæ tamen sola remissionem peccatorum ad nos adfert, & animos turbatos metu iræ Dei, sola erigit. Si autem de operibus satifactionum, diligentius inquiras, ibi demum apparebit Satanæ dolus. Alius certis diebus ieiunat, alius recitat certum numerum præcationum non intellectarum. Inuenias qui peregrinationibus, adoratione statuarum, & alijs nugis se veniam peccatorum consecuturas sperent. Hæc igitur perturbatio sanæ doctrinæ, imò euersio, an non satis magna & digna causa fuit, vt nos à Pontifice separaremus? &c. *Ex Ioel ca. 2. Tom. 4. fol. 793.* *Contritio.* *Confessio.* *Satisfactio*

Quæ in Pontificis Ecclesia de pœnitentia doctrina sit, notum est. Concionantur de contritione & atritione, quam sibi quisque fingere potest. Non enim iudicant *Ex Hoseæ capite 14. Tomo. 4. fol. 675.*

Pœnitentiæ doctrina in Papatu.

iudicant hunc Spiritus Sancti motum esse, quem per verbum Legis in credentibus excitat. Hanc sequi volunt auricularem confessionem, eorum delictorum quorum veniam petas. Tandem satisfactio imponitur, quæ certorum operum onera continet. Hæc ipsis pœnitentiam absoluunt. Non statuunt si posthac Absolutio, quæ non Christi solius, sed Sanctorum quoque meritis nititur, acceptis, se remissionem peccatorum habere.

Nihil autem necesse est, confutare hæc accuratius, tantum cum hac doctrina, præsentem Prophetæ locum comparemus, & patebat longè lateque à Propheticis Scripturis Papæ doctrinam de hoc articulo dissidere. Nam primùm considera, qui sint quibus concionatur Hosea, nempe fœdi Idolatræ, qui postea (ficut ceſſe eſt, vbi ſemel à vera via deflexeris) varijs peccatis & criminibus se polluerunt. Ac locupletissimum testimonium, peccatorum sunt horribiles pœnæ, populo Israel inflictæ. Hos habet discipulos Propheta. At nunc in eo est, vt oppressos ira Dei & pœnis peccatorum horribilibus erigat, ac viam placandi Dei, & consequendæ remissionis peccatorum ostendat.

Quis autem tam est stolidus & vecors, qui non putet in simili argumento Prophetam Doctorem sibi sequendum esse potius, quàm Pontifices & Scholas? Non autem iubet Propheta accedere Sacerdotem, ibi clam in aurem insusurrare delicta. Conuerti ad Dominum, & os aperire iubet, ac veniam peccatorum poscere. Hæc oratio primùm habet confessionem peccati, non quæ ore fit ad hominem, sed quę ad Dominum sine Hypocrisi, & ex vero corde fit. Hæc confessio rat proponenda Ecclesię & commendanda, tanquam necessaria ad peccatorum remissionem, quanquam remissionem peccatorum non meretur, sicut Papistæ Hypocritica sua confessione falsò prædicant. Sic Dauid de se profitetur, peccatum meum tibi notum faciam, & iniquitatem meam non tegam. Dixi confitebor transgressiones meas, Ibi tum remisisti iniquitatem peccati mei. Sic Daniel remias, & alij Prophetæ etiam orationibus suis, confessionem peccati addunt. Porrò confessio hæc non solùm certorum delictorum, seu criminum est, sed complectitur totum naturæ vitium, Quòd etsi non polluti simus externis flagitijs, tamen quidam, tamen nihil boni in nobis sit, sicut Dauid confitetur Psalm. 51. Tibi soli peccaui, vel vt sententiam clarius reddam, coram te nihil sum quàm peccator, & malum coram te facio. Hæc confessio vera est humiliatio, & magnificè nobis commendat gratiam, & misericordiam Dei, quod sic vitiatos, corruptos, & peccatos peccato non abijcit, sed miseretur eorum, & ignoscit eis.

Confessio.

Pœnitentia vera.

Memineri mus igitur, pœnitentiam veram incipere ab agnitione vera & confessione peccati, Neque autem hæc potest existere sine ingenti dolore. Quia enim mens intuetur voluntatem Dei, & æternas peccati pœnas, hoc est, mortem oculos habet, seriò commouetur, & non tantùm dolet de admissis peccatis, sed etiam peccatum verè incipit odisse. Hunc motum siue contritionem siue attritionem dicas, non statuemus cum Sophistis esse motum hominis, sed Spiritus Sancti opus est. Natura enim destituta Spiritu Sancto, non odit peccatum, sed amat. Non dolet de peccato, sed gaudet peccatis, & occasionibus peccatum non potest satiari. Spiritus Sanctus igitur cùm per pœnitentiam refingit hominem, diuersos motus inserit animis, vt videant peccati fœditatem, vt cogitent de pœnis & ira Dei, has cogitationes sequitur odium peccati, & ardens desiderium ignoscentiæ. Etsi autem nonnunquam ipse sensus pœnarum animos commouet, vt de-

Contritio seu agnitio peccati.

sciant de admissis peccatis, Tamen verum vt ita dicam instrumentum Spiritus Sancti est verbum Dei, quo Deus ostendit & irasci se peccato, & tum temporalibus, tum æternis pœnis peccatores subiecturum. Hanc quasi flammam diuini iudicij, cùm Spiritus Sanctus per verbum in corda immittit, tum sequuntur non hypocritici, sed veri & serij motus, dolor de peccato, confessio peccati, & propositum cauendi & fugiendi porro peccati.

Sed hîc quoque Sophistarum deliria & impias opiniones fuge, Statuunt enim hunc dolorem mereri remissionem peccatorum. Nos dicimus necessarium esse, si petas remissionem peccatorum, sed meritum omne excludimus. Illud enim, vt pòst patebit, non nostrum, sed Christi est. Inchoata igitur pœnitentia est cùm agnoscimus peccata, & de ijs seriò dolemus, Tum autem absoluitur, cùm in his doloribus accedit fiducia misericordiæ, & animi vt Propheta hîc docet, conuertuntur ad Deum & expoſcunt veniam peccatorum. De hac fide Pontificis Scholę prorsus nihil docent, quæ caput pœnitentiæ est, & remissionem peccatorum sola accipit. Hæc seu fiducia, etiam opus est Spiritus Sancti, non nostrum. Nam natura refugit à Deo, cùm videt ab eo immitti pœnas, nec potest sperare inde salutem, vnde iram videt proficiſci. Hunc naturæ nostræ adfectum Spiritus Sanctus, per verbum Euangelij non corrigit solùm, sed prorsus tollit, & instillat animis fiduciam misericordiæ. Ostendit enim Deum, etsi peccatum odit, tamen non eo esse animo, vt peccatores ideo velit damnatos. Nam mundo donauit Filium suum, & iussit per eum credere remissionem peccatorum & vitam æternam. *Fides altera pœnitentiæ pars.*

Hanc cœlestis Patris voluntatem cùm animi Spiritu Sancto per verbum afflati intuentur, in ipsis doloribus concipiunt spem, & tanquam in vmbra mortis videret lucem vitæ. Etsi enim peccata terrent, tamen ideo non desperant, quia vident precium peccatorum incomparabile, Sanguinem Filij Dei, mortem quoq;, etsi meritos se peccatis statuunt, tamen acquiescunt in misericordia Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed vult vt conuertatur & viuat. Atque ideo non pepercit vnigenito Filio suo, sed dedit eum vsque ad mortem crucis, vt ipsius plagis nos sanaremur. Ad hunc modum absoluitur pœnitentia, cuius postea certi prouenient fructus, vt infrà monebimus.

Hanc fiduciam hæc oratio Prophetæ clarè ostendit. Qui enim os suum ad Deum aperit, & dicit leua, seu tolle, seu remitte, omnem iniquitatem fateor, hunc dubitare ne putes de Dei voluntate bona? Hanc igitur vocamus, fidem seu fiduciam misericordiæ, quæ sacrificio Filij Dei nititur, & sola remissionem peccatorum accipit, seu vt Petrus dicit, Purificat corda. Impura enim corda sunt, quæ à peccatis nondum sunt defecata. Sequitur autem si iniquitas remittitur, Iustitiam esse grauitam, & non contingere per aut propter opera nostra, sicut Papistæ etiam impiè mentiuntur. Ac vtitur Propheta mirè significanti verbo *(Koltisa aon.)* significat enim leuari peccato, sicut baiulantes leuantur onere. Nec dubium est hac ipsa voce sum Baptistam, cùm Christum vocauit Agnum tollentem peccata mundi. Latinus interpres ferè expoſuit remittere, Sicut Psalm. 32 Beati quorum remissæ sunt iniquitates, hoc est, quorum iniquitates leuatæ, seu sublatæ sunt. Hoc quomodo fiat Baptista ostendit, qui docet Christum esse victimam portantem, & in se recipientem peccata nostra. Hoc cùm corda verè statuunt, & Deum ideo placatum credunt, ea vera fides est, Spiritus Sancti opus seu donum, quod per Euangelij prædicationem contingit.

Hîc fortè in mentem Lectori, ſacrarum rerum imperito veniet, Quomodo poſſit mens à Deo ſperare remiſſionem peccatorum, cum Deus peccata grauiter punire ſoleat, ſicut exemplum regni Iſrael oſtendit? Sed meminerit veram peccati pœnam non eſſe calamitates has corporales, ſed mortem æternam. Etſi igitur pœna corporalis in nos incumbit, tamen ſpes de remiſſione æternæ pœnæ, retinenda firmiter eſt, & pro ea orandum. Oſtendit autem Deus miſſo filio ſuo, quanquam calamitatibus certis peccatores viſitaturus ſit, tamen libenter æternas pœnas remiſſurum ijs qui filium apprehendunt fide, & ei meritò nituntur. Itaque pij hac ſpe, quod vera & æterna pœna peccati remiſſa ſit per Filium Dei, ſe consolantur, & vincunt difficultates omnes huius vitæ, quarum peccatum causa eſt.

Hæc de prima huius præcatiunculæ parte neceſſaria vila ſunt, quæ admoneremus, Nunc reliqua quoque videbimus. Non ſatis eſt Prophetæ docuiſſe, vt pro remiſſione peccatorum, ac veræ & æternæ pœnæ oret populus, addit aliam particulam, & iubet vt orent etiam donari bonum. Hîc primùm Lector obſeruet vocabulum (TOB) non accipi eodem modo, Alicubi ſignificat beneficium, nem corporalem vt Pſalm. 25. Anima eius in bono commorabitur. Eccl. 8. Bonum non erit impio, Geneſ. 45. Dabo vobis omne bonum terræ Aegypti, Deut. 6. Domus plenas omni bono. Nonnunquam vſurpatur pro eo, quod nos communiter bonum ſeu rectum etiam coram Deo dicimus, vt Deut. 6. facies rectum & bonum in oculis Domini. Ita ſæpe in Sacris literis vocatur bonus pro iuſto, vt Eccle. 9. Omnia geruntur, ac ſi omnium idem eſſet eventus, iuſto & impio, bono ac mundo & polluto, ſacrificanti, & non ſacrificanti, bono & peccatori. Sic Chriſtus in Euangelio inquit, Nemo eſt bonus niſi Deus.

Quòd igitur Propheta hoc in loco dicit, Et dona, quod bonum eſt, ſimpliciſſimè comparo cum proxima particula, Tolle peccatum, quod malum eſt, & dona bonum, hoc eſt, Spiritum Sanctum, qui ſanctificet nos. Nam peccatum præteritum condonari ſatis non eſt, opus eſt Spiritu Sancto, qui confirmet & regat nos, ne victi à Satana & carne relabamur in deſideria carnis. Aſſidua enim cum hoc hoſte nobis pugna eſt, id ſummo ſtudio agenti, vt nos retrahat in ſuum regnum, & per inobedientiam ex regno Chriſti eijciat. Hoc igitur Spiritus Sancti opus eſt, vt non ſolùm per fidem in Chriſtum, nos Sanctificet, & peccatis liberet, ſed etiam vt excitet ad veram obedientiam, vt contra peccatum & carnem pugnemus, reſiſtentes concupiſcentiæ, &c. In Ebræo eſt verbum (*Iakah*) quod accipere ferè exponunt. Eſt autem idem verbum, quod eſt in Pſalm. 68. Accepiſti dona pro hominibus. Id Paulus vertit ſicut nos, dedit dona hominibus. Donandi autem verbo ideo volui vti, vt hic quoque gratuiti beneficij admonetur Lector.

Noua obedientia.

Nihil ne igitur ſunt opera inquies? An non his quoque in pœnitentiæ doctrina locus aliquis eſt? Reſpondeo. Hactenus de remiſſione peccatorum, & donatione Spiritus Sancti diximus. Hæc prorſus gratuita, & non noſtri meriti, ſed ſimpliciter inexhauſtæ bonitatis & miſericordiç Dei ſunt. Itaque rectè cùm de remiſſione peccatorum loquimur, de noſtris operibus tacemus, quæ quia ſine Spiritu Sancto fiunt, etiamſi ciuiliter non mala ſunt, tamen bona dici non poſſunt, nec debent, propter impurum cor, ex quo proficiſcuntur. Cùm autem per fidem remiſſionem peccatorum, & vnà Spiritum Sanctum accepimus, ibi ex corde puro fonte, etiam pura ac Deo benè placita opera ſequuntur. Eſi enim propter

peccati reliquias, etiam Sanctorum obedientia penitus pura non est, tamen propter fidem in Christum Deo placet & grata est.

Atque hæc opera vocantur fructus pœnitentiæ. Inter quæ primo loco hoc est, quod Propheta hic commemorat, quod linguæ soluuntur in laudem Dei. Quid enim miseri homines possumus aliud, quàm vt tantam bonitatem prædicemus? Sic Psalm. 116. Quid retribuam Domino, pro omnibus beneficijs eius? Calicem Salutarem accipiam, hoc est, sustinebo patienter quicquid accidet, & nomen Domini inuocabo. Vota mea reddam Domino, coram omni populo eius. Hæc vota, hæc nominis Dei prædicatio quid sunt? Nimirum hæc humilis confessio, En Domine sum ego seruus tuus, seruus tuus sum & filius ancillæ tuæ. Tu dirupisti vincula mea. Ideo sacrificabo tibi sacrificium gratiarum actionis, & prædicabo nomen Domini. Sicut autem Dauid hanc prædicationem beneficiorum Dei vocat sacrificium. Ita Hosea noster belliſſimè dicit: Vitulos librorum nostrorum offeremus, q. d. Hypocritæ cùm putant se summum cultum Deo præstare, immolant vel taurum, vel vitulos, sed verè ἄλογος iste cultus est. Deus hoc modo non colitur, vult intelligi & prædicari suam misericordiam, hoc vult nos niti & fecurè gaudere. Hic est rationalis cultus, qui non fingi potest ab Hypocritis, Igitur Deo verè placet, Hypocritica ista sacrificia sine hoc cultu Deo non placent.

Ad hunc modum confert cultus Legis, cum cultibus noui Testamenti, hos Deo dicit gratos esse, proficiscuntur enim ex fide in filium Dei, Illos autem ostendit Deo non placere. Siquidem fiunt ab Hypocritis, qui non solùm impura corda habent, sed etiam laudem iustitiæ & meriti sibi volunt à Deo tribui. Non solum autem laudat cultus noui Testamenti Propheta, & præfert cultibus Legis, sed etiam ostendit futurum, vt per Christum, qui remissionem peccatorum credentibus donabit, Sacerdotium legale vnà cùm sacrificijs in totum aboleatur. Nam legale Sacerdotium consistebat in tribu, Hîc autem cum dicit, Offeremus vitulos labiorum, ostendit hoc personarum discrimen sublatum iri, & fore Sacerdotes Deo gratos, non qui ex tribu Leui nati sunt, sed qui in Christum credunt, & vera fide Christum inuocant. Sicut Petrus hoc clarius dicit, cum Scribit credentibus in hæc verba, Vos estis electa gens, Regale Sacerdotium, &c.

Quòd igitur habent sacrificium? Non opus operatum missæ, quod Pontifex rasæ & vnctæ turbæ suæ vult esse proprium. Quod enim ad remissionem peccatorum attinet, sunt fideles, contenti sacrificio Christi, Eum solùm agnoscunt Sacerdotem, qui vera oblatione consummauit omnes Sanctos. Ipsi autem offerunt in gratiarum actionem, sicut Propheta hic eleganter dicit: Tauros labiorum, inuocant nomen Domini, prædicant eius misericordiam, annunciant mortem sui Sacerdotis, & eius sacrificium commendant publicè omnibus.

Sunt autem hi Sacerdotes altissimi, non à Pontificibus, sed à Spiritu Sancto vncti. Et tamen non solùm contemnuntur ab ea turba, quam Pontifices vngunt, sed etiam damnantur pro Hæreticis, & omni genere contumeliarum & suppliciorum afficiuntur. Sed hunc pœnitentiæ fructum sequuntur etiam alij, &c.

IN ABSOLVTIONE AD VERBVM RESPICIENDUM.

Ex Psa. 51. Tom. 4. fo. 399. 400

Hoc loco ministerium verbi, seu verbum vocale ornatur. Quia enim auditum lætitiæ petit, manifestè significat verbum ad consolandos animos esse necessarium, siue id per fratrem afferatur, siue Spiritus verbum olim auditum suggerat. Ergo pugnat hic versus, primò contra omnes, qui oderunt aut negligunt verbum externum, & rapiuntur suis ociosis & inanibus speculationibus. Deinde etiam contra eos pugnat, qui perturbati angoribus animi, verbum nolunt admittere, sed aut increduli sunt, aut à verbo fugiunt ad opera, sicut illi ad cogitationes suas, vtrinque erratur, & cogitando & faciendo, Hoc autem vno non erraturus, si audias.

Atque hæc doctrina est, propter quam non solùm nomen Hæreseos, sed etiam pœnas sustinemus, quod scilicet omnia tribuimus auditui, seu verbo, seu filio verbum (sunt enim hæc idem) & non nostris operibus, Quin in Sacramentorum vsu, & confessione docemus ad verbum potissimùm respiciendum esse, vt omnia reuocemus à nostris operibus in verbum. Nam in Baptismo est auditus gaudij, cùm dicitur: Baptiso te in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Quicrediderit & Baptisatus fuerit, saluus erit, In cœna est auditus gaudij, cùm dicitur, Hoc est corpus meum, quòd pro vobis traditur, Hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, In confessione seu vt rectius appellemus, in Absolutione & Clauium vsu, est auditus gaudij, crede remissa sunt tibi peccata tua per Christi mortem. Etsi igitur hortamur ad Sacramenta, & ad Absolutionem, tamen non docemus aliquid de dignitate nostri operis, quod ex opere operato valeat, sicut Papistæ de Cœna Domini seu suo sacrificio solent, sed reuocamus homines ad verbum, vt caput totius actionis sit ipsa vox Dei, & ipse auditus. Contrà Papa omisso verbo, &c.

Ex Psa. 51. Tom. 4. fo. 399. 400.

De contritione.

Papa omisso verbo, de forma & virtute Sacramentorum disputat, Item de contritionibus & attritionibus. Hac Doctrina sanè ita fum ego in Scholis captus, vt vix magno labore, Dei gratia, me ad solùm auditum gaudij potuerim conuertere. Nam si exspectandum eò vsque est, donec sufficienter conteraris, quam peruenies ad auditum gaudij. Id quod in monasterio magno cum dolore sæpissimè expertus sum. Sequebar enim hanc Doctrinam de contritionibus, sed quantò conterebar magis, tantò dolores, & conscientia insurgebat maiores, nec poteram admittere Absolutionem & alias consolationes, quas afferebant ij, quibus confitebar.

Sic enim cogitabam, Quis nouit an talibus consolationibus credendum sit? Postea casu accidebat, cùm apud præceptorem meum, de his meis tentationibus, quas sanè plurimas & propter ætatem patiebar, cum multis Lachrymis quererer, vt is ad me diceret, Fili quid facis? An nescis quòd ipse Dominus iussit nos sperare? Hoc vno verbo (IVSSIT) ita confirmabar, vt scirem Absolutioni credendum esse, quam sæpe quidem antea audieram, sed stultis cogitationibus impeditus, non putabam me verbo debere credere, sed audiebam tanquam nihil ad me pertineret.

Quare

Quare exemplo & periculo moniti, discite hanc Doctrinam iustificationis, quam præsens versiculus ostendit, quod iustitia non contingat nisi ei, qui credit verbo, vt distinguatis inter verbum absoluentis, & vestrum propositum, seu contritionem, Sicut inter cœlum & terram. Nam contritio etiam cùm summa & perfectissima est, tamen respectu iustitiæ est infimum quiddam, imò merum nihil, quo neque meremur aliquid, nec satisfacimus. Quale enim meritum est agnoscere peccatum, & de eo dolere? Quare procul à tua contritione auerte oculos, & in vocem fratris absoluentis toto pectore intuere, ne dubites quin illa vox fratris in Sacramento seu absolutione, sit diuinitus dicta ab ipso Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ita vt totus pendeas ab eo, quod audis, non ab eo, quod tu facis & cogitas. *Absolutio*

Diuersum Papa facit, Adigit primò ad contritionem, & ex contritione postea vult statuere, sit ne verbum efficax an non? Quasi promissio Dei non valeat per se, sed habeat opus accessione nostrorum meritorum, contritionum, aut satisfactionum. Atque hanc doctrinam si retinent, vt eos saniora docentes, tanquam Hæreticos damnent, & omni genere suppliciorum afficiant. Hinc in omnibus Bullis addita est hæc clausula, Ritè confitentibus, & contritis, quasi certitudo absolutionis, pendeat ex certitudine contritionis, cùm tamen cor nunquam possit statuere, quando sit satis contritum.

Has indulgentias etiam magno auro vendidit Pontificum auaritia, sed O Christe, aufer indulgentias istas, & potius sine, vt nobis irati sint Pontifices, quàm vt relinquentes certitudinem verbi tui, nitamur contritionibus nostris, si ipsi docent. Certitudo enim omnis, nobis in verbo tuo est posita, quo reuelas totius orbis peccata, tuo sacrificio, morte, & resurrectione tua expiata & deleta esse. Hanc vocem cùm audit cor, tum oritur gaudium, de quo Dauid hic loquitur, &cet.

Quomodo enim non gaudeat animus, cum audiat tantam diuinæ misericordiæ esse magnitudinem, vt cum voluptate largiatur gratiam, & non spectet insufficientem contritionem, sed simpliciter suam misericordiam & nostram calamitatem consideret. Hunc auditum sequitur fiducia illa, vt dicamus, sum Baptizatus, sumpsi corpus pro me in cruce traditum, Audiui Dei vocem ex ministro vel fratre, qua mihi annunciata est remissio peccatorum. Hæc autem fiducia vincitur mors, & omnia alia mala.

Libenter hæc pluribus dico, vt sciatis formam remissionis peccatorum, non esse per opera sed per auditum. Canunt quidem & orant hunc Psalmum, quotidie in templis Papistæ, sed nemo est qui intelligat, quid sit hoc gaudium, quo pij lætantur in Domino, nempe, certa fiducia Misericordiæ Dei, & conscientia non dubitans de remissione peccatorum. Hæc fiducia seu cognitio, seu auditus, illi si non adsit, nulla potest firma haberi consolatio. Nam hoc quoque propria experientiâ didici, quod post vigilias, studia ieiunia, orationes, & alia durissima exercitia, quibus Monachus ego ad mortem vsque me adfligebam, tamen illa dubitatio relinquebatur in animo, vt cogitarem, Quis scit an Deo hæc grata sint?

Fœlices

Fœlices igitur vos Iuuenes, si modò grati fueritis Deo pro tanto dono, quod auditis iam sanam & veram rationem, qua peruenitur ad iusticiam, vt possitis discere in cordibus vestris, si non tantum oraui aut feci, quantum oportebat aut satis erat, quid ad me? Non enim ædifico super hanc arenam. Si non perfectè contriui, quid ad me id quoque, sed hoc ad me pertinet propriè, & super hoc ædificò, quòd Deus mihi loquitur per fratrem. Ego absoluo te in nomine & merito Christi. Hoc verbum credo esse verum, nec me fallet fides mea. Est enim ædificata supra Petram sermonum filij Dei, qui mentiri non potest, est enim veritas, &c. Ad hunc modum perfunduntur animi vero gaudio, & vera lætitia Spiritus Sancti, quæ tota consistit in certitudine verbi, seu in auditu.

Sed hîc quoque de Antithesi monendi estis. Videtur enim ad Mosen obliquè respicere, cùm dicit, Auditui meo dabis gaudium, Quasi dicat iam satisdictum Legem & Mosen audiui, qui habet grauem linguam, Tolle à me hunc auditum, Est enim auditus iræ Dei & mortis æternæ. Quare peto auditum lætitiæ, qui venit per verbum gratiæ, & remissionis peccatorum, Tunc fiet, vt exultent ossa humiliata, hoc est ossa per sensum peccati contrita & concussa, quem sensum Lex Dei in animis efficit, sed sicut gaudium de quo suprà dixit, Papæ discipuli non intelligunt: Ita neque hanc humiliationem ossium, quid sit, scire possunt.

Nunquam enim audiuerunt verba Legis, nec audiuerunt auditum mortis & desperationis, sed sine experientia de his rebus disputant, sicut cæcus de pictura. Quare pertinet hæc quoque cognitio, ad illam absconditam sapientiam, de qua suprà dixit. Nam ego sæpe à multis in monasterio rogaui, vt mihi dicerent quæ essent humiliata ossa, sed quia experientiam talium tentationum non habuerant, impossibilè erat vt de re ignota aliquid sani & certi dicerent.

Non enim omnes easdem tentationes patiuntur, sed dat Deus ista, secundum quod singuli ea ferre possunt. Et tamen necesse est hunc sensum Legis & mortis experiri omnes vtcunque, alij plus, alij minus eam experiantur, quidem in vltimo articulo vitæ tandem eum sentiunt. Fit autem secundum literam quemque, vt in isto sensu, ossa humilientur, hoc est, vt robur corporis & vires frangantur, & mirabiliter affligantur, sicut in subitis periculis mortis, Item, in aliis magnis doloribus experimur.

Contritio Ossium.

Sed hæc ossium contritio, longè alia est contritio, quàm Papæ, qui iubent meditemur peccata commissa, postea imponit satisfactiones stultissimas peregrinationum, ieiuniorum, Eleemosynarum, &cet. Sed nisi ad veram contritionem accedat hoc, quod Nathan Dauidi dixit: (Abstulit Deus peccata tua) impossibilè est quin ossa maneant contrita.

Nulla enim re potest sanari hoc conscientiæ vulnus, quàm verbo diuinæ promissionis, quod scilicet credimus Deum nostrum esse patrem misericordiarum, & omnis consolationis, Item, quod credimus, Esse Domino beneplacitum super timentes eum, & super eos qui sperant in Misericordia eius, Quòd scimus, fore sum velle vt speremus, & nisi speres, pœnam æternæ damnationis subeundam esse. Cur autem iubet sperare, nisi vellet ignoscere? Cur obijceret Filium vnigenitum tam fœdæ morti, nisi vellet nos per fidem in ipsum saluari?

Hæc

Hæc atque huiusmodi alia dicta, sunt ista vera aspersio, & pharmaca præsentissima, quibus sanantur ossa humiliata, & conscientia erigitur. Qui autem dubitant de hac Dei voluntate, & respiciunt in suam indignitatem, quod Sanctitate non Paulo, non Petro sint pares, hi nunquam possunt esse quieto animo. Quare quidquid vsquam iusticiarum seu peccatorum, siue in te, siue in toto mundo est, hoc totum procul ex oculis atque animo eijce, & dic: Etsi sum indignus, qui ista tanta beneficia, scilicet remissionem peccatorum & gratiam Dei recipiam, Tamen Deus non est indignus, vt ei credam, quòd velit peccata remittere, sicut promisit in verbo suo.

Nam hæc consequentia in Theologia non valet, Ego sum turpis peccator & malus, Ergo Deus mentitur, qui promisit peccatoribus remissionem peccatorum, Quin hanc consequentiam facias, quam suprà Dauid fecit, Potius sum peccator, quàm vt Deus sit mendax, Quòd autem misericordiam spero, hoc facio fiducia verbi sui, quod de Christo prædicatur, &cet.

PROPOSITIONES D. M. L. DE POENITENTIA IN QVIBVS DOCTRINA DE CONVERSIONE HOMINIS, SEV DE VERA POENITENTIA DILVCIDE TRADItur contra Antinomos & Papistas.

DE POENITENTIA.

1 POEnitentia, omnium testimonio & vero, est dolor de peccato, cum
2 adiuncto proposito melioris vitæ.
Hic dolor proprièaliud nihil est, nec esse potest, quàm ipse tactus seu
3 sensus Legis in corde seu conscientia.
Multi enim audiunt quidem Legem, sed quia sensum seu vim Legis non
4 sentiunt, nihil dolent neque pœnitent.
Pœnitentia prior pars, scilicet dolor, est ex Lege tantùm. Altera pars, sci-
5 licet, Propositum bonum, non potest ex Lege esse.
Non enim potest homo territus à facie peccati, bonum proponere suis vi-
6 ribus, cùm nec quietus, & securus id possit.
Sed vi peccati confessus & obrutus cadit in desperationem & odium Dei,
7 seu descendit ad inferos, vt Scriptura loquitur.
Ideo addenda est Legi promissio seu Euangelium, quæ conscientiam ter-
8 ritam pacet & erigat, vt bonum proponat.
Synecdochen pœnitentia, quia caret bono proposito.
Pœnitentia solùm ex Lege, est dimidium vel initium pœnitentiæ seu per
9 Et si perseuerat, fit pœnitentia Cain, Saul, Iudæ, & omnium de Dei mise-
ricordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium.

Sophistæ

10 Sophistæ definitionem Pœnitentiæ, quod sit dolor & propositum, &cet. Ex Patribus habuerunt & docuerunt.

11 Sed partes definitionis, dolorem, peccatum, propositum, non intellexerunt, nec docere potuerunt.

12 Dolorem finxerunt esse actum elicitum vi arbitrij liberi, qui detestaretur peccatum, quoties vellet aut nollet.

13 Cùm doloris fit passio seu afflictio, quam conscientia velit nolit, patitur, gitur, Lege tangente seu torquente.

14 Peccatum finxerunt esse, quod contra traditiones hominum esset, ranis quod contra moralem legem.

15 Originale verò post Baptismum, ne peccatum quidem esse cogitauerunt, præsertim in prima tabula.

16 Contra has paleas, Lex malleus Dei (vt Ieremias ait) conterens Petras, o mnes homines sub peccato concludit.

17 Propositum bonum putabant esse cogitationem electitiam viribus huma nis, de peccato in futurum vitando.

18 Cùm secundum Euangelium sit impetus Spiritus Sancti, peccatum dei o ceps ex amore detestans, rebellante licet interim fortiter peccato in carne.

19 Nec miranda hæc eorum ignorantia, cum Scriptura posthabita, nec qui Lex, nec quid Euangelium esset, nosse potuerint.

20 Scilicet hominum præceptis & mandatis prorsus immersi, vt de rebus di cris & diuinis tantùm per somnia iudicarent.

21 Contra hos inutiles & desperationis Magistros, Euangelium cœpit do re, pœnitentiam non oportere tantùm desperationem esse.

22 Sed pœnitentes debere spem concipere, & sic ex amore Dei peccatum di sse, id quod est verè propositum bonum.

23 Hoc aliqui causas dicendi seu materiam subiectam non considerantes contra Legem Dei dici putabant.

24 Et perniciosè docent, Legem Dei simpliciter tollendam esse ab Ecclesia, id quod Blasphœmum & sacrilegum est.

25 Vniuersa enim Scriptura tradit, pœnitentiam à Lege esse inchoandam, ip quod rei ipsius ordo & experientia quoque monstrat.

26 Conuertantur inquit in Infernum omnes, qui obliuiscuntur Deum. Ex pone Domine Legislatorem super eos, vt sciant homines, &c.

27 Reple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Ecce operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

28 Ordo rei est, quod mors & peccatum est in natura ante vitam & iusti tiam.

29 Non enim iusti aut viui sumus, peccato aut morti tradendi, sed peccato res iam & mortui per Adam, iustificandi & viuificandi per Christum.

30 Quare prior docendus est Adam (id est peccatum & mors) qui forma futuri Christi, postea docendi.

31 Peccatum verò & mors non per verbum gratiæ & solatij, sed per Legem necesse est ostendi.

Experiendo

32 Experientia est, quod Adam prius arguitur Legis transgressor, pòst per Semen mulieris promissum, erigitur, &c.

33 Et Dauid prius Lege per Nathan occiditur, dicentem, Tu es ille, &c. Pòst Euangelio seruatur dicente, Non morieris, &c.

34 Paulus prius Lege prostratus audit, Quid me persequeris? Pòst Euangelio viuificatur, surge, &c.

35 Et ipse Christus Marc. 1. Pœnitemini & credite Euangelio, appropinquauitenim regnum Dei.

36 Iterum oportuit in nomine eius prædicari pœnitentiam, remissionem peccatorum.

37 Sic & Spiritus primò arguit mundum de peccato, vt fidem doceat in Christum, id est, remissionem peccatorum.

38 Paulus Epistola ad Romanos, hanc Methodum seruat, vt prius doceat omnes esse peccatores, iustificandos per Christum.

39 Idem testatur Lucas in Actis, Paulum docuisse & Iudæos & Gentes, neminem iustificari posse nisi per Christum.

ALIA DE POENITENTIA.

1 POEnitentia Papistarum, Turcarum, Iudęorum, & omnium infidelium Hypocritarum, est per omnia similis.

2 Ea est de aliquo, vel aliquibus peccatis Actualibus dolere & satisfacere, pollea esse securum de alijs peccatis, seu originali peccato.

3 Hæc autem pœnitentia eorum, est particularis & temporalis, tantùm de aliquibus peccatis, & in aliqua parte vitæ.

4 Coguntur ita sentire qui peccatum originale prorsus non intelligunt corruptionem & perditionem esse totius naturæ.

5 Pœnitentia fidelium in Christo, est vltra peccata actualia, perpetua & vsque ad mortem per totam vitam.

6 Quia ipsorum est, morbum seu peccatum naturæ detestari & odisse vsque ad finem.

7 Rectè enim Christus dicit omnibus suis, Pœnitentiam agite, totam scilicet vitam suorum volens esse pœnitentiam.

8 Toto enim tempore vitæ durat peccatum in carne nostra, & aduersatur Spiritui sibi aduersario.

9 Quare omnia opera post iustificationem sunt aliud nihil quàm pœnitentia, seu bonum propositum contra peccatum.

10 Nihil aliud enim agitur quàm vt peccatum per Legem ostensum, & in Christum remissum expurgetur.

11 Sicut filiorum Israel erat post obtentam terram Canaan, Iebusæos in finibus suis morantes expellere.

12 Et sicut non minor erat labor, reliquos Iebusęos è finibus expellere, quam principio inuadere.

13 Ita non multò minus est, per pœnitentiam perpetuam reliquum peccati perlequi, quàm à principio incœpisse detestari.

14 Vnde fit vt Sancti & iusti, (Sic exercente eos per Legem Deo) sæpius tristentur & lugeant pro peccatis.

15 Cùm tamen remissis peccatis in gratia sint, & in Domino debeant gaudere.

16 Imò nullum actuale peccatum allegant, & tamen miserabiliter clamant & petunt gratiam Dei, vt est in Psalmis videre.

17 Oratio Dominica, ab ipso Domino Sanctis & fidelibus suis tradita, pœnitentiæ pars est & Doctrina Legis plena.

18 Quisquis enim hanc verè orauerit, is propria voce confitetur se contra Legem peccare & pœnitere.

19 Qui enim petit, Sanctificare nomen Dei, is fatetur nomen Dei nondum esse Sanctificatum perfectè.

20 Et qui petit regnum Dei venire, fatetur se adhuc hærere ex parte in regno Satanæ, contrario Dei regno.

21 Qui voluntatem Dei fieri petit, fatetur se magna ex parte inobedientiam esse voluntati Dei, & de hoc pœnitere.

22 At Lex Dei est, quæ docet nomen Dei Sanctificandum esse, quam Legem orans testatur se non implesse.

23 Et qui regnum Satanæ detestatur in se reliquum, testatur simul se, præcipuè Legem primæ tabulæ, non implesse.

24 Et qui voluntatem Dei orat in se fieri, testatur se voluntati Dei non esse obedientem.

25 Hanc autem orationem oportet ab Ecclesia tota orari vsq; in finem mundi, & à quolibet Sancto vsque ad mortem.

26 Quia tota Ecclesia Sancta est, & agnoscit sese peccatum habere, & perpetuò pœnitentiam agendam esse.

27 Quare & ipsa oratio Dominica docet, Legem esse ante, sub & post Euangelium, & ab ipsa inchoandam esse pœnitentiam.

28 Qui enim petit aliquid, prius fatetur sese non habere quod petit, & expectet donandum.

29 Lex autem est, quæ nobis prius ostendit quid non habeamus, & quod omnem sit necessariò habendum.

30 Sequitur ex his quod hostes istos Legis oportet ipsam orationem Dominicam quoque tollere, dum tollunt Legem.

31 Quin & maximam partem concionum ipsius Christi tollere coguntur, & Historia Euangelica.

32 Ipse enim Matth. 5. Legem Mosi non solùm recitat, sed etiam perficit, explicat, & non soluendam esse docet.

33 Et Pharisæum de magno & primo mandato Legis erudiens, confirmat Legem, dicitque Hoc fac & viues.

34 Passim quoque per Euangelium arguit, increpat, minatur, terret, & similia Legis officia exercet.

35 Vt nulla vnquam sit audita vel futura frons impudentior, quàm istorum qui Legem tollendam esse docent.

36 Scilicet misericors homines, pudet docere & facere, quod ipse Dominus & fecit & docuit.

37 Ponatur casus, quod peccatum aliundè quàm per Legem possit cognosci, quod tamen est impossibile.

38 Cur Legem abijci oportet, si idem operetur, quod aliundè habetur, scilicet cognitionem peccati.

39 Et vt Grammaticè seu materialiter sumpto vocabulo, Lex tolleretur (Hoc enim necesse est eos sentire.)

40 Quis tollet illam viuentem, insculptam in cordibus, & Chirographum decreti contrarium nobis, quod idem est cum Lege Moysi.

CAVE-

CAVENDA DOCTRINA PAPISTARVM DE POENITENTIA MVLTO MAGIS ANTINOMORVM QVI NVLLAM POENITENTIAM RELINQVVNT IN ECclesia.

1 NVLLA fuit in Ecclesia pestilentior Doctrina contra pœnitentiam
2 (Excepta Sadducæa & Epicurea) quàm Papistarum.
Hæc sustulit pœnitentiam integram & veram, dum non permisit
3 certam esse remissionem peccatorum.
Docuerunt enim hominem (etiam pœnitentem) oportere esse incertum
4 de gratia Dei, & remissione peccatorum.
Sed remiserunt miserum ad meritum suæ contritionis, confessionis, satis-
5 factionis, & tandem in purgatorium.
Nec tamen modum aut finem contritionis, confessionis, satisfactionis, ne
6 purgatorij quidem constituerunt.
Quid autem pœniteas, si incertus sis, an retineantur vel remittantur pec-
7 cata tua.
Hac ratione non docentur impœnitentes & securi, ad incipiendam pœ-
8 nitentiam.
Sed territi & incipientes pœnitere, coguntur cadere in finalem impœni-
9 tentiam.
Talibus pœnitentibus Christus nihil prodest, vt qui diffidere coguntur,
10 an Christus pro eorum peccatis sit mortuus.
Periculosior etiam est impœnitentia finalis & desperantium, quàm im-
11 pœnitentia securorum.
Impœnitentia securorum est contemptus Dei, impœnitentia finalis est
12 Blasphœmia in Spiritum Sanctum.
Cauenda igitur Doctrina Papistarum de pœnitentia, sicut ipse Infernus
13 & Diabolus.
Multò magis cauendi sunt, qui nullam prorsus pœnitentiam in Ecclesia
14 relinquunt.
Qui enim Legem docendam esse negant, simpliciter & reuera nullam pœ-
15 nitentiam esse volunt.
Argumentatio, Quicquid non est necessarium ad iustificationem, neq;
16 in principio, neque in medio, neque in fine, id non est docendum, &cet. Nihil est.
Primùm si interroges quid istę verborum ampullæ, principium, medium,
17 finis, sibi velint? Inuenias nec ipsos intelligere.
Vt si arguas, hominem esse mortuum in peccato, non est necessarium ad
18 iustificationem, neque in principio, neque in medio, neque in fine, Ergo hoc non est docendum.
Parentes honorare, castè viuere, homicidijs, adulterijs, furtis abstinere,
19 non est necessarium ad iustificationem, Ergo talia non sunt docenda.
Hominem debere politiæ & Oeconomiæ inseruire, non est necessarium
20 ad iustificationem, Ergo Lex eiusmodi est tollenda.

20 Has consequentias Sophistæ olim irridentes vocauerunt à baculo ad Ang-
gulum.

21 Si Syllogismus vult, hæc non esse docenda ad iustificationem necessaria,
quid noui adfertur?

22 Ex hoc non sequitur Legem esse tollendam, aut non docendam, etiamsi
nihil prosit ad iustificationem.

23 Falsò allegatur in minore, experientia à Paulo & Barnaba, per quorum
ministerium, sine Lege Gentes sunt iustificatæ.

24 Arguit enim Paulus, omnes peccatores esse (quod officium Legis est) hoc
ipso, quod iustificandos esse docet in Christo.

25 Iustificandus vtique peccator est nondum iustus, & non nisi ex Lege pec-
cator esse conuincitur.

26 (Sine Lege) vbique in Paulo intelligi debet, vt Augustinus rectè exponit,
Lege adiuuante, id quòd semper secuti sumus.

27 Nihil enim iuuat Lex ad impletionem sui, sed requirit impletionem
sui.

28 Requiritque etiam adeo seuerè, vt Christo ipso teste, nec ociosum verbum
velit impunitum.

29 Et eodem Domino teste, neque vnum iota aut apex præteriri possit à Le-
ge, donec omnia fiant.

30 Denique soluendum est debitum, si non opponatur Christus Legi exac-
ctrici, vsque ad nouissimum quadrantem.

31 Non facit gratia & remissio peccatorum securos de peccato, morte ac Le-
ge, quasi amplius sint nihil.

32 Sed multò magis diligentes & sollicitos, vt per Christum Saluatorem ea
quotidie vincamus.

33 Lex enim nulla nostra necessitate, sed de facto iam, inuitis nobis adest, in-
te & in principio, medio, fine, & post iustificationem.

34 Vult enim ab initio peccati per Adam perpetrati, vsq; quo per Christum
victorem impleatur, doceri, nosci & regnare.

35 Sola verò fides in Christo iustificat, sola implet Legem, sola facit opera
bona sine Lege.

36 Sola enim accipit remissionem peccatorum, & sponte facit opera bona
per Charitatem.

37 Verum est, post iustificationem sponte sequi bona opera, sine Lege facien-
cet iuuante, nec iam extorquente.

38 Summa, Lex non est vtilis nec necessaria ad iustificationem, neque ad vi-
la bona opera, multò minus ad Salutem.

39 Sed econtrà iustificatio, bona opera & Salus, sunt necessaria ad Legis im-
pletionem.

40 Venit enim Christus saluum facere quod perierat, & ad restitutionem
omnium vt Petrus dicit.

41 Quare non tollitur per Christum Lex, sed restituitur, vt fiat Adam rur-
qualis fuit, & etiam melior.

POENITENTIA NON PER EVANGELIVM PRAEDI-
dicanda.

Explodamus igitur Antinomos, qui Legem ex Ecclesia eijciunt, & pœnitentiam

siam per Euangelium docere volunt. Hoc quidem rectè dicitur erigendos & consolandos esse homines, sed definitio addenda est, qui tales sint. Nempe qui cum Ismaele & Matre eius eiecti domo, patria, in deserto fame & siti contabescunt, qui ad Dominum gemunt & plorant, ac vicini iam desperationi sunt: Tales idonei auditores sunt Euangelij. Sed qui sentiunt se in ista gratia esse propter carnalem aliquam prærogatiuam, qui præsumunt de iustitia & Sanctitate sua, hi non in deserto, sed in Paradyso sibi esse videntur, nec sciunt quid sit errare in deserto, non humiliantur, non occiduntur, hi malleo Legis feriendi & comminuendi sunt, imò redigendi in nihilum. Fit autem hoc per Legem, quæ dicit: Eijce Ancillam & eius filium non enim erit hæres, hoc est, extra gratiam Dei omnes natura sumus: Quantùm enim ad naturam nostram attinet, sumus filij perditionis, nec subleuat quòd Iudæi sint Semen Abrahæ, quod nati afferimus iuditium nostrum, & Legem, & quòd accommodamus ad eam aliquo modo voluntatem quid est ex voluntate carnis & viri de hoc dicitur, eijce: Non potest enim Deus ferre præsumptionem Ismaelis, hoc est, non vult gloriari nos de carnali natiuitate, de viribus nostris, de libertate arbitrij nostri, de sapientia & iusticia nostra, omnia hæc mortificanda sunt, & de omnibus his desperandum est, sicut hoc in loco desperat Hagar. Vbi hoc factum est, & detrusi sumus ad inferos, ibi tempus est reuocandi nos per suauem Euangelij vocem, quæ non dicit, eijce, sed confide fili, remissa sunt tibi peccata tua, ideo Scriptura dicit hoc Dei opus esse, deducere ad inferos & reducere, occidere & reddere vitam. Hæc causa est, cur Ismael cum Matre eijciatur, vt scilicet horribile & indomitum malum præsumptionis, de propria iustitia, occidatur. Sic enim cogitabat: Ego sum in domo Abrahæ. Igitur hæres sum, Hæc fiducia tam venenatum malum & noxia pestis est, vt occidi non possit, nisi per extremam desperationem, vt homo exutus omnibus, quæ possidet, tantùm non de Deo & Dei gratia desperet, ac sentiat se abiectum à Deo esse. Hoc pater & verus Abraham, hoc est, ipse Deus cogitur nobiscum facere: Nihil enim Ecclesia, nihil Christus, nihil iustitia ad nos pertinet, nisi prius noxia præsumptio sit perdomita & mortificata. Dum igitur omnium odio sunt Antinomi, qui nostro exemplo se defendunt. Cum tamen causa in promptu sit, cur initiò sic doceremus de Gratia Dei. Oppresserat Papa miserabiliter conscientias traditionibus suis, præsidia vera, quibus defendi fractæ mentes contra desperationem poterant, omnia ademerat, quid igitur faceremus aliud, quàm vt oppressos erigeremus & proponeremus veras consolationes? Scimus autem cum saturis, delicatis, & incrassatis aliter loquendum esse. Eramus tum omnes eiecti & afflictissimi, consumpta erat aqua in lagenula, hoc est, nulla suppetebat consolatio, Iacebamus moribundi sicut Ismael sub arbore. Opus igitur fuit talibus Doctoribus, qui proponerent gratiam Dei, & respirare docerent. At Antinomi volunt pœnitentiæ Doctrinam simpliciter à gratia incoari. Sed ego sic non processi, Noram enim Ismaelem electum & desperatum prius quàm ex Angelo consolationem audiret: Secutus igitur exemplum hoc, non nisi prius contritos & desperabundos, consolatus sum, quos Lex perterrefecerat, & Leuiathan oppresserat, & quasi attonitos fecerat, propter hos enim venit Christus in mundum, nec vult linum fumigans extingui penitus: Clamat igitur: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Talis non erat Ismael antequam eijceretur Domo, erat superbus & securus & Antinomicus Epicurus: Ego inquit, sum Dominus & hæres, mihi cedat Isaac & Sara, hæc superbia fouenda ne fuit an corrigenda (Qua au-

Ex Genes. capite. 21. Tom. 2. fol. 175.

tem alia ratione potuit corrigi? Quàm vt vna cum matre eijceretur, & nihil le-
cum auferret ex Domo Abrahæ quàm illud præmium Legis, panem scilicet &c.
quam. Sic enim solet Lex, furem vinctum deducit ad patibulum, prius autem
quàm stranguletur potu aquæ reficit, sed deficit tandem aqua & relinquitur mors,
plus Lex non facit. Discamus igitur, quòd Deus omnes superbos odit, qui autem
humiliati senserunt vim Legis, hos consolatur, si non per homines, at per Ange-
lum è cœlo: Non enim patitur tales perire, sicut securos non patitur in domo
Abrahæ manere. Necesse est autem Doctorem in Ecclesia eruditum & peritum
esse, in vtroque, vt & redarguere & conterere contradicentes possit, & redargu-
tos & contritos iterum consolari, ne absorbeantur. Si natura peccato non fu-
corrupta esset, Legis prædicatione non esset opus. Nunc autem Deus per Gra-
tiam suam nihil apud nos propter nostram duritiem, & altissimam securitatem ef-
ficere potest, nisi prius Adamantina corda Lege fregerit & contuderit.

Ex Gen. cap. 19. Tom. 2. fol. 123. Antinomi noui isti Prophetæ, contra
dunt homines tractandos suauiter, nec terrendos iræ diuinæ exemplis. Sed diuer-
sum Paul. dicit 2. Tim. 3. Vbi dicit Scripturam etiam vtilem ad obiurgandum
& castigandum, vt homo Dei sit perfectus, & ad omne bonum opus paratus. Ergo
tum est præceptum, de verbo Dei rectè secando, Et 1. Corinth. 1. Post varia ex-
ræ diuinæ testimonia contra peccatores, clarè dicit, Scripta illa esse propter nos,
ne illorum exemplo concupiscentia peccemus. Ergo exempla iræ diuinæ quia
hoc præsens est (de deletione Sodomæ, &c.) Sic sunt tractanda, vt faciant ad pœ-
nitentiam & eruditionem nostram. Sicut Dominus Abrahæ qui nobis longanimi-
ctior fuit, mandat vt filijs suis hæc manet. Semper enim inuenies duo hominum
Genera: Alterum superbum, præfractum, contemnens verbi, ac piarum admo-
nitionum, & immodicè securum: Hos si suauiter tractes, si misericordiam Dei
eis proponas deteriores reddes.

Hîc scilicet fructus est quem error Antinomorum affert. Sed moneo vt cau-
caueatis. Non enim sunt contenti quòd ipsi pereunt, volunt nos quoque secum
rapere ad interitum, ac suis peccatis onerare, dum ea reprehendi nolunt sine so-
domitæ. Posuit autem Deus ministerium verbi in hunc mundum, non vt tace-
rent ministri, sed vt arguerent, docerent, consolarentur, terrerent, atque hoc mo-
do saluarent quoscunque possent. Hoc ministerium Antinomi in totum tollunt,
dum reprehensiones nolunt ferre, ac iubent nos consentire ipsorum peccatis con-
tra Pauli sententiam, qui non solùm facientes, sed consentientes damnat Ro-
man. 2. Consentiunt autem, qui peccata non arguunt, vt si dissimularem, Car-
dinalium, Papæ, Episcoporum peccata, & blasphœmias & Tyrannidem. Atqui
Dominus apud Prophetam dicit: Tu liberaueris animam tuam, si argueris pec-
cata populi tui. Sicut etiam pessimi homines in misericordia tolerandi. Sic
cùm volunt nos secum rapere in interitum, ibi misericordia cessat, necessitu-
non parentum autoritas, non liberorum amor tanti nobis esse debet, vt cum eis
perire velimus. Obliuiscenda ibi omnis misericordia est ad exemplum Loth, de
serentis vxorem, respicientem in via contra Domini mandatum.

Tales quia indurati sunt, nec vllam admonitionem admittunt, sunt rejici-
quendi. Illi autem qui non sic sunt præfracti, sed flecti possunt, erga hos mi-
ricordia vult Deus vti, sicut docet parabola de Oue perdita. Non enim sunt in-
pœnitentes

pœnitentes Sodomitæ, quibus debetur malleus diuinus, qui conterit Petras. Ab his iudicium Domini non est abscondendum, alioqui fiet vt nos ipsorum peccatis polluamus, consentiendo eis. Omnes enim Christiani sunt in mundo ideo positi, vt seruiant proximo, non solùm quòd ad secundam tabulam attinet, sed magis ad primam, vt discant omnes timere Deum & confidere misericordia eius. Altera pars, qui iam antea humiliati & pauidi sunt, Sicut Christus eos vocat pusillum gregem, ac mandat ne timeant, hi etsi infirmi sunt & variè peccant, tamen non sunt præfracti, nec indurati, erga tales sit minister prudens ac fidelis, qui rectè tractet verbum Dei, & nihil peregrinum sanæ doctrinæ admisceat, territos ira & iudicio Dei non terreat amplius, sed erigat. Hæc magna sapientia est & in ministerio admodum necessaria vt duplices auditores rectè discernantur, & quisque audiat suam vocem, duri horribilia iræ diuinæ exempla: Pauidi autem suaues consolationes. Christus enim positus est alijs in resurrectionem, alijs in ruinam. Humiliati igitur erigendi sunt, contrà in securitate exaltati, deprimendi, sicut Sancta Maria in suo Cantico etiam docet. Hæc est recta sectio. Non enim fieri potest, quin pauidi securis admixti sint, moderatione igitur hac opus est, vt qui sunt duri sciant se peti horribilibus exemplis. Pauefacti autem arripiant verba solatij & promissionis.

Atque hoc postea Spiritus Sancti officium est, per verbum & confessionem dirigere corda, vt pauidi apprehendant consolationes, prefracti autem vel conuertantur territi voce Legis vel prorsus pereant. Non enim sine discretione vniuersi damnandi sunt. Sicut enim diluuium & Sodomitarum interitus, ceu tulmina sunt quibus animi terrentur: Ita his iræ exemplis additur consolatio de seruato Noah & Loth. Sic fiet vt pauidi non desperent. Hic est finis cur huiusmodi horribiles Historiæ à me legantur, licet inuitus eas legam, quia terreor magnitudine iræ Dei, & tamen video prodesse hanc doctrinam, non solùm vt superbi terreantur, Sed etiam vt pij in timore Dei contineantur, nec exemplo impiorum peccent & pereant. Deinde sic proponitur in hisce exemplis ira Dei vt tamen simul luceat Dei benignitas, misericorditer seruantis fideles. Sic Christus apud Esai. dicit: cap. 61. Spiritus Domini super me eò quòd vnxerit me.

Ad annunciandum pauperibus misit me vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro, vt consolarer omnes lugentes, &c. Ecce pauperes contriti corde, captiui, clausi, lugentes, his promittitur indulgentia, liberatio, & annus seu tempus, quo Deus placatus sit. Qui igitur non sunt pauperes, & contriti corde, his dies vltionis prædicatur, hoc est, ira Dei. Si igitur Christus sic docet, vt cùm misericordia iræ doctrinam coniungat, cur nos eum non sequeremur? Summa, igitur sapientia est rectè miscere hæc misericordiam in seruato Loth ostensam, & iram in Sodomitis perditis. Territi animi & pauentes sine dubio placent Deo, promittit enim se calamum conquassatum non fractum, nec fumigans linum penitus extincturum. Etsi igitur hæc iræ exempla, ad contritionem faciunt, tamen ab eis cessandum est, cum animi fracti sunt, & mitigandus dolor, ac sanandum vulnus. Scriptura vocat timorem sacrificium Dei & cultum Psalm. quinquagesimo primo. Cùm autem in hunc finem historię hæ per S. S. sint Scriptæ, vt excitentur animi ad timorem Dei, ac fugiant peccata, & faciant iudicium & iustitiam, rectè proponuntur in Ecclesia, quæ sicut duplices homines habet, ita etiam duplex verbum proponit, historias iræ, & comminationes contra duros, securos, impœnitentes, & promissiones pro contritis ac humiliatis. Summa autem sapientia est, hæc rectè dispensare.

Papa habet excommunicationis fulmen, sed contra quos eo vtitur? Non ne contra nos, qui non securi, sed contriti sumus & humiliati? Si autem ordinis homines, Epicureos, Canonicos securos, Cardinales, Episcopos, Tyrannos, beatos prædicat, & in cœlum euehit. Sic titulum quòd confortet pauperes Ecclesiæ, & damnet rebelles implet. Sed hoc non nouum est, Ezechielem vide capite 13. Vos Prophanastis me apud populum meum propter pugillos hordei id est, propter temporalia bona consequenda, corrupistis doctrinam, & bonos damnastis, malos autem confirmastis: Hoc enim est quod sequitur: Propter fragmenta panis interfeciſtis animas, quæ non fuissent mortuæ, & viuificastis animas, quæ non vixissent, dum vos mentimini populo meo, qui auscultat mendacis: Et alibi. Contristastis cor iusti, quem ego non contristaui. Caret igitur impientia illa verbi rectè secandi totus Papatus, non igitur ædificare potest, sed conuellit & euertit omnia per suam Doctrinam. Spiritus Sanctus autem hic etiam hasce iræ & iudicij Dei Historias proponit, vt simul consolationem firmam ostendat, Deum sicut Loth timentes se ex certo interitu liberaturum. Non solùm igitur pereunt Sodomitæ, sed Loth seruatus Deo gratias agit. In Loth saluatum respice tu qui paues, & humiliatus es, ac spera idem erga te facturum Deum. Contrà tu qui securè fornicaris, nempe colligis opes, lautè curas cuticulam, & es Epicuri de grege porcus, flecte oculos ad Sodomitas, vide quæ eorum scelera indigna sit secuta grauis pœna, cogita subitò cœlesti igni inflammatas quinque ciuitates, subsediſſe terram, succeſſiſſe horribilem bituminis lacum, vno momento euersis ac in æternum perditis peccatoribus, Hæc diligenter cogitata excitabunte, vt de tuo quoque periculo cogites, & peccare desinas, ac veniam peccatorum expoſcas. Hoc stulti & cæci Antinomi nostri *Grikel & Iekel* non norunt. Ideo hanc iræ Dei prædicationem, cum magno & certo malo ex Ecclesia tollunt. Moneo igitur vt caueatis tales, sunt enim fanatici Spiritus, & rerum Spiritualium imperiti, inflati autem vana opinione Doctrinæ & sapientiæ.

DE LOCO EPISTOLAE AD HEBRAEOS CAP. 12. ESAV NON INuenit Pœnitentiæ locum, &c.

Genes. capit. 27. Tom. 3. fol. 66. Causa hæc est, cur nihil pœnitentia & lachrymis suis profecerit: Quia non fuit vera pœnitentia. Verum quidem & immotum est, quod Deus qui non fallit nec mentitur, proposuit omnibus hominibus, qui verè pœnitent misericordiam suam: Et peccati pœnitens semper inuenit locum apud Deum. Id firmiter retinendum & defendendum est, sicut id testatus est Deus, multis exemplis & libris Scripturæ Sanctæ.

Sed Alia est pœnitentia non vera, sed ficta, quam Germani vocant: *Ein gahlrew*. Quando videlicet sic pœniteo, vt non pudeat me offendisse Deum: Sed quòd mihi ipsi nocuerim. Talis pœnitentia valde vsitata est, & ego ipse sæpe sic pœnitens me illu-

me stultè insapienter, & cum damno egisse aliquid, magis puduit me stulticiæ & damni, quàm peccati, quàm culpæ, aut offensionis. Dolere autem tantùm de damno dato, pœnitentia est, quam ignorat Deus, imò etiam corda nostra eam nesciunt, vt apparet in Esau. Non enim dicit: Nunc sentio me peccasse. Quare offendi Deum venditis primogenitis? Iam libenter carebo benedictione, tantùm mihi ignoscat Deus peccatum hoc. Hæc vera fuisset pœnitentia, qua sollicitus fuisset de placando Deo, propter peccatum commissum. Vera enim pœnitentia intuetur iram Dei propter peccata, eum exoptat esse placatum, fugit iram Dei. Non solùm parit dolorem propter damnum, nec iram & odium aduersus fratrem, sed sic dicit: Si tantùm Deus vellet mihi esse propitius, quiduis damni & mali libenter ferrem.

Horum nihil audis ex Esau, habet pœnitentiam pœnæ, non peccati Ideo: Ideo non inuenit pœnitentiam pœnæ, quia non quærit pœnitentiam peccati, sed est pertinax in peccato. Quemadmodum Saul quoque faciebat, post transgressionem mandati, quo iussus erat occidere Amalec cum viris & mulieribus, cumque gregibus vniuersis & armentis. Ipse autem Regi & armentis parcebat: Cumque increparetur à Samuele respondebat: Pepercit populus melioribus tis. Ideo Propheta grauiter commouetur, & annunciat ei tristissimam sententiam: Pro eo quòd abiecisti Sermonem Domini, abiecit te ne sis Rex. Id non erat agnoscere peccatum, Sed excusare & defendere sub prętextu Sanctita-

Sic & Adam conabatur peccatum suum excusare, & culpam reijciebat non in mulierem tantùm, sed etiam in Deum, Mulier inquit, quam tu mihi dedisti sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Sic & Heua se excusabat, & accusabat serpentem, qui eam decepisset. Hæc nequaquam pœnitentia dici debet. Sensus enim veræ pœnitentiæ talis est. Ah cur Deum offendi? Cur iram & iudicium eius aduersum me concitaui? Statuat in me quodcunque voluerit exemplum, tantùm agnoscat & condonet peccatum. Sicut in libro Iudicum precantur Filij Israel: Peccauimus, redde tu nobis quicquid tibi placet, tantùm nunc libera nos. Talis oratio decet verè & seriò pœnitentes. Faciat sanè mecum quod voluerit Dominus modò sit mihi propitius. Atque ibi Deus ad veniam dandam, & ad agnoscendum est paratissimus, ac statim offert remissionem peccatorum.

Quantùm verò absit Esau ab hac vera humilitate & agnitione peccati, testantur eius verba, quibus impudentissimè mentitur se primogenitum, cùm non sit, & suam primogenituram dicit, quam antea sponte proiecerat. Denique quod multò grauius est, fratrem innocentem accusat & damnat, se nocentem excusat & laudat: Verè inquit vocatur Iacob, quia supplantauit me. Ne verbo quidem meminit sui peccati. Non dicit. Ego peccaui, hactenus non sensi, nec intellexi me peccasse. Nunc erudior ipsa pœna & iudicio diuino, iam tempus est vt agnoscam peccatum, sentio enim Deum horribiliter offensum, mea venditione, meo contemptu. Neque verò inuideo fratri, sed ex corde ei faueo, & gaudeo ei obtigisse hanc benedictionem.

Ego peccaui & doleo ex animo, non tamen ob amissam benedictionem, quam ob iram Dei in me concitatam. Nihil minus dicit aut cogitat. Imò gloriatur in malicia sua. Ego sum iustus, frater est impius, rapuit mea fraudulenter, & possidet aliena, quod illi malè vertat. Ita alienam iusticiam damnat, & peccatum suum defendit. Postremò horribile odium concipit aduersus fratrem, non fauet ei gratiam, quam Deus ei donauit, & ipse iure & sua culpa amisit. Insuper & mortem ei minatur. Bellam verò pœnitentiam.

Proindè

Proindè nihil aliud est, quàm dolor de amisso bono, & accepto damno. Sic etiam fures & malefici de suis sceleribus dolent, non quòd seriò resipiscant, aut ea detestentur, sed quia pœnę metu & sensu cruciantur. Quemadmodum nos sub Papatu pro peccatis pœnitentiam egimus, cùm ad confessionem singulis annis adigeremur, libentius enim etiam tum indulsissent peccatis homines, si licuisset. Ac mox post Pascha ad ingenium redibant, & gaudebant se liberatos esse carnificina illa confessionis. Pœnitere igitur est seriò sentire iram Dei propter peccatum, ita vt animo angatur peccator, & excrucietur desiderio salutis, & misericordiæ Dei. Hunc verò erigat & consoletur qui potest, ne desperet & pereat. Sicut Iudas desperabat. Talis enim animus non aliter adfectus est, quàm vt omnium rerum libens iacturam faciat, tantùm vt consolationem inueniat, vt habeat auxilium, etiam à minimo puero annunciante promissionem Salutis. Modò enim liberer ab ira diuina, qua miserabiliter crucior, cogitat, nihil ero sollicitus de ijs recuperandis quæ amisi. Si egi stultè, feram sanè precium vel pœnam ob stultitiam, tantùm vt nihil Deus sit propitius. Esau verò sic sentit. Si haberem ego meam Primogenituram, non morarer siue propitius esset Deus, siue non.

Sic igitur intelligatur locus ille ad Hebræos. Non inuenit locum pœnitentiæ, quia non fuit vera pœnitentia. Sed de damno accepto doluit, & de stultitia sua, qua perdidit Primogenituram & gloriam suam. Ideo ruit horribiliter in odium fratris & Dei, qui benedixit Iacob per parentem Isaac.

Estque hæc insignis idæa & exemplum falsò pœnitentis, quod ideo obseruandum est, vt discamus discernere veram pœnitentiam à ficta & simulata, quam nos dicimus **Ein Galgen rew.** Fur enim cùm videt sibi supplicium crucis imminere, etiam dolet, & libenter diutius viueret. Sin autem Deus dat ei hanc gratiam & lucem, vt verè agnoscat peccatum & iram Dei, nihil amplius sollicitatur de vita, tantùm vt iuuetur, ne de animæ salute in dubium veniat. Atque ibi docendus & erigendus est misericordia & gratia Dei in Christo exhibita, non confessione satisfactione Papistica. Alioqui actum de ipso fuerit.

Item, Genes. cap. 31. Tom. 3. fol. 139. Consternatus quidem fuit Laban iudicio diuino, sed mox redijt ad ingenium sicut audiemus. Manus coercuit, ne quid mali facerent, sed à maledictis & conuicijs non abstinet, **Ist ein Galgen vnd Judas rew.** Sicut Pontifices & eorum satellites, Reges & Principes tenentur & impediuntur in suis deliberationibus aduersus nos, aufertur eis Spiritus, vt in Psalmo dicitur. Sed non resipiscunt. Hæc est pœnitentia Hypocritarum & incredulorum, qui pœnitent vt Laban aut Esau. Non est seria aut voluntaria pœnitentia, non mutantur in melius. Sed tantùm absterrentur ab instituto, ne perficiant, quod conabantur.

Est igitur (Laban) pulchra imago pœnitentiæ Hypocriticæ & simulatæ. Sic enim compunguntur etiam interdum mali, vt olim loqui solebant in Scholis, non quòd verè compungantur, aut seriò pœniteant, in qua opinione ego aliquando fui. Sed simulant pœnitentiam & dolorem de peccato. Longè aliter igitur vox Dauid ad Nathan intelligenda est, Peccaui, quàm Saulis, qui eodem modo ad Samuelem dicebat, Peccaui. Idem verbum quidem est, vox eadem & facies compunctionis aut pœnitentiæ. Sed corda sunt dissimilia.

Mali sic pœnitent, vt magis doleant de prohibitione cupiditatum & peccatorum suorum, quàm de mortificatione viciosorum adfectuum & peccatorum. Sunt pœnitentiæ legales, quas vsitatè dicimus **Ein Galgen rew.** Si enim absque metu crucis & pœnæ esset, longè mallet furari Fur, quàm abstinere ab alieno. Ideò dolet se coerceri metu supplicij.

Ita describitur & Laban, non verè pœnitens nec resipiscens ex animo. Sed dolet diuina potentia iniectum frœnum suis cupiditatibus & furoribus. Est igitur superficialis pœnitentia, Sicut Saul dicit: Peccaui. Sed nunc honora me coram senioribus. Angitur de infamia & opprobrio apud seniores, non quòd Deum offenderit.

Cor autem verè pœnitens sic adfectum est, vt nihil aliud nisi iram, & indignationem Dei formidet, nulla ratione ignominiæ apud homines habita, tantùm Deum sibi nouerit esse propicium: Sicut Dauid hunc adfectum & sensum peccati expressit, Psal. 51. Obseruandum verò est, quod Hypocritæ manent sui similes, & cùm non licet sæuire prohibitu, tamen furorem & singularem potentiam ostentant, ne videantur inferiores ijs quos oderunt & persequuntur.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVID SIT.

Genes. cap. 17. Tom. 2. fol. 82. Augustinus Sacramentum definit Quod sit visibilis forma inuisibilis gratiæ: Ac rectè definit, & simul causam ostendit, quòd ferè contemnuntur Sacramenta, ab ijs qui ea habent propria, Sicut Esaias dicit. Inuentus sum à non quærentibus me. Populus autem ad quem expandi manus meas tota die, incredulus est, & graditur in via non bona post cogitationes sua.

Hoc est iudicium Dei quod ferendum est. Erigit Deus signum gratiæ, vt agnoscatur à peccatoribus, vt peccatores saluentur, sed ferè fit vt quibus hoc signum erigitur, contemnant.

Sic Baptismus est erectus in signum iusticiæ omnibus, qui in Christum credunt. Ac gloriantur de Baptismo Papistæ quoque: Sed frustra, quia non credunt, & iusticiæ Doctrinam damnant ac persequuntur. Sic Ioannis vox in deserto clamans & Baptismus erat erectum vexillum, sed Phiarisæi negligebant. Sic Esaias dicit radicem esse erigendam in signum, Sed Iudæi hoc signum reijciunt. Gentes autem in eo sperant.

Idem quoque de circumcisione dicimus, qua non onerantur Gentes, sed inuitantur tamen ad eandem fidem, vt fit Abraham Pater circumcisionis & præputij. Multi igitur ex gentibus crediderunt. Iudæi autem retinuerunt corda incircumcisa. Sic Circumcisio etiam Gentibus occasio salutis & vtilis fuit. Opus enim habemus eiusmodi notis & signis, quibus deducamur ad cognitionem Dei, Nam ratio humana non potest Deum inuenire, nisi talia signa ab ipso Deo instituta, nos quasi manu ducant, & periculosius nihil est, quàm si quis ipse sibi iter ad Deum fingat, & suis speculationibus nitatur.

Sicut in Papatu soliti fuimus. Hic enim Romæ, alius in Hispanijs, alius in alia mundi parte somniabat se Deum inuenturum. Hoc cùm singuli tentarent, factum est, vt declinaremus omnes, & fieremus inutiles, vt Psalmus loquitur.

Cur

Cur enim non secuti sumus nostra signa ab ipso Domino ad nos in vnitatem fidei colligendos instituta, hoc est, verbum Dei, Baptismum & cœnam Domini?

Ad hunc modum cùm Iudæi haberent templum, circumcisionem & certam cultuum formam, ad quam ceu ad signum militare, vnum Deum, tanquam ducem agnoscentes, colligerentur, his omissis, versi ad sua studia, propriam singuli colendi Dei rationem sibi fingebant, & loquebantur cum certo suo exitio. Quando enim Deus se patefecit in aliquo signo, qualecunque tandem id sit, est apprehendendus in eo. Sed Satan hoc perpetuò agit, vt vera signa ex conspectu remoueat, & falsa signa proponat. Sicut noctu errantibus offert faces, quas dum incauti sequuntur, aut in præcipitia aut aquas ruunt. Itaque Christus Matth. 24. Seriò ad huiusmodi retia effugienda nos exhortatur, cùm dicit: Si dixerint ecce hic est Christus, ecce ibi est, nolite credere.

Ibi quærendus est Christus, vbi se manifestauit & agnosci voluit, vt in Verbo, in Baptismo, in Cœna: Ibi certò inuenitur, verbum enim fallere nos non potest. Sed ferè fit vt ratio illa signa negligat, & diuertat ad meretricem, quæ sedet in foribus. Prouerb. 7.

Meminerit igitur vnusquisq; eam viam ingredi, quam ipse Deus præscripsit, non quam nos eligimus ipsi. Nostra enim electio cum vitio, & fallax est. Sicut Propheta dicit: Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & Paulus Coloss. 2. Damnat electicias religiones. Certum enim est, quod homo per suam sapientiam, non potest Deum inuenire, & ex ea quoq; parte ingens periculum est, quod Satan se transformat in Angelum lucis, & sibi circumdat Maiestatem diuinam, dum signa & prodigia, ad errores suos confirmandos, facit.

Contra hæc pericula sic tuti erimus, si illam formam visibilem, seu signa illa fuerimus secuti, quæ ipse proposuit. In nouo Testamento habemus formam visibilem, Filium Dei in gremio Mariæ matris, passum & mortuum pro nobis sicut Symbolum docet. Vltra hoc habemus alias visibiles formas, Baptismum, Eucharistiam, & ipsum Verbum vocale: Itaque non possumus quæri nos relictos.

Hoc autem agit primùm Satan. Deinde eius ministri: Pontifex cum tota sua Ecclesia, vt ab his formis visibilibus, diuinitus institutis, nos auocet ad suas formas, ad Canonisationem Sanctorum, ad inuocationem & cultum mortuorum Sanctorum, ad statuas, in certis locis quæstus causa extructas, &c.

Itaque confirmatos nos contra has insidias esse oportet, vt dicamus. Ego sicut nescio ante aduentum Christi aliquam Ecclesiam, præter illam quæ fuit in domo Abrahæ, & Circumcisione notata fuit: Ita post Christi aduentum, nihil scio quàm Christum, eumq; crucifixum, qui se patefecit nobis in visibilibus formis, in vsu Cœnæ, in Eucharistia: Ibi scio quòd Deum inuenio, ibi remissionem peccatorum consequor & alibi nusquam.

Non inquiunt Pontificij: Deus varia dona dedit Sanctis suis. Quot miraculis est ornata est ædes compostellaria Diui Iacobi? Roma quot miraculis est commendata? Vult igitur Deus ibi quoque quæri & inueniri. Si Franciscus professus Sanctam post se reliquit Regulam, quam qui obseruant quomodo non possunt Deo placere? Et valent hæc quoque consuetudine Patrum, qui approbauerunt ista, &cet.

Sic satagit Satan à formis diuinitus præscriptis nos abducere. Sed tu regulam hanc certam & infallibilem retineas & sequaris, quod dispositio diuinæ sapientiæ hæc est, manifestare se hominibus aliqua certa, & visibili forma, quæ cerni oculis & manibus palpari potest: In Summa, quæ quinque sensibus exposita sit. Adeo se propinquum nobis diuinum numen sistit.

Has formas visibiles firmiter retinere summa sapientia est. Docent autem exempla

xempla omnium Patriarcharum, Prophetarum & piorum, hoc perpetuò Satanam agere, quomodo illas formas obscuret, & nobis alias proponat.

Sic circumcisio quoque fuit visibilis forma, non ab hominibus sed ab ipso Deo instituta, vt Deus per eam agnosceretur, & non Iudæi solùm, sed Gentes quoque in eum Deum crederent, qui tali modo se reuelarat Iudæis.

In ea igitur sententia sum, vt credam omnes Iudæorum infantes circumcisos, si in ista prima ætate extincti sunt, saluatos esse. Inuenti enim sunt in sinu Abrahæ, hoc est, in illa promissione, quòd Deus velit eorum Deus esse.

Idem sentio de Baptisatis nostris infantibus. Quia autem adulti patiuntur sibi fidem excuti per peccatum, ideo etsi Baptisati sunt, quia tamen non credunt, non saluantur. Tale nihil patiuntur infantes, igitur in salute accepta manent & saluantur.

Hæc Doctrina necessaria est, & egregiè commendat Sacramenta, quæ homines fanatici indignè extenuant, quia non obseruant verbum. Non enim ludus aut iocus est, quod toties hic de circumcisione repetitur, Ego ero Deus eorum, & seminis tui post te. Fuit circumcisio externum & visibile signum, quo Iudæi & interse agnoscerentur, & inter se agnoscerent.

Sed non hoc solùm circumcisio præstitit, vt politicè colligeret hunc populum, & inter ipsos quasi tessera esset. Sed fuit etiam Sacramentum, hoc est, signum diuinæ voluntatis, igitur credentibus fuit signum salutis æternę. Ostendit enim Deum esse, huius circumcisi populi Deum. Deus autem non est mortuorum Deus sed viuorum. Igitur per circumcisionem, ad quam fides accedit, non solùm sunt ciues in ista politia, ab alijs gentibus instituta, sed hæredes æternæ vitæ. Deus enim immortalis & æternus est. Igitur immortalitatem suis donat.

Idem omninò statuamus de Baptismo in nouo Testamento & de Eucharistia, ne Phanaticorum modò, ea putemus esse externa signa, tantùm ad distinguendos Christianos ab alijs Gentibus instituta, faciunt quidem discrimen, sed non id solum: Credentes promissioni, & his signis vtentes, fiunt Dei populus & saluantur.

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

Tom. 2. Ienens. fol. 301. De captiuit. Babylon. Propriè ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt. Cætera quia signis alligata non sunt, nuda promissa sunt. Quò fit, vt si rigidè loqui volumus, tantùm *Duo sunt in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus & Panis,* cùm in his solis & institutum diuinitus signum & promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam pœnitentiæ sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili & diuinitus instituto caret, & aliud non esse dixi, quàm viam ac reditum ad Baptismum. Sed nec Scholastici dicere possunt, suam definitionem posse conuenire pœnitentiæ, qui & ipsi Sacramento signum visibile ascribunt, quod formam ingerat sensibus, eius rei quam invisibiliter operatur. At pœnitentia seu Absolutio, tale signum nullum habet, quare & ipsi cogentur propria definitione, aut negare pœnitentiam esse Sacramentum & sic numerum eorum imminuere, aut aliam Sacramentorū afferre definitionem.

Baptismus autem, quem toti vitæ tribuimus, rectè pro omnibus Sacramentis satis erit, quib. in vita vti debeamus. Panis autem verè morientium & excedentium Sacramentum, siquidem in eo transitum Christi ex hoc mundo memoramus, vt ipsum imitemur & sic distribuamus hæc duo: Sacramenta, vt Baptismus initiò & totius vitæ cursui, panis autem termino & morti deputetur. Atque Christianus utroque exerceatur in hoc corpusculo, donec plenè Baptisatus & roboratus, transeat ex

seat ex hoc mundo, natus in æternam nouam vitam, manducaturus cum Christo in regno Patris sui, sicut in cœna promisit, dicens: Amen dico vobis, Amodo non bibam de hoc germine vitis, donec impleatur in regno Dei. Vt apertè videatur Sacramentum panis ad futuriam vitam acceptandam instituisse, tunc enim reuti usque Sacramenti impleta, cessabit Baptismus & Panis.

De numero Sacramentorum plura vide Tom. 4. Ienens. fol. 242. L tem de Captiuitate Babylonica.

DE VSV SACRAMENTORVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 310. Iesai. cap. 6. Hîc locus notandus est, quod docet nos de vsu signorum, quæ Sacramentarij tantùm externas notas professionum esse dicunt. Verbum quo Propheta erigitur, est, quod audit ex Seraphim: Dimissa sunt tibi peccata tua. Signum est, quod labia carbone ardente tanguntur, idque ideo, ne dubitaret de verbo quod audit. Sic rectè adhibentur & valent signa ad confirmandam fidem, Neque potest aliter dici quàm quòd Esaias simul per verbum & signum veram remissionem peccatorum acceperit. Quare renenda hæc sententia est, quòd etiam externa signa cum verbo ad remissionem peccatorum adhibeatur.

Item. Eodem Tom. fol. 335. Iesai. cap. 20. Vade & Solue saccum, &c. Valet & hic locus pro confirmatione nostræ doctrinæ, quod Deus semper verbo addiderit signa, vel pro confirmanda fide, vel alendo timore Dei, Et non sicut Sacramentarij errant, vt essent externæ notæ professionis, vel Symbola charitatis. Nam ij potius sunt fidei fructus & non signa. Tunc possunt Sacramenta etiam ad fratres fratrib. accipi, Illos autem fructus charitatis mala arbor non potest producere.

Quare pronunciamus signa valere ad augendam fidem & timorem Dei in cordibus. Scimus quidem externa non saluare, si accipias externa id est, nostra. Verùm Deus etiam per externa Salutem operatur, & sic ordinauit, quod nolit dare Spiritum suum sine signis & externa re aliqua. Ideo instituit in Ecclesia ministerium verbi, Baptismum & Cœnam corporis ac Sanguinis Filij sui, Sic in die Pentecostes descendit, & datus est Apostolis Spiritus Sanctus, non inuisibiliter sed vento valido & linguis igneis.

Quare Sacramentarij errant, & ponunt hic falsum principium, quòd dicunt Nulla externa res prodest ad Salutem. Imò tu inuerte & dic, sine externa re nulla Salus contingit. Nam hic euidens textus est, quod signum externum prosit ad prouocandam fidem & timorem Dei. Vultenim Propheta Aegyptios humiliare, id quod non pertinet ad charitatis aut noticiæ Symbolum, sed ad vim & energiam S. S. excitantis corda. Quemadmodum enim per verbum mouet Spiritus Sanctus, ita etiam per signa mouet, quæ nihil sunt quàm verbum, vt sic dicam male, bi re exprimitur quod verbum sonat. Et sicut verbum nunquam frustra est, Ita signa sine fructu esse possunt, Sic Baptismus, sic Cœna Domini, sunt signa, quibus fides erigitur & roboratur, non quibus vel ad charitatem inuitantur homines (quanquam id quoque fieri debeat) vel inter se tanquam nota professionis distinguantur.

SIGNA SEMPER VERBO ADDITA FVISSE ET QVOD CONTEMPTVS EORUM *fœdis erroribus puniatur.*

Genes. cap. 4. fol. 72. Tom. 1. Hoc omnes Historiæ comprobant, quòd miserios

misericors Deus per superabundantem suam gratiam semper iuxta verbum, consti
tuit aliquod externum & visibile signum siue gratiæ, vt homines externo signo &
opere, seu Sacramento admoniti, certius crederent Deum fauere & misericordem
esse. Sic post diluuium Iris in id apparuit, vt esset certum Argumentum, Deum
posthac simili pœna non grassaturum in mundo. Abrahæ data est Circumcisio,
Sicut audiemus, vt statueret Deum fore sibi Deum, & daturum Semen in quo be-
nedicerentur omnes Gentes. Nobis in nouo Testamento Baptismus & Euchari-
stia, tanquam visibilia gratiæ signa, data sunt, vt statueremus peccata nostra per
Christi passionem sublata esse, nosque morte eius redemptos esse. Sic Ecclesia
nunquam ita destituta fuit externis signis, vt non posset sciri vbi Deus certò inue-
niretur.

Etsi autem mundus ferè Cain imitatur & illi signis gratiæ abutitur ad Hypo
crisin, tamen profectò ineffabilis misericordia est, quòd Deus tam multifariam se
nobis ostendit. Sicut etiam magnificè hoc ipsum donum commendatur Pro-
uerb. 8. Delectabar per singulos dies, ludens coram eo, ludens in orbe terrarum,
& delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Sed Ebræum verbum Sagah non rectè
redditur per vocabulum lusus. Hoc enim sapientia prædicat, quod habuerit re-
spectum suum ad homines, quod se hominibus reuelauerit, q. d. Ego me semper
ita in hominum oculos atque aures ingessi, vt me præsentem intelligerent in Sa-
crificijs, in circumcisione, in incensionibus, in nube, in mari rubro, in manna, in
æneo serpente, in tabernaculo Mosi, in templo Salomonis, in nebula, ac fuerunt
delitiæ meæ, vt sic me ostenderem & reuelarem filijs hominum.

Ac Adæ magnæ consolationi fuit, quòd amissa Paradyso, arbore vitæ & a-
lijs commoditatibus, quæ erant signa gratiæ, aliud signum gratiæ, nempe sacrifi-
cia, ei datum esset, per quod intelligeret, se à Deo non abiectum, sed Deo adhuc cu
ræ esse, & à Deo respici. Hoc enim significabat Deus, cùm sacrificia & oblationes
flamma cœlesti accenderet & absumeret, sicut de Sacrificio Mosè & Helię legimus.
Hæc enim erant veræ ostensiones diuinæ misericordiæ, quibus opus habebat mise-
ri homines, neessent sine aliqua luce gratiæ Dei.

Sic hodie ipsum verbum, Baptismus, Eucharistia, sunt Luciferi nostri ad quos
respicimus, tanquam ad certos indices Solis gratiæ. Certò enim possumus defini-
re, quod vbi est Eucharistia, Baptismus, Verbum, ibi sit Christus, remissio peccato-
rum & vita æterna. Contrà vbi hæc signa gratiæ non sunt, vel vbi contemnuntur
ab hominibus, Ibi non solùm non est gratia, sed etiam fœdi errores sequuntur, vt
homines alios cultus & alia signa ipsi sibi constituant. Sicut Græci Appollinem,
& alij alios Dæmones coluerunt. Aegyptij, Anubin, Serapin, Crocodilos, Al-
lium, cepe. Romani Iouem, Quirinum, & fœda illa simulachra, Priapum, Ve-
nerem, &cet.

Idem in Papatu accidit, postquam enim illa vera gratiæ signa, cœperunt vi-
lescere & contemni, superstitio non potuit quiescere, sed quæsiuit alia signa, vota,
ordines, peregrinationes ad Sanctorum loca, intercessiones Sanctorum & alia.
Hæc omnia & errorum plena, & cum impietate coniuncta sunt, & tamen miseri
homines ea amplectuntur, tanquam certa diuinæ gratiæ signa. Hic nullum Epi-
scopum, Scholam nullam audias, quæ reclamet hisce Blasphemijs, quæ saniora do
cent. Amissa enim luce verbi, & his gratiæ signis à Deo exhibitis, necessariò currunt
homines post desideria cordium suorum. Sicut Iudæi contempto tabernaculo &
templo, sacrificabant sub arboribus, in lucis, donec tandem liberos suos crudeles
parentes mactarent.

Hæc tam varia & vaga idolatria ostendit, quantum sit donum habere verbum
& signa illa gratiæ à Deo ostensa & mandata. Quòd si Gentes Iudæorum vestigijs

insistere voluissent, neutiquam ad portenta illa essent prolapsi. Sic Iudæi si verbo attendissent, ista Blasphema. Sacra nunquam tentassent. Nos si Baptismum & Sacram Eucharistiam eo loco habuissemus, quo debebamus, non essemus facti Monachi, nihil de purgatorio, nihil de sacrificio Missæ, nihil de alijs impietatibus in Ecclesia esset traditum. Sed postquam lux verbi per impios Pontifices extincta est, facilè fuit obtrudere hominibus, omnes istas abominationes.

Ineffabile igitur hoc donum est, quod Deus non solùm dignatur loqui per verbum hominibus, sed etiam addit verbo visibilia signa gratiæ. Sicut in nouo Testamento sunt Baptismus, Eucharistia, Absolutio. Hæc qui contemnunt aut non dignè tractant, nonne digni sunt, qui Papæ stercora pro balsamo emant, adorent, prædicent? Cur enim contemnunt benignitatem diuinæ maiestatis? Possent habere certissimum signum gratiæ domi suæ, sine sumptibus sine labore vllo. Eo contempto eunt Romam, compostellam, &c. Consumunt pecuniam, affligunt corpus, & tandem amittunt animam meritò. Deus sit benedictus in secula, qui hodie nos per verbum suum reuocauit, à vagis istis erroribus & Idolatrijs, & locupletauit nos signis gratiæ suæ ditauit, vt ea ante fores nostros, imò domi nostræ & in lectulo habere possimus. Ad hunc modum Deus statim à primordio mundi confirmaturus promissionem de Salute nostra, hoc egit, vt haberent homines signa, quibus se consolarentur in peccatis suis & erigerent fiducia gratiæ diuinæ. Non enim operis ipsius dignitas, sed misericordia & promissionis diuinæ virtus in sacrificio valet, quod Deus hunc cultum ordinat & promittit sibi eum gratum fore. Quòd igitur nobis Baptismus & Cœna Domini est, hoc Adæ fuit post promissionem sacrificium & oblatio. Reuelauit enim Deus in sacrificijs gratiam suam, & probauit eo incendendo & absumendo ea per ignem.

DE BAPTISMO.

DE VOCABVLO.

Tom. 1. Ien. fol. 336. In conc. De Baptis. Nomen, Baptismus Græcum est, Latinè potest verti mersio, cùm immergimus aliquid in aquam, vt toquum tegatur aqua. Et quamuis ille mos iam abfoleuerit apud plerosque (nequeenim totos demergunt pueros, sed tantùm paucula aqua perfundunt) debebant tamen prorsus immergi & statim retrahi. Id enim Etymologia nominis postulare videtur. Et Germani quoq; Baptismum Tauff / vocant, à profunditate, quam Tieffe illi sua lingua vocant, quod profundè demergi conueniat eos, qui Baptisantur.

Et sanè si spectes, quid Baptismus significet, idem requiri videbis. Hoc enim significat vt vetus homo, & natiuitas nostra plena peccatis, quæ ex carne & sanguine constat, tota per diuinam gratiam demergatur. Id quòd post copiosius indicabimus. Debebat igitur modus Baptisandi, respondere significationi Baptismi, vt certum ac plenum eius ederet signum.

QVID SIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 114. Galat. cap. 3. Quicunque Baptisati estis, Christum induistis. Item, Tit. 3. Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti. Exurgit enim in Baptisatis præter hoc quòd regenerantur & renouantur per Spiritum Sanctum ad cœlestem iusticiam & vitam æternam in Baptismo, etiam noua lux & flamma oriuntur noui & pij affectus, Timor, fiducia Dei, spes, &c. Oritur noua voluntas, Isaque hoc tum est propriè, verè & Euangelicè Christum induere.

Itaque in Baptismo non datur vestitus legalis iusticiæ aut nostrorum operum, sed Christus fit indumentum nostrum. Is autem non est Lex, non legislator, non opus, sed diuinum & inenarrabile donum, quod donauit nobis Pater, vt esset iustificator, viuificator & redemptor noster. Quare Euangelicè Christum induere, non est Legem & opera, sed inæstimabile donum induere, scilicet remissionem peccatorum, iusticiam, pacem, consolationem, lætitiam in Spiritu Sancto, Salutem, vitam & Christum ipsum.

Hic locus diligenter obseruandus est, contra fanaticos Spiritus, qui Maiestatem Baptismi extenuant, & scelestè ac impiè de eo loquuntur. Paulus contrà magnificis titulis Baptismum ornat, appellans lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus Sancti. Tit. 3. Et hîc dicit omnes Baptisatos Christum induisse, q. d. Non accepistis per Baptismum tesseram, per quam ascripti estis in numerum Christianorum, vt nostro tempore multi fanatici homines senserunt, qui ex Baptismo tantùm tessaram fecerunt, hoc est, breue & inane quoddam signum. Sed quotquot inquit Baptisati estis, Christum induistis, id est, iusticia Christi vestiti estis.

Docet ergo Paulus Baptismum non signum, sed indumentum Christi, imò ipsum Christum indumentum nostrum esse. Quare Baptismus, potentissima ac efficacissima res est. Vbi verò induti sumus Christum, indumentum iusticię & Salutis nostræ, tum etiam induemus Christum, vestimentum imitationis.

VARII BAPTISMI IN MOSE.

Tom. 4. Ienens. fol. 295. Matthæi cap. 3. Nouus ritus fuit Baptismus in pœnitentiam & remissionem peccatorum, Cùm antea varij essent in Mose Baptismi, rerum, corporum, carnis, sed non in pœnitentiam, neque remissionem peccatorum, sed tantùm ad mundiciem carnalem, vt vestium, cutis, ollæ, vasis, &cet.

A QVO INSTITVTVS.

A Domino Nostro Iesu Christo, Matth. 28. Euntes docete omnes Gentes & Baptisate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Qui crediderit & Baptisatus fuerit, Saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci. 16. Ex paruo Catechismo.

DE FORMA BAPTISMI.

Tom. 2. Ienens. fol. 285. De capt. Babylon. Homo Baptisat & non Baptisat, baptisat, quia perficit opus, dum mergit baptisandum. Non Baptisat, quia non fungitur in eo opere sua autoritate, sed vice Dei. Vndè oportet nos Baptismum de manu hominis non aliter suscipere, quàm si ipse Christus, imò ipse Deus, nos suis proprijs manibus Baptisaret. Non enim hominis est, sed Christi & Dei Baptismus, quem recipimus per manus hominis, sicut quælibet alia creatura, qua vtimur per manum alterius, non est nisi Dei. Caue ergo sic discernas Baptismum, vt externum homini, internum Deo tribuas, vtrumque Soli Deo tribue, nec conferentis personam aliam, quàm instrumentum, vicarium Dei accipe, per quod Dominus in cœlo sedens, te in aquam suis manibus proprijs mergit. Et remissionem peccatorum promittit in terris, voce hominis tibi loquens per os ministri sui.

Hoc & ipsa verba tibi dicunt, cum dicit: Ego Baptiso te in nomine Patris & Filij & S. Sancti, Amen. Non dicit ego Baptiso te in nomine meo, quasi dicat: Id quod facio, non mea autoritate, sed vice & nomine Dei facio, vt non aliter habeas, quàm si ipse Dominus visibiliter fecisset. Autor & minister diuersi sunt, sed opus idem vtriusque, imò solius autoris per ministerium meum. Sic enim ego arbitror, In nomine referre personam autoris, vt non tantùm sit nomen Domini prætendere & inuocare in opere, sed ipsum opus tanquam alienum alterius nomine & vice implere. Quo tropo Matth. 24. Christus dicit: Multi venient in nomine meo. Et Roma. 1. per quem accepimus gratiam & Apostolatum, ad obedientiam fidei in omnibus gentibus pro nomine eius.

Hanc sententiam ego libentissimè sequor, quod sit plenissimum solacij & efficax fidei adiutorium, nosse se esse Baptisatum, non ab homine sed ab ipsa ministate per hominem, qui nomine eius rem gerat apud nos. Quò cessat illa otiosa contentio, quo de forma Baptismi (quam appellant ipsa verba) litigant. Græcis dicentibus: Baptisetur seruus Christi, Latinis. Ego Baptiso. Item alij rigidiùs mè nugantes, damnant sic dici: Ego Baptiso te in nomine Iesu Crhisti, quo ritu certum est Apostolos Baptisasse, vt in Actis Apostolicis legimus, voluntque nullam aliam deinceps valere quàm istam: Ego Baptiso te in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti. Amen. Sed frustra contendunt, nihil enim probant sua somnia duntaxat asserunt. Quocunque modo traditur Baptismus modò non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur verè saluum facit. Imò non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè Baptisatum esse in nomine Domini. Non enim in contentis tantùm, quantùm in suscipientis fide vel vsu, sita est virtus Baptismi. Sicut igitur exemplum, de quodam Mimo per iocum Baptisato. Istas & similes disputationum & quæstionum angustias fecerunt nobis ij, qui fidei nihil, operibus autem ritibusque omnia tribuerunt, cùm soli fidei omnia, & nihil ritibus debeamus, quæ nos facit liberos Spiritu, ab omnibus istis scrupulis & opinionibus.

Alterum quòd ad Baptismum pertinet, est signum seu Sacramentum, quod est ipsa mersio in aquam, vndè & nomen habet. Nam Baptiso Græcè, mergo Latine, & Baptisma mersio est.

NVM PECVLIARIS VIRTVS INDITA SIT AQVAE BAptismi.

Genes. capite. 3. Tom. 1. fol. 66. Sophistæ disputant quomodo Baptismus iustificet. Nam Thomas & Bonauentura sentiunt quandam virtutem ciendi à Deo aquæ inditam cùm Baptisatur infans, vt ita aquæ Baptismi sua virtute creet iustificationem. Contrà nos dicimus, Aquam esse aquam, nihilo melius rem in sua substantia, quàm ea quam vacca bibit. Huic autem simplici aquæ addimus esse additum verbum promissionis. Quicunque crediderit & Baptisatus fuerit, saluabitur. Item, Oportet hominem renasci ex aqua & Spiritu. Hoc verbum seu promissionem hanc, si quis velit appellare vim aquæ Baptismi inditam, non repugnabo. Sed sophistarum alia mens fuit.

Non enim verbo dant virtutem hanc, sed de Elemento disputant, quod habeat peculiarem virtutem inditam. Scotus rectius dixit, cùm definit Baptismum esse pactum diuinum assistens Elemento.

Verbum

Verbum igitur vbique respiciendum & honorificandum est, quo Deus apprehendit & quasi induit creaturas, & facienda differentia est inter creaturam & verbum. In Sacramento, sunt Panis & vinum. In Baptismo est aqua. Hæ sunt creaturæ sed apprehensæ per verbum. Quamdiu autem creatura est apprehensa verbo, tamdiu est & facit quòd verbum promittit.

DE EFFECTIBVS BAPTISMI.

Tom 4. Ien. fol. 819. Ioel 3. ca. Sicut aquæ simplicis seu naturalis multiplex est vsus, bibitur, rigat & fœcundat arida loca, sordibus quoque abluendis aptissimus est: Ita sacer Baptismus animam accensam siti gratiæ potat. Est enim fons salutis, quem qui bibunt, hoc est, qui promissioni additæ credunt, nunquam sitiunt. Sicut Christus dicit: Qui crediderit & Baptisatus fuerit, Saluus erit. Ac corda hoc cœlesti potu Domus Domini refecta, non amplius sunt arida & sterilia, sed vt Psalmus dicit, sunt similia arbori plantatæ ad riuos aquarum, quæ fert fructum suum suo tempore. Non enim impeditur nec læditur ardoribus Solis. Præterea aqua abluuntur. Hunc fructum sequitur æterna vita.

At inquies, quomodo hoc aqua potest? Respondeo aqua ceu elementum hoc per se hoc non potest. Etsi enim sordes vestium & corporum abluit, tamen animam attingere non potest. Ioel autem disertè, non in genere de aqua loquitur, sed de aqua profluente ex domo Domini. Ea diuina aqua est, non ideo solum, quia Baptismus à Christo institutus, & carne ipsius Sancta mundatus est, sed quia huic aquæ verbum & Spiritus Sanctus est additus. Is purificat corda fide, & quicquid sordium est, sic obluit ne nos damnent. Sunt igitur hæc præcipua Ecclesiæ dona, Verbum & Sacramenta, quæ ambo eò faciunt, vt statuamus Dominum esse spem nostram, & refugium nostrum.

Est lauacrum regenerationis. Tom. 1. Ienens. fol. 337. In conc. De Baptis. Paulus ad Tit. 3. Vocat Baptismum lauacrum regenerationis ac renouationis, quod in eo lauacro regeneremur & renouemur. Sic Christus quoq; Ioh. 3. dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu (Gratiæ scilicet) non potest introire in regnum Dei. Quemadmodum enim mater illo carnali partu plenum peccatis puerum & iræ filium edit. Ita Baptismus edit Spiritualem partum, & regenerat nos, vt iustificati simus filij gratiæ. Sic peccata in Baptismo demerguntur, & emergit pro peccatis, iusticia.

SIGNIFICATIO BAPTISMI.

Tom. 1. Ienens. fol. 337. In conc. De Baptis. Figura seu significatio Baptismi ea est, vt mortificentur primò peccata, pòst vt resurgamus per gratiam Dei, vt vetus homo qui in peccatis conceptus & editus est, totus demergatur & prodeat nouus homo renatus per gratiam Dei.

BAPTISMVS SINE FIDE NON PRODEST.

Genes. cap. 48. Tom. 4. fol. 192. Hæc erat olim vsitata Theologorum Doctrina: Sacramenta conferunt sumentibus ea gratiam, sine verbo & sine fide. Si quis Baptisatur non opus habet fide. Sacramenta tantùm virtutis habent, vt ex opere operato dent Gratiam.

At verò

At verò noſtræ Doctrinæ caput eſt: Sacramentum non operari gratiam ſine fide. Nam Eunuchus in Actis à Philippo audit, cùm diceret: Ecce aqua, quid prohibet me Baptiſare? Si credis ex toto corde licet. Non vult eum Baptiſare niſi credat. Non dicit: Baptiſmus prodeſt tibi & iuſtificat te ſiue credis ſiue non, vt Papiſtæ ſomniant, etiam paruulis infundi gratiam virtute Sacramenti. Hoc eſt falſiſſimum, quia virtute promiſſionis ſaluantur, & accipiunt Spiritum Sanctum, propterea quòd dixit Chriſtus: Sinite paruulos ad me venire. Talium enim eſt regnum cœlorum.

Diſcamus ergo ex talibus exemplis veram vim fidei, qua liberamur à morte & in æternam vitam tranſimus. Sicut Iacob inquit. Ego morior ſed Deus viuit, ille erit vobiſcum, ergo abeo in ſepulchrum, vos non audietis nec videbitis me, ſed relinquo vobis longè meliorem Patrem, qui vos rectius & fidelius poterit curare, quàm ego. Non enim ego, nec filius meus Ioſeph, ſed Deus, in quem credimus & cuius promiſſionem habemus, erit veſter Deus, Pater, Dux, liberator.

Hæc omnia ſine fide non dixiſſet, Promiſſio enim & fides neceſſariò cohærent, ſicut inquit Paulus. Per fidem habitat Chriſtus in vobis. Et in libro ſapientiæ Dicitur: Non habitat Deus in corpore incredulo. Si Turca audiret promitti aliquid, ſtatim intelligeret requiri fidem. Quid enim promiſſio eſt cui nemo credit, niſi res inanis? Tunc autem eſt promiſſio, quando ei credit, & firmiter innititur homo, & ſtatuit Deum eſſe veracem.

Hiſtorica fides non nititur nec confidit verbo, ſed dicit: Ego audio Chriſtum paſſum & mortuum eſſe, &c. Vera autem fides ſic ſentit: Ego credo Chriſtum pro me paſſum, mortuum, &c. De eo non dubito, & ea fide acquieſco, & confido illi verbo contra mortem & peccatum.

Hanc lucem & gratiam hoc tempore reuelauit nobis Deus, pro qua debemus grati eſſe. Et huius fidei præclarum exemplum eſt in his verbis Iacob, quæ continent ſanè res grauiſſimas & maximas: Moritur enim Iacob non animo dubio & hæſitante, ſed certiſſima & conſtantiſsima fide pronunciat: Deus erit vobiſcum. Sic vitam habet in morte, & mortuus viuit, ducitur ad ſepulchrum pleno fiducia, quia confidit Deo, & promiſſionibus eius, quæ fides abſorbet mortem. Non enim eſt Hiſtorica illa noticia factorum, quæ tantùm habet res geſtas, nec pugnat, nec ſtat immota in tentatione contra mortem & infernum cuiuſmodi fidem ſiue ſcientiam etiam Diabolus habet. Sed hæc eſt fides promiſsionis, quæ tribuit Deo honorem veritatis, quæ credit verbo eius & confidit ei, hæc vincit mortem, & inſultat ipſi cum Paulo, ac dicit: Mors vbi ſtimulus tuus? Vbi victoria tua? Etiamſi me deuoraueris tamen redibo in lucem & vitam.

Tales loci proponendi ſunt Eccleſiæ, propter exempla Sanctiſsimorum virorum, qui nobis præluxerunt fide conſtantiſſ. quam nos quoque ſequi & imitari diſcamus, vt in hunc modum gloriari poſsimus: Ego ſum Baptiſatus, ſum abſolutus, Da ſterb ich auff. Quicquid obijcietur porro tentationum, aut curarum, non mouebor prorſus, quia is qui dixit: Qui crediderit & Baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Item, Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis. Item, Hoc eſt, corpus meum, Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum, ille nec fallere, nec mentiri poteſt, Das iſt gewißlich war.

DE VE-

DE VERO VSV BAPTISMI ET QVATENVS PECCATVM SVBLATVM *sit in Baptismo.*

Tom. 1. Ienens. fol. 337. In conc. De Baptis. Porrò illa peccatorum demersio & mortificatio non perfectè in hac vita absoluitur, donec hoc mortale corpus pereat, & totum in puluerem abeat. Sacramentum vel signum Baptismi, id quod videmus breui perficitur. Verùm significatio eius & Spiritualis Baptismus, demersio scilicet peccatorum, illa per hanc totam vitam durat, & non nisi in morte perficitur. Tum enim verè demergitur homo in Baptismum & verè hoc fit quod Baptismus significat.

Non igitur hæc vita aliud est, quàm perpetuus Baptismus Spiritualis, donec moriamur, & adiudicatur morti is, qui Baptisatur. Perinde atq; si dicas, Sacerdos cùm Baptisat, Ecce tu nihil aliud es, quàm caro plena peccatis, Demergo itaque te in nomine Dei, & sententiam mortis contra te in eodem nomine fero, vt tecum omnia peccata tua moriantur & demergantur. Atque sic Sanctus Paulus quoq; ad Roman. 6. dicit: Sumus cum Christo sepulti in mortem per Baptismum.

Quò igitur citius homo à Baptismo moritur, eò citius Baptismus suus perficiur & absoluitur. Neque enim cessant peccata quàm diu hic viuimus. Nam cùm toti ex & in peccato simus nati, natura nostra peccatum est. Id quod Propheta quoque confirmat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Nec aliter consuli huic naturæ vitio potest, quàm per mortem, cùm tota vnà cum peccatis interit.

Vides igitur Christianam vitam nihil esse aliud, quàm initia quædam à Baptismo fœliciter & sanctè moriendi, donec hoc corpus intereat, vult enim Deus hominem in nouissimo die relurgere, vt tum planè nouus sit.

Quemadmodum autem demersionem in aquam breui perfici videmus: Ita quoque mox retrahitur ex aqua infans & leuatur. Verùm significatio huius, Spiritualis regeneratio, donum gratiæ & iusticiæ, illa in Baptismo quidem incipiunt, non tamen prius perfectè ea consequimur, quàm moriamur, Imò cùm in nouissimo die hæc caro resuscitabitur, tum demum cœptum opus absoluet Deus, & liberi à peccato & morte, alijsque malis resurgemus, & in æternum viuemus, tam hoc corpore quàm etiam anima purificata, Tum demum perfectè è Baptismi fonte leuabimur, & renascemur perpetuò in cœlo victuri.

Nam hoc, quod demersum infantem ex aqua retrahunt Catechistæ nihil aliud est, quàm si dicant: Ecce iam demersa sunt tua peccata, nos igitur te in nomine Dei excipimus, vt eum, qui iam in æternam & in innocentem migraturus sis vitam. Sic enim Angeli Dei in nouissimo die omnes pios Baptisatos Christianos producent, & tum verè hoc fiet, quod & Baptismus & Catechistæ significant. Quemadmodum dicit Christus, Matth. 24. Emittet Angelos suos, & ipsi congregabunt electos eius, à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum.

Ex his igitur colligimus verum esse, quòd homo statim à Baptismo sine peccatis sit, & planè innocens. Verùm multi sunt, qui hoc non rectè intelligunt. Sic enim quidam somniant, cum nullum planè sit reliquum peccatum à Baptismo licere sibi ociosis esse, neque vnquam cogitant de mortificanda illa peccatis plena natura. Id quod multi quoq; à confessione solent facere. Rectè igitur hæc vt suprà monuimus,

monuimus, sunt accipienda, & sciendum, quod hæc nostra caro, quàm diu viui-
mus, mala sit & plena peccatis, cui non alia ratione potuit consulere Deus, quàm si
totam refringeret & reformaret. Sicut Ierem. indicat cap. 18. Figulus cùm vide-
aliam iam facti vasis formam, quam ipse velit, redigit in lutum & refingit (sic in-
quit Deus apud Prophetam) sicut lutum in manu figuli, Sic vos in manu mea estis
ram nos denuò per mortem redigit, in nouissimo autem die refinget, vt integri &
sine peccatis simus. Hocque consilium inchoat Deus in Baptismo, qui mortis &
resurrectionis nouissimi diei est typus. Quantùm igitur ad figuram & signum at-
tinet, mortua etiam nunc vnà cum homine sunt peccata, & resurrexit homo. Ve-
rùm quantum ad opus attinet, Sacramenti effectus, nondum perfectò est absolu-
tus, hoc est, mors & resurrectio in nouissimo die nondum sunt facta, sed fient.

Homo igitur Sacramentaliter ab omnibus peccatis mundus & innocens est.
Hoc est, signum diuinum habet, quod significat, quòd omnia ipsius peccata mor-
tua esse debeant, & ipse quoque fœliciter mori, & tandem in nouissimo die mun-
dus ab omnibus peccatis resurgere ad æternam vitam debeat. Quantum igitur ad
Sacramentum attinet, verum est quòd simus sine peccato. Verùm cùm nondum
perfectus sit Baptismus, & nos adhuc in illa carne plena peccatis simus, cœpta cer-
tùm illa Christiana innocentia est, non etiam absoluta.

Postquam igitur adoleuerit homo, tum se peccatrix natura exerit, tum sese pro-
dit concupiscentia & affectus iræ, odij, libidinis, amoris, auaritiæ, superbiæ, & ci
qui sunt similes, quorum nullus sentiretur, si in Sacramento demerla & mortua o
mnia peccata essent. Verùm Baptismo peccatorum mortificatio tantùm signifi-
cata est, nondum penitus perfecta, perficitur autem per mortem & resurrectio-
nem in nouissimo die. Sic S. Paulus Roman. 7. Item reliqui Sancti omnes con-
eo quæruntur, se peccatores esse, & vi naturali ad peccandum rapi, quamuis Ba-
ptisati & Sancti essent, Quod enim viuimus, sentimus quod natura feramur ad
peccandum.

Quæras igitur, quid prosit Baptismus, cùm non totum peccatum tollat & de-
bluat? Hæc quæstio occasionem dabit, vt intelligamus & quid sit Baptismus, &
quis eius verus vsus. In Baptismi enim Sacramento Deus tecum fœdus iungit, &
se tibi conciliat fœdere & gratiæ & consolationis pleno.

Primò quòd Baptismum & hoc quod significat, expetis & exoptas videlicet,
vt vnà cum peccatis intermoriaris & in nouissimo die refingaris (id enim Baptis-
mus significat) hoc in te probat Deus, & finit te Baptisari, statimque à Baptismo
refingere incipit, Te sua gratia ac Spiritu suo perfundit, Sanctus autem Spiritus
tim naturam & peccata mortificare incipit, atque ita te ad mortem & resurrectio-
nem in nouissimo die præparat.

Secundò, præterea quia suam fidem obstringis, te quoad viuas, tuam carnem
ac peccata mortificaturum, Eam quoque voluntatem tuam probat Deus, te
multis ac varijs bonis operibus, quoad vixeris, exercet, præterea cruce & afflic-
nibus, quibus hoc, quod tu in Baptismo petijsti, conficit, nempe vt te liberet
peccatis, mortificet, & resuscitet in nouissimo die, atque ita Baptismus absolu-
tur.

Cùm igitur legimus aut videmus Sanctos miserè affligi, varijs item exerci
calamitatibus, sic sentiamus: Illa omnia fieri à propitio Deo, vt eos mortifica
& sic satisfiat Sacramento Baptismi, nempe, vt mortui refingantur. Nisi enim ho
fiat, vt varijs malis exerceamur & iactemur, corrupta hæc natura vincet nos, vt nul
lus sit Baptismi vsus, sed subinde è peccato in peccatum recidamus, & tales perpe-
tuò quales nati sumus maneamus.

Cùm ergo tu cum Deo tale iungas fœdus, ipse viciſſim per gratiam ſuam ſeu obſtringit, quod reliquias peccatorum, quæ à Baptiſmo in natura tua ſuperſunt, nolit imputare, adeoque quod propter eas te nolit condemnare. Et ſatis eſt ei, hocque vnicè probat, ſi aſſiduò labores peccata mortificare, & mortem exoptes, quæ innatam illam ad peccandum vim tollat.

Si igitur ſentias te malis cogitationibus, concupiſcentia, item alijs affectibus agitari, imò ſi videas aliquando prolapſum te in peccatum aliquod, illa omnia certò ſunt tibi condonata, vifœderis, quod cum Deo iunxiſti in hoc ſacramento, ſi quomodo reſipiſcas ac redeas ad hoc fœdus eique credas.

Id quod S. Paulus Rom. 8. Indicat cùm dicit: Nulla nunc condemnatio, id eſt, illa naturæ vis, qua ad peccandum inuiti rapimur, neminem qui in Chriſtum credit, condemnat, ſi modò eam non probemus ac defendamus.

Item, S. Iohannes in ſua canonica cap. 2. Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Porrò hoc eorum in Baptiſmo fit, in quo Chriſtus nobis donatur.

Niſi ergo hoc fœdus cum Deo eſſet, & Deus ratione huius fœderis ad noſtra peccata conniueret, nullum tam leue eſſet peccatum, quod nos non condemnaret. Neque enim vllum peccatum, quantumuis exiguum, Dei iudicium ſuſtinere poteſt. Non igitur eſt aliud maius & ſuauius ſolatium in hoc mundo, quàm Baptiſmus. Per Baptiſmum enim & gratiam & miſericordiam conſequimur, quæ peccata non accuſant aut damnant, ſed potius magno labore & vſu eijciunt ac repellunt.

Pulchrè igitur S. Auguſtinus ſcripſit peccata in Baptiſmo condonari, non quòd nulla peccati reliquiæ ſuperſint, ſed quòd non amplius imputetur peccatum, q. d. peccata quidem in mortem vſque in noſtra carne hærent, ſe commouent ac ſubinde produnt, verùm cùm fiant illa nobis inuitis nec approbantibus, hoc Baptiſmi beneficium eſt, quod nos non condemnant, nec nobis nocent, ſed indies magis, donec moriamur, mortificantur.

Cùmigitur ſentis te concupiſcentia, aut alijs vitijs tentari, non ideo exhoreſces, nec deſperabis, neq; etiam ſi in manifeſtum aliquod peccatum prolabaris, ſed Baptiſmi recordare teque eo conſolare: Nam in Baptiſmo Deus ſe tibi obſtrinxit, quod & ſua peccata velit mortificare & ea condonare, ſi modo ea aut non approbes, aut etiam in eis non perdures.

Et ſic quoque accipiendæ ſunt malæ cogitationes, concupiſcentia & peccata, quæ ſentimus, non vt ijs ad deſperationem adigamur, ſed ſentiamus ea eſſe ceu monumenta quædam diuina, quæ nos commoneant Baptiſmi, quid in eo vouerimus nempe, vt inuocemus diuinam gratiam, & in aſſiduo belli vſu, contra peccata ſimus, vt etiam exoptemus mortem, vt vel illa ratione ab hoc corpore peccati liberemur.

BAPTISMVS CHRISTI ET ALIORVM DIFFERVNT.

Geneſ. cap. 17. Tom. 2. fol. 76. Neceſſarium diſcrimen facimus inter opus & opus. Cùm Baptiſaretur Chriſtus, & cùm nos Baptiſamur, quod ad ipſum opus attinet, nihil intereſt inter Baptiſmum Chriſti, & aliorum credentium, vtriq; abluuntur aqua in Iordane, vtriſq; proponitur conſolatio, quod Deus velit ignoſcere peccata: Sed perſonarum diſcrimen maximum eſt. Chriſtus Baptiſatur non vt iuſtificetur, eſt enim Filius Dei & æterna iuſticia ornatus, vt nos iuſtificemur per ipſum. Sed Baptiſatur vt ſic dicam, nobis in exemplum, vt præcedat nos, & nos eius exemplum ſecuti etiam Baptiſemur.

INFAN-

INFANTES BAPTISANDI.

Tom. 4. fol. 806. Ioel. cap. 3. Hæc quoq; causa est, cur ad Baptis-
mum, exemplo Apostolorum & primitiuæ Ecclesiæ adhibemus etiam infantes.
Quia enim certum est, Spiritum Sanctum per aquam Baptismi efficacem velle esse,
statuimus tam non impediri Spiritus Sancti actionem per Infantium ἀνεπαισθησίαν,
quàm nos adulti nostris viribus & sensibus Spiritus Sancti opus, non reddimus
perfectius. Extant autem exempla, etiam nondum natos in vtero materno San-
ctificatos esse, imò etiam Christi noticiam habuisse. Quia autem certum est,
Spiritum infantibus immundum esse propter peccatum, cur inuideremus eis San-
ctificationem, quam Christus cum Aqua Baptismi promittit, & sine qua salvos
eos fieri impossibile est.

ANABAPTISTARVM REFV-TATIO.

Tom. 4. Ienens. fol. 665. Hoseæ cap. 12. Verè odiosum & impium
Anabaptistarum dogma est, qui ideo pueris Baptismum negant, quòd sensu &
mente careant, nec intelligant quæ cum eis aguntur. Nobis non intelligunt, no-
bis sensu ac mente iudicantur carere, sed Deo non sic, cuius opus sunt. Deus enim
sicut alio modo eos alit quàm nos, Ita quoque alio modo mouet eorum corda.

Et Genes. cap. 17. fol. 81. Tom. 2. Notandum autem Circumcisionis pra-
ceptum est contra furores Anabaptistarum. Hi enim ideo sentiunt repetendum
Baptismum, & non nisi adultos Baptisandos, quòd infantes non habent intellec-
tum, Vbi autem nullus intellectus est, ibi nec fidem esse. Sed dic mihi, circum-
cisio vt diximus, tantùm prodest propter fidem: Iussi autem sunt infantes octauo
die circumcidi, ac promissio admodum fortis est, Deum eos curaturum & seruatu-
rum. Aut igitur frustra fuit mandatum circumcisionis, aut infantes quoq; qui
sine omni intellectu sunt, crediderunt, ac per circumcisionem, consecuti sunt iu-
sticiam fide, quam Abraham consecutus est adhuc in præputio.

Circumcisis enim promittitur, quod sint populus Dei, & quòd Deus velit ip-
sorum esse Deus, hoc est, sunt in consortio regni Dei, iustificati fide iustificante,
quam eis Dominus donat per Spiritum suum.

Hoc si cum Iudæis in veteri Testamento factum est, mediante circumcisione, cur
cur Deus non faceret idem cum Gentibus, mediante Baptismi, nouo pacto? Nam
præceptum vniuersale est. Ite in vniuersum mundum, docete & Baptisate omnes
Gentes. Vbi igitur circumcisio Soli Semini Abrahæ mandata erat, Baptismus pra-
cipitur omnibus Gentibus, cum promissione Salutis, si credant.

Quòd si Semen Abrahæ virtute promissionis habuit hanc benedictionem vt
octaua die circumcisi donarentur fide, & fierent Dei populus: Cur negarentur
Gentibus vnitis iam Deo pacto Baptismi?

Non enim Baptismi deterior conditio erit, quàm fuit circumcisionis, præ-
tim cùm circumcisio tantùm masculorum esset: Baptismus etiam alterum sexum
complectitur.

Sicut autem Iudæus per peccatum excidens ab isto pacto Dei, non opus habet
Deum circumcidi, sed rediens ad pactum hoc, & promissione se confirmans, rece-
ptus est in Gratiam, Sic excidentes peccata à gratia, non debent rebaptisari: Pro-
missioni semel factæ debent firma fide inniti & per Christum sperare veniam.

Forte igitur hoc argumentum est contra eos, qui negant paruulos Baptisan-
dos: Quia non intelligunt nec credunt. Hic enim mandatur, vt circumcidantur
paruuli octauo die, & additur promissio: Ego ero Deus eorum.

Vtrumque

Vtrumq; igitur, tum præceptum, tum promissio, testantur imputatam infantibus mediante circumcisione iusticiam: Sicut Abrahæ imputata erat ante circumcisionem per fidem. Nam sine fide impossibilè est Deo placere.

Debuit autem pactum circumcisionis durare tantùm ad Christum. Is quia gentes quoq; erat associaturus regno Dei, voluit veteri signo seu pacto abolito, nouum signum instituere, sicut dicit: Nisi quis renatus fuerit per aquam & spiritum, regnum Dei non videbit.

QVAESTIO DE PARVVLIS ANTE BAPTISMVM EXTINCTIS.

Genes. Cap. 17. Tom. 2. fol. 81. Nascitur autem hîc alia quæstio. Si non circumcisi masculi Iudæorum pereunt, quid sentiendum est de infantibus ante octauum diem extinctis? quid de altero sexu, de puellis? Item, quid sentiendum est de nostris infantibus, qui antequam baptisentur extinguũtur, vel in vtero matris, vel post partũ?

De extinctis infantibus ante octauum diem facilis responsio est. Sicut etiam de nostris infantibus, qui ante baptismum extinguuntur. Non enim peccant in fœdus circũcisionis, aut baptismi. Quia enim lex mandat octauo die circumcidi, quomodo damnaret Deus ante octauum diem extinctos?

Relinquendæ igitur animę illorum sunt voluntati cœlestis patris, quem scimus misericordem esse. Et valet hîc quoq;, quod Paulus Roman. 5. mansuetè dicit de ijs, qui non peccauerunt ad similitudinem trãgressionis Adæ: & de Iacob & Isau dicit: priusquam aliquid boni vel mali facerent.

Etsi enim infantes afferunt peccatum innatum, quod originale vocamus: tamẽ magnum est quòd contra legem nihil peccarunt. Cùm igitur Deus natura misericors sit, non ideo deteriore cõditione eos esse sinet, quòd vel circumcisionem in veteri Testamento, vel baptismum in nouo consequi non potuere.

De fœmellis apud Iudęos facilis responsio est, quia enim signaculum hoc tantũ masculino sexui est præceptum, non pertinet ad fœmellas, quæ tamen quia Abrahæ semen sunt, à iustitia Abrahæ non excluduntur, sed consequuntur eam fide. Qui autem adulti, vel circumcisionem contempserunt vel contemnunt baptismum, hi certò damnantur.

QVOMODO CVM ANABAPTISTIS AGENDVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 309. Iesai. cap. 5. Anabaptistæ persuasi se benè & rectè sentire, facilè mortẽ tolerant. Sunt enim obsessi: Quare non erant occidẽdi, sed potiùs cõcludendi in locum aliquem & cohibẽdi tanquam furiosi, & pro eis orandũ potiùs erat.

DE CLAVIBVS SIVE ABSOLVTIONE.

QVID SINT, AD QVOS PERTINEAT EORVM ADMINISTRATIO, *Quod sit officium, & de vero vsu clauium, ac de contrarijs*

Tom. 4. Ienens. fol. 362. Matth. Cap. 16. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis. Et, Quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis.

CLAVES POTESTAS LIGANDI ET SOLVENDI.

Quia verò in hac tam varia & periculosa pugna Ecclesiæ necesse est multos ca-

dere, vel fauciari & periclitari. Ideo hîc remedium iuſtituit, ſcilicet remiſſionis & retentionis peccatorum, quod vocat claues regni cœlorum. Vnam meo iudicio, quę claudat illud impœnitentibus, Alteram quæ aperiat reſipiſcentibus, Ita vt per duas claues intelligere videatur, vtramq; poteſtatem ligandi & ſoluendi. Sed non pugno cum contentioſis. Nam clauis ſcientiæ quam Matth. 23. Chriſtus nominat, non pertinet ad has claues, de quibus hoc locò Chriſtus loquitur, ſed clauis ſcientiæ illic dicitur, autoritas docendi ſeu officium & facultas erudiendi populi per legem. Hic autem claues, ſunt autoritas ſeu officium ligandi & ſoluẽdi eos, qui docti & eruditi, poſtea deciderint & peccauerint.

CLAVIVM ADMINISTRATIO AD OMNES PERTINET.

Et has claues latè intelligimus vt in omnem locum, tempus & perſonam cadant, (modo ne confundantur ordo & diſciplina) id eſt, vt non ſolùm publica Euangelij voce ligentur & ſaluãtur peccata, in Eccleſia cõmiſſa, iuxta illud, Qui crediderit, &c. Qui non crediderit & ſed vt etiam quilibet frater fratrẽ arguere & conſolari poſſit (maximè verò tẽpore neceſsitatis) iuxta illud. Vbi duo vel tres in nomine meo congregati, &c. Sic tamẽ vt publica Euangelij concio, aut clauiũ officiũ non contẽnatur. Quia nõ eſt permittendũ in Eccleſia, vt propter libertatẽ fungẽdi clauib. inſulteur publicę functioni, hoc enim eſſet ſectas ſerere, & gratiã Chriſti in luxuriã transferre.

Quare papa hîc non habet, ſicut nec S. Petrus, poteſtatem regna rapiendi, regesq; deponendi, inſtituẽdi, & pro ſua libidine vexãdi. De peccatis etenim ligandis & ſoluendis, hoc eſt de morte & vita ęterna loquitur Chriſtus, nõ de coronis & maieſtatibus mũdi. Quia de Eccleſia, id eſt, fidelibus petrę cõfeſsorib. agit, nõ de polityia terrena. Et mirũ eſt, quod cũ claues nominet, tamen earũ officium nõ appellat claudere & aperire, id enim eſt propriũ earum officiũ ſed ligare & ſoluere, quod funiũ & catenarum. Sed vt claues metaphoricè intelligerentur, non aliquid materiale, voluit poſtates illas duas ſic nominare, quò facilius & illuſtrius ſignificaretur retẽtio & remiſſio peccatorum. Nam catenæ & funes magis ligationẽ quàm ſolutionẽ, ſeu ſolã captiuitatem potiùs figurarẽt. Ligatio aũt & ſolutio propriè figurant peccatum retentum & remiſſum. Ideo per claues voluit eas figurare, quæ vtrunq; repreſentarent. Nam clauis non tantùm ad claudendum, imò maximè ad aperiendum valet, & in hoc vix penè ſola eſt clauis, vt doceat proniorem eſſe Chriſtum & Eccleſiam ad ſoluendum, quàm ad ligandum, vel dic tu aliud melius ad hanc quæſtionem.

NOVATIANORVM REFVTATIO.

Eſt & hic locus obſeruãdus cõtra Nouatianos, qui lapſis poſt baptiſmũ negabãt ſupereſſe remiſsionẽ peccatorũ. Hoc planè eſt tollere claues ab Eccleſia, maximè potiorem partem, ſcilicet remiſsionẽ peccatorũ. Hi ignorant peccatũ Originale & vim eius deinde, Chriſtum propitiatorem & ſacerdotem ęternũ, fingẽtes eum ſemel poſſe tãtùm ſaluare, non in perpetuũ. Valeant. Nobis verò Catholicis locus eſt cõſolatõe & eruditione plenus, ſcilicet quòd in Eccleſia Chriſtus, reliquit primo contra duros, ſuperbos, ſecuros, ſiue manifeſtos, ſiue occultos, poteſtatem iudicandi damnandi & ſeparandi, Nam & occultè mali coguntur metuere, tã publicã è concione damnationem, quàm priuatam à frater, Ita & ſpecialem iſtam functionem clauium, quę & ipſa publica eſt, ſed alia à generali. Quia generalis nullã perſonã nominat, Hęc ſpecialis ergò priuatam vel certas perſonas priuatas agit. Ita habent impij, ſecuri, &c. quod metuant, nempe ligationem Eccleſiæ.

Econtrà pro pauidis & contritis reliquit poteſtatem abſoluendi, conſolandi & recipiendi, tam occultos, quã manifeſtos, vt ſic terra ſit plena miſericordia Domini, vt habeant humiliati quod ſperent, ſcilicet ſolutionem Eccleſiæ, tum publicè tum priuatim

priuatim tum generaliter, tum specialiter, quin & indiuidualiter, non de vno peccato tantùm, nec vnius speciei, sed de omnibus peccatis omnium generum & specierum. Et magna consolatio est, esse certum, quod iudiciũ Ecclesię, non sit aliud, quàm ipsum Dei iudiciũ in cœlo. Ideo peccator durus & securus, certus esse potest, se frustra securum esse & contẽnere Ecclesiam, si alibi quàm in Ecclesia solutionem & gratiam Dei præsumat inuenire. Et peccator contritus certus esse potest, si solutionem Ecclesię seu fratris audierit, sese nihil aliud audire, quàm vocẽ ipsius dei de cœlo, eum familiariter, personaliter, indiuidualiter alloquentis. Hęc erant diligenter inculcanda & vrgenda, scilicet pro conscientijs instituendis & regendis. Non illa sacrilega de potentia regnandi & tyrannisandi in rebus mundi, sicut Papa fecit. Sed de his horrendis abusibus clauium aliàs dictum est, & dicendum fortiter & semper.

DE FORMA ABSOLVTIONIS MONASTICA.

Tom. 4. Ienes. fol. 52. Galat. cap. 2. In confessione nullam fecerunt fidei, aut meriti Christi mentionem, sed tantùm inculcauerunt satisfactiones humanas & merita, vt cernere est in hac forma absolutionis, vt cœteras taceam, qua quidem Monachi inter se vsi sunt, & hi quî volebant haberi religiosiores cœteris, Quam libet ascribere, vt & posteritas intelligat infinitam & ineffabilem fuisse abominationem papistici regni.

Parcat tibi Deus frater. Meritum passionis Domini nostri Iesu Christi, & beatę Mariæ semper virginis, & omnium sanctorum, meritum ordinis, grauamen religionis, humilitas cõfessionis, contritio cordis, Bona opera quę fecisti, & facies pro amore Domini nostri Iesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum meriti & gratiæ, & in præmium vitæ æternæ, Amen.

Hîc audis quidem meritum Christi, sed si diligentius verba expenderis, intelliges Christum planè ociosum esse, & ei detrahi gloriam & nomen iustificatoris & saluatoris, & tribui Monasticis operibus. Num hoc non est nomen dei in vanũ sumere? Num hoc non est Christum verbis fateri, vim autem eius abnegare & blasphemare? Ego in eodem luto hęsitaui, putabã Christum esse iudicem (etsi ore fatebar eum passum & mortuum pro redemptione generis humani) placandum obseruatione Regulæ meæ. Ideo cùm orabam, aut celebrabã missam, solitus eram semper adijcere in fine, Domine Iesu ad te venio, & oro vt grauamina ordinis mei, sint compensatio pro peccatis meis. Nunc verò gratias ago patri misericordiarũ, qui me è tenebris vocauit ad lucem Euangelij, & donauit me vberrima cognitione Christi Iesu Domini mei, propter quem vnà cum Paulo, omnia duco esse damna, putoq; esse σκύβαλα, vt Christum lucrifaciam, vtq; inueniar in illo, non habens meam iusticiam ex Regula Augustini, sed eam quæ est per fidem Christi, &c. Cui sit laus & gloria, vnà cum patre & Spiritu Sancto, in secula seculorum Amen.

DE EXCOMMVNICATIONE.

DE VOCABVLO.

Tom. 1. Ienens. fol. 172. De excom. Excommunicatio nihil aliud est, quàm priuatio communionis, & extra communionem fidelium positio.

QVID SIT.

Tom. 1. Ienens. fol. 172. Excommunicatio Ecclesiastica est duntaxat externę priuatio com-

uatio communionis, scilicet sacramentorum, funeris, sepulturæ, publicæ orationis, deinde aliarum (vt dictum est) corporalis necessitatis rerum & conuersationum. Hæc enim sententia nota est. Sic & Paulus. 1. Cor. 5. scribit. Vt non commisceamini, nec cibum sumant cum eo, qui nominatur inter eos fornicator, maledicus, ebriosus, rapax, &c. Et. 2. Thess. 3. Si quis non obedierit verbo nostro, per Epistolam hãc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur, &c.

DIVISIO.

Tom. 4. Ienens. fol. 818. Ioel. cap. 3. Ea quoq; sicut Ecclesia duplex est. Vna enim est politica seu externa & visibilis, qua ipsa Ecclesia vtitur contra notoriè facinorosos secundum Christi præceptum Matth. 18.

Sicut autem hęc Ecclesię externa & visibilis excommunnicatio pertinet ad notoriè facinorosos & conuictos de scandalo: Ita est alia occulta & inuisibilis excõmunicatio non hominum, sed ipsius dei. Deus enim non vt nos homines, ex operibus tantùm iudicium facit, sed animum inspicit, & hypocritas iudicat, quos Ecclesia iudicare nõ potest, secundum vulgatum dictum, De occultis nõ iudicat Ecclesia. Non autem omnes publicis scandalis se polluunt. Etsi enim multi auari, fornicatores, adulteri sunt, tamen tegunt peccata, & quasi cautius peccant, nec conuinci à quoquam possunt. Versantur igitur in Ecclesia, audiunt conciones, vtuntur sacramentis, & tamen sunt de facto excommunicati à Deo, siquidẽ viuunt in peccatis contra conscientiam, nec ea emendant, iuxta illud Pauli: Scortatores, adulteri, regnum Dei non possidebunt. Sed non perpetuò ab eis aberit iudicium dei, Homines fallunt, Deum fallere non possunt. Is in nouissimo die colliget per Angelos omnia scandala, & coniciet in æternum ignem.

Ab hac Dei excommunicatione occulta qui volet liberari, caueat peccata, & poenitentiam agat, hoc est, emẽdet vitã, deinde precetur & credat veniam per Christum. Hęc vnica via est illam occultã dei excõmunicationem effugiendi. Quòd si in peccatis perges, & hoc quasi priuilegio gaudebis, quòd cautiùs alijs pecces, Ecclesiæ iudicium effugeris, nihil ages aliud, quàm vt ipse te fallas, ac duriorem sententiam inuocces. De efficiente, singulæ partes Methodi testimonium dicunt.

MATERIALIS.

To. 1. Ienens. fol. 173. De Excomm. Excõmunicatio non tantùm pro fidei contumacia, sed pro quolibet crimine scandaloso debat ferri, patet hoc ex prædictis, vbi Paulus. 1. Cor. 5. & 2. Thess. 3. iubet vitari etiam fornicarios, &c. Quãquam magna sit miseria, & huius potestatis iniuria, quod pro septima aut octaua parte floreni quandoq; excommunicẽtur, relictis interim horribilibus & scandalosis criminibus impunitis, efficto ad hanc tyrannidem colorandam satis vafro cõmento, quòd scilicet non propter trangressiones, sed propter contumaciam excommunicentur, quasi non sit hoc crudele satis, quòd pauperem pro tantillo precio trahunt per tantum spacium in tantas carnificinas suas.

FORMALIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 818. Ioel. cap. 3. Ea regula (Matth. 18.) omninò seruanda est in Ecclesia. Neq; enim leuis res excommunicatio est, quæ simpliciter excludit à regno Christi, & retinet peccata, sine spe remissionis, si non accedat pœnitentia. Ideo Christus non satis fuit admoneri semel & iterum à priuatis, etiam ab illis qui publico ministerio funguntur, admoneri peccatorem voluit, priusquam dura hæc excommunicationis sententia pronũciaretur. Hodie multi accusant ministros Ecclesiarum quasi ipsorum negligentia excommunicatio interciderit. Multi Magistratum accusant, quasi se opponat & excommunicatione vti vetet. Sed Christi sententia clarè testatur, priuatim admonẽdum peccatorem, priusquam ij, qui in ministerio sunt, sententiam hanc ferant,

hanc ferant, & tamen ne tum quidem ferendam sententiam, nisi præcesserit grauis & pia exhortatio publici ministri. Hanc si contempserit peccator, & perrexerit peccare, tum demum excommunicandus est.

Quid igitur impedit excõmunicationẽ hodie? Nihil nisi quòd nemo in hac parte officiũ Christiani facit. Tu habes vicinũ, nota tibi eius vita & mores sunt, Pastori tuo aut prorsus ignota, aut minus nota sunt, quomodo enim singulos nosse potest? Si igitur vides vicinũ iniustis ditari lucris, vides fornicari aut mœchari, aut negligẽtius regere familiã, tu primus admone eũ, & admone piè, vt rationẽ habeat salutis suę & vitet scandalũ. Atq; ò quã S. feceris opus, si ita eũ lucrificeris. Sed quæso quis hoc facit? Primùm odiosa res est veritas. Tu mauis retinere familiaritatẽ, & amicitiã vniri, præsertim si sit potentior, quàm tibi eum reddere infensum. Idẽ dum secundus, tertius, quartus vicinus faciunt, cum prima admonitione, etiã secũda & tertia intercidit, qua in viã reuocari poterat proximus, si tu faceres admonendo officium. Deinde accidit, quod ferè omnes similibus flagitijs sumus obnoxij. Metuimus igitur ne dum festinamus eximere oculis proximi, nobis de trabe obijciatur eminente. Hęc vera & præcipua est causa, quod excõmunicatio penè vbiq; intercidit, quia exiguus vbique piorũ est numerus. Si enim pietas, vt æquũ erat, omnib. cordi esset pluris faceremus Christi præceptũ, quàm omnia huius vitę cõmoda. Tam enim hoc de admonẽdo fratre necessariũ mandatum est, quàm illud, Nõ occides, non furtũ facies. Periclitantur enim non corpus, nõ fortunę proximi, si admonitionẽ hanc vel metu, vel alia ex causa omittas, sed ipsa animę salus. Quod si Pastori cõstat de notorio aliquo peccato, omninô hoc tenetur facere, ne tales ad Eucharistiam admittat, nisi & pœnitentiã agant, hoc est, peccare desinant, & vera confessione ostendant se damnare & odisse peccata, præcedere tamen debet pia & grauis admonitio.

DE FINALI.

Tom. 4. Ienens. fol. 818. Ioel. cap. 3. Porrò hanc excommunicationẽ legitimo modo ab Ecclesia factam caue contemnas. Affert enim certam sententiam irę dei & æternæ dãnationis, sicut Christus dicit: Amen dico vobis, Quicquid in terra ligaueritis, etiã in cœlis erit ligatum. Tantò autem execranda magis est Papę Tyrannis, qui excommunicatione vsus, etiam propter pecuniæ debita, ad certum diem nõ numerata, imò etiã propter suas traditiones neglectas, si quis non ieiunasset, nõ confessus esset, &c. Hodie autem vtitur excommunicatione cõtra nos, qui sanam doctrinã profitemur. Sed primùm consolatur nos Christus, Beati inquit estis, cùm maledixerint vobis homines, Itẽ, Eijcient ex Synagogis vos. Deinde, certum est, hanc excommunicationẽ Pontificiam non esse Christi, siquidem ad Christi præscriptum non fit. Non igitur valet in cœlis, Autori autem abutenti hoc Ecclesiæ mandato certum afferet exitium. Est enim peccatum coniunctum cum blasphemia nominis Dei. Itẽ. 1. To. Ien. de virtute excom. fol. 172. Excommunicari non est animã tradi Diabolo, neq; priuari bonis Ecclesiæ, communibusq; orationibus eiusdem. Hoc ex dictis abundè patet, quia manente fide, spe & charitate, manet vera cõmunio, & participatio omniũ bonorũ Ecclesię. Excommunicatio si iusta est significat potiùs animam esse Diabolo traditã, & Ecclesię cõmunione spirituali priuatam, quia fertur super eũ, qui peccato mortali seipsum priuauit, communione charitatis, & diabolo sese tradidit, sicut econtrà reconciliatio sacramentum est, & externum signum interioris reconciliationis & communionis. Ideo verum est, quòd excommunicatio Ecclesiastica, non infert sed præsupponit aliquem esse in morte & peccato, id est, verè excommunicatum spiritualiter. Probatur hoc per Apostolum. 2. Cor. vltimo, Agam secundum potestatem quã dedit Dominus mihi, non in destructionem sed ædificationẽ. Hoc certè intelligo, quòd non possit destruere, sed tantummodo ædificare per Ecclesiasticam potestatẽ. Nam & nullum fornicarium. 1. Corinth. 5. Sic excommunicauit, & Satanæ tradidit,

vt Spiritus nihilominus saluus fieret. Et vt suprà dictum est, non existimandi sunt quasi inimici, sed corrigendi vt fratres, non vt perdantur, sed vt confundantur. Et vt audacius dicam, Nec Christus vt homo, hanc habuit potestatem separãdi animas, sicut dicit Iohan.6. Omne quod venit ad me, non ejiciam foras. Et iterum: Hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam. Et iterum alibi: Non venit Filius hominis perdere, sed saluare animas.

Item ad hoc apertus quoq; textus lib.6. de Sent. Com. ex C. Cùm medicinalis, qui valdè est notabilis, dicens, Cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, cum prouideat Ecclesiasticus Iudex, vt in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Hæc ibi. Cur non dixit, quod perdentis & occidentis fuerit, sicut quidam desperati timent, imò quidam officiales tyranni affectant? Igitur Ecclesiastica excommunicatio, est pium & maternum Ecclesiæ flagellum, super corpus ad res corporis impositum, quo non trudit ad infernum, sed potiùs reuocat, & vrget ad salutem eos, qui ad inferna properant, ideo cum summa exultatione, & reuerentia simul amplectendum, nedum patientissimè ferendum est.

Illud solum & maximè omnium curandum est, ne excommunicatio tam fidelis salutis ministerium, contemnatur aut impatientius feratur, quia non modò propter potestatem Ecclesiæ, quæ per seipsam semper est metuenda, sed etiam propter piam huius potestatis operationem, & salutis propriæ promotionem amanda.

DE CONTRARIIS.

Tom.4.Ienens.fol.818. Ioel.cap.3. Magistratus autem in hac parte si non faciat suum officium, & publica scandala, graui animaduersione nõ punit, grauissimè peccat, Quod si etiam illud addit, vt Ecclesiasticam censuram impediat, & scandalis protrocinetur prorsus ex Dei seruo in Satanæ mancipium degenerat.

Item, Tom.1.Ienens.fol.173. Excommunicatio iniusta nobilissimum meritum est, ideo dulciter ferenda, si excusationi tuæ humiliter præstitæ, locus non fuerit datus. Hic enim dices illud Psalmi 109. Maledicent illi, & tu benedices. Tantum vide ne potestatem contemnas, vis potestatis prodest, contemptus verò te perdet. Non fi filio, vt dixi, immeritò correpto, eo maior gratia matris accedit, postquam cognouerit eius innocentia patiens, quantò magis apud Deum maiorem gratiam conquetur, si patienti innocentia etiam à matre sua Ecclesia tulerit disciplinam. Imò iubemur consentire, & benigni esse in via, quantò magis dulcissimæ matri Ecclesiæ, etiamsi per indignissimos nos flagellet. Ipsa enim manet mater, quia manet Ecclesia. Manet autem Ecclesia, quia manet Christus eius sponsus in æternum.

DE COENA DOMINI.

QVID SIT.

Ex Catechismo.

Sacramentum altaris est verum Corpus, & verus Sanguis Domini nostri Iesu Christi, quæ sub pane & vino nobis Christianis exhibentur ad manducandum & bibendum, iuxta ipsius Christi institutionem.

Item de cap. Babylon. Tom.2.Ien.fol.279. Stet ergo primùm & infallibiliter. *Missam seu Sacramentum altaris esse testamentum Christi, quod moriẽs post se reliquit, distribuendum suis fidelibus.* Sic enim habent eius verba: Hic calix nouum Testamentum in meo sanguine. Sed inquam

triquam, ista veritas, vt fundamentum immobile, super quod omnia struemus, quæ dicēda sunt. Hoc enim videbis, vt subuertemus, omnes hominum impietates, in hoc dulcissimum sacramentum inuectas. Verax ergo Christus verè dicit, Hoc esse nouum Testamentum in sanguine suo, pro nobis fuso. Non frustra hæc inculco, res est non parua, & imis sensibus reponenda.

Quæramus ergo quid sit Testamentum, & simul habebimus, quid sit Missa, (seu Sacramentum) quis vsus, quis fructus, quis abusus eius. Testamentū absq; dubio est promissio morituri, qua nuncupat hæreditatem suam, & instituit hæredes. Inuoluit itaq; testamentum, primò mortem Testatoris, deinde hæreditatis promissionem, & hæredis nuncupationem. Sic enim Paulus Rom. 4. & Galat. 3. & 4. & Ebre. 9. diffusè Testamentum tractat. Quod & in verbis istis Christi clarè videmus. Mortem suam Christus testatur, dum dicit. Hoc est corpus meū, quod tradetur. Hic sanguis meus qui effundetur. Hæreditatem nuncupat & designat, cùm dicit: pro vobis & pro multis, id est, qui acceptant & credūt promissioni testatoris, Fides enim hîc hęredes facit, vt videbimus. Vides ergo, quod missa (quam vocamus) sit promissio remissionis peccatorum, à Deo nobis facta, & talis promissio, quæ per mortē filij Dei firmata sit &c.

Causa efficiens seu institutio cœnæ. De capt. Babylon. Tom. 2. fol. 278. Verba autem Christi, quibus sacramentum hoc instituit sunt hæc. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et accipiens calicem, gratias egit & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes, Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in Remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem.*

Quæ verba & Apostolus. 1. Cor. 11. tradit & latiùs explicat, quibus nos oportet niti, & super ea ædificari, ceu supra firmam petram, si non volumus omni vento doctrinę circumferri, sicut hactemus circumlati sumus, per impias doctrinas hominum auersantium veritatem. Nihil enim in his omissum, quod ad integritatem vsum & fructum huius sacramenti pertinet, Nihilque positum, quod superfluum & non necessarium sit nôsse.

Item. Tom. 1. Ien. in Conc. de sacram. fol. 347. Hęc sunt verba, quę neq; ipsi, neque etiam Satan negare poterit, in quę figendus pes est, vt firmiter in ijs consistamus. Sunt autem nuda ac planissima, quę nullis interpretationibus eludi possunt, Quod panis, sit Christi corpus, pro nobis traditum, & calix Christi sanguis pro nobis effusus, & iubemur illa facere in commemorationem ipsius.

QVID PROSIT COENA SEV DE VSV VEL EFFECTV COENAE DOMINICAE.

Ex Catechismo.

Id indicant verba hæc: pro vobis datur, pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, nempe, quod in hoc sacramento donetur nobis per hæc verba, remissio peccatorum, vita & salus æterna. Vbi enim peccatorum remissio est, ibi est etiam vita & salus æterna.

Item. Tom. 1. Ienens. fol. 347. In concione. de Eucharistia. Cùm hoc sacramentum voles accipere, potissima verborum erit cura, in quibus sentias eum thæsaurum esse repositum, quo solo niti tutò possimus, Ad te enim sine dubio verba illa dicuntur: Meum corpus pro vobis traditur. Meus sanguis pro vobis effunditur. In quem vsum? Num in hoc tantùm, vt edas & bibas? Non, imò in remissionem peccatorum tuorum. Hoc illud est, quod ad te potissimum pertinet, cui omnia reliqua, quæ hic fiunt & dicuntur, seruiunt, vt tibi scilicet omnia tua peccata remittantur.

Porrò si faciùnt hęc ad remissionē peccatorum, ergo etiam ad mortem superandā faciunt. Neq; enim morti relictus est, vbi peccatū est sublatum, peccato sublato omne

malũ cessat, atq; ea est beatitudo. Hic thesaurus ille est, quem nos in hoc Sacramento prædicamus, in hunc defige oculos tuos, & nugas illas scholasticorum omitte, qui multũ sunt soliciti, quomodo possit adesse corpus Christi, præsertim in tã paruo corpore panis. Ad miracula illa ne respicias, sed simpliciter hæreas in verbo, atq; ea tua vnica sit cura, quomodo hunc fructum ex hoc Sacramento queas capere, nempè remissionem peccatorum. Sic igitur animum tuũ institues, vt ad te pertinere hæc verba sentias. Hoc autem ita fiet, si sentias peccati morsus & terrores, si tenteris aut à carne, aut à mundo, aut à Satana, si ira, impatientia, auaricia aut cura ventris soliciteris, si varijs exercearis malis, aut nonnunq̃ etiam in fæda crimina prolapsus sis, quæ male afficiant animum. Si hæc atq; his similia, inquam, patiaris, tum senties quàm sis miser homo, terreberis conspectu mortis, frangeris animo, neq; poteris esse quietus.

Ac tum quidem oportunum erit, vt confitearis & Deo de tua miseria cõqueraris, & dicas: Dñe Iesu, Ideo à te hoc sacramentum institutũ est & ad nos transmissum, vt remissionis peccatorum per id certificaremur. Sentio autem quam Sacramento opus habeam. In magna peccata sum prolapsus, metuo igitur iudicium tuum, & penè deficio, sentio me infirmiorem, quàm qui verbum tuum confiteri audeam, tot tantisque laboro vitijs: Quare venio vt sanes, consoleris & confirmes me.

QVOMODO AVTEM POTEST CORPORALIS MANDVCATIO TANTAS RES EFFICERE.

Ex Catechismo.

Sola corporalis manducatio non efficit hæc, sed verbũ Christi: Pro vobis datur, pro vobis effunditur, in remissionem peccatorum, propter quod verbum corporalis manducatio instituta est. Hoc verbum fide apprehensum efficit, vt credens non solùm corporaliter ædat & bibat, sed etiam spiritualiter & in veritate accipiat quod offertur, nempè, Remissionem peccatorum.

DE FRVCTIBVS COENAE, SEV DE EXERCITIO ET CONFIRMATIONE FIDEI, ITEM CHARITATIS SUMPTO SACRAMENTO CŒNÆ.

To. 1. Ien. fol. 348. In Conc. de Eucharist. Porrò vbi sumpseris sacramentum, nõ licebit tibi esse ocioso, sed perges strenuè & fidem tuã exercebis. Nam & is sacramenti est vsus, vt dicere hoc verè possis. Habeo hic apertum verbũ, remissa mihi esse peccata signum quoq; accepi, manducaui & bibi, id quod certò cõprobare possum, feci enim id in conspectu Satanę & mũdi. Cùm ergo morte aut conscientia tentaris, potes hoc sacramento te erigere, aduersus tum Satanam, tum etiam peccata, potes quoq; tuam fidem confirmare, ac conscientiam exhilarare, vt non ampliùs metuat Deũ sed amet.

Ita fiet vt de die in diem melior reddaris, cùm alioqui ociosus & ignauus ageres. Quò enim longius ab hoc sacramẽto abstinuerimus, eò magis reddimur inepti ad id accipiendum. Quod si imparatum, infirmum, vacuum item fide, te esse senseris, num quæso aliundè confirmari te posse sperabis? Num eousq; expectabis, donec omnino sis purus, ac absolutam & perfectam habeas fidem? atqui si id facias: neque ad Sacramentum vnquam accedes, & vt maximè accedas, nihil id tibi proderit.

Et paulò post eod. f. Sequitur iam alterũ, quod ex priore illo, ceu ex fonte manat, Christiana scilicet charitas, cuius quoq; magnã conuenit esse curam, Nam hoc Deus à nobis exigit, vt fructus, quos nos ex hoc S. capimus, ceu lumen quoddã, luceant, & vt appareat omnib. nos cum aliquo nostro fructu, hoc sacramento esse vsos. Is aũt est fructus, vt quemadmodum nos Christi corpus comedimus, & sanguinem eius bibimus: Ita vicissim quoq; patiamur nos, ab alijs comedi & bibi, hoc est, vt oẽs actiones omnem vitam nostram, ad proximi cõmodum prouehẽdum instituamus. Est enim omninò nobis Christi exemplum sequendum, cuius tanta est bonitas, vt se totũ cum omnibus

omnibus ijs, quæ habet, nobis tradiderit in illis verbis, quib. instituit hoc Sacramentum. Ea ipsa verba nos quoq; ad proximum dicere conuenit: Accipe, comede, bibe, Neq; ioco illa dici debent, sed reuera sic sentias, tibi cum omnibus quæ habes, proximi commodis esse seruiendum. Cùm enim Christus sic dicit: Hoc est corpus meum, quod pro te traditur, quid quæso aliud dicit quam hoc: En ego ipse sum, qui pro te trador, hunc thesaurum tibi dono omnium illorum quæ ego habeo, tu quoq; iis possessor, si quid tibi deerit, mihi idẽ defuturum est, Iusticiam meam, vitam ac æternam beatitudinem tibi dono, vt neq; peccato, neq; morte, neque vllo alio incommodo succumbas, sed vincas omnia, quemadmodum mea iusticia, item vita mea æterna est, sic tu quoque perpetuò iustus eris ac viues, sic nobiscũ loquitur Christus.

Requiritur autem & à nobis, vt nos eadem ad proximum dicamus; neq; tãtùm verba illa sonemus, sed re ipsa ac factis declaremus, in hunc modum: En bone frater, Ego corpus & sanguinem liberatoris mei iã sumpsi, qui se totum mihi donauit, satis sit abundè habeo, cum eũ habeo. Tu igitur ijs quoq;, quæ ego habeo, fruere, omnia mea similiter tua sint, quod si res ita postulet, etiam pro te mortem libens adibo. Hæc enim omnia in hoc sacramento à nobis requiruntur, ad quæ facienda omnibus viribus est enitendum.

Hoc tamen hîc monendum est, quòd difficilè ad hanc perfectionem simus venturi, vt animam, corpus, opes & dignitatem nostram, proximi causa, si ita res postulet, in discrimen adducamus, In carne enim viuimus, quæ adeo altè radices egit, vt non possimus illa charitatis officia perfectè reddere.

Atq; eam ob causam Christus hoc Sacramentum instituit, vt esset ceu quoddam exercitium, vndè peteremus ea, quæ ipsi nobis deesse sentimus, cùm enim illam in te infirmitatẽ videas, quod quæso aliud afferes remedium quàm hoc? Necesse est enim, vt inter reliqua de hoc quoq; conqueraris & dicas: Bone Dñe Iesu, vides quantum mihi adhuc desit, tu mihi te totum donas, non possum autem ego idem facere proximo meo. Fac igitur vt & ego similẽ erga proximum beneuolentiã præstare possim.

Et sanè quanquam, dum in hac carne viuimus, nunquam illam perfectionem possumus consequi, tamen eò est connitendum, etsi nihil aliud cum gemitu ea postulanda à Deo facultas est, neque desperandum est ob hanc imbecillitatem, modò remaneat in nobis is affectus, vt & doleat nobis illa nostra infirmitas, & cupiamus eam mutatam & emendatam.

QVI HOMINES DIGNE VTANTVR HOC SACRAMENTO.

Ex Catechismo.

Ieiunare, ac externa præparatio bona disciplina quidẽ est, verùm hîc est dignus, & rectè præparatus, qui fide hæc verba apprehendit: Pro vobis datur, pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Qui verò non habet fidem, aut dubitat, indignus est, & minimè præparatus. Nam hoc verbum: Pro vobis, tantùm requirit corda credentia. Plura reperies de hac quæstione Tom. 1. Ienens. fol. 174. In sermone de præparatione cordis pro suscipiendo Sacramento Eucharistiæ.

REVERENTIA ET PIETAS CHRISTIANORVM IN TRACTANDO VERBO ET SACRAMENTIS.

Genes. Tom. 4. fol. 182. cap. 47. Nos non tantùm orantes, sed & baptisantes, absoluentes, & absoluti, & accedẽtes ad sacram synaxin, quin etiam ad recitationem promissionum aut textus Euangelij, genua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis, siue reuerentia & gratitudinis.

Etsi igitur in cœna Dñi nihil aliud porrigeretur præter panem & vinum, sicut Sacramentarij

Sacramentarij blasphemant, tamen est ibi promissio, & vox diuina, & S. S. operatur per verbum in cœna, ideoq; decebat nos cum reuerentia accedere. Quantò verò magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus, & verum sanguinem cum verbo. Sic enim Patres adorauerunt Deũ & promissiones Dei, eorumq; signa, quia norant esse verbum & promissionem diuinam. Non colebant reliquias Sanctorum, vt sub Papatu fieri solet, non ossa, nec vestes mortuorum, sed promissiõem & opera Dei sacrosancta habebant & dignissima reuerentia & adoratione. Vt hîc agebatur negocium diuinum, nimirum iuramentum sub femore, in fide Christi incarnandi, qui futurus erat resurrectio mortuorum, & vita æterna.

Ad huius mentionem Iacob mouet corpus gestu adorationis. Sicut Dauid, cùm videt filium Salomonem successurum sibi in regno, capite & pectore inclinat, & invocat Deum, & agit gratias. Sic Iacob honorat hîc promissionẽ, & inclinato capite, non retrorsum, sed ad partem anteriorẽ, eo ipso gestu testatur se credere & respicere in Christum venturũ, crucifigendum & resuscitandum, vt omnib. mortuis vitã redderet. Ea spe & fide cõplicat manus, flectit caput, non ad medium vel finem, sed ad caput lecti, vt nihil aliud sit nisi gestus reuerentiæ & adorationis in tanta re, nempe in recordatione promissionis diuinæ, quam tunc habebat in verbo, postea verò re ipsa & opere implenda erat.

Ita nos quoq; cùm audimus verbum Dei, si nõ poplite flexo, tamen corde humili, cumq; reuerẽtia & pietate singulari illud excipere debemus. Sic bonum est, quòd Sacramentum altaris colitur inflexis genubus, quia ibi est verum corpus & sanguis Dñi, item præsentia S. S. & promissio seu verbum diuinum, quod est reuerenter audiendum, quia Deus ibi operatur, & ostendit se Dñs, quod in Mose aliquoties factum Dñi dicitur, nimirum quòd Deus adest, & apparet mihi, vbi certè decet me assurgere, aut in genua procumbere. Ac nostræ apparitiones vel facies Dei pares, imò superiores sunt omnib. apparitionibus in lege Mosi. Quando accedo ad Baptismum, sanè statuere debeo, non geri humanum aliquid, sed aqua est velum seu instrumentum, medium, sicut etiam verbum quo velatur Deus, Da ſiehet vnſer Herrgott hinder, &c. sunt facies diuinæ, per quas nobiscum loquitur & operatur Deus in particulari seu singulari & indiuiduo. Me baptisat, me absoluit, mihi porrigit corpus & sanguinem suum ministri lingua & manu. Deus enim operatur salutem in Baptismo, atq; ea est præsentia seu forma & Epiphania Dei in his instrumentis. Iustum igitur est, vt illum corpore, at toto corde inclinemus & reuereamur Deum loquentem nobiscum.

Ac in baptismo quidem semper referendi sunt oculi & animus ad manifestam apparitionem in Iordane, vbi auditur vox Patris è cœlo, conspicitur caro filij, & Spiritus in specie columbæ. Sic in nostro baptismo & cœna Domini, prius est instrumẽtum, quo dat mihi Christus corpus suum, atq; ita re uera pascit & cibat nos Deus, non minister. In Baptismo sonat vox Trinitatis, nec aliter audienda aut accipienda sunt verba Baptismi. Est igitur necessaria adoratio ista, si non corporali incuruatione, at spirituali reuerentia.

Hodiè verò in tanto contemptu verbi & sacramentorum pauci hæc curant, siue sedeant, siue assurgant, ad lectionem & prædicationem verbi. Et sub Papatu perinde vt in populo Israelitico neglecta vera cognitione verbi & pietatis, tantùm ceremoniarum obseruationi dediti fuimus, cùm in textu Euangelij recitando, tùm in visu & administratione Sacramentorum.

NON DISCEDENDVM ESSE A PROPRIETATE VERBORVM COENAE DOMINI.

Tom. 3. Ienens. fol. 491. Psalm. 45. Miser Zinglius primùm mouebat auditores hoc tonitru, Idolatriam esse credere, quod panis sit corpus Christi, Dei & hominis. Hoc cùm

Hoc cùm audirent primùm simplices mentes, deliberabãt paulisper, pòst, capti similitudine veri, assentiebantur. Postquam enim Diabolus à corde & oculis remouit verbum, & eò nos adducit, vt sine verbo de articulis fidei cogitemus, tunc actum est, sed tu dic: Nolo deliberare an sit verum vel non, sed simpliciter credam, sicut Christus dicit, Hoc est corpus meum. Si sum Idolatra ob hanc fidẽ, sit culpa & periculo Christi, cuius verba sic sonant. Ipse igitur me benè deprehendet. Hoc enim certissimum est, quàm primùm dubitare & disputare de articulo aliquo fidei cœperimus, amittimus eum, & ruimus in impiam opinionem, sicut Heua cùm deliberaret secum de mandato Dei, ruebat, **Sie liesz sich auch bereden auff ein bedencken/ da war sie schon gefallen.** Initiò habet mandatum in ore, & contra Satanam egregiè se defendit, postquam verò incipit deliberare, victa iacet. Sic omnibus accidit.

Ergo vos qui incumbitis sacris literis, ante omnia constituite, quid credatis in religione Christiana, vt habeatis articulos fidei munitos bonis textibus scripturæ sanctæ, & benè meditatos. Deinde, quando tecum volunt disputare, vel Satan, vel eius instrumenta, Hæretici, tunc obijce eis illos textus, & defere eos dicens, cauillationes & speculationes tuas audire nolo. Hoc enim dicit Spiritus Sanctus, qui me monuit vt audirem, & inclinarem aurem, &c.

Gen. cap. 3. Tom. 1. fol. 45. Quare hac Regula præcipuè opus est, ad quam tanquã ad sacram ancoram respiciendum est in omni vita, vt, postquam constat hoc esse verbum Dei quod habemus & profitemur, simplici fide ei assentiamur & non disputemus curiosè, Nam omnis curiosa disputatio, certissimam secum affert ruinam. Habemus Christi verbum manifestum de cœna Domini, vbi de pane dicit: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradítur: De poculo: Hîc est calix noui Testamenti in meo sanguine. Fanatici igitur, cùm à fide horum verborum discedunt & disputant: Quomodo hæc sic esse possunt, paulatim eò labuntur, vt simpliciter hoc verbum Christi negent & impugnent, sicut hoc in loco Heuæ accidit.

Item, eodem cap. 3. fol. 46. Hoc Diabolus in omnibus tentationibus solet, vt quando homo à verbo discedit longius, tantò videatur sibi doctior & sapientior.

Sic magnam sapientiam esse putant, dicere: Quod panis panis sit, quod vinũ sit vinum, non corpus & nõ sanguis Christi. Arius se in eo palmarium reperisse putat, quod ex quibusdam sententijs malè detortis λόγον fuisse dicit ante creaturas, & tamen esse creatum. Anabaptistis magna sapiẽtia videtur, cùm plenis buccis declamitant, aquam non posse attingere Spiritum seu animam, sed nudam cutem. Igitur Baptismum non facere ad remissionem peccatorum, sicut nouimus fanaticos spíritus, alíubi baptisasse sine aqua, qui tamen gloriantur, se nunquam dissensisse à nobis. Ac verum est, quòd hæc est sapientia, sed est sapientia Diabolica, contraria verbo & sapientiæ Dei. Est autem propria hæc Diaboli tentatio, vt nos sic reddat sapientes contra & supra verbum Dei, sicut ipse fuit in cœlo, longè autem vincit hæc sapientia illas crassiores, libidinis, auaritiæ, superbiæ, &c.

ARGVMENTVM SACRAMENTARIORVM CONTRA NOS.

Ad Galat. cap. 5. To. 4. fol. 159. *Modicum fermenti totam massam corrumpit.* Estq; cautela, quam Paulus magnifacit, debemus & nos eã magnifacere hac nostra ætate. Nam Sacramentarij, qui negant corporalẽ prẽsentiam Christi in cœna, obijciunt quoq; hodie nobis, quòd contentiosi, duri, & intractabiles simus, qui propter vnicum articulum de Sacramento, scindamus Christianam charitatem & concordiam ecclesiarum. Non debere nos tanti facere hũc articulum exiguum, eumq; incertum, neq; satis ab Apostolis declaratũ (præsertim cùm alioqui de alijs Christianę doctrinæ articulis, qui magis necessarij sunt, & maioris momenti, idẽ nobiscũ sentiant) vt propter illum solum, neq; totius Christianæ doctrinæ, neq; generalis omniũ ecclesiarũ, concordiæ rationẽ habeamus. Ideo valdè plausibili argumento nõ solùm onerant nos inuidia apud suos sed etiam

sed etiam multos bonos subuertunt, qui iudicant nos ex mera pertinacia, seu aliquo quodam priuato affectu, dissentire ab ipsis. Sed hæ Diaboli sunt insidiæ, quibus non solùm illum articulum, sed totam Christianam doctrinam conatur euertere.

Ad hoc ipsorum argumentum respondemus cum Paulo, Modicum fermẽti totam massam corrumpit. In Philosophia, modicus error in principio, in fine est maximus. Sic in Theologia modicus error totam doctrinam euertit. Quare longissimè discernenda sunt doctrina & vita. Doctrina non est nostra, sed Dei, cuius non tantùm sumus vocati ministri, ideò ne apiculum quidem de ea remittere, aut mutare possumus. Vita nostra est, ideò quòd ad eam attinet, nihil possunt Sacramentarij nobis exigere, quod non velimus & debeamus etiam suscipere, condonare, & ferre, salua tantùm doctrina & fide, de qua semper dicimus hoc Pauli, Modicum fermenti, &c. Hac in parte ne pilo quidem cedere possumus. Est enim doctrina instar Mathematici puncti, non potest igitur diuidi, hoc est, neque ademtionem, neque additionem ferre potest. Contrà, vita, quæ est instar Physici puncti, semper diuidi, semper aliquid concedere potest.

Minutissima festuca in oculo, offendit oculum. Hinc Germani dicunt de remotis oculorum, **nichts ist in die augen gut**. Et Christus, lucerna, inquit, corporis oculus est. Cùm igitur oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, &c. Et deinde, Si corpus tuum non habuerit aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, &c. Hac allegoria significat Christus, oculum, hoc est, doctrinam debere simpliciter esse puram, claram, & synceram, quæ planè nullam partem tenebrarum, nullam nubeculam habeat, &c. Et Iacobus, non ex suo spiritu, sed proculdubio ex auditis Apostolorum pulcherrimè dixit: Qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Debet igitur doctrina esse vnus quidam perpetuus & rotundus aureus circulus, in quo nulla sit fissura. Ea accedente vel minima, circulus non est amplius integer, sed Quid prodest Iudæis credere Deum vnum, vnumq; creatorem omnium, credere alios articulos, & totam scripturam sanctam recipere, cùm Christum negent? Qui igitur in vno offendit, factus est omnium reus.

Quare hic locus diligenter obseruandus est, contra hoc illorum argumentum, quo calumniantur, nos violare charitatem, cum maximo Ecclesiarum incommodo. Nos certè parati sumus seruare pacem & charitatẽ cum omnibus, modò doctrinam fidei relinquant nobis integram & saluam. Si hoc impetrare non possumus, frustra exigunt à nobis charitatem. Maledicta sit charitas, quæ seruatur cum iactura doctrinæ fidei, cui omnia cedere debent, charitas, Apostolus, Angelus è cœlo, &c. Satis ergo testantur, cùm tã calumniosè causam hanc extenuent, quàm magnifaciant Maiestatem verbi. Quod si crederent esse verbum Dei, non ita cum eo luderent, sed summo honore afficerent, & sine vlla disputatione & dubitatione fidem ei adhiberent, scirentq; vnum verbum Dei esse omnia, omnia esse vnum. Item, scirent vnum articulum esse omnes, omnes esse vnum, & vno omisso, omnes paulatim amitti. Cohærent enim, & quodam communi vinculo continentur.

Sinamus igitur eos amplificare concordiam & charitatem Christianam. Nos contrà amplificemus maiestatem verbi, & fidem. Charitas negligi potest in loco sine periculo, non item verbum & fides. Charitatis est, omnia tolerare, omnibus cedere. Contrà, Fidei est, prorsus nihil tolerare, nemini cedere. Charitas libenter cedens, omnia credens, condonans & ferens sæpè luditur, deluſa tamen nihil incommodi, quod verè incommodum dici posset, accipit, hoc est, non amittit Christum, ideoq; non offenditur, sed retinet constantiam suam in benefaciendo, etiam erga ingratos & indignos. Contrà, in re salutis, quando fanatici homines mendacium & errorem docent, sub specie veritatis, & imponunt multis, ibi certè non est exercenda charitas, neq; approbandus error. Hîc enim non amittitur beneficium in ingratum collatum, sed amittitur

sed amittitur verbũ, fides, Christus, vita æterna, &c. Quare si Deum in vno articulo negas, in omnib. negasti. Quia Deus non diuiditur in multos articulos, sed est omnia in singulis, & vnus in omnibus articulis. Itaque perpetuò respondemus Sacramentarijs criminantibus charitatem à nobis negligi, hoc prouerbium Pauli, Modicum fermenti totam conspersionem fermentat. Item, Non patitur ludum, fama, fides, oculus. Hæc dixi multis, pro nostris confirmandis, & ad docendos alios, qui fortasse nostra constantia offenduntur, nec putant, nos istius constantiæ certas & graues causas habere. Nihil igitur nos moueat, quòd tantopere studium charitatis & concordiæ iactant. Qui enim non diligit Deum & verbum ipsius, nihil refert, quid, aut quantùm is diligat,

Admonet ergo Paulus hac sententia tam Doctores, quàm auditores, ne cogitent doctrinam fidei, rem exiguam, aut nihili esse, cum qua ludere possimus, pro libidine nostra. Ipsa est radius solaris, è cœlo veniens, qui illuminat, accendit, & dirigit nos. Vt autem mundus cum omni sapientia sua & potentia non potest flectere radios solis è cœlo tendentes directè in terram: Ita neque doctrinæ fidei aliquid auferri, aut addi potest, vel in totum euertitur, &c.

Ex Galat. Cap. 6. Tom. 4. fol. 181. Sacramentarij arripiunt hunc locum (si quis præoccupatus fuerit in delicto) & ex eo inferunt, Nos debere per patientiam aliquid condonare lapsis fratribus, & illorum errorem dissimulare per charitatem, quę omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat, præcipuè cum Paulus manifestis verbis hîc doceat, vt hi, qui spirituales sunt, instaurent errantes spiritu mansuetudinis, Non tanti momenti rem esse, vt propter hunc vnum articulum dissuamus concordiam Christianam, qua nihil habet pulchrius, aut vtilius Ecclesia, &c. Sic amplificant nobis remissionem peccatorum, & accusant nos esse pertinaces, qui ne pilo quidem eis cedere neque ferre errorem ipsorum (quanquam hunc nolint apertè fateri) multò minùs spiritu leuitatis eos arguere & reficere velimus. Sic suaues homines se & suam causam ornant, & nos inuidia apud multos grauant, &c.

Nulla res (testis est mihi Christus meus) tam vehementer nunc aliquot annis me cruciauit vt illa in doctrina discordia, cuius me autorem non esse nouerunt optimè etiam ipsi Sacramentarij, si modò veritatem fateri volunt. Idem enim, quod ab initio huius causæ credidi & docui de iustificatione, de sacramentis & de omnibus aliis doctrinæ Christianæ articulis, ad huc hodie, nisi maiore certitudine (ea enim aucta est studio vsu & experientia, deinde magnis & crebris tentationibus) credo & profiteor, & quotidie Christum ore, vt in ea fide & confessione me conseruet, & corroboret vsque ad diem aduentus sui glorioſi, Amen.

Deinde, manifestum est per totam Germaniam, à nemine fuisse primùm impugnatam Euangelij doctrinam, præterquam à Papistis. Inter hos autem, qui eam susciebant, erat summa de omnibus articulis Christianæ doctrinæ concordia, quæ diu rauit donec prodirent sectarij cum suis opinionibus nouis, non solùm de sacramentis, sed etiam aliis articulis. Hi primi perturbauerunt Ecclesias, & dissuerunt earum concordiam. Ab illo tempore subinde plures, vt aliter fieri non potest, exortæ sunt sectæ, quas semper maiores animorum dissensiones secutæ sunt. Quare contra conscientiam suam hac insigni iniuria nos afficiunt, & præter meritum nostrum hac intolerabili inuidia coram toto mundo nos onerant. Valde molestum est insontem luere pœnam, præsertim in re tam ardua, quam alius commeruerit. Sed facilè possemus istius iniuriæ obliuisci, & eos suscipere ac spiritu mansuetudinis instaurare, si modò redirent in viam & recto ordine nobiscum incederent, Hoc est, si piè de cœna Domini, & aliis Christianę doctrinę articulis sentirent & docerẽt,

ac vnamini consensu nobiscum, non suas opiniones, sed Christum prædicarent, vt glorificaretur filius Dei per nos, & per ipsum pater. Quòd autem solùm amplitudinem charitatem & concordiam, & causam sacramenti extenuant, quasi leuis momenti res sit, quomodocunque de Eucharistia, à Christo Domino nostro instituta, sentiamus, hoc nobis non est ferendum. Sed quantùm ipsi concordiam vitæ prædicauerint, tam nos prædicare debemus concordiam doctrinæ & fidei. Quam si nobis integram relinquunt, tam amplificabimus vnà cum ipsis etiam charitatis concordiam, quæ longè postponenda est concordiæ fidei seu Spiritus. Nam si hanc amiseris, Christum amisisti: Illo amisso, nihil proderit tibi charitas. Contra, si vnitatem Spiritus & Christum retines, nihil obest si dissentias ab his, qui verbum corrumpunt, atque per hoc vnitatem spiritus scindunt. Malo igitur ipsos vnà cum toto mundo à me discedere & mihi inimicos esse, quàm vt ego à Christo discedam & eum habeam inimicum. Id quod fieret, si relicto ipsius simplici & manifesto verbo, vanis illorum somnijs, quibus Christi verba ad suam sententiam detorquent adhærerem. Vnus Christus mihi maior est, quàm infinitæ concordiæ charitatis.

Cęterùm cum his, qui Christum diligunt & verbum ipsius piè docent & credunt, offerimus nos non solùm seruaturos pacem & concordiam, sed etiam laturos eorum infirmitates & peccata, & eos lapsos instauraturos nos, iuxta hoc præceptum Pauli, Spiritu mansueto. Sic Paulus tulit infirmitatem & lapsum Galatarum & aliorum, quos subuerterunt Pseudoapostoli, cùm ex animo resipiscerent. Sic recepit in gratiam incæstum illum Corinthium. Item Onesimon fugitiuum seruum, quem Romæ in vinculis Christo genuerat, reconciliauit Domino suo. Ideo quòd hîc & alibi docet de suscipiendis infirmis & instaurandis lapsis, re ipsa præstitit. Sed erga eos, qui sanabiles fuerunt, hoc est, qui ex animo agnoscentes peccatum, lapsum, errorem, resipuerunt. Contrà cùm Pseudoapostolis obstinatis & defendentibus doctrinam suam non esse erroneam, sed veram, durissimè egit. Vtinam, inquit, abscindantur, qui vos perturbant. Deinde, Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicunque tandem fuerit. Item, Etiamsi nos aut angelus è cœlo, &c. Anathema sit. Neque dubium est quin multi defenderint contra Paulum pseudoapostolos, & dixerint, Eos æquè habere spiritum, æquè esse ministros Christi, & Euangelium docere, ac Paulum. Qui etiamsi per omnia cum Paulo in doctrina non consentiant, tamen ideo non debere eum contra ipsos ferre tam horribilem sententiam. Illa pertinacia eum nihil aliud efficere, quàm perturbare Ecclesias, & earum pulcherrimam concordiam dissuere, &c. His vocibus nihil motus, secundissimè maledicit & damnat pseudoapostolos, vocans conturbatores Ecclesiarum & euersores Euangelij Christi. Contrà doctrinam suam ita extollit, vt velit ei simpliciter cedere omnia, concordiam charitatis, Apostolos, Angelum è cœlo, &c.

Ita nec nos sinimus causam hanc extenuari. Quia is, cuius causa hæc est, magnus est. Semel quidem fuit paruus cum in præsepi iaceret, & tamen adeo magnus tum erat, vt ab Angelis adoraretur, & Dominus omnium prædicaretur. Itaque non patiemur in vllo articulo verbum ipsius lædi. In articulis Fidei, nihil paruum aut tenue nobis videri debet, quod remittere debeamus aut possimus. Remissio enim peccatorum pertinet ad infirmos in fide & moribus, qui agnoscunt suum errorem & veniam petunt, Non ad euersores doctrinę, qui non agnoscunt suum errorem peccatum, sed hostiliter defendunt, veritatem & iustitiam esse. Eaque re efficiunt vt amittamus remissionem peccatorum. Quia verbum quod prędicat & affert remissionem peccatorum, deprauant & negant. Quare prius in Christo nobiscum concordes fiant, hoc est, agnoscant peccatum, & emendent suum errorem, si tum deerit nobis Spiritus mansuetudinis, meritò nos accusare poterunt.

Ergo

Et qui diligenter expendit verba Apostoli, clarè videt eum non loqui de hæresibus, aut peccatis, contra doctrinam, sed de longè inferioribus peccatis, in quę homo labitur non ex destinata malitia aut proposito, sed ex infirmitate. Hinc vtitur etiam tam clementibus & paternis verbis, nõ vocans errorem aut peccatum, sed delictum, Deinde vt extenuet & quasi excuset peccatum, ac totam culpam ab homine transferat, addit si præoccupatus fuerit homo, id est, circumuentus à Diabolo, aut à carne. Et vocabulum hominis etiam valet ad extenuationem rei, Q. D. Quid est homini tã proprium, quàm labi, decipi & errare posse? Sic Moses in Leuitico ait, Sicut homines solent peccare. Est ergo sententia consolationis plenissima, quę me semel in summo certamine à morte liberauit. Quia igitur sancti in hac vita non solùm in carne viuunt sed etiam quandoque instinctu Diaboli concupiscentiam carnis perficiunt, hoc est, labuntur in impatientiam, inuidiam, iram, errorem, dubitationem, diffidentiam, &c. (Satan enim perpetuò impugnat vtrumque, & puritatem doctrinæ, quam conatur tollere per sectas & discordias: & integritatem vitæ, quam per quotidiana delicta & offensiones polluit) docet Paulus, quo modo cum talibus lapsis agendum sit, nempe vt hi, qui firmi sunt, instaurent eos spiritu leni. Ista maximè prodest scire eos qui Ecclesijs præsunt, ne dum omnia ad viuum resecare student, huius paterni & materni affectus obliuiscantur, quem Paulus hic requirit ab his, qui curam animarum gerunt. Et huius præcepti sui proposuit exemplum. 2. Corinth. 2. Cap. Vbi inquit, sufficere illi excommunicato, obiurgationem, quæ à pluribus facta sit, debere nunc eos condonare & consolari illum, ne immodica tristitia absorbeatur. Propter quod, inquit, obsecro vos, exercete erga illum charitatem, &c. Quare pastores acriter quidem obiurgare debent lapsos, sed vbi viderint contristatos, incipiant erigere & consolari, & peccata ipsorum, quantùm possunt, extenuare, per misericordiam tamen, quàm peccatis opponere debent, ne lapsi immodica tristitia absorbeantur. Quàm pertinax & Spiritus Sanctus in doctrina fidei retinenda & defendenda, tam facilis & clemens est in peccatis ferendis & extenuandis, modò hi, qui ea commiserunt, de eis doleant.

Sed Synagoga Papæ, vt in alijs omnibus, ita etiam hîc diuersum à præcepto & exemplo Pauli docuit & fecit. Pontifex Romanus & Episcopi verè fuerunt tyranni & carnifices conscientiarum. Subinde enim nouis traditionibus onerarunt, & propter leuissimas causas excommunicatione perdiderunt, conscientias. Et vt facilius obsequerentur conscientię vanis & iniustis ipsorum terroribus, allegarunt has Gregorij Papę sententias. Bonarum mentium est tenere culpam, vbi non est culpa. Item, sententiæ nostræ etiam iniustę metuendæ sunt. Istis sententijs, quas Diabolus in Ecclesiam inuexit, stabilierunt excommunicationem, & istam maiestatem toti mundo formidabilem Papatus. Non est opus illa bonitate mentium, sed satis est ibi agnocere culpam, vbi culpa est. Quis dedit tibi, Satan Romane, potestatem vt terreas & damnes iniustis sententijs mentes ante perterrefactas? quæ potiùs erigendæ, à falsis torroribus liberandę, & à mendacio ad veritatem reducendæ erant.

Hoc omittis, & (iuxta titulum tuum, Homo peccati & filius perditionis) fingis culpam vbi non est culpa. Ea est verissimè versutia & impostura Antichristica, qua excommunicationem & tyrãnidem suam Papa potentissimè confirmauit.

Nemo enim potuit iniustas sententias eius contemnere, nisi qui esset prę fractus infigniter malus, vt quidam Principes eas contempserunt, sed reclamante conscientia, quia in istis tenebris non intellexerunt illas maledictiones Papæ vanas esse. Discant igitur illi, quibus cura regendarum conscientiarum commissa est, ex hoc præcepto Pauli, quomodo lapsos tractare debeant. Fratres, inquis, si homo præoccupatus fuerit, non exacerbate aut constritate amplius, non reijcite aut damnate, sed corrigite reficite seu instaurate eum (Ea enim vis est græci vocabuli) & quod de ipso perijt

per fraudem Diaboli, aut infirmitatem carnis, hoc manſuetudine veſtra ſarcite. Regnum enim, in quod vocati eſtis, non pauoris & triſtitię, ſed fiducię & letitię regnum eſt. Si igitur videritis aliquem fratrem conterritum propter admiſſum peccatum, accurrite & ei lapſo porrigite manum, ſuauibus verbis conſolamini, & maternis brachijs amplectimini eum. Duros & obſtinatos, qui ſine timore ſecuri in peccatis perſeuerant & pergunt, acriter obiurgate. Contrà, qui præoccupantur delicto, & contriſtantur ac dolent de lapſu, erigendi & inſtruendi ſunt per vos qui ſpirituales eſtis. Et hoc ſpiritu manſuetudinis, non zeli, iuſtitiæ aut ſæuitiæ, vt quidam confeſſores fecerunt, qui cùm reficere debebant ſitibunda corda ſuaui aliqua conſolatione, porrexerunt ea, ſicut Iudæi Chriſtum in cruce, felle & aceto.

Ex his ſatis intelligimus, remiſsionem peccatorum non debere valere in doctrina, vt ſacramentarij contendunt, ſed in vita & noſtris operibus. Ibi nemo alium condemnet, non increpet in furore & auſteritate. Vt Ezech. dicit de Paſtoribus Iſrael, quòd cum auſteritate & violentia imperauerunt gregi Dei. Sed frater fratrem lapſum conſoletur ſpiritu manſueto. Et viciſsim lapſus audiat verbum erigentis ſe, & credat ei. Non enim vult Deus eliſos abijci, ſed erigi, vt Pſalmus ait. Impendit enim plus pro eis quàm nos, nempe vitam & ſanguinem ſuum. Debemus igitur & nos ſumma lenitate tales ſuſcipere, ſanare & iuuare. Quare non negamus veniam sacramētarijs, aut alijs impiarum ſectarum autoribus, ſed ex animo condonabimus eis contumelias & blaſphemias in Chriſtum. Item, iniuriarū quibus nos affecerunt, nunquam recordabimur, modò pœnitentiā agant, impium dogma, quo Eccleſias Chriſti perturbarunt, deſerant, & deinceps recto ordine nobiſcum incedant. Si aūt in errore perſeuerant, & ordinem diſsipant, fruſtra à nobis requirunt remiſsionem peccatorū.

ALTERA SPECIES SACRAMENTI IMPIE ABLATA A PAPISTIS.

To. 2. Ienſ. fol. 275. de capt. Babylon. Duo itaq; ſunt loci, qui de hac re clariſsime tractant, ſcriptura Euangelica in cœna Domini, & Paulus. 1. Cor. 11. quos videamus. Conſonant enim ſibi Matth. Marcus & Lucas, Chriſtum dediſſe diſcipulis omnibus totum ſacramentum, Et Paulum vtramq; tradidiſſe partem certum eſt. Ita vt nullus tam impudentis frontis vnquam fuerit, qui aliud diceret. His adde quod Martinus refert, nō de pane Chriſtum dixiſſe, Māducate ex hoc omnes, ſed de calice Bibite ex hoc omnes. Et Marcus itē non dicit, Manducauerūt omnes, ſed Biberunt ex eo omnes, vterq; vniuerſitatis notam ad calicem non ad panem ponens: Quaſi ſpiritus futurum hoc ſchiſma præuiderit, quod calicis cōmunionem prohiberet aliquibus, quę Chriſtus omnibus voluerit eſſe communem. Quanta putas furia in nos inſanirent, ſi vocabulum omnes ad panem, & non ad calicem poſitum inueniſſent, nullum nobiſ prorſus effugium relinquerent, clamarent, hęreticos decernerent, ſchiſmaticos damnarent. At cùm à noſtra parte ſtet, contra ipſos, nullo ſinunt ſeſe claudi ſyllogiſmo, homines liberrimi arbitrij, etiam in ijs, quę Dei ſunt, mutandis, remutandis, & omnibus confundendis.

Sed finge me ex aduerſo ſtare, & Dominos meos Papiſtas interrogare, Totum ſacramentum, ſeu vtraq; ſpecies, in cœna Dñi, aut datū eſt ſolis presbyteris, aut ſimul & laicis. Si ſolis presbyteris (id enim volunt) iam nullo modo licet vllam ſpeciem dare laicis. Non enim temerè dandum eſt, cui Chriſtus prima inſtitutiōe non dedit. Aliqui ſi vnam Chriſti inſtitutionem permittimus mutari, iam vniuerſas eius leges ſecimus irritas, & quilibet audebit dicere, ſe non ligari vlla eius lege aut inſtitutiōe. Vtenim individua tollit in ſcripturis maximè vniuerſalem. Si ſimul & laicis, iam inuitabiliter ſequitur, laicis non debere negari vtramq; ſpeciem. Quòd ſi denegetur dari petentibus, impiè & contra Chriſti factum exemplum & inſtitutionem agitur. Ego ſic

Ego fateor, ista me ratione, mihi inuicta, superatum: nec legisse, nec audiuisse, nec inuenisse quid contra dicam, cùm hîc Christi verbum & exemplum stet firmissimè, vbi non promittendo, sed præcipiendo dicit: Bibite ex eo omnes. Si enim omnibus bibendum est, & illud non possit solis presbyteris dictum intelligi, certè impium est laicos petentes ab eo arceri, etiamsi Angelus de cœlo hoc faceret. Nam quòd dicunt, Ecclesiæ arbitrio relictum esse, distribuēdam vtram speciem, sine ratione dicitur, sine auctoritate producitur, & eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Nec contra aduersarium aliquid facit, qui verbum & factum Christi nobis opponit, quare verbo Christi est referendus, at hoc non habemus.

Si aũt vtra species potest negari laicis, poterit eis & pars baptismi & pœnitentiæ tolli, eodem arbitrio Ecclesiæ, cùm vbiq; sit par ratio & potestas. Quare sicut totus baptismus totaq; absolutio, ita totum Sacramentum panis, est omnib. laicis dandũ, si petant. Satis autem miror, eos asserere, presbyteris nullo modo licere, in Missa vnam speciem accipere, sub peccato mortali, nulla alia causa, nisi quòd (vt omnes vnanimiter dicunt) vtraq; species, sit vnum plenum Sacramẽtum, quod non debeat diuidi. Dicant ergo mihi quæso, cur laicis licet diuidi, & solis eis non dari integrum sacramentum? Nonne suomet testimonio confitentur, aut laicis dandam vtramq; speciem, aut vna specie non dari eis legitimum Sacramentum? Quomodo in presbyteris non est sacramentum plenum vna species, & in laicis est plenum? Quid mihi arbitrium Ecclesiæ & potestas Papæ hîc iactatur? Non per hæc soluuntur verba Dei & testimonia veritatis.

Vltrà sequitur, Si vnì speciem potest Ecclesia tollere laicis, potest & panis speciem tollere, ergo poterit totum sacramentum altaris laicis tollere, & Christi institutionem penitùs in eis euacuare. Sed qua rogo autoritate? Si autem nõ potest panem aut vtrumq; tollere, nec vinum potest. Nec potest haberi, quod hîc dici potest aduersario, cùm eandem in vtra, quę in vtraque specie, potestatem esse oporteat, si non in vtraq; nec in vtra, opto audire, quid hîc adulatores Romani velint dicere.

Sed quòd maximè omnium vrget, penitùsq; me concludit, Christus dicit. Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Hîc clarissimè vides sanguinem dari omnibus, pro quorum peccatis fusus est. Quis verò audiat dicere, pro laicis non esse fusum? An non video, quos alloquitur dans calicẽ? Nonne omnibus dat? Nonne pro omnibus fusum dicit? Pro vobis inquit. Esto, sint ij sacerdotes, & pro multis, ij non possunt esse sacerdotes, & tamen dicit: Bibite ex eo omnes. Vellem & ego hîc nugari facilè, & verbis meis illudere verba Christi, vt meus nugator facit. Sed scripturis redarguendi sunt, qui scripturis nituntur contra nos. Hæc sunt quæ me prohibuerunt Bohemos damnare, qui siue sint mali siue boni, certè verbum & factum Christi habent pro se. Nos autem venturum, sed tantùm inane illud hominum commentum: Ecclesia sic ordinauit, cùm non Ecclesia, sed Tyranni Ecclesiarum, citra consensum Ecclesiæ (id est populi Dei) ista ordinarint.

Obsecro autem, quę est necessitas, quę religio? quę vtilitas? laicis negare vtramque speciem, id est, signum visibile, quando omnes concedunt eis, rem sacramenti si non signo. Si rem concedunt quę maior est, cur signũ quod minus est, non concedunt? In omni enim sacramento, signum in quantùm signum, incomparabiliter minus est quam res ipsa. Quid ergo prohibet, inquam, minus dari, quando maius datur, nisi quod mihi hęc permissione Dei videtur contigisse, vt esset occasio schismatis in Ecclesia, qua significaretur, nos re sacramenti iamdudum amissa, propter signum & id quod minus est, contra rem maximam & solam pugnare, sicuti quidam pro cęremoniis pugnant contra charitatem. Imò cœptum videtur hoc monstrum eo tempore, quo pro diuitijs mundi cœpimus contra Christianam charitatem insanire, vt Deus ostenderet hoc terrifico signo, nos signa maioris ducere quam res ipsas. Quare per-

uersitas, si baptisando concedas fidem dari Baptismi, neges autem signum fidei eius dem, id est, aquam?

Vltimò stat inuictus Paulus, omnium obstruens ora. 1. Cor. 11. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Non dicit vt è suo cerebro frater mẽtitur, permisi vobis. Nec est verum propter contentionem illorum, vtranque speciem donasse. Primò quod textus ipse indicat, non de vtraq; specie fuisse cõtentionem, sed de contemptu & inuidia abundantium & egentium, vt clarus est textus, dicens, Alter esurit, alter ebrius est, & confunditis eos, qui non habent. Deinde quòd non loquitur de prima sua traditione. Non enim dicit: Accipio à Domino & do vobis, sed accepi & tradidi, scilicet in initio prædicationis, longè ante hanc contentionem, significans vtranque speciem eis tradidisse, quod tradidisse est præcepisse, sicut alibi vtitur eodem verbo. Nihil ergo sunt, quæ fraternalis fumus, hic de permissione, sine scripturis, sine ratione, sine causa, conglomerat. Aduersarij non quærunt, quid ipse somniet, sed quid scriptura in his iudicet, ex qua nec apicem potest producere pro suo somnio, cumulli tanta fulmina pro sua fide proferant.

Surgite ergo hîc vniuersi adulatores Papæ in vnum, satagite, defendite vos ab impietate, tyrannide, læsa maiestate Euangelij, iniuria fraterni opprobrij, qui hæreticos iactatis eos, qui non secundum merum capitis vestri somnium, contra tam patentes & potentes scripturas sapiunt. Si vtri sunt hæretici & schismatici nominandi, non Bohemi, non Græci (quia Euangelijs nituntur) sed vos Romani estis hæretici & impij schismatici, qui solo vestro figmento præsumitis, contra euidentes Dei scripturas. Eluite hæc viri.

Quid verò magis ridiculum, & fraterno isto capite dignius dici potuit, quàm Apostolum particulari Ecclesiæ, scilicet Corinthorum ista scripsisse, & permisisse, non autem vniuersali? Vnde hæc probat? Ex solito penu, nempe proprio & impro capite, cum vniuersalis Ecclesia Epistolam hanc pro se acceptat, legit, sequitur in omnibus, cur non etiam in hac parte? Quod si demus vnam Epistolam aliquam Pauli, ad vnum alicuius locum, non ad vniuersalem Ecclesiam pertinere: Quid blasphemius & insanius, hac insania fingi possit? Absit, absit, vt vllus apex in toto Paulo sit, quem non debeat imitari & seruare, tota vniuersalis Ecclesia. Non sic senserunt patres vsq; in hæc tempora periculosa, in quibus prædixit Paulus, futuros esse blasphemos & cæcos & insensatos, quorum vnus hic frater vel primus est.

Sed demus insaniam hanc intolerabilem, si particulari Ecclesiæ permisit Paulus? Recte ergo Græci, rectè Bohemi faciunt, etiam te autore, sunt enim particulares Ecclesiæ. Quare satis est, eos non agere contra Paulum, saltem permittentem. Porrò Paulus permittere non potuit aliquid contra Christi institutum. Oppono igitur Roma tibi, & omnibus tuis adulatoribus, hos Christi & Pauli sermones, pro Græcis & Bohemis, nec poteris vno pilo monstrare, potestatem tibi esse datam hæc mutandi, multò minùs alios propter tuam præsumptionem neglectam Hereticos criminandi, sed tu digna es, impietatis & tyrannidis crimine accusari.

Ad hæc legimus in Cypriano, qui vnus contra omnes Romanistas satis potens est, qui libro quinto, sermone de lapsis, testatur, multis in Ecclesia illa vsum fuisse laicis, etiam pueris, vtranque speciem, imò corpus Domini in manu dari, vt per multa exempla docet. Inter cætera è vulgo quosdam sic increpat, Et quòd non statim Domini corpus, inquinatis manibus accipiat, autore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur. Vides hîc de laicis eum loqui, sacrilegis, qui sacerdotibus corpus & sanguinem accipere voluerunt. Habes hîc adulator mile quod gannias dic & hunc sanctum Martyrem, vnum in Ecclesia Apostolica spiritu doctorem, esse hæreticum, & in particulari Ecclesia permissionem vsum.

Recenlis

Recenſet ibidem hiſtoriam ſe teſte ac præſente factam, vbi Diaconus calicem infanti puellæ dediſſe, imò reluctanti, eidem infudiſſe ſanguinem Domini, apertiſsime ſcribit. Idem de S. Donato legitur, cuius calicem fractum, ô miſer adulator, quàm frigidè eludit, fractum (inquit) calicem lego, ſanguinem datum non lego. Quid mirum? Qui in ſacris ſcripturis intelligit quod vult, etiam in hiſtorijs legat quod vult. Sed nunquid per hoc ſtabilitur arbitrium Eccleſiæ, aut confutantur hæretici? Verùm hæc abundè ſatis, Non enim vt illi reſponderem, hæc cœpi, qui dignus non eſt reſponſione, ſed vt rei veritatem aperirem.

Concludo itaq; Negare vtranque ſpeciem laicis, eſſe impium & tyrannicum, nec in manu vllius Angeli, nedum Papæ & concilij cuiuſcunq;. Nec moror Concilium Conſtantienſe, cuius autoritas, ſi valet, cur non valet Baſilienſe, quod contra ſtatuit, Bohemis licere vtranq; ſpeciem ſuſcipere, quod multa diſputatione illic obtentum eſt, vt extantes annales, & literæ concilij probant. Quod adulator iſte ignorans addicit pro ſuo ſomnio, adeò prudenter omnia tractat.

Item, contra Regem Angliæ. Tom. 2. Ienenſ. fol. 554. Ego alteram partem eſſe impiè Chriſtiano populo ablatam, ſeptem argumentis probaui, quæ & tunc me vincebant, nunc autem & triumphant, poſtquam aſſertor Papiſtarum glorioſiſsimus regia fortitudine, illa tranſit intacta.

Primum erat autoritas Euangeliſtarum narrantium conſtanti & vno ſermone, Chriſtum inſtituiſſe vtranq; ſpeciem, iſs, qui memoriam ſui eſſent facturi, & ſignanter ad calicem abiecit: Bibite ex eo omnes. Ad hoc nihil dicit Rex defenſor Eccleſiæ. Secundum erat. Si ſolis presbyteris dediſſet Chriſtus in cœna Sacramentum, non licere vllam partem laicis dare, cùm non liceat inſtitutum & exemplum Chriſti mutare. Hic tacet glorioſus defenſor Rex Angliæ.

Tertium, Si poteſt vna pars huius Sacramenti Laicis tolli, poterit & pars baptiſmi & pœnitentiæ, eadem autoritate tolli. Et, quidquid Chriſtus vnquam ſtatuit, poteſt partim tolli, ſi non poteſt, nec illa pars tolli poteſt. Ad hoc obmutescit glorioſus aſſertor Sacramentorum.

Quartum, Quod Chriſtus dicit ſanguinem ſuum fundi pro remiſsione peccatorum noſtrorum: Ideo quibus remiſsio datur peccatorum, eis nõ poſſe negari ſignum remiſsionis, quod illis Chriſtus dederit. Ad hoc mutus eſt laruatus Thomiſta Anglorum.

Quintum, Si potuit vinum tollere, poterit & panem, ac per hoc totum Sacramentum tollere, & inſtitutum Chriſti penitùs euacuare, ſi totum non poteſt, nec partem poteſt. Hic inuictus Rex fortè recordatus Prouerbij, Silentio reſpondetur multis, & ipſe mihi, ſilendo omnia diſſoluit.

Sextum, Quæ neceſsitas vtranque ſpeciem negari Laicis, cùm tamen rem ipſam omnes concedant, ita, vt nos doceant tantùm ſub vna, quantùm ſub vtraque ſpecie donari? ſi rem quæ maior eſt, concedunt, cur ſignum alterum rei (vt fabulantur) eiuſdem denegant? Sed hoc argumentum tam inſigni defenſori fidei faciebat negocium moleſtiſsimum.

Septimum, eſt Paulus omnium obſtruens ora, qui, 1. Cor. 11. non presbyteris, ſed Eccleſiæ & omnibus fidelibus tradit totum Sacramentum. Hoc argumentum dixit aſſertori Sacramentorum: Noli me tangere.

DE CIRCVMGESTATIONE SACRAMENTI POMPA PERSICA.

Geneſ. cap. 11. Tom. 2. fol. 3. Veſtigia huius (Chaldaicæ) Idolatriæ, ſicut teſtantur hiſtoriæ gentium, longo tempore mãſerunt in Perſis. Nam Rex Perſicus ſacrum ignem, quem hiſtoriæ Orimaſda, corrupto vocabulo Hebræo vocant, in vacuo

equo ante se solenniter vehi voluit. Sicut Papa in vacuo, sed egregiè exornato equo, in solenni pompa, Christi corpus, vt vocat, ante se vehi sinit. Sed imponit sibi & alijs, non enim Christi corpus, sed purus panis est. Non enim Christus voluit corpus suum adesse, cùm circumfertur panis in spectaculo, sed cùm sumitur seu manducatur in Ecclesia, secundum institutionem suam. Et abutitur ea pompa Papa, vt confirmet errorem suum de altera specie. Ita manet impietas & superstitio semper similis. Etsi enim exercitia & signa mutantur, seu cultus externus, tamen affectus & studia manent eadem. Non vtitur Papa igne ad adorationem hodie, sed habet alia studia & exercitia impia, quæ specie dissimilia sunt, sed habent eundem finem. Itaq; vt Chaldæorum sicut à principio mundi penè fuit, ita manet vsque in finem. Relinquunt enim homines verbum, fidem persequuntur, & occupantur interim nouis studijs, hæc sola verum cultum esse somniant.

MISSAM NON ESSE SACRIFICIVM.

PRIMVM.

Abundè satis nobis esse debuit, ipsum exemplum Christi & Apostolorũ, quandoquidem credimus, omnem Christi actionem esse nostram instructionem, seu vt ipsemet dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Quin hoc ipso loco, velut præuidens futuras istas lupas & lupos Arabiæ, dicit: Hoc facite in meam memoriam. Quid est hoc facite? Nonne hoc quod ego modò facio vobiscum? Quid autem facit? Nunquid aureo calice, pallis & infinitis his rerum varietatibus ornatus sacrificat? Nequaquam, sed panem accipit, & verbo quo dicit: Hoc est corpus meum, mutat in corpus suum, & dat manducandum discipulis. Si igitur inuenias fideles, qui simplicissimum hunc ritum imitantur aut imitari volunt, omissis omnibus, quæ per homines adiecta sunt, caue tu hæreticos dixeris, nisi Cristum quoque hæreticum simul criminari velis, opponent enim tibi verbum non Papæ, non luparum, non Patrum, sed ipsius Christi, Hoc facite. Et tu cùm audieris, Hoc facite, aliud in illis & in Christo factum esse, docere nõ poteris, inuenieris cum Parisiensibus vel rudissimus asinus, vel insignis blasphemator Christi, &c.

SECVNDO.

Euidens est, verba instituentis Christi verba promissionis esse. Sic enim dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis effundetur.* Neque etiam lupanar ipsum Parisiense, omnium insulsissimum & stupidissimum, tam stupidum esse potest, quin agnoscat, hæc esse promissionis verba, inuoluentia pignus eiusdem promissionis, quod est corpus & sanguis Christi in pane & vino. Promittitur traditio corporis & effusio sanguinis in remissionem peccatorum, quæ est res noui Testamenti, vt videbimus. Ad promissionem autem requiritur fides accipientium promissionem & pignus promissionis. Sine controuersia enim promissio & fides sunt correlatiua, vt vbi promissio non fuerit, fides esse non possit: Et vbi fides non fuerit, promissio nihil fit. Atque vt promissio gratuita venit absque vllis meritis seu operibus donata, alioquí non promissio sed merces & retributio esset, ita suscipitur sola fide sine operibus, alioquí opera mererentur eam. Ideo promissioni satisfit fide, & fidei satisfit promissione. Semper enim opera euacuant promissionem, & rursus promissio euacuat opera.

Omnia ergo hæc verba promissionem diuinam & fidem humanã spectant, nec vllus aper-

vltus apex hîc ponitur, qui sacrificium aut hostiam indicet, neque sanè poni potest. Quid enim sacrificio cum negocio promissionis & fidei? Neque enim ortus tantùm distat ab occidente, quantùm sacrificium à promissione. Sacrificium opus nostrum est, ex nostris rebus exhibitum Deo. At promissio diuinum verbum est de Dei rebus, exhibitum hominibus, vt planè insania, nedum error sit, ex promissione Dei sacrificium humanum, ex verbo Maiestatis opus creaturæ facere, &c.

TERTIO.

Verba sic sonant: *Accepit panem gratias agens, fregit deditq; Discipulis suis.* Obsecro quid est frangere? quid est dare Discipulis? Cur non potiùs more legis sic dixit: Et accepit panem, & leuauit coram Domino? vt intelligeretur, non hominibus, sed Deo dixisse, id est, sacrificasse? Nunquid hîc laruæ & lupæ adeo nihil habent vel Grammaticæ vel cõmunis sensus, vt audeant dicere, dare discipulis id esse, quod offerre Deo? Vbi est ergo sacrificium? an in eo quòd accepit panem? At accipere non est offerre, sed ad se potiùs capere, & in suum ius & vsum sibi venditare: Nisi iterum non sumus Grammatici. Cum enim esset fracturus & daturus discipulis, necesse erat, vt in manus acciperet, neque enim ore aut auribus, aut pedibus frangeret & daret, &c.

QVARTO.

Et dixit: *Accipite*, Scilicet, non solùm exemplo & facto ostendit, non sacrificium Deo exhibitum, sed donum hominibus datum Eucharistiam esse, sed & verbo confirmat, iubens vt accipiant. Cur non sic ait: Offerte vel sacrificate? An Papistas itenum ignorantia Grammaticæ impedit, ne sciant quid significet accipere? Neq; enim accipere hîc sonat, vt tollant manibus, ceu alienum bonum alteri exhibituri seu oblaturi, sed vt sibijpsis vendicent, & in suum commodum vertant, tanquam donum ac iam rem propriam. Possessores enim facit doni, cum dicit: Accipite, nempè illud quod dedit & fregit. Nihil ergo offerri Deo permittit hoc verbum accipiendi, sed probat à Deo venire, hominibus accipientibus donum. Quid potest contra tam clara verba opponi.

QVINTO.

Comedite & bibite. Hoc est vniuersum opus, quod in Eucharistia facere iubemur. Ideo enim frangit, dat, iubet accipere, vt comedamus & bibamus, & post hęc, memoriam eius prædicemus. Sic & Apostolus nullum aliud opus in Eucharistia nouit nisi comedere & bibere, dum verba Christi repetit dicens: *Quotiescunque ergo manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Nihil hîc offerre, nihil operari, sed accipere tantum, comedere & bibere mandatur. Neque enim quod comedimus & bibimus, offerre possumus, cùm potiùs auferamus & nobis demus, & intra nos recipiamus. Et non pudet, aduersus tam euidentia & certa verba sacrificium facere, & offerre Deo, quod comedimus & bibimus. Natura enim sacrificij est, præsertim perfectissimi, quod holocaustum vocant, totum Deo offerri, nihil ex eo hominibus relinqui. Si autem victima, aut pro peccatis fuerit, saltẽ aliquam partem Deo relinqui totam. Cur ergo nos panem & vinum totum comedimus & bibimus, nihil relinquentes Deo? Cur non totum ei relinquimus, cùm velimus hoc perfectissimum esse sacrificium? Vbi hîc subsistet ratio sacrificij?

SEXTO.

Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Hîc pignus & signum promissionis apponit. Ita enim habet consilium diuinę bonitatis, suas promissiones aliquo pignore ceu sigillo signare & munire. Sic Abrahæ imposuit circũcisionem pro signaculo pacti & promissionis

& promissionis de Semine suo donatæ. Et Noe cùm promitteret se fore Deum Semini suo, nec vltra terram dissipaturum, apposuit pro signo memorabili Arcum in nubibus. Sic deinceps ferè omnes promissiones aliquo signo firmauit, adeo vt hoc more Iesaias iuberet Achati regem Iuda, vt peteret signum à Domino promittente liberationem populi de manu Regis Syriæ & Samariæ. Apud homines quoq; pacta, promissa & fœdera, non solùm verbis aut literis, sed additis aliquibus pignoribus aut testibus firmantur. Si verbis promittunt, stipulantur manibus, si literis appendunt sigilla, in robur pacti & promissi. Ita vt hæc promissio diuina nobis omnium esset certissima, fidemq; nostram tutissimam redderet, apposuit pignus & sigillum omnium fidelissimum & pretiosissimum, scilicet ipsummet pretium promissionis, Corpus & Sanguinẽ proprium sub pane & vino, quo nobis emeruit promissionis diuitias donari, quod & impendit, vt promissionem acciperemus.

Quomodo ergo sacrificium & opus nostrum facere possumus ex pignore & sigillo Dei, nobis donato & promissioni suæ appenso? Quis inter homines sigillum & pignus promittentis offert ipsi promittenti, ac non potiùs accipit à promittente, & sibi seruat, hoc ipso tenens sibi obstrictum promissorem, certissima fiducia expectans eius veritatem & impletionem. Ita & nos diuinam maiestatem, hoc inęstimabili pignore nobis donato, tenemus obstrictam, de cætera cum summa certitudine & dulcissima pacatissimaq; fiducia expectantes, vt impleat, quod promisit, & cuius promissionis tam pretiosum sibiq; charissimum pignus dedit. Et tu impia turba Papæ nos offerre & à nobis abijcere doces hæc incomparabilia dona & gaudia? &c.

SEPTIMO.

Quod pro vobis datur. Item: Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hic signatur res ipsa promissionis, quæ est remissio peccatorum. O dulcis & potens promissio, sed simul impatientissima sacrificij. Ideo enim datur corpus & sanguis, vt nos illi simus, remissis omnibus peccatis. Ecce hæc sunt illa bona, quæ tibi exhibentur in Eucharistia, putas hæc posse exhiberi ab irato & implacato Deo, ac non potiùs abindulgentissimo, amãtissimo sollicitissimo pro nobis Patre? Quid ampliùs promittere potuit, quàm remissionẽ peccatorum? Quid est remissio peccatorũ, nisi gratia, salus, hæreditas, vita, pax, gloria æterna in ipso Deo? Et tu insane & impie Papista tuo sacrificio alium tibi finges Deum in Eucharistia? Nonne iamdudum vides, omnes sacrificos Idolatras esse, & toties Idolatriam perficere, quoties sacrificant? Non enim verè Deum cogitant, sed idôlum sui cordis formant, cogitantes & credentes, esse hic Deum aliquem iratum & placandum, qui planè in Eucharistia nec est, nec esse potest. Atq; verè iratus tibi est & manet, sicuti credis, quia extra Eucharistiæ fidem & promissioni eius non credis, nihilò differens ab Ethnico & Iudæo, nisi quod maiori peccato in hæc bona peccas, dum sacrificio tuo magis irritas & incurris iram, cæterùm infidelitatè & impietate similis es, tantùm titulo Christianus, & tantùm iura sacerdos.

Deniq; vt sacrilegam placandi cogitationem tibi adimeret inter verba, ipsemet tibi signat & indicat quo sit placandus & placatus, dum dicit: Quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur. Desine rogo, tuas perditas placationes præsumere vnum est, quo placatur (vt ita dicam) solissimum & vnicissimum, ne speres vllum hoc, vllum aliud placandi aut sacrificium aut consilium reliquum esse. Maior est illa maiestas, quàm vt totius orbis sanguine, & omnium angelorum meritis placari possit. Corpus Christi datur, & sanguis eius funditur, & sic placatur. Pro te enim datur & funditur, sicut dicit: Pro vobis. Cur pro nobis, nisi vt placetur ira Dei, quæ immineret peccatis nostris? Placata autem ira remittuntur peccata, hoc est, quod dicit, dari & effundi in remissionem peccatorum. Nisi enim daretur & effunderetur, ira maneret.

ua maneret, & peccata retinerentur. Hîc vides quàm nihil valeat opus satisfactionis, aut sacrificium placationis, sed sola fides dati corporis & effusi sanguinis pro placatione. Ne fides ipsa quidem placat, sed apprehendit & obtinet placationem per Christum factam, quantò magis tua stulta placatio, & sine fide & sine Christo, nihil impetrabit, nisi maiorem iram. Stat firma sententia: Hoc corpus datur pro vobis. Vos nihil dare nec offerre potestis in placationem aut remissionem, sed gratis donatur vobis, sed non gratis donatur Christo hoc donum Dei in nobis, quia corpus & sanguinem pro eo, propter nos tradit, vt diligamus, gaudeamus, grati simus diuinæ misericordiæ, pro inenarrabili suo hoc dono, indignis nobis donato. Non ergo sacrificandum & dandum est Deo in Eucharistia ab hominibus, sed tantùm credẽdum & accipiendum à Deo, &c.

OCTAVO.

Nouum Testamentum. Ecce Testamentum ipsemet vocat Eucharistian, quo quid pugnantius potest esse sacrificio. Si Parisiensis Sodoma, & Louaniensis Gomorrha, & vniuersa Babylon Papæ, suum Aristotelem didicissent, agerem cum eis per definitionis locum, si quo modo possent tam crassa capita aliquando videre, quid differret sacrificium & Testamentum. Sed quia sola multitudine rasorum sua stabiliunt, nec diuinam, nec humanam autoritatem spectantes, dimittamus asinos mutuò suis auditibus plaudere, & nostra prosequamur. Testamentum hoc differt à promissione, quòd testamentum est morituri, promissio viuentis. Sic enim Ebr. 9. dicit: Vbi testamentum est, ibi mors testatoris intercedat necesse est. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum valet, dum viuit qui testatus est. Cùm vero Deus in scripturis promissiones suas passim testamentum vocet, eo verbo significauit se aliquando moriturum esse. Rursus cùm promissiones vocat, victurum se significat, vt vno hoc verbo sese futurum hominem, simul morituru & semper victurum comprehenderet, de quo nunc non est locus dicendi. Est igitur testamentum, nuncupatio morituri, qua disponit suam hæreditatem certis heredibus. De qua re cum in Galatis meis dixerim, hic breuior esse debeo. Quatuor ergo integrant testamentum. Testator, verbum vel codex nuncupationis & promissionis. Hæreditas, Hæredes, quæ in hoc testamento videamus. Testator Christus est moriturus. verba testamenti sunt, quæ nunc verba cõsecrationis vocant. Hæreditas est remissio peccatorum in testamẽto promissa. Hæredes sunt omnes qui credunt, nempè sancti & electi filij Dei, vnde Apostolus Tit. 1. Fidem Christianã vocat fidem Apostolorũ.

Tu nunc ipse lector vide impietatem sacrificum istorum, qui è testamento sacrificium fecere. Deus testatur & largitur, at illi offerunt & sacrificant. Quid ergo faciunt? *Primùm negant* testamentum esse, & cogunt Deum aut mentiri aut insanire, dum testamentum ipse vocat. Asseruisse enim sacrificium, est negasse testamentum, cùm impossibile sit, idem sacrificium & testamentum esse, cùm illud demus, hoc aciplamus, illud ad Deum, hoc à Deo veniat, illud per nos, hoc sine nobis fiat. Et quid pergam differentias dati & accepti afferre, cùm & bestiæ & inanimata hoc sentiant? Nec patet hîc Sophistis cauillandi locus, quòd alio respectu sit sacrificium, alio testamentum, tantùm vnus est Deus, & vna tantùm Ecclesia, inter quos solos mediat deorsum testamentum & sursum sacrificium. Fateor, sacrificium est respectu Dei Papistarum, at hic Idôlum cordis eorum est respectu nostri & veri Dei, non nisi Testamentum esse potest. *Secundò & testatorem Christum esse negant.* Quomodo enim testatorem agnoscerent, cuius testamentum negant? Non enim accipere ab eo quidquam, sed tantùm offerre ei volunt, qua peruersitate non suspiciunt eum, largum testatorem suorum bonorum, sed inexplebilem exactorem alienorum seu nostrorum. *Tertiò & hæreditatem negant,* non enim quærunt gratuitam remissionẽ peccatorum, eam, quam Christus dato corpore & sanguine fuso nobis parauit, sed propriam & nouam suo

sacrificio

sacrificio impetrare laborant, laborare enim oportet hos Sanctos, ne misericordiam Dei gratis accipiant.

Insuper vnus est furor omnium præparatorijs orationibus, confessionibus pre- uijs, sic sese mundos & sanctos reddere, vt Eucharistian digni accipiãt, ne sit aliquid ibi, quod remitti debeat, sed omninò spectabiles in mundicia sua compareant & lau- guinem Christi in remissionem peccatorum fusum rideant. Quæ tamen peruersitas alia nascitur origine: Nempè, quod peccatum nullum cognouerunt, nisi actuale pro- positum mali in voluntate, cætera omnia sunt naturales vires & imperfectiones, aut ad summum soli reatus quædam relationes, quæ Christo nõ egent. Ita fit, vt momen- tanea contritione hoc sanctissimum sacerdotium sese plenè purget, nec amplius ca- pus habeat Testamento remissionis peccatorum. Et sic mundi accedunt, quò non debent accedere, nisi qui remissione peccatorum egent. Verùm de peccati cognitio- ne hîc non est locus.

Quartò negant & hæredes. Hæredes enim diximus esse eos solos, qui credunt huic Testamento: Ipsi verò sacrificantes faciunt capaces & hæredes, Eos enim adducunt, qui operibus suis & sacrificio nituntur, scilicet tam inquietas, pauidas & confusas conscientias, vt non solùm non credant, sed ne hoc quidem sciant, an credendum sit. Ignorant enim esse promissionem & Testamentum, quod fidem exigat, sed sacrifi- cium esse opinantur, quod opera requirat. Ita vides, Papisticum sacerdotium, inscer- lix hominum genus, prorsus Aegyptijs tenebris captum, nihil omninò intelligere, quid sit Eucharistia, quid præstet, & quo vsu, quo fructu sit tractanda.

DE CANONE.

Primò obijcient Canonem (quem vocant maiorem) in quo sacrifex dicit: Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata. Et infrà post consecrationem: Hos- stiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, &c. Hoc obiectum aliud ne- hil vult, quàm quòd solent iactare, Patres, patres, Decreta, decreta, Ecclesia, eccle- quoties nos à verbis Dei in verba hominum trahere conantur. Rursum, si verbum Dei opponas, occlusis auribus clamant: Non intelligis sanè: Expositioni Patrum cre- dendum est. Ita sub nomine patrum, pulchrè nobis exterminant verbum Dei. Nos quoq; hîc dicimus & multò fortiùs clamamus, Euangelium, Euangelium, Christus, Christus. Cur non sic iactemus Christum, vt illi iactant Patres? Cur non Euangelia, vt illi decreta? Quod si Canonem opponant, iterum eorum quoq; more clamemus: Non intelligitis sanè Canonem, expositione opus est. Quis, rogo, hîc nostram litera componet? Si dixerint: Aperta sunt verba Canonis, glosa non egent. Dicemus & nos: Aperta sunt verba Euangelij, glosa non egent. Et quidquid de suo & pro suo Canone iactabunt: Idem de nostro & pro nostro Euangelio multò magis iactabi- mus, donec stemus, & æquales iactando facti fuerimus. Deinde mox triumphabi- mus, cum negare non possint, Euangelio cedere debere, quidquid non est Euange- lium. Hanc enim iactantiam Patribus & Decretis suis dare non audebunt, vt eis de- dere debeat, quidquid Patres & decreta non fuerit. Quare hîc vicimus & dicimus: Cede Canon Euangelio, & da locum Spiritui Sancto, cum sis verbum humanum. Et quanquam habeam quod pro sano sensu Canonis dicere possim, quod & aliàs fe- ci, tamen nunc non dignabor eum tali honore, sed gloriam dabo plenissimè Euange- lio, indubitata fide ei inhærendo, & iuxta regulam Iurisperitorum, verba obscuri loquentis interpretabor contra eum, non pro eo, dicamq; ei iuxta parabolam: Dig- Canon, vos estis inuitati ad nuptias, & sedistis primo loco, sed ecce honoratior es inuitatus, imò ipse Dñs inuitator adest, Date ergo huic locum & sedeatis nouissimo loco cum rubore, cur non in eo sedistis ab initio? Si habetis aliquem pium sensum

quem violenter emunctis literis exprimere quis possit, habeatis, sed vos aperte cõtra Euangelium conatis, ideò vos damnamus & contemnimus autoritate diuina Euangelij. Et cur Canonem vehamus tam sublimiter, cùm superius monstratum sit, sacrifices istos non vno modo circa Eucharistian delirare, vt nihil mirum sit, si & Canon eorum alicubi deliret. Quis etiam non videat eum esse compositum ab alina, hæc munera, hæc sacrificia, Item hostiam puram, hostiam immaculatam. Et multa alia in eo iustè possunt redargui, licet ab istis Sacerdotibus suis eleuatus sit supra omnes articulos fidei. Nihil enim sanctius habent hoc Canone, adeò vt & ipsum Euangelium ei collatum sordeat coram eis. In quo tamen nihil à moribus suis alienum faciunt, cùm aliud non studeant, quàm vt iactent humana, contemnant diuina, obseruent quæ nullius precij sunt, negligant quæ summi precij sunt. Negamus itaq; & damnamus Canonem in hac parte, tanquam aduersarium Euangelij. Nec audimus si clament, Ecclesiam non potuisse errare. Sacerdotes Papistici non sunt Ecclesia, & quomodo sancti in hoc errore habuerint, statim dicemus.

Secundò, obijcient Sanctos, qui & hoc Canone vsi sunt, & Missam pro sacrificio habuerunt, vt Gregorium, Bernhardum, Bonauenturam & alios. Hîc respondeo, Nihil esse sub cœlo periculosius gestis Sanctorũ, testimonio Scripturarũ non roboratis. Cùm enim constet, Iustum septies cadere, & Sanctos variè peccare, quis nos certos faciet, hoc non esse peccatum, quod sine scripturæ testimonio gesserunt? Laudo in hac parte S. Antonium, qui hoc maximè inculcauit & consuluit, ne quis aliquid operis tentaret, quod non haberet autoritatem è scriptura, Imò tutius est, hoc inter peccata Sanctorum numerare, quod sine autoritate Scripturæ fecerunt, quàm pro exemplo bono imitari. Sanctos enim non multùm læseris, si incertũ eorum facti exemplo bono imitaris. Agnoscunt enim sese peccatores. At vehementer offendes, cum peccati damnaris. Agnoscunt enim sese peccatores. At vehementer offendes, si exemplo eorum tete ad præcipitium impuleris. Proinde Christus vult nos non humanis gestis, sed certis & fidelibus suis verbis niti.

Iam & hoc constat è Psalm. 4. quòd Dominus mirificat Sanctos suos. Et Psal. 98. Mirabilis est in Sanctis suis, finit eos in multis & diu tàm ignorare, quàm errare. Peccauit Moses & Aaron, lapsus est Dauid & Salomon, cecidit Petrus trina negatione, & lapsus cogebat Gentes iudaisare. Et quãto tempore, quæso, finit eos in peccatis volui, antequam conuertat? Nonne omnes cantant: Priusquam humiliarer ego deliqui? Et: Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Dauid in media tribulatione peccauit, credens adulatori Siba aduersus Miphiboseth. Loth in summa tribulatione peccat cum filiabus suis. Quis verò ea videat, de quibus ipsimet dicunt: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Minima portio peccatorum cognoscitur, etiam ab ipsis Sanctis.

Sed vt in his peccatis & erroribus seruentur Sancti & pereant impij, duplex est causa. Prior, quòd Sancti habent fidem Christi, qua absorpti, & si multa faciant ignorantes, quæ impijs essent ad mortem, semper resurgunt & seruantur, imò nunquam cadunt in malum. Incredibile est ijs qui experti non sunt, quanta sit virtus fidei, maximè in peccatis. Hac fide cùm careant impij, etiamsi optima Sanctorum opera imitentur, peccant. Posterior, quòd Sancti hac fide eruditi, prorsus in sola misericordia nituntur, nulla sua opera æstimantes, quin omnia inutilia & peccata esse ex animo confitentur, perpetua humilitate. At hæc confessio & humilitas non sinit, vt pereant in suis peccatis & ignorantijs & erroribus, cùm Deus humiles deserere, & confitentibus non parcere non possit. Talis fuit Bernhardus, de tota vita sua dicens in agone: Tempus meum perdidi, quia perditè vixi. Talis Augustinus: Væ hominum vitæ quantumcunq; laudabili, si remota misericordia iudicetur. An non videmus in Augustino, quomodo retractet multos errores, in quibus vtiq; perditio erat, nisi fide seruatus fuisset? Impij enim sunt plerique eius errores, sed con-

fessio & timor Dei fecit eos ignoscibiles & innoxios sibi, quos tamen, si quis proexemplo et lege sequatur, nonne in perniciem suam sequetur? Sicut & contingit multis, qui Patrum dicta ceu infallibilia oracula sine iudicio sequuntur.

Ex quibus clarùm est, Sanctos errare aliquando etiam in pietate & veritate fidei, quod est, eos nondum esse perfectos, & tamen ob cœptam & crescentem fidem non perire. Perire autem eos, qui errorem hunc pro veritate arripiunt, & in exemplum trahunt, vt prorsus nihil iuuet neq; excuset, Sanctorum gesta fuisse imitatum quempiam sine autoritate Scripturæ agentium. Si enim sancti non errarent, in fide, pietate & scientia veritatis, cur Apostolus Petrus doceret, Crescere in fide & cognitione Christi? Et Paulus, Crescere in Christum, ne sicut pueri circumferamur omni vento doctrinæ. At quod fidei deest, error & impietatis reliquum est, secundum quod Sanctos aliquando agere, dura huius vitæ miseria & necessitas cogit. Sunt ergò eo modo facta Sanctorũ, sibi ipsis innoxia propter fidem, sed impijs, qui sacrificijs & operibus fidunt, perniciosissima exempla, quia nolunt discere fidem, sed tantùm opera in Sanctis. Cùm Apostolus, Ebre. 13. mandet, vt conuersationem Sanctorum intueamur, sedsic, vt imitemur eorum fidem. Nostri autem Papistæ dicunt, S. Bernhardus sic fecit, ergò sic est faciendum. S. Augustinus sic fecit, ergò sic est faciendum, Animalia scilicet immunda, nec ruminantia, nec vngulam diuidentia, solùm in opera intenti irruunt cum tota securitate.

Ita & hîc in sacrificio Missæ illis contigit, & adhuc absq; dubio bonis & electis viris contingit, vt simplici cordis fide celebrent, arbitrantes pio errore sacrificium esse. Verùm quia non in sacrificium hoc confidunt, imò pro inutili & peccati opere habent, quod ipsi faciunt, pura & sola misericordia nixi, seruantur ne errore perearunt. Quos cùm imitantur securi isti operum Sacerdotes, sine hac fide, sacrificium suum egregiè tollunt, & securè alijs vendunt. Vnde merentur errorem hunc sibi non ignosci, sed imputari, & sic perdi exemplo erroneo Sanctorum. Corda enim & renes intuetur, iudicat & probat Deus. Ideò vnius errorem fert & ignoscit, eundem in alio damnat & punit, ob cordium in fide & humilitate diuersitatem. Tales autem fuisse Sanctos, quales dixi, illud Bernhardi mihi persuadet, dum pusillanimem fratrem coegit celebrare, dicens: Vade Frater, celebra in fide mea, qui cùm sic faceret, liberatus est. Vides, vt in fide vir sanctus totus incesserit, quia non potest permittere vt perdat, quantumlibet magnus error. Hæc scio Sophistis mirè displicitura, quos cõtemno, modò pijs conscientijs profuero, quas ipsi excarnificant.

Cognito itaq; errore, iam non licet denuò errare, & Missam pro sacrificio habere, Hoc enim iam esset in totam fidem & contra conscientiã peccare. Neq; hîc fides aut confessio excusaret. Non enim potes dicere: Volo piè errare. Pius error est ignorantiæ, non scientiæ, quales Apostolus tolerare iubet in infirmitate eorum, Roma. 14. Ita eos qui ignorant adhuc errorem, si tamen fide misericordiæ DEI vnuunt, non licet damnare aut spernere, donec & ipsi errorem intelligant. Hoc autem agendum est, vt error reueletur, & non pro veritate statuatur, ne multiplicentur peccata impiorum, & infirmis scandala in via relinquantur. De isto errore Sanctorum, & pernicioso exemplo eorum dicit Christus Matth. 24. Dabunt signa & prodigia, vt in errorem ducant, si fieri potest, etiam Electos. Neq; enim vult Christus hoc loco, Electos suos non esse erraturos. Quid enim hoc valeret ad magnitudinem exaggerati periculi, si nullus Electus periclitetur? Sed sensus eius est, quod in oratione Dominica dicit: Et ne nos inducas in tentationem, non vt non tentemur, sed ne deficiat fides Petri in hac tentatione, & prævaleat tentatio in finem, vt non sit reditus è tentatione. Ita hîc in errorem non inducentur Electi, non vt non errent, imò vt maximè errent vnà cum impijs, Hoc enim faciet periculi magnitudo, sed non deficient in errore, nec prævalebit error in finem, quanquam vix euadant, ne prævalebit

ne prævaleat. Inducent (inquit) in errorem, si fieri potest, electos, hoc est, inductos in errorem tenebunt, vt videantur cum eis in errore manere & perire.

Nónne hoc in Bernardo, Gregorio, Bonauentura, & multis alijs videmus, qui in multis & magnis erroribus permanserunt cum impijs. Bernardus, & Bonauentura, Franciscus, Dominicus cum suis, Papam ignorantes & suum regnum coluerunt, credentes omnia eius bona & recta, & ex Deo esse, quod est manifestè contra Euangelium in multis locis. Deniq; ipsimet Euangelium in Papam interpretati sunt multis & magnis erroribus, Nónne impium est, Petram Matth. 16. Papam credere? Nónne impium est, mare facere homines, supra quos Petrus & Papa ambulent, id est, dominentur? Nónne impium est, verbo pascendi tyrannidem Papæ stabilire? Et tamen Sanctorum sunt hi multi similes errores, sed ignorantium & fide simplici in Christo hærentium, vnde eis ignouit Deus. At qui cognitum errorem tuentur, & in illum nituntur ceu in veritatem, Patres sequuntur, sed ad Patres non peruenient, Quia id quod Patres tandem reliquerunt, & pro quo veniam obtinuerunt, sequuntur sine venia, & nunquam relicturi, sed vt articulum fidei seruaturi.

Tertiò, Obijciunt syluam illam exemplorum, in quibus multi Spiritus etiam bonis & Sanctis viris apparuêre, petentes Missarũ sacrificia, pro sui redemptione. Hîc mihi libere loquendũ est. Dubium non est, quin totum sit Satanæ negotium, quid quouis modo machinantiũ in hoc potissimum anhelantis, vt Eucharistiam euacuaret, & de terra aboleret, & in ludibrium suum verteret. Videbat enim hac vna re, & verbum, & fidem feliciter plantari, rigari, crescere & roborari, in vastitatem principatus sui tenebrosi & mali, Ideò plane angelica sua astutia vsus est, ad abolendum hoc victoriosum mysterium, Et profecit, donec Missa fermè solis mortuis seruiat, quæ pro viuis solùm est instituta, nisi quòd sacrificos istos totius orbis opibus pascit & fagitiat. Probabo igitur, non esse animas mortuorũ, quæ obambulant, & vel saluandas vel damnandas sese confitentur. Primùm, quòd huius rei prorsus nullum habet exemplum diuina scriptura, sine cuius autoritate (vt diximus) quidquid fit, suspectum esse debet, siue per homines, siue per Angelos fiat. Verbum enim suum vult Deus esse nobis lucernã in loco isto squalido, vt Petrus ait, Et Psal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis. Et Christus Iohan. 8. Ego sum lux mundi, Vbi ergò ista lucerna & lux non lucet, quis audeat sequi & credere? Nónne in tenebris ambulat, qui sic ambulat? Sicut dicit: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, procul dubio volens, quòd in tenebris ambulet, qui illum non habet præeuntem, quem sequatur.

Esto, S. Gregorius præ cæteris in Dialogo scribat, Paschasium & alios mortuos apparuisse, suffragia postulasse & responsa dedisse. Quis nos certos facit, Gregorium cum suis non fuisse hîc falsum? Quô minus enim tutum sit ei credere, obstant predicta oracula, tum illud in primis, quod Christus seducendos Electos prædixit. Et Paulus operationes erroris vehementer intentat. Tutius itaq; fuerit, totum purgatorium negare, quàm Gregorio hoc loco credere, quod hîc sit periculum erroris, illic nullum periculum, vt qui tum falli potuit, teste Christo, tum sine Scriptura loquitur & facit. Nam Deus ipse sua signa nunquam sine verbo operatur. Primùm enim loquitur, deinde addit signa. Et, vt Marcus ait, sermonem confirmat sequentibus signis, non vtiq; præcedentibus aut solis venientibus. Sed & Amos 3. dicit: Non faciet Deus rem, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Item Apostolus, Ebræ. 2. dicit: Deum fuisse contestatum signis prodigijs, virtutibus & distributionibus Spiritus Sancti, sed præcedenti verbo salutis. Signa enim diuina sunt testimonia & robora verbi diuini, ceu sigilla & signaturæ Epistolarum. Scilicet vt his scripturæ armis munitus, non dubites, ea signa, quæ sine verbo sola veni-

unt, aut ante verbũ veniunt, esse certissimas operationes Satanę, permittente Deo, tentari fidem tuam.

Iam, cùm certus & securissimus sis, nihil credi oportere, quòd Deus non exegit credi, cur non istos spiritus contemnis cum fiducia, siue per Sanctos, siue per peccatores celebratos? cum sine peccato & periculo contemnere possis liberrimè, nec habeas timere, ne Deum offendas non credendo, qui solùm suis verbis te vult credere. Contrà, quid periculo te committis, credendo eis sine causa & necessitate? vt etiam hac ratione videas eos spiritus Satanæ esse, quòd liceat eis non credere. Non enim Deus talia operatur, quibus liceat non credere. Hoc enim ad leues & illusorios spiritus pertinet, Dei seria sunt opera, fidem exigentia, per verbum & ministros nisi proposita, Neq; ipsum Christum nasci, pati & resurgere voluit, summum operum eius, nisi præcedentibus prophetijs varijs & testimonijs.

Quid quòd euidens est, Gregorium esse falsum, per animam œconomi sui quem ob tres aureos inter chartas repertos, post mortem eius magno, sed inani rore fratrum velut damnatũ, cum aureis sepeliuit anathemate percussum, & post triginta dierum Missis de purgatorio liberauit. Quis hîc non videt sancto viro à Satana esse impositum? puerili planè errore, sed qui fide & humilitate in ipso regnante, bus damnabilis ei non fuit. Scilicet spiritus nequam finxit se ob tres aureos pallum ignes purgatorij, & triginta Missis liberatum, vt prosperarentur signa & prodigia, quibus in errorem ducerentur Electi, & efficax fieret operatio erroris in vindictam incredulorum. Quis enim credat, œconomum hunc peccasse in Deum, qui tres illos aureos fortè nullo malo animo, sed mera incuria inter chartas reliquit, quasi non multò plures furari potuisset, Si pecuniæ studio id fecisset, aut non alio loco reconditum esset, si peccare placuisset? Deinde, si quàm maximè malo animo fecisset, non tamen nisi in traditiunculam istam humanam peccasset. Gregorius vir Sanctus, sed non vno tantùm loco, superstitiosior, arripuit occasionem, pro terrendis conscientijs, & stabiliendis traditionibus hominum, Quibus quàm libens & promptus cooperetur Satanas, satis docet Paulus 2. Timoth. 3. quòd sciat per has feliciter operari, & fidem aboleri.

Sic & illud de Seuerino manifestissimum est Satanæ commentum, quod passim vulgatur, qui post mortem respondit intolerabiles pœnas sese pati, non quòd in diuina mandata peccasset, sed nec in humana, nisi quòd horas canonicas, exigentibus occupationibus, non suis statis temporibus, sed præueniens manè vno tempore & tenore absoluerit simul. Pudet tam ridiculis & puerilibus in Ecclesia ludificationibus Satanam iocari, & tamen tanta seria conscientiarum per hæc etiam in magnis & bonis viris operari, adeò vt iactent Papistæ id vnicum, Ecclesiã non errare, Quasi Christus mentiatur, qui electos fallendos esse prædixit, qui vtiq; pars Ecclesiæ sunt, aut quasi Ecclesia non sit Ecclesia, si aliquando erret aut peccet, cùm Christus eam quotidie ab errore & peccatis purget, sicut palmites in vite, aut quasi error non possit stare cum fide & sanctitate. Cæci, cæci & stulti. Quid igitur ille nequam spiritus & fictus Seuerinus voluit? nisi vt ministeria & opera charitatis à Deo præcepta conculcarentur, & opera traditionis humanæ magno conscientiarum errore iactarentur. Siquidem Seuerinus nõ solùm bene fecit horas præueniendo, propter imposita negotia, sed etiam in totum omittere potuit. Quòd enim negotia curantis, Dei præceptis obediuit, vbi Paulus docet, Seruos debere ex animo seruire Dominis carnalibus. Præceptis autem Dei credere debent etiam Angeli, nedum frigida ista hominum traditio de legendis horis.

Imò ego magis credo peccare eos, qui legunt frigidas horas, quàm qui omittunt. Hypocritæ enim sunt, fingunt se orare & loqui cum Deo, cùm nihil faciãt minus, videnturq; tentare & illudere Deum. Atq; id Satanã voluisse hac larua Seuerini, vt hoc vno mendacio infinitas tentationes illusionesq; Dei, tum laqueos & fal-

sos pauores conscientiarum multiplicaret per orbem, quod & obtinuit. Non est enim peccatum hodie in Sacerdotio Papistico, quod æquari possit, neglectui horarum, cùm reuera vix sit maius peccatum hoc labor ioso & tamen simulato cultu Dei, qui per horas istas boando & murmurando peragitur, vt quale est sacerdotium, tale & peccatum. O nos malè & infeliciter Christianos, qui sine iudicio Spiritus legendas & exempla Sanctorum, apparitiones Spirituum, & doctrinas hominum arripimus, posthabito verbo Dei, & contempto consilio Spiritus, dicentis in Paulo: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Petrus dicit: Si quis loquitur, quasi sermones Dei, si quis ministrat, quasi ex virtute, quam administrat Deus. Nihil vult dici in Ecclesia, nisi quod certum sit esse verbum Dei. Nihil fieri aut geri, nisi quod certum sit à Deo fieri & geri. Hoc & Paulus vult dum dicit Ro: 12. Siue prophetiam secundum rationem fidei, scilicet, vt exigantur omnium verba ad regulam fidei. Et. 15. Nihil eorum audet, quæ non efficit in ipso Christus.

Nos autem post tergum reiectis his verbis Dei, nostras bonas intentiones audacter sequimur, securè statuimus, ordinamus, credimus, mandamus, remandamus, facimus & omittimus quidquid visum fuerit, quæ omnia posteaab Ecclesia nõ errante, & Spiritu sancto recta, iactamus esse facta, & sub nomine Ecclesiæ mundum replemus operationib. erroris & verbis mendacibus. Vtinam mihi esset tempus legendas istas & exempla aliquando castigare, aut alius quispiam maiore Spiritu id tentaret, monstris enim abominandis sunt refertissima omnia. Non ergò ignoremus amplius cogitationes Satanæ, cùm simus Christiani, & Spiritus istas vagantes non credamus animas hominum, sed ipsos Dæmones esse, qui hoc agunt suis responsis & simulatis redemptionibus, vt è saluberrimo & viuifico testamento Dei ludibrium faciant, fidem perdant, & fœdam illam abominandam q̃ nundinationem Missarum, quæ orbem nunc occupat, stabiliant. Tenta solùm animosa hac fide spiritus istos, & senties statim eos desistere ab ineptijs suis.

Quod si te non satis roborant prædicta oracula, non licere sequi, quod sine auctoritate Scripturæ sit saltem roboret & armet te, quod Scriptura hoc genus illusionis damnat & prohibet. Moses enim Deut. 18. dicit: Cùm intraueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, non discès facere abominationes gentium istarum, non inueniatur in te, qui lustret filium aut filiam per ignem, ariolus, somniator, augur, magus, maleficus, pythonicus, diuinus, & qui consulat mortuos, Quia abominatio est Domini faciens hæc, & propter abominationes istas delebit eos Dominus Deus tuus ante faciem tuam. Hoc diuinum præceptum, sicut Iudæi, ita & nos proiecimus retrorsum, cùm audiamus esse abominationem Dei à mortuis responsa quærere, quasi non sit in nobis Deus, qui nos omnia docere possit aut velit, quæ scire nos oporteat, nec verbis eius contenti simus. Quid igitur mirum, si in errorem tradat & deferat deserentes præceptum suum?

Vides igitur Spiritus bonos non esse, qui veniunt & de statu mortuorum nos docent. Spiritus enim bonus obedit mandato Dei, & Deus ignorari vult, non sciri quid post mortem agatur cum hominibus. Hinc Spiritus Sanctus tam rigidè obseruat hoc mandatum Dei, vt nullum prorsus exemplum de mortuis in tota scriptura prodat, vt & mandato & exemplo negatiuo prohibeat, ne spiritibus istis credamus. Nam quod de Samuele. 1. Reg. 28. legitur, suscitato per pythonicam mulierem, manifestum ludibrium est, non solùm ex eo, quod mulier Satanę Spiritu plena hoc fecisse scribitur, quasi dignum sit credere, animas iustorum in manu Dei & sinu Abrahæ, esse sub potestate Satanæ & impiorum hominum, sed etiam quod planè contra hoc mandatum Dei tam mulier quàm Saul agebant, quærentes à mortuo veritatem, cui impossibile est, vt contraueniat Spiritus, aut Sanctos suos sinat vel contrauenire, vel contrauenientibus consentire & cooperari.

Quòd autẽ ſcriptura eo loco tacet, an verè vel non verè Samuel fuerit, imò Samuelem apertè appellat, ideò facit, quòd ad opinionẽ Saulis verba temperat, qui Samuelem eſſe credebat, & Spiritus omnia Samuelis verba ingenioſè imitatur & augget. Cæterùm præmonitum voluit Spiritus, atq; præmunitium, præcedente mandato ſuo Lectorem, quo remittit eum occultè, vt ſciret, quidquid ſecus fieret, non à bono ſpiritu, nec à filijs boni ſpiritus fieri. Hoc modo & 2. Reg. 1. inducit armigerum Saul narrantem, eſſe Saul à ſe occiſum, ita veriſimiliter, vt Dauid ei credens iuſſerit eum occidi, quòd Chriſtum Domini occidiſſet, vt aſſerebat. Neq; hîc ſcriptura aperit, an verùm dixerit, vel mentitus ſit, ſed mendacium eius lectori cognoſcendum relinquit ex ſuperiori loco. 1. Reg. vltimo, vbi iuxta hiſtoriam Saulis mortem verè deſcripſerat, quò niſi recurras, credas hunc armigerum vera loqui, Ita remittit & in Samuelis mortui ſuſcitatione mendaci, ad mandatum verax, ſuperiori libro poſitum. Repetit hoc mandatum Eſa. 8. dicens, Et ſi dixerint ad vos: Quærite à pythonibus & diuinis, qui ſtridẽt incãtationibus ſuis. Nónne populus à Deo ſuo quæret, pro viuis ad mortuos? Ad legem & teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Hîc vides populum Dei prorſus nihil debere quærere & diſcere niſi à Deo ſuo, in lege & teſtimonio eius, adeò vt ſi aliter fecerit, neganda ſit lux auroræ. Et inſigniter damnat viuos, qui mortuos conſulunt, Et dicit: Ad mortuos? quod refertur ad verbum, quæret, Ebraica ſyntaxi, quæ dicit: Quæro ad Deum, quæro ad mortuos, id eſt, conſulo Deum, conſulo mortuos. Itaq; pro viuis illis qui quærunt mortuos, hoc eſt, præſtantiores quærunt à vilioribus, ſicut ſi homo quærat à ligno, populus Dei quærat à ſe præſtantiore, nempe à Deo ſuo, non vt quiſq; ſingulare expectet de cœlo reſponſum, ſed in lege & teſtimonio quærat à Deo, ſeu conſulat Deum. Et Chriſtus hæc omnia confirmat Luc. 16. inducens Abraham cum Epulone diuite loquentem, nec conſentientem, vt Lazarum mortuum ad viuos docendos mittat, ſed remittit eos ad ſcripturas, dicens: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos, conſonans Eſaiæ, ad legem & teſtimonium. Quo ſatis monſtrauit, non eſſe ex Deo mortuos illos, qui ad viuentes veniunt, ſed nobis ſufficere debere ſcripturas. Proinde cum fiducia hos tres teſtes opponamus ſpiritibus iſtis fallacibus, Primum Moſen dicentem: Non quæras à mortuis. Secundum Eſaiam: Quære à lege & teſtimonio potius quàm à mortuis. Tertium Abraham cum Chriſto: Habent Moſen & Prophetas, audiant illos. Nec moueamur infinita multitudine Miſſarum, vigiliarum, anniuerſariorum, præbendarum, ſacerdotiorum, altarium, templorum, ſuper has apparitiones & reſponſa ſpirituum fundata. Vides enim hîc, quod ſupra mendacia Satanæ, & ſuper ſigna & prodigia Pſeudochriſtorum, quæ Chriſtus prædixit multos eſſe ſeductura, omnia nituntur, vt impleant mundum horrendis impietatibus in cœlum clamantibus, & diem iudicij magno furore prouocantibus, ſicut decet Papiſticum & Antichriſti ſacerdotium. Cùm ergò ex his omnibus probetur, Miſſas non niſi Satanæ operationes & communi errore mundi in ſacrificia verſas eſſe, aduerſus Euangelium & fidem & charitatẽ, quæ hac machina abolentur, tota fiducia abrogandæ ſunt vniuerſæ nobis, qui Chriſtiani eſſe volumus, nec ſpectandum, quòd pauci, pio errore, illis vtantur ſine perditione. Curandumq; vt rurſus ad formam & inſtitutionem Chriſti quàm proximè accedamus, ſcilicet, vt ſingulis dominicis diebus, & ijs ſolis, & vnica tantùm Euchariſtia conſecretur, ſicut modo fit in die Paſchæ. Et illic conueniant eſurientes & ſitientes, id eſt, piæ & afflictę cõſcientię, quę à peccatis optent ſanari, excluſis ijs, qui palàm ſecundũ carnem ambulant, tum in medio, memoria Chriſti, publico verbo fidei peragatur, in communi oretur, & gratiæ agantur, ſicut ex Epiſtolis & actibus Apoſtolorum, & Euangelijs facilè eſt ordinare.

QVAESTIO DE PROLATO PANE ET VINO A MELCHISEDEC, VBI SIMVL OSTENDITVR Genes.

Miſſam non eſſe ſacrificium.

Genes. cap. 14. Tom. 2. fol. 45. Sed nascitur hîc alia quæstio de prolato pane & vino. Norunt Papistæ Melchisedec esse typum Christi. Quia autẽ dicitur hîc obtulisse panem & vinũ, etiam hoc in similitudinem rapiunt, & dicunt esse typũ sacrificij Missæ, in quo exemplo Melchisedec, species panis & vini, reuera autem corpus & sanguis Christi, offertur in benedictionem offerentis & aliorum.

Hinc præsens historia canticis publicis celebratur, & solenniter decantatur. Ac Lyra profectò non contemnendus Theologus, hanc sententiã magno conatu defendit. Sed fallitur optimus vir, nec obserant, quam similitudinis partẽ Epistola ad Hebræos maximè vrgeat. De pane & vino, seu prolato, seu oblato, autor ad Hebræos prorsus nihil dicit. In eo enim similitudinis ratio nulla est. Hoc autẽ ad similitudinem facit, quòd hic Rex habet nomen iustitiæ, & quòd est Sacerdos quoq; ac Sacerdos qui benedicat: non secundum ordinem Leui, qui hîc in corpore Abrahæ decimatur, ac habet Patrem ac genealogiam, cùm Melchisedec sit sine Patre, sine Matre & ἀγενεαλογητὸς.

In his igitur partibus similitudo cõsistit, ac maximè in vocabulo, quòd sit æternus Sacerdos, non mortalis, sicut Leuitæ: Sed æternus Dei filius, in æternũ viuens, in æternum regens suam Ecclesiã, & tanquam Sacerdos docens, recõcilians, orans, non temporalis, non cõmixtus cum peccatoribus, qui etsi infirmitates carnis nostrę tulit omnes: tamen non moritur vltrà. Hanc similitudinem autor Epistolæ ad Hebræos notat, de pane & vino, tanquam de historica particula, nihil est sollicitus.

Quorsum enim hoc sacrificium, etsi sacrificium esse permittamus? num cum illo Christi conferes quod æternum est: & semel factum valet in æternũ? Hic enim Sacerdos semel intrauit in Sancta Sanctorũ, & consummauit vno sacrificio omnes Sanctos. Papistarum autem sacrificium, ab illo Leuitico nihil differt, siquidem quotidie reperitur, & ideò rectè, vt Epistola ad Hebræos dicit, imperfectum sacrificium existimatur.

Hærendũ igitur est in vocabulo Psalmi: Tu es Sacerdos in æternũ. Habuerunt Sacrificia & Sacerdotes suos Leuitæ, sed temporales, vbi alius alij successit. Noster autẽ Sacerdos, & sine fine est, & sine successore, imò etiã sine initio: Est enim ab ęterno, & viuit in æternum, ęternum quoq; sacrificium habet, quo redempti sumus nos, qui viuimus ab initio mundi vsq; ad finem mundi. Hoc vult considerari Epistola ad Hebræos: & non panis & vini oblationem, seu oblationem sanguinis & corporis Christi, quàm Papistæ somniant.

Lyra valdè succenset Iudæis, quòd exponunt verbum Hozi, protulit, quasi apposuerit mensam, ad recreandos fessos & captiuos, cùm tamen textus clarè dicat, relictam ab hostibus prædã, ex qua satis fuit vnde sustentarent se: contendit igitur intelligendum de oblatione. Sed ego puto Melchisedec protulisse panẽ & vinum, hoc est, instruxisse solenne conuiuium: sicut solet recens aduenientibus hospitibus & amicis, & ita egisse Deo gratias pro victoria Abrahæ concessa.

Nam sicut ex Mose patet, mos fuit vt lęti in gratiarum actionibus epularentur coram Domino, manebat sua pars sacrificij Leuitis, reliquum quod erat, qui obtulerant comedebant in solenni conuiuio. Sic Melchisedec primò docet & gratias agit Deo, deinde vt publici gaudij testimoniũ extaret, instruit conuiuiũ, hoc modo gratulatur victoriam Abrahæ, & inuitat ad gratiarum actionem reliquam Ecclesiam. Hæc simplicissima sententia est, & cõuenit cum scriptura. Nã cùm loquitur de quotidiano & simplici cibo, sic ferè dicit: Et posuit coram eo panem & aquam. Hîc autem de vino apposito dicit, vt significet solenne epulum, sicut nos quoq; festis diebus laucius viuimus, quàm cum facimus operas vsitatas.

Quod si quis contendat oblatũ panem & vinum à Melchisedec, non valdè repugnabo, modò hoc quod res est mihi concedat, Christũ in cœna non obtulisse panem & vinum, sed distribuisse. Non enim textus dicit: obtulit panem. Sed dedit discipulis,

scipulis. Nec quisquam sanus est tam impudens, qui contendat, iussos Apostolos, sacrificare panem & vinum.

Papistæ autem dum hoc affirmant, manifestè produnt animi morbum & insignem stulticiam. Sicut Faber Theocriti & Vergilij testimonio comprobat, faciendi verbo Christum hîc vsum pro sacrificare.

Sed indignæ nugæ hæ sunt quæ refutentur. Quid enim ad Missam, qd Melchisedec panem & vinum profert? Quî inde sacrificium Missæ probare conatur, quid mirum, si etiam purgatorium, primatum Petri, & indulgentias inde probet?

Allegoriam fortassè extruere inde aliquis posset, quòd sicut Melchisedec panem & vinum profert: Ita Christus profert panem vitæ, & vinum lætitiæ, hoc est, Spiritum Sanctũ cum suis donis, Sed huiusmodi Allegoriæ nihil probant, & rectius docentur hæc in propriis locis. Periculosum enim est hîc transformare sententias, & tam longè à litera discedere.

Consulo igitur simplicem & solidam sententiã amplectendam, quam ipsa verborum natura & circumstantiæ afferunt, quod Melchisedec postquam concionatus est, & Deo gratias egit pro tam insigni victoria, instruxerunt tanquã in festo die, latum & splendidum conuiuium, ad inuitandum alios quoq; ad gratiarum actionem.

Ab hac simplici sententia cùm discedunt Papistæ, & de suo sacrificio, quod priuatum & non publicũ est, confirmando & extruendo cogitant, etiam textum imperanter deprauant. Inferunt enim hîc causalem, quæ tamen in textu non est. Sic enim legunt: Melchisedec Rex Salem protulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, vt scilicet stet argumentum, quia fuit Sacerdos, igitur cùm panem & vinum protulit, sacrificauit.

Sed permittamus hoc eis, quid inde? quid hoc ad Christũ, qui panem & vinum non obtulit, sed distribuit discipulis, quid ad Ecclesiam, quæ Christi exemplo panem & vinum non offert, sed distribuit credentibus? Imò quid ad te ô sacrificule, num tu panem & vinũ offeres? si hæc facis, quid magni facis? sin vt somnias, offers corpus & sanguinem Christi, quid hoc ad Melchisedeci sacrificium? An non aperies tandem oculos, & veritatem disces? Num tu offers corpus & sanguinem Christi? nam hoc ipse Christus fecit.

Est autem hoc Christi sacrificium æternũ, secundum sententiã hanc: Vna oblatione cõsummauit omnes, qui sacrificantur. Si igitur consummatũ est sacrificium, quod Christus semel obtulit, quid tibi relictum est? Consummationi ne tu aliquid addes? Si quod speras addis aliquid: non iam consummatum est, sed imperfectum est Christi sacrificium, quod scilicet opus habet tuo sacrificio.

Hæc profanatio, qua sacrificium Christi blasphematur, sola digna est, propter quam nos sęparemus ab Ecclesia Papę. Cur eñ à Christi sacrificio discedamus, & hominis sacrificiũ, cuius nullum mandatũ vsquam in verbo Dei extat, amplectamur? Christus dicit: Hoc facite in mei memoriam, hoc est, accipite, edite & bibite panem & calicem hunc, & annunciate mortem meam: non dicit, sacrificate panem & vinum. Vnde igitur probabunt sacrificium suum?

Sic de Melchisedec hoc loco est, protulisse panẽ & vinum, seu vt vocabulũ Hebræum sonat, fecisse educi, seu eduxisse, sicut ex promptuario solet, panẽ & vinum.

De sacrificio noui Testamenti prorsus nihil dicitur. Quod si Melchisedec ejus typus Christi, non sequetur statim, Christum quoq; debere panẽ & vinum proferre. Et abundè constat ex Epistola ad Hebræos, & ex Psalm. 110. Cur Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedec, non scilicet quod panem & vinum offerat, sed quod sit æternus Sacerdos & benedicat.

Docet autem hæc deprauatio scripturæ, quomodo omnibus seculis nomini Dei, & scriptura Satã ad blasphemias sit abusus, & posteri paulatim aberrarint à fide Patrum. Psalmus, vt dixi, meminit Sacerdotij Melchisedec, & Epistola ad Hebræos eruditè

os eruditè eam totam disputationē pertexit. At Papa quid fecit? Is omissis istis, quæ Spiritus Sanctus præcipuè voluit considerari, eo solo occupatur, quòd panis & vinum à Melchisedec oblatum sit, inde extruit sacrificium Missæ, quæ summa profanatio & abominatio est. Retinet igitur nomē Saluatoris nostri, retinet Sacramenta: sed amisso spiritu, his tantùm ad blasphemias abutitur, & assumit nomen Domini nuanū. Ex Sacramentis facit humanū opus: promissionibus de remissione peccatorū, addit conditionē dignitatis & satisfactionis: Ita omnia ad abusum transfert.

Gratias igitur agamus Deo, quòd ab his pestibus liberati sumus, & veram religionis noticiam, scripturæq; genuinum sensum habemus.

Quòd de pane & vino prolato hîc dicitur, scimus historicum esse. Sed quòd Melchisedec benedicit Abrahæ, & Abraham ei decimas offert, id verò caput esse scimus, quod Spiritus maximè voluit cōspici, ad sacerdotium Christi significandū, quod & æternum est, & solùm in benedicendo absoluitur, vt condonet peccata, & à morte liberet omnes, qui credunt in ipsum. Hîc meritò habet nomen iusti regis, & verè est rex Salem, seu pacis. Plura de hoc loco quòd Missa non sit sacrificium, quęre in libro de abroganda Missa priuata, Tom. 2. Ienensi, fol. 474. in quo copiosissimè hanc quæstionem tractauit, & ex verbis cœnæ Missam non esse sacrificium dilucidè ostendit. Item in libro contra Regem Angliæ.

DE TRANSVBSTANTIATIONE

Tom. 2. Ienens. capt. Babylon. fol. 278. Sicut in Christo res se habet, ita & in Sacramento. Non enim ad corporalem inhabitationem diuinitatis, necesse est transubstantiari humanam naturam, vt diuinitas sub accidentibus humanæ naturæ teneatur. Sed integra vtraq; natura verè dicitur: Hic homo est Deus, hic Deus est homo. Quod etsi Philosophia non capit, fides tamen capit. Et maior est verbi Dei auctoritas, quàm nostri ingenij capacitas. Ita in Sacramento, vt verum corpus verusq; sanguis sit, non est necesse, panem & vinum transubstantiari, vt Christus sub accidentibus teneatur, sed vtroq; simul manente, verè dicitur. Hic panis est corpus meum, hoc vinum est sanguis meus, & econtrà. &c. Plura vide Tom. 3. Germani. in maiori confessione de cœna Domini. Item Tom. 2. Ienens. contra Regem Angliæ, vbi clarè dicit: Impium esse & blasphemum, si quis dicat, panem transubstantiari.

DE CONTROVERSIA SVPER RELIQVIIS SACRAMENTI ALTARIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 596. 597. ex Epistolis ad Vuolferinum. Non nos à te, sed tua à nobis haud dubiè habes. Quòd Sacramenta sint actiones, non stantes factiones. Sed quæ est ista singularis tua temeritas, vt tam mala specie non abstineas, quam recte oportuit, esse scandalosam, nempe quòd reliquum vini vel panis misces priori pani & vino? Quo exemplo id facis? Non vides certè, quàm periculosas quæstiones moueb is, si tuo sensu abundans contendes. Cessante actione, cessare Sacramentum. Zuinglianū te fortè vis audiri, & ego te Zuinglij insania laborare credam, qui tam superbè & contemptim irritas, cum tua illa singulari & gloriosa sapientia. Non erat alia via, vt simplicibus & aduersarijs, non daretur suspicio, te esse contemptorem Sacramenti, quàm vt mala specie offenderes, reliquum Sacramenti miscendo & confundendo cum vino priori? Cur non imitaris alias Ecclesias? Cur solus vis nouus & periculosus autor haberi? Hæc ita dolenter scribo, vt scias te me offendisse & spiritummeum contristasse. Tu ipse dicis, nugas esse, & pro nugis ita insanis? Ita sunt nugæ nimirum seriæ. Sed tu fortè nihil curas, quis offendatur, dum tu euadas victor nugarum, sed Dominus, cui tu resistis, resistet vicissim tibi.

Quare te hortor, qui scis, aut scire debes, quomodo in Ecclesia sit ambulandum, vt cum D. Friderico redeas in gratiam, & vno corde idem sapiatis, vno ore dicatis idem. Poteris enim ita, vt nos hîc facimus, reliquum Sacramenti, cum communicantibus ebibere & comedere, vt non sit necesse, quæstiones istas scandalosas

& periculosas moueri, de cessatione actionis Sacramentalis, in quibus tu sufficacabe-
ris, nisi resipiscas. Nam hoc argumento tolles totum Sacramentum. Nec habes
quod respondeas calumniatoribus, qui dicent. Inter agendum plus cessat Sacra-
mentum, quàm exercetur. Tandem deueniemus ad Cratyli portenta, vt co gamur
actione tantùm habere Sacramentum, non intermissione accidentium. Et eadem
erit tempus & momentum Sacramenti causa, & alia multa absurda sequentur. Qua-
re esto conformis alijs Ecclesijs, nec illis bellum inferto, ne succumbas cum igno-
minia. Egò certè pro meis viribus tuæ singularitati & temeritati scandalosæ & of-
fensiuæ aduersabor, nec vltimam horam meam tuis scandalis onerari sinam.

Et iterum. Sane D. Philippus rectè scripsit, Sacramentum nullum esse extra
actionem sacramentalem, sed vos nimis præcipitanter & abruptè definitis actio-
nem sacramentalem. Quare efficietis, vt nullum prorsus videamini habere Sacra-
mentum. Nam si stet illa & festinata præcisio actionis, sequetur quòd post pro-
tionem verborum, quæ est potissima & principalis actio in Sacramento, nullus
percipiat corpus & sanguinem Christi, eò quòd desierit actio. Hoc certè non vult
Dominus Philippus. Et generaret ista definitio actionis infinitos scrupulos con-
scientiarum, & interminabiles quæstiones, sicut apud Papistas disputabatur. An
sub primis, medijs, vel vltimis syllabis adesset corpus & sanguis Christi. Spectan-
dus est ergò non tantùm motus ipse actionis instantis vel præsentis, sed tempus
quoque, non Mathematica sed Physica latitudine, hoc est, danda est mora actioni
huic, & mora in iusta latitudine, vt dicunt ἐν πλάτει.

Sic ergò definiemus tempus vel actionem Sacramentalem, vt incipiat ab ini-
tio orationis Dominicæ, & duret donec omnes communicauerint, calicem bibe-
rint, particulas comederint, populus dimissus & ab altari discessum sit. Ita tum
& liberi erimus à scrupulis & scandalis quæstionum interminabilium. Domi-
Philippus actionem Sacramentalem definit relatiuè ad extra, id est, contra inci-
onem & circumgestationem Sacramenti, Non diuidit eam intra seipsam, nec de-
nit contra seipsam. Quare curabitis, si quid reliquum fuerit Sacramenti, vt de-
piant, vel aliqui communicantes, vel ipse Sacerdos & minister, Non vt solus Dia-
conus, vel alius tantummodò bibat reliquum in calice, sed alijs det, qui & de eo
pore participati fuerint, ne videamini malo exemplo Sacramentum diuidere, aut
actionem Sacramentalem irreuerenter tractare. &c.

DE ECCLESIA.

QVID SIT.

Genes. cap. 28. Tom. 3. fol. 92. Essentialis Ecclesiæ definitio est. Ecclesia est locus
vel populus, vbi Deus habitat, ideò vt faciat eos intrare in regnum cœlorum: quia
est porta cœli. Et sequitur inde optima consequentia. Ergò in Ecclesia non debe-
audiri, videri, nisi quod facit Deus, iuxta illud, si quis loquitur, tanquam sermones
Dei loquatur: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus. Sin au-
tem incertus sum de verbo aut administratione diuina tacendum est. Sed quando
cunq; ministro, hoc est, baptizo aut absoluo, debeo certus esse, quòd meum opus non
sit meum, sed Dei operantis per me. Baptismus est operatio Dei, quia non est meus,
quanquam accommodo manus & os, tanquam instrumenta. Sic quando absoluo non
aut voco ad ministeriũ, & impono manus, non dubitabis quin Dei virtus sit, iuxta
sententiam Petri. Vt sit integra definitio Ecclesiæ, quæ est habitatio Dei in terra,
non vt in terra maneamus, sed ideò administrantur Sacramenta, ideò docetur Ver-
bum, vt introducamur in regnum cœlorum, & per Ecclesiã ingrediamur in cœlum.

Hoc vidit Iacob, viderunt & posteri eius, videmus nos quoq;, & omnes qui
nostri

nunc sunt, aut post nos erunt Ecclesia, quòd sit domus Dei inducens ex terra in cœlum. Estq; locus Ecclesiæ in templo, in schola, in domo, in cubiculo. Vbicunq; duo aut tres conueniunt in nomine Christi, ibi habitat Deus. Imò si quis secum loquitur, & meditatur verbũ, ibi Deus adest cum Angelis, & sic operatur & loquitur, vt pateat ingressus in regnum cœlorum. Econtrà in traditionibus humanis, non habitat Deus, quia non loquitur ibi. Semper enim ad illud respiciendũ est, quòd Iacob Deum audit loquentem & operantem. Ea sunt verè Ecclesiastica officia, introducentia in regnum cœlorum. Ecclesia autem Papistica non est regnum cœlorum, quia quæritaurum, argentũ, regna, coronas mundi. Hæ sunt claues ipsorum: Quęcunq; ligueris super terrã, id est, deposueris reges, eripueris regna & illaciter est ad infernũ. Audiamus itaq; cum Patriarcha Iacob, non Papę, non traditionũ humanarũ vocem: sed Dei verba. Quando eñ is loquitur, tũ patet porta & ingressus ad regnũ cœlorũ.

ECCLESIA DVPLEX.

Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 8. DVPLEX est Ecclesia in mundo ab initio, sicut duplex est semen, serpentis semen, & mulieris Semen, quæ inter se dimicant, seseq; collidunt propter titulũ Ecclesiæ. Paulus verò argutissimã & firmissimam Dialecticã tradidit, cùm monstrauit discrimen, inter natiuitatem & vocationem. Vbi sola natiuitas est, ibi est perditio: Quia, quod natũ est ex carne, caro est. Item non ex sanguinibus &c. Aliud est, quod Paulus ait: Ex vocante dictũ est, hoc est, requirit verbum Dei & promissio. Vltra creaturã audire oportet eum, qui vult regnare & esse filius Dei, non vt creantem Deum, sed vt vocantẽ. Quod si prima natiuitas sufficeret, quorsum indigeremus Deo? Turci sunt homines honestissimi, sapientissimi & religiosissimi, regnum magnis laboribus partum, seueriss ima disciplina retinent. Si itaq; talis esset populus Dei, qualis Turcicus populus est, nihil amplius requirendum esset. Insuperà Deo ornantur opulentia, sapientia, gloria, ratione, & clarissimis victoriis. Sed quid aliud est apud Turcos, quàm prima natiuitas? Ratio enim nata est ex muliere, & ad rationẽ pertinent, sapientia, iura politica, disciplina, & leges. De his omnibus dicit Scriptura sancta, quòd sint perdita & damnata coram Deo.

Iudæi suo tempore simul etiam sanguinem cum gloria carnis habuerint, Turca tantùm carnis gloriam habet. Iudæi verò de sanguine gloriabantur, hoc est, quod nati essent ex Patribus & Prophetis. Deinde carnis gloria accedebat, videlicet regnum, potentia, religio, hypocrisis. Ideò omnibus modis glorioſi erant, non solùm propter causam, sed etiam propter effectum. Causa erat: quia ex sanctissimis parentibus nati sunt. Effectus, quia habebant regnum, gloriam & opes. Turca non habet gloriam sanguinis, non enim natus est ex Patribus. Sed habet regnum, sapientiam, gloriam, & ex istis maximis effectibus, conatur probare, quòd suus populus sit populus Dei. Sed quæritur vbi est vocatio? Non opus est ea, inquiunt, sufficit prima natiuitas. Si facit homo quod potest ex se, saluus erit. Minimè. Sed requiritur vocatio, hoc est, verbum. Si prima natiuitas satis esset, ad quid opus esset nobis verbo? Quare vocat Deus ab oriente ad occidentẽ? Nónne nos sumus iusti, sancti, rationales homines? At contra hæc omnia dicit Deus: Hæc volo, quòd omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri, vt nemo glorietur in carne & sanguine, sed attingat renouationem, quæ fit vocante Deo, alioqui omnis gloria, cùm de causa, tùm de effectu inanis & nihili fuerit, & populus qui hac sola gloria confidit, in æternum damnabitur.

Cùm verò hoc ita docetur, Iudęi fremunt, & penè in rabiem aguntur, quia insaniunt in prima natiuitate, nec ascendunt ad cogitationem alterius natiuitatis, & sic pereunt. Similiter & Turca superbit simpliciter in prima natiuitate, & non curat vocationem. Papa in eadem prorsus absorptus est, adeò vt omnem pietatem & religionẽ, ad eam accommodauerit, vt quãdo docuit Sacramentũ altaris esse opus operatum, quo declararent pij suam obedientiam erga Ecclesiã, ibi nihil est nisi natura ex

prima

prima natiuitate, quæ potest intelligere opus operatum, id est, obedientiam Ecclesiæ. Postea impleuit orbem legibus, quæ sunt fructus arboris malæ, quanquam haberent honestissimam & pulcherrimam speciem. Sed non audio ibi vocantem & promittentem Deum, sed operantem hominem ex prima natiuitate.

Collidimus igitur nos inuicem, sicut in toto orbe terrarum à principio vsq; ad finem factũ est. Nos negamus eos Ecclesiã esse, quia gloriantur tantùm de prima natiuitate, ipsi econtrà damnant nos, qui credimus vocanti & promittenti Deo, & inde salutem expectamus. Quis hîc arbiter & Iudex erit? Iste textus, Non quiescarne, sed qui ex fide sunt. Ad salutem consequendam requiritur vocatio & promissio. Si quæritur an Turca sit saluandus? respondetur, quod non. Tamen hîc est sapientia, honestissima vita, multiplex cultus, reuerentia & obedientia erga Magistratum, disciplina militaris insignis? Sunt sanè. Sed quò pertinent ista omnia? ad primam natiuitatem. Damnandus igitur est, nec potest esse filius regni. Quia deest vocatio & regeneratio, & vult saluari per primam natiuitatẽ, quæ corrupta est, nisi per regenerationem restituatur. Ideò certum est, Turcam nõ esse Ecclesiam, nec Iudeos, quia non habent vocationem, quanquam nec causa nec effectus desint, vt suprà dictum est. Sic Papistica Ecclesia non est vera Ecclesia, quia incedunt in prima natiuitate, & præsumunt ex operibus consequi salutem. Sed vbi Deus vltra primam natiuitatem addit vocationẽ, vt Paulus ait, ex vocante dictum est, ibi inuenies Ecclesiam. Romani condiderunt pulcherrima iura & leges, sicut celebrantur à Poeta: Tu regere Imperio populos Romane memento. Sed nihil aliud sunt quàm ratio, quæ nata est ex carne, muliere & viro: hæc inutilis prorsus & mortua est corã Deo. Nullus igitur siue Papista, siue Turca, siue Monachus, siue Iurisconsultus, seu Medicus saluabitur. Quia quicquid in toto orbe est pulcherrimarum & vtilissimarum rerum, id omne vno nomine damnatur, quia caro est, & gloria carnis, Iesai. 40.

Ideò vera Ecclesia sic docet. Nos non solùm creati & nati sumus ex carne, sed Deus verbum suum misit & vocat, id est, prædicat remissionem peccatorum, & adoptionem filiorum per Iesum Christum, si hoc credimus, sumus Ecclesia. Sicut Isaac est filius promissionis, nec habet illam filiationem ex Abraham & Sara, quia natiuitas carnis est. Sed ex illa voce: Isaac erit semen. Ad eundem modum Iacob, quòd est pars Ecclesiæ, non inde habet, quia natus est ex Isaac, sed quòd vox clamantis dicit: Iacob est minor, & tamen debet esse Dominus. Sic Abraham in Babylone fuit sapientissimus & honestissimus, habuit vnam & legitimam coniugem, vixit caste cum ea, sed periisset cum istis omnibus, nisi vocasset eum Deus ex vrbe Chaldæorum.

Sic igitur discernenda est vera Ecclesia à falsa, quæ præsumit vel de sanguine, id est, causa generationis, vel de effectu. Ismael arguit à causa. Ego sum natus ex Abrahã, & quidẽ primogenitus. Ergò ero populus Dei. Causa & sanguis adsunt. Sed nisi habuerit vocationẽ, frustrà præsumet de sanguine & natiuitate. Sic omnes Papistæ & Turcæ, iactant se esse populum Dei, & quanquã non possint gloriari de sanguine Patrum, tanquam de causa, tamen de effectu gloriantur, hoc est, de potentia, iustitia, & religione, quæ omnia sunt ex carne. Sed si quæras an habeant præterhanc aliam vocationem, quòd sint populus Dei? Nihil respondent. Sed tantùm magna illa & diuina beneficia prædicant, quæ est inanis gloria, & diffusa pariter super bonos & malos.

Ex Papa si quæras, quare sit populus Dei? respondet: Quia sedeo in sede Apostolorum, Petri & Pauli, sum eorum successor. Deinde habeo causam in scriptura. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã. Atqui sedere in loco Sancti Petri etiam canis aut porcus potest, sed habere vocationem, id est, verbum, cui credas supra illam successionem, id scilicet constituit Ecclesiam, & filios Dei. Id non habet Papa, sed persequitur hostiliter, ideò non est filius, sed hostis Dei & aduersarius Christi. Nos verò nihil dubitamus nos esse Ecclesiã, quia habemus Euangelium,

gelium, Baptismum, Claues, Scripturam sanctam, quæ docet hominẽ perditum & damnatum esse in peccato originali, & requiri vt regeneretur per Christum.

Necessaria igitur hæc doctrina est, discernens inter veram & falsam Ecclesiam, & Iudæis primùm à Deo est proposita, vt superbiam eorum de sanguinis gloria confunderet, hisce tam insignibus exemplis, in vtraq; domo Abraham & Isaac, ex eodem sanguine Abrahæ nati sunt, & tamen Ismael non est hæres, quia vult prima & ea sola natiuitate, saluus fieri. Isaac autem hæres est, propterea quod habet verbum & promissionem. Sic Esau & Iacob non solùm ex vno Patre, sed etiam ex eadem matre prognati sunt, idq; fortius argumentum est, quàm prius. Idem enim pater est, eadem mater, idem sanguis. Sed quare Iacob præfertur Esau? Respondeo. Ad Iacob venit vocatio. Esau præsumit ex prima natiuitate, redire ad se hæreditatem regni, illam præsumptionem odit Deus, & vult vt accedat renouatio naturæ, extra quam nullum ius regni, aut hæreditatis reliquum est. Et ex his locis possumus etiam nostros Iudæos, qui hodie adhuc illam gloriam sanguinis somniant, potenter & efficacissimè refutare. Quia ex eodem sanguine duo generantur, alter hæres, alter non. Et discernuntur penes vocationem. Aequales sunt omni gloria carnis, sed alter verbum habet & audit, alter contemnit.

Simile exemplum prorsus est Pontificiæ Ecclesiæ & nostræ, eundem enim Baptismum, idem Sacramentum altaris, claues eosdem, eandem scripturam & verbum habemus. Denicq; ex ijsdem Apostolis, & Ecclesia eadem, quasi vnà matre Rebecca orti sumus. Quare igitur dissidemus? Nos apprehendimus verbum in sacramento, sequimur vocationem & tractamus secundum fidem. Ipsi secundum speciem visibilem. Nos dicimus verbum in vsu Sacramenti spectandum, & fide accipiendum esse: Ipsi opus operatum faciunt. Vera igitur Ecclesia est, quæ hæret in verbo & fide, non nititur operibus, sed audit & sequitur vocantem Deum. Vocatio autem est verbũ, per quod regeneratur natura corrupta à Diabolo & peccato.

Hæc non leuis dissensio & pugna est, nec immeritò aduersarij nobis tã hostiliter irascuntur, quia de summis rebus in toto orbe terrarum disceptamus: Non de imperio, non de opibus, dignitate aut potentia, sed de æterna damnatione, & vita æterna. Ideo odia tam acerba sunt, & nunquam alibi acerbiora, quàm in dissidijs religionis, quia causa maxima & grauissima est, An simus filij Dei, an filij Diaboli. Ipsi nolunt esse filij Diaboli, sed rapiunt gloriam & nomen veræ Ecclesiæ, ideoque damnant & occidunt nos. Econtrà nos ex verbo eos damnamus, & de nostra salute veris testimonijs certi sumus, & retinemus firmiter discrimen illud, quod constituit Deus inter Abraham & Babylonios, Ismael & Isaac, Iacob & Esau, videlicet vocatiõem, qua dictum est ad Abraham, Egredere, &c. Item in Isaac tibi vocabitur Semen. Item, Maior seruiet minori.

Absque hac ratione non Abrahæ tantùm, aut Isaac & Iacob, sed omnibus hominibus, prima natiuitas prorsus est inutilis, imò omnium malorum fons & origo. Quod in exemplo duodecim Patriarcharum, qui ex Iacob nati sunt, deprehendi potest, qui fiunt homicidæ, imò parricidæ, proditores & interfectores patris, quia ita contristant optimum senem, vt emori exoptet. Ac posset id eorum peccatum, si quis exaggerare vellet, rectissimè parricidium dici. Hi scilicet fructus sunt & opera carnis & sanguinis, qui ostendunt hominem sua natura totum esse cainicum & parricidialem. Potuisset verò etiam in filijs Iacob exemplum statui, sed Deus noluit eos recenseri, contentus istis duobus testimonijs, Ismaelis & Isaac, Esau & Iacob. Et iudico eos saluatos, sicut de Ismaele & Esau etiam cogito pœnituisse eos, & accessisse ad vocationem. Et tamen voluit Deus hoc argumentum extare, quòd prima natiuitas coram Deo nihil est, quòd caro prorsus est damnata, cum omnibus quæ habet & potest, quantumuis magnum & eximium sit, vt sunt imperia, leges, iusticia, quale Au-

gusti regnum fuit longè pulcherrimum, vbi floruit sapientia, iusticia, opulentia, tran quillitas, victorię pręclarę. Sed hęc omnia natiuitatis primæ, siue rationis, creationis, & carnis sunt, ideoq; damnata.

Videndum igitur est an adsit aliquid supra illa dona naturalia siue Ethnici, siue Turca, siue Papa ea possideat. Si deest vocatio, simpliciter perditum & damnatum statues. Sic enim Deus ipse iudicauit, & pręsertim huic populo in ipsorum patribus principalibus ostẽdit: quòd extra & supra primam natiuitatem vocari eos oportuit. Et quid natiuitas prima sine vocatiõe posset, horribilia crimina summorum patriarcharum, qui parricidio & incęstu sese polluerũt, ostendunt. Testantur idem historiæ Regum & Iudicum, ac tandem immane illud scelus, cum Filiũ Dei & Messiam suum cruci adfixerunt. Hæc de discrimine veræ & falsę Ecclesiæ, docet exemplum hoc insigne & mirabile, de conceptione duorum infantium, collidentium se in vtero matris.

ECCLESIA HORTVS DEI AB IPSO CVLTVS.

Tom. 3. Ienens. fol. 444. Isai. Cap. 60. Germen plantationis meæ. Ego inquit colonus ero, qui illum hortum colam. Vides autem hîc quę sit causa, quòd necessario pereant sectę, quòd scilicet hoc colono careant. Vides item quare necesse sit Euangelium & Ecclesiam durare vsque ad finem mundi, contra Satanę, mundi & hæreticorum furorem, quia Deus eam colit. Sic primùm ab Apostolis constituta est Ecclesia, quę in infinitam multitudinem excreuit. Sic singuli fideles parochi, quotidie multos ad fidem conuertunt.

ECCLESIA COLLIGITVR PER VERBVM ET SACRAMENTA.

Genes. Cap. 28. Tom. 3. fol. 90. Discamus ibi esse Ecclesiam vbi verbum Dei sonat, siue in media Turcia, siue in Papatu, siue in inferno. Sermo Dei enim est, qui constituit Ecclesiam, is est Dominus omnium locorum, vbicunque illud auditur, vbi Baptismus, Sacramẽtum altaris, & Absolutio administrantur, ibi certò, statue & conclude: Hîc certè est domus Dei: hîc est opertum cœlum, Sicut autem verbum, ita & Ecclesia nulli loco alligata est. Non est dicendum: Romę est pontifex maximus: Ergo ibi est Ecclesia. Sed vbi Deus loquitur, vbi est scala Iacob, vbi Angeli ascendunt & descendunt, ibi est Ecclesia, ibi aperitur regnum cœlorum.

EX QVALIBVS HOMINIBVS CONSTET.

Tom. 4. Ienens. fol. 354. Matth. Cap. 15. Ista semper fuit ab initio mundi, & erit in finem vsque illa grauissima quęstio, Quę, quis, vbi sit Ecclesia, seu populus Dei? Hoc est quis & vbi sit Deus? Nam vbi Ecclesia est, ibi Deus est. Iudęi apud se esse credunt, Turcę apud se, Papistę prę omnibus apud se, Nos apud nos. Et semper Christus apparet esse extra suos apud alienos. Quia suos videtur neque audire, neque nosse, sicut hîc in ista muliere facit, sicut & hodie facit nobiscum, Tamen finali sententia ipse ostendit se esse Deum sine personarum respectu, omnium, qui credũt in eum, vt sit Deus fidelium seu credentium. Nam se tandem huic mulieri ostendit valde propicium, & laudat eius fidem, licet ipsa sit (quod Marcus satis Emphaticè vget) Syrophœnissa gentilis, &c. Id est non de semine Abrahę, sed de gente incircumcisa, nihil merita, nihil operata, imò nec vnquam sub lege Mosi posita, non particeps promissionum de Christo, sed simpliciter ex Idolatria, ad famam seu verbum de Christo audito

ſto audito conuerſa. Quare iubet hoc exemplum ſperare gentes, etiamſi non ſint circũciſe, aut lege aut promiſsis Dei ornatę, tamen venturas, ſi crediderint in Chriſtum, ad communionem ſortis Sanctorum in luce & ad ſocietatem Regni cœlorum.

Quid igitur dicetur ad argumenta Iudæorum tam fortia ex ſcripturis? Paulus ſoluit mira Dialectica Roman. 3. dicens: An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Q. d. concedo hanc affirmatiuam Iudęis quòd ſint populus dei electus & vocatus, ſed hanc excluſiuam nego, Tantùm Iudęi ſunt populus dei. Aliud enim eſt, Iudæos eſſe populum Dei, & aliud, Tantùm Iudæos eſſe populum Dei. Quia etſi Deus hunc populum peculiariter propter Abraham & Chriſtum elegit, nõ ſequitur quod ideo nullam gentem voluerit pro populo ſuo habere, cùm ſub Iona habuerit Niniuitas, ſub Ioſeph Aegyptũ, ſub Daniele Babylonios: Cur autem nunc ſub Chriſto ipſo, omnes Gentes non haberet indifferenter? Et Paulus Roman. 15. egregiè diſtinguit iſtam quęſtionẽ, vbi dicit, Chriſtum fuiſſe miniſtrum circumciſiõis, propter promiſsiones Dei, ſeu veritatem dei patribus factam. Q. d. Iudęi in hoc ſunt electi, vt eſſet aliquis vnus certus populus, cui Deus promitteret & eloquia ſua (vt Roman. 3. dicit) crederet, Quemadmodum & Pſal. 147. dicit, Qui annunciat verbum ſuum Iacob, &c. Sed per hoc non aſtrinxit ſeſe, quòd ſolùm hunc populum vellet habere, & omnes gentes reprobare, Imò hoc eſt planè diuinum conſilium, quòd non plures populus, ſed vnum populum, atq; adeo vnam perſonam Abraham eligere voluit, cuius vellet eſſe Deus. Nam ſi plures ſeorſum & manifeſtè elegiſſet, pro ſuis eloquijs ſeu promiſsionibus, Quomodo vnquam potuiſſet totus mundus ſub vnum Chriſtum, ſeu in vnam Eccleſiam congregari? Cùm etiam nunc, cùm certum ſit, vnius populi fuiſſe promiſsionem Deum & vni populo promiſsiones ſuas datas, nihilominus tamen infinitæ ſectę fiunt, & diſcedunt à promiſsis Dei, vni & ſingulari populo datis.

Quid fieret vel futurum fuiſſet, ſi tunc temporis plures populos elegiſſet, & ſua eloquia illis dediſſet, ſicut vni populo Iudæorum? Quælibet enim Gens ſe diuina autoritate ſepararet ab alia (ſicut Iudæi faciunt, ſeu fecerunt potiùs) Et ſic nunquam poſſet fieri vna Eccleſia in orbe terrarum Catholica, ſed tot fierent Eccleſię Catholicę, quot eſſent huiuſmodi Gentes, quæ haberent æquales promiſsiones Iudæis. Nunc verò cùm Deus voluerit vnam habere Eccleſiam Catholicam per totum orbem, neceſſe fuit, vnum aliquem populum, imò vnum aliquem patrem, iſtius vnius populi eligi, ad quem & ſuos poſteros ſpectaret totus orbis, & fieret vnum ouile: Et ſic ex omnibus gentibus, in infinitum variatis moribus, tamen vnica fieret Eccleſia. Gentes autem ſemper oportet intelligi Theologicè non phyſicè, id eſt quales coram Deo ſunt, hoc eſt, quomodo ſine Deo, ſine lege, ſine cultu, ſine promiſsis, ſine patribus Prophetis, &c ſunt, in ſuis tantùm idolatrijs perditæ, & in infinitum diuerſis ac diuiſis. Has igitur ęquari Iudęis, qui contra habebant Deum, legem, cultum, &c. fuit ſcandalum intolerabile, (vt dixi).

Sed Papiſtę noſtro ſeculo multò damnabiliores Iudęis ſunt, qui cùm non habeant à Deo datas ſibi proprias promiſsiones, legem, cultum, ſed vtantur omnium Gentium communi Chriſto, Euangelio, cultu, tamen proprias ſibi finxerunt leges, Cęremonias, cultus, promiſsiones, Quas qui non volunt ſeruare, eos planè hęreticos, & peiores quàm Gentes iudicant: Et hac furia pereiti, iſtam Cananęam mulierculam non ſuſciperent, nec communicarent, ſed velut canem perpetuò excluderent à pane filiorum, donec cogerent eam circumcidi ſecundum leges à ſeſe confictas, id eſt, donec negaret communem Chriſtum, & adoraret nouum & ſingularem iſtum Antichriſtum. Quare nobis quoque ſolatio eſt iſtius mulieris exemplum, quę cùm propter fidem ſolam recipitur de numero canum in conſortium filiorum. Multò magis nos erimus filij conſortes, ſi crediderimus in Chriſtum, nec opus nobis erit lege, circumciſione, cultibus Papiſticis, per homines confictis, cùm iſti mulieri non fuerit

opus lege, circumcisione, cultu, diuinis per Deum ipsum institutis. Si ergo illam non impediuit, etiam ipsa vera lex Dei, vt fieret filia per fidem solam, Quomodo nos impediat mendax hominum lex, seu fictio, ne simus Ecclesia, seu membra Ecclesiæ per eandem fidem in Christum? Imò sicut illi Iudæi, amissa fide, propter pertinaciam retinendæ legis etiam veræ & diuinæ, amiserunt & panem & ius filiorum: Ita & Papistæ, qui fidem etiam persequuntur, propter retinendas suas mendaces, & confictas leges, amittunt & Ecclesiam & ius Ecclesiæ, facti omninò vera abominatio in loco sancto.

ECCLESIA EST COETVS MIXTVS.

Tom. 4. Ienens. fol. 817. Ioel. cap. 3. Sed vt hic articulus (Credo Ecclesiam sanctam Catholicam &) planiùs intelligi posset, admonendus est lector, scripturam duplici ter de Ecclesia loqui. Nam primò vocat Ecclesiam in genere, omnes, qui idem doctrinæ genus profitentur, & ijsdem vtuntur sacramentis, etsi multi hypocritæ & impij admixti sint, sicut Christus dicit: Multi sunt vocati, pauci electi. Item: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui autem non crediderit condemnabitur. Posterius enim membrum ostendit aliquos esse baptisatos, qui tamen non credunt, & ideo condemnantur, sicut parabola de nuptijs quoque docet. Qui enim in nuptijs sunt, omnes quidem sunt vocati, sed non omnes nuptialiter vestiti sunt, & hi ejiciuntur. Sic parabola de reti piscatorio, item de semine & zizanijs, Ecclesiam talem pingit, in qua mali & boni sint, ac mali quidem nnmero vincunt, sicut testatur dictum, Multi vocati pauci electi.

In isto cœtu promiscuo, tamen semper sunt aliqui electi, hoc est, qui verbum vera fide amplectuntur, & accipiunt Spiritum Sanctum. Nam ministerium non potest esse initum. Hãc sinceram partem scriptura Ecclesiam quoq; vocat, & huic propriè conuenit nomen sancta, non ideo quasi electi sint sine peccatis. Nam caro retinet naturam suam, neq; vnquam sine vitiosis motibus est. Etsi autem pij hos motus adiuti Spiritu Sancto præmunt, & eis non indulgent, tamen hi motus per se sunt peccatum damnãs, pios autem non damnant, quia hanc suorum cordium impuritatem agnoscunt, & in Christum credunt. Hæc fides est quæ Ecclesiam sanctam facit. Apprehendit enim eum, qui sanctus est, & gratia sua iniquitates nostras non aliter, quàm stipulam ignis haurit & absumit. Si igitur electam Ecclesiam oculis videre posses (sicut certò eam vides, sed credere non potes quod Ecclesia sit) videres homines aliorum similes, hoc est, infirmos & peccatores. Soli enim electi sunt, qui & agnoscunt infirmitatem suam, & quotidie peccatorum veniam exposcunt. Ideo scriptura passim eos pauperes & afflictos vocat, nõ tam ob cõmunes calamitates, quas sustinẽt, quàm quod anxijs animis suã infirmitatẽ deplorant, & perpetuò exercentur timore iudicij Dei, cùm omnis reliqua multitudo secura suis indulgeat cupiditatibus. Exemplo esse potest sanctus Apostolorum chorus, qui tanto tempore ipsum Dei filium audiuit, & tamen ne quidem post Spiritum Sanctum acceptum ex omni parte perfecti fuere. Non solùm enim infirmitatis Exempla extant, sed etiam erroris eiusq; sanè maximi, quod quidam legem contendebant necessariam credentibus. Ac Pauli querelas num putabimus esse vanas, Roman. 7. Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quod est in meis membris, Miser ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

Hanc perpetuam infirmitatem vident in alijs, & sentiunt quoque in se aduersarij nostri. Duriter igitur nos accipiunt, quasi vana spe impleamus animos, cùm sanctos nos in hac vita dicimus. Quasi verò sanctus sit qui peccatũ nullum habet. Vera enim Iohannis sententia est, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, facimus Deum

Deum mendacem, & verbum eius in nobis non est. Item Pauli, Conclusit Deus omnia sub peccatum. Caro enim, vt diximus, etsi à sanctis cohercetur, tamen caro esse non desinit, sed retinet naturam suam, & est plena vitiosis motibus. Sancti igitur verè hi sunt, qui peccatum quidem habent, sed propter fidem in filium Dei eis remittitur, & non imputatur. Habet enim Christus regnum suum inter vos in hac vita. Est autem regnum eius, iudicare in iustitia, & arguere in æquitate, Esai. 11. hoc est, pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare in nomine ipsius. Huic prædicationi qui credunt, accipiunt Spiritum Sanctum, & remissionem peccatorum. Ad hunc modum Psal. 32. beatos appellat, qui leuati sunt peccato, hoc est, qui peccatum habent, sed transfertur ab eis per filium Dei, non imputatur. Hanc imputationem si respicias, sanctum ne te esse negabis? Igitur Christus peccata tua in se non recepit? Igitur pro te non est passus? Igitur baptismus tuus nihil est? tuque eijciendus peni-tus es ex Ecclesia? Quòd si duriora hæc putas, & fidis aliquid propter passionem Christi & Baptismum, non ea tenuis & exigua, sed plena sit fiducia, vt certò statuas te esse Dei filium & sanctum, non quidem propter te, quasi sine omni peccato sis, sed propter filium Dei, qui peccatum tuum à te abstulit, & te iustitia sua ornauit, sicut Esaias in prædicto loco eum hoc habitu ornat, quòd cingulum fœmoris eius sit iustitia & cingulum renum eius veritas, hoc est, suum corpus Ecclesiam induit, & vestit iustitia, eaq; certa & æterna, non hypocritica.

Hic error Pontificiorum pernicioſus, & ideo dignus est, vt sæpe taxetur. Sic autem altè insedit animis omnium hominum, vt ad sanctitatis nomen obstupescamus, nec quisquam se hoc nomine dignum iudicet. Istorum enim proprium hoc esse ducimus, qui exuti carne, aut in societate cœlesti viuunt, aut in sepulchris resurrectionem expectant. Sed discamus gloriam hanc non habere nos ex nobis ipsis, nec ex nostris operibus, viribus, aut meritis, Nos enim cùm respicimus verè sumus, vt Paulus se appellat, homines miseri & captiui peccati, sed cùm respicimus filium Dei, cùm sanctum Baptisma, & ipsum Dei spiritum intuemur, inhabitantem hoc miserum & infirmum templum carnis nostræ, quæso an non filio Dei & spiritui sancto sanctitatis nomen tribuemus? Statuamus igitur Ierusalem, vt Propheta appellat, verè esse sanctam, propter inhabitantem Dominum in zion. Si enim in filium Dei credimus, si eius Sanguine nos redemptos confidimus, si sacro Baptismate sumus abluti, profectò sumus sancti, sicut ipsa sancta virgo Dei mater, sicut Petrus, Paulus & alij. Etsi enim hi propria sua, vt sic dicã, sanctitate, hoc est, certis donis nobis anteeunt, tamen certum est ipsos propter dona illa non esse sanctos, sed propter solam fidem in filium Dei. Hanc autem nos quoque retinemus. Agnoscimus enim eundem Christum, pro nobis factam victimam, & nos eodem baptismo baptisatos, eundem accepisse Spiritum Sanctum. Etsi igitur inter nos dissimilitudo aliqua est, tamen Christus vbique sui est similis, & quocunque venit affert secum eadem dona, remissionem peccatorum & Spiritum Sanctum. Hoc pontificij non norunt. Itaque cum Christi ignominia sanctitatis nomen tantùm illis relinquunt, qui exuerunt carnem.

ECCLESIA OMNIBVS TEMPORIBVS EADEM.

Tom. 4. Ienens. fol. 798. Ioel. cap. 3. Omnium temporum eadem Ecclesiæ veræ fides & doctrina fuit, & si, quod ad Cæremonias & externam conuersationem attinet, varietas aliqua fuerit. Primus mundus ad diluuium vsque gubernatus est per ministerium verbi, quod quasi per manum maiores posteris tradiderunt, docentes de semine promisso, & victoria eius cõtra Serpentem, & monentes de cauendis pecatis & insidijs Satanæ. Habuerunt enim sua conuenticula pij, & externus cultus

fuit gratiarumactio in isto cœtu & oblatio de ijs, quæ benedictione Domini singulis obuenerant. Post diluuium, cum Abrahamum Dominus singulari vocatione segregasset, & circũcisionis signo discreuisset ab omnibus alijs gentibus, manſit idem ministerium, vsque ad legem in monte datam. Ibi non tantùm circumcisiõe, sed cultu & politia, imò quoq; loco diuino cultui destinato, & certis personis cultui præsidendis Ecclesia insignita est. Cultus autem fuerunt tales, qui adumbrarent Christum, & docerent de Filio Dei mactãdo pro peccatis mundi, vt hoc spectaculo quotidie oculis obuersante, animi admonerentur de futura liberatione, donec secundum promissionem exhiberetur. Postquam autem Christus pro peccatis sua morte satisfecit, & regnum sibi constituit per Euangelium, Mosaica illa omnia, tanquam vmbra abrogata sunt.

Ad hunc modum vides in Ecclesia Dei, quòd ad externam formam attinet, diuersitatem aliquam, sed fides & doctrina semper fuit eadem. Animi intuebantur promissionem de Semine, expectabant Serpentis oppressionem. Quoties Adam, Seth, Noah, Abraham lapsi sunt, agnouerunt, hos esse morsus serpentis lætales, nullo humano remedio sanabiles. Igitur humiliter confitentes cordis impuritatem, & Satanæ ac carnis potentiam iniustam, totos se reiecerunt in Semen promissum, per id sperarunt remissionem peccatorum & gubernationem. Hæc fides non fuit frustra. Per Christum enim obtinuerunt remissionem peccatorum, & à Spiritu Sancto, qui propter Christum eis donatus est, gubernati sunt per hanc vitam, donec ex hoc mundo euocarentur. Prophetarum autem hoc ministerium fuit, vaticinijs hanc fidem subinde alere, & ad eam inuitare plures.

ECCLESIA VBI SIT, ET DE NOTIS VERAE ECCLESIAE.

Genes. cap. 28. Tom. 3. fol. 90. 91. Definitur hîc Ecclesia quid sit, & vbi sit. Vbi enim Deus habitat, ibi est Ecclesia, & nusquam alibi, quia Ecclesia est domus Dei & porta cœli, vbi patet introitus in æternam vitam, & egressus ex terrena in cœlestem, vbi autem non fuit locutus, nec habitauit Deus, ibi nec Ecclesia fuit vnquam. Nobis hodie ingens certamen est, cum perditissimis hominibus Papistis de Ecclesia, cuius nomen & titulum sibi confidenter arrogant, & iactant apud se esse Ecclesiam, & quidem in suis doctrinis & cæremonijs. Etsi verò fatemur esse apud eos Ecclesiam, quia habent Baptismum, Absolutionem, textum Euangelij, & sunt inter eos multi pij, tamen si hoc adiunctum volunt, quod Papa & Pompa illorum sit vera Ecclesia, hoc neutiquam concedemus. Et apponimus hunc textum, domus Dei & Ecclesia Dei sunt idem. Iuxta illud Iohan. 14. Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus: oportet adesse mandata, & ea diligere. Non enim facit mansionem Deus, nisi habueritmus mandata eius. Si Ecclesia debet esse domus Dei, necesse est vt habeat verbum Dei. Et vt Deus solus sit paterfamilias in hac domo.

Non autem accipimus illam additionem Papisticam, qui clamant: Habetis à nobis claues, Sacramentum altaris, vocationem & ministerium, quæ sunt notæ veræ Ecclesiæ. Sed vnum deest, quod non vultis agnoscere Papam & Cardinales esse Ecclesiam. De hoc igitur certatur inter nos & Papistas. Nos nolumus admittere hostem, iuxta patremfamilias. Non enim possunt simul eandem domum regere, Christus & Satan. Quæ enim est conuentio Christo cum Belial? Si igitur colendus est Papa, necesse est vt abnegemus Christum. Non enim patitur is Satanam regnare in sua domo. Si volumus habere Ecclesiam, non oportet eam pollui & permisceri vlla Satanica doctrina. Sunt autem traditiones Papisticæ impiæ, & pugnantes contra verbũ Dei, propter quod verbum solum Deus vult apud nos mansionem facere. Ergo fugiendæ sunt traditiones illæ, quia Belial & Christus non possunt vnius domus Dominj aut Paterfamilias esse.

Proinde

Proinde hic locus & alij similes diligenter obseruandi sunt, vnde discamus Papam cum suis non esse Ecclesiam. Quod si obijcitur tamen habent Baptismum, Cœnam Domini, &c. Respondeo. Qui habent purum verbum & baptismum, pertinent ad nos & ad veram Ecclesiam. Qui verò coniunctam Pompam habent, non sunt Ecclesia, vt maximè habeant Baptismum, textum Euangelij, &c. Habent tamen frustra quia Christus & Belial non concordant, coangustatum est enim statum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrumq; operire non potest. Iesai. 28. Lectus nec ferre, nec operire ambos simul potest. Atqui hoc vnum ipsi vnicè student, vt subintroducant & defendant suas abominationes. Ideo semper hoc opponendum est. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum. Si autem Baal, sequimini illum. Dominus & Baal non conueniunt, quos tamen Ahab studebat coniungere, volebat seruire Deo in puro verbo, & miscere simul traditiones humanas. Contraria autem non possunt simul consistere, sed tollunt se mutuò.

Sic igitur, inquit Iacob, hic locus, in quo dormio, est domus & Ecclesia Dei. Hîc Deus ipse erexit cathedram, & ipse prior concionatur de posteritate & perpetuitate Ecclesiæ. Iacob verò cum sua posteritate in lumbis suis est auditor, & Angeli in cœlis. Si enim vel vna tantùm persona est, quę verbum audit cum Angelis, qui adsunt vna satis est.

Describit verò gloriam huius Ecclesię admodum magnificè, videlicet, quòd pateat ibi introitus in regnum cœlorum. Sic enim nos gubernat Deus, vt hîc in terris vbicunq; nobiscum loquitur, pateat aditus in regnum cœlorum. Hæc sanè insignis consolatio est: Vbicunq; audimus verbum & Baptisamur, ibi ingredimur in vitam æternam. Vbi verò inuenitur locus iste? In terra, vbi stat scala tangens cœlos: Vbi Angeli descendunt & ascendunt, vbi dormit Iacob. Est locus corporalis, sed est ibi ascensus in cœlũ sine scalis materialibus, sine alis & pennis. Fides sic loquitur. Vado ad locum vbi docetur verbum, vbi porrigitur sacramentum, administratur Baptismus. Et omnia illa quæ fiunt me vidente in loco corporali, sunt cœlestia & diuina verba & opera. Non est locus iste tantùm humus, aut terra, sed est magnificentius & augustius quiddam: Nimirum regnum dei, & porta cœli. Hîc itur ad astra, vt apud Poetam dicitur: Non est, quod curras ad S. Iacobum, aut in angulum secedas, siue abdas te in Monasterium, ne quęras nouum & stultum introitum, sed fide intuere locũ verbi & sacramentorum. Eò dirige gressum, vbi sonat verbum & administrantur sacramenta: Atq; ibi adscribe titulum. Porta dei. Siue id fiat in templo & publicis congressibus, siue in cubiculis, quando consolamur & erigimus ægrotos, siue assidentẽ nobis in mensa absoluimus: Ibi est porta cœli. Sicut inquit Christus: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: ibi est domus Dei, & porta cœli per totum orbem terrarum, vbicunque verbum cum sacramentis purè docetur.

Non autem vt mundus solet carnalibus tantùm oculis, & brutorum in morem intuemur. Est quidem vox humana & homo est, qui loquitur verbum. Templum ipsum est constructum ex lapidibus & ex lignis. Et templum nostrum, quando non habentur ibi congressus, non est templum dei: Nisi relatiuè sic dicatur. Sed quando habentur ibi conciones, quando administrantur sacramenta, ordinantur ministri ad docendum: Tum dic: Ibi est domus dei & porta cœli, quia Deus loquitur, iuxta illud 1. Petri. 4. Si quis loquitur, tanquam sermones Dei loquatur, si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus.

Sed cęcitas & stupor mẽtium nostrarum, quasi nubes quędam oculis est obiecta, vt tantam gloriam non videamus. Magna verò dignitas & maiestas hæc est, quando dicitur, hoc est verbum dei audio hominis vocem, video gestus humanos, panis & vinum in cœna sunt res corporales. In ordinatione fit impositio manuum carnalium

hominum. In Baptismo, aqua est aqua. Sic enim & non aliter iudicat caro de his omnibus, sed si aspexeris oculis spiritualibus illam additionem, nimirum cuius verbū illud sit, quod ibi dicitur & auditur: Nō hominis quidē (si enim hominis verbum est, tum Diabolus loquitur) sed Dei, ibi intelliges esse domum Dei & portam cœli. Domus lignea aut terra per se non meretur hoc nomen: sed terra in qua sonat verbum, est Dei terra, non creatoris, sed gubernatoris suæ Ecclesiæ, qui suos Sanctos hoc modo gubernat, vt ingrediantur in regnum cœlorum. Sic aqua quæ funditur in Baptismo, est aqua non creatoris, sed Dei saluatoris.

At verò video aliam legem in membris meis repugnantem fidei, scio enim esse verum, & tamen non possum adsentiri certa & plena fiducia. Non possum tantùm credere quantùm vellem. Ita est sanè. Sed ne ipsi quidem Angeli possunt apprehendere & perspicere, quanta res sit, quæ hîc geritur & dicitur. Ita vt possint eo aspectu & consideratione satiari. Optarim tamen, me tantùm apprehendere quantùm velim nunc: sed ne id quidem fieri potest. Resistit enim caro & sanguis, siue pondus illud, & circumstans nos peccatum, de quo Hebr. 12. dicitur: quod deprimit spiritum, qui libenter vellet illa capere, & haurire ad plenum, vt inebriaretur: sed modico contentum esse oportet, tantùm vt lingua refrigeretur.

Interea verò adsuescendum est, vt illam additionem possimus facere, quam hoc loco Iacob & Angeli in cœlo faciunt: Caro enim tantùm defigit oculos in aquam, in panem, in vinum, in terram vbi dormiuit Iacob: sed Spiritus debet videre aquam, manum, verbum Dei, & Deum in aqua. Caro tam acutè videt, vt iudicet aquam esse aquam & excludat Deum, sicut Sacramentarij & Anabaptistæ faciunt. Discendum igitur est contra prospectum carnis, non esse verbum simplex & inanem tantùm sonum: sed esse verbum creatoris cœli & terræ. Sic impositio manuum non est traditio humana, sed Deus facit & ordinat ministros. Nec pastor est, qui te absoluit, sed os & manus ministri, est os & manus Dei.

Agnoscamus igitur & magnificiamus Dei immensam gloriam, qua se nobis patefacit in sua Ecclesia. Non enim talis domus est, in qua creat, sicut initiò ex nihilo condidit omnia: sed in qua nobiscum loquitur, nobiscum agit, pascit, curat dormientes & vigilantes. Quotusquisq; autem est qui hoc credat? Res vera est & verbum maximum, quo Angeli in cœlis delectantur, & audientes implentur gaudio & lætitia, propter cognitionem hanc Ecclesiæ. Neq; tamen aspicere, considerare, admirari ad sacietatem possunt. Ecclesia enim comprehendit in se Deum, conuersantem nobiscum: Ita vt viuificet, custodiat, & sanet nos. Et ista cohabitatione hoc operatur, vt sit domus Dei & porta cœli in hac vita. Hæc profectò immensa sunt & admiranda. Ideo discamus gloriam Ecclesiæ pro dignitate amplificare & magnificare: Non vilipendamus eam, neq; veram eius dignitatem in rebus ludicris, & nihili collocemus, sicut sacrilegi Papistæ solent, qui fingunt Ecclesiam esse debere corporalem congregationem, constitutam in potu, cibo, vestitu, &c. Quanquam nostra quoq; Ecclesia habet corporalia & externa multa, vt est panis, aqua, terra, &c. Sed magna diuersitas est, inter ea quæ iactant Papistæ, & quæ nos habemus, corporalia. Illa enim sunt contra Deum suscepta & vsurpata, non pro Deo, aut secundum Dei verbum: Ideo tantùm inanis fucus, imaginatio & falsa species est Ecclesia ipsorum. Econtrà maxima res est, quòd Iacob definit esse hîc domum Dei, vbi Deus cohabitat nobis, vbi nos sumus familia, imò filij & filiæ, & ipse pater noster, qui nobiscum loquitur, agit, operatur familiarissimè, vt Ecclesia sit etiam porta cœli. Ideo enim nobiscum habitat, vt intremus in regnum cœlorum. Et quod est dulcissimum, ipse prior venit & apparet nobis in scala, descendit & conuersatur nobiscum, loquitur & operatur in nobis. Sic constituitur Ecclesia inter homines, quando fit cohabitatio Dei cum hominibus: hoc

bus: hoc fine, vt sit porta cœli, & vt egrediamur ex hac terrena vita in æternam & cœlestem.

ECCLESIA SVB CONDITIONE EST ECCESIA SI SCILICET VERBVM SEQVATVR.

Tom. 4. Ienens. fol. 511. Psalm. 13. Graduum. Hunc ad modum de Ecclesia quoque dicimus, quod vbicunq; creditur promissioni Dei, & obeditur eius verbo, ibi est Ecclesia. Qui autem non credunt nec, obediunt verbo, hi etsi titulos, vocationem & alia habent tamen verè à Deo abiecti sunt, nec habendi pro Ecclesia. Quis enim Pontifici crederet, ideo quia est Pontifex? Atqui hoc vno nomine postulat sibi credi. Nec vult disputari vtrum vera sint & sana quæ præcipit, simpliciter vult credi, quòd sacra sedes non possit errare. Qui contradicunt, & exigunt eius decreta ad verbum & voluntatem Dei, subijciuntur omnis generis supplicijs. Planè idem vsurpant phanatici Spiritus hodie, quidquid somniant, volunt esse Spiritum Sanctum. Sed egregiè Basilius dixit, οὐ πᾶν εὐ ὑπνιον, εὐθὺς προφήτεια.

Confessio Ecclesiæ nota. Tom. 4. Ienens. fol. 510. Psal. 13. Graduum. Discendum est quod nomine Ecclesiæ omnis generis incommoda machinetur & struat Satan. Sic videmus quid Papa in Ecclesia effecerit, vno hoc prætextu, quòd persuasit orbi, Ecclesiam non posse errare, Ecclesiam non posse perire. Vera quidem vox est, sed hoc etiam addendum erat, vt propriè definiatur quænam sit vera Ecclesia, & vbi sit. Hæc definitio non ex decretis Pontificum, sed ex Euangelio petenda est, in quo Christus Confessionem tanquam certam notam suorum exigit. Qui me inquit, confessus fuerit coram hominibus, eum ego quoque confitebor coram Patre meo. Ergo ad verbum potissimùm respiciendum est. Neque enim confessio est, nec esse potest, vbi non est verbum. Sequitur igitur, quòd vbicunque confessio & verbum non est, etsi ibi sit multitudo, potentia, magnifici tituli, species sanctitatis, &c. tamen ibi non est Ecclesia.

Adflictio Ecclesiæ notæ. Tom. 4. Ienens. fol. 485. Psalm. 10. Graduum. Non respiciamus ad illa, quæ mundus admiratur. Ad expugnatam, adflictam, calamitosam (Ecclesiam) respicere oportet. Is enim eius ornatus & titulus proprius est, quòd infirma, obsessa & omnibus machinis, item furoribus omnibus Diaboli, mundi, carnis, peccati, mortis, &c. cincta est. Hæc qui non inspicere sed fugere vult, Ecclesiam nunquam inueniet. Neq; enim est eius ea facies, quam pictores pingunt, qui aut elegantem virginem, aut benè munitam & ornatam ciuitatem pingunt. Vera quidem est ea pictura, sed non secundum oculos carnis, spirituales oculi vident hanc formosam speciem & summam elegantiam, quòd Christus est eius sponsus, & eam sibi generauit per Spiritum Sanctum, ac ornauit sanguine meritis & iusticia sua. Horum nihil caro videre aut iudicare potest, quæ diuersum videt, quomodo odijs acerbissimis, inuidiæ, maximis supplicijs & cruciatibus sit subiecta. Itaque si, vt videt eam, ita pingere eam velit, pinget deformem & pauperculam puellam, sedentem in infesto nemore, in medio famelicorum leonum, vrsorum, luporum, porcorum, denique serpentum venenatorum, Item, in medio furiosorum hominum admouentium ferrum, ignem, aquam, ad occidendam eam & tollendam de terra, sicut in Apocalypsi elegantissima pictura est (quæ ferè ille liber nihil elegantius aut melius habet) quòd Ecclesia ceu virgo solitaria fugiat antiquum serpentem, seu Draconem insidiantem ei, & eius filio. Ideo etiam conueniunt ei voces istæ, quas hic Dauid vsurpat, Sæpe oppugnauerunt me inimici mei, sæpe oppugnauerunt me.

Habet

Habet autem hæc oppugnatio, speciem expugnationis, si carnem sequaris, ac si hostes Ecclesiæ vincant & superiores discedant, victa & oppressa Ecclesia, sicut singuli experimur in nostris certaminibus, quæ priuatim in corde nostro sustinemus, cum Satan terret & confundit conscientias. Hîc tanti excitantur pauores, vt nemo possit aliter iudicare, quàm quòd victoria sit penes Satanam obruentem nos cogitationibus tristiciæ, blasphemijs, molestijs, & sic adimentem cõsolationes omnes, quas Christi meritum & verbum nobis exhibent, secundum hunc sensum rectè legitur, Sæpe expugnauerunt me. Non enim simpliciter oppugnatio, sed expugnatio esse videtur, sicut vtrique singuli hæc experimur. Ita quoq; tum corpus Ecclesiæ confitetur omnibus temporibus se cinctum & oppugnatum exercitibus bellicis, omnium gentium, & machinis omnium tribulationum seu tentationum à iuuentute vsque, hoc est, ab eo tempore, ex Aegypto liberati, cœperunt discerni à reliquis gentibus & esse populus Dei.

Sed hîc erigit se Ecclesia, tanquam sæpe idem experta, quòd in hisce malis Deus virtutem suam ostenderit, & tum peccatum, tum pœnas ita auerterit, vt Ecclesia maneret, & hostium conatus frustra essent. Itaque & periculum repetit, & postea ex abundanti gaudio hortatur, vt huius corporis singula membra prædicẽt beneficium Dei & dicant, Non potuerunt me vincere. Hæc consolatio tenenda est, non solùm pro Ecclesia, sed etiam singuli in nostris periculis, cõtra magnificas spes, quas iactant & concęperunt aduersarij nostri. Hæretici & Sectæ gloriantur, quòd sint perrupturi, Papa subnixus sua & Principum potentia, clamat, vincemus. His etiam Satan accumulat, ita miscens negocia, vt non dubia ipsorum videtur futura victoria. Hæc non solùm priuatim perturbat singulos, sed totum corpus tristicia & dolore implet. Sicut in comitijs Augustanis proximis fumus experti, in quibus aduersarij videbantur nos oppressuri esse. Sed an non ibi quoq; experti sumus, hanc plenissimam consolationis vocem. Non potuerunt? Hæc consolatio etiam tum retinenda est cùm occidimur, sicut primitiuæ Ecclesiæ exempla testantur. Nam sanguine piorum rigata est quasi Ecclesia, vt maior seges Christianorum proueniret.

Sicut autem hæc ad persecutionem quæ gladio fit rectè accommodantur, ita etiam accommodanda sunt ad impugnationem hæreticorum & sectarum. Horum enim proprium est gloriari de victoria, & ante euentum canere Epinicion. Sed vbi sunt qui nobis primi de Baptismo, de Cœna Domini, dedere turbas? Hoc igitur faciendum est, glorientur aduersarij quocunque volent modo: Nos tantùm hoc faciamus, vt verbum purè retineamus, & quicquid agimus, hoc totum referamus ad regni Christi propagationem, & verbi, si tum (quod certò eueniet) expugnationes & certamina sequuturi, canamus cum Dauide, Non potuerunt. Nam etsi occidant nos, non tamen verbum extinguent, neq; Hæretici, nec Papa, nec Turca, nec Satan ipse, deinde neque contra nos prævalebunt, si purè maneamus in verbo. Concedendum quidem est Satanæ, quod viribus sit maior & variè vexet nos: Multæ enim sunt tribulationes iustorum, sed tamen ex his omnibus liberat eos Dominus. Cur? quia verbum Dei est quod sequuntur & docent, & causa Dei est, quam tuentur. Etsi igitur Papa multùm conetur, ac totum orbem studeat contra nos concitare, etsi non cessent falsi fratres, non incedentes in sana doctrina, etsi Satan ipse portas inferorum commouere non desinat, tamen cum Dauide canemus vsque in finem, Non potuerunt, tantùm propter verbum.

NOTAE FALSAE ECCLESIAE.

Genes. capite 25. Tomo tertio, fol. 25. Hypocritica Ecclesia agnoscenda ac intelligenda est ex suis moribus, quorum typus & figura est Esau. Solet enim ea maxime

maximè gloriari, de nomine Deo, vult esse & haberi Ecclesia, & est coram mundo. Sicut Esau habet primogenituram, sed contemnit eam, & per illum contemptum amittit. Vicissim enim contemnitur, reprobatur & spoliatur, ideo nihil est gloriatio eius, sicut nec Papistarum, qui se iactant Ecclesiam & successores Apostolorum. Qui enim vult esse Ecclesia, eum oportet magnifacere primogenituram, non tantùm in hac vita, sed etiam post hanc vitam.

Ac perpetua hæc contentio est in mundo, sicut fuit Esau cum Iacob: Ita nobis cum Papistis est, ac ante nos populo Iudaico fuit cum Apostolis. Iudæi vehementer contendebant se esse populum Dei, & Paulus fatetur eos esse Ecclesiam, Roman. 2. & 9. Sed quia nomen tantùm retinebant, rem ipsam veram Ecclesiæ contemnebant, ideo, abiectis ipsis, Gentes vocatæ sunt. Ose. 1. Et dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet: Deus meus es tu. Et Deut. 32. Prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.

Est ergo hæc vita nota, imò color pessimus Ecclesiæ hypocriticæ, quòd est superbissima & confidentissima in vsurpando nomine Dei, Ecclesiæ, clauium, ministerij Sacramentorum, & nihil amplius potest: quàm gloriari de Deo.

Altera nota est, quòd reuera contemnit & negligit ea quæ sunt veræ Ecclesiæ. Non multùm curat primogenituram suam, sicut Papa & Episcopi, nec docent nec baptizant, nec vllum officium Ecclesiæ faciunt: tantùm habent nomen. Fructum verò & effectum non ostendunt. Ideo Christus dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Quia verò Papa contemnit Ecclesiam, igitur amittit Ecclesiam. Nec valet inanis illa gloria: Nos sumus Christiani, sumus Ecclesia, sumus Episcopi. Si non subest res vera, non diu retinebis nomen. Imò iam reprobatus es, quod habes, non habes. Sic hæretici qui post nos venient, eam amittent, quia est columna veritatis. 2. Timoth. 3. quam ipsi abijcient, nec prodest gloriatio & nomen sine veritate.

Quando igitur clamant: Nos sumus Ecclesia, habemus autoritatem præscribendi, & volunt nos cogere vt statutis eorum assentiamur. Respondebimus: Ecclesia est duplex. Numero & merito, specie & veritate. Nomine & re vt & ipsi docēt. Esau fuit re, tantùm nomine & specie est Ecclesia: Sicut omnes Idolatræ & hæretici, qui sibi titulum Ecclesiæ arrogant. Hoc possum ferre vt quis numero tantùm Christianus sit, & tamen interim faciat officium externum. Si etiam occultè impius est & sceleratus, modo baptiset, curet infirmos & confirmet conscientias adflictas, nihil obstat quo minus dicatur numero Christianus siue Ecclesia. Sed non merito. Hoc Papa & Episcopi non faciunt. Ideo ne comparandi quidem sunt cum ijs, qui sunt occultè impij, quia contraria officio Ecclesiastico faciunt, blasphemant verbum, persequuntur pios, hoc est, veram Ecclesiam.

In nostra Ecclesia multi ministri sunt tantùm numero sine merito. Sed Papa ex professo aduersatur Ecclesiæ, opprimit doctrinam fidei, replet orbem terrarum Idolatria, Simonia & infinitis portentis. Illud est insanire contra Ecclesiam numero & merito, Turcarum in morem. Nihil itaque valet argumentum Papistarum: Nos sumus Ecclesia numero. Igitur debetis nos ferre. Si vellent tales esse, consentire eos oporteret de doctrina, docere & gubernare, quod veros & pios Episcopos decet: sed sunt nepotes Esau, aduersarij & vastatores Ecclesiæ, vt hæretici.

Cæterùm qui simulant pietatem & hypocritæ sunt, vt sunt multi admixti cætui piorum, eos ferimus in numero fidelium, modò non doceant contrarium professioni veræ doctrinæ.

Tertiam notā Ecclesiæ hypocriticæ. Moses quoq; in hoc typo depinxit. Postq; enim Esau, securissimè & magna confidentia neglexit spiritualia bona, fidē, caritatē, patientiam, benignitatem, quæ sunt in Ecclesia: imò cōtempsit hæc omnia, sequitur iā appetitus,

& ardens

& ardens desiderium istius rufi edulij, hoc est, quia non curat agnitionem Christi, nec augmentum donorum spiritualium, nec vitam æternam, sit auarus & cupidus voluptatum, gloriæ, honorum huius vitæ.

Hoc nimirum est quòd præfert edulium primogenituræ, id est, est numero Ecclesia: Sed sectatur carnem & sanguinem, quærit quæstum in pietate. Sic falsa Ecclesia simulat pietatem, tantùm vt fruatur voluptatibus, & honoribus huius mundi. Vera autem Ecclesia quærit æternam vitam, per pacientiam & fidem. Illi sunt animalia ventris, & Deus ipsorum venter est.

Hoc est ministerium rufi edulij, quod hoc loco proponit scriptura sancta, quo contentio inter fratres de primogenitura dirimitur. Lentes verò non rufæ, sed flauę magis sunt. Ideo puto croco aut alio condimento præparatas esse, vt mouerent appetitum. Talia autem sunt præsentia bona huius mundi, quibus mirum in modum delectantur homines, vt potiùs commessationibus & liguritionibus indulgeant, quàm carnem & sanguinẽ filij Dei edant ac bibant, hoc est, credant & sectentur bona cœlestia: tantùm quæstum & gloriam mundi aucupantur, quorum tanta suauitas & oblectatio est, vt hominibus non famem tantùm, sed concupiscentiam quandam cieat. Ideo Esau repitione vtitur: ciba me quæso de rufo, de rufo isto.

Significat ergo scriptura sancta omnes fieri auariores, superbiores, carnaliores, amissa benedictione, quàm antea fuerunt. Quia omnibus est caro & sanguis, ideo nihil aliud quàm carnalia quærunt, & horribili cupiditate appetunt pulmentum rufum. Sed sub nomine Christi & Dei, sub titulo Ecclesiæ. Iacob etiam rufo edulio vescitur, sed nõ tam auidè, non vt Esau, rufum bis repetit, hoc est, pij vtuntur rebus præsentibus, non pro salute sed pro necessitate sua.

ECCLESIA DVRABIT VSQVE AD FINEM MVNDI.

Tom. 4. Ienens. fol. 524. Psalm. 90. Sed cur addit Moses, A generatione in generationem. Nimirum vt significet vnam Ecclesiam durantem à principio conditionis, vsq; ad finem mundi. Hoc enim est quod dicit. A quo die generatio seu ætas cœpit, Tu es habitaculum nostrum. Quasi dicat, semper fuit Ecclesia, semper fuit aliquis Dei populus, à primo homine Adam vsque ad nouissimum. Licet aliquando Ecclesia fuerit infirmissima, & sic dispersa vt nusquam appareret. Sicut sub Elia, vbi impius Rex Ahab veris cultibus interdixerat, & Prophetas magno numero crudeliter occiderat. Ita vt Elias quereretur se solùm esse reliquum seruum veri Dei. Fuit igitur Ecclesia tum sic abscondita, vt nusquam esset nisi in oculis Dei, qui dicebat, se sibi seruasse septem millia, qui non adorarant Baal. Sic in Papatu fuit & manslit Ecclesia, sed verè abscondita fuit, ita, vt iudicanti ex specie, quæ apparebat, videbatur nusquam esse. Atque hoc benè & diligenter notandum est. Primùm quòd semper fuerunt, sunt & erunt, qui confitentur Deum, qui sanè docent de Deo, etiamsi sint paucissimi.

ECCLESIA TECTA ET OBSCVRATA IN HAC VITA.

Genes. Cap. 32. Tom. 3. fol. 170. Deus abscondit Ecclesiam & nostram etiam salutem, sub obscuro & horribili tegumento, ad quod adsuescere nos oportet, ne desperemus, neue diffidamus, etiã in maximis periculis & aduersitatibus, quę obiiciuntur à Satana, mundo, aut Deo ipso. Sic enim inquit Paulus Coloss. 3. Vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Hęc est summa huius exempli. Nos non viuimus in carne, aut vt maximè in ea habitemus: tamen secundum eam non viuimus, nec militamus

militamus ſapientiæ & iuſticiæ carnis, multò minus auaricíæ, iracundíæ, vſuris: Iſta nõ ſunt noſtra arma. Sed in carne habitantes, viuimus in fide filij Dei. Nullam enim aliam vitam noui, quàm quòd credo in Patrem omnipotentem, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium eius, qui paſſus eſt pro me, &c.

Sed iſta non videntur? Sicut ſanè abſcondita in Deo: Ita tamen vt diabolus non poſsit auferre aut eripere hanc vitam quantumcunq; obſcuratam. Non enim glorificamur, non honoramur, non lætamur in carne, ſed mortificamur, morimur, patimur, confundimur, contumelijs adficimur, conſpuimur, & peſsimi omniũ hominum æſtimamur, quos ſi poſſunt tanquam hæreticos & ſceleratos ferro & igni è medio tollunt. An non ſunt hæc opercula vitæ grauiſsima? Sed ſub his latet pulcherrima & præcioſiſsima gemma, quæ dicitur: Credo in filium Dei.

Sicut enim caput noſtrum Chriſtus abſconditus eſt in Deo, ita Eccleſia tecta latet ſub hiſce operculis, & oportet eam ferre in mundo, vt dicat ſeditioſa, erronea, hæretica, colluuies peſsimorum hominum, qui vixerunt vnquam. Hęc opprobria ſuſtinet, **Daß ſind jre ſchöne edelgeſtein/die ſie tregt aufferden/jr Kleinot vñ gülden Ketten.** Hæ ſunt gemmę & clinodia pulcherrima & prędioſiſsima, quibus ornat eam Deus in hac vita. Sic enim in hoc exemplo depingitur, quomodo Deus eos priuatim, & vniuerſam Eccleſiã tentet ad exemplũ Iacob, quod cum ea lucteretur & ſe gerat tanq; aduerſariũ & hoſtẽ, qui deſerere, abijcere, imò perdere eam velit.

Si enim diligenter conſideres noſtrę Eccleſiæ ſtatũ, videmur nihil habere præter purũ verbum & Sacramenta, & habemus aduerſarios infinitos, principes, nobiles, ciues, domeſticos, diſcipulos, denicq; carnẽ noſtrã, quam circumferimus. Quia hæc eſt gloria noſtra, vexari, rideri etiam ab internis & domeſticis. Illa ſunt noſtra opercula, propter quę iudicamus Deum nequaquam velle nos pro ſuis agnoſcere & habere. Nihil enim minus conuenit Eccleſiæ, quàm facies iſta. Ego ipſe ſæpe cogitaui, cùm viderem tantum contemptum, faſtidium & odium verbi exiſtere in hominibus, poſt renatam lucem Euangelij: Cur cœpi docere? aut cur pergo? Cùm homines magis magisq; inſaniant aduerſus nos, & indies peiores fiant.

Sed ferenda iſta ſunt, & ſic ſtatuendũ eſt, Deus eſt, qui abſconditus eſt. Hoc eſt eius proprium. Reuera eſt abſconditus, & tamẽ non eſt abſconditus. Caro enim obſtat, quo minus eũ intueri poſsimus. Illa murmurat, dolet, fremit, indignatur & clamitat. Ego ſum miſerrimus, abiectiſsimus, contemptiſsimus. Ac ſanè verum eſt, Paſtores Eccleſiæ cum pijs non habent defenſionẽ Principum aut Regum, nec Ciuium etiam & Ruſticorum patrocinia, quæ debebantur ei, imò quæ iam habet, ſæpe eripiuntur, atq; ita rapinis & iniurijs omnis generis obnoxij ſunt. Ideò videtur Deus nos prorſus deſerere & abijcere. Quia eſt abſconditus nobis, & nos vnà cum ipſo abſcondimur. In fide autem, in verbo, in ſacramentis reuelatur & conſpicitur.

Rationem, ſapientiam, iuſticiam carnis, & lumen hoc ſolis, habet Deus pro loco opaco & caliginoſo. Ibi verò accedit verbũ tanquam flammula, lucens in mediis tenebris, & ſpargens radiolos per doctrinam & ſacramenta, eos iubet apprehendi Deus. Quod ſi amplectimur, tum non amplius nobis eſt abſconditus Deus in ſpiritu, ſed tantùm in carne.

Diſcamus igitur nos quoq;, quando mergimur in calamitates & ærumnas, & operimur tenebris, propter quas non poſſumus ſtatuere nos eſſe Eccleſiam, aut placere Deo, vt verbũ apprehendamus, **vnd laſſen sincken vñ fallen/waß da fellt/** nec moueamur aliorum ruina & defectione. Sed cogitemus nos eſſe in loco caliginoſo, prælucente verbi lichno. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Illa eſt lux vnica, quam nõ videt ſol, non ratio humana: ſed in corde lucet. Præter hoc verbum nihil ſciamus, nihil videamus. Eo enim ſolo lucente nihil eſt periculi, & veniet hora qua emergamus, & cum gaudio dicamus: Vidi Dominũ facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.

Vtiliſsimum igitur & pulcherrimum exemplum præbuit Iacob Eccleſiæ Dei, luctantis fidei infirmitate: ne ſecundum Monachorũ imaginationes cogitemus Patres & Prophetas fuiſſe ſaxa & ſtipites, in quibus nihil fuerit infirmitatis. Alioquin enim nobis deſperandum fuerit, quia in carne adhuc maximam infirmitatem ſentimus. Caro eñ murmurat, nec vult patiaut conculcari. Ideò querimur & clamamus nos indignis modis tractari. Inſpiciamus ergò ſanctiſsimos Patriarchas, & eorũ exemplo nos conſolemur, ſiquidem & ipſi nõ perpetuò firmi & fortes in fide fuerunt.

Iacob vberrimis conſolationib. cumulatus erat, non ſuis tantùm, ſed & parentis & aui Abrahæ & Iſaac: tamen luctatur cum ſumma infirmitate. Sic igitur cogita: Ego non ſolus ſum, qui tentor de ira Dei, de prædeſtinatione, de diffidentia, Ich bin ß nicht allein/ Omnes ſancti quotquot crediderunt vnquam, aut credunt etiam in filium Dei, experiuntur hoſce agones tentationum, quibus vel ipſi vel tota Eccleſia exercetur. Quid enim eſt totus hic cœtus, qui dicitur Eccleſia? eſt exigua turbula hominum miſerrimorum, abiectiſsimorum, & deſperatorum, coram mundo. Quid eſt turba illa ad totum orbem terrarum? Quid ad regnum Turcicum, Gallicum, imò etiam noſtros aduerſarios Pontificios?

Si igitur quæris vbi ſit Eccleſia? Nuſquam ea apparet. At verò non ad externã formam reſpiciendum eſt, ſed ad verbum, ad baptiſmum, & ibi quærenda eſt Eccleſia, vbi Sacramenta integrè adminiſtrantur, vbi ſunt auditores, doctores, confeſſores verbi, ſi adhuc non apparet, memineris bona noſtra eſſe abſcondita, nec poſſe in hac vita perſpici magnitudinem eorum. Vir adhuc luctatur: Sed eſt ſine periculo, imò lætiſsimum exitum ſortitur certamen hoc.

CAPVT ECCLESIAE CHRISTVS.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 565. Michæ cap. 4. Hîc non inconueniens eſt, arguere blaſphemiam impudentiã Papiſtarum, in tanta verbi luce nondum ceſſantium, à defenſione primatus Pontificij, quòd Pontifex Romanus ſit caput Eccleſiæ in terris. Sed Propheta diſertè dicit: Dominus regnabit ſuper eos in monte Zion, à nunc vſq; in ſeculum. Montis Zion meminit, vt ſignificet populum ſeu Eccleſiam in terris. Hæc aliud caput non habebit, quàm Dominum Chriſtum. Non enim is ſic deſeruit Eccleſiam ſuam, vt alio vicario opus ſit. Miniſtros habet in Eccleſia ſua, Dominos & Reges non habet. Ideò Antichriſticum eſt, quòd Papa hanc dignitatem affectat, ac planè impium, quòd etiam eam defendit. Nam pij ſequuntur Chriſtum gulam. Reges gentium dominantur gentibus, vos autem non ſic.

DE BONIS ECCLESIAE.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 482. Pſal. 45. Eſt igitur hoc ſummum quòd Eccleſia habet omnia quę ſunt Chriſti, & factum eſt vnum corpus ex vtroq;, vt quæ ſunt Eccleſiæ, ſint Chriſti, & econtrà quæ Chriſti ſunt, ſint Eccleſiæ. Sunt autẽ hæc maiora, quàm vt humana ratione poſsint explicari, aut etiam à corde noſtro comprehendi.

Sunt tamen adumbrata tenuiter in Matrimonio, vbi ſummus ſponſi erga ſponſam amor eſt, vna fides, vnum corpus, & vnus animus. Inter Chriſtum autem & Eccleſiam res vera eſt, cum in Matrimonio corporali tantùm ſunt ſpectacula & figuræ, iſtarum ſpiritualium nuptiarum, vbi Chriſtus ſponſus eſt, & omnia quæ habet, donant Eccleſiæ. Hæc igitur eſt Eccleſiæ ſuperbia, quòd gloriamur nõ in noſtra ſapientia & iuſticia, ſed in iuſticia & ſapientia ſponſi noſtri, & in omnibus quæ ipſe habet. Quia in corporali Matrimonio, quando coniunguntur maſculus & fœmina, fit vnum corpus, communia bona, liberi communes & omnia, vxor æquè eſt Domina ſuper res mariti, ac ipſe maritus, & nihil differt à marito, niſi quod maritus eſt Dominus vxoris. Sed reſpectu aliorum, qui non ſunt mariti, eſt vxor Domina omnium, ſicut maritus.

Sic Eccle-

Sic Ecclesia agnoscit Christum Dominũ, & respectu aliorum hominum, dicit de omnibus donis sponsi sui, hæc mea sunt. Quod si obstrepit peccatum, apprehendit Christi sui sponsi iusticiam, & dicit: habeo iusticiã sponsi, illa mea est, tu igitur tace. Similiter cùm aggãnit Diabolus, & vult terrere, hic vertit vultũ ad sponsum, & dicit diabolo: si tu in me inuenis peccatum, in Christo qui meus est, nulla peccata inuenis. Mitte igitur me. Sic cum tristicia vexat, dicit, in sponso meo est vita, gratia, pax, gaudium, salus, hæc mea sunt, quia Christus est meus, cur igitur me terres? Sic est simpliciter Domina & Regina potentissima, supra mortem, peccatum, terrores & omnia, quæ sunt diaboli, & possidet plenissimo iure in Christo, vitam, iusticiam, gratiam & salutem, tanquam regina.

Sed quia hæc vulgata sunt, Christum esse sponsum Ecclesiæ, ideò etiam contemnuntur, & accidit vt Episcopi, pontifices, sacerdotes, se sponsos Ecclesiæ appellarint. Quod tamen ne quidem Sanctus Iohannes Baptista de se dicere ausus est, sed solùm amicum sponsi se appellat. Ergò Papa & Episcopi, etiamsi pij sunt, tamen non sunt sponsi, sed tantùm amici & ministri sponsi. Nam vnus est sponsus Iesus Christus, qui huic sponsæ dat omnia. Diabolus igitur illas appellationes Papæ & Episcopórum inuexit, vt obscuraret nobis hæc dulcissima verba. Quæ quia sunt in omnium ore & assiduo vsu, ideò negliguntur. Sed si benè acuerentur & vrgerentur, cogitando, dicendo, & credendo, tunc afferrent summam consolationem. Quia remissio peccatorum, & totus thesaurus diuinæ misericordiæ, non potuit magnificentius pingi & ostendi, quàm quòd Ecclesia dicitur sponsa Christi. Quia ex hac pictura sequitur, quòd sponsa habet omnia, quæ sunt Christi. Quid autem Christus? nempe æternam iusticiam, sapientiam, potentiam, veritatem, vitam, læticiam, gratiam. Ecclesia igitur est Domina & Regina misericordiæ, vitæ, salutis & omnium.

Quæ igitur de B. Maria virgine in templis cecinerunt, ea de Ecclesia rectius canerentur, & cani debebant, quòd Ecclesia dominatur morti, peccato, inferno, Diabolo, omnibus terroribus & malis, quæ sunt in dæmonibus & hominibus, non suis virtutibus aut meritis, sed sponsi Christi, qui omnia hæc pulcherrima ornamenta collo eius circumdedit, qui conculcauit pro ea mortem, largitus est ei vitam, ac sanguine suo redemit eam ab omnibus periculis. A sponso igitur omnia illa habet. Et dicit iure ad hæreticos: Mea est sapientia. Ad gentes: mea est iusticia. Ad Iudæos: meus est cultus & religio. Ad mortem: mea est vita. Ad peccatum: mea est remissio peccatorum. Ad legem, mea est libertas. Ad terrores: mea est pax & lætitia. Non per me ipsam, aut meis viribus, sed per Iesum Christum sponsum meum. Hæc est illa pulcherrima commutatio, vt illa misera Ecclesia in oculis hominum, tam sit ornata in oculis Dei.

Nam si speciem spectes, Nullus est hereticus, qui non eam vincat sapientia, nullus tam infirmus Diabolus, qui eam non superet viribus, nullum tam exiguum peccatum, quòd non eam turbet, & ad tristiciam compellat. Sic terretur morte & alijs malis, vt videatur secundum speciem Diaboli esse sponsa, quæ nihil commune cum Christo habeat, sed ab eo sit deserta. Est igitur assuescendum, vt paremus nobis habitum, & leuemus corda sursum, nec iudicemus, secundum id quod sentimus, hoc enim si facimus, perimus. Quia sentimus in nobis adhuc multum peccatorum aceruorum in carne, & sagittarum Diaboli. Ego sæpe irascor, sæpe sum negligens in docendo & orando, hæc cùm video, perturbor.

Verùm non est iudicandum secundum iudicium nostrum, de nobis ipsis. Ratio enim sic concludit, Quod quicunq; habet peccatũ, est odibilis Deo. Ego habeo peccatum, ergò sum odibilis Deo, ac timeo Deum iratum. Tu dicas: Non sic, sed aperi oculos, & supera peccatum & sensum peccati, & dic: siue sit in me peccatum, siue non, nihil curo, siue adsit sensus mortis, siue non adsit. Altius est ascendendum,

nempe ad sponsum meum, per fidem in verbum eius, & dicendum, si adest peccatum nihil moror. Est enim mihi prohibitum, vt vel de me secundum sensum meum, vel de Ecclesia secundum speciem externam iudicem: Sed est præceptum, vt iudicem secundum verbum promissionis. Euangelium autem aliud dicit & monet, quàm sensus meus, Nempe quòd sit vnus, in quo non est peccatum, nec dolus in lingua eius, qui vicit in se mortem, mundum & peccatum. Qui dicit, Confidite, ego vici mundum, peccatum vobis vltrà non dominabitur, & si qua sunt similia in sacris literis. Hunc vnum scio, & hoc etiam scio, quòd est sponsus factus, & communicauit sponsæ suæ Ecclesiæ omnia quæ habet: Eius Ecclesiæ ego sum pars. Habeo enim certa symbola & signa, nempe Baptismum, Euangelium, Eucharistian, quæ testantur me esse membrum Christi, &c.

Hæc est magna consolatio & cognitio, quæ non tam citò intelligitur quàm vellem. Nam si eam plenè complecti possemus, nunquam sensum aliquem vel mortis, vel peccati sentiremus. Defectus autem quòd non plenè hæc intelligimus, facit, vt nos vexet conscientia, perturbent pericula, perterrefaciat cogitatio mortis & afflictiones. Hic defectus est in apprehensione nostra, non est in Christo. Sicut autem, qui in medio flumine mersus fortè apprehendit ramum arboris, quo se, quamuis ægrè, sustentat, ne pereat. Ita nos quoq; in medijs peccatis, morte, turbationibus apprehendimus Christum infirma fide, ea tamen fides quantulacunq; sit, tamen seruat nos & dominatur morti, ac conculcat Diabolum & omnia.

Sunt ergò magna verba & inæstimabilia, quando audis Iesum Christum esse sponsum, & Ecclesiam esse sponsam, Imò sunt cœlestia & infinita verba, quæ nullius hominis corde capiuntur, nec vnquam perdiscí possunt. Qui igitur gloriantur se hæc nosse, illis dic, Quòd tantùm sonum quendam huius doctrinæ audiuerint, & quasi procul fumum viderint, rem autem planè ignorent. Dico autem hæc ideò, vt vos excitem ad illa verba Spiritus sancti ponderanda, quæ in nostram consolationem loquitur, vt discamus ea magnificè dilatare. Nemò enim est, qui in hac parte nimis audere possit, & Christum nimis fortiter amplecti, Nihil hìc est nimium. Apprehende quantum potes, & tamen videbis te deficere, nec posse tantùm fidere in hunc sponsum, quantùm ipse exigit & nobis opus erat. Adsunt enim Satan, peccatum, caro, sanguis, ratio nostra, ea repugnant huic apprehensioni. Et tamen si apprehendis, siue parum, siue multum, habes sponsum, & per eum vitam & salutem.

Facies igitur Ecclesiæ, est facies peccatricis, vexatæ, desertæ, morientis & contristatæ. Quidquid enim totus Satan est & habet, hoc Ecclesia patitur. Sic igitur hæc distinguenda sunt. Quòd Ecclesia cum reliqua parte, quæ adhuc superest, hoc est, cũ carne fluctuat, in his malis, sed corde regnat & triumphat in Christo, vt Paul. dicit Ephes. 2. Consedere nos fecit in cœlestibus cũ Christo, &c. Con resuscitauit, conuiuificauit, per quid? fidem. In vocabulo igitur sponsi comprehenditur infinita misericordia, & inæstimabilis grátia, qua sumus participes omniũ rerum sponsi. Sicut igitur Materfamilias in domo se gerit, erga illos qui non sunt mariti, sic Christianus gerere se debet, erga omne quod non est Christus. Quia scit se esse Dominum super peccatum, mortem, & omnia mala Diaboli, Non per cucullum, aut alia opera, ac ne quidem per legem Dei, sed per suum sponsum Christum, in quo fide hæret.

Hæc discenda sunt, vt gloriam nostram exaltemus, & sciamus dona nostra amplificare & dilatare, vt sol & luna præ nostris donis vilescant, & satan cum omnibus cædibus & terroribus rideatur. Amara quidem est mors, amaræ aliæ clamitates & adflictiones, sed nihil ad Christũ, in cuius comparatione sunt, sicut vna guttaaquæ ad mare, vel potiùs ad incendium extremi diei comparata, vt sic magnificetur Christus in cordibus nostris & ore nostro, vt discamus apprehendere infinitum & inenarrabile nostrum donum, quod, quanquam nullius oratione dignè potest dici, tamen assuescendum est, vt de eo multùm loquamur, idq; quantum possimus amplificemus.

ficemus. Neq; enim est superbia dicere ad peccatum, fuge hinc ad Diabolum, sine me. Sum enim Dominus tuus. Quia Christus est Dominus, cum hoc sum confusci-tatus, & collocatus cum eo in cœlestibus. Regno igitur & debeo exercere regnum vt assuescam.

Hæc dicere inquam non est superbia. Sed vendica tibi omnia quę sunt Christi, & assuefac te ad ius tuum possidendum, & videbis quàm sit difficile. Sumus enim reuera reges super ista mala, & Domini omnium bonorum, quæ sunt in Christo, ac gestamus omnes aureas coronas, sed fide, quæ fides cum specie diuersa luctatur. Ni hil igitur est hac superbia spirituali difficilius, quæ est in Christo. Atq; vtinam hanc superbiam perfectè discere & exercere possimus, vt dicamus ad satanam: Quid mihi facere potes cum omnibus peccatis, cum morte & omnibus malis? Apud sapientes mundi es aliquid, apud Turcam, Papam, Principes, es magnus Dominus, sed mihi collatus es vnum nihil, mihi inquam, non in quantum sum persona, sed in quantum sum baptisatus & credo in Christũ, & sic superbimus & gloriamur etiam in tribula-tione, Sicut Paulus dicit, & irridemus satanam & mundũ, ac dicimus: Quid ad me, etiamsi Diabolus & Turca furant? Quid ad me, etiamsi peccatũ mordeat? scio enim quòd Dominus meus Iesus Christus, nõ contristat, sed Diabolus contristat sub spe-cie Christi. Christus autem nihil est, nisi vita, gaudium, gratia & pax, &c.

Ergò in hoc omnes incumbamus præcipuè, vt Christum benè discamus co-gnoscere, vt arrogemus nobis cum omni superbia, illum triumphũ & maiestatem il-lam, quam habemus in Christo, & dicamus Diabolo, vale, quantumuis indignetur & furat. Est enim in gloria Dei superbiendum, non in stercoribus operum & meri-torum nostrorũ, sed quòd sponsus est omnipotens in Ecclesia, quæ quanquam one-rata est variis malis, tamen habet sponsum, qui in se recipit eius mala, & communicat ei potentiã & gloriam suam. Atq; hoc est quod dicit: Stat regina in auro ophir, debet enim egregiè ornata esse præ cæteris, quòd tota Ecclesia plus habet donorũ, quàm singuli Christiani. Omnia enim bona in ea sunt, hoc est, est in ea merus Christus, me-ra sapientia fidei, vita & gloria. His est ornata ab imo pedis vsq; ad verticem, vt nihil malorum in ea conspiciatur, & nulla macula deformitatis appareat, sed coram Deo, & extra conspectum hominum. Deus enim nullam rugam in ea conspicit, quia nihil in ea videt nisi suum filium. Quo Ecclesia induta est, ex quo habet salutem, vitam & gloriam, quæ in Christo est. Quod si peccatum adest, id Diabolus cernit, & singuli in conscientia sentimus, sed Deus non videt. Nam propter filium Christum, quo est induta, tota est formosa, sine macula & rugis, quia Christus totus formosus & sine macula est. Quare Ecclesia quoq; per ipsum & in ipso vestita, talis est.

ECCLESIA HABET POTESTATEM IVDICANDI DE DOCTRINA.

Tom. 2. Ienens. fol. 562. contra Regem Angliæ. De doctrina cognoscere & iu-dicare pertinet ad omnes & singulos Christianos, & ita pertinet, vt anathema sit, qui hoc ius vno pilo læserit. Christus enim ipse hoc ius statuit inuictis & variis sen-tentijs. Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniũt ad vos in vestimentis oui-um. Hoc verbum certè dicit ad populum aduersus Doctores, & mandat eis, vt falsa dogmata eorum vitent. At quomodo vitare possunt nisi cognoscent? Quomodo cognoscere, nisi ius habeant iudicandi? Nunc autem non solùm ius, sed præceptum iudicandi statuit, vt hæc sola autoritas satis esse queat aduersus omnium Pontificum, omnium Patrum, omnium Conciliorum, omnium Scholarum sententias, quæ ius iudicandi & decernendi solis Episcopis & ministris tribuerunt, & impie ac sacrile-ge populo, id est, Ecclesiæ reginæ rapuerunt. Stat enim Christus dicens: Attendite à falsis Prophetis.

Huic subscribunt fermè omnes omnium Prophetarum syllabæ. Quid enim agunt Prophetæ, nisi quòd populum monent, ne falsis Prophetis credat? At quid

est hoc monere, nisi iudicandi & cognoscendi ius penes populum esse, declarare & confirmare, ipsumq; sui operis commonefacere & excitare aduersus omnes omnium suarum Sacerdotum & Doctorum doctrinas?

Quare hîc concludimus, Quoties Moses, Iosue, Dauid, omnesq; Prophetę in veteri lege populum à falsis Prophetis vocant & monent, toties clamant, mandant, confirmant, excitant, ius cognoscendi & iudicandi omniũ omnia dogmata. At hoc infinitis locis faciunt. Habet hîc Henricus noster, aut vllus impurus Thomista, quòd istis agganniat? Nónne obstruximus os loquentium iniqua?

Redeamus ad nouã legem. Christus Iohan. 10. dicens: Oues meæ vocem meam audiunt, vocem verò alienorũ non audiunt, sed fugiunt ab eis. Nónne hîc oues facit iudices, & ius cognitionis transfert ad auditores. Et Paulus cùm 1. Cor. 14. dicit: Vnus dicat, cæteri iudicent. Quod si sedenti reuelatũ fuerit taceat prior. Nónne & hîc iudicium penes auditorem esse vult? Sic quicquid Christus Matth. 24. & vbiq; de falsis doctoribus, quicquid Petrus & Paulus de falsis Apostolis, Magistris, & Iohannes de probandis spiritibus præcipiunt, eò pertinet, vt iudicandi, probandi, damnandi autoritas apud populum sit, idq; iustissimè.

Nam vnusquisq; suo periculo rectè aut falsè credit, ideoq; cuiq; pro se curandũ est, vt rectè credat, vt etiam cõmunis sensus & salutis necessitas vrgeat, necessario iudicium doctrinę penes auditorẽ esse. Alioqui frustrà dicitur: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et iterum. Spiritualis omnia dijudicat, & à nemine iudicatur. At quilibet Christianus est Spiritualis à spiritu Christi, omnia vestra inquit, siue Apollo, siue Paulus, siue Cephas, id est, de omniũ dictis & factis iudicandi ius habetis.

Tu nunc vide, cuius Spiritus fuerint sacrilega illa & abominanda concilia, quę aduersus tanta totius scripturę fulmina, apertissimas q; sententias ausa sunt sibi, pontificibus arrogare ius iudicandi & cognoscendi, insuper & imperandi & condendi. Absq; dubio satanæ istę fuerunt cogitationes, quibus in orbem inundauit operationes erroris, & abominationem in loco sancto statuit, securissimaq; tyrannide, postquam populo erepta est autoritas iudicandi, quam pauere cogerentur falsi doctores, & patefacta via per stolidam populi, superstitio samq; obedientiam & patientiam, vniuersis erroribus & abominationibus irruendi.

Et vt hîc mei Henrici & Sophistarum recorder, qui à longitudine temporũ, & multitudine hominũ pendent cum sua fide. Primùm negare non potest, huius rapti iuris tyrannidẽ vltra mille annos durasse. Nam in ipso concilio Niceno, omnium optimo, iam tum incipiebant leges condere, & ius istud sibi vendicare. Atq; ab eo tempore hactenus inualuit, vt nihil receptius sit, nec firmius aliquid quod multitudine hominum & diuturnitate probari possit, quàm hoc ius. Adeò vt nemo id non putet hodie sanum, rectum ac diuinum esse. At hîc vides sacrilegium, & impietatem esse aduersus euidentissimas & inuictas scripturas Dei.

Quare si tantus error & tale sacrilegium tanta longitudine temporis, tota multitudine hominum, vel consentiente vel seducta, vel probante, regnauit aduersus veritatem Dei, semel volo hîc omnibus Sophistis & Papistis capitale eorum argumentum de longitudine & multitudine ad puluerum vsq; contritum, & os obstructum, vt videant, cur Deus nolit nos illi creaturæ, quantumuis longæ & multæ & magnæ credi, sed soli suo infallibili verbo.

Habemus itaq; absq; omni controuersia ius de doctrinis cognoscendi & iudicandi, seu probandi esse penes nos, nõ penes Concilia, Pontifices, Patres, Doctores. At hinc non sequitur, esse simul penes nos ius condendi leges, nam hoc solius Dei est. Nostrum est legem & verbum eius cognoscere, probare, iudicare, & secernere, ab omnibus alijs legibus, sed nequaquam condere aut mandare. Neq; enim sequitur ex verbo Christi: Attendite à falsis Prophetis, ergò vestrum est Prophetare. Imò vt Petrus ait: Nunquam voluntate humana est allata Prophetia, & nulla interpretatio scripturæ

scripturę fit ex proprijs, sed inspiratione Spiritus sancti locuti sunt sancti Dei homines. Ita non sequitur: Oues meę vocem meã audiunt, ergò oues vocẽ meam cõdent vel facient, imò contrarium sequitur. Vocem meam ego condo, oues autem conditam agnoscunt, probant & sequuntur.

Quare videmus hîc, omnes Pontifices, omnia Concilia, omnes Scholas, qui aliud in Ecclesia sonant, quàm verbum Dei solius, esse lupos, satanæ ministros, & falsos Prophetas.

At hîc dicent: si singulorum est ius iudicandi & probandi? Quis erit modus si iudices dissenserint, & vnusquisq; secundum suum caput iudicarit? Quare necesse est vnum esse, cuius iudicio stent cæteri contenti, vt salua sit vnitas Ecclesiæ.

Respondeo: Hoc cauillũ nullos rectius decet quàm Thomistas. Quæro enim & ego: Quis hodie modus est, vbi omnes iudicio vnius Papæ stant? Vbi hîc est vnitas salua? An hoc est vnitatem esse saluam, externo Papæ nomine vniri? vbi manet vnitas cordium? Quis est certus in conscientia sua, Papã rectè iudicare? At nisi certus non nisi confusissima Babylon, vt nec lapis super lapidem sit, nec cor cum corde sentiat, vt videas, quàm feliciter medeatur rebus spiritualibus humana temeritas suis statutis. Alia igitur via vnitas Ecclesiæ quærenda est.

Hæc est quam Christus ponit Iohan. 6. Erunt omnes docti à Deo, omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me. Ille inquam internus Spiritus, solus vnanimes habitare facit in domo. Hîc docet idem sapere, idem iudicare, idem cognoscere, idem probare, idem docere, idem confiteri, idem sequi. Vbi ille non fuerit, impossibile est vt vnitas sit. Et si qua fuerit externa & ficta est.

Quare & Deo nihil curę est, vt impij homines vnum vel non vnũ sint, qui vnitate spiritus inanes sunt, suis filijs ad externam veritatem sufficit, vnum Baptisma & vnus panis, tanquã communes characteres & symbola, per quæ fidei suæ & spiritus vnitatem profitentur & exerçent. Papistica Ecclesia suam vnitatẽ in vnitate externi sui idoli Papæ locat, interne autẽ confusissimis erroribus dispersa in omnes voluntates Satanę. Plura vide si cupis eodẽ Tom. fol. 584. de instituẽdis ministris Ecclesię.

DISCRIMEN INTER VETERIS ET NOVI TESTAMENTI ECCLESIAM.

Tom. 4. Ienens. fol. 397. Psalm. 51. Neq; hîc inter præsentẽ Ecclesiam fidelium, & illos in lege aliud interest, quàm quòd isti hanc aspersionem futuram credebant, nos credimus eam exhibitã & consummatam esse. Atq; hęc summa est huius versus, quòd Dauid primùm illas legis mundationes abijcit, tanquam inutiles ad iustitiam. Deinde petit aspergi verbo fidei de Christo venturo, qui aspersurus sit sanguine suo Ecclesiã suã. Hoc verbũ orat, vt audire & credere possit, sicut sequentia clarius ostendent. Hac fide seruati sunt Sancti in veteri Testamento, sicut nos quoq; seruamur. Quanquã nostra cõditio longè melior est, quòd hæc in clara luce videmus, nec tantùm in verbo audimus, sed inuoluta symbolis accipimus, in Baptismo & Cœna. Ideò Christus dicit: Multi Reges & Prophetæ optarunt videre, quæ vos videtis. Eadẽ tamen fides vtrinq; est, qua saluamur nos & illi. Quare si quis interroget, quomodo Dauid posit petere hanc aspersionẽ sanguinis Christi nondũ impletã, facilis responsio est. Eandẽ aspersionẽ semper in mundo fuisse, qua credentes à peccatis sunt abluti, nempe aspersionẽ per sanguinẽ Christi. Tantùm esse differentiam temporis, quod ipsis futura, nobis exhibita & præterita sit aspersio illa. Quam si qui per incredulitatem non accipiunt, non ea sanguinis Christi, sed incredulitatis culpa est.

ARGVMENTVM PAPISTARVM CONTRA NOS QVOD SINT ECCLESIA.

Tom. 3. Ienens. fol. 355. Iesai. cap. 28. Et nos hodie hoc argumẽto à Papistis impetimur. Quia eñ sedent in officio & habent administrationẽ sacramentorũ, ideò volunt esse Ecclesia. Hoc est fortissimũ ipsorũ Argumentũ cõtra nos, in quo caro planè

ſubmergitur. Putatis ne, inquiunt, vos paucos eſſe Eccleſiã, cùm nos tam multi magni & potentes, ſedeamus in officio? Nos ergò ſimpliciter reſpondemus, ſicut Paulus Iudæis, ſiue multi, ſiue magni ſitis, ſi non creditis in Chriſtum, & fiditis iuſticia Chriſti, nihil curamus. Non enim ideò eſtis Eccleſia, quia in officio Eccleſiæ eſtis, ſcriptum eſt enim, quòd abominatio poteſt ſtare in loco ſancto, & quòd Antichriſtus ſedebit in templo Dei. Eccleſia igitur probatur à fide in Chriſtum, & non vel ab officio vel multitudine. Hæc proba eſt lydius lapis & certiſsima regula, &c.

ECCLESIA NON POTEST ERRARE OBIICIVNT PAPISTAE.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 24. Galat. cap. 1. Valdè ſpecioſum & robuſtum hoc argumentum Pſeudoapoſtolorum fuit, quòd & hodie plures commouet, ſcilicet, Apoſtoli, ſancti Patres, & eorum ſucceſſores ſic docuerunt, Eccleſia ſic ſentit & credit. Impoſsibile eſt autem quòd Chriſtus tot ſeculis Eccleſiã ſuam errare ſinat. Tu certè ſolus non ſapis plus, quàm tot ſancti viri & tota Eccleſia, &c. Hoc modo Diabolus in Angelum lucis transfiguratus, per virulentos quoſdam hypocritas, hodienos inſidioſè adoritur, qui dicunt, Nihil moramur Papam, Epiſcopos, ſummos verbi contemptores & perſecutores, deteſtamur etiam hypocriſin & impoſturam Monachorum, &c. Sed ſacroſanctæ Catholicæ Eccleſiæ autoritatem cupimus illæſam. Ea tot ſeculis ſic ſenſit & docuit, ſic ſenſerunt & docuerunt omnes primitiuæ Eccleſiæ Doctores, viri ſanctiſsimi, multò maiores ac doctiores te. Quis tu es, quòd aulis ab his omnibus diſſentire, & nobis diuerſum dogma obtrudere? Quando Satan hoc vrget, & conſpirat cum carne & ratione, perterrefit conſcientia & deſperat, niſi conſtanter ad te redeas, & dicas, ſiue S. Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, ſiue S. Petrus, Paulus, Iohannes, imò Angelus è cœlo, aliter doceat, tamẽ hoc certò ſcio, ſd humana non ſuadeo, ſed diuina, hoc eſt, quòd Deo omnia tribuo, hominibus nihil.

Memini initiò meę cauſę D. Staupitium, tunc ſummum virum, & vicarium ordinis Auguſtiniani ad me dicere. Hoc mihi (inquit) placet, quòd hæc doctrina quam prædicas, gloriam & omnia ſoli Deo tribuit, hominibus nihil. Deo autem (id quod luce clarius eſt) nimiũ gloriæ, bonitatis &c. attribui non poteſt. Ea vox vehementer tum me conſolabatur & confirmabat. Et verum eſt, doctrinam Euangelij adimere hominibus omnem gloriam, ſapientiam, iuſticiam, &c. & iſta tribuere ſoli creatori, qui ex nihilo omnia facit. Multò autem tutius eſt tribuere nimium Deo, quàm hominibus. Ibi enim cum fiducia dicere poſſum: Eſto ſanè, Eccleſia, Auguſtinus & alij Doctores, item Petrus, Apollo, imò etiã Angelus è cœlo diuerſum doceant, tamen mea doctrina eſt eiuſmodi, quòd ſolius Dei gratiã & gloriã illuſtrat & prædicat, & omnium hominum ſapientiam, iuſticiam, (in cauſa ſalutis) damnat. Hîc peccare non poſſum, quia tribuo Deo & hominibus, quod propriè & verè vtriſq; competit.

At ais, Eccleſia eſt ſancta, Patres ſunt ſancti. Benè. Sed Eccleſia quamlibet ſancta, tamen cogitur orare, Remitte nobis debita noſtra. Sic Patres quamlibet ſancti, tamen per remiſsionem peccatorum ſaluati ſunt. Ergò neq; mihi, neq; Eccleſiæ, neque Patribus, neq; Apoſtolis, neq; Angelo è cœlo credendũ eſt. Si quid contra verbũ Dei, docemus. Sed verbũ Domini ſtet in æternũ. Alioqui hoc argumentũ Pſeudoapoſtolorũ maximè valuiſſet contra Pauli doctrinam. Quia profectò magna, magna inquam res fuit, opponere totam Eccleſiam, cum toto choro Apoſtolorũ Galatis, contra Paulum vnicum & eum recentiorem ac minus autoritatis habentem. Firmiſsimum ergò hoc argumentum fuit, & potenter concluſit. Nemo enim libenter dicit, Eccleſiam errare, & tamen neceſſe eſt dicere eam errare, ſi extra vel contra verbum Dei aliquid docet.

Petrus Apoſtolorũ ſumus viuebat & docebat extra verbũ Dei, ergò errabat. Neq; Paulus hũc errorẽ (licet in ſpeciẽ leuis videbatur) diſsimulauit. Quia videbat hoc ceſſurũ in perniciẽ totí Eccleſię, ſed in faciẽ illi reſtitit, repręhẽdens in eo ſd ſecundũ veri-

veritatem Euangelij non ambularet. Infrà cap. 2. Igitur neq; Ecclesia, neq; Patres, neq; Apostoli, neq; Angeli audiendi sunt, nisi afferant & doceant purũ Dei verbũ.

Hoc argumentum & hodie maximè prægrauat causam nostram. Nam si neq; Papæ, neque Patribus, neque Luthero, &c. credendum est, nisi doceant purum Dei verbum, cui tùm credendum est? Quis interim certas faciet cõscientias, vtri purum Dei verbum doceant, nos, an aduersarij nostri? Nos Papistis non credimus, quia verbum Dei non docent, neq; possunt docere. Econtrà ipsi acerrimè nos oderunt, & insectantur vt pestilentissimos hæreticos ac seductores. Quid hîc faciendum? Num cuiuis fanatico spiritui permittendum, vt doceat quæ velit, cùm mundus neq; audire, neq; ferre, nostram doctrinam possit? Vt maximè enim cum Paulo gloriemur, nos purum Christi Euangelium docere (cui non solùm cedere debeant, Cæsar, Papa, & totus mundus, sed etiam obuijs manibus, & summa gratiarum actione suscipere, exosculari, & diligenter curare, vt vbiq; doceretur. Si autem aliquis diuersum doceat, siue sit Papa, siue S. Augustinus, siue Apostolus, siue Angelus è cœlo, eum esse cum suo Euangelio Anathema.) Nihil tamen proficimus, sed audire cogimur, hanc nostram gloriationem non solùm esse superbam, temerariam, vanissimam, sed & blasphemam, ac Diabolicam. Si verò demittimus nos & cedimus furori aduersariorum, tum vtriq; & Papistæ & fanatici spiritus superbiunt. Hi aliquid noui, q̃d mundus anteà non audiuit, afferre & docere: Illi verò suas abominationes rursum erigere & confirmare volunt. Quis q; igitur videat, vt certissimus sit de sua vocatione & doctrina, vt cum Paulo certissimè ac securissimè ausit dicere, Etiamsi nos aut Angelus è cœlo, &c.

QVAE SIT VERA CAVSA TVRBARVM IN ECCLESIA.

Tom. 4. Ienens. fol. 423. Psalm. 1. Graduum. Ego sum pacificus, sed cùm loquor, ipsi belligerantur. Hoc est conscientiæ meæ testimonium, quòd sum pacificus & quæro pacem. Vnde igitur turbæ & bellum hoc? à me quidem, sed sine mea culpa. Si enim ego tacerem, & istos perturbatores sinerẽ prout libet loqui & agere omnia, maneret pax, nihil contra me mouerent. Sed quomodo possumus tacere, quæ vidimus, quæ audiuimus, quæ deniq; iussi sumus prædicare, non in cubilibus, sed in tectis? Sic enim dicit Christus: Ite prædicate Euangelium omni creaturæ. Item. Nemo abscondit lumen subter modium. Hæc faciunt vt verbum in nostro ore sit ceu ignitus carbo, qui nõ potest teneri, sed cogit ad aperiendum os. Hinc igitur illæ turbæ oriuntur, quòd tollunt mandatum Dei, & nos tacere volunt, sed cur ipsi non potius sequuntur nostra? Sit igitur in tali periculo, hæc nostra consolatio, quòd sumus pacifici, etsi ipsis occasionem turbarum dedisse iudicamur. Non facilè est superare scandala illa, cùm aut Satan, aut sapientes homines ea exaggerant, & causam in nos reijciunt, quòd nos ea excitauerimus, pertinaciter resistendo, cedendum fuisse potius, quàm vt sic animi exacerbarentur. Sicut Erasmus in Diatribe sua disputat, Esse plerosq; morbos, quos præstet omnino non tangere, quàm, cum tanto periculo, medicinã tentare. Sunt hæc sapienter dicta. Et nos ipsi videmus satis incommoda talium scandalorum, videmus contemptũ grauissimum verbi, videmus licentiã & disciplinæ dissolutionem, quæ sub Papatu tanta non fuit. Sed quid ista ad nos? Quod enim loquimur, quod pugnamus verbo, facimus iussi, nec licet nobis detrectare autoritatem iubentis Domini. Hîc igitur fit quod Christus in Euangelio dicit: In pace esse domum, cùm fortis armatus eam solus tenet, sed cùm venit fortior, tùm moueri turbas. Cur autem fortis non potius cedit fortiori?

Ergò hęc nostra est consolatio, quòd quantumuis plurimum turbarum in Ecclesia est, nos tamen conscientiæ nostræ testimonio nitimur, quòd nihil aliud faci-

mus,

mus, quàm quòd loquimur. Id autem facimus non nostra voluntate, sed iussi legitima vocatione. Ergò non vitam, non opera nostra accusant, sola doctrina culpam sustinet, quæ non nostra sed Christi est. Si igitur indignantur ideò, quid ad nos? Oportet enim nos loqui, oportet confiteri Deum Patrem, Filium eius Christum Iesum, & sanctum Spiritum, oportet vt homines purè doceantur, non solùm de vsu Sacramentorum, sed etiam de substantia, quid verè sint, quid non sint. Nisi enim hæc doceant & explicentur, quid remanebit de regno Christi? Quare potius quàm aliquid regno Christi & gloriæ eius decedat, ruat non solùm pax, sed cœlum & terra. Hoc periculũ sapientes illi non vident. Itaq; tanti faciunt istam necessariam iacturam tranquillitatis, quæ sub Papatu fuisse vita est. Nos contrà amplificemus gloriam Dei, & fructus qui nascuntur ex pura prædicatione, & contemnamus istas voces quibus nimis molestè nos onerant Epicuri isti, qui nihil quàm pacem & tranquillitatem laudare possunt, videte inquiunt, quot subitò mala emerserint. Vnde? Nimirum ex doctrina Euangelij. Nam ante eam nihil tale fuit, non fuerunt Sacramentarij, non Anabaptistæ, non seditiosi, nunc ista sic inualuerunt, vt nullus eorum videatur finis fore. Quid igitur suadetis vt faciamus? Tacete. Ad hoc consilium decurrunt isti admiratores tranquillitatis & Epicuri.

Sed aperi tu oculos, & non solùm intuere in ista incommoda externa, sed vide etiam quæ fuerit turbatio in Papatu, quot & quanta monstra impietatum fuerint. Nusquam vnum verbum purum audiebatur, de peccato, de gratia, de merito Christi, & de fide, de exercitijs Sanctorum operum, de magistratu, de alijs vitæ generibus. Omnia erant conspurcata pestilentibus glosis. Ad hæc quanta fuit prophanatio Missarum? Quanta impostura Indulgentiarum, purgatorij, & similium ad quæstum excogitatarum abominationum? Mihi quidem intuenti in regnum Papæ, quale fuit ante prædicationem Euangelij nostri, videntur homines studio & ex composito ab impijs doctoribus obiecti Satanæ, & æternæ damnationi. Nam quod ad ministerium attinet, tota doctrina iacuit, præter textum scripturæ, qui negligebatur, & administrationem Sacramentorum, quanquam alterum non solùm mutilatum fuit, sed nunquam de vero eius vsu rectè homines edocti sunt.

Hîc igitur iudica vtrum præstet. Sunt enim turbæ istic, Sunt hîc quoq; turbæ. An non igitur mille modis præstat retinere loquelam seu verbum Dei, quàm amisso verbo retinere pacem, etiamsi sit, vt sic dicam, cœlestis pax? Ego quidem sine verbo, ne in Paradiso optarim viuere. At cum verbo etiam in inferno facilè est viuere. Sicut in hoc mundo, quasi in inferno viuimus, & tantùm nos consolamur spe, quam verbum Dei nobis ostendit, atq; hac spe vincimus omnis generis incommoda & cruces. Assuescendũ itaq; est, ne cum Epicureis tantùm intueamur in visibilia scandala, & scandala inuisibilia (quę tamen maxima ac æterna sunt) negligamus, ita fiet, vt istæ turbæ per sectarios excitatæ, leuiores esse videantur. Optabile quidem erat nihil turbatum esse, sed cùm id obtineri non possit, præstat mille Anabaptistas, mille Sacramentarios, mille seditiosos excitari, quàm vt simul per omnes Ecclesias sit confusio & impura doctrina. Nunc enim etsi est confusio, tamen quædam Ecclesiæ rectæ sunt constitutæ, quæ sub Papatu & in ista pace non erant. Nunc saltem in certis locis doceatur purè, Sacramenta purè administrantur, cum illis temporibus nusquam aut doceretur, aut Sacramenta administrarentur purè.

Retineamus igitur hanc consolationem, quam nobis hic ostendit Spiritus sanctus, & qua in primis opus habent omnes, qui sanè docent, Quod scilicet non sumus causa scandalorum, odij, turbationum & seditionum. Oportet quidem venire scandala, oportet vt sint Luciani, contemptores religionis, perturbatores Ecclesiarum. Sed beati, qui horum malorum non sunt causa, qui sunt Doctores pacis, qui pacem sectantur, concordiam & charitatem omni studio quærunt. In illorum numero, Dei gratia nos hodie sumus, vtrunq; de nobis æstimet mundus.

Quod

Quod si animus fuisset, augere aut fouere turbas, quàm facilè nobis fuisset cum ijs sentire, qui nostram doctrinam aut impugnant, aut noua afferunt? sed nostra cura vnica fuit, & adhuc est, vt homines syncerè & purè docerentur, de merito Christi & gratia. Item de gratiæ quasi pignoribus & signaculis, quæ Sacramenta vocamus. In hoc studio quoq; precabimur Dominum, vt nos vsq; ad vltimum spiritum conseruare dignetur.

OBIECTIO. ECCE HI SVNT EVANGELICI.

Tom. 3. Ienensi, foli. 345. Iesai. cap. 26. Aduersarij cùm vident apud nos multos in summa licentia viuere, obijciũt nobis, Ecce hi sunt Euangelici. His respondet hîc Christus & dicit, verum esse, Ecclesiã habere aduersarios suos internos & externos. Externi sunt Tyranni & totus Papatus, interni sunt falsi fratres, hos cogimur pati, molientes diuersa in terra rectitudinis. Non autẽ ideò Ecclesiæ imputanda sunt talium vitia. Rectè agitur cum Ecclesia, quando habet tales internos hostes, sicut corpus tum benè est cõstitutum, & benè habet, quando egerit sordes, nec eò minus sanũ est, quia habet intra se feces stercoris & sudores, sic Ecclesia est etiam inter impios, & hæc gloria Ecclesię est, quòd potest istas feces expurgare, sicut corpus humanum non posset expellere istas superfluitates & sordes, nisi esset sanum. Quemadmodum autem extrema fatuitas esset, ideò damnare liberali forma puellam, quia habeat intra se stercus & alias sordes. Ita quoq; extremè insaniunt aduersarij nostri, obijcientes nobis falsorum fratrum vitia. Oculi quibus videmus, suas sordes habent, habent suas sordes etiam aures, quibus audimus. Sic in Ecclesia & Doctores & discipuli quidam sunt mali. Non tamen ideò totum corpus damnatur.

Deus Ecclesiæ suæ dedit summa bona, suum filiũ Christum, fidem, quæ omnia pericula vincit, vera bona opera, Spiritum sanctũ, intellectum scripturę, pacem cõscientiæ, &c. Sunt autem hæc summa bona tecta, & latet gloria Domini, sub paupertate, ignominia, infirmitatibus, & alijs malis, quibus Ecclesia à Satana & mundo oppressa iacet. Impij igitur tantùm in illam externã faciem, intuentur. Et quia oculi eorum impuri sunt, nihil nisi quòd impurum est vident. Ea bona quæ dixi, non vident. Hoc autem perindè est, atq; si quis non faciem hominis, sed turpiores tantùm corporis partes contemplari & iudicare vellet. Ob leue erratum statim exclamãt, Ecce, Euangelij quod docent fructus. Quòd autem per Euangelium à tyrannide Papæ, à purgatorio, à confessione, & ab innumeris alijs oneribus liberati sint, non vident. Multò minus vident remissionem peccatorum, quietas conscientias, vitæ æternæ certam spem, mortis & omnium calamitatum victoriam.

NVM DEVS ECCLESIAM DESERAT.

Genes. cap. 7. Tom. 1. fol. 132. 133. Papa inflatur promissionibus factis Ecclesiæ. Matth. 28. Vobiscum sum vsq; ad consumationem seculi. Iohan. 14. Non relinquam vos orphanos. Lucæ. 22. Petre, rogaui pro te, ne deficeret fides tua, &c. Etsi autem videat & sentiat iram Dei, tamen his promissionibus irretitus & captus, somniat cum suis sedem & potentiam suam inconcussam mansurã. Ideò plenis buccis Papistæ nomẽ Ecclesiæ nobis obijciunt, & sibi omnia promittũt felicissima, quasi Deum cogere possint ad talem Ecclesiam constituendã, qualem ipsi somniant & cupiunt.

Sed rectè respondetur, Nempe quòd Deus manet verax, & conseruat Ecclesiam, regit, gubernat, sed tali modo qualem mundus nec videt nec intelligit. Relinquit Pontificem Romanum cum suis in ea opinione, quòd sit Ecclesia, sinit eum secum esse, & frui dignitate ac titulo, sed reuera excommunicauit & abiecit eum, quia verbum abijcit, & instituit idolatricos cultus.

Elegit

Elegit autem Deus sibi aliam Ecclesiã, quæ verbum amplectitur & idolatriam fugit, cruce & ignominia sic oppressam, vt non Ecclesia, sed hæretici & schola Diaboli æstimetur. Sic Paulus ad Rom. 2. dicit: Iudæos non metuere Deum, sed gloriari in Lege & Deo. Et tamen reuera negare Deum, blasphemare & offendere. Atq; hoc dum Iudæi faciunt, qui se populum Dei esse gloriantur, interim Deus sibi Ecclesiã parat ex gentibus, qui verè in Deo gloriantur, & verbum eius amplectuntur.

Quis autem Deum ideò mendacij arguet, quòd Ecclesiam conseruat aliomodo, quàm homines vel cupiunt vel norunt? Si erant promissiones de Ierusalem & templo seruando, hę promissiones non tollebantur, cùm Ierusalem & templum per Babylonium vastarentur. Nam Deus aliam Ierusalem & aliud templum tum statuebat in spiritu & per verbũ, cùm Ieremias promitteret post septuaginta annos populum rediturũ, & tum templum, tum ciuitatem reædificaturũ. Iudæis igitur templum & ciuitas tum erat destructa, sed Deo non, qui in verbo promittebat reædificationẽ.

Verum igitur argumentũ Iudæorum est, quòd Deus ciuitatẽ & templum non derelinquet, sed hoc facit alio modo, quàm Iudæi cogitabãt, qui ideò putabant, ciuitatem non esse vastandã, quia promissio sonabat: Hęc requies mea in seculum seculi. Permittit autẽ Deus vastationẽ, vt puniat peccata populi sui. Et tamen Ecclesiam curat ac tegit, cùm per Regem Cyrum reducuntur pij, & templum denuò extruunt.

Ad hunc modum in principio creationis Dominiũ orbis terrarum homini datum est: Id hîc in diluuio tollitur, non in perpetuũ, sed ad tempus, & tamen non tollitur in totum. Etsi enim maxima pars mundi perit, tamen homo manet Dominus rerum, & seruatur illud dominium homini, si non in tanta multitudine, quantam putabat & volebat mundus, tamen in paucis personis, hoc est, in octo animabus, id quod mundus non putabat.

Non igitur promissio Dei mentita est, seruauit Deus quod promisit, sed non seruauit eo modo, quo mundus seruari volebat. Nam peccatores perdidit, iustos autem seruauit, quamuis pauci essent & instar seminis, quod tamen postea Deus varie multiplicauit.

Hoc iudicium Dei Papistæ intueri debebant, Docet enim quòd Deus nõ multitudinem, non potentiam, non deniq; suam promissionem se impedire sinit, quo minus peccata puniat in impœnitentibus. Alioqui etiam primo mundo & Patriarcharum posteritati Deus parsurus erat, cui dominium terræ concesserat. Nunc perdit omnes, & tantùm octo animas seruat.

Quid igitur mirum est, si idem cum Papistis faciat, qui etsi iactant præscriptionem, dignitatem, multitudinem, potentiam, tamen quoniam verbum Dei conculcant & persequuntur, abijciet eos Deus, & deliget sibi aliam Ecclesiam, quæ humiliter se verbo submittat, & obuijs vlnis beneficia Christi excipiat, quæ Papæ Ecclesia superbè, fiducia proprij meriti, contemnit.

Non igitur confidendum est, in res præsentes & possessas, etiam diuino verbo promissas. In ipsum autem verbum respiciendum, & eo solo nitendum est. Qui hoc non faciunt, sed discedunt à verbo, & præsentibus rebus nituntur, hi etsi multi, magni, potentes sunt, tamen hanc defectionem à fide non ferent impunè, sicut diluuium ostendit, sicut ostendit captiuitas Iudęorum, & hodierna eorum calamitas. Item septem millia virorum in regno Israël.

Hæc satis fortis instantia est, quòd multitudo non constituat Ecclesiam: Neq; etiam id spectandum est, quàm sancta sit origo, qui maiores, quæ res possessæ & Deo traditæ sint. In solùm verbum respiciendũ, & ex eo iudicandum est. Qui enim id amplectuntur verè, hi sunt, qui sicut mons Zion non commouebuntur in æternum. Etsi numero paucissimi, & corã mundo contemptissimi sint, sicut Noah cum suis liberis fuit, per quos etsi paucissimi essent, Deus conseruauit homini illam veritatem de promisso Dominio, etsi ne vestigium quidem pedis in terra haberet.

Aduersa-

Aduersarij nostri hoc argumentum valde vrgent, quia omisso verbo, tantùm in numerum, speciem, & personas spectant. Prædixerunt autem Apostoli, Antichristum fore inspectorem personarum, qui hæreat in multitudine & antiquitate, qui oderit verbum & promissiones Dei deprauet, & occidat hærentes in verbo. Tales num iudicabimus Ecclesiam esse?

Ecclesia enim est filia nata ex verbo, non est mater verbi. Qui igitur verbum amittit, & ruit in acceptionem personarum, desinit Ecclesia esse, & excæcatur. Nec subleuat eum vel multitudo vel potentia. Sicut econtrà qui verbum retinent, sicut Noach cum suis, hi sunt Ecclesia, etsi numero pauciss imi sint, & octo tantùm animæ. Sic hodie præualent nobis multitudine, & præcedunt nos dignitate papistæ. Nos autem non tantùm maledicimur, sed etiam patimur variè. Hoc ferendum est, donec iudicium veniat, quo reuelabit Deus, nos suam Ecclesiam esse, Papistas autem esse Ecclesiam Satanæ.

Retinenda itaq; hîc Regula est, quæ est 1. Sam. 16. Vbi Dominus ad Samuelem dicit: Ne respicias speciem eius, neq; altitudinem staturæ eius, quoniam reieci eum. Nec enim sicut homo videt, ego video, Homo enim videt ea quæ sunt ob oculos, Dominus autem intuetur cor.

Sic nos non curemus, quàm magnus & potens Papa sit, qui iactat se esse Ecclesiam, prædicat successionem Apostolorum, & maiestatem personalem. In verbum respiciamus, id si amplectitur, iudicemus eum Ecclesiam, si autem persequitur, iudicemus esse Satanę mancipium.

Hoc est, quod Paulus dicit. 1. Cor. 2. quòd spiritualis omnia dijudicat. Si enim solus essem in toto orbe terrarum qui retinerem verbũ, solus essem Ecclesia, & rectè iudicarem de reliquo toto mundo, quòd non esset Ecclesia. Etsi enim rem seu officium habent, tamẽ habent sine verbo, & verè nihil habent. Contrà nos qui verbum habemus, etsi nihil rerum habemus, tamen per verbum habemus omnia. Aut igitur accedant ad nos Papa, Cardinales & Episcopi, aut desinant iactare quod sint Ecclesia, quæ sine verbo esse non potest, siquidem per solum verbum generatur.

Oneramur magna inuidia, quòd dicimur discessisse à veteri Ecclesia. Contrà, Papistæ gloriantur, quòd permanserint cum Ecclesia, & Ecclesiæ iudicio omnia vellint permittere. Sed falsò accusamur. Si enim verùm profiteri volumus, discessimus à verbo, cùm adhuc essemus in ipsorum Ecclesia. Nunc verò reuersi sumus ad verbum, & desijmus esse apostatę verbi.

Etsi igitur titulo Ecclesiæ suo iudicio nos priuant, tamen retinemus verbum, & per verbum omnia ornamenta veræ Ecclesiæ. Qui enim omnium creatorem habet, etiam ipsas creaturas habeat necesse est. Ad hunc modum Noach manet Dominus orbis terrarum, etiamsi æquè pręualeant & terra pereat. Etsi enim rem amittit, tamen quia verbum retinet, quo omnia creata sunt, rectè omnia retinere dicitur.

OBIECTIO PAPISTARVM DE SVIS MAIORIBVS, QVOMODO SINT SALVATI AVT DAMNATI.

Genes. Cap. 19. Tom. 2. fol. 141. Hodie valde nos vrgent Papistæ, exemplo superioris seculi, quo omnia iacuerunt in tenebris. Vestra doctrina, inquiunt, noua est & ignota maioribus nostris, si igitur vera est, omnes maiores nostri damnati sunt. Hi etiam respiciunt, & verbum præsens sic negligunt. Quid enim ad nos quale Dei iudicium sit super illos, qui iam olim ex hac vita emigrarunt. Nobis hodie prędicatur verbum Dei, id sine disputatione debemus audire, & amplecti non debemus fieri Quaristę, qui Deum interrogant: Quare hoc tempore patefecerit sanam doctrinam, & non superioribus temporibus.

DE VERA ECCLESIAE REFORMATIONE.

Genes. Cap. 35. Tom. 3. fol. 193. Pulcherrima concio est Patriarchæ Iacob ad familiam & Ecclesiam suam, collectam ex domesticis & extraneis, qua hortatur eos ad emendationem vitiorum, quæ hærebant in Ecclesia. Ac primum peccatum quod arguit, pugnat cum primo præcepto, videlicet Idolatria, hanc vult corrigi & repurgari. Abijcite inquit, Deos alienos qui inter vos sunt. Hoc enim caput & fons est, vnde omnia alia vicia promanant, & inita est omnis reformatio, si non repurgetur primùm doctrina. Vide enim stulticiam Pontificis, & omnium conciliorum posteriorum, quæ primùm ordinant aliquas Cæremonias, iubent sacerdotes longis vestibus vti, diligenter legere horas canonicas & missas, prohibent aleam, scortationem. Hanc ipsi reformationem Ecclesiasticam appellant. Et tale aliquid statuetur in concilio, si quod vnquam futurum est. Sunt enim Cardinales & Episcopi homines stolidi & insulsi, qui nihil cogitant de verbo & doctrina, neque eam intelligunt aut curant.

Necesse igitur est, vt securis ad radicem arboris admoueatur, & caput serpentis petatur. Ictus enim corporis quantumuis graues sustinere potest sine periculo, sed si caput vel minima virgula ferias, statim extinguitur. Præcipua autem vis Satanæ posita est in oppugnando & delendo verbo, ac doctrina quæ continetur in primo præcepto, eam petit acerrimè. Itaque danda est opera ante omnia, vt doctrinam veram & certam habeamus de Deo, ibi tum vera reformatio & ordinatio Ecclesiarum institui potest. Ferdinandus cum parat defensionem aduersus Turcicas incursiones, indicit ieiunia, processiones, supplicationes diuorum. Hæc ad quid aliud prosunt, quàm vt sint ludibrio Satanæ? Id potiùs agendum erat, vt fides sincera & doctrina pura de cultu Dei traderetur. Sed illi inuertunt ordinem, defendunt errores manifestos doctrinæ, & stabiliunt idolomaniam, postea ritibus & supplicationibus externis student placare iram Dei. Ita dupliciter irritatur & irridetur Deus.

Meminerimus ergo præceptum Iacob, qui ait: Auferte Deos alienos, hoc est, tollite scandala doctrinæ, scandala impietatis, vt populus verè discat timere Deum & fidere Deo. Tum demum longis vestibus, rasuris & similibus locus erit.

Folio sequenti. Altera pars (Mundamini) continet peccata secundæ tabulæ. Ea etiam vult corrigi. Primùm enim quos vos putatis esse Deos cognitos, inquit, sunt maximè incogniti. Eos itaque abijcite, postea etiam agite pœnitentiam de peccatis contra proximum. Non sint inter vos fures, scortatores, adulteri, vt sit corpus & animus integer, castus & innocens ab offensiõe proximi. Hæc est æterna iustitia.

Tertium de mutandis vestibus, est prorsus externum & Cęremoniale. Deponite vestes sordidiores, vt celebremus sabbatum, ornate vos etiam externo aliquo cultu. Tales enim cęremonię, etsi non iustificant, tamen sunt necessarię: quia debet esse reuerentia quędam externis cęremonijs, gestibus & moribus, vt sint congressus honesti, & compositi eo loco, vbi docetur verbum, vbi fit inuocatio & alia sacra. Ante omnia cor sit compositum vera fide erga Deum, & reconciliatione. Deinde caritate erga proximum, quę sit perfecta & sine vlla offensione. Tertiò, sit externa disciplina in congressibus, vt fiant omnia decenter & ordine. 1. Cor. 14. Qui vero negligunt ista significant se nihil credere & contemnere Deum & Ecclesiam. Neque enim in coetu Ecclesiastico perinde nos gerere, ac in taberna debemus, sed requiritur ibi grauitas aliqua.

Hęc pulchra reformatio est, qua primùm doctrina repurgatur. Deinde expurgantur peccata, vsurę, furta, rapinę, libidines. Postremò monetur, vt vestiat populum & sacerdotes in templo honestè, Nostri reformatores peruertunt ordinem.

Incipiunt

Incipiunt enim à calceis & vestibus, & superiora ac potiora negligunt. Illud efficiendum potiùs erat, vt cor intus esset purum per fidem. Extra autem corpus & membra per charitatem & per cæremonias etiam in vestitu & moribus.

DE MINISTERIO VERBI.

VOCATIO DVPLEX.

Tom. 4. Ienens. fol. 310. Matth. Cap. 9. Prima vocatio est à Deo immediate, qualis est Apostolorum & Prophetarum. Secunda mediatè per homines in sublimitate vel autoritate constitutos, sicut Apostoli suo successores vocarunt, sicut adhuc vocantur etiam à potestatibus carnalibus & Magistratibus seu communitatibus. Alterutram oportet habere eum, qui docere debet in Ecclesia. Hîc nunc queritur, An seipsum offerre ad vocationem sit licitum, &c. Respondetur si fiat carnali sensu, id est, ambitione vel auaritia, prorsus non valet, (licet si sic intret & postea conuertatur in alium virum, prosit ei in ea manere) nam auaritia & ambitio etiam Apostoli Iudæ vitiabant summam diuinam vocationem, sicut & omnium sacerdotum, Caiphæ & similium. Si fiat studio seruiendi Deo, vel in statu salutis viuendi, sic est bonum opus teste Paulo. Si quis Episcopatū desiderat, bonum opus desiderat. Sic & in Deut. Moses præcipit recipi eū Leuitam, qui ex aliqua regiõe veniat ad locū domus Dei, ad seruiendum Domino. Propter has potest necessitas incidere, vt si sint baptizandi, docendi, consolandi, exhortandi fratres, in medio hostium positi: Hîc debet quilibet seipsum intrudere, tanquam necessitate fraternæ charitatis vocatus. Et omnia facere quæ necessaria sunt pro salute animarum.

VTRAMQVE VOCATIONEM ESSE A DEO IMMEDIATAM ET MEDIATAM AC QVOD MINISTER *de sua vocatione certus esse debeat.*

Tom. 4. Ienens. fol. 8. Galat. Cap. 1. Quid agit Paulus hac sua iactantia? Respondeo. Iste locus communis ad hoc valet, vt vnusquisque minister verbi Dei, certus sit de sua vocatione, vt coram Deo & hominibus cum fiducia gloriari possit, se prædicare Euangelium, vt is qui vocatus & missus sit. Quemadmodum legatus Regis in hoc gloriatur & superbit, quòd non vt priuata persona venit, sed vt legatus Regis. Et propter hanc dignitatem quod est legatus Regis, defertur ei honos, vt præcedat & superiorem locum obtineat, quod ei non contingeret, si vt priuata persona, adesset. Quare certus sit prædicator Euangelij, se habere vocationem diuinam. Et expedit vt hanc suam vocationem, exemplo Pauli magnificet & glorificet coram populo, vt apud auditores sibi autoritatem vendicet. Quemadmodum legatus Regius glorificat suam legationem. Quod non vanè gloriari, sed necessaria gloriatio, Quia non de se, sed de rege, qui eum misit gloriatur, cuius autoritatem cupit esse colendam ac sacrosanctam. Et cùm aliquid nomine Regis vult fieri à subditis, non dicit, Nos rogamus, sed, Nos mandamus, Nos volumus hoc fieri, &c. Pro priuata autem persona dicit, Rogamus, &c.

Sic etiam quando Paulus magnificè extollit suam vocationem, non arroganter extollit sese, vt pleriq; putant, sed necessaria ac sancta superbia glorificat suum ministerium. Vt ad Roma. 11. Quam diu sum Gentium Apostolus, inquit, ministerium

meum glorificabo, hoc est, volo vt recipiant me homines, non vt Paulum Tharsen-
sem, sed vt Paulum legatum seu Apostolum Iesu Christi. Hocque necessariò facit,
ad conciliandam sibi autoritatem, vt auditores hoc audientes, attenti, beneuoli, ac
dociles reddantur. Audiunt enim non simplicem Paulum, sed in Paulo ipsum Chri-
stum, & Deum patrem legantem, cuius autoritatem & maiestatem, vt homines san-
ctè venerari, ita cum summa reuerentia suscipere, & audire eius quoque legatos de-
bent, adferentes verbum ipsius.

Est ergo insignis iste locus, cùm Paulus sic superbit & gloriatur de sua vocatio-
ne, vt cæteros omnes contemnat. Si quis humano more omnes præ se alios ita con-
temneret, & sibi omnia arrogaret, insigniter ineptiret, & præterea etiam grauiter pec-
caret. Sed hîc est necessaria ista gloriatio, pertinens non ad gloriam Pauli, seu nostrã,
sed Dei, cui per eam offertur sacrificium laudis & gratitudinis. Per hanc enim gloria
tionem innotescit nomen seu gratia & misericordia Dei mundo.

Initiò statim perstringit falsos illos doctores, qui iactabant se discipulos Apos-
lorum & ab ipsis missos esse, Paulum verò contemnebant, vt qui neq; discipulus A-
postolorum, neq; ab vllo missus fuisset ad prædicandum Euangelium, sed aliunde
venisset, & suo consilio seipsum intrusisset ad hoc ministerium. Contra hos defendit
suam vocationem Paulus, dicens. Mea vocatio vestris prædicatoribus contemptibi-
lis videtur, sed quicunq; tandem sunt qui ad vos venerunt, vel ab hominibus vel per
hominem missi sunt, hoc est, vel à seipsis non vocati, aut per alios vocati venerunt.
Mea aũt vocatio neq; ab hominibus, neq; per hominem est, sed est supra omnẽ voca-
tionẽ, quę potest fieri post Apostolos: Est enim per Iesum Christũ & Deũ patrẽ, &c.

Ab hominibus intelligo, qui seipsos vocant & ingerunt, nec Deo nec homine
vocante aut mittente, sed ex seipsis currunt & loquuntur, vt hodie fanatici spiritus,
qui vel per angulos reptant, & quærunt loca vbi venena sua effundant, publicas Ec-
clesias non intrant: Vel huc veniunt vbi Euangelium priùs plantatum est, Hos er-
go voco ab hominibus. Per hominem autem, qui habent diuinam vocationem,
sed per hominem.

Est itaq; diuina vocatio duplex. Altera mediata, altera immediata. Deus vocat
nos hodie omnes ad ministerium verbi, vocatione mediata, hoc est, vocatione quę fit
per medium, id est, per hominem. Apostoli vero immediatè vocati sunt, ab ipso Chri-
sto, sicut Prophetæ in veteri Testamento ab ipso Deo. Apostoli postea vocauerunt
suos discipulos, vt Paulus Timotheum, Titum, &c. Qui deinde Episcopos, vt Tit. 1.
Episcopi suos successores vocauerunt. Ea vocatio durauit vsq; ad nostra tempora, &
durabit vsq; ad finem mundi: Estq; mediata, quia per hominẽ fit & tamen diuina est.

Sic quando princeps aut Magistratus, vel ego aliquem vocamus, Is vocationem
habet per hominem. Et hæc est generalis post Apostolos vocatio in orbe terrarum.
Neq; est mutanda, sed magnifacienda, propter phanaticos homines, qui eam contem-
nunt, & iactant aliam meliorem, qua à spiritu se impelli dicunt ad docendum. Sed
mentiuntur impostores. Impelluntur quidem à spiritu non bono, sed maligno. Mihi
non licet ire extra hanc sortem meam, in aliam ciuitatem vbi non sum vocatus verbi
minister, & ibi prædicare quatenus sum prędicator (Quatenus sum Doctor, possem
in toto Papatu prædicare, modo me tollerarent) etiamsi audiam falsa doceri, seduci
& damnari animas, & ego eas eripere possem ex errore & damnatione, mea sana do-
ctrina. Sed rem Deo committere debeo, qui suo tempore inueniet occasionẽ legitimę
vocandi ministros & dandi verbum. Ipse enim est Dominus messis, qui & opera-
rios in messem suam mittet, nostrum est orare Matth. 9. Quare non est irruendum in
alienam messem, vt Diabolus incitare solet suos ministros, vt non vocati currant, &
prętexant zelum hunc ardentissimum, dolere sibi, quod homines tam miserè sedu-
cantur, se veritatem velle docere, & seductos è Diaboli laqueis eripere. Imò si aliquis
etiam pia

etiam pio zelo, & bona intentione, velit sana doctrina liberare seductos ex errore, tamen exemplum malum oritur, per quod datur occasio impijs doctoribus intrudendi sese, per quos Satanæ postea occupat cathedram, & maximè nocet.

Cùm autem princeps seu alius Magistratus me vocat, tum certò & cum fiducia, gloriari possum contra Diabolum, & hostes Euangelij: Quòd mandante Deo per vocem hominis vocatus sim. Est enim ibi mandatum Dei, per os principis quod me certum reddit, vocationem meam esse verā & diuinam. Sumus igitur & nos diuina autoritate vocati, non quidem immediatè à Christo, vt Apostoli, sed per hominem.

Valde aūt necessarius est hic locus de certitudine vocationis, contra pestilentes & fanaticos istos spiritus, qui præter modum spiritum & cœlestem vocationem iactant, & hoc fuco multos decipiunt, & tamen impudentissimè mentiuntur. Ideo expedit nos certos esse de vocatione, vt vnusquisq; possit gloriari cum Iohanne Baptista. Factum est verbum Domini super me. Quòd igitur doceo verbum, baptiso, ad ministro Sacramenta, iussus ac vocatus facio, Quia vox dei facta est super me, non in angulo, vt fanatici iactant, sed per os hominis, qui est in functione legitima. Si verò vnus atq; alter ciuis me rogarent, vt prædicarem, non debeo sequi priuatam vocationem. Quia per hoc aperitur fenestra ministris Satanę, qui hoc exemplo postea nocēt, quemadmodum supra diximus. Cùm verò me rogant qui gerunt publica officia, ibi parere debeo. Cùm ergo dicit Paulus Apostolus, non ab hominibus neq; per hominē, percutit & reprimit his verbis pseudoapostolos q. d. vt maximè glorientur, quid possunt illæ viperę amplius gloriari, quàm quòd venerint vel ab hominibus, hoc est, à seipsis nemine vocante, vel per hominem, hoc est, ab alijs missi. Nihil horum ego curo, nec vos ista curare debetis. Ego verò neq; ab hominibus, neq; per hominē sed immediate, hoc est, per Iesum Christum vocatus & missus sum, neq; vocatio per omnia similis est vocationi Apostolorum, Et quidem sum Apostolus. Hunc ergo locū de vocatiōe Apostolorum Paulus diligenter tractat. Et alibi separat ordinē Apostolorum ab alijs. Vt 1. cor. 12. Ephe. 4. cum dicit. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdā Prophetas, &c. Primo loco ponens Apostolos, vt propriè sint Apostoli, qui immediatè missi sunt ab ipso Deo, sine media persona. Sic Matth. simpliciter à Deo vocatus est. Non enim audebant reliqui Apostoli, cùm statuerent duos, hunc vel alium eligere, sed mittebāt sortem, & orabant, vt Deus ostenderet vtrum ipse elegisset. Oportebat enim eum diuinitùs vocari, cùm erat futurus Apostolus. Sic Paulus Gentium Apostolus vocatus est. Hinc etiam dicuntur Apostoli sancti, sunt enim certi de sua vocatione & doctrina, & fideles in suo ministerio prestiterunt: Et nemo ex eis factus est reprobus, nisi solus Iudas, Quia vocatio sancta est. Hic primus est Pauli impetus in pseudoapostolos, qui currebant nemine eos mittente. Est igitur non contemenda vocatio. Neq; enim satis est habere verbum & puram doctrinam, oportet etiā vt vocatio certa sit, sine qua, qui ingreditur, ad mactādum & perdendum venit. Nūquam enim fortunat Deus laborem eorum, qui non vocati sunt. Et quanquam quę-dam salutaria afferant, tamen nihil ędificant. Sic hodie phanatici spiritus nostri, habēt verba de fide in ore, tamen nullum fructum faciunt, sed hoc præcipuè agunt, vt hominibus persuadeāt suas erroneas opiniones, &c. Varij & maximi agones subinde decertandi sunt ijs, qui certam ac sanctam vocationem habent. Item, quorum doctrina est sincera & sana, vt maneant in suo salutari officio, contra indesinentes & infinitas insidias Diaboli, & furorem mundi. Quid ibi faceret ille, cuius vocatio incerta & doctrina impura est? Nostra igitur consolatio, qui sumus in ministerio verbi hæc est quòd habeamus officium sanctum & cœleste, ad quod ritè vocati, gloriamur contra omnes portas inferi. Econtrà horrendum est, cùm conscientia dicit, hoc sine vocatio ne fecisti, ibi tantus terror concutere animum solet, vt nō vocatus optaret se nunquā audisse verbum, quod docet. Quia inobedientia facit omnia opera mala, quantum-

uis bona: Ita vt etiã maxima opera & labores, fiãt maxima peccata. Vides itaq; quàm bona & quàm necessaria sit hæc iactantia & gloriatio ministerij nostri. Olim cum essem nouus Theologus & Doctor, videbatur mihi Paulus ineptire, quod in omnib. Epistolis toties gloriaretur de sua vocatione. Non intellígebam ipsius consilium. Ignorabam enim tantam rem esse ministerium verbi, nihil sciebam de doctrina fidei & conscientia vera. Quia nihil certi docebatur, neq; in scholis neq; in templis, sed omnia plena erant Sophisticis perplexitatibus, & nugis canonistarũ, & sententiariorũ. Ideo nemo potuit intellígere dignitatẽ & vim istius sanctę & spiritualis iactantię de vocatiõe. Quę primùm valet ad gloriã dei. Deinde ad honorem ministerij nostri, item ad nostram & populi salutem. Non enim ambimus per istam iactantiam, aliquid esse in mundo, non quærimus gloriam apud homines, non pecuniã, nõ voluptates, non fauorem mundi, &c. Sed quia sumus in vocatione diuina, & opere Dei, & populus maximè opus habet certitudine nostrę vocationis, vt sciat nostrum verbum esse Dei verbum, ideo superbè eam iactamus. Quare non est vana, sed sanctissima superbia contra Diabolum & mundum, & vera humilitas coram Deo.

SPIRITVS SANCTVS EST EFFICAX PER MINISTERIVM.

Genes. Cap. 21. Tom. 2. fol. 182. Verùm quidem est quòd solus Spiritus Sanctus illuminat corda, & fidem accendit, sed hoc non facit sine ministerio externo, & sine externo sacramentorum vsu. Ideo Paulus ad Damascũ iubetur audire Ananiam. Sicut autem in Ecclesia nobis commendatur verbum, ita in Oeconomia non dubitandum est, cùm parentes audis aliquid præcipere, Deum audis, & certus es de Dei voluntate. Sin autem à ministerio discesseris, & suas opiniones fueris secutus, non solùm nihil proficies, sed etiam Satanam pro Deo apprehendes, & incertus erit de tuis cogitationibus ex Deo ne, an ex Diabolo sint.

MINISTERIVM CVR INSTITVTVM.

Genes. cap. To. 1. fol. 127. Certùm est Deum non solere miraculosè, & per reuelationes singulares semper loqui, præsertim vbi adest legitimũ ministeriũ, quod ideo instituit, vt per id cũ hominib. loquatur, eos doceat, instituat, consoletur, excitet, &c.

Ac primùm commendauit verbum parentibus, sicut Moses sæpe dicit, Narrabis ea filijs tuis. Deinde Doctoribus in Ecclesia, sicut Abraham dicit, Lucę. 16. Habent Mosen & Prophetas, eos audiant. Non enim debemus expectare reuelationẽ vel internam, vel externam, vbi ministerium adest, alioqui omnes ordines vitę turbarẽtur. In Ecclesia doceat minister, Rempub. gubernet Magistratus, Domínum seu Oeconomiam regant parentes, hominum enim hæc sunt ministeria instituta à Deo, itaq; ijs vtendum, non ad alias reuelationes respiciendum est.

Deus enim dupliciter cum hominibus loquitur. Primò & communiter, per publicum ministerium, hoc est, per parẽtes & Ecclesię Doctores. Secundò, per reuelationem internam, seu per Spiritum Sanctum, sed hoc posterius tantum solet in specialibus negocijs & rarissimè. Id quod eo nosse vtile est, ne omisso verbo cum phanaticis, expectemus nouas reuelationes. Inde enim existunt & erronei spiritus, qui postea orbem terrarũ perturbant somnijs suis, sicut Anabaptistarum exemplũ probat.

EFFECTVS MINISTERII.

Reuelare peccatum. Genes. cap. 12. Tom. 2. fol. 5. Hoc igitur verbi seu ministerij præclarum beneficium est, quod ostẽdit seu reuelat peccatum illud, quod ratio per senõ solùm nõ potest agnoscere sed iudicat etiam summam esse iusticiam & gratissimum Deo cultum. Idolatria enim tantùm per verbum Dei agnoscitur.

Item Tom. 4. Ienens. fol. 281. cap. 4. cantic. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non eũ

non est inter eas. Hoc addit, ad ostendendum fructum ministerij. Nam tum gemelli pariuntur, cum animi primùm lege terrentur, deinde iterum promissionibus seu Euangelio eriguntur. Ad hunc modum qui verbum rectè secant, fructum doctrinæ suæ in Ecclesia cernunt. Neq; enim fieri potest, vt sine fructu doceatur Ecclesia, sicut dicit, sterilis non est inter eos.

Adferre Spiritum Sanctum. Tom. 4. Ienens. fol. 571. Michę. cap. 5. Erunt reliquię Iacob in medio populorum multorũ, sicut ros à Domino, sicut pluuia super herbam, quæ non expectat virum, nec sperat in filios hominum. Hic alia similitudine vtitur, qua tum dignitatem, tum etiam fructus ministerij in nouo Testamento ostendit. Cõparat enim reliquias Iacob, inter gentes, hoc est, Apostolos, & eorum in ministerio successores, rori cœlesti & pluuiæ. Hoc primùm ad dignitatem ministerij referri debet. Est enim Euangelium cœleste donum, omnia alia dona longè antecellens, sicut Baptista dicit, Deum nemo vidit vnquam, Filius qui in sinu patris est enarrauit nobis. Meritò igitur omnibus rebus debet anteferri. Deinde referri etiam similitudo debet ad fructus huius ministerij. Sicut enim rore cœlesti & pluuia recreatur terra, virescũt & augentur omnia: Ita certus fructus sequitur verbum. Sicut in hanc sententiam hac ipsa similitudine, quoq; Esaias vtitur. Fructus autem huius cœlestis doni sunt, Spiritus Sanctus qui per verbum Euangelij descendit in corda hominum, & excitat in eis fidem. Per fidem autem accipitur remissio peccatorum & vita æterna. Sicut Christus dicit: Qui credit in me non morietur in æternum.

Porrò S. S. non est ociosus in cordib. credentium, pugnat enim contra carnem, mortificando carnem & eius desideria, & excitat ad obedientiam erga Deum. Hæc aũt cùm nunquam possit esse in hac carnis imbecillitate perfecta, corda per S. S. & contra imbecillitatem hãc, & alia peccata, quotidie se erigunt fide, hoc est, fiducia misericordiæ per Christum exhibitæ. Sicut aũt Propheta dicit, Herbã quæ rore cœlesti & fœcunda pluuia reficitur, non expectare virũ, nec habere fiduciam in homine (Nõ enim hominis sed Dei, & verè cœlestia dona sunt ros & pluuia) Ita frustra quærũtur hi fructus exercitijs, studio & operib. hominũ. Vna ratio perueniendi ad ros est, attendere verbo & ei obedire. Nota sunt studia Monachorũ in Papatu, quib. homines simplices credebant se ad hos fructus posse peruenire, sed frustra tentata omnia sunt. Hoc enim erat, quod Propheta hîc dicit, expectare virũ, & spem habere in homine. Et Christus: Frustra colunt me mandatis hominum. Rore de cœlo & pluuia cœlesti opus est, hoc est, bonis & pijs ministris, qui verbum Christi purè doceant.

Insignem itaq; cõmendationem ministerij præsens locus habet. Sed meminerimus Spiritum Sanctum ad hũc modum de verbo & verbi ministris loqui. Hic solus eos ornat pulcherrimis his appellationib. vt vocet eos rorem à Domino & pluuiam. Mundi verò aliud iudicium est. Nam Papam & totam Antichristi Ecclesiam vide. Hæc pios doctores cõparat veneno ex inferno immisso in mundum, Doctrinã tam quam nocentissimam pestem damnat & execratur. Hinc anathemata, persecutiones, & tot supplicia existunt piorũ. Necessarium itaq; est, vt nos contra illa mundi iudicia confirmemus, & gratulemur nobis hoc S. S. elogiũ, qui pios Euãgelij ministros cõparat rori cœlesti & fœcundæ pluuiæ. Huius vnius iudiciũ anteferamus toti mũdo.

Per ministerium non omnes conuertuntur. Gen. cap. 44. Tom. 4. fol. 135. Nõ potuit Ioseph omnes errores extirpare (in Aegypto) sicut nec alij Prophetæ, nec Apostoli, neq; vllus vnquã concionator mutabit, aut tollet ea omnia quę sunt vitiosa in Ecclesia. Colligimus aliquos de mundo per ministeriũ verbi. Sagena mittitur in mare, & congregat malos pariter & bonos. Nihil igitur dubium est, quin gubernatio Ioseph optima & laudatissima fuerit, qua multa correxit & restituit in integrum, sed ita tamen vt Satanæ quoque suam partem relinqueret. Siquidem nullus vnquam Prophetarum omnes quos docuit, potuit conuertere.

MINISTRORVM VERBI DEI FORTVNA.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 386. Iſai. cap. 40. Prædicare verbum Dei nihil aliud eſt, quàm deriuare in ſe furorem, totius inferni & Satanæ, deinde omnium Sanctorum in mundo, & omnem potentiam mundi. Eſt autem periculoſiſsimum vitæ genus, tot dentibus Satanæ ſe obiicere.

Item Tom. 3. Ienenſ. fol. 297. In Præfat. Iſai. Fuit ſemper miniſtrorum Dei, & verbi diuini fortuna, quòd tam miniſtri verbi, quàm ipſum verbum pro ludo ac ioco ſit habitum, ſicut etiam hodie experimur, & experientur idem poſteri noſtri.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 328. Matth. cap. 12. Miniſtri verbi verſantur in periculis tantis à Diabolo, mundo, carne, vt egeant etiam diuino auxilio, nec defendi poſsint niſi ſolius Dei auxilio, poſtquã contra eos fremunt Gentes, Reges conſurgunt, & quicquid eſt aliquid mundi, vexat legatos Dei. Ideo promittit ſeſe ipſum fore defenſorem contra illos omnes. Et niſi hoc faceret & nos facturum ſciremus, quis vellet ſubire docendi laborem & pericula? Quod enim Chriſto accidit, omnibus miniſtris accidet.

MINISTRI ECCLESIAE VIVVNT EX SPOLIIS MVNDI.

Geneſ. cap. 31. Tom. 3. fol. 133. Lazarus ad oſtium diuitis epulonis famem patitur. Sic Eccleſia in mundo affligitur & eget. Pij paſtores cum vxoribus & liberis eſuriunt. Aut ſi quid habent, tanta eſt hominum inuidia & malicia, vt quo iure quaque iniuria cupiãt id eis eripere, & ſæpe etiam, cùm poſſunt aliqua ſpecie, miniſtros, & reditus Eccleſiaſticos in Parochijs expilant & rapiunt: Ita vt verè hoc dici queat: Quicquid habet Eccleſia, habet inuito & repugnante per vim, perq; inſidias & fraudem, impediente Satana & mundo. Eſt quaſi ſpolium, quod rapit Deus mundo, quia non ſunt digni ciues & ruſtici, vt habeant largas manus ad fouendum & alendum miniſterium Eccleſiarum & Scholarum, ſed quicquid bonorũ conferunt quaſi ereptum ſpolium eſt diuinitùs ex faucibus luporum, & vnguibus leonum.

Videmus quàm indignè & contumelioſè tractantur Parochi à Magiſtratibus & quæſtoribus, quando queruntur de anguſtia & inopia rerum ſuarum, ſtatim exprobrant eis auaritiam, **Die Pfaffen ſind geitzig.** In aulis & ciuitatibus, ſi qui nouas artes expilandi parochias & exagitandi Sacerdotes excogitant, ob frugalitatem laudantur, & ad honores perueniunt, tantùm eo, quia vituperare miniſtros Eccleſiæ & premere poſſunt. Si admonentur locupletiores, vt iuuent ſtudia diſcentium: Hoc opus hic labor eſt, imò Periclea eloquentia opus erat, vt vel pauxillum emungas, quod tamen ſatis malignè præbetur, & cum ſtomacho & faſtu magno. Rectè igitur dixerimus nos viuere ex rapto, ſiue de ſpolijs, quibus Deus ſpoliat mundum inuitum & repugnantem, quia non ſunt digni, qui conferant aliquid ſubſidij ad alendam pauperculam & adflictam Eccleſiam.

Hoc quidem tempore quorundam Principum liberalitatem experimur, qui liberenter quod poſſunt ſuppeditant. Sicut facit illuſtriſsimus Princeps Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ Elector. Et tamen in hac & alijs ditionibus plurimæ harpyæ ſunt, præfecti nimirum & quæſtores, quorũ tanta inuidia & malignitas eſt, vt ea quæ larga manu Principis collata ſunt ad ſuſtentandos miniſtros Eccleſiæ, ægerrimè ex ipſorũ manib. extorquere poſsis. Ita ſimpliciter de ſpolio viuimus, non noſtræ cupiditatis, ſed diuinæ clementiæ & liberalitatis, qui mirabiliter rapit ex manib. harpyarũ, vt conſeruentur Eccleſiæ & ſcholæ, nec miniſtri earũ fame & inedia pereant. Hę igitur ſunt ereptiones & ſpolia diuina. Sicut hoc loco matronę iſtæ de ſuis opib. dicunt.

Qui verò

Qui verò vult ditescere ex ministerio Ecclesiæ, non reprehendat aut insectetur vicia, cùm vulgi, tum magnatum & quæstorum, sed palpet & blandiatur eorum auaritiæ & dicat placentia. Sinceri autem Doctores bono & pio zelo seruientes Ecclesiæ aut Scholis, inuisi & spreti sunt ab omnibus, neq; vnquam rem facient. Quia Labanitæ nec de suo, nec de alieno quicquam largiuntur.

Sæpe vnus aliquis Abimelech fouet Abrahamum aut Isaac, sed alij omnes sunt hostes Ecclesiæ. Sæpe etiam vnum aut alterum bonum & pium quæstorem ditio aliqua habet. Reliqui autem sunt Labanitæ, quibus videntur indigni Parochi & ministri, qui vnam saltem horam viuant, aut vnam buccellam panis comedant. Nec dissimulant illi sua iudicia, sed apertè dicunt, subulco aut opilione, aut lictore, pagos & ciuitates non posse carere, Parocho & Ludimagistro nihil opus esse. Itaque duriter exercentur hoc tempore multi boni viri, ab Harpijs istis, sæpe enim non sine magno labore extorquent stipendia sua ab ijs, qui præsunt reditibus Ecclesiasticis : cùm de eo etiam malignè præbeant, quod ipsi non contribuerunt. Discamus igitur has iniurias & inuidiam æquo animo tolerare, & agnoscamus mirabilem Dei gubernationem qui pascit & alit nos sicut Iacob apud Laban seruientem. Nonnunquam vnum aliquem pium quæstorem, aut præfectum dat, qui aliquid boni facit, reliquis omnibus inuidentibus & reluctantibus.

MINISTRI VERBI PREMVNTVR ODIIS AVLICORVM ET OMNIVM GVBERNATORVM.

Genes. cap. 21. Tom. 2. fol. 183. Habemus hodie nos quoq; nostros Phicholitas aulicos, qui inuidia & odio, contra Ecclesiarum ministros ardent, & omnes vias obstruunt, quibus nos crescere posse iudicant. Hoc enim ipsorum verbum est, sufficere victum & amictum, rock vnd knopff/ & propter multas causas curandum ne ditescant ministri Ecclesiarum. Sed profectò accidet, vt, quod timent, ipsis inuitis accidat, volunt nunc comparcere micas in alendo misero Lazaro, cùm priùs effuderint in Epulonem omnes suas opes, dederunt enim Episcopis arces & ciuitates, & nimis splendidè ac lautè habuerunt eos. Nunc cùm isti alendi sint, qui verè & fideliter docent, vix micas alioqui perituras eis concedunt.

Hæc est peruersa mundi sapientia, quę non solùm sibi maledictionem accersit, sed etiam occasionem subministrat, vt sicut antea creuerunt opes Pontificiorum, ita adhuc hodie fiat. Papatus enim creuit cùm duæ illæ causæ concurrerent, prima, quòd ij, qui tenebant ministeria Ecclesiarum, natura erant ambitiosi, & implicabant sese cularibus negocijs tractandis. Secunda, quòd nobilitas & Magistratus erat ignauus & fugiebat labores, indulgebat voluptatibus, & curam gubernationis relinquebat ministris Ecclesiarum.

Hæc adhuc hodie sacrificulorum potentiam augebunt. Dum enim Principes venantur, commessantur, ludunt, saltant, nec volunt componere causas, tandem Parochis disciplinæ custodia retinenda est. Sed hi varietate negociorum secularium obruti, abijciunt necessariò Biblia, & studium sacrarum rerum. Non enim possunt simul Reipublicæ & Ecclesiæ seruire.

Nos quidem diligenter interea docemus distinguendas esse administrationes illas: Politicam & Ecclesiasticam, sed frustra. Culpa igitur est non solùm ambitiosorum Episcoporum, quod exultãtur Sacerdotes & crescunt, sed ignaui Magistratus, qui quidem vult esse in gloria & dignitate, ac meritò, sed non vult laborare. Cùm igitur ipsi officium facere nolunt, qui ad id vocati sunt, ac defectus in imperijs, seu morbi sunt perpetui, & requirunt medicum, si Pastores Ecclesiarum eam curam suscipiunt, hac via tandem ad dignitatem Pontificiam deuenient.

Exhortandi

Exhortandi igitur erant Magistratus ad laborem, & ad molestias sustinendas, quas gubernandi ratio diligens secum adfert, mundus enim vult gubernari, alius iniurijs, alius plagis, alius indigna contumelia adficitur: requirit igitur ceu in morbo medicinam, quod si isti in politia cessant, res deuoluitur ad eos, qui sunt in Ecclesia. Sic ipsa negocia & laborum patientia prouexit ad amplissimas dignitates Ecclesiasticas. Sunt autem non debilitatæ solùm hac ratione Ecclesiæ, sed penitùs collapsæ. Serò aiunt, sapiunt Phryges, idem nostris quoq; accidit, ante hæc tempora nimium profuderunt in templa & Episcopos. Nunc etiam micas Lazaro inuident.

Hoc malum sine insigni pœna non abibit. Bonus Abraham non postulat possessionem ciuitatum in Palæstina, relinquit eas regi suo, contentus est gramine & aqua, pro se & pecore, quin cedit inuidiæ, & in loco vicino Berseba habitat: sed inuidia aulicorum, ne id quidem ferre potest, cupit eum oppressum, & impeditam benedictionē, & non vident, quòd quantò largius Abraham omnes adiuuat, tantò benedicitur magis. Econtrà aulici quantò dant parciùs, tantò maledicuntur magis.

Sed sic comparatum est, qui Christo mendico nihil dant, hi dant superfluũ Epuloni, & qui esurientem non cibant, hi ipsi peribunt fame. Non libenter velim administrationem politicam, denuò nostris imponere ceruicibus, sed quia Magistratus securè dormiunt, & suum munus alijs permittunt. Igitur si tacuerint hi, clamabunt lapides. Implent hi multis iniurijs & iniusticijs mundum. Itaq; necessaria est diligentis medici cura, qui morbos hos depellat.

DE OFFICIO MINISTRORVM VERBI.

TRIPLICES CONCIONATORES.

Tom. 4. Ienens. fol. 320. Matth. cap. 11. Primi qui quouis vento mouentur, vt Paulus Ephes. 4. ait. Ne circumferamur omni vento doctrinæ. Et Prouerb. Non credas omni vento. Hi sunt qui nouitate & pruritu delectati, fastidiunt semel tradita, & acceptant quælibet. Sicut sub Papatu omnium somniatorum dogmata (modò essent noua) suscepimus. Et nunc post Euangelium surrexerunt Sacramentarij, Anabaptistæ & alij. Quia mundus est mare (vt Isaias ait) quod quiescere non potest, sed semper feruet & mouetur procellis semper orientibus & cadentibus, vt est videre in aquis vento agitatis. Terra autem & petra stat inuicta, contra istas allidentes procellas & in seipsis relapsas.

Secundi sunt, qui ad gratiam & fauorem prædicant. Hi satis diu stant & durant, donec durat gratia & fauor. Vt sunt Iudæi in suis traditionibus, & Papistæ in suis doctrinis. Hi non quia vera sunt, quæ docent, perseuerant pertinaces, sed quia placent ea regibus & maioribus. Hi non interna cordis inconstantia, & pruritu vt primi, sed externa quæstus & lucri, & honoris vanitate tenentur. Et hi mollibus sunt induti in domibus Regum.

Tertij sunt, qui seriò volunt esse pij, constantes satis cum secundis, & tamen gratiam seu quæstum non spectantes, nec vagè mouentur vt primi, sed conscientia bona (vt videtur) volunt per opera iustificari. Hi propriè sunt iusticiarij, qui extra Christum per sua merita volunt saluari, quales multi sunt & fuerunt. Pa: Roman. 10. Zelum DEI habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim iusticiam DEI & suam quærentes statuere, iusticiæ DEI non sunt subiecti. Hi sunt qui Iohan.

qui Iohannem Prophetam tantùm, non Angelum ante faciem eius volunt esse, id est, nolunt sibi Christum monstrari, sed per seipsum via sibi esse ad Patrem, &c.

OFFICIVM MINISTRORVM.

Administrare Sacramenta & communicare doctrinam. Tom. 4. Ienens. fol. 506. Psalm. Graduum 13. Operariorum labor est administrare Sacramenta, & communicare doctrinam, consolationes, minas, &c.

Hoc igitur vt iustè fiat, necesse est operarios iustitia indui, non solùm priuata illa iustitia, quæ singulorum est, sed maximè publica iustitia, quæ est ministerij seu verbi, quæ nunquam potest esse corrupta. Quia etsi persona potest esse vitiosa, tamẽ ipsa administratio verbi & Sacramentorũ non est vitiosa. Nec enim verbum aliquid accipit à persona, sicut nec sacramenta. Si igitur essem ego sceleratissimus homo, & tamen secundum ministerium & vocationem meam baptisarẽ, Baptismus propter vitiosam personam non vitiaretur, sed retineret puritatem suam & esset purior sole. Sic verbum quia est verbum Dei, est etiam purius sole, vtcunq; vitiosus & peccator sit, qui id docet. Sic Sacramenta sanctissima & purissima sunt, etiamsi per indignũ hominem administrentur. Ad hunc modum loquitur de iustitia regente ac gubernante in hoc regno, non de personali iustitia, qua sumus singuli iusti nostris operibus. Hæc enim iustitia, quia nunquam est sine vitio, secundum sententiam. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, ideo alia iustitia opus est, quę nunquam sit cum vitio. Ea est iustitia, qua administratur regnum Christi, nempè ipsum verbum & sacramenta.

Hinc facilè intelligitur, quàm pueriliter de hac iustitia disputant Iudæi, qui intelligunt iustas vestes, & pompam Aaronicam. Etsi enim non licuit Sacerdotem aliter vestire, quàm verbo Dei erat cõstitutum, tamen ea non est eiusmodi iustitia, qua regnum hoc promouetur. Tum autem verè induti sunt Sacerdotes iustitia, cùm iustum officium administrant, hoc est, cùm verbum purè docent, sicut Petrus dicit: Si quis loquitur tanquam sermones Dei. Cùm Sacramenta purè administrant, vt quicquid tum loquuntur tum faciunt, sit aut verbum Dei, aut opus Dei. Sic qui baptisat non facit aliquod suum opus, quod aut ipse finxerit aut excogitarit, sed baptisat in virtute diuina. Sic qui consolatur afflictam mentem, facit id nõ ex sua voluntate aut electione, sed ex certo præscripto diuinæ voluntatis. Quare etiã qui verbum id audit, non debet accipere tanquam verbum hominis, sed tanquã vocem de cœlo sonantem. Sic iustum est ministeriũ, quod verè fit in virtute diuina, & hæc est vera iustitia. Contrà qui sic docent, vt iubeant fidere propriis meritis & operib. vt certam vestiendi, comedendi, ieiunandi, &c. formam præscribant, sicut Papistarum & Turcarũ iustitia tota in his externis consistit, tales Sacerdotes sunt induti iniquitate, iniustitia, blasphemijs & sacrilegijs. Amiserunt enim præcipuum ornamentum sui ministerij, & verum vestitum, quòd non verè docent, nec gubernant verè, sed seducunt potiùs homines specie gubernationis & ministerij sui, idq; impulsu Satanæ odientis hanc iustam administrationem & subuertentis sacerdotes. Hęc calamitas in regno Christi accidit, sicut videmus quoq; in regno mundi. Nã etsi Carolus Cæsar est, tamẽ alicubi Satanæ impulsu seditiones & bella excitantur ab ijs, quib. tyrannis gratior est, quàm iusta administratio. Sed hoc modo etiã fit, vt boni ciues impẽsius ament iustam administrationem, & pro ea diligentiùs orent. Idẽ in regno Dei accidit. Summa igitur huius orationis est, vt qui apud arcã fortitudinis sunt, iustè gubernent, ne illa pulcherrime constituta religio collabatur, vt sic extet fructus verbi, & pauidi animi erigantur, pertinaces & profani cohibeantur minis, infirmi confirmentur, simplices & imperiti doceantur, sicut hęc, Dei gratia, apud nos diligẽter fiunt. Apud Anabaptistas, Sacramentarios, & alios, non fiunt, quia enim doctrinam corruperunt hoc S. ornatu, iustitia. Nec potest aliter fieri, vbi pastores errãt, quin etiam populus doctorum errorem sequatur. Est autem hęc maxima ira, vbi Sacerdotes, quos iustitia oportebat indutos esse, im-

esse impietate ac blasphema doctrina induti sunt, sicut econtrà summum donum est, habere Sacerdotes iustitia indutos.

Arguere peccata. Genes. cap. 6. Tom. 1. fol. 109. Omnis prędicator seu minister verbi, est vir rixarum & iudicij, ac cogitur ex officio reprehendere, quicquid vicio sum, non habita ratione vel personæ, vel officij, in auditoribus. Hoc cùm Ieremias sedulò facit, non solùm odium sed etiam pericula grauissima sustinet. Mouetur igitur ipse quoque ad impatientiam, vt optet se nunquam esse natum.

Ego quoque si non singulariter confirmatus essem à Deo, iamdudum defatigatus & fractus essem ista pertinacia impœnitentis mundi. Ita enim contristant impij Spiritum Sanctum in nobis, vt cum Ieremia optemus nonnunquam, nihil à nobis esse cœptum. Sæpe igitur Deum oro, vt generationem nostram sinat nobiscum mori, propterea quòd nobis sublatis periculosissima tempora sequentur.

Hanc ob causam Elias quoque ab impio Rege Ahab, vocatur conturbator Israel, quia videlicet arguebat idolatriam, tyrannidem, libidines suorum temporum.

Nos quoque hodie habemur pro conturbatoribus Germaniæ, sed bonũ signum est, cùm homines nos damnant, & vocant rixarum autores. Talis enim spiritus Dei est, qui rixatur cum hominibus, eos arguit & damnat. Homines autem tales sunt, vt velint doceri sibi placentia. Sicut apud Michæ. cap. 2. liberè dicunt: Non stillabis super nos. Non enim comprehendet nos confusio, inquit, domus Iacob. Hoc posterius est vice rationis, quia enim vident se esse domum Iacob, & populum Dei, ideo nolunt castigari, nolunt ad se pertinere pœnas & minas, &c.

Debet Legem & Euangelium coniungere. Genes. cap. 18. Tom. 2. fol. 123. Ministerium coniungere debet legem & Euangelium, pœnitentiam & remissionem peccatorũ.

Papa nihil prædicauit quàm terrores. Contra nostri Pseudoprophetæ hodie nihil volunt doceri, quàm Euangelion & promissiones, qui error penè nocentior est. Gratia & remissio peccatorum prædicanda sunt, sed apud eos qui habent peccata, hoc est, qui agnoscunt se habere peccata, & ex animo ijs cupiunt liberari. Qui autem in peccatis securè pergunt, hi sunt ac si essent sine peccatis, his debet lex proponi, hi Sodomæ interitu terrendi sunt, & traducendi hoc modo ad timorem Dei.

Atq; hoc est, vt suprà quoq; diximus, verbũ Dei rectè secare, vt sicut in sacrificijs certa erat distribuendæ hostiæ ratio: Ita quoque indocendo, certus debet seruari ordo, vt perueniatur tandem ad eum finem, vt Deus cognoscatur, & misericors credentibus, & iratus securis: Atque ita singuli discamus timere Deum, & nititi eius misericordia, quam in Filio misso ostendit.

Veritatem tueri contra falsa dogmata. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 87. In functione Ecclesiastica requiruntur Episcopi & inspectores fideles, qui puritatem doctrinæ ac verum vsum Sacramentorum seriò tueantur, falsa & impia dogmata à veris discernant, ac tantò quidem magis ijs aduigilandum est, quantò auidiùs inhiant gregi lupi rapaces. Sicut videmus hæreticos & Papam esse vigilantissimos, non dormiunt securi, non stertunt, sed in omnes occasiones intenti sunt, quibus animos piorum in fraudem illiciant.

POTESTAS MINISTERII ECCLESIASTICI.

Genes. Cap. 48. Tom. 4. fol. 190. Mira res est, quòd minister Ecclesiæ, aut frater quilibet est minister regni Dei, & vitæ æternæ, remissionis peccatorum, & destructionis inferni, denique apertionis cœli, & regni Dei. Ideo sumus Filij benedicti nis, non solùm passiuè, quòd sumus benedicti ipsi, sed etiam benedicendo alijs. Atq; ita impleta est promissio data Abrahæ: In Semine tuo benedicentur omnes gentes.

Non promittit Deus corporalem abundantiam, sed victum & amictum, & tamen magnifica promissio est: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcietur vobis, hoc

bis, hoc est erípite primũ peccatores de manibus peccati, inferni, mortis, Díaboli, & transferte eos in regnum meũ, tum etiã ventri cíbum & potũ ſuppeditabo. Sed quo modo & quo medio, **Womit ſol ichs thun?** Ite baptíſate eos in nomine patrís, &c. Itẽ docete eos quę tradidi & mãdaui vobís, non in veſtro ſed in meo nomine baptíſate.

Hęc tanta beneficia & míracula, quís obſecro aut cogitando aut dícendo poſsit conſequi? Cur igitur non exclamamus cum Apoſtolo. 2. Corín. 9. Gratías ago Deo ſuper inenarrabili dono eius. An non enim mirum eſt, quod homo míhi per omnía ſimilis, dat míhi vitam æternam, aufert mortem, peccatum, damnationem, tyranni-dem Díaboli, venenum peccatí relíquí in carne? per quid? Mandato Dei, Ite bap-tíſate, &c. & promíſsione díuína. Sed non vídeo, inquies, rem ipſam. Reſpondeo. Si credís habes, ſi nõ vis credere nihíl habebís. Sic enim ſonat promíſsio. Qui crediderit & baptíſatus fuerit ſaluus erit. Adeſt ſacramẽtũ altaris, ad eſt baptíſmus, adeſt verbũ concione. Tãtùm verò habes quãtum credís. Si credís, iam omnia potes & poſsides.

Sed vídere iſta velím inquies? Nõ vídebis. Sed vt díxi quę poſsídemus in verbo certíora & firmíora ſunt, quàm quæ reípſa obtinemus, quía illa poſſunt auferri, & tã-dem eripiũtur â morte. Ideo ſunt incerta. Sed quando credo impoſsíbile eſt vt fame peream, ſi non tam copioſè & profuſè omnia ſuppetunt, ſicut auarís & díuítibus, ni-híl ramen deerit eorum quæ neceſſaría ſunt ad corporalem vítam, modò primum om nium nomen Dei ſanctificetur, &c.

Quod ſi non credís nihíl habes. Per fidem autem & promíſsionem iam poſsides regnum Dei. Communio ſanctorum certiſsima & firmiſsima tibi eſt, non aliter ac ſi iam in cœlo eſſes. Nam & filíj Iſrael non obtinuerunt promíſsiones has ſine fide, &c. Sic nos cùm ſimus baptíſatí ſcímus nos eſſe filios dei, & cíues ſanctorum in reg-no dei. Res certa eſt. Quís dedit tibi hanc certitudínem & conſolationem? Miníſter verbi ſacerdos. Quid quęſo is docet, homo abiectiſsimus, egenus, inops, mendícus, qui vix habet vnde reſtim ſoluat, quomodo is daret regnũ cœlorũ? Tales enim ſunt hominum profanorũ & incredulorũ voces ſicut de populo Iſraelítico dícitur Psal. 78. Et male locuti ſunt de Deo, dixeruntq;. Nunquit poterit Deus parare mẽſam in de ſerto, nunquid & panem poterit dare, aut parare carnes populo ſuo? Et Capernaitę Iohan. 6. Quomodo poteſt hîc nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Sed reci tat Pſal. quoq; pœnas incredulorum: Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eo rum cum feſtinatione. Hoc igitur certò & firmiter ſtatuendum eſt, quod Paſtor Ec-cleſię habet poteſtatem aperiendi cœlum íjs qui volunt baptíſari, abſolui, doceri ver-bum. Ideo quía habet facultatem & mandatum diuínum & poteſt & debet abſoluere & remittere peccata, ſicut expreſſè eis hanc poteſtatem tríbuit Chriſtus Iohan. 20. Quorumcunq; remíſeritis peccata, remittuntur eís, &c.

Hęc verò non traduntur ſed obſcurantur in Papatu, imò prorſus oppreſsit & ex tinxit filius ille perditionis tanta dona & beneficia, quantum in ipſo fuit. Sic enim docuerunt. Non ſufficit baptíſatum eſſe & in Chriſtum credere, ſed inſuper etiam pe des meos oſculari debes. Ideo digniſsimus odío eſt Antichriſtus, qui ſuſtulit nobis gloriam promíſsionis & fidei, ac regni cœlorum, & vitę æternę, & iubet me obediẽ-tiam præſtare fictę perſonę & laruæ hominis peccati. **Er weiſet mich ſchlecht dem Teu-felin hindern.** Horríbilis omninò pœna fuit ingratitudinis. Demus igitur operam vt ſimus grati pro magnificentia & gloria regni Chriſti, per luccm & doctrinam verbi diuínitùs repurgata. Non enim proponũtur nobis leges decretales, ſed doctrina de remiſsione peccatorum. Papa autem tantùm traditiones ſuas obtruſit Eccleſię, nec legem nec Euangelium docuit, quin, ſi legem docuiſſet, tolerandus fuiſſet aliquo mo do, ſed decalogi quoq; verus intellectus ſublatus fuit. Vide enim Magiſtrum ſenten tiarum, & alios Doctores, quàm frígidè tractent, imò prorſus negligẽt & prętereant decalogum. Poſtea Canoniſtæ ne cogitarũt quidem vnquam de expoſitione decem

præceptorum, & tamen ab vtrisq; totus orbis repletus fuit, immensis voluminibus, quę nihil aliud habent quàm tenebras illas regularum, vatorum cingulorum, cucullorum, ieiuniorum, ad quorum admirationem totum mundum, ac præcipuè simplices concitarunt. Deploranda igitur cęcitas fuit, ac iustum est, vt omnia collegia & monasteria euertantur, nisi forte relinquantur quædam in memoriam peccatorum & abominationum, quarum domicilia fuerunt, perinde vt olim domus Roaal, Moloch & Tophet.

Quando igitur cogitamus de amplissima illa & mirabili gloria patrum, quod potuerunt credere præsens Regnum & futurum, siue promissionem corporalem cum spirituali coniunctam, quarum illa veluti operculum erat, in quo simul promissio de Christo inuoluebatur, multò magis nos prędicemus nostrum baptismum, coenam, Claues & ministerium verbi, ita vt assuescamus & discamus, honorare, exoscularì, magnificè loqui sentire de verbo & sacramentis, quę profectò præclarissimè protestates sunt aperientes cœlum, claudentes infernum, tollentes peccatum & mortẽ, & vitam largientes, sed omnia hæc in fide. Adhuc enim expectamus, nondum videmus rem. Roman. 8. spes autem quę videtur non est spes: nam quod videt quis quomodo sperat?

Ad hunc modum cõferendę sunt promissiones noui Testamenti cùm illis quas habebant patres in Veteri, quanquã illę quoq; his inclusę erant, tamẽ nondum euulgabatur per totum terrarum orbem, sicut hodie. Tunc solus ille populus, iam verò vniuersus orbis habet promissiones, verbum & magnalia Dei, & in tempore necessitatis cuilibet fratri ministerium verbi committitur.

Quando verò doceo, non doceo ego, non consolor, sed Christus habitans in nobis. Ideo crede non mihi sed Christo, baptisanti, consolanti, porrigenti sacramenta per me, sicut promisit. Ego ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi. Ea enim est potentia Dei, & gloria magnificentiæ regni Christi. 145. Psal. Optarim igitur pios à teneris assuescere, vt magnificẽtissimè loquerentur de nostra primogenitura regno & ministerio, & vt grati essemus Deo, adeoq; reuerẽtia cordis & corporis totius gestu hęc honoraremus, quia sunt res diuinę & tales, quę nobis donãt regnum ęternũ.

STIPENDIA DEBENTVR ECCLESIAE MINISTRIS.

Genens. Cap. 39. Tom. 4. fol. 45. Nos meritò poscimus & sumimus ab auditoribus mercedem nostram. Sicut inquit Christus: Dignus est operarius mercede sua, hoc est, bona conscientia potest eam accipere. Item Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. 1. Cor. 9. Itẽ. Qui bene præsunt, duplici honore digni sunt. Sanè digni sunt. Sed vbi? apud Deum, apud mundum verò gladio, cruce, in ferno, aut si quid est tristius.

Was fragen wir den darnach? Nos qui seruimus ingratissimo mundo, habemus promissionem & spem regni cœlestis: ac tanta quidem erit compensatio acremuneratio huius miserię nostrę, vt valde reprehensuri simus nos ipsos, quod vnquam vel lachrymula, vel gemitus vnicus nobis excidit, propter cõtemptum & ingratitudinẽ hanc. Cur non passi sumus grauiora? dicemus. Nunquam credidissem tantam futuram gloriam in ęterna vita, alioqui non veritus essem multò plura perpeti. Hęc est cõsolatio & spes piorum, quòd salus & gloria nostra nõ in hac vita quęritur, sed ad aliã & meliorẽ aspiramus. Quicquid verò agimus in hoc mundo id totũ referimus ad gloriã dei, vt multi cõuertantur & salui fiant. Propterea comedimus, bibimus, & œconomica pariter & politica tractamus, itẽ, docẽdo Ecclesiã colligimus vt quęramus alteram vitã. Sicut Ioseph, qui nullã spem habebat libertatis aut regni in Aegypto, tamen in cœlo perpetuam gloriam & fœlicitatem expectabat. Idem nos sperabimus, quanquam

quanquam in hac vita quoq; pios multis bonis cumulat Deus, sed non est principale præmium. Vita æterna & perpetua lætitia ea demum vera merces est piorum in cœlis, quam acceperunt Christus & omnes sancti. Valeat igitur mundus cum suis Harpijs, nos nostrum officium faciamus, sicut Dei beneficio adhuc docemus, ac sustinemus summa patientia ingentes ærumnas, quia omnibus modis cupimus consultum impijs & ingratis, & eo acquiescimus, quod scimus Deo placere studia & labores nostros **Waß wir nicht können fort bringen / daß mogen wir dahinden lassen.** Sic habemus annuentem & fauentem Deum, qui dicit: En placet mihi seruitus tua, ego ero mercenes tua, & abundè tibi satisfaciam pro eo quòd seruisti hominibus ingratis: hęc promissio & consolatio longè vberior est omnibus thæsauris totius mundi.

AN LICEAT MINISTRIS ACCIPERE MERCEDEM.

Tom. 4. Ienens. fol. 557. Micheę. cap. 3. Et sacerdotes eius propter mercedem, &c. Ineruditè hac sententia quidam abutuntur contra pios Doctores, quasi non sit licitum viuere ex stipendijs, quæ ministris Ecclesiæ constituta sunt. Allegant Christi verbum Gratis accepistis, gratis date. Opponunt quoq; sancti Pauli exemplum, qui cùm doceret Ecclesias, tamen Ecclesias non voluit onerare, sed ipse manibus suis parauit victum. Hæc siue quærela, siue calumnia nascitur ex quodam Diabolico odio ministerij verbi. Quid enim aliud faciunt impij homines, qui talibus sermonibus simplicium aures fatigant, quàm vt non solùm personas ministrorum, sed ipsum ministerium in contemptum adducant, cùm potiùs omni cura in id incumbendum erat, vt ministerijs propter verbi honorem sua dignitas restitueretur.

Verùm quidem est quod Christus dicit, Gratis accepistis gratis date, vult enim finem principalem ministerij esse, vt seruiatur gloriæ Dei, & hominum saluti. Nam propter hæc duo, ministerium verbi pręcipuè institutum est in mundo, sed ex hoc non sequitur, quòd impium sit, vt Ecclesia alat ministros suos. Hoc impium esset, si ministri finem ministerij negligere, & tantùm ad mercedem respicere, seu propter mercedem docendi munus non rectè administrare vellent. Sicut igitur minister Ecclesiæ mandato Dei cogitur, vt & gloriæ Dei & saluti hominum seruiat. Ita vicissim Ecclesiæ mandatum habent, vt ministros alant. Sic enim dicit Christus, Mercenarius dignus est mercede sua. Si dignus est, nemo igitur mercedẽ exprobare Doctori debet. Sicut S. Paulus hanc sententiam clariùs explicat. 1. Cor. 9. Dominus, inquit, constituit seu ordinauit, vt qui Euangelium annunciãt, etiam ex Euangelio viuant. Allegat autem ministerium legis, qui, inquit, sacra faciunt, an non ex sacrificio viuunt? Qui assident sacrario an non cum sacrario participant? Vtitur alijs similitudinibus ad hoc negocium aptissimis. Quis inquit est, qui propris stipendijs militet? An qui vineam plantat eam sic plantat, vt de fructibus eius non comedat? Pręcipuè autem digna obseruatione est insignis illa collatio, qua etiam in Galatis vtitur: Seminamus vobis spiritualia, magnum verò est, quod nobis carnalia suppeditatis?

Quod igitur ad exemplum Pauli attinet, ipse palàm testatur se hoc non facere, quasi iniquum sit ab Ecclesijs accipere victũ, sed vt adiuuet hoc modo cursum verbi, & pręcidat occasiones calumniandi, quas in re noua homines indigni poterant comminisci. Debet quidem sicut ab omnibus Christianis, ita maximè ministris verbi omnis auaritię & cupiditatis suspicio abesse, Non tamen ideo statuendum est, quòd iniquum sit accipere ab Ecclesijs, quæ ad commodum victum sunt necessaria. Sicut qui damnant hisce prodigiosis opinionibus, propter speciem singularis sanctitatis, delectantur, quidam ex certa maleuolentia & satanico odio ministerij, in calumniam rapiunt quod ministris alibi pro facultatibus Ecclesiarum, liberalia stipendia constituta sunt.

Si enim Ecclesiarum vtilitatem spectamus, An non in eam potiùs partem pronunciabimus, vt ministri Ecclesiarum habeantur liberaliter, quàm quod multis in locis vix à fame se & suos tueri possunt? Nam hæc illiberalitas meliora ingenia à cura Ecclesiarum absterret. Non enim omnium & est illud robur animi & ea constantia, vt pro difficillimis laboribus odium & famem reportare velint. Ac præcipuè marito nihil potest grauius accidere, quàm si videat vxorem & liberos egere, quos, si aliam rationem vitæ sequatur, etiam cum splendore alere possit. Nam etsi legum aut medicinæ studium, propter magnos sumptus non omnibus pateat: Tamen quot in Republica munia honestè administrari possunt, ab homine etiam mediocriter erudito, quæ omnia ad splendorem vitæ, & ad opes aditum patefaciunt? Hæc profectò uentus magis sectari volet, etiam suorum causa, quàm vt vxorem & liberos in certam mendicitatem sciens & prudens protrudat.

An non igitur Ecclesiæ, ex ista illiberalitate qua erga ministros vtitur, certum periculum erit? Siquidem & eruditis hominibus carebit, & indoctorum hominum, qui non possunt ad altiora contendere, inepta ac periculosa gubernatione opprimetur? Sicut ante oculos exempla sunt, quæ ostendunt non solùm quanta caligines sacræ indoctorum gubernatione inuolutæ, sed etiam quanta barbariæ omnes bonæ artes oppressæ fuerint. Nemo igitur offendatur, quod alicubi bonorum Principum pio studio, Ecclesiarum ministri paulò liberalius habentur. Hoc potiùs queramur omnes non haberi à maxima parte principum & Rerumpub. posteritatis curam, quæ in tanta illiberalitate aut nullos aut indoctissimos gubernatores habitura est. In primis graue & intolerabile illorum, tum peccatum, tum iudicium erit, qui Ecclesias spoliat, & ministrorũ facultates inuadũt. Sicut in agro ferox nobilitas, & in Rebusp. potẽtiores familiæ, plerũq; solent. Vtriq; enim parui lucri spe inuitati, in certũ exitium Ecclesias adducunt, quas maiorũ exemplo, etiam sua liberalitate adiuuare, & ornare debebant.

Sed ad Micham redeo is non damnat sacerdotes & Prophetas, quòd mercedem & argentum accipiant, debetur enim merces sua pijs doctoribus: Hoc autẽ damnat, quòd ministerio ad quæstum abutebantur: Quòd propter lucrum conniuebant ad peccata populi, quæ reprehendere debebant. Sicut Bileam conduci se patitur, vt maledicat, quibus Dominus vt benediceret mandarat. Ad hunc modum, inquit Propheta, debebat reprehendi impietatis huius populi, sed propter quæstum pseudoprophetæ etiam assentantur peccatoribus, & bona promittunt.

DE SIMONIA.

Genes. cap. 23. Tom. 2. fol. 220. Est autem Simonia emptio vel venditio rei spiritualis pro pecunia, quãdo accipit quis pecuniam, & dat domũ vel rem spiritualem. Vt Simon Magus cùm videret per impositionem manuum Apostolorũ dari Spiritum sanctum, offert eis pecuniam dicẽs, date & mihi hanc potestatẽ, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Cupiebat Spritum Sanctum pecunia in sua potestate esse, & facere quod ipsi liberet. Ibi Petrus duriter eum increpat pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti domum Dei pecunia parari.

Ab illo Simone crimen dicitur Simonia, quæ est quando quis exemplo Simonis putat pecunia dona Dei emenda esse aut vendenda. Christus enim non venditis sua dona & gratiam, sed redemit nos gratis.

Hæc vera diffinitio est, quam Canonistæ mirabiliter postea crucifixerunt. Illam enim partem definitionis, donum Dei Pro pecunia: applicant ad omne id, quod homines dant Deo. Ita nunc vocat reditus Ecclesiasticos bona spiritualia, quia sunt dona Dei, non quæ Deus dedit, sed quæ homines Deo obtulerunt. Nonne ingens hæc est cæcitas & amentia?

Rapiunt autem hunc textum ex Mose leuit. 27. Quicquid semel fuerit consecratũ, Sanctum

Sanctum Sanctorum erit Domino. Talia volunt esse dona oblata Ecclesię, beneficia, clinodia, & alia initiò ad alendos ministros collata. Quòd si quæritur, an liceat ea vendere, vel emere? Respondent quod non: quia sunt bona spiritualia.

Atqui Petrus dona à Deo data intelligit passiuè & actiuè. Est igitur fallacia compositionis & diuisionis, vt Dialectici loquuntur, quando hęc cõfundunt & miscent. Sed quomodo dextrè de hacre docerẽt, cũ dona Spiritus S. nõ curent, & submersi sint in Simonia & donis Deo datis, hoc est, ijs, quę vulgò spiritualia bona appellantur.

Ac sæpe deploraui abusum horum vocabulorum, **geistliche gũter / geistliche person/** spiritualia bona, spirituales personę, quo nomine appellant suos sacrificos. Libẽter ea retinuissem in vero & proprio vsu, sed perierunt nobis abusu, & iam spiritualia bona Papistis dicũtur reditus, census, ędes, oppida, regiones, quę sunt maximè politica. Spiritualis homo is est, qui credit & baptisatus est. Siue sit laicus, siue in officio Ecclesiastico: nõ significat sacrificũ vnctũ, rasum & ordinatũ ad sacrificia pro defunctis.

Hęc ideo moneo, vt sciatis in iure canonico esse peruersissimum abusum, & horribilem cæcitatem in disputationibus de Simonia. Emptio, venditio, non donorum Spiritus Sancti actiuè, sed donorum hominũ, quę dederũt, Deo, vel Ecclesiæ, vt sunt præbendæ, ciuitates & similia, Canonistis Simonia dicitur. Quemadmodum si quis vendat beneficium aliquod, vt vocant, spirituale, parochiã, beneficium altaris & missę. Item, si Episcopus accipiret pecuniam & ordinaret sacerdotẽ. Postea disputant an Simoniacus ordinatus à Simoniaco verè sit ordinatus an non? De his quæstionibus plaustra, imò maria librorum extant.

Sed si manet hęc eorum definitio vera, tum omnes Episcopi & canonici Papistici sunt simpliciter Simoniaci, omnes damnati ad infernum & diabolum: non Euangelico iure, sed ipsorum iure Canonico semetipsos condemnant. Moguntinus Episcopus, vicies mille aureos Pontifici pro pallio numerat. Vuirtzburgẽsis decies mille. Canonici cẽtenos aureos. An non omnes sunt Simoniaci, nõ nostro sed ipsorũ iure. De hac re tacent canonistę, nec nostram reprehensionem ferunt: sed si nostri ministri & pastores Ecclesiarum ducunt vxores, illos damnant & occidunt. Hoc quid aliud est, quàm iniquitas iniquitatum?

Ante quadringentos annos si Episcopus aliquẽ hoc crimine notasset omnes eius consuetudinẽ defugissent, quin de facto esset excommunicatus. Sed iam omnia sunt venalia: interim nobis imperant, vt seruemus canones & decreta, à quibus ipsi sunt liberrimi. Oblatrant nobis negligi decreta pontificum, contemni & dissipari ordinẽ Ecclesiasticum, cur ipsimet non seruant hæc? Nemo apud eos peccat nisi filius Dei, nemo iustus est nisi Diabolus.

Sed si saperet, vel hoc beneficiũ agnosceret pontifex, quod nostra doctrina liberat eum à suis libris & decretis, & absoluit eum à crimine Simonię, quia temporalia tantum rapit, aurum & argentum, quę non sunt spiritualia, qualis est baptismus, Euangelium, ministerium verbi, nihil eorum quęrit aut rapit, quę sunt vera dona Spiritus Sancti. Sunt quidem illa Dei dona, sed politica, œconomica & corporalia.

Igitur absoluimus Papam ab hoc crimine iuxta veram definitionem, quo ipso suo iurè se implicuit: Quia non vendit spiritualia, quæ verè sic dicuntur, non enim habet, sed vendit quasdam dignitates, & rapit ad se opes mũdi. Non vendit ministerium, imò non curat ministerium Dei & Ecclesię. Ideo non est ei impingendum Simoniæ crimen, sed Verris, aut Dionysij, & appellandus est raptor omniũ raptorum, fur furum, latro latronum, est enim inexplebili & insatiabili ingluuie & cupiditate hauriendi & absorbendi bona corporalia.

Simonia verò est Ecclesiasticum vicium, sicut Petrus definit, ibi accipimus pecuniam pro donis Spiritus Sancti, non pro donis corporalibus. Hæc duo confundunt Canonistę puri puti asini. Simonia enim non habet locum in bonis œconomicis aut politicis, sed donis Spiritus Sancti.

Quod si obijcitur bona illa corporalia esse annexa spiritualibus. Recte sane, Oeconomia & politia est annexa Ecclesiæ. Hæc vita non potest sustentari sine cibo & potu, num ideo sunt spiritualia omnia quibus credentes vtuntur?

Simonia est quando precio vendo rem spiritualem, quam gratis dari oportuit. Templum autem sepulchrum & vniuersa dona ablata sanctis nõ sunt spiritualia, sed simpliciter corporalia, ea possunt rapi, distrahi, vendi, sed spiritualia dona non possumus furari, vendere, aut emere, quia non nostra sunt sed spiritus sancti. Quod si minister aut Pastor Ecclesiæ non vellet te docere de remissione peccatorum & beneficijs Euangelij, negaret tibi absolutionem, nisi cẽtum aureis ab eo redimeres, illud Simoniacum esset. Atq; hoc modo Papa est Simoniacus, offert enim omnibus gratiam & remissionem peccatorum à Deo, si numerent ipsi certam summam pecuniæ: Illud est vendere rem spiritualem, & gratiam spiritus sancti: quanquam ipsa vẽdi non potest, si vel mille aureos aut amplius numeres pro vna absolutione. Primùm enim non habet ea pontifex. Deinde impossibile est vendere res spirituales: Nisi quòd potest fucus fieri imperitis, & simulatio quędam venditionis.

Sed beneficia Spiritus sancti & sanguis Christi non sunt venalia, nec est possibilis venditio, nisi fuco & specie quadam, secundum electionem & voluntatem hominum. Quando Papa profitetur, eum qui attulerit quinq; grossos redempturum animam ex purgatorio: Ibi est Simonia propria, sed non vera, quia nõ sequitur liberatio animę ex purgatorio, tametsi adsit precium, emptio & venditio.

Sic finxit se habere potestatem, remittendi peccata, rapuit ad se claues, vendidit remissiõem peccatorum, promisit liberationẽ ab inferno & purgatorio. Sed tantùm abstulit pecuniã relictis miseris animabus sub potestate peccati inferni & Diabo

Hęc propriè Simonia est, scilicet, vendere domum Spiritus Sancti, quod non potest contingere nisi gratis: potest quidem venale exponi, sed Deus non emitur. Res non sequitur contractum simoniacum. Itaq; secundum res Simonia est impossibilis, sed secundum fucum, vsitatissima. Quia prostituitur & venditur nomen Domini. Sed ea ipsa nihil aliud est, quàm inanis simulatio.

Ideo Papa in rebus spiritualibus, est Simoniacus, vendit remissionem peccatorum & iusticiam: in temporalib. est sacrilegus & raptor, qui Christum ipsum venderet si haberet in manibus sicut Iudæi habuerunt, voluntas omninò non deest.

Similis in cœnobijs Simonia fuit tam ex parte ementis, quam vendentis. Quia enim pendebat centum aureos, illi quatuor anniuersaria celebrabantur. Totus igitur Papatus satanica Ecclesia est, plena rapinis sacrilegijs & infandis abominationibus & blasphemijs.

Sed hinc nascitur quæstio, num liceat ministro verbi petere aut accipere victum pro officio. Respondeo: Licet omnino. Sicut pauper accipere potest donũ aliquod. Si illam potestatem haberem, quod nemo posset absolui à peccatis, nisi numerasset mihi aliquot aureos, vna die omnes mundi opes corraderem. Sed hoc non licet, & Papa satanico ausu hunc quæstum instituit. Nobis mandatum est, vt doceamus, consolemur, absoluamus, omnes quicunq; recipiunt & credunt, & illi omnes gratis à nobis accipiunt, iuxta sententiam, Gratis accepistis, gratis date.

Sed vt Christiani gratis ministerio verbi fruuntur, ita vicissim pro officio debent gratis alere, & defendere ministros, prębere victum & amictum. Galat. 6. Communicet aũt is qui catechisatur verbo, ei qui catechisat, in omnib. bonis. 1. Tim. 5. Qui benè prępsunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur maximè qui laborant in verbo & doctrina, & Christus ipse inquit, dignus est mercenarius mercede sua. Itẽ, Dñs apud Esaiam ait: Principes & Reges daturos dona Ecclesiæ. Sed hæc dona non sunt precia, emptiões, aut venditiones. Necessarius est nobis victus quotidianus, cibus & potus, sed his nõ persoluitur absolutio. Quis enim posset soluere? Quid sunt centum aur-

centum aut mille aurei collati ad illud inæstimabile donũ remissionis peccatorum?

Quando igitur accipimus alimoniam ab Ecclesia, non est precium equiualens huic dono, quod tanti est, vt totius mundi opibus non possit persolui, sed quia hoc ingens & inæstimabile donũ non potest administrari nisi per homines, qui indigent victu & amictu, ali eos & sustentari necesse est. Illud verò non est remunerare donũ, sed operam & laborem. Apud Canonistas alia quęstio est: Si minister Ecclesiæ comparserit de labore suo ducentos aureos, liceat ne ei emere fundum, aut possessionem pro illa pecunia. Ipsi negant, propterea quòd sit bonum Ecclesiasticum. Ego verò affirmo id licere. Quia non est spiritualis res, etiamsi persona administret spiritualia.

Turpissimè igitur errant Canonistæ, nec sciunt quid sit Simonia, sed confundunt bona spiritualia & carnalia, & ipsimet suo iure, & sua conscientia sunt insignes Simoniaci, rapiunt & deuorant bona pastorum & Ecclesiarũ, peiores Verre & Dionysio, & distribuunt res verè spirituales, tanquam spolia pro pecunia. Illi ipsi tamen sumunt sibi gubernationem orbis terrarum, iudicium de nostra doctrina, & verbo Dei, imperant nobis obedientiam Papæ, cùm sua ipsorum statuta & decreta, nec intelligant, nec curent.

CONSENSVS PRINCIPVM ET MINISTRORVM ECCLESIAE.

Genes. cap. 23. Tom. 2. fol. 223. Magna fœlicitas est, quando principes eiusmodi hospites secum habent, & in ijs Deum & Christum agnoscunt, & reuerẽter tractant: & vicissim hospes & sacerdos, suum officium facit piè & fideliter docendo. Rarissimum hoc beneficium est, vt pij sacerdotes habeant locum tutum & tranquillum vbi doceant: est singulare Dei donum, quod Diabolus hostis infensissimus verbi & salutis humanæ frequenter impedit & turbat. Vbi verò talis concordia est, vt principes terræ pro seminatione spiritualium ministros honorent, tueantur & alant, ibi vere dixeris esse paradysum mundi.

Quod si ministri contemnuntur, ridentur, conculcantur, vt Esaiæ & alijs Prophetis accidit, Esai. 57. Super quem dilatastis os, & eiecistis lignum, cum quidem optimè & fidelissimè docerent, certissimum argumentum est iræ diuinæ, & imminentium calamitatum. Non enim vnquam impunè abiuit, contemptus tanti beneficij, quod exhibetur hominibus per pios ministros.

Econtrà impiorum & sceleratorum sacerdotum plerumq; melior conditio est, habent enim principes obsequentissimos, & paratissimos ad omnia officia. Sicut Papa omnes Reges & principes mundi sibi habuit obnoxios & profusissimos, non tantùm rerum & bonorum, verumetiam corporum. Sed pro tantis beneficijs seduxit & lucrifecit eos Diabolo.

Hodie ministerium ab omni errore & idolatria repurgatum est fœliciter, sed quomodo accipitur & tractatur in mundo: blasphematur, ejicitur, conculcatur, & ministri interficiuntur.

DE MINISTERIO VERBI ANTE DIEM NOVISSIMVM.

Genes. cap. 7. Tom. 1. fol. 128. Christi vaticinium ostendit durissima secula, cùm dies Domini imminebit fore, vt nulli vsquam inueniantur sani Doctores, oppressa Ecclesia per impios. Sicut etiam consilia aduersariorum nostrorum minantur. Nam Papa & impij Principes, hoc omnibus viribus agunt, vt in vniuersum tollatur ministerium verbi, & credat quisque quod libet, veris ministris omnibus aut oppressis, aut corruptis.

Tantò nunc diligentiùs orandum erat pro posteris, ac agendum summa cura vt purior doctrina ad eos transmitteretur. Si enim temporib. Noah plures fuissent pij Doctores, etiam maior iustorum speranda copia erat. Nunc quia ad tantã paucitatem redacti sunt iusti, vt vnus Noah iustus prædicetur, satis apparet pios doctores aut occisos, aut ad hæreses & idolatriã inflexos fuisse, relicto vnico iusticiæ præcone Noah, sicut Petrus, 2. Pet. 2. eum appellat. Magistratu aũt verso ad tyrannidẽ, & œconomia per adulteria & stupra perturbata, quomodo potuit abesse diutius pœna? erunt similia. Ac sanè Pontifices & Episcopi, strenuam nauant operam, vt Euangelium opprimatur, & Ecclesiæ rectè institutæ vastentur. Ita nititur mundus magno conatu ad seculum simile seculo Noah, quo extincta luce verbi, omnes errent in tenebris impietatis. Sublata enim prædicatione, non poterit consistere fides, non inuocatio, non sacramentorum verus vsus?

ANTITHESIS EPISCOPORVM CHRISTI ET SACERDOTVM PAPISTICORVM.

Tom. 2. Ienens. fol. 472. de Abroganda Missa priuata. Paulus dicit Tit. 1. Huius gratia reliqui te in Creta, vt reliqua perfectè corrigas, & constituas præsbyteros per singulas ciuitates, sicut ego tibi constitui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.

Hîc si credis in Paulo spiritum Christi loqui & statuere, agnoscis simul statutum diuinum esse, vt in qualibet ciuitate sint plures Episcopi, aut saltem vnus. Perspicuũ est enim, quod præsbyteros & Episcopos eosdem facit, eadem autoritate Dei, dũ dicit, Ideo constituendos præsbyteros per singulas ciuitates sine crimine existentes, quod Episcopum oporteat esse sine crimine. Præsbyteros autem vocat, nõ idôla illa rasa & oleata, sed seniores & cõiugatos laicos in ciuitate, honestæ vitę, & famæ. Hos vult Episcopos fieri, plures in qualibet ciuitate vt dixi. Græcè enim clarè patet, plures vni ciuitati constituendos esse, vbi dicit κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, presbyteros secundũ ciuitatem, id est, vbi ciuitas fuerit, ibi præsbyteros constituas. Idem Phil. 1. cap. Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnib. sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis, Gratia vobis, &c. Philippi erat vnica ciuitas, & tamen plures eius Episcopos salutat. Idem Act. 20. misit ad Ephesum & vocauit presbyteros Ecclesiæ ad se. Qui vbi venerunt dixit ad eos inter multa alia. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo posuit vos spiritus sanctus Episcopos, vt pascatis Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ecce Ephesus quoq; vna ciuitas erat, & presbyteros seu seniores in ea Ecclesia Episcopos appellat plures à spiritu sancto cõstitutos.

Quid aduersus hæc tria cœlestia fulmina potestis, vos locustę fumosæ putei abyssales? Per Christũ te oro, Christiane lector, nihil te moueant Cardinaliũ, Episcoporũ, Paparum infulæ, pilei, mulæ, familiæ, gemmæ, aurũ, purpura, & vniuersus ille fastus sissimus impiorũ hominum fastus. Paulo imò S. S. crede, non sunt illi Episcopi, sed idola, laruæ, monstra, & portẽta iræ Dei. Episcopos audis hic definiri viros coniuges & honestos in vna ciuitate, quotquot necessarij sunt ad curãdum populum eiusdem ciuitatis. Hæc definitio non Ecclesiæ, non Conciliorũ, non Patrum non denique lupanarium istorum prostitutissimorum Parisiensium & Louaniẽsium, sed spiritu sancto sed Iesu Christi, sed diuinæ maiestatis est, aduersus quam si vniuersi angeli de cœlo cum tota creatura saperent, quid obsecro te deberent mouere? Nonne ceu inane arboris folium eorum verba deberes æstimare, præ verbis his æternæ Maiestatis? Nunc cùm ei aduersentur non nisi fœdæ simiæ & meræ laruæ hominum, non minus indoctæ quàm impiæ, inutilissimum scilicet hominum chaos, quod vix idoneum est ipsas laruas

ipsas larvas Episcopales gestare, quid est quòd eos aut paleas, aut miteris? ac nō potius ceu labes & maculas orbis terrarum ducas (vt Petrus eos appellat) cum vniuersis suis pompis, statutis, ritibus, mendacibus & sacrilegis?

Adeste ergo vos abominabilia monstra terræ & rationem reddite, vnde & qua autoritate vos estis & vocamini Episcopi? Spiritus Sanctus vni ciuitati plures constituit Episcopos, vos singuli pluribus. Et vnus Papa omnibus orbis ciuitatibus Episcopus esse nititur. Qua autoritate? Nonne ipsiusmet Satanæ, aduersantis per vos Spiritus Sancti autoritati? Quid habetis, quod hic mutiatis impiæ & sacrilege larue? Concludimus itaq; cum fiducia vos iuxta diuinas literas, & decretum Spiritus Sancti, neq; esse, neq; dici Episcopos, sed magis aduersarios & vastatores, tam Episcoporum, quàm decreti diuini de Episcopis constituendis. Estis verò Episcopi vocatione Satanæ, & constitutione Apostoli eius Papæ, vndè & rectè vocamini creaturæ Papæ, non Spiritus Sancti. Qualis creator tales creaturæ. Non tremunt adhuc ceruices vestræ durissimę, dum auditis vos non modo citra voluntatem Dei, sed impijssimè contra voluntatem Dei Episcopos esse? Hoc est, quòd ne cogitatis quidem de vllo Episcopi officio, sed animalia ventris & gloriæ duntaxat estis, saginati ad victimam æterni iudicij Dei. Igitur producite & vos aliquod testimonium de vestro Episcopatu. Quod cùm facere non possitis, nos autoritate Spiritus Sancti liberè pronunciamus, vos esse idôla mundi, qui titulo ac nomine Episcoporum violenter arreptio, & legitimis Episcopatibus extinctis, aduersarij nouissimi sitis Christi & Ecclesiæ eius. Sic nos de vobis & iudicare & sentire cogit spiritus in Paulo Episcopos constituens, cùm nihil in orbe sit dissimilius & repugnantius Episcoporum statui, quàm vester latualis & plus quàm mundanus status.

Sed ne solus Paulus sic videatur Episcopos describere, audiamus & Petrum, dicit, 1. Petr. 5. Presbyteros, qui sunt in vobis, hortor ego conpresbyter & testis Christi, passionum & futuræ gloriæ socius, pascite eum, qui inter vos est gregem Christi, Episcopantes non coactè sed voluntariè, non turpis lucri gratia, sed promptè, non quasi dominantes in hæreditatibus, sed forma facti gregis, cùm venerit Archipastor, accipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

Vides hîc, presbyteros & Episcopantes in vnoquoq; grege eosdem & multos esse debere, per omnem modum quo Paulus disposuit. Quod autem nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit, quæ fecit vt clerum hoc loco intelligerēt, quos nuncà Laicis discreuit impia hominum traditio, cùm Petrus vocet hic cleros hæreditates seu substantias, volens seniores Ecclesiæ tales esse, qui sciant sese gregem Christi regere, non propriam aliquam hæreditatem. Proinde, non dominari, sed seruire illis debere, serui enim sunt alienæ hæreditatis, id est, Christi, non Domini propriarum rerum. Nunc verò Papa cum suis laruis non dominatur modo, sed tyrannisat, grassatur, bachatur in oues Christi, subijciens sibi & res & corpora & animas omnium, robustiùs illis vtens, quàm vllus herus suis propriis rebus. Et hoc vocant hodie pascere oues Christi.

Vltimò, Christus Lucæ 22. contendentibus Apostolis de maioritate dicit: Principes gentium dominantur eorum, & qui potestatem super eos habent, benefici (id est, quos nunc gratiosos vulgò vocant) vocantur. Vos aūt sic &c. Hîc te lector medium constituo iudicem inter Christum & Papam, Episcopos, quos hodie principes gentium, non queunt imitari præ magnitudine dominationis & opum. Christus statuit vt sint non sic, Papa statuit vt sint vtiq; sic. Confer hic Principis & vicarij sui voces. Nō sic, & vtiq; sic, & videbis, quis Christus & quis Antichristus sit, & qui sint Episcopi, & qui larvæ Episcoporū. Væ nobis miseris, qui in his iræ nouissimæ temporibus sub talibus laruis, idolis, idiotis, truncis, lupis, pestibus, & monstris nocentissimis, sine Episcopis & presbyteris, viuere imò perire cogimur.

Statuimus

Statuimus itaq; autoritate Dei, Episcopos Christianos esse viros graues & prouectæ ætatis, coniuges, laicos, doctos in verbo veritatis, in qualibet ciuitate plures, vel per vicinos coepiscopos, vel à plebe sua electos, quales modò essent quos vulgo Parochos seu Plebanos vocant & Capellanos eorum Diaconos, nisi per tyrannidem superiorum idolorum missas suas prophanarent, Euangelium tacere cogerentur, ceu libes perirent, & nullum Episcopi officium implere permitterentur. Hæc est Apostolica sanctio, diuinum decretum, Spiritus Sancti ritus ordinandorum Episcoporũ. Quales fuere S. Spiridion, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius. At, qui nunc super plures ciuitates imperant, nihil tamen faciunt, nisi quòd aliquando infulam gestant, lapides & ligna aqua conspergunt, fumo consecrant, & campanas tingunt, quia prorsus furoribus erecti sunt aduersus decretum diuinum. Satanæ ludibria, & Dei aduersarij sunt, vnà cum Principe & creatore suo Papa, propediem destruendi per aduentum Saluatoris nostri, Amen. Hæc omnia cùm certis, apertis, fidelibus nitantur scripturis & verbis Dei, oportet pias conscientias securas & liberas esse ad contemnendum cum fiducia, totum hoc corpus Babylonicum cum pompa & specie sua. Plura si cupis de ministerio verbi, vide Tom. 2. Ienens. fol. 576. libellum D. Lutheri de Instituendis ministris Ecclesiæ.

ORDINATIO PAPISTICA.

Ex libro de Instituendis Ecclesiæ ministris. Tom. 2. fol. 578. Hoc meritò exhorrere debet, quisquis Christum amat, & quiduis potiùs pati, quàm ordinari sese à Papistis, quòd omnia in istis ordinibus summa & impijssima peruersitate gerantur & aguntur, vt nisi cæcitate & amentia percussi essent, viderentur de industria Deum in faciem irridere velle. Nam cùm ista ordinatio autoritate scripturarum, deinde exemplo & decretis Apostolorum in hoc sit instituta, vt ministros verbi in populo instituat, ministerium publicum, inquam, verbi, quo dispensantur mysteria Dei, per sacram ordinationem institui debet, ceu res quæ omnium in Ecclesia & summa & maxima est, in qua tota vis Ecclesiastici status consistit. Cùm sine verbo nihil consistat in Ecclesia, & per solum verbum omnia constent. Papistæ autem mei de hoc ministerio ne somniant quidem in suis ordinibus. Quid autem faciunt?

Primùm cæcitate percussi omnes simul, ne norunt quidem, quid sit verbum aut ministerium verbi, præsertim Episcopi ipsi ordinatores. Quomodo ergo fieri posset, vt ministros verbi instituerent reliquis ordinibus? Deinde loco ministrorum verbi ordinant sacrificulos, qui missas sacrificent, & confessiones audiant. Hoc enim vult Episcopus dum calicem dat in manum & confert potestatem illam consecrandi & sacrificandi pro viuis & mortuis, nempè potestatem illam, quam gloriantur neque angelos, neq; virginem matrem Dei habere, ipsi etiam lenonibus & latronibus superiores. Item, cùm illis sacrosancto mysterio spiritum in aures inflat, & confessores facit, dicens: Accipe Spiritum Sanctum. Hæc est illa potestas consecrandi, & absoluendi glorioſissima.

Dic rogo me crassum fingere aut mentiri, si inuenias vnum ordinatum istis ordinibus qui audeat dicere, sibi inter ordinandum esse mandatum, vt mysteria Christi dispenset, & Euangelium doceat, & Ecclesiam Dei regat, quam acquisiuit sanguine suo. Planè nullus hoc audit vnquam, nec ad se pertinere putat. Calicem verò accipit, & hoc totum esse putat, quod ordinatur, vt liceat Christum in Missa consecrare & sacrificare, deinde confessiones audire. Quin hoc tantùm quæritur, An titulum beneficij habeat, quo ventrem alat, vt aliò prorsus non spectent, quàm ad missarum sacrificium, his absoluitur tota ordinatio. Qui hoc tulit, hic ordinatus est ab Ecclesia Sacerdos, hanc potestatem tum nulli alij habẽt, hoc scilicet, testatur vnctio digitorum, & rasura verticis.

Cæterum

Cæterum ad ministerium verbi alia noua requiritur apud eos vocatio, nempè, vel Parochi, vel Magistratus, tanquam incomparabiliter minor, quàm illa sacri ordinis & characteris collatio, vt quæ non Pastoribus aut Episcopis, summis illis verticibus, sed planè infimis, vilissimis, pessimis, & indoctissimis passim cõmitti debeat, ceu res longè omnium vilissima & facilima, quia mysteria Dei dispensare & animas pascere, officium est, prorsus sine charactere indelebili, nec est Sacramentum ordinis. At Christum consecrare & sacrificare, hoc habet characterem, hoc est verè Sacramentum ordinis, &c. Vide reliqua. De ordine si plura desideras vide de capt. Babylonica, de ordine.

DE REGNO CHRISTI.

LOCVS IN QVO COEPIT REGNVM CHRISTI.

To. 4. Ien. Michæ cap. 4. fol. 560. Non ad opes, non ad potentiam, nõ ad emolumẽtiam corporalẽ respicere debent, qui hoc regnum inuenire volunt, sed ad verbum Euangelij. Vbi Euangelium est, ibi quoque infallibiliter est Christus, & regnũ Christi seu Ecclesia. Hæc quia in mundo est, oportuit esse aliquem locum in quo incipere, Itaq; Propheta nominat mõtem Zion, sicut Dauid quoq; cùm dicit, virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Zion. Promittit autem montem Zion sic firmatum iri, vt extet super omnes montes, & sit ceu caput omnium collium. Hæc iam non ad corporalem locum referenda sunt, sicut Iudæi ineptè faciunt. Nam templum reædificatum post captiuitatem neutiquam tam splendidum fuit, quàm illud prius: Adeò vt quidam flerent, qui prius illud Salomonis viderant sicut testatur historia 1. Esdræ 3. Sed etsi corporalem locum nominat, tamen sunt hæc transferenda ad ipsum regnum spirituale ad Ecclesiam & verbum Euangelij, quod cœpit doceri in Zion, vbi prima fuit Ecclesia.

Quod igitur de eleuatione & stabilitione montis dicit, propriè ad ipsum regnũ Christi, non ad corporalem locum referendum est, qui propter peccata populi vastatus, & in excelsa syluarum mutatus est. Regnum autem Christi seu ipsum Euangelium sic firmatũ est, vt nullius viribus possit opprimi aut euerti, sicut Christus dicit, portæ inferorum non præualebunt. Non quòd semper clareat miraculis, quibus duplicem ob causam initiò opus erat, Quod & in Prophetis promissa essent, & noua doctrina hoc quasi testimonio diuinitùs hominibus commendanda esset, vt agnosceretur Christus, sed quòd semper vincat, & triumphet contra omnes hostes suos. Ideo Propheta verbo (Nachon) vsus est, quod non solùm præparare, sed etiam confirmare & stabilire significat. Vt sicut est regnũ Christi super omnia regna, ita etiam maneat secundum sententiam, Verbum autem Domini manet in æternum.

REGNVM CHRISTI DIVERSVM A REGNIS MVNDI.

Ibidem. Quod autem additum est, Et populi confluent ad eum, In eo pulchrè ostenditur diuersitas huius Regni ab alijs corporalibus regnis. Ibi enim vinculis legum & coactione opus est, vt homines maneant in officio & nihil turbent. Ideo etiam armis ad imperia retinenda & defendendam autoritatem principum opus est. Sed in Christi Regno hac cura nõ opus est, Non indiget armis, quib. homines cogat, statim cùm verbum in auribus & cordibus hominum sonare cœperit, ipsi homines sua sponte,

ſua ſponte, vel potiùs ſua voluntate, vt ille dicit, coacti, accurrunt, & in parte huius Regni hærere volunt, ſicut Chriſtus dicit: Regnum Dei nunc vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quid enim poteſt lætius audiri, quàm quod per Chriſtum, pater reconciliatus, peccata remiſſa, & vita æterna nobis donata ſit? Tantarum opum quis non optaret ſe quoq; participem fieri? Itaq; cùm primùm verbum hoc vulgatur, ſicut flumina nemine cogente, ſed ſua vi, per præcipitia decurrunt, Ita populi ad hunc montem, hoc eſt, ad Eccleſiam confluunt, in qua per Euangelium theſauri miſericordiæ Dei oſtenduntur, & credentibus diſtribuuntur. Nam verbum (Naharu) ſimilitudinem fluminis, magna vi per decliuia loca decurrentis, complectitur, ſicut etiam ideo (Nahar) fluuium vocant à curſu ſeu defluxu.

Præſertim aũt voluit Propheta oſtendere diuerſitatem huius Regni à regno legis ſeu Moſis. Is enim violentus Doctor eſt, & vix minis & plagis multis, aliquam vim obedientiæ exculpere poteſt. Videmus enim quid lex faciat, cùm maximè cogit & vrget, aut deſperatos, aut præſumptores ſeu hypocritas facit. Sed regnum Chriſti habet, ſicut Pſal. 110. eleganter dicit, ſpontaneum populum, qui vltro ſicut oues paſtorem ſuum ſequitur. Trahunt enim eos beneficia, non cogunt minæ, aut irata verba. Deus enim per Chriſtum non iratus, ſed ſummè clemens & miſericors eſt. Quare omnes cum tam miſericordi Deo, ſe coniungi optant, nec differunt rem vſq; dum cogantur, cogit eos voluntas & deſiderium ipſorum, ſicut in Euangelio quoq; Chriſtus pulcherrimè dicit. Cùm enim liberalitatem ſuauiſsimi hoſpitis, homines ſuis ſtudijs & cupiditatibus immerſi aſpernarentur, iubet vt ſerui, claudos & cæcos ad nuptiarum pompam cogant, & compellant intrare.

Mira verò coactio ſeu compulſio, cùm homo calamitoſus & famelicus, ad lautiſsimas epulas cogitur. An non enim hoc vnum in votis habet, vt cum calamitoſo Lazaro, de micis & reliquijs ſaturari poſsit. Si igitur coactiõem volumus dicere, coactio eſt quòd ipſi aliud non optant, quòd non acquieſcere poſſunt, niſi ad tam lautè inſtructas epulas vocentur. Adeſt enim ſumma voluntas cõſequendi huius beneficij, vbi contrà Moſes, omnis generis minis aliud nihil poteſt conficere, quàm vt homines in ſpeciem aliquid faciant. Cor autem ab eo quod faciunt longiſsimè abeſt. Sic vno verbo Prophetæ grauiſsimas & longiſsimas conciones complectuntur.

Item, Tom. 4. fol. 587. Michæ cap. 7. Eccleſia, quæ ſe agnoſcit populum & gregem hæreditatis Chriſti eſſe, orat vt velit paſcere idq; in virga ſua. Hic primùm alia conditio huius regis oſtenditur, quàm eſt Regum mundi. Hi enim dominantur & fruũtur ſubditorum laboribus, At Chriſtus ſicut paſtor, ſuorum ſubditorum curam gerit, ponit animam ſuam pro eis, Non fugit lupum, vt mercenarij, ſed ſe obijcit lupo, vt paretur ſecuritas ouibus. Diſertè autem dicit, paſce in virga tua. Eſt enim hic vocabulum (Schebet) quod eſt in Pſal. 23. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Non igitur vult virgam Moſi, quæ aberrantes oues caſtigat, ſed quæ monſtratur pabulum, & arcentur lupi. Videt enim Eccleſia ſibi perpetuò præſidio verbi eſſe opus contra Satanam & eius membra. Nec contra ſpirituales nequicias & inſidias aliud remedium eſt, quàm virga paſtoris, hoc eſt, verbum Euangelij, quod oſtendit principem mundi eſſe iudicatum.

Liberat à tyrannide Diaboli, & dat vitam æternam. To. 4. Ien. fol. 567. Michæ cap. 7. Quod Dominus dicit, oſtendam ei mirabilia, ſicut cùm ex Aegypto egrederetur, profectò non poteſt intelligi de populo legis, & corporali regno, Ad Chriſti regnũ hæc pertinent, per quẽ liberatio longè præſtantior & melior facta eſt, quàm illa in Aegypto fuit. Non enim liberauit Eccleſiam ſuam Chriſtus à tyrannide hominũ, à morte, peccato, & tyrannide Diaboli. Hi ſpirituales & æterni hoſtes generis humani ſunt, nec vlla humana vi poſſunt vinci. Ideo Dei filiũ oportuit hoſtiã fieri. Is ſolus mundi peccata, ſicut Baptiſta loquitur, tollit, & pro ijs ſatisfacit, vt credentes in eum

in eum, habeant simul remissionem peccatorum, Spiritum Sanctum & uitam æternam. Hæc an non infinitis modis maior possessio est, quàm illa terræ Canaan, populo legis concessa.

Sed cur uocat (NIPHLAOT) mirabilia seu miranda? Illa potius ueteris populi fuerunt mirabilia, cum mare se diuisit cum Iordanis cursum cohibuit, dum transiret populus, cum sol ad aliquot horarum spacia retrocederet &c. Sed sicut liberatio in nouo Testamento, multis modis maior fuit & præstantior, quàm illa ex Aegypto, sic etiam miracula infinitis modis sunt maiora. Quid enim potest dici admirabilius, quàm Dei Filium induere Carnem hominis, & ex uirgine nasci? Quid magis stupendũ est, quàm cum Filius Dei cum morte & Satana congreditur, se uinci sinit, suam uitam hostibus his obijcit, & dũ uincitur, uincit? Sic summum miraculum est, Christum hominem in cruce mortuum, tertia die ex morte & sepulchro clauso resurgere, & cum carne posthac immortali ascendere in cœlum, & sedere ad Dexteram Dei. Hisce miraculis quid simile dici, imò cogitari potest?

REGNVM CHRISTI IN VERBVM POSITVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 562. Michæ cap. 4. Hoc regnum non in externa ui, aut armis, sed in uerbo positum est, & gentes ad id pertinent. Non erat rarum etiam in Lege, ut conuenirent Gentes Hierosolymam, sicut Naaman, Regina Sabæ, & sine dubio aliqui uicini Reges, ut Rex Tyri & alij, sed Propheta hic dicit futurum, ut Rex, qui in Ierusalem suos ciues docebit, etiam doceat magnos populos & arguat gentes fortes, longè ã Hierosolymis dissitas. Hoc est, quod Lucæ ultimo dicitur, Pœnitentia & remissio peccatorum prædicabitur, εἰς πάντα τὰ ἔθνη, in omnes gentes, sic tamen, ut incipiat à Ierusalem.

Porrò cum Scriptura etiam Gentes ad Regnum Christi accessuras dicit, non solũm abijcit Molen cum Politia sua, tanquam inutilem Doctorem ad æternis peccatorum. Quid enim est esse Gentilem, quàm non pertinere ad populum Dei, esse sine lege, uiuere in peccatis, in idolatria, in impietate? Quod igitur tales ad regnum Christi uocantur, an non regnum Christi uerè tale regnum est, in quo non iudicatur secundum opera, sed annunciatur gratuita remissio peccatorum per Christum? Sicut Paulus quoq; dicit, iusticiam Dei reuelari in Euangelio sine lege, hoc est, In regno Christi iustos haberi eos, qui carent iustícia Legis, & qui peccatores sunt, si scilicet credant, per Christum peccata sua sublata esse.

Atq; hoc est mysterium illud, sicut Paulus appellat. Nam corda nostra cũm uident indignitatem suam, dubitant de gratia Dei. Si enim peccata, quorum nobis conscij sumus, abessent, consideremus Deum nobis propicium esse. Sed huic dubitationi opponenda sententia hæc est, Quod Christus Euangelium, hoc est, remissionem peccatorum, non solis Iudæis, qui legis iusticiam habent & populus Dei sunt, annunciat, sed Gentibus quoq;, hoc est, ijs qui non sunt populus Dei, sed miseri peccatores. Vtitur autem Propheta significantibus uocabulis, cũm uocat populos multos seu magnos, est enim uox (*Rabbim*) & gentes fortes. Commendat enim hoc modo potentiam uerbi, quo nonalia res in mundo contemptior est, Et tamen huic contempto uerbo, nisi credant gentes populi, quantumuis magni ac fortes, pessum ibunt, secundum sententiam, Qui non crediderit, condemnabitur. Hoc periculo mouentur populi & gentes, ac submittunt colla Euangelio, patiuntur se iudicari, hoc est, ostendi & argui peccata, Ea agnoscunt, & credunt remissionem per Christum.

REGNVM CHRISTI HABET NOVOS CVLTVS.

Tom 4. Ienenſ. fol. 561. Michæ. cap. 4. Totus cultus (in ueteri Teſtamento) erat ad unam Ieruſalem & tabernaculi locum deſtinatus. Sed in nouiſſimis diebus, cũm Chriſtus reuelabitur, ibi populi & gentes current ad montem Domini & ciuitatem Ieruſalem, uerũm longè alias ob cauſas. Non enim ſacrificabunt, non ibi adorabunt, ſed ibi audient & doceri ſe ſinent de uijs Domini, ab ipſo Domino.

Ad hunc modum, non ſolũm abolitionem cultuum legis, & ſacrificiorum Propheta ſignificat, ſed etiam docet de nouo uerbo, cuius, non ut legis, aliquam noticiam homines habent, ſed quæ merè cæleſtis & ab omnium hominum cordibus abſcondita eſt. In cuius enim cor unquam deſcendit, quod ſimus ſalui merito Chriſti Ieſu, qui pro nobis mortuus eſt? Filius qui in ſinu Patris eſt, ille enarrauit nobis hæc, de quo Pater de cœlo mandat: Hic eſt Filius meus dilectus, Hunc audite. Lex præterquam quòd in ipſam naturam implantata eſt diuinitus, ſicut Paulus erudite diſputat, etiam in Gentium cordibus eſſe cogitationes, quibus aut accuſantur malè facta, aut defenduntur benè facta, etiam per Moſen antea tradita, & Iudæis oſtenſa eſt. Itaque Chriſtus in nouo Teſtamento nouum doctrinæ genus affert, quo de remiſsione peccatorum docemur, & donamur Spiritu Sancto, ut ambulemus in uijs Domini, dum & credimus promiſsionibus de Chriſto, & Spiritu Sancto adiuti reſiſtimus peccato, & excitamur ad obædientiam Deo in omnibus præſtandam.

Ad hunc modum docet Propheta hic de Eccleſia noui Teſtamenti, quòd ſit habitura Doctorem ipſum Dominum, qui enim doceat de ſuis uijs, Sicut etiam in 2. Pſalmo dicitur: Ego conſtitui Regem meum, ſuper Zion montem ſanctum meum. Hic rex annunciabit præceptum, dicens: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu &c. Hæc eſt clara ſententia, Regnum Chriſti poſitum in docendo, ſicut Prophetæ ideo ipſum Euangelium uocant Sceptrum, ut Pſalmus 110. & Pſalm. 45. Sceptrum æquitatis eſt ſceptrum regni tui. Nam de uerbo loquitur, quod certum ac firmum eſt, & fallere non poteſt.

Ac nobis quoq; expedit, ut ſimus aſſidui in audiendo hoc Rege noſtro, propterea quod nullum tempus abit, quo non aut doctrina, aut conſolatione, aut admonitione, aut etiam confirmatione nobis opus ſit, tum propter Satanæ hoſtis noſtri aſſiduos inſultus, tum etiam propter imbecillitatem carnis noſtræ, & uaria ſcandala, quibus in mundo exercemur ac irritamur. Nulla autem poteſt eſſe firma conſolatio animorum contra peccatum, Satanam & mortem, quàm quæ ex uerbo petitur. Meritò igitur hoc primum beneficium huius regni commemorat, & prædicat Propheta, quod ipſe Dominus docebit ſuos de uijs ſuis, Et quod poſt hanc doctrinam futurum eſt, ut ambulemus in ſemitis eius. Nam Chriſtus per Euangelium in nos effundit ſpiritum ſuum, & eſt in nobis efficax, Vt ſicut Satan in ſuis operatur mortem & peccata: Ita Chriſtus per Spiritum ſuum in nobis excitat & operatur fidem, charitatem, patientiam, & quicquid eſt aliarum uirtutum, quas obædientia erga legem Dei requirit.

Notanda autem hic quoq; excluſiua eſt. Sicut enim qui hunc doctorem audiunt, ambulant in ſemitis Domini, hoc eſt, regenerati per Spiritum Sanctum, propter fidem Deo placent, & grata eſt ipſorum obædientia. Ita ſi hunc Doctorem non audias, impoſſibile eſt, quod gloriari poſſis te ambulare in ſemitis Domini. Poſſunt eſſe ſemitæ tuæ, Franciſci, Dominici, Benedicti, hoc eſt, humanæ uiæ, ſed non Domini uiæ, Tantò debet maior reuerentia, ſtudium & cura Verbi in no-

nobis esse. Hoc enim cũm retinemus, habemus Domini uias, & quanquam infirmitas nostra magna est, tamen primitiæ spiritus non erunt sine omni fructu, Exercent se resistendo carni & cupiditatibus eius, Excitabunt ad fiduciam auxilij Dei in malis, Excitabunt ad timorem Dei, ne in secundis rebus securi simus, Accendent animos ad studium concordiæ, ad charitatem, ac patientiam, ad ignoscentiam &c. Hæc omnia enim Propheta complectitur, cũm uias Domini uocat, etsi, ut dixi, in tanta animorum imbecillitate, hæc quoq; infirma sunt, & sæpe obruuntur uitiosis affectibus.

Sed ubi uerbum non est, ibi etsi disciplina aliqua esse potest, tamen non possunt ibi esse semitæ Domini, Et Satan contrarios motus in impijs excitat, implet animos securitate & fiducia priorum donorũ, Itaque etiamsi calamitas ingruit, tamen nulla fit seria inuocatio, sed quæruntur humana præsidia, feruent alij motus hæc plerumq; ab hypocritis singulari pietatis specie, & fucosis operibus tegutur, Hæ sunt Satanæ & hominum propriæ uiæ, in quibus necesse est omnes ambulare, qui hoc Doctore aut destituti sunt, aut eum audire nolunt.

PAX IN REGNO CHRISTI.

Tom. 4. Ienens. fol. 563. Michæ cap. 4. Et cudent ex gladijs suis uomeres, & ex cuspidibus falces. Non eleuabit gens contra gentem gladium, & non studebuntamplius bello.

Eadem sunt Iesai. 2. Sed priusquam de Prophetæ sententia dicam, eorũ error reprehendendus est, qui legitimam armorum tractationem putant Christianis prohibitam esse, Sicut Anabaptistæ non solũm impium esse ducunt belligerari, sed etiam hanc sanctitatis laudem putant, si quis sine telo & inermis incedat. Atqui primũm constat, Prophetam hoc in loco nihil agere de Magistratu ciuili, sed de regno Christi. Relinquit igitur Magistratui Politico suam administrationem integram, ut pax publica conseruetur, qua etiam Ecclesijs opus est. Porrò sine armis pax teneri nequit, Et bella eo sine geruntur, ut non solũm depellantur iniuriæ, sed ut firma pax constituatur.

Si quis igitur ita sacrarum rerum imperitus est, ut hæc eò accommodet, ne Christiano aut arma gerere, aut ijs legitimè uti liceat, Is sententiam Prophetæ ineptissimè peruertit. Nam transfert sententiam à Christi regno spirituali ad regnum corporale. Idq; contra manifestam scripturam, quæ Magistratui necessitatem imponit defendendi subditos ab iniusta ui, & custodiendæ pacis. Sicut Abraham armis defendit Lot, & regnum historiæ ostendunt, non solũm maxima bella gessisse pios Reges, sed etiam consilia eorum fortunasse Deum. Et manifesta sententia est in Concione Iohannis de pœnitentia, ubi iubet milites contentos esse stipendijs suis. Probat enim armorum legitimum usum, uel concessum, uel mandatum à Magistratu, nec iubet abijcere arma. Vera igitur huius loci sententia est, quod Propheta figuratè loquitur de fructu, qui Euangelium in gentes uulgatum sequitur. Postquam enim homines de peccatis suis, Item, de ira & iudicio Dei sunt admoniti (hoc enim est, quod Propheta de iudicandis populis dixit, & arguendis gentibus) Etiam de remedio, quo huic malo occurri potest, docentur, Nempe de remissione peccatorum, per Filium Dei parta, qui se dedit uictimam, seu, ut Paulus elegantissimè dicit, λύτρον, hoc est, preciũ, quo peccata nostra redimeretur.

Hæc Euangelij promissio terrores illos peccati & legis tollit, ac corda reddit quieta. Vident enim Deum propter filij sui mortem non amplius irasci nobis. Vicissim igitur amant Deum, fidunt eius benignitate, agunt ei gratias, quod per

Filium suum à morte & peccatis liberauerit. Sicut Paulus hoc ipsum sine figura dicit Propheta hic figuratè uoluit dicere, Iustificati, inquit, fide pacem habemus apud Deum, Hoc est, postquam corda persuasa sunt, peccata nostra à filio Dei sublata, & Deum nobis per Filium reconciliatum esse (nam hoc uocat Paulus fidem) fit ut homines nihil metuant à Deo, quem placatum norunt, sed consolantur se misericordia eius, & sunt bono animo etiam in cruce & periculis. Deinde pace Propheta hic loquitur, qua corda liberantur metu mortis & iudicij Dei, per Euangelium de Filio Dei tradito propter peccata nostra.

Quia autem per Euangelium exæquantur omnes (Sicut enim Deus sub peccatum omnia conclusit, Ita etiam omnium uult misereri) Sequitur ex hac exæquatione etiam pax externa inter Ecclesiæ membra, nec manet amplius acerrimum illud odium, quod fuit inter Iudæos & gentes, stante adhuc maceria legis. Quid enim aut Iudæus se præferat gentili, aut gentilis Iudæo, cùm Iesus Christus Filius Dei æqua & communis omnium possessio sit? Cùm omnes simus baptizati in mortem Christi, & uiuamus in spe æternæ uitæ, per Christum consequendæ? Fit igitur, ut qui ante cognitum Euangelium, odio isto, tanquam acutis gladijs & uenenatis telis, usi sunt, hi nunc inter se concordes uiuant, & utantur illa sancta concordia, tanquam uomeribus & falcibus, ad secandos & metendos nobiles illos fructus fidei, erudiendo alios quoq; ad iusticiam, & inuitando eos pietate & inculpatis moribus, ad cognoscenda & consequenda beneficia, quæ Euangelium nobis per Filium Dei ostendit exhibita esse.

Ideo addit Propheta, Non eleuabit Gens gladium contra gentem, nec erit amplius studium belli, hoc est, Erit summa animorum inter se coniunctio, postquam homines hoc modo agnoscunt Christum, & per remissionem peccatorum corda pacata sunt. Non studebunt amplius bello, hoc est, non solùm non nocebunt alijs, sed omni genere officiorum inter se utentur, re & opera iuuabunt fratres, ac præcipuè illa eximia præstabunt, ut doceant rudes, ut admoneant incautos, ut castigent ignauos, ut consolentur pauidos, ut exhortentur periclitantes, ut confirment infirmos &c. Hæc enim officia in Ecclesia debent esse perpetua. Etsi autem propter carnis molestas ac uitiosas cupiditates, deinde etiam propter Satanæ insidias, non ab omnibus hæc ita fiunt, sed etiam Sancti sæpe labuntur & peccant, tamen uerbum tanquam lucerna, semper præit monendo, & docendo hæc, ut saltem agnoscant credentes infirmitatem suam, & ei non indulgeant, sed resistant malis cupiditatibus, & mortificent carnem suam. Hæ uerbi assiduæ quamsi exhortatio non est sine fructibus in Ecclesia, etsi fructus isti, propter infirmitatem, minus sunt conspicui.

REGNVM CHRISTI EST REGNVM SPEI.

Tom. 4. Ienens. fol. 617. Hoseæ cap. 2. Regnum Christi non est corporale, seu mundanum, quod totum in usu & tractatione rerũ, quæ oculis expositæ sunt, est positum, sed spirituale, in quo non res, sed spes docetur, sicut Paulus dicit: Spe saluí facti sumus, spes autem quæ uidetur, non est spes. Cur enim speret aliquis, quod uidet? Si autem quod non uidemus id speramus, per patientiam expectamus. Sicut igitur Propheta uallem Achor cum spe coniungit, ad eum modum uides coniungi à Paulo patientiam cum spe. Sic Zacharias uocat Ecclesiam (ASCHAR RE HATHIK VAH) cap. 9. qui uincti sunt, sed cum spe liberationis. Nam quod credimus remissionem peccatorum per Christum, & speramus post mortem huius corporis uitam æternam, hoc nemo oculis cernet, nec palpabit manibus. Imò experientia & sensus diuersum probant. Sentimus enim peccatum inhabitans in nobis ac uiuens, & ubiq; monumenta mortis obuersantur animo atq; oculis. Hæc sunt uincula, quibus omnes alligati tenemur. Quia autem uerbum promittit remissio-

missionem peccatorum & uitam æternam per Christum, spe hæc arripienda & tenenda sunt, quod certò nobis per Christum obtingent. Hæc spes non confundit, sed saluat. Qui autem hanc spem non habent, sunt sicut Paulus dicit, omnibus hominibus miseriores. Christi igitur Regnum, quod Propheta hic promittit, fidei regnum est. Fides autem solo uerbo nititur.

REGNVM CHRISTI, NVNQVAM SINE ADVERSARIIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 564. Michæ cap 4. Sicut cùm Christus huius regni præco esset, impij Iudæi, Pharisæi, Sacerdotes, Reges, à Satana concitabuntur contra Christum, & Apostolos, ita semper in mundo accidit. Nunquam hoc uerbum regni Christi prædicatum est, quin alij se opponerent, quin alij alios Deos & religionem aliam sequerentur, sicut Christus quoq; ostendit cùm dicit: Pauperes Euangelizantur. Item, Si meum uerbum seruauerunt, etiam uestrum seruabunt.

Pertinet igitur particula hæc ad docendam Ecclesiam & præmonendam de scandalo, Quod ubicunq; hoc regnum in mundo est, ibi etiam erunt, qui hunc Deum nolint sequi, & glorientur de alijs dijs, de alia religione, & cultibus alijs, Imò quod semper erunt, qui ueram Ecclesiam damnabunt, tanq; quæ non habeat tes iudicent esse impios. Sicut hodie aduersarij nostri nos tanquam hæreticos damnant, appellant membra ab Ecclesiæ corpore resecta &c. Quia persuasi sunt, nos à Deo abiectos, se autem solos uerum Deum habere & esse ueram Ecclesiam. Hoc scandalum magnum est. Nam primùm uehementer dolet pijs animis, ueram doctrinam sic blasphemari à mundo, Deinde nonnunquam ista securitate aduersariorum solicitantur ad dubitationem.

Propheta igitur postquam de periculo hoc admonuit, Nunc etiam consolationem addit. Nos autem, inquit, ibimus in nomine Dei nostri, Hoc est, Si gloriantur aduersari de suis dijs, si damnant, contemnunt & blasphemant Deum & uerbum nostrum, uicissim nos gloriemur de Deo nostro, damnemus uicissim ipsos. Scimus enim nos habere Dominum, qui est (Iehoua) hoc est, scimus nos habere uerum Deum, Ipsos autem esse idolatras. Tribuit itaq; hoc in loco Prophetæ Ecclesiæ liberam confessionem, ut non patiatur se terreri iudicijs falsæ Ecclesiæ, sed ut primùm magno animo pergat in uijs Domini Dei sui, Deinde ut liberè damnet diuersa sequentes. Debet quidem Ecclesia esse patiens, humilis & officiosa, sed cum uersatur in suis rebus. At cùm de doctrina, de cultu Dei, de ipso Deo agitur, ibi debet superba ac animosa esse, ac liberè sine dissimulatione damnare omnes errores, & sua defendere. Hoc enim non solùm ad Christi gloriam, sed etiam ad animorum salutem pertinet.

Si enim aduersarij dogmata sua liberè, & nemine damnante, in publicum spargerent, multò plures seducerentur. Nunc, cùm & damnamus eos, & nostra defendimus, cùm gloriamur etiam de lumine uerbi, quod apud nos est, ac Pauli exemplo etiam Angelos anathematizamus, si diuersum doceant, saluatur Christo bonos suus, & Satanæ conatus franguntur, non ualentis tam multos in fraudem inducere. Ad hanc superbiam & obstinatiam uocat Propheta hic Ecclesiam, & promittit quod illi, qui hunc Dominum habent, & in uijs eius ambulant, hoc est, qui uerbum eius sequuntur & retinent, erunt in seculum & in perpetuum, hoc est, quod manebunt populus Dei, etiam post hanc uitam in sempiternum. Hoc testimonium de resurrectione & uita æterna, dignum est notatu. Agnoscamus igitur thesaurum, quem nobis Dominus dedit, reuelato regno Christi, & patientes in aduersis, gloriationem hanc ueræ doctrinæ ac spem uitæ æternæ retineamus, neglectis illis, qui alios cultus & Deos alios sequuntur, ac nostrã doctrinã damnant.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

Ex Galat. cap. 5. fol. 149. To. 4.

Paulus uehementer & ardenter disputat pro defendenda doctrina fidei & libertate Christianæ, contra Pseudoapostolos, hostes & destructores eius, in quos dirigit & iacit mera uerborum fulmina, ut eos prosternat. Adhortans simul Galatas, ut eorum pernitiosam doctrinam, tanquam pestem aliquam uitent. Et inter adhortandum comminatur, promittit & nihil non tentat, ut eos retineat in libertate illa à Christo ipsis parta, dicens: *In ea igitur libertate, qua Christus nos liberauit, state, id ei, firmi estote. Sic Petrus: Estote sobrij & uigilate, quia Aduersarius uester Diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret, cui fortes resistite in fide. Ne securi, inquit, sitis, sed firmi, non iacete aut dormite, sed state.* Q. D. Vigilantia & constantia ad hoc requiritur, ut libertatem quã Christus nos liberauit, retineatis, securi & stertentes non possunt eam retinere. Satan enim uehementer odit lucem Euangelij, hoc est, doctrinam gratiæ, libertatis, consolationis & uitæ, Ideo ubi uidet eam exoriri, statim contrà nititur omnibus uentis & tempestatibus, ut eam extinguat. Quare admonet Paulus, non esse stertendum, non securè agendum pijs, sed fortiter standum in acie contra Satanam, ne auferat libertatem illam à Christo eis partam, &c.

Sunt autem singulæ uoces emphaticæ. State inquit, Q. D. Hic opus est uigilantia. In libertate, In qua? Non qua Cæsar, sed Christus nos liberauit. Cæsar dedit, imò coactus est dare Romano Pontifici urbem liberam & alias terras, item, immunitates, priuilegia, indulta &c. Ea est etiam libertas, sed ciuilis, qua Pontifex Romanus cum Clericis suis publicis oneribus exemptus est. Deinde est quoq; libertas carnis, seu potius Diaboli, qua potissimũm regnat in orbe terrarum. Nam habentes eam, non obtemperant Deo, nec legibus, sed faciunt quod uolunt. Illam sectatur hodie uulgus, sectantur etiam fanatici spiritus, qui liberi esse uolunt in opinionibus & actionibus suis, ut doceant & agant impunè, quod ipsi somniant rectum esse. Illi stant in libertate, qua Diabolus eos liberos facit. De ea nos non agimus, quanquam totus Mundus eam solam quærat & sectetur. Nec de politica libertate agimus, sed alia quadam, quãm Diabolus maximè odit & impugnat.

Ea est, qua Christus nos liberauit, non è seruitute aliqua humana aut captiuitate Babylonica aut Turcica, sed ab ira æterna. Vbi? In conscientia. Hic resistit, nec; latius progreditur nostra libertas. Nam Christus nos liberos fecit non politicè, non carnaliter, sed theologicè seu spiritualiter, hoc est, Sic liberauit nos, ut conscientia nostra sit libera & læta, nihil timens uenturam iram. Ea est uerissima ac inæstimabilis libertas, ad cuius magnitudinem & maiestatem cæteræ (politica & carnalis) collatæ, uix sunt una stilla uel guttula. Quis enim potest eloqui, quanta res sit, aliquem posse certò statuere, Deum nec; iratum esse, nec; unquam futurum iratum, sed in æternum fore fauentem & clementem Patrem propter Christum? Magna profectò & incomprehensibilis libertas est, habere summam illam Maiestatem fauentem, protegentem, iuuantem, & tandem etiam corporaliter nos ita liberantem, ut corpus nostrum, quod seminatur in corruptione, in ignominia & in infirmitate, resurgat in incoruptibilitate, in Gloria & potentia. Quare inenarrabilis est libertas, nos esse liberos ab ira Dei in æternum, maiore cœlo & terra & omnibus creaturis.

Ex hac sequitur alia libertas, qua securi & liberi per Christum efficimur à Lege, peccato, morte, potestate Diaboli, inferno, &c. Sicut enim ira Dei non potest perterrefacere nos, nam Christus ab ea nos liberauit, ita Lex, peccatum, &c. accusare & condemnare nos non possunt. Et quanquam Lex arguat, & peccatum perterrefaciat nos, tamen non possunt nos in desperationem adigere. Quia Fides uictrix mundi, mox dicit: Illa nihil ad me, Christus enim liberauit me ab his

his, Sic mors, qua nihil potentius & horribilius in mundo est, uicta iacet in conscientia per hanc libertatem Spiritus. Quare illa Maiestas Christianæ libertatis diligenter æstimanda & ponderanda est. Verba quidem illa, libertas ab ira Dei, lege, peccato, morte, &c. dictu facilia sunt, sed magnitudinem huius libertatis sentire, & fructum eius in certamine, in agone conscientiæ, in praxi, applicare sibi, hoc plus quàm dicit potest, difficile est.

Ideo imbuendus est animus, ut cùm sentit accusationem Legis, terrores peccati, horrorem mortis, iram Dei, illa tristia spectra ex oculis remoueat, & in locum horum ponat libertatem Christi, remissionem peccatorum, iusticiam, uitam & misericordiam Dei sempiternam. Et quanquam fortis sit sensus contrariorum, tamen certò statuat eum non diu duraturum, iuxta illud Propheræ: In momento iræ abscondi faciem meam parumper à te, sed in misericordia sempiterna misereor tui. Sed hoc factu difficillimum est. Ideo libertas illa, quam Christus nobis peperit, non tam citò creditur, quàm nominatur. Si certa ac firma fide apprehendi posset, nullus furor aut terror Mundi, legis, peccati, mortis, diaboli, &c. tam magnus esse posset, qui non statim, ceu scintilla à mari, ab ea absorberetur. Certè illa libertas Christi semel absorbet & tollit uniuersam molem malorum, Legem, peccatum, mortem, iram Dei, ipsum denique serpentem cum capite suo, & in locum horum subijcit Iusticiam, pacem, uitam &c. Sed beatus qui intelligit & credit.

Discamus igitur magnifacere illam libertatem nostram, quam non Cæsar, Propheta aut Patriarcha, non Angelus è cœlo, sed Christus Dei Filius, per quem omnia creata sunt in cœlis & terra, sua morte nobis parauit, non ut nos è seruitute aliqua corporali & momentanea, sed spirituali & æterna crudelissimorum & inuictissimorum tyrannorum, legis, peccati, mortis, diaboli, &c. liberaret, ac ita nos Deo Patri reconciliaret. Deuictis autem his hostibus, ac reconciliatis nobis Deo per mortem ipsius, certum est nos iustos esse coram Deo, omnesque actiones nostras placere illi. Et si quid peccati in nobis est reliquum, tamen illud non imputari, sed condonari nobis propter Christum. Paulus significantibus & emphaticis uerbis utitur, quæ diligenter expendenda sunt. State, inquit, in ea libertate, qua Christus nos liberauit. Ergo illa libertas, non propter Legem aut iusticiam nostram, sed gratis propter Christum nobis donatur. Id quod Paulus hìc testatur, & copiosè ostendit per totam Epistolam. Et Christus Iohan. 8. Si Filius uos liberauerit, uerè liberi eritis. Ille unus interponitur inter nos & mala, quæ nos premunt, uincit ac tollit ea, ut amplius non possint nos opprimere & damnare, Loco peccati & mortis, donat nobis iusticiam & uitam æternam. Atque ita seruitutem & terrores legis mutat in libertatem conscientiæ & Euangelij consolationem, quæ dicit: Confide fili, remittuntur tibi peccata. Qui igitur credit in Christum, habet illam libertatem.

Ratio non uidet magnitudinem huius rei, quæ in spiritu considerata, amplissima & inæstimabilis est. Quis enim ulla cogitatione consequi potest, quantum donum sit, habere loco Legis, peccati, mortis, irati Dei, remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, ac perpetuò propitium, fauentem Deum? Papistæ & omnes hypocritæ, qui iusticiam Legis aut suam sectantur, gloriantur se quoque habere remissionem peccatorum, iusticiam, propicium Deum, &c. Iactant etiam libertatem, ac eam alijs promittunt, sed omnia illa egena & incerta sunt: Reuera enim serui corruptionis sunt, quibus in tentatione in momento euanescit omnis uana eorum fiducia, quia operibus & satisfactionibus humanis, non uerbo Dei, nec Christo nituntur, Ideoque impossibile est eos scire, quid sit libertas à peccatis, &c.

Contrà, nostra libertas fundamentum habet, Christum, qui æternus est Pontifex, ad Dexteram Dei interpellans pro nobis. Ideo remissio peccatorum, iusticia, uita & libertas, quam per eum habemus, certa, rata, & æterna est, modò

hoc credamus. Quare si firmiter Christo adhæserimus fide, & fortiter steterimus in libertate, qua nos liberos fecit, habebimus illa inenarrabilia dona. Si uerò securi & stertentes erimus, amittemus ea. Paulus nõ frustra iubet nos uigilare & stare, quia nouit Diabolum hoc seduló agere, ut subrepta nobis hac libertate, quæ tanti Christo constitit, nos rursus implicet per suos ministros iugo seruitutis, ut sequitur.

ET NOLITE ITERVM IVGO SERVITVTIS CONCLVDI.

Paulus grauissimè locutus est de Gratia & Libertate Christiana, atq; adhortatus est amplissimis uerbis Galatas, ut in ea persistant. Facillimè enim amittitur. Ideo iubet eos stare, ne oscitantia aut securitate sua, iterum deficiant à Gratia & fide ad Legem & opera. Quia uerò illa res nihil periculi rationi uidetur afferre, quæ longè præfert iusticiam Legis fidei iusticiæ, ideo indignabundus inuehitur in legem Dei, uocans eam contemptu & extenuatione quadam insigni, iugum, & iugum seruitutis. Sic Petrus Acto. 15. Quid tentatis Deum, ut imponatur iugum, &c. Atq; ita omnia in contrarium uertit. Pseudoapostoli enim extenuabant Promissionem, & magnificabant Legem & eius opera, ad hunc modum. Si uultis liberari à Peccato & morte, & iusticiam ac uitam consequi, facite Legem, circumcidamini, obseruate dies, menses, tempora, annos, sacrificate, &c. tum illa obædientia legis iustificabit & saluabit uos. Paulus planè contrarium dicit: Qui, inquit, hoc modo Legem docent, non liberant conscientias, sed eas illaqueant, iugo, & quidem iugo seruitutis.

Loquitur ergo supra modum contemptim & ignominiosè de Lege, cùm eam uocat laqueum durissimæ seruitutis & iugi seruilis. Neq; hoc frustra facit. Nam opinio ista pernicioſa de lege, quod iustificet, ualde tenaciter adhæret rationi, eaq; totum genus humanum tam fortiter occupatur & implicatur, ut difficillimè ex ea possit explicari. Et Paulus, ut deroget legi gloriam iusticiæ, uidetur hic, quærentes iusticiam per eam, comparare bobus iugo conclusis. Vt enim boues magno labore trahentes iugum, nihil inde habent quàm pabulum, & ubi amplius non sunt idonei ad trahendum iugum, mactantur. Ita quærentes per Legem iusticiam, captiui sunt, & premuntur iugo seruitutis, hoc est, Legè, & ubi diu magno labore & dolore defatigarunt se operibus legis, hoc tandem reportant præmij, quod miseri & æterni serui sunt. Cuius rei? Peccati, mortis, iræ Dei, diaboli, &c. Ideo non est maior & durior seruitus quàm legis. Non frustra ergo Paulus uocat iugum seruitutis. Quia Lex, ut suprà sæpe diximus, tantùm ostendit & auget peccatum, accusat, terret, condemnat, iram efficit, ac tandem conscientias, quæ miserrima ac durissima seruitus est, in desperationem adigit, Rom. 3. 4. 7.

Valde igitur ardentibus uerbis utitur, Vellet enim libenter eos flectere & permouere, ne hoc importabile onus sibi imponi à Pseudoapostolis, nec huic iugo seruitutis se iterum illaqueari per eos paterentur, Q. D. Non agitur hic de leuicula aut nihili, sed uel de infinita & æterna libertate uel seruitute. Vt enim libertas ab ira Dei & omnibus malis, non est politica aut carnalis, sed æterna: Ita seruitus peccati, mortis, diaboli, &c. qua premuntur, qui per legem uolunt iustificari & saluari, non est corporalis, quæ ad tempus aliquod durat, sed perpetua. Nam tales operarij, qui seriò agunt omnia (de talibus enim loquitur Paulus) nunquam quieti & pacati sunt. In hac uita semper dubitant de uoluntate Dei, timent mortem, iram & iudicium Dei, & post hanc uitam luent pœnam incredulitatis suæ, interitum æternum.

Itaq;

Itaq; operatores legis rectissimè uocantur Diaboli (ut more uulgi loquar) martyres. Quia longè maiori labore & molestia acquirunt inferos, quàm martyres Christi cœlum. Duplici enim contritione conteruntur, Primùm, dum hic uiuunt multa & magna opera facientes, frustra miserè sese excruciant. Postea cùm moriuntur, præmium acquirunt, æternam damnationem & pœnam. Sic miserrimi martyres sunt in præsenti & futura uita, estq; eorum seruitus æterna. Contrà, pij in mundo quidem habent afflictiones, In Christo autem pacem, Quia credunt eum uicisse mundum. Quare fortiter standum est in libertate, quam Christus sua morte nobis peperit, & diligenter cauendum, ne iterum iugo seruitutis illaqueemur. Sicut hodie accidit fanaticis spiritibus, qui excidentes Fide & Libertate illa, hic temporalem, quam sibijpsis accersunt, seruitutem habent, & illic æterna prementur. Papistarum maior & potior pars degenerat hodie paulatim in Epicuræos, Ideo, dum licet, utuntur liberate carnis, securissimè canunt, Ede, bibe, lude, post mortem nulla uoluptas. Sed uerissimè serui sunt Diaboli, à quo captiui tenentur ad uoluntatem ipsius, Ideo manet eos ista æterna & infernalis seruitus, Hactenus adhortatio Pauli uehemens & seria, quam sequens tamen superat.

ECCE EGO PAVLVS DICO VOBIS, QVOD SI CIRCVNCIDAMINI,

Christus uobis nihil proderit.

Paulus uehementer commotus, loquitur ex magno zelo & feruore Spiritus mera fulmina contra legem & circuncisionem. Illaq; tam ardentia uerba ei irato, propter magnam indignitatem rei, extorquet Spiritus Sanctus, ut dicat: Ecce ego Paulus, &c. Ego inquam, qui scio me Euangelium habere non ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi, qui denique certò scio me habere mandatum & autoritatem diuinam docendi & definiendi. Dico uobis sententiam nouam quidem, sed certam & ueram, Quod si circuncidamini, Christus simpliciter nihil uobis proderit. Hæc ualde dura est sententia, qua Paulus circuncidi idem esse dicit, quod Christum ociosum fieri. Non quidem in se, sed Galatis, qui dolis Pseudoapostolorum circumuenti, credebant præter fidem in Christum, necessariam esse credentibus etiam circuncisionem, sine qua non posset illis contingere salus. Atq; hic locus Lydius lapis est, quo certissimè & liberrimè iudicare possumus omnes Doctrinas, opera, cultus, cæremonias omnium hominum. Quicunq; siue sint Papistæ, siue Iudæi, siue Turcæ, siue hæretici, &c. aliquid docent ad salutem consequendam necessarium, præter fidem in Christum, aut opus, cultum ue aliquem instituunt, item Regulam, traditionem aut cæremoniam quancunq; obseruant hac opinione, quod per talia consequi uelint remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam. Hi sententiam Spiritus Sancti contra se latam ab Apostolo hic audiunt, quòd Christus illis simpliciter non prosit. Et Paulus, quod est ualde mirum, istam sententiam audet ferre contra Legem & Circuncisionem diuinitus traditam, quid non auderet contra palea traditionum humanarum?

Quare is locus terribile fulmen est contra totum regnum Papæ. Nam omnes sacerdotes, Monachi, Eremitæ &c. (de optimis loquor) non Christo, quem summa iniuria & blaphemia fecerunt iratum iudicem, accusatorem & damnatorem, sed suis operibus, iusticijs, uotis & meritis confisi sunt. Ideo quoq; audiunt hic iudicium suum, quod Christus sit illis ociosus. Nam si propria iusticia & austeritate uitæ possunt abolere peccata, & mereri remissionem peccatorum & uitam æternam, ad quid prodest illis Christum natum, passum esse, fudisse Sanguinẽ, resurrexisse, uicisse peccatum, mortem, diabolum, cùm ipsi ista monstra suis uiribus superare possint? Dici autem non potest, quanta indignitas sit Christum ociosum reddere, Ideoq; ex magna indignatione animi & commotione spiritus loquitur

Paulus

Paulus ista uerba: Quod si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit, Id est, nihil prorsus utilitatis redibit ad uos ex omnibus ipsius beneficijs, sed ea omnia frustra uobis exhibuit.

Ex his satis constat, nihil esse pernicioſius sub doctrinis humanarum traditionum & operum. Quia semel tollunt & euertunt ueritatem Euangelij, Fidem, uerum cultum Dei, ipsum Christum, in quo Pater constituit omnia, Collo.2. In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quare qui autor est aut cultor doctrinæ operum, opprimit Euangelium, inanem reddit mortem & uictoriam Christi, obscurat sacramenta eius, & uerum usum ipsorum tollit, Estq; abnegator, hostis & blasphemator Dei cum omnibus ipsius promissionibus & beneficijs. Quem ista res, quod Paulus legem Dei uocat iugum seruitutis, quod, qui circuncisionis obseruationem necessariam dicunt ad salutem, faciant sibi Christum ociosum, non absterret à Lege & circuncisione, multò magis ab humanis traditionibus, ducia propriæ iustitiæ & operum, & non inuitat ad suspirandam libertatem in Christo, ille plus quām saxeus & ferreus est.

Clarissima ergo sententia est, Christus inutilis, id est, frustra natus, passus, &c. est huic, qui circunciditur, id est, qui confidit circuucisione. Non enim agit Paulus, ut suprā dixi, de ipso opere per se, quod sine fiducia & opinione iustitiæ nihil obest, sed de usu operis, hoc est, de fiducia & iustitia operi adiecta. Oportet enim nos Paulum intelligere secundum materiam subiectam, seu secundum argumentum susceptum, quod est, Lege, operibus, circuncisione, &c. homines non iustificari. Non dicit opera per se nihil esse, sed fiduciam & iustitiam operum. Ea enim facit Christum ociosum. Ideo qui accepit circuncisionem hac opinione, quòd necessaria sit ad iustificationem, huic Christus nihil prodest.

Hoc diligenter meminerimus in priuatis tentationibus, cūm Diabolus conscientiam nostram accusat & perterrefacit, ut eam adigat in desperationem. Est enim pater mendacij, & hostis Christianæ libertatis, ideo singulis momentis uexat nos falsis terroribus, ut conscientia, libertate illa amissa, semper sit in metu, ac sentiat reatum & pauores. Cūm, inquam, draco ille magnus, serpens antiquus, diabolus (qui seducit totum orbem terrarum, & accusat fratres nostros ante conspectum Dei die ac nocte, Apoca.12.) uenit & opponit tibi, quod non solùm nihil boni feceris, sed etiam transgressus sis legem Dei, dic: Tu molestas me memoria præteritorum peccatorum, Deinde suggeris mihi, quòd nihil boni fecerim. Hoc nihil ad me. Nam si bonis operibus aut factis confiderem, aut non factis diffiderem, utrinq; Christus nihil prodesset mihi. Siue igitur peccat, siue bene facta mea opponas mihi, nihil moror. Sed utrisq; ex oculis temotis, sola libertate, qua Christus me liberauit, nitor. Hunc scio mihi utilem esse, Non igitur reddam eum mihi inutilem. Id quod tum fieret, si uel propter benefacta mea præsumerem me consecuturum gratiam & uitam æternam, aut propter peccata mea, desperarem de salute mea.

Quare discamus diligenter Christum longissimē discernere ab omnibus operibus bonis & malis, ab omnibus legibus diuinis & humanis, ab omnibus afflictis conscientijs. Huc enim Christus non pertinet. Pertinet quidem ad tristes conscientias, non ut plus perturbet eas, sed ut iam perturbatas rursus erigat & consoletur. Ideo si Christus specie irati iudicis aut Legislatoris apparuerit, qui exigit rationem transactæ uitæ, certò sciamus eum furiosum esse Diabolum, non Christum. Christum enim Scriptura depingit nostrum esse propitiatorem, interpellatorem & consolatorem. Talis semper est & manet, non potest esse sui dissimilis.

Itaq; cūm Diabolus, assumpta specie Christi, ad hunc modum nobiscum disputat, Hoc debebas, uerbo meo admonitus, facere, & omisisti, Illud ommittere, & fecisti, Scias igitur me de te sumpturum pœnas, &c. Nihil hoc nos mouet, sed

sed statim cogitemus, Christus hoc modo non loquitur cum desperabundis conscientijs, non addit afflictis afflictionem, calamum conquassatum non confringit, linum fumigans non extinguit. Durè quidem duris loquitur, sed conterritos suauissimè allicit ad se, Venite, inquiens, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, &c. Non ueni uocare iustos, sed peccatores &c. Confide Fili, remittuntur tibi peccata. Confidite, ego uici mundum. Filius hominis uenit quærere & saluum facere quod perierat, &c. Videndum est igitur nobis, ne mira arte & infinitis insidijs Satanæ decepti, suscipiamus accusatorem & damnatorem pro consolatore, atq; ita sub larua falsi Christi, hoc est, Diaboli, uerum Christum amittamus, ac nosipsi eum nobis inutilem reddamus. Hæc de priuatis tentationibus, quomodo in ipsis nos gerere debeamus.

TESTIFICOR AVTEM RVRSVS OMNI HOMINI, QVI CIRCVNCIDITVR,

quod debitor est uniuersæ legis faciendæ.

Prius incommodum certè ingens est, quòd Paulus ait, Christum ijs non prodesse, qui circunciduntur. Hoc sequens non leuius est, quod dicit eos, qui circunciduntur, esse debitores totius legis seruandæ. Ista uerba tanto serio loquitur, ut etiam iuramento ea confirmet. Testificor &c. id est, per omnia sacra iuro. Possunt aut ambiguè exponi, negatiuè & affirmatiuè. Negatiuè hoc modo, Testificor omni homini, qui circunciditur, quod debitor est totius Legis seruandæ, hoc est, quod nihil legis seruat, etiam in ipso opere circuncisionis, non circuncidatur, Etiam implendo legem, non impler, sed transgreditur eam. Eaq; uidetur mihi simplex & germana Pauli sententia hoc loco. Infrā enim cap. 6. seipsum exponit, dicens, Qui circunciduntur, ne ipsi quidem legem seruant. Sic suprā cap. 3. Quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, Q.D. Si etiam circuncidamini, non ideo estis iusti & liberi à lege, sed hoc ipso magis facti estis debitores & serui legis. Eo ipso, quo conamini satisfacere legi & liberari ab ea, hoc magis implicatis uos iugo ipsius, ut plus iuris habeat accusandi, & damnandi uos. Hoc cancri more est ingredi, & sordes sordibus abluere.

Hoc q; quod dico ex Pauli uerbis, ego experientia ipsa in Monasterio dídici in meipso & alijs. Vidi multos, qui summo studio & optima conscientia nihil non faciebant pro pacificanda conscientia, gestabant cilicia, ieiunabant, orabant, affligebant & defatigabant uarijs exercitijs corpora, quibus, si etiam ferrea fuissent, tamen ad extremum destruxissent ea, Et tamen quò plus laborant, hoc pàbidiores reddebantur. Et præsertim imminente hora mortis, adeo erant trepidantes, ut plures uiderim homicidas, pœna capitis damnatos, confidentius mori, quàm ipsos, qui tamen sanctissimè uixerant.

Ita q; uerissimum est, quod facientes legem, non faciunt. Quò plus enim conantur homines satisfacere legi, hoc magis transgrediuntur eam. Idem sentiendum est de traditionibus humanis, Quò magis conatur homo per eas pacatam reddere conscientiam, hoc plus reddit inquietam. Ego Monachus studebam summa diligentia uiuere iuxta præscriptum Regulæ, solebam, semper tamen ante confessionem, ac pœnitentiam iniunctam mihi sedulò præstabam. Et tamen conscientia mea nunquam poterat certa reddi, sed semper dubitabat, & dicebat, Hoc non fecisti rectè, non fuisti satis contritus, hoc inter confitendum omisisti, &c. Quò igitur longius conabar humanis traditionibus mederi incertæ, imbecilli & afflictæ conscientiæ, hoc magis reddebam eam incertiorem, imbecilliorem & perturbatiorem. Atq; hoc modo obseruando traditiones humanas, plus transgrediebar eas, & sectando ordinis iusticiam, nunquam poteram apprehendere eam.

Quia

Quia impossibile est conscientiam reddi pacatam, inquit Paulus, operibus legis, multò minus traditionibus humanis, sine promissione & Euangelio de Christo.

Quare cupientes iustificari & uiuificari lege, recedunt à iustitia & uita longius, quàm publicani, peccatores & meretrices. Illi enim non possunt niti fiducia operum suorum, cùm talia sint, propter quæ non possunt confidere se consecuturos gratiam & remissionem peccatorum. Nam si iustitia & opera secundum legem facta, non iustificant, multò minus peccata contra legem commissa iustificant. Sunt igitur feliciores hac in parte iustitiarijs, quia deest eis proprium operum fiducia, quæ si non penitus tollit fidem in Christum, tamen maximè eam impedit. Econtra, Iustitiarij abstinentes externè à peccatis, & in speciem inculpatè & religiosè uiuentes, non possunt carere opinione fiduciæ & iustitiæ, cum qua stare non potest fides in Christum. Ideoq; feliciores sunt publicanis & meretricibus, qui Deo irato non offerunt sua bona opera, ut pro eis reddat ipsis uitam æternam (ut Operarij) cum nulla habeant, sed ignosci sibi sua peccata propter Christum petunt &c.

Qui igitur facit Legem hac opinione, quod per eam uult iustificari, is debitor est totius legis faciendæ, hoc est, ne quidem unam literam legis facit. Neq; etiam data est lex, hoc fine ut iustificet, sed ut ostendat peccatum, terreat, accuset, & condemnet. Ideo quò magis aliquis studet lege & operibus consulere conscientiæ, hoc magis reddit eam incertam & confusam. Rogentur omnes Monachi, qui seriò laborant acquirere pacem conscientiæ suis traditionibus, an certò statuere possint, suum uitæ genus Deo placere, ac propter illud se in Gratia esse coram Deo? Si fateri uolunt ueritatem, respondebunt. Ego quidem inculpatè uiuo, & summa diligentia obseruo Ordinem meum, sed certò affirmare non possum, an ista mea obædientia Deo placeat, nec ne. In Vitis patrum legitur de Arsenio (cuius & supra memini) Is quanquam longo tempore uixerat in summa sanctitate & abstinentia, tamen cum sentiret iam non longè abesse mortem, cœpit uehementer timere & mœrore affici. Interrogatus cur timeret mortem, cum totam suam uitam sanctè transegisset & Deo indesinenter seruijsset? Respondit, se quidem secundum iudicium hominum uixisse inculpatè, sed alia esse Dei iudicia quàm hominum. Ille sanctitate & asperitate uitæ suæ nihil aliud consecuturus est, quam pauorem & horrorem Mortis. Si seruatus est, oportuit eum amissa omni iustitia sua, sola misericordia Dei niti, & dicere, Credo in Iesum Christum Filium Dei, Dominum nostrum, passum, mortuum pro peccatis meis, &c.

Altera sententia affirmatiua est, Eum qui circumciditur, esse quoque debitorem totius legis faciendæ. Qui enim Mosen in uno recipit, cogitur eum recipere in omnibus. Qui unam partem Legis necessariò obseruat, is omnes alias eius partes obseruare debet. Neq; iuuat quod dicere uelis, Circumcisionem esse necessariam, non item reliquas leges Mosi. Eadem consequentia, qua teneris ad circumcisionem, teneris etiam ad totam legem. Seruare autem totam legem, nihil aliud est, quàm facto ostendere quòd Christus nondum uenerit. Si hoc uerum est, obseruari debent omnes Iudaicæ cæremoniæ & leges de cibis, locis, temporibus, & adhuc expectandus est Christus, qui, antiquato Iudæorum regno & sacerdotio, instituat nouum regnum per totum orbem terrarum. Sed tota scriptura reclamatur & res ipsa indicat, Christum iam uenisse, sua Morte genus humanum redemisse. Legem abrogasse, & omnia quæ omnes Prophetæ de eo prædixerunt adimpleisse. Ergo sublata lege, Gratiam & ueritatem donauit. Non igitur lex neq; opera eius, sed fides in Christum, qui iam uenit, iustificat

Quidam hodie eodem modo, quo tum Pseudoapostoli, astringere nos uoluerunt ad quasdam leges Mosi, quæ ipsis placebant. Hoc nequaquam ferendum est. Nam si permiserimus in parte aliqua Mosen dominari nobis, totum eius

eius imperium ferre cogimur, Ideo nulla prorsus lege Mosi patimur nos premi. Admittimus quidem Mosen legendum & audiendum à nobis ut prædictorem & testem Christi. Deinde, ut petamus ex eo exempla optimarum legum & morum: Cæterũm dominium in conscientiam nullo modo concedimus ei: Ibi mortuus & sepultus esto, nemoq; sciat, ubi sepulchrum eius sit.

Prior sententia, negatiua scilicet, spiritualior & aptior esse mihi uidetur, utraq; tamen bona est, & iusticiam legis damnat. Primũm, tantum abesse, ut lege iustificemur, ut quò plus conemur legem implere, hoc magis transgrediamur eam. Deinde, qui partem legis uult facere, eum esse debitorem totius legis faciendæ, Summa, Christum nihil prodesse ijs, qui lege iustificari uolunt. Ex his sequitur, Paulum his omnibus significare, legem esse negationem Christi. Mira autem res est, quòd Paulus affirmare audet, legem Mosi, diuinitus traditam populo Israel, esse negationem Christi. Quare igitur tulit eam Deus? Ante aduentum Christi, cũm adhuc expectabatur uenturus in carnem, necessaria erat. Est enim lex pædagogus noster ad Christum. Iam autem exhibito Christo, quatenus in eum credimus, non amplius sub pædagogo sumus. De hac re satis copiosè diximus suprà in fine cap. 3. Itaq; qui legem necessariam ad iusticiam docet, negationem Christi & omnium beneficiorum eius docet, Deum mendacem facit, imò ipsam quoq; legem mendacem facit. Ea enim testis est promissionum, de Christo, ac prædixit, Christum, non legis, sed gratiæ Regem futurum.

EVACVATI ESTIS A CHRISTO QVI IN LEGE IVSTIFICAMINI.

Hic Paulus seipsum exponit, se non loqui de Lege aut opere Circuncisionis simpliciter, sed de fiducia & opinione iustificationis per eam, Q.D. Non damno Circuncisionem aut Legem simpliciter. Licet enim mihi edere, bibere, conuersari cum Iudæis secundum legem, Licet mihi circuncidere Timotheum, &c. Sed uelle iustificari per legem, quasi Christus nondum uenerit, aut iam præsens, solus iustificare non possit, hoc damno, hoc enim est euacuari à Christo. Itaq; dicit: Euacuati estis, id est, estis Pharaones, hoc est, liberi ã Christo, Christus desijt in uobis esse & operari. Nihil habetis amplius de cognitione, Spiritu, affectu, fauore, libertate, uita, actione Christi, sed prorsus separati estis ab ipso, ut nihil negocij sit ei amplius uobiscum, nec uobis cum ipso.

Illud diligenter obseruandum & inculcandum est, quod Paulus dicit: Per legem uelle iustificari, nihil aliud esse, quàm separari à Christo & planè eum nobis fieri ociosum. Quid potentius dici potest contra legem? Quid opponi potest illi fulmini? Ergo impossibile est Christum & Legem simul habitare in corde. Aut enim legem, aut Christum credere oportet. Si uerò in ea persuasione es, Christum & fiduciam Legis cohabitare posse in corde: Tum certò scias, non Christum, sed Diabolum in corde tuo habitare, sub larua Christi accusantis & perterrefacientis te, ac exigentis legem & opera eius ad iusticiam. Verus enim Christus, ut paulò ante etiam dixi, non expostulat tecum propter peccata tua, nec iubet te confidere benefactis tuis. Et uera cognitio Christi seu fides non disputat, Vtrum feceris bona opera ad iusticiam, aut mala ad damnationem. Sed simpliciter ita statuit, siue feceris bona opera, non ideo iustificaris, siue feceris mala, non ideo damnaris. Non detraho bonis operibus suam gloriam nec mala laudo: Sed in causa iustificationis dico uidendum esse, quomodo Christum retineam, ne ociosus mihi fiat, si iustificari lege cupiam. Christus enim solus me iustificat contra opera mea mala, & sine operibus meis bonis. Si sic de Christo sentio, uerum Christum apprehendo. Si autem iudico eum exigere à me legem & opera ad iusticiam, factus est mihi ociosus, ac ego ab eo euacuatus sum.

Horribiles sunt hæ sententiæ, & comminationes contra iustitiam Legis & propriam. Deinde sunt etiam certissima principia, quæ articulum de iustificatione confirmant: Est igitur finalis hæc conclusio, Aut Christum amitte, aut iustitiam legis. Si Christum retines, iustus es coram Deo. Si legem, Christus nihil tibi prodest, debitor es totius legis seruandæ, habesq; sententiam tuam: Maledictus omnis, qui non &c. Simili modo dicimus de traditionibus humanis, ut iam de lege diximus, Aut Papa amittat cum suis religiosis omnia, quibus hactenus confisus est, aut Christus erit eis ociosus. Ex his facile iudicari potest, quàm pernicioſa & pestilens fuerit doctrina Papistica. Ea enim longissimè nos à Christo abduxit, & planè eum nobis ociosum fecit. Deus in Ierem. cap. 23. conqueritur, Prophetas uaticinari mendacium, & prophetare seductiones cordis sui, hocq; ideo, ut obliuiscatur populus suus nominis sui, &c. Vt igitur Pseudoprophetæ, omissa germana interpretatione legis, & doctrina de Semine Abrahæ, benedictore omnium Gentium, prædicauerunt sua somnia, ut obliuisceretur Dei sui: Ita Papistæ obscurato & oppresso Euangelio de Christo, ut amplius nullus eius esset usus, tantùm doctrinam operum urserunt, qua totum mundum longissimè abduxerunt à Christo. Qui ista seriò considerat, non potest non exhorrescere.

A GRATIA EXCIDISTIS.

Id est, Non amplius est is in regno Gratiæ. Vt enim is, qui est in naui, quæcunq; tandem parte excidit in mare, submergitur: Ita qui excidit à Gratia, non potest non perire. Velle ergo iustificari Lege, est naufragium facere, & certissimum discrimen æternæ mortis conijcere. Quæ autem potest esse maior insania & impietas, quàm uelle amittere gratiam & fauorem Dei, & legem Mosi retinere, qua retenta, necesse est ut accumules tibi iram & omnia mala? Si autem excidunt à Gratia, qui lege morali nolunt iustificari. Quò collabuntur, quæso, iusticiarij, qui traditionibus & uotis suis iustificari uolunt? Ad ima tartara. Imò euehuntur in cœlum. Sic enim docuerunt ipsi. Quicunq; incedunt iuxta regulam Francisci, &c. pax misericordia Dei super eos. Item, Qui obseruauerit castitatem, obœdientiam, &c. habebit uitam æternam. Tu posthabitis illis inanibus & impijs nugis, attende quid Paulus hic doceat. Deinde, quid Christus dicat. Qui, inquit, credit Filio Dei, habet uitam æternam. Qui uerò non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Item, Qui non credit, iam iudicatus est.

Doctrina Papistarum, ut obiter hoc moneam, de Traditionibus humanis, operibus, uotis, meritis, &c. ut erat uulgatissima in mundo, Ita putabatur esse optima & certissima, qua & Diabolus per Papam regnum suum constituit & confirmauit potentissimè. Ideo non mirum est, cùm hodie à nobis, potentia uerbi Dei impugnatur & dispellitur, ceu palea à uento, quòd Satan tam atrociter sæuit, omnia turbis & scandalis replet, ac concitat in nos totum mundum. Ergo dicat aliquis, satius fuisset tacuisse, tum nihil talium malorum fuisset exortum? Nos plus iris facere debemus fauorem Dei, cuius gloriam prædicamus, quàm furorem Mundi persequentis nos. Quid enim Papa & totus Mundus ad Deum? Quem certè magnificare & præferre debemus omnibus creaturis. Deinde impij exagitent tumultus & scandala, quæ Sathan suscitat ad opprimendam, aut saltem deformandam doctrinam nostram. Nos contrà, commodum & fructum huius doctrinæ inæstimabilem amplificamus, quem longè præferimus omnibus turbis, sectis & scandalis. Nos quidem paruuli & infirmi sumus, gestantes thesaurum cœlestem in testaceis uasis. Sed quamlibet uasa infirma sint, tamen thesaurus infinitus & incomprehensibilis est.

Non

Non sunt frigidè & oscitanter inspicienda hæc uerba: A Gratia excidistis. Sunt enim ualde emphatica. Qui excidit à Gratia, amittit simpliciter expiationem, remissionem peccatorum, iusticiam, libertatem, uitam, &c. quam Christus sua morte & resurrectione nobis emeruit. Et uicissim acquirit in locum illorum, iram & iudicium Dei, peccatum, mortem, seruitutem Diaboli ac damnationem æternam. Et hic locus fortiter munit & confirmat doctrinam nostram de Fide, seu articulum iustificationis, & nos mirabiliter consolatur contra furores Papistarum, persequentium & condemnantium nos tanquam hæreticos, quod istum Articulum docemus. Debebat meritò iste locus perterrefacere omnes hostes fidei & gratiæ, hoc est, omnes operarios, ut desinerent persequi & blasphemare uerbum Gratiæ, uitæ & salutis æternæ. Sed adeo indurati & obstinati sunt, ut uidentes non uideant, & audientes hanc horribilem sententiam contra se ab Apostolo latam, tamen non audiant. Sinamus igitur illos. Cæci enim sunt & cæcorum duces.

NOS ENIM SPIRITV EX FIDE SPEM IVSTITIAE EXPECTAMVS.

Paulus hic concludit pulchro Epiphonemate, dicens: Vos iustificari uultis Lege, circuncisione & operibus, nos hoc modo non quærimus iusticiam, ne Christus fiat nobis ociosus, ne debitores fiamus totius Legis seruandæ, & ne excidamus à Gratia, sed expectamus spiritu ex fide spem iusticiæ. Singulæ uoces diligenter expendendæ sunt, Sunt enim ualde emphaticæ. Non uoluit tantùm dicere, ut alias solet, nos iustificamur fide, aut spiritu ex fide, sed adiecit, spem iusticiæ expectamus, inuoluens simul spem, ut totum fidei negocium complectatur. Cum dicit: Nos spiritu ex fide, &c. consideranda est antithesis in uocabulo Spiritus. Q.D. Nos non quærimus iustificari carne, sed hoc agimus, ut spiritu iustificemur, Et sic spiritu, ne sit fanaticus spiritus, & ex se Magister natus ut hæretici spiritum iactant, sed noster spiritus est ex fide. De spiritu & fide suprà copiosè dictum est. Hic autem non solùm dicit: Iustificamur spiritu ex fide, sed adiungit, spem iusticiæ expectamus, quæ noua additio est.

Spes usu scripturæ dupliciter accipitur, pro se sperata, & pro affectu sperante. Pro re sperata accipitur Coloss. 1. Propter spem repositam uobis in cœlis, id est, rem speratam, pro affectu sperante, Rom. 8. Spes, quæ uidetur, non est spes. Nam quod uidet quis, cur speret? Si autem quod non uidemus, speramus, id per patientiam expectamus. Sic & hoc loco spes accipi potest dupliciter, & secundum hoc gignit etiam duplicem sententiam. Prior est, nos spiritu ex fide spem iusticiæ nostræ expectamus, id est, iusticiam speratam, quæ certò reuelanda est suo tempore. Altera, nos spiritu ex fide expectamus spe & desiderio iusticiam, Hoc est, sumus iusti, & tamen iusticia nostra nondum reuelata est, sed pendet adhuc in spe, Rom. 8. Spe salui facti sumus. Donec enim uiuimus, hæret peccatum in carne nostra, manet lex in carne & membris, repugnans legi mentis nostræ, & captiuans nos in obsequium peccati. Illis affectibus carnis furentibus, ac nobis spiritu reluctantibus, manet tibi locus spei. Incepimus quidem iustificari fide, qua & primitias spiritus accepimus, & mortificatio carnis cœpta est, sed nondum perfectè iusti sumus, Reliquum est, ut perfectè iustificemur, hocq; speramus. Sic iusticia nostra nondum est in re, sed adhuc in spe.

Hæc grauissima & suauissima est consolatio, qua afflictæ & turbatæ mentes, sentientes peccatum, & pauefactæ ad quodlibet ignitum Diaboli telum, miraculiter erigi possunt. In illo enim certamine conscientiæ, ut experientia docti scimus, fortiter dominatur sensus peccati, iræ Dei, mortis, inferni & omnium pauorum. Ibi tum dicendum est tentato: Tu frater uis habere iusticiam sensitiuam,

hoc est, cupis ita sentire iusticiam, ut peccatum sentis, hoc non fiet. Sed tua iusticia debet transcendere sensum peccati, & sperare, te coram Deo iustū esse, hoc est, Tua iusticia non est uisibilis, non est sensibilis, sed speratur suo tempore reuelanda. Ideo non debes iudicare secundum sensum Peccati, quod perterrefacit & conturbat te, sed secundum promissionem & doctrinam fidei, qua promittitur tibi Christus, qui est perfecta & æterna iusticia tua. Sic spes mea in affectu sperante, in medijs pauoribus & sensu peccati prouocatur & erigitur fide, ut speret me esse iustum. Deinde spes, pro re sperata, hoc quod nondum uidet, sperat perficiendum esse, & reuelandum suo tempore.

Vtraq; sententia bona est, sed prior de affectu sperante, uberiorem affert consolationem. Iusticia enim mea nondum est perfecta neque sensibilis, ideo tamen non despero, sed fides monstrat mihi Christum, quo confido, Hoc fide apprehenso, luctor cum ignitis telis Diaboli, & animor per spem contra sensum peccati, statuens perfectam iusticiam mihi paratam in cœlo. Sic utrunq; uerum est, quod hic iustus sum iusticia incipiente, & in ea spe erigor contra peccatum, & expecto consummationem perfectæ iusticiæ in cœlo. Hæc tum rectè intelliguntur, cum ad usum transferuntur.

DE CRVCE ET CALAMITATIBVS ECCLESIAE.

QVOD ECCLESIA SIT SVBIECTA CRVCI.

Hoc uerum est de ijs, quæ propriè ad redemptos pertinent, quod subijciuntur multis tentationibus, secundum sententiam: Per multas tribulationes, oportet in regnum cælorum intrare. Itaq; Theologia rectè uocatur professio S. Crucis. Sic Christum oportuit pati, caput Ecclesiæ, & Prophetæ per Spiritum Sanctum, sicut Petrus dicit, prædixerint passiones eius, & post eas etiam glorificationem. 1. Pet. 1. Ac quomodo posset fieri ut Christiani non paterentur, cûm nullum in mundo officium sit, quod sit sine cruce? Magistratum esse & regere alios, an non miserrimum genus uitæ est, adeo, ut Demosthenes sapientissimus uir, posse tot in Athenensi Repu: pericula & molestias, dixerit, si geminæ uiæ essent propositæ una quæ ad inferos, altera quæ ad Rempub. duceret, se malle eam quæ tendit ad mortem, & ad inferos, ingredi. Itaq; Bias id genus uitæ certissimam regulam esse censuit, qua iudicari possit de singulorum ingenijs, Magistratus, inquit, ostendit uirum. Neq; enim nisi uir sis, & uerè inuictum habeas animum, pericula & labores omnes sustinere poteris, quos hæc uita secum trahit. Quâm multi sunt qui usquam inuidiam subeant, & offendant alios, à iusto & uero declinant? Ideo fit ut paucissimi in Magistratu boni sint, si qui autem sint boni, ferè ingratitudinem & extrema pericula pro laboribus reportant. Nam iusta administratio semper odium & inuidiam concitat. Sic si uxorem ducas, quæ ibi molestiarum moles obijcitur? Qui ut Basilij uerbis utar, τὸν φροντίδων θορυβὸς maritum excipit? Siue familiam, siue liberos, siue alia domestica, siue etiam uicinorum iniurias consideres, Quid multa? Nullum uitæ genus inuenies, quod non sit plenissimum omnis generis molestiarum, nisi uelis iniustus esse. Si autem hoc seriò conatus fueris, ut iustè & sanctè uiuas, non poterit abesse, quin statim Satan crucem obijciat, & re uexet.

Sunt autem hæc ut uidemus temporalia, quantò igitur magis in Ecclesia idem

idem accidet; ubi cum Diabolo pugnandum est de iustitia & uita æterna? Nam si Satan iustitiam ciuilem ferre non potest, quomodo pateretur æternam iustitiam, qua ipse in æternum se periturum nouit? Christiani igitur habent acerrimos hostes Dæmones, qui eos persequuntur ac fatigant dies & noctes. Quare eorum miserrima uita est, præ omnibus hominibus, siue respicias ad ea, quæ patiuntur in carne, siue in conscientia. In ciuilibus negocijs inuenitur saltem aliqua species lætitiæ & uoluptatum, sed qui uolunt Christiani esse, hi sunt & manent in peccatis, quæ tum corpus, tum conscientiam coram Deo reatu agunt, coram mundo autem sunt uermes, abominatio & καθάρματα, subiecti odijs dæmonum & totius mundi, ideo omni genere suppliciorum in eos mundus sæuit. Qui igitur ueram imaginem Christiani oculis intueri uult, Hiob intueatur, dæmonibus, cruciatibus corporis, & fœdis ulceribus obsessum & oppressum. Quid faciemus igitur? Si uolumus & optamus consequi uitam æternam, hæc ferenda sunt. Si uolumus confiteri redemtionem, & redemtorem nostrum Christum Iesum, sciamus paratos fore, qui iustitiæ & uitæ nostræ æternæ insidientur.

Præparemus igitur sicut Syrach monet, animam nostram ad tentationem, & præbeamus tergum nostrum aratoribus sicut Psal. 129. dicit: Quisquis enim profitetur se baptisatum esse, & censeri nomine Christi, gaudeat, statuat se non esse meliorem Christo Domino suo. Oportet enim conformes fieri imagini Filij Dei. Si Christus gestauit spineam coronam, non speremus futurum, ut nostro capiti serta & rosæ imponantur, Nos quidem quærimus pacem & quietem, nec illam damus occasionem iustam mundo sæuiendi in nos, sed Satanæ odium hoc modo non placatur, sed incenditur magis.

Videre igitur nunc miserabilem illam formam Christiani, qui tamen redemtus est, est plenus peccatis, tristicia, morte, ideo totus sibi ipsi displicet. Deinde est ceu Lazarus ante fores diuitis, est ceu Hiob infinitis periculis & malis oppressus. Hic dicas, Quis igitur optet Christianus esse? Audi igitur quid Petrus dicat. 1. Pet. 4. Fratres ne miremini feruorem seu tentationē, quę in uobis sit, ad tentandos nos quasi noui aliquid uobis contingat, sed tanquam communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Hęc enim est Christi, Ecclesiæ, & omnium fratrum imago, ut patiantur. Psal. 7. Grad. Tom. 4. fol. 457.

QVID SIT.

Certō statuamus nihil aliud esse calamitates, gemitus, suspiria ac mortem nostram, quàm iucundissimum & pulcherrimum ludum quendam bonitatis diuinæ Genes. 42. cap. Item Genes. 43. cap. inquit, uniuersæ calamitates quibus pij nihil aliud sunt, quàm iucundus & dulcis ludus, quo ludit nobiscum Deus, sicut pater cum paruulis suis, quibus mandat aliquid interdum, quod scit ipsorum uires superare, iubet filiolum ferre Cantharum, detrahere soccos, quod cūm studiosē conatur exequi, nulla ratione habita imbecillitatis suæ, simul admouet manus pater, laudat studium & robur filij, ut paulatim ad obedientiam & mutuum amorem excitetur & assuescat puer. Tales & hi lusus sunt diuinæ Maiestatis, cum pijs & fidelibus, qui soli filij sunt, & inuocant eum patrem, nec dubitant de paterna beneuolentia sibi promissa, ac tandem manum & auxilium eius experiuntur. Quicquid uerō faciunt quantumuis tenue & infirmum, id approbatur & laudatur, ut paruulorum labores & studia.

RATIO HANC DEFINITIONEM NON INTELLIGIT.

Sed quotusquisq; intelligit aut credit? Si illud in animum nostrum inducere possemus, uerè beati essemus, ac paratissimi ad quæuis mala hilari animo perferenda, cūm autem cogito me esse peccatorem, ac plecti propter delicta, longè

aliter iudico, non enim sentio Deum esse Patrem, esse bonum & misericordem, sed Diabolum ipsum. Scias ergo Deum esse omnipotentem, ac propterea ludum ei grauem, ac tanta Maiestate dignum esse conuenire. Ac discendum sanè, & assuescendum est ad delicias & & ludos eius, sicut dicit Psalm.4. Scitote, jrmustlet nen. Natura & ratio non docet, alioqui nihil opus esset uos à me hæc discere: Cognoscite inquit, hört/ last euch sagen. Si quando exercemini uarijs difficultatibus, & omnis generis ærumnis, cogitate Deum uobiscum ludere, qui ludus uobis mirabilis, & Deo est delectabilis. Nisi enim paterno animo uos complecteretur, non ita uobiscum luderet. Argumentum igitur est ineffabilis misericordiæ erga te, quod tu in illorum numero sis, quibus delectatur Deus, apud quem deliciæ ipsius sunt. Ideo dat tibi promissionem suam, Verbum, Sacramentum, tanquam symbola, & testimonia gratiæ certissima, quod te sibi filium adoptauerit, & nihil aliud requirit, quàm ut lusus eius sustineas, qui ipsi iucundi sunt, & tibi salutares. Atqui non intelligo hæc. Rectè sanè, non enim frustra appellat Spiritus Sanctus gubernatorem istum, Mirificatorem. Genes. cap. 42.

QVAE SPECIES AFFLICTIONVM, SCILICET INTERNAE ET EXTERNAE.

Christiani crucem Christi portant, & secundum Spiritum à Dæmonibus, secundum corpus autem à mundo uexantur: Satan enim oppugnat fidem, & facit nos murmurare contra Deum, aut tristicia ita opprimit, ut quid agamus, aut ubi simus, nesciamus & tamen uerum est quod simus sancti & redemti. Sed redemtio est abscondita, tentatio autem sentitur in spiritu & carne. Deinde accedunt temporalia, uerbi aduersarij calumniantur nostra, & mendaciter deferunt, mille occasiones quærunt nocendum nobis. Psal. 7. Grad. Tom. 4.

CAVSE QVARE ECCLESIA AFFLIGATVR A MVNDO, ET Diabolo.

Notandum est quod Christus dicit Matth. 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Non dicit*, odio habebunt uos propter stupra, homicidia, furta, & similia mala, quæ non inuenient, sed propter summa bona, propter summam uirtutem, propter ueritatem, propter iusticiã, propter uitam æternam, Summa, propter nomen meum id est, quod de me prædicatis & docetis. Ego sum causa uestrorum malorum & tribulationum, si me tantùm negaretis, & deinde in odium mei consentiretis, essetis sancti & laude dignissimi, etiamsi occideretis omnes sanctos meos, si omnia bona raperetis, si omnibus malediceretis, denicp si meipsum crucifigeretis. Si de mundo essetis, mundus quod suum est diligeret, sed quia de mundo non estis, sed ego uos elegi de mundo, idcirco uos odit mundus. Omnes sunt impeccabiles seu ἀναμαρτητοὶ, qui uos oderunt, soli uos estis peccatores. Sic hodie Papistæ contra nos furentes, quicquid faciunt, etiam contra suos Canones, nedum contra Deum, hoc nihil est, imò gloria est. Sed uirtus uirtutum est, nos odisse, occidisse, fugasse, nulla culpa stupri, homicidij, furti, sed quia nomen Christi prædicamus. Pertinet igitur & hoc ad consolationem nostram, ad audendum & ad animum erigendum, quod certi sumus, Christum esse causam nostræ tribulationis, ut Paulus ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in synceritate & ueritate, in hoc mundo conuersati sumus, id est, quod sine causa patimur. Nulli enim nocuimus, imò cunctis profuimus, mala pro bonis accepimus. Quia propter nomen Christi odio habiti sumus, in Annot. super 10. capit. Matth. Tom. 4.

11. *Quod mundus Euangelij doctrinam accusat seditionis.* Capit 10. Matth. Tom. 4. Ad hoc inquit, parate animos uestros, & nihil certius expectate, quàm ubi cœperitis docere Euangelium, mox surget contra uos bellum & gladius, sicut & Dauid canit Psal. 120. Ego

110. Ego pacificus, sed cũm loquebar, impugnabant me gratis, Et Psal. 119. Principes persecuti sunt me gratis. Et Psal. 116. Credidi propter quod locutus sum, ideo humiliatus sum nimis. id est multa passus, &c.

Et notandum est, quod uerba Christi sonant ualde seditiosè, quod gladium dicit se mittere in terram, Quis ferat talem prædicatorem? Sed Christus loquitur de gladio passiuè non actiuè, id est, non dat nobis ius gladij ad occidendos alios, sicut Mahomet gladium arripuit, & dedit, sicut & Papa arripuit ipse, & Cæsari dedisse uult uideri. Non sic Christus, sed passiuè uult intelligi, gladium mittit, scilicet contra nos, non pro nobis, ut ipsi gladium pati cogamur. Per gladium autem intelligit omne genus persecutionis.

At dices, Nihilominus seditiosi estis eõ quod concitatis principes & gladium contra uos, Nihilominus efficitis turbas in regnis & populis, & pacem munditollitis per Euangelium, quæ tacito Euangelio benè maneret. Nunc quia inuaditis religiones, cultus Deorum, iusticias operum, & perturbatis omnium corda noua doctrina &c. Sicut illi Act. 16 Illi qui conturbant totum orbem, etiam huc uenerunt. Et Ahab ad Eliam: Tu es conturbator Israel, uerè turbatis pacem. Respondetur, Hoc uult hîc Christus, hoc iubet facere, hoc gloriamur fieri per nos, ac gladium isto modo mittit Christus. Sic Paulus 2. Corinth. 6. gloriatur in sedi-tionibus, non quas mouet, sed quas patitur, ob Euangelium per alios motas. Sic Christus crucifigitur ut seditiosus, accusatur perturbator populorum à Galilæa usq; ad Ierusalem, sed cuius uicio ista seditio mouetur? Non nostra, neq; uerbi culpa, sed mundi, carnis & Diaboli, qui uerbum pacis, uitæ & salutis, non uolunt audire, sed accepto gladio tentant eradicare. Eradicari autem non potest, quia est uerbum Dei æterni, & illi non possunt quiescere, necessariõ exoritur tumultus scilicet illorum persequentium & occidentium, istorum autem patientium & morientium. Sic S. Stephanus Act. 7. grauem seditionem mouit inter Iudæos, nihil faciens aut dicens mali, sed tantũm bona, quæ illi ferre non potuerunt.

Confortat ergo nos Christus aduersus istas uociferationes & insanos clamores insipientium hominum, qui iactant, pax turbatur, mundus mouetur, homines confunduntur animo & mente, Religio ruit, cultus Dei destruitur, obedientia legitima soluitur, Et ut dicunt, **was ist guts aus dem Euangelio komen? Vorhin ware alles besser.** Certè grauissimæ sunt istæ calumniæ, & clamores ualde molesti. Sed iubet nos Christus eas cum fiducia contemnere & uidere & dicere: Tu quereris quod per Euangelium nostrum mundus tumultuatur. Respondetur Deo gratias. Hæc uolui fieri, Et ô miserum me, si non fierent talia. Si enim in pace suspiceretur, tunc non esset Euangelium uerum, Quia Christus dicit, se mittere gladium in terram, dum Euangelium mittit.

Quod appellat & iudicat Euangelium esse uinculum dirumpendum & abijciendum. Psalm. 2. Tom. 4. Vide quanta aduersariorum sit improbitas? Euangelium, quod gratiam Dei nobis annunciat, quod iusticiam promittit & uitam æternam, hi uinculum & funes, seu iugum appellant. Quid autem facias, cum tam perdito mendico, cui si mille aureos dono offeras, donum illiberaliter abijciat, & oneri sibi fore dicat? An non dignum iudices, fame & siti pereat? Sed hocipso peccato Reges, principes, gentes & populi Deum irritant. Dona eis uerbum & cum hoc uitam æternam, sed ipsi ideo arma arripiunt, ne his donis frui cogantur, mouẽt ideo bella & omnia turbis implent, quod promittit Deus, se propter filium condonaturum peccata, & daturum omnium rerum abundantiam etiam in hac uita. An non igitur dignus mundus est, qui æternis flammis subijciatur?

Memineris igitur regnum Christi esse eiusmodi, cui resistit totus mundus, & precipuè quicquid in mundo, dignitate, potentia, sapientia, iusticia & opibus ualet. Confirmandi igitur animi sunt, ne ideo trepident, ac cogitandum, quod uitari aut caueri hæ turbæ, nulla moderatione, nec ratione alia possint. Mundus enim

sui similis est, & prebet se facilem ad officia Satanæ, qui uerbum extremè odit. Quin caro nostra, & carnis sapientia cum ipsa conscientia nostra, huic regno & regi se opponit. Nemo igitur existimet ioculariam rem se suscipere cùm profitetur uerbum & fidem in Christum, sentiet enim aduersarios Reges & Principes, quos Satan excitat. His etsi pares non sumus, tamen Deus uult nos cum eis congredi, ut amplificet gloriam suam, & ostendat sapientiam ac potentiam suam in nostra infirmitate, suppetens de cœlo uirtutem, cui ne inferorum quidem portæ possunt resistere, ad confundendam sapientiam & potentiam omnium aduersari orum uerbi. Habes igitur hoc in loco, cogitationes, studia, Disputationes Regum & Principum, Gentium & populorum descriptas, imò etiam carnis tuæ, & conscientiæ tuæ, quam Diabolus etiam uexat, ut cogites de dirumpendo uinculo & proijciendo iugo. Reges & Principes ui & armis utuntur, cor autem tuum per infidelitatem contra hoc regnum pugnat, cum de promissionibus dubitat, cum consolationem de Remissione peccatorum, de gratuita iustitia, & uita æterna non admittit. Oportet igitur nos esse præmunitos ut cogitemus, sicut paulò post Psalmus dicet: Hunc Regem à Deo Patre constitutum. Si igitur mundus furit, si conscientia tua trepidat, confortare & robustus esto, ne deficiat fides tua. Regem hunc nemo deturbabit de suo solio, in quod eum Deus Pater collocauit, & tantò ante de his periculis à Spiritu Sancto per Sanctos Prophetas admonitus es, præuisa igitur iacula minus nocebunt.

Sic Syrach admonent, fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum & sustine, & inclina aurem tuam, & suscipe uerba intellectus. Qui igitur non uult in aciem prodire, signa deserere, is prorsus ab hoc regno abstineat. Diabolus enim nunquam cessabit, per ora Principum & Regum, per impios Doctores, imò etiam per tuam conscientiam hunc uersum canere: Dirumpamus uincula eorum, & iugum eorum proijciamus à nobis. Sed collige te, & dic mihi uerum, an non horribilis hæc tentatio & peccatum grauissimum sit, quod mundus Euangelium, hoc dulce nuncium de Remissione peccatorum, & uita æterna, per Christum nobis parta ac gratis donata, appellat uincula & iugum? Omnia totius mundi Regna intuere animo, & uidebis dissimillimam & ut ita dicam diuisissima esse inter se, non solùm, quod ad potentiam carnalem attinet, sed multò magis quod attinet ad religionem, leges & mores.

Vnica Roma quot habuit ildola? Quot Græcia? Quot Aegyptus? Et tamen nunquam religionis causa, quæ diuersissima fuit, mouerunt arma, Romani, etiam cùm Domini Græcorum essent, non ideo quia cultus diuersi essent, Græcos oderunt, sed potius ipsorum cultus amplexi sunt, sicut historiæ ostendunt de Eleusynijs sacris, de Deacone Epidaurio, de simulachro Ideæ matris &c. Hanc infinitam diuersitatem, mundus tulit æquissimo animo semper. Apud nos quoq; ante Euangelij lucem, quanta dissimilitudo erat cultuum, non solùm differentium secundum Dioceses, sed etiam secundum singula templa? Hæc neminem unquam offenderunt. Sed quando Christus cum suo Euangelio aduenit, ut hanc differentiam tollat, & in unum corpus omnes cogat, ibi qui religione diuersissimi sunt, inter se omnes conspirant, & quasi unum fiunt, ad opprimendum hoc regnum. Quid enim Papæ regnum fuit aliud, quàm monstrum diuersorum capitum, præsertim si Monachos spectes, quorum hic Augustinum, ille Franciscum, tertius Dominicum, quartus Benedictum, ut putauit, dignum esse, cui nomen daret. Hanc diuersitatem Papa tolerauit, & quanquam ipsi Monachi inter se odio sent: Vatiniano odio, tamen cum iam Euangelium patefactum est, consentiunt in eo oppugnando, & unanimes conferunt consilia, operas & opes suas. Hoc quis non uidet Satanæ dolis fieri, qui omnes alias religiones tolerare posset, hanc uerò nam autem, quæ uera est, odit & persequitur, ac facit ut homines iudicent eam intolerabile esse iugum?

Cur

Cur autem hoc mundus facit? Tamen Euangelium nihil aliud agit, quàm ut liberet conscientias à pauore mortis, ut & remissionem peccatorum credamus, & per Filium Dei pro nobis traditum retineamus spem uitæ æternæ. Sic autem docet hæc Euangelium, ut neq; Magistratus nec leges, neq; opes, nec alia aut damnat aut tollat, aut mutet, sed relinquit ista suo loco, & tantùm de conscientijs sanandis cogitat, ne oppressæ peccatis & metu mortis, sine consolatione & auxilio sint. Cur igitur mundus hæc non admittit? Cur iugum, cur uincula uocat, & tolerare recusat? Respondeo. Iusticiam suam non uult amittere, sapientiam suam non uult confundi, gloriam deniq; & potentiam suam non uult deserere, & ut uno uerbo dicam, primùm præceptum nec uult, nec potest seruare, sed pugnat contra id omnibus uiribus uoluntatis, intellectus & fortunarum. Deum debebat amare & anteferre omnibus, sed amat se & sua, Iusticiam Dei debebat solam extollere & ea niti, sed tanti facit suam iusticiam, ut Dei iusticiam prorsus non curet. Itaq; sicut Simia prolem suam, sic mundus tantùm ea, quæ mundi sunt, amat, his gaudet, superbit, inflatur, reliqua, quæ extra se & tantùm in fide posita sunt, supinus negligit, & tanquam ignotum thesaurum calcat pedibus.

At Euangelium hoc unicè agit, ut Christum proponat animis atq; oculis omnium in eum unum intueri, ab eo uno pendere, eo solo niti ac fidere iubet, qui indutus carnem nostram, in carne nostra uicit Satanam, occidit mortem, & inferum populatus est ac destruxit. Hunc unum prædicat sapientem, quia solus Dei Patris uoluntatem scit & facit. Hunc solùm uocat iustum, quia non solùm peccatum nullum fecit, sed suam iusticiam communicare omnibus credentibus in eum potest & uult, hunc solum dicit potentem, quia solus fortem custodientem atrium suum, uicit & spoliauit. Igitur eius sapientia, iusticia, & potentia uult nos confidere, actum demum nos quoq; promittit sapientes, iustos, potentes fore, qui si hac sapientia destituamur, uerè stulti, peccatores & imbecilles sumus. Sed mundus tanquam uincula, doctrinam hanc disrumpere, & tanquam iugum proijcere à se conatur.

Sic omnis contentio est cum hoc Rege de primo præcepto. Et Spiritus Sanctus in hac Prophetia præcipuè confirmare animos nostros uoluit contra hoc scandalum, quod potentissimi Reges & Principes, sanctissimi homines, quorum sapientia, regna & Respublicæ gubernantur, quorũ iusticia & æquitate florent, huic Regi se opponunt, nullam aliam ob causam quàm quod non uolunt coram Deo stulti esse, non possunt ferre cum audiunt leges, disciplinam, honestatem & alia bona opera, ad uitam æternam & remissionem peccatorum consequendam esse inutilia. Igitur tumultuantur, furunt, consultant, insurgunt contra Euangelium, tanquam seditiosam doctrinam & pernitiosam, quæ det occasionem licentiæ, quæ prohibeat bona opera, aut saltem abijciat & damnat, siquidem ad iusticiam nihil ualere dicit. Quàm autẽ uera hęc sit accusatio, æstiment boni, non enim damnat bona opera Euangelium, hoc enim esset legem damnare & tollere, quin potius stabilit legem, sicut Paulus docet, cum ostendit rationem, qua legi possit satisfieri, assiduè hortatur ad legis studium & bona opera, hoc unum prohibet, ne in his fiduciam ponamus iusticiæ coram Deo.

Hanc enim docet collocandam in ipsum crucifixum Filium Dei. Hunc cũm fide amplectimur, promittit nos iustos esse coram Deo, etsi coram mundo & nobis simus peccatores, promittit potentes esse, etsi simus infirmi, sapientes, si simus coram mundo stulti. In hunc igitur crucifixum Dei Filium iubet ut confidamus. Sed mundus id facere recusat, quia hanc iusticiam, potentiam, sapientiam non uidet. Non igitur uult præsentia quæ uidet ante oculos, & manibus tenet amittere, & alligari inuisibilibus & nusquam apparentibus, de quibus Euangeliũ concionatur.

natur. Ideo uinculum, ideo iugum uocat, quo ligatur & premitur, ne sapientiam, iusticiam, potentiam, quam habet, aliquid esse putet.

Hinc nascuntur illæ uoces. Quid? Igitur homo nihil est? Igitur arbitrium non est liberũ? Igitur Deus causa est damnationis impiorum? Cur enim non creauit iustos? Igitur maiores nostri, qui hæc, ignorarunt omnes damnati sunt? Vos autem soli sapientes, iusti, salui estis? Hæc uoces passim audiuntur & leguntur. Nec sanari cæci homines possunt, sequidem audire uolunt. Sedulõ enim monemus, scribimus, concionamur, clamamus, sapientia, potentia & alijs Dei creaturis utendum esse in hac uita, ad præsentia negocia gubernanda & constituenda, ibi locum esse, in quo ratio nostra, tanquam in suo stadio, decurrat, faciat & curet quantum possit, sed coram Deo omnia hæc nihil esse, neq; ualere quidquam. Requiri enim ibi meliorem iusticiam, & maiorem potentiam quàm nostra est. Sed surdo narratur fabula. Reclamant enim & uocant uincula & iugum intolerabile, quod uident sapientiam & iusticiam suam coram Deo, tanquam inutilem & inefficacem ligari. Nolumus hunc regnare super nos, clamant sicut Iudæi, ac damnant pariter doctrinam ac eos, qui doctrinæ huic assentiuntur. Appellant seditiosos, hæreticos & Diabolicos. Ipsi autem sicut Pharisæi & scribæ, gloriantur de Cathedra Mosi, de nomine Ecclesiæ, ac soli iusticiæ & sapientiæ possessionem sibi etiam armis & gladio uendicant. Hæc mundi facies est, odit Regem Christum & regnum eius, ac tentat omnia, quæ ad huius regni oppressionem facere iudicat.

HOSTES ET PERSECVTORES QVOS ECCLESIA HABET.

DIABOLVS PRIMARIVS HOSTIS ECCLESIAE.

Quamprimum uerbum Dei in lucem prodit, irascitur Diabolus, iratus utitur omnibus uiribus & dolis ad persequendum & prorsus obruendum illud. Ideo aliter fieri non potest, quin exuscitet infinitas sectas & scandala, item, persecutiones & cædes. Est enim mendacij pater & homicida. Mendacium spargit in mundum per impios Doctores, homines occidit per tyrannos. Sic utrumq; Regnum spirituale & corporale occupat, hoc per mendacium impiorum Doctorum (ut interim nõ dicam quõd perpetuò suis ignitis telis utrumquemq; priuatim sollicitat ad hæreses & impias opiniones) illud per gladium Tyrannorum, atq; ita utrinq; concitat contra filios liberẽ, pater mendacij & cædis, spiritualem & corporalem persecutionem. Spiritualis, quam ã fanaticis hodie ferre cogimur, molestissima ac prorsus intolerabilis nobis est propter scandala, quibus Diabolus deformat doctrinam nostram. Audire enim cogimur sectas Anabaptistarum & sacramentariorum, & omnia mala orta esse ex doctrina illa. Corporalis qua rebus & corporibus nostris insidiantur Tyranni, tolerabilior est, quia non fit propter peccata nostra, sed confessionem uerbi Dei. Discamus igitur ex ipso titulo Diaboli (patet mendacij & cædis) quem Christus ei tribuit Iohan. 8. quod florente Euangelio & regnante Christo, necesse sit oriri sectas perditionis, & omnia esse plena furoribus homicidarum, persequentium ueritatem. Et Paulus ait oportet hæreses esse. Qui hoc ignoret facillimẽ offenditur & deficit ad ueterem suum Deum & fidem, relicto uero Deo & fide. in Epistola ad Galat. cap. 4. Tom. 4.

Item, Psalm. 2. Tom. 4. Hoc Satan agit, ut non solũm humiliet, ut non solũm occidat nos, qui docemus & credimus, sed ut uerbum, nomen Christi, Baptismum, & quicquid Religio nostra habet, penitus obruat, & aboleat. Cum igitur summa fide docemus Christum, incipit furere, occupat uoluntates Principum, Regum, sapientum, potentum multitudinis deniq;, hi communi consilio omnes in id

in id incumbunt, ut uincula hæc dirumpant, hoc est, uerbum ut extinguant & Idolatriam tueantur. Vtrinq; igitur urgemur à Satana, qui & ui & dolo instruct est, uim intentat per Reges, Gentes, Principes, populos, dolo autem utitur cum fingit in nobis opiniones, quomodo simul & retineri uerbum & pax salua & ob oculos sunt, & amamus pacem, pulcherrimam rerum, ut ille ait. Sed quia his cogitationibus indulget, paulatim eò pertrahitur, ut studio pacis regnum Christi amittat, &c.

REGES ET PRINCIPES.

Quatuor ordines hominum Spiritus Sanctus commemorat, qui communi consilio huic Regi opponunt. Primi sunt Reges, seu Monarchæ, qui dignitate & potentia excellunt. Secundi sunt Gentes hoc est, subditi Regum. Populi sunt plebes seu respublicæ. Principes autem sunt inferiores Magistratus, & omnes qui ualent consilio & sapientia. Quid igitur omisit Spiritus Sanctus, quod non diceret huic Regno aduersaturum? Potentia, sapientia, opes, iustitia, Sanctitas, sunt insignia Dei dona, & tamen his abutitur mundus contra Dei regnum. Hæc an non extrema malicia est?

Ecclesia hodie etiam, habet hostes Redar & Mesech, hoc est, Turcam & Tartaros, cultores Mahometis, & Psalm. 1. Graduum. Tom. 4. fol. 423.

PONTIFICEM ET EPISCOPOS.

Pontifex & Episcopi, Reges & Principes, qui Pontifici adhærent, an non usq; ad rauim decantarunt hunc uersum, annis ferme iam triginta: Dirumpamus uincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum eorum? Itaq; consilia inierunt multiplicia, & tantũm non in manibus habuerunt uictoriam, partiti inter se uictoriæ præmium, Principum nostrorum ciuitates & arces. Psalm. 2. Tom. 4. fol. 759. Et Genes. cap. 4. fol 74.

Nullum apud nos hodie est dubium, quin Papæ Ecclesia sit Cainica. Nos autem sumus uera Ecclesia: Sicut enim Habel Cain non nocuit: Ita nos non solũm non nocemus eis, sed patimur uexari, damnari, occidi nos ab Ecclesia Papæ. Nec hæc falsò commemoramus. Toti mundo notum est, quoties anathematis subiecti, proscriptionibus uexati, ac uariis, iudiciis damnati sumus. Nec defuerunt, qui se acres crudelium sententiarum executores præbuerunt, in omnibus penè Europæ angulis. Non Hispania, Non Gallia, Non Anglia, Non Belgium, non Bohemia, non Polonia, non Hungaria, non Austria, non Bauaria huius crudelitatis & iniustæ sæuiciæ expers fuit.

HAERETICOS.

Qui, ut D. Luth. Genes. 3. fol. 42. inquit, astuciam & malitiam Satanæ imitantur, ut specie boni eripiant hominibus Deum & uerbum quasi ex oculis, & fingant eis alium Deum nouum, qui nusquam est. Nam si spectes uerba, nihil iis sanctius, nihil religiosius est. Testantur Deum quod ex toto corde querant salutem Ecclesiæ, detestantur ut qui maximè impia docentes, nomen & gloriam Dei magno conatu fatentur se cupere propagare. Quid multis? Non uolunt uideri quod sint Doctores Diabolici seu Hæretici. Et tamen hoc unum agunt, quomodo ueram doctrinam opprimant, & Dei cognitionem obscurent.

FALSOS FRATRES.

Galat. 4. cap. Tom. 4. fol. 147. Si sumus filij promissionis, secundum spiritum nati, expectanda est nobis certissimè persecutio fratris nostri, qui secundum carnem natus est. Hoc est, non solũm hostes palam impij persequuntur nos, sed etiam

etiam hi, qui primũm fuerunt dulces amici nostri, quibus cum conuersati sumus familiariter in eadem domo, qui à nobis acceperunt doctrinam Euangelij, fiunt postea infensissimi hostes nostri, persequentes nos acerrimè. Quia sunt fratres secundum carnem, quos oportet persequi fratres secundum spiritum natos. Sic conqueritur Christus Psalm. 41. de Iuda: Homo pacis meæ in quo speraui, qui edit panem mecum, leuauit coram me calcaneum suum. Sed hæc nostra consolatio est, quòd Ismaelitis nostris nullam dederimus occasionem persequendi nos. Propter doctrinam pietatis persequuntur nos Papistæ, hanc si reuocaremus, statim desinerent nos persequi. Item si pernicioſos errores fanaticorum spiritum approbaremus, ipsi laudarent nos. Quia uerò utrorumq; impietatem detestamur, nos possunt nos infensissimè odisse & persequi.

DOMESTICOS.

Cap. 10. Matth. Tom. 4. fol. 314. In ista causa etiam summi gradus amicos habituri sumus inimicos, nempe fratres, patres, sorores, filios, uxores. Quæ rogo, spes pacis & amicitia? Vbi proximi & isti domestici sunt hostes nostri, nempe pater, mater, frater, filius, sicut ex Michea dicit Christus inimici hominis domestici eius.

NOBILES CENTAVROS.

Psalm. 1. Graduum. Tom. 4. fol. 422. Nostro tempore sustinuimus sacramentarios, Anabapistas, & Epicuræos, sustinuimus quoq; oppressionem uerbi factam ui & dolo, Et inter nos quoq; multi sunt, maximè nobiles centauri, qui securissimo animo non solũm contemnunt totum ministerium, sed etiam optarent abolitum esse. Hæc sanè acerbissima sunt omnibus pijs, qui ea uidere & ferre coguntur, nec mutare possunt. Ideo dicimus cum Dauide: Hei mihi sum incola Mesech.

HOSTES CHRISTI ET ECCLESIAE
CRVDELES ET CALLIDI.

Psalm. 5. Grad. Tom. 4. fol. 447. Aduersarios & hostes Christi pingit, cosq; primũm comparat bestijs, prædam arripientibus ore seu dentibus. Nam inter reliquas bestias, hæ truculentiores, sæuiores, & efferatæ magis sunt, quæ dentibus lacerant, sicut lupi & leones, præsertim cũm etiam fame incitantur. Significat igitur Spiritus Sanctus in aduersarijs uerbi, esse singularem truculentiam, feritatem, crudelitatem, sæuitiam, quæ exaturari non possit, nisi laceratis & occisis uerbi confessoribus, sicut famelicus lupus, qui in oues incidit non exaturatur, nisi occisis & laceratis ouibus. Hæc prima pars est huius picturæ, sicut passim sine figura, scriptura uocat sanguinarios, crudeles, ueloces ad effundendum sanguinem. Et testantur idem omnes historiæ populi Israel, & Ecclesiæ inter Gentes.

Sed hoc cor sæuum, immite, & crudele, non ostendunt aduersarij uerbi, sed tegunt, & ornant simulatione officiorum concordiæ quærendæ, sanandarum discordiarum, &c. Sicut hæc altera similitudo de aucupe pulcherrimè ostendit. Auceps omnia simulat, quæ potest, proponit escam, habet chorum auicularum tanquam in læta re securè canentium, Ipse quoq; auceps aliquid accinit, ita ut ij speciem consideres, omnia sint amicissimè instructa, sed in his simulatis, quis nescit quale periculum struatur miseris auiculis? Laquei enim latent, qui etsi apperti essent, tamen non haberent illam horribilem speciem, quam uel stricti gladij, uel nudi luporum dentes exhibent. Sed cur omnia hæc instruuntur ab aucupe? Nonne ut auiculis captis obtorqueat collum & eas strangulet? Sic signifi-

significat hæc figura bellissimè, astum, calliditatem, dolos, & insidias, quibus sęuiam & crudelitatem suam aduersarij uerbi tegunt, cùm reuera nihil aliud agant, quàm quomodo capiant & occidant. Huiusmodi aucupium Satanicum perpetuò exercent, & cum summa crudelitate extremam calliditatem coniungunt, sicut manifestis exemplis declararunt.

DE CAVSIS CRVCIS ET CALAMITATVM IN GENERE.

Quantum de calamitate hominum potest dici, tantum hîc dicit Moses cum inquit, Ponis iniquitates nostras coram te, incognita peccata nostra in lucem sub cõ Peccatũ causa omniũ calamitatum. spectum tuum. Nec credo posse hæc aut melioribus aut grauioribus uerbis explicari, deducit enim narrationem usque ad extremum gradum, quod harum calamitatum causa sit peccatum. Quod etsi à nobis & toto mundo absconditum est, tamen in conspectu & claro lumine Dei collocatur. Quid potest dici grauius? Tomo 4. Fol. 532. Psal. 90.

Ira semper euertit, impij obstinatissimi sunt, & se in sinu Dei foueri statuunt, Diabolus. Cõtrà pij pauent, & metuunt iram Dei. Non statuunt, flagellum immitti à Satana, sed ab irato Deo, ideo ad folij uolantis sonitum expauescunt, & omnia tumentur. Hoc cogitare non possunt, quod impij cogitant *Diabolim istarum calamitatum autorem esse*, sicut reuera est. Non enim Deus pios adfligit, sed permittit ut Diabolus id faciat, sicut uidemus in Hiobo, eius liberi occiduntur igni, & tempestatibus pecora, non Deo succensente ipsi, sed Satana.

Debebamus igitur nos quoque ingruente peste, & alijs calamitatibus, dicere Satanæ ea esse opera, Satanam furere & irasci. Deum autem esse misericordem, & fauere nobis, quia credimus in eius Filium.

Atque hæc ratione sancti Martyres uicerunt mortem & pericula omnia. Deũ enim statuerunt sibi propitium esse, tormenta autem & adflictiones iudicauerunt magica, & Diabolica esse, permissa à Deo, ad tentandam fidem. Itaque etiam gaudent in malis, & insultauerunt Satanæ. Idem nos quoque debebamus facere, sed infirmitate uincimur plerumque. Sicut etiam magnorum Sanctorum exẽpla testantur. Nam Paulus quoque pauoribus occupatur, & recipit animum uisis fratribus. Acto. 28. Gene. Tomo. 2. cap. 19. fol. 130.

ECCLESIA CVR SVBIECTA CRVCI ET CALAMITATIBVS.

Pulcherimum hoc exemplum est diuinitatis erga nos, quod cùm adfligit pios, & dissimulat se esse Deum, & patrem nostrum, ac potius ut Tyrannum, & iudicem, qui uelit nos torquere & perdere se gerit, tandem tamen suo tempore, & hora opportuna dicit, Ego sum dominus Deus tuus. Hactenus non aliter te tractaui, acsi uellem te obijcere, & præcipitare in infernum. Sed hic ludus est mihi usitatus cum sanctis meis, nisi enim tibi ex animo benè uoluissem, nunquã ad hũc modum tecum lusissem.

Hæc ad consolationem nostram ita pinguntur in gubernatione Sanctorum, ut discamus tolerare manum Dei, erudientis, & exercentis nos ad cognitionẽ, ad mortificationẽ horribilis illius mali, quod dicitur peccatum originale. Nõ enim Calamitatũ causa mortificatio peccati originalis. id agitur, ut damnemur, & abijciamur, quanquam crux & adflictio nostra similis est perditioni & morti, sed peccatum hærens in natura expurgandum est, ut discamus quid sit hoc, quod dicit de te Dominus: Ego mortifico, & uiuifico, deduco ad inferos, & reduco, pauperem facio, & dito. 1. Reg. 2.

Hæc sunt opera Dei, de quibus glorioſè disputant Isaias, Paulus & Christus

ipse in Euangelio: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Qui inuenit animam suam perdet illam, &c. Sed quærit ratio: Quare Deus ita excruciat innocentes? Non temere hoc facit, sed ut euacuet peccatum. Deinde cùm simus impliciti uarijs delictis, non possumus gloriari de innocentia. Nam illos uide, quos sinit impunè & securè laxare frenum cupiditatibus, sine ula tentatione quid faciunt? Ex alio in aliud scelus prolabuntur, in libidines, cœdes, adulteria, odia, & horribilia monstra flagitiorum. Sicut apparet hodie in curia Romana. Quid aliud sunt collegia Canonicorum & Cardinalium, nisi prostibula & lupanaria? Et Roma sentina est infandorum & Carum & pessimorum hominum. Quia in labore hominum non sunt, & cùm hominibus non flagellantur, iuxta sententiam Psal. 73. Non habent purgationem, & castigationem peccati. Cessante autem mortificatione, & contritione, nulla salus reliqua est.

Ergo Christianis nobis discendum est, Scripturam sanctam Vbique docere humilitationem istam. Quod si sumus iusti, & in eorum numero, sicut certè sumus, qui regnum cœlorum adipisci cupiunt, sciamus nos esse Baptizatos in mortem CHRISTI, quem oportet nos sequi ducem, ut destruatur corpus peccati. Acuita nostra in oculis Dei nihil est, nisi destructio, mortificatio, & deductio ad inferos, non quidem ad perdendum, sed ad saluandum, liberandum, purgandum. Ea uerò non tantùm in uerbo, sed & in opere consistat necesse est. Sicut inquit Paulus: Regnum Dei non est in sermone. Peccatum haeret in nobis, siquidem in eo nati & concepti sumus. Caro est corrupta, quam Diabolus incitat ad omnis generis flagitia. Quid aliud ergo faciat Deus, quàm ut purget, quanquam non potest fieri sine dolore, & cruciatu. Es muß jämmerthum/ es muß gefület werden.

Ad hunc modum Ioseph mirabiliter tentatus & exercitatus est, donec humiliaretur, erudiretur, & tandem rursus exaltaretur. Sic enim ad tantam cognitionem pietatis, & sapientiam peruenit, ut alijs quoque consulere, & præesse, quin etiam uniuersum orbem terrarum gubernare posset.

Totum Regnum Ægypti non sufficiebat eius sapientiæ, quanquam in eo plurimis hominibus prodesset, ac de uera salute, non uulgus solùm, sed & reges & sacerdotes erudiret. Vnde uerò tantam facultatem nactus est? Quia mortificatus & deductus fuit ad inferos, neglectus, & desperatus, & tamen ingenti robore animi fidem & spem in tentatione retinuit.

Ad eundem modum fratres quoque exercet, & humiliat, ut exaltet eos. Est igitur perfectum & insigne exemplum gubernationis diuinæ, qui & proprio filio suo non pepercit, Sed pro nobis omnibus tradidit, ut satisfaceret pro nostris peccatis. Nos uerò non humiliamur ut satisfaciamus, sed ut mundemur. Ipsi non opus fuit purgatione, cùm esset innocentissimus. Sed sua passione meruit, ut nostra humiliatio, mortificatio, abiectio, damnatio, Deo grata esset.

Hæc igitur discenda sunt, sicut traduntur in sacris literis. Papistæ enim & Turcæ harum rerum prorsus ignari sunt. Putant se esse beatos, integros, sanctos, & suo obsequio & cultu placere Deo, sine purgatione, ideo non curant, nec timent Deum. Nec iam de Iulio aut Clemente monstris illis Pontificum loquor, sed exempla bonorum & sanctorum uideamus, qualis fuit Augustinus, Bernardus, & alij multi excepta fide. Illi cogitant se esse sanos, docent quidem patientiam sed nimis frigidè. Et si quæris cur ieiunent, cur corpus macerent, cur flagris cædantur, hanc adferunt causam. Vt mereantur exaltari super alios in regno cælorum.

Atqui

Atqui ea non est finalis causa adflictionum, sed mortificatio potius, & euacuatio peccatorum, & mali illius originalis, quod hæret in natura. Et quò plus purgaberis eò magis benedíceris in futura uita. Sequetur enim haud dubiè gloria calamitates & uexationes, quas in hoc mundo sustinemus. Sed harum omnium principalis finis est purgatio, quæ necessaria admodum & utilis est, ne stertamus, neue torpescamus ignauia & ueterno carnis nostræ: Nam in ocio & tranquillitate non oramus, non meditamur uerbum, sed frigidè tractamus scripturas, & omnia quę Dei sunt, aut tandem in securitatem exitialem prolabimur.

Oportet igitur nos uexari & humiliari, si non per sanguinem & carcerem, cuiusmodi sanctorum Martyrum supplicia fuerunt, at per spirituales tẽtationes, tristiciam, dolorem, angustiam animi, alioqui in peccatis peribimus. Quia caro est corrupta, uenenata, leprosa, & opus habet medico, qui occurrat putredini isti, per crucem, martyrium, tristiciam, confusionem, ignominiam, hæc enim sunt pharmaca illa, quibus expurgat Deus peccatum.

Talibus exemplis plena est scriptura sancta. das die Heiligen mussen herhalten. Quia extra tentationem obliuiscuntur exercitiorum spiritualium, segnius orant, credunt, laudant. Rursus uerò in calamitatibus, clamant, gemunt, querulantur, atque ita exercentur, & erudiuntur in uerbo, sicut inquit Iaias: Vexatio dat intellectum. Gene. cap. 45. fol. 140.

Deus adfligit nos uarijs calamitatibus, non ut puniat, quanquam reuera pœna est, sed non delectatur ea. Quid igitur sibi uult cum tot ærumnis, uexationibus, morbis &c. Hoc agit, ut perducaris ad cognitionem tui peccati, scit te non posse satisfacere, nec reddit mala pro meritis nostris, quia nihil aliud quàm mortem & infernum meremur, uerùm peccatum hærens in natura absconditum est ab oculis nostris, id ipse profert in lucem, ut habet oratio Mosi Psalmo 90. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, errores nostros ad lumen uultus tui. Tu nostra mala perspicis, quæ nos nõ uidemus, in conspectu tuo sumus immundi & polluti fœdissimè. Itaque ad manifestandam & purgandam eam utitur Deus remedijs uiolentis & acerbis. Sol er das malum außfegen/ so muß er nehmen ein Strowisch/ vnd ein scharffen sand/ vnd scheweren das bluthernach gehet. Huc pertinent pœnæ & calamitates generis humani, pestis, bella, fames, ut peccatum in nobis arguatur & manifestetur palpabiliter, donec sentiamus, quid simus in oculis Dei. Quin etiam labinos oportet fœdissimè, ut miseriam & imbecillitatem nostram agnoscamus.

Sic Dauid horribiliter lapsus est propter securitatem & superbiam, ut erudiretur quid sit peccatum, & ex animo posset dicere: Tibi soli peccaui &c. Video nos omnes accusari & damnari in lege tua, Verũm nemo hominum hoc intelligit. Ego autem fateor me tantũm esse peccatorem, meritum iram, & dignum morte æterna, breuiter nihil aliud esse, quàm peccatum, ut uincas cũm iudicaris ab alijs, qui uolunt esse iusti. Discamus igitur retinere hanc consolationem, quod etsi culpa nostram conscientiam mordet, stimulus legis & mortis nos exagitat, non tamen id fieri in perditionem, sed eruditionem potius & expurgationem, ut ueniamus ad cognitionem nostri & corruptionis nostræ. Feramus ergo manum Dei purgantis nos, hoc est ridentis & ludentis nobiscum. Nam eam qui recusant ferre, illi disputant, de satisfactione, quæ cũm nequeat sufficere, necessariò desperant. Geneſis 42. cap. Tom. 4. fol. 94.

Ideo exempla crucis proponuntur, ne simus confidentes in nobis ipsis,

II. *Causſa ut corrigatur uana fiducia noſtri.*

ſecundum illud 2. Corinth. 1. Non & Paulus uaria pericula & liberationes uarias expertus erat. Interdum uerò tantam animi magnitudinem, & ſecuritatem præ ſe fert, ut omnia pericula & anguſtias facilè ſine illo pauore contemnere uideatur. Sicut ait. 2. Corinth. 8. Os noſtrum apertum eſt ad uos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt, Non anguſtiamini in nobis, anguſtiamini autem in uiſceribus ueſtris &c. Ibi geſtit animus eius lætitia, & uult omnes ſecum dilatari, & gaudere. Omnia ei arrident, quæ in cœlo & in terra ſunt. Rurſus uerò ait: Supra modum grauati ſumus, ſupra uirtutem, ita ut tœderet nos etiam uiuere. Item, Reſponſum mortis in nobis ipſis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos. Quid illud eſt? Cur non lætaris Paule? Cur non alios exhilaras? ſiccine Paulum tantum Apoſtolum humiliari, ut mori potius quàm uiuere eligat? Qui modo plenus erat Spiritu ſancto, iam uacuus ſpiritu uidetur.

Ac eiuſdem luctæ primam & potiſsimam imaginem in Chriſto ſudante ſanguinem inhorto, propoſitam habemus. Ac talis ſanè eſt omnium ſanctorum uita, Cuius exempla nobis ideo proponuntur, ut erudiamur & diſcamus non in nobis, ſed in Deo confidere. Hæc enim eſt ſcientia piorum, ſibi ipſi diffidere & Deo confidere, & tali Deo qui uiuificat mortuos. & uocat ea, quæ non ſunt, ut ſint. Hæc enim ſunt opera Dei. Si uis igitur eſſe pius, & Deum patrem tuum agnoſcere & colere, memineris tibi decertandum eſſe cum Diabolis, cum mundo, carne, peccato, & lege. Ac mundus quidem inter hæc eſt leuiſsimus hoſtis: quanquam ad tribulationes mundi ſemper accidunt furores Diaboli, qui adiuuat mundum, & terret pios. Nam ne minimas quidem tribulationes patimur, quin adſit Sathan.

Itaque meminerimus id unicè nobis agendum & diſcendum eſſe, ut in omnibus tentationibus confidamus Deo, cuius proprium opus eſt uiuificare mortuos, ex perturbatiſsimis reddere pacatos, & tranquillos, ex miſerimis facere beatiſsimos, ex deſperabundis, lætiſſimos. Geneſis cap. 32. Tomo tertio folio 157.

III. *Causſa. Vt mortificetur caro, ſenſus & intellectus, & nos aſſueſcamus ſimpliciter promiſſionibus Dei confidere, etiamſi diſsimulet ſe noſtri curam agere.* Iacob eſt exemplum patientiæ & cogitationis de conſiliis mirabilibus Dei ſuper nos. Ac uoluit Deus hoc ſcribi, & in Eccleſia legi & doceri, ut diſcamus quomodo mirificet Sanctos ſuos, atque ita regat, ut ipſi etiam Sancti, non poſsint comprehendere conſilia Dei, quibus ducuntur, non aliam ob cauſam, quàm ut mortificetur caro, ſenſus & intellectus, ac ſapientia noſtra, & nos aſſuefcamus ſimpliciter clauſis oculis eius promiſsionibus confidere, etiamſi diſsimulet ſe noſtri curam gerere, & prorſus diuerſum appareat, ſicut dicit ſponſa in Canticis: Stat poſt parietem. **Er verſteckt ſich hinder das tuch!** & ſicut in templo puer duodecim annorum, è parentum conſpectu ſe autert. Eodem modo ſe gerit erga pios, ut uideatur prorſus nos neſcire, etiam poſt datas promiſsiones, poſt fœdus certiſsimè nobiſcum initum, tamen ſinit nos ita perire, ac ſi oblitus ſit promiſsionis ſuæ, nec curet nos, ſed habeat pro abiectis.

Hęc igitur eſt ſapientia Chriſtianorum, ſuſtinere diuina conſilia, & perſeuerare fide in promiſsione data. Nam ea quidem ſatis certa & firma, & pactum domini fidele eſt, iuxta Pſal. 121. ſententiam: Non dormitat neque dormit, qui cuſtodit Iſrael. Ratio uerò humana reſpondet: præclarè quidem & pulchrè ita dicuntur, ſed ego contrarium experior. Non ſolùm dormit, uerumetiam ſtertit, imò planè nullus Deus eſt, qui curet aut reſpiciat nos. Sic Iacob eſt ſecurus & certus, de diuina promiſsione, de fœdere & pacto immoto, ita tamen tractatur à DEO, ut neque ipſe, neque filius uideatur habere cuſtodes Angelos,

Angelos, qui resistant furori fratris. Omnes silent & sinunt Diabolum debachari in sanctissimam Ecclesiam. **Wo ist den nu Gott?**

Sæpe igitur monemur, doceri nos eiusmodi exemplis, apprehendendum esse promissionem fide, nec dubitandum de promittente Deo. Vt enim DEVS mentiri non potest, ita non potest non curam agere nostri, præsertim si adhæremus promissioni. Ea firmiter apprehensa, impossibile est nos deseri, propterea quod DEVS est uerax. Itaque cũm sinit nos tentari, deduci ad inferos, mortificari, sicut cernimus in hoc exemplo Iacob, semper est recurrendum ad promissionem, & ex oculis remouendum horribile illud scandalum, quo crucifigimur.

Iacob & Ioseph durissimè exercentur, planè diuersa & contraria ratione â promissione, & nihil minus apparet quàm cura & sollicitudo diuina. Non enim mittit Angelum, imò ne folium quidem arboris, quo reprimitur Diabolus, sed patefacit ei fenestram, ut sæuiat crudelissimè in patrem & filium.

Habet quidem promissionem amplissimam, & huius impletionem & experientiam, in benedictione exhibita per duodecim filios, sed cùm maximis difficultatibus quę obijciuntur, conflictatur ac si nec Deum, nec promissionem ullam habeat. Neque tamen derelictum eum fuisse statuamus. Manet enim immota promissio Iesa. 49. Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te &c. Cur igitur tam atrocia à carne, filijs, prole obijciuntur. Respondeo. Hic est modus gubernationis diuinæ, & talis est uita Sanctorum in hoc mundo. Requiritur igitur sapientia & doctrina superans omnem rationem & captum humanum, qua sic possim dicere: Baptizatus sum, absolutus sum à peccatis meis, comedi corpus, & bibi sanguinem CHRISTI, habeo certissimum uerbum Dei, ille mihi non mentietur, non fallet, utcunq; omnia in contrarium ferri uideantur.

Sic enim Iacob cogitauit, uideor quidem deseri, cũm filius rapiatur, de quo intellexi promissionem, quæ iam uocatur in dubium tamen est tentatio tantùm. Sed quotusquisq; est, qui possit hac præstare? Necesse est igitur mortificari carnem, & sensum carnis & rationis, ac uniuersam sapientiam humanam redigi in nihilum. Ex uerbo conditi sumus, in uerbum oportet nos reuerti. Sophistæ etiam sic locuti sunt, sed sine intellectu. Ad principium à quo processimus est redeundum. Id speculatiuè facilè dicitur. Sed practicè sic extenuari, mori, abire in nihilum, ut nihil uideatur reliquum, neque uitæ, neque sensus in carne, præter uerbum, hic opus hic labor est. Quando ego morior, descendo in infernum, pereo, Quid faciam? Nullum auxilium restat præter uerbum: Credo in Deum &c. id firmiter retineo, utcunq; irascatur, deserat occidat, deducat ad inferos. Quare? Quia ego sum baptizatus, absolutus, usus sum sacra communione, huic uerbo credo. **Gott gebe es breche himmel vnd erden/ etc.** tamen uerbum, & sacramenta, non sunt propterea abijcienda aut abneganda, si uel ad inferos deijciar.

Hæ non sunt speculabilia, sed sumpta ex medio rerum usu, & experientia. Nec semel tantũm in uita audienda aut cogitanda, sed sæpe repetenda & exercenda sunt. Semel sum baptizatus, sum receptus in promissionem diuinam, quotidie absoluor, & audio mihi annunciari remissionem peccatorum, erigor uerbo Dei, sum in regno gratiæ & salutis. Quid fit? Tot & tanta mala & monstra indies mihi occurrunt, ut si nihil aliud præsidij uel consilij haberem, quàm rationem & carnem meam, statim aut laqueo, aut quouis alio telo uitam finirem. Tam infinitæ artes sunt Diaboli. Omnes anguli sunt pleni mille generibus mortis, insidiarum, gladiorum &c. Tamen oportet quantumcunq; nubium & caliginis

obstet, in lucem uerbi & promissionem perrumpere & dicere: Nu im nämen GOTTES. Ego peccaui fateor, sed tamen credo me esse baptizatum, & ideo re CHRISTVM ad dexteram patris.

Hic est gemitus ille, quem uult Deus exuscitari in cordibus sanctorum, ne fiant securi & torpescant, ac pereant ἀπιστίαι, & pigritia Spiritus. Sic enim excitatur Spiritus, aluitur fides, crescit agnitio Dei, & renouatur nouus homo de die in diem, & discitur quæ sit uoluntas Dei bona & perfecta. Genesis 37. Tomo 4. folio 14.

III. Vt crescant in nobis exercitia fidei.

Nisi enim castigaremur, interdum securi in præsumptionem rueremus, & periremus in peccatis nostris. Cùm autem regant nos Satan & mundus & concupiscentia nostra, adigimur ad uera exercitia fidei, ut inuocemus Deum, & speremus ab eo auxilium. Magna autem consolatio hæc est, scire CHRISTVM hoc quærere per crucem, ut magis magisq; credas & inuoces, ut augeatur in te Spiritus & gratia. Ideo Paulus profuisse sibi suum stimulum dicit, ne extolleretur. Hoc enim unum remedium est, quo Deus utitur ad destruendum omne peccatum. Esai. 27. Tom. 3. fol. 348. 249.

V. Vt probet corda nostra an promissis bonis ad tempus carere uelimus

Primùm oportet pati, Deinde demum glorificari. Facit autem hoc ideo DEVS, ut probet corda nostra, an promissis bonis ad tempus carere uelimus: in æternum non carebimus, hoc certum est. Et nisi tentaret nos DEVS, ac differret promissa, non possemus eum diligere ex toto corde. Si enim statim obijceret omnia, quę promittit, non crederemus, sed immergeremur præsentibus bonis, & obliuisceremur Dei. Sinit igitur Ecclesiam adfligi & pati penuriã, ut discat non solũm in pane, sed etiam in uerbo sibi uiuendum esse, & ut augeantur in pijs fides, spes & expectatio auxilij diuini, uerbum enim est uita & salus nostra. Et in hac uita ab Adæ filijs dici & credi potest, quod uulgò dicitur. Quod differtur non aufertur: Cur idem nos Christiani non sentiamus & credamus. Genesis cap. 28. Tomo 3. fol. 79.

GENESIS CAP. 12. TOMO 2. FOL. 25. COMMEMORAT QVINQVE CAVSAS CRVCIS ET CALAMITATVM,

quas quoque adscribemus.

Prima. Vt statuamus omnes nos, præcipuè autem Reges principes, & alios Magistratus inferiores plenos esse peccatis. Nam aut conniuere solent ad peccata subditorum & negligere officium suum, aut abutuntur sua potentia, & nimium sunt asperi, ut autoritatem suam & dignitatem tueantur. Hęc publica peccata etsi DEVS aliquandiu dissimulet, tamen punire tandem & reuelare solet.

Secunda. Aliquando immittit Deus pœnas, non quòd inueniat peccatum tali pœna dignum in homine, sed quòd uelit probare fidem & patientiam. Nam Hiob sua uita pœnas tales non erat commeritus: Erat enim timens, simplex & rectus, & tamen acerbissimè flagellatur à Satana, sic permittente Domino, ut probaret fidem & constantiam eius. Sic enim dicit Dominus ad Satanam: Tu me commouisti aduersus eum, ut eum percuterem frustra. Pertinet enim ad erudiendos & consolandos nos, ut discamus Deum sæpe etiam innocentes grauissimis calamitatibus & pœnis subijcere, tantùm ut probet eos. Infirmi animi cum sentiunt pœnas, statim cogitationem de peccato addunt, & peccatorum has pœnas esse iudicant. Sed statuendum est, pios multos sustinere mala, tantùm ut probentur.

Sic Dominus de suo populo dicit: Hierem. 49. Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentis bibent, & tu quasi innocens relinqueris? Nam Daniel & eius socij, etsi ferrent captiuitatem inter Gentes, tamen suis peccatis captiuitatem non (ut alij) promeruerant. Sic in seditione rustica multi optimi uiri perierunt, non quia in eadem culpa essent cum seditiosis, sed quia inter seditiosos erant. Nam publicæ calamitates nunquam abeunt, quin etiam pij involuantur. Hi probantur, Alij autem iudicantur.

Tertia. Sæpe quoque pij affliguntur, non quod aut sic mereantur peccata ipsorum, aut probentur, sed ut retineantur in humilitate & non extollantur donis suis, Sic Paulus de se 2. Corinth. 12. &c.

Quarta causa pœnarum seu calamitatum est, ut purgemur seu emendemur. Sic Maria Magdalena, quia impuram uitam agit, septem malis spiritibus exercetur, ut cogatur hoc modo ad pœnitentiam & emendationem uitæ. Sic Salomon dicit Prouerb. 22. Stulticia ligata est in corde pueri, sed uirga disciplinæ fugabit eam. Et Esaias: Vexatio dat intellectum.

Quinta causa est illa mirabilis ratio, Secundum quam DEVS nihil aliud facit, nisi quòd gloriam suam & maiestatem ostendit. Sic cùm interrogarent Apostoli de cæco nato, CHRISTVS dicit, neque ipsum, neque parentes eius peccasse, sed hoc factum esse, ut reuelaretur gloria Dei, hoc est, ut CHRISTVS se hoc miraculo ostenderet esse filium Dei, & inuitaret plures ad fidem & agnitionem Dei.

Ad hunc modum Sancti Patres, ac præcipuè Augustinus & Bernardus de pœnis & calamitatibus disputant. Vident enim Hiobem innocentem probari, Paulum inclinari & humiliari, Magdalenam purgari, seu inuitari ad pœnitentiam, in cæco autem simpliciter hoc agi, ut manifestetur gloria Dei.

Itaque etsi uariæ species hæ tentationum sunt, tamen sunt castigatio paterna, & non iræ flagellum, quale in Herode & alijs impijs cernimus, qui inuoluuntur atrocibus pœnis, quas tamen postea consequitur æterna mors & damnatio. Hanc iram deprecatur Propheta, cùm dicit: Domine ne in furore tuo arguas me, & in ira tua ne corripias me. Quasi dicat: argue: non recuso, etiam me ut corripias libenter feram, modò absit ira & furor.

Sic Hieremias pro se & populo suo orat: Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me, opponit furori iudicium, quo purgamur & emendamur, sed cum moderatione & ad salutem.

Possent autem colligi plures causæ, propter quas Deus nos uisitat, quia sine intermissione peccamus & fouemus ac alimus originale peccatum, cui debetur mors. Sed DEVS credentibus hanc æternam pœnam remittit, & commutat eam in tales pœnas, quales recensui, quæ tantùm huius præsentis uitæ sunt, & nobis prosunt, quia aut probant, aut humiliant, aut emendant, aut gloriam Dei illustrant. Sustineamus igitur eas patienter & etiam gratias agamus misericordi Deo, castiganti nos in iudicio & non in ira, ut perseuerantes in timore Dei saluemur.

DE CAVSIS CVR DEVS IMMITTAT FAMEM BELLA, PESTEM ET SIMILES CALAMITATES.

Respondeo: DEVS immittit famem, bella, pestem & similes calamitates: Primùm ad tentationem & probam piorum, ut discant certò statuere, se etiam in mis tempore alendos esse, tametsi uarias difficultates experiri, ignotas etiam & incertas sedes sequi cogantur. Deinde ad scandalum & pœnam impiorum. Quia uerbi reuelatione abundè facta, fiunt homines ingrati, imò persequuntur & oderunt uerbum Alij, qui uidentur recipere, fastidiunt & nauseant super cibo istoleuissimo: Contemnunt & affligunt ministros, quo contemtu & odio prouocant iram Dei, ut dicat: Si non uis saturari cibo, & uita spirituali, etiam hanc corporalem uitam tibi adimam, & necabo te fame. Neglectu igitur thesauri inæstimabilis, etiam præsentis uitæ commoda amittunt. Et sicut pij seruantur, ita impij oppressi calamitatibus & desperatione, cùm sine uerbo sint, occiduntur. Inde uerò calumniandi causam, & detrahendi Verbo Dei, accipit Satan, qui delectatur hoc scandalo, & in suum commodum uertit ut hominum animos abalienet à uerbo. Quid enim aliud Cananæos cogitasse putabimus, qui ante Abrahæ aduentum omnis generis benedictione floruerunt, & nunc cum ipso famem portenti cogebantur: quàm Chaldeum istum omnium malorum & calamitatum causam esse. Hæc altera causa est, ut Diabolus & impij habeant occasionem blasphemandi Euangelium, ut proficiant in peius. Sicut hodie passim similes querelas audire & ferre cogimur: Superioribus temporibus fuisse omnium rerum uberrimos prouentus, & miram fœlicitatem: nunc annonam cariorem, & omnia longe miseriora esse. Quanquam mihi quidem non uidentur hæc nasci ex penuria fructuum, sed magis ex auaritia & malicia hominum, qui augent precia rerum pro suis cupiditatibus. Tamen non leue malum est, quo duriter præmuntur pauperes, & ministri uerbi. Reliqui qui abundant opibus, minus laborant. Multi igitur exoptant pristinum rerum statum, cùm fortuna priore, & addunt hanc blasphemiam: Exista doctrina Euangelij, nihil boni extitisse: insuper & ingenia hominum & mores longè corruptiores esse quàm olim.

Ita omnium malorum causæ doctrinæ Euangelij impingitur. Augustini tempore cùm Gotthi Italiam uastarent, Romæ omnis culpa reijciebatur in Apostolos Petrum & Paulum. Remouent enim homines profani ex oculis peccata mundi, & uerbum Dei, quod purissimum est & sanctissimum, indignè omnium scelerum culpam sustinet. Neque enim docet usuras, auaritias, luxuriam, & alia facinora, ac impostoras mundi. Sed contra hæc omnia clamat & pugnat. Quare igitur Euangelium tam atrocibus calumnijs grauatur? Quia malicia hæc Satanæ est, qua gaudet blasphemare Euangelium, & aduersus id undecunque conuicia congerere.

Horribile omninò & deplorandum est tantam esse hominum improbitatem, & licentiam fulgente hac luce. Sed tu ex uerbo sic edoctus esse debes, quod Euangelium non concedat licentiam usurarum, rapinarum, luxus, aleæ, &c. Sin autem hanc culpam ipsi impingis, iam ex ore tuo cõuinceris te esse obsessum à Diabolo, qui est autor harum blasphemiarum. Vides enim contrariũ doceri, & qui obediunt doctrinæ, agnoscere & sentire salutem, quin etiam piè ac purè uiuere. Nec pote-

potes negare esse ueritatem: & tamen quicquid est scelerum in Epicureis & impijs, doctrinæ imputas, ex mera malicia Diaboli, ut iudiceris, tu & omnes qui oderunt ueritatem.

Augustinus multa horribilia flagitia & scelera Romanorum recitat, cædes, libidines, usuras &c. An non meritò illa à Deo puniuntur? Prorsus igitur Diabolica hæc sunt, & sine horribili scelere ne cogitari quidem possunt, quod illorum omnium obliti, causam & malorum & pœnarum in uerbum rejiciunt.

Scripta autem hæc sunt ad nostram doctrinam, ne eiusmodi blasphemijs offenderemur. Sic enim omnes pij omnibus temporibus tamen & calumnias impiorum passi sunt: & quo fuerunt sanctiores ipsi, hoc plus pœnarum & calamitatum in mundi fuit. Non quod ipsi earum autores essent, & mundum turbarent, sed quia mundus lucem uerbi aspernabatur & idolatriam sectabatur. Sicut respondet Helias regi Ahab, Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Ad eundem modum blasphemis querelis hodie respondebimus: lucente Euangelio, & monstrãte iter salutis, uos estis ingrati, contemptores, persecutores, ideo ueniunt pœnæ, ueniet Turca, & omnis generis calamitates oriuntur. Interna autem pij quoque afflinguntur, sicut Isaac penuriam & famem sui temporis passus est, fuit peregrinus, & exul, & præsentem fortunam æquo animo ferendam duxit. Sed diligenter notandus est finis harum adflictionum. Apprehendunt quidem publica mala etiam Sanctos & Prophetas, sed non in pœnam & iram, ut impios & ingratos, sed in salutem, in probationem & argumentum fidei, charitatis & patientiæ, ut discant pij ferre manum Dei in œconomia. Promisit enim DEVS se uelle eos alere tempore famis, Sicut scriptum est. Non uidi iustum derelictum. Item, In diebus famis saturabuntur. Hasce promissiones eiusmodi exemplis sanctorum confirmat DEVS, & hac domestica tribulatione pios erudit, in uerbo, fide, humilitate spiritus, charitate, & alijs uirtutibus. Impij uerò cruciantur in pœnam & scandalum ut indurentur & fiant peiores. Nam per bonum non emendantur, per malum uerò fiunt deteriores. Ideo nihil proficitur, siue lætaſiue lugubria ijs occinantur. Matth. 11. Genesis cap. 26. Tomo tertio 10. 28.

DE CONSOLATIONIBVS IN CRVCE.

QVOD CRVX SIT SALVTARIS ET BONA.

Hoc sanctum & benedictum, ac tutissimum uitæ genus est, quando Deus non conniuet ad uicia, & illicita studia nostra: Sed statim corrigit & castigat, per flagella, per calamitates & cruces omnis generis, aut per homines qui monitis suis in uiam nos reducunt, ut frenentur stultæ cupiditates nostræ. Ecõtrà pessimum signum est, quando alicui improbo & machinanti malum omnia succedũt ex animi sententia. Ita enim Heremias de falsis Prophetis dicit: Prope es tu ori eorum & longè à renibus eorum, hoc est quicquid statuunt, docent, faciunt, ita ab omnibus approbatur, tam auidè recipitur, ac si diuinitus sancitum esset. Neque renes, hoc est studia impia, & cupiditates eorum reprimis, aut frenas. At quo fine? saginasti eos ad uictimam & diem occisionis.

Ad hũc modũ fuerunt & indulgent odio & inuidię filij Iacob, sed cogũtur tandẽ experiri & nolũt. Nihil igit̃ Deo gratius est & acceptiꝰ, quàm æquo animo tolerare

disciplinam

disciplinam & castigationem Domini. Quod si non ferimus nobis frœnum injici, tamen tandem in pœnis longè atrocioribus hærebimus. Dan es heiſt entlauffestu nur/ſo entlauffestu aber dem Hencker oder dem Teuffel nicht. Redeunt quidem aliqui interdum in uiam & conuertuntur, sed non sine atrocibus pœnis, quibus retrahuntur ad pœnitentiam. Genesis capit. 37. Tomo 4. cap. 10. lio 5.

II QVOD SIT CERTVM ARGVMENTVM GRATIAE CVRAE ET BENEVOLENTIAE DIVINAE.

Quando affligimur & exercemur, excitandus est animus aduersus sensum mali & dicendum: Non morior sed uiuam, utrumque diuersum appareat, ersidem meipso quidem desperare cogar, tamen in eũ sperabo, qui ex nihilo fecit omnia, meq; in nihilum redactum potest restituere in integrum, maximo meo & aliorum bono. Quô atrociores igitur sunt passiones, hoc maiora & mirabiliora operantur in sanctis. Estq; argumentum gratiæ & beneuolentiæ diuinæ, quando exercentur cruce & afflictionibus. Quando enim perseuerant fide, in promissione & perdurant, sequuntur ingentia & incredibilia bona, iuxta illud Iacobi. 1. Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cũm probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Et Iohannes 12. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multũm fructum adfert. Ex putrefactione & mortificatione grani surgit pulcherrimus culmus, ferens aliâs trigecuplum, aliâs sexagecuplum.

Hæc est perpetua doctrina totius scripturæ sanctæ, & uoluntas Dei ut mortificemur secundum carnem, & secundum spiritum uiuificemur. Idem uult Paulus 2. Corinth. 4. Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter IESVM, ut & uita manifestetur in carne nostra mortali. Item. Propterea quod non deficimus, sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostrę, Supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus quæ uidentur, sed quæ non uidentur.

Hæc uera & unica Christianorum scientia est, ad quam uocati & electi sunt à Christo, sicut ait ad discipulos Iohannis 15. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos, ut eatis & fructum adferatis, & fructus uester mancat, ideo etiam eos exercet & mortificat, quô uberiores sint eorum fructus.

Ad hunc modum tractat hosce sanctissimos Patriarchas, ac si nesciret eos, & tamen suam gratiam & misericordiam effundit in auum Isaac, patrem Iacob & Ioseph filium. Sunt enim Deo acceptissimi & gratissimi sine ullo dubio. Verùm ista charitas & beneuolentia ita absconditur, ut Deus in hostium quidem suorum quenquam, atrocius puniuerit, & ne ipsos quidem parricidas, qui Ioseph uendiderant, neque Ismaelitas aut Midianitas emptores. Sic nimirum excitat & adsuefacit Sanctos ad cogitationem mirabilium consiliorum Dei. Reliquos uerò sinit crescere, uoluptuari, usuras, & rapinam omnis generis sedulissimè exercere, illorum cupiditatibus indulget, non castigat nec reprimit seccuritatem, & conatus impios. Sed ò tristem & infœlicem indulgentiam. Longè beatiores sunt quos in luctum, in miseriam, in mortem conjecit. Et

Et tamen addit promissionem dicens. Habes promissionem ea sis contentus. Si esses abiectus non darem tibi promissionem, non iuberem te mihi fidere. Si uellem te damnatum in æternum, non Absoluerem, non Baptizarem, non uocarem te in consortium filij mei. Sed quia habes Sacramentum, habes Euangelium, memineris uerborum meorum: Beati qui lugent, quoniam consolationem accipient. Item Beati estis cùm maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersum uos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.

Neque uerò cœlestia tantùm & æterna præmia recepit Iacob, uerùm & temporalem mercedem, longissimè omnem spem & cogitationem superantem. Iactus enim est pater Regis Ægypti, & Episcopi ac Doctoris multorum populorum, per momentaneam hanc & leuem tentationem. Hoc corporale etiam & insigne præmium est patientiæ & constantiæ in aduersis. Itaque solet Deus abscondere faciem, manumq; suam subtrahere à sanctis & delectis suis, & sinit eos lugere, uendi, conijci in carcerem, mori, non aliter ac si hostes Dei essent, quos quidem magis curare uidetur, quàm hos, non quod reuera sic affectus sit, ut in speciem apparet. Sed quia hoc quasi ludo, in operibus manuum suarum delectatur. Ita enim ait: Quos diligo, castigo.

Hæc diligenter consideremus, ut post quam cepimus credere & sperare uitam futuram, datam per uerbum & baptismum, quicquid inde malorum euenerit, discamus patienter ferre, & statuamus non temere, sed paterno consilio fieri omnia ad salutem nostram, id quod finita tentatione demum intelligimus. In ipsa Epithasi & paroxysmo non intelligitur, quia sensus carnis abripit nos à Promissione. Non uenit in mentem homini in tribulatione & angustia constituto sum baptizatus, habeo promissionē Dei, sed animus prorsus obruitur quereli, luctu, lachrymis, secundum carnem. Oportet autem crucifigi & mortificari carnem, quæ conspicitur in tentatione, si firma fide retinetur. Sequiturq; illud, quod in Psalmo dicitur: Gustate & uidete, quoniam suauis est Dominus. Deus sinit tentari nos, ut habeat locum saturandi, consolandi, inebriandi, exhaustos omnibus uiribus, omnicq; præsidio destitutos, alioqui enim oscitantes, & cum fastidio uerbum audientes, prorsus torpescimus. **Sauer macht essen / spricht man / der hunger ist ein guter Koch.** Genesis capite 37. Tomo 4. cap. 10. fo. 13.

III

QVOD HABEMVS CERTAM SPEM RESVRRECTIONIS ET VITAE AETERNAE.

Necesse est, ut nos contra crucem & calamitates consolemur, & ad patientiam assuefacianus animos nostros. Siquidem uidemus calamitates has imponi etiam electis, qui habent spem resurrectionis & æternæ uitæ. Porro hæc spes cum reliqua sit calamitosis hominibus, docet nos esse magno animo, spe hac, uincere mala, nō enim sumus perpetuò hic mansuri. Sicut igitur qui peregrè abeūt, etiam si cubi sordidum hospitem nacti sunt, sic se consolantur, quod unius noctis ea molestia sit, siue esuriendum, siue duriter cubandum est. Ita nos quoque in medijs hisce calamitatibus cogitemus, Quid enim sunt duo aut tres anni, quos dormiendo penè fallimus, collati ad æternitatem?

Veniat

Veniant igitur, sicut Dominus singulis distribuit, aduersitates siue in œconomia, siue in politia & Ecclesia, non tamen patiemur, nos commouerí ad impatientiam. Non ideo uel politiam, uel œconomiã, uel Ecclesiæ curã abijciemus. Non decet hæc mollities fortes milites, ut ad primum impetum hostium abijciãt arma & fugiant. Quasi uerò ad uoluptates & ocium, non ad laborem & negocium destinati sumus. Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito, inquit Poeta.

Hoc autem tum poterimus, si his temporalibus incommodis opposuerimus spem resurrectionis & æternæ uitæ. Sicut autem nemo hanc libenter amitteret. Ita putabunt singuli, sibi non deserendam eam quasi stationem, in quam diuinitus collocati sunt. Qui est uocatus ad docendas Ecclesias, faciat id magno animo, nec moueatur aut suis periculis, aut Pontificum ignauia. Qui cum prædicando Euangelium, gubernando Ecclesias, audiendis causis sacris, dijudicandis dogmatum controuersijs, Ecclesias iuuare debebant, reijciunt hæc summa opera in ineptos Monachos, Ipse autem numis cumulandis & uoluptatibus instruendis occupantur. Quoniam igitur sudorem fugiunt, etiam reiiciunt gerio carebunt, Quoniam non compatiuntur, etiam non corregnabunt.

Contrà nos qui sudorem hunc, singuli in suo genere sustinemus, cogitemus, etiam si quid acerbum ferendum est, fore ut habeant calamitates illæ finem suum. Gene. 3. Tom. 1. fol. 62.

IIII BONA CONSCIENTIA ADFERT LEVATIONEM IN ADFLICTIONIBVS.

Qui sibi rectè conscius est & sentit se iniustè adfligi, is sua innocentia nititur, & simul intuetur in promissionem liberationis, ideo non trepidat, nec frangitur animo. Scit enim se neminem lædere, sed aliorum iniurias & peccata ferre. **Wen die Rupes vnd Petra da stehen** conscientia bona, **so kan nichts schaden, wenn gleich Cayphas vnd Scharioth kommen vnd zörnen, so haben wir doch gewunnen.** Bona conscientia instar firmissima rupis est, Cui innituntur pij in adflictionibus, animoq; magno & excelso omnium aduersariorum minas contemnunt. Sicut scriptum est. 1. Pet. 3. Quis est qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patiamini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. &c.

Contrà quando adfliguntur illi qui intulerint iniuriam, tum uerò pauent & horribiliter trepidant planeq; ut apud Poetam est, ad quod uis fulmen pallescunt. Hei mihi exclamant, hanc pœnam meritus sum mea improbitate & contumacia. Quid faciam? quo me uertam? En profectò miserabilis carnificina conscientiæ est, seipsam accusantis & damnantis.

Proinde præclarè agitur cum Iacob & Ioseph, quanquam ipsi non uideant, nec agnoscant fœlicitatem suam in paroxismo. Verè enim beatus est qui in tentatione sic est adfectus, ut queat secum statuere, etiamsi cœlum terræ misceatur, aut fractus illabatur orbis, ut maximè insaniat mundus cum principe suo, & omnibus portis inferorũ, quid ad me? ego mihi rectè conscius sum, fero enim crucem & iniurias aliorum, nonlædo quenquam, non pecco. Præterea habeo meam Absolutionem & Sacramenta, **laß her gehen**, non mouebor, nec trepidabo. Væ illis, qui peccant & me adfligunt, Christianorum enim est

est non irasci, non indignari de malo sibi illato, quanquam caro suo more solet obmurmurare, sed spiritus non irascitur. Sic potiùs cogitat, Væ tibi, **du hast mirß nicht gethan / du hast dirß gethan** / non me sed teipsum maximè offendisti. Sic Iacob & Ioseph potuerunt dicere: Non me venditis, abijcitis, occiditis, sed vos ipsos. Caro quidem aliter sentit, sed spiritus sic adfectus est.

Quæret autem aliquis: Quid igitur faciendum est? an propterea laxandum frenum impietati, nec coercendus est furor & malicia hominũ vel legibus vel pœnis, sed insuper pro dato damno agendæ sunt gratiæ improbo, & dicendum, nihil mali mihi fecisti? Fac quod lubet, ego lubens patiar. Qua ratione inuitabuntur mali ad augenda & cumulanda flagicia, siquidem docemus cum gaudio & bona conscientia ferenda esse incommoda, quæ ab alijs abijciuntur?

Respondeo: Demandatum est nobis ministeriũ Legis & Euangelij iuxta preceptum Pauli. Argue, increpa opportunè, importunè, **getrost schelten vnnd straffen / etiam irasci & indignari peccato.** Hoc pertinet ad ministerium legis, & ad officium Patrum, Præceptorum, Magistratuum, imò etiam priuatorum, propter correptionem & admonitionem fraternam, quæ est mandata singulis diuinitus, vt quantum possimus quilibet suo loco resistamus malo, & caueamus, ne impunè grassentur improbi, vel in nos vel in alios. **Wenn daß geschehen ist / vnd wil doch nicht helffen / so sol ich mich zu frieden geben vnd sagen.** Non me doctorem, sed te culpaueris ipsum. His omnibus vbi nihil profecerimus, restat vt animis acquiescamus, & vltionem diuinam expectemus, sentient enim suo magno malo non alios, sed seipsos grauissimè offensos esse, **der Teuffel wirdt sie wol gnug martern.**

Nos verò hanc consolationem habemus, quò magis nos macerant, adfligunt, cruciant, hoc magis vigent gloriam & coronam in cœlo. Interea tamen arguendi sunt, non vt noceamus, sed vt reuocemus maleficos in viam, ne incurrant in odium & iram Dei, qui est ignis consumens non pœnitentibus. Ad hunc modum resistimus malo, verbi & gladij ministerio: & tamen ferimus mala quę prohiberi non possunt magno nostro commodo, illorum verò detrimento & pernicie.

Hæc est Theologia & sapientia Christianorum, quam etsi nondum assecuti sumus, tamen quotidie ea exerceri, & adsuefieri debemus, vt in paroxysmo & calamitatibus quas sustinemus, possimus dicere præsenti & tranquillo animo: Non potes mihi nocere, Ego sum christianus. **Du schadest mir nichts / du fürderst mich / sich für dich.** Quid nocet Ioseph venditio & exilium? Imò ad quid non ei profuit? aut quomodo potuissent eum fratres maiore honore & dignitate ornare? Nam eo ipso quo conantur eum impedire & opprimere, commodissimè eum ad fastigium & culmen illud regni euehunt, quod paulò antè somniauerat. In hanc sententiam celebratur dictum Gregorij: Impij malefaciendo nobis benefaciunt. Et Augustinus ait de infantibus ab Herode occisis, non potuisse hostem totis viribus & omnibus opibus regni sui plus prodesse paruulis quàm occidendo.

Sic igitur Deus suos humiliat, vt exaltet, occidit vt viuificet, confundit vt glorificet, subijcit vt extollat. Sed est ars artium & scientia scientiarũ, quæ non nisi magno labore, & à paucis adeò disci & cognosci solet, vera tamen & certa. Sicut hoc exemplũ testatur, verè enim quod in Psalmo 105. dicitur. Constituit Dominus Ioseph regem Aegypti, ac Dominum & Saluatorem multorum. Quomodo? Vendendo, abijciendo, occidendo. Hæc sunt opera diuina quæ non intelliguntur nisi impleta & consumata. Interea verò dum fiunt, non possunt nisi sola fide apprehendi, simpliciter enim id retinendum est, Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem, cœli & terræ, &c. Genes. cap. 37. Tom. 4. fol. 26.

V.

QVOD CALAMITATES HVIVS VITAE BREVES ET EXIGVAE COLLATIONE æternorum bonorum.

Leuiora & rariora incommoda præ immenso mari beneficiorum, quibus Deus quotidie nos obruit, deuorare debebamus. Quid enim sunt omnia incommoda in vnum cumulum comportata, ad hoc vnum donum, quod Deus patefecit nobis verbum suum? An non igitur pestilentes isti homines sunt, qui infinita doctrinæ bona, propter aliqua incommoda negligunt?

Quanto rectius Paulus dicit 2. Cor. 4. Tribulationes nostras esse temporales & leues, gloriam autem qua eas compensabit Deus, fore supra modum ponderosam, ijs qui non spectant visibilia sed inuisibilia.

Sed frustrà hæc concionatur Paulus. Mundus enim nõ credit, sed totus occupatur visibilibus, inuisibilia autem negligit, & pro nihilo habet. Dedit misericors Pater filium suum, qui mortuus est pro peccatis nostris, is vicissim à nobis hoc postulat, vt confiteamur nomen ipsius coram mundo, & nostram quoq; vitam propter ipsius nomen amittamus, & promittit futurã vt hanc exiguam crucem, sequatur æterna quies & immensum gloriæ pondus, hac promissione quid potest esse suauius, quæ tam certam redemptionẽ à morte ęterna promittit, & est nostræ vitę aliqui hæc conditio, quod tandem mori necesse sit. Cur igitur nõ potiùs propter Christi nomen morimur?

Sed natura non patitur magnitudinem bonorum cum paruitate malorum verè comparari, caro pro suo more semper obscurat infinitas magnitudines bonorum, finitissima finitate malorum.

Igitur nobis semper in conspectu sit catalogus beneficiorum diuinorum, tum naturalium, tum spiritualium, & videbimus vbi mali gutta est, ibi mare beneficiorum Dei esse, quæ diuina Rhetorica nobis amplificare debemus, sicut Paulus egregiè facit. Vnico enim verbo haurit omnia pericula & incommoda, de quibus mundus potest conqueri.

Dubia istorum fortuna est, quibus ministeriũ verbi commendauit Deus, eiiciuntur ex sedibus, mactantur, subijciuntur flammis, hæc inquies an non mala sunt? Respondet Paulus, sunt sanè, sed leuia & momentanea. Pariunt autem æternum & infinitum bonum.

Hoc Paulus videt & credit, mundus nec videt, nec credit. Sed tantum occupatur præsentibus. Itaq; si vt germanicum prouerbium dicit: Romam vsq; tuis humeris eum portes, & minus suauiter deponas, omnis gratia perijt. Non vult illam crucem, illum incõmodulum, nullam festucam mali sentire, cùm ipse plenus sit tribus, & præcipuè Ecclesiæ incommodus & grauis.

Nos igitur qui sumus christiani, obruamus ista Diaboli portenta & extenuemus. Rursus autem amplificemus diuina beneficia. Verè enim minutula sunt mala omnia, & exiguũ cruciolum est qd nos portamus, si id comparemus cum beneficijs, quæ ex creatione, redemptione, & sanctificatione, ad nos redierint, & in futura vita erunt illustriora. Genes. cap. 20. Tom. 2. fol. 154.

VI. QVOD TENTATIONES ET CALAMITATES NON SVNT PERPETVAE, SED SVNT VICES, &c.

Deinde etiã in hoc consolatio est, quod etsi tota vita est tristissima, & vere semination in lachrymis, tamen Deus interim nullam tentationẽ sinit esse perpetuam, sed sicut vices sunt tempestatũ, ita semper illa nubila sequitur serenitas, & recreatio post labores. Sic experimur cum animi, cogitationibus, desperationis, diffidentię, impatientiæ coram Deo & mundo ad vnum, duos, tres dies, aut amplius vexati sunt, postea sequitur vt animi consolatione aliqua spirituali iterũ erigantur. Sicut enim parentes filijs virga castigatis, postea iterum blandiuntur, & saccaro aut alijs illecebris ad se allicĩũt, Ita Deus quoq; nobiscum agit, ne, si nulla esset refocillatio, perpetuũ ab eo fugeremus. Itaq; Paulus quoq; monet, liberos sic castigandos esse, ne tamẽ fiant pusillo animo, hoc est, alieno à parentibus. Et moderati parentes, solent miscere ideò virgam

virgam blandicijs & munuſculis, quæ arguant amorem, ne dum plagas ſentiunt liberi, prorſus nullum exiſtiment veniæ locum relictum eſſe. Ad hunc modum ſolet Deus quoq;. Si enim tentationes eſſent perpetuæ, quis eas ferret? Miſcentur itaq; cõſolationibus, vt intelligamus, Deum nõ velle totos nos abſorberi triſticia, corrigere vult, ſicut pſalmus dicit, ſed non morti tradere, impelli ſinit, ſed etiam manum porrigit, qua nos ſuſcipit, ducit ad inferos, ſed reducit quoq;. Contrà ſatan & mundus infinito odio & inſatiabili ira ardent, hi dicũt: Exinanite, exinanite, vſq; ad fundamentũ. Talis non eſt Dei ira, qui corripit ad ſalutem. Diſcamus igitur hęc, q; tentationes nobis ſint perferendæ, & ſeminandũ in lachrymis, ne ſcilicet cùm tentatio ingruit, tanquã noua & inuſitata re offendamur ac deſperemus, ſed retineamus hanc cõſolationẽ, habere nos meſſem in vita æterna, quã cum gaudio facturi ſumus, præterhoc, quod etiam in hac vita tentationes ita temperantur vt ſuſtineri poſsint, ſecundum ſententiam Pauli, Fidelis eſt Deus, qui nõ ſinit nos tentari ſupra quam poſſumus, ſed cum tentatione etiam facit ἔκβασιν ſeu euaſionem. Hoc quidem accidit, vt nobis videamur amplius non ſuſtinere poſſe, ſed virtus Domini perficitur in infirmitate. Pſal. 7. Grad. Tom. 4. fol. 458.

VIRTVTES QVAE IN CRVCE ET TRIBVLATIONIBVS EXERCERI DEBENT.

Oratio. In cruce & tentationibus opus eſt ardenti oratione, vt det Deus ſpiritum ſuum, ne extorqueatur nobis promiſsio. Ego contradictionẽ iſtam non poſſum ſiluere, vnica enim noſtra conſolatio eſt, quòd in adflictione confugimus ad promiſſionem, ea ſola baculus & virga noſtra eſt, quem ſi nobis Satan ex manibus excutit, nuſquam manere poſſumus. Geneſ. 22. cap. Tom. 2. fol. 188.

Perſeuerantia. Diſcamus perſeuerantiam in fide, ne dubitamus aut vacillemus, ſi qua incidit tentatio. Vide enim quàm liberaliter retribuat Deus Iſaac pro tentatione priore, vt ſciamus eum nõ in ęternũ iraſci, & habentes promiſsionẽ, perduremus in tentationib: ſic ſtatuentes, Dominus qui dixit mihi: Crede, certò ſeruabit ſuã promiſsionẽ. Ego interim expectabo, iuxta illud: Expecta Dominũ, viriliter age, &c. Confortetur cor veſtrũ, omnes qui ſperatis in eum. Pij expectent & perſeuerent etiã in ſummis periculis & aduerſitatibus. Ipſe enim promiſit ſe velle nos curare. 1. Pet. 5. Omnem ſolicitudinẽ veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

Hæc exercitia fidei ſunt neceſſaria pijs, quia abſq; ijs langueſceret, ac tepeſceret, imò extingueretur tandẽ fides. Inde verò diſcunt quid ſit fides, & tentati creſcunt in cognitione filij Dei, & fiunt tam fortes & firmi, vt in rebus aduerſis gaudere & gloriari nõ minus, ac de rebus ſecundis queant, tantùm pro nubecula aut nebula habeãt quamlibet tentationem, qui ſtatim euaneſcat. Geneſ. cap. 26. Tom. 3. fol. 40.

Spes. Quòd Eccleſia nõ ſuccumbit, nec vincitur malis, cauſa eſt, Quia in hac ipſa turbationis valle aperitur ſpes. Qui enim nouit peccata ſua condonata, & ſe propter Ieſum filium Dei cum Deo reconciliatum, ac filium Dei & hæredẽ factum eſſe, hunc quæ calamitas deijciat? Et ſi enim vita profundenda eſt, tamen ſcit ſe non amittere vitam, ſed inuenire & effugere æternam mortem, ſicut Chriſtus dicit: Hæc ſpes Eccleſiã ſeruat. Itaq; Paulus cùm hortatur Timotheum, iubet, vt meminerit Ieſum Chriſtum excitatum ex morte. Fidelem enim eſſe ſermonẽ, ſi ſimul morimur, etiam ſimul viuemus, ſi patimur, etiam ſimul regnabimus. Hoſeæ cap. 4. Tom. 4. fol. 616.

Patientia. AEterna patientia opus eſt, quę non vnius diei, non anni vnius, ſed totius vitę perpetua ſit, vt iſti qui habent verbum, ſecum ita ſtatuant, ſe ab eo nõ diſceſſuros, etſi mille annis eadem ferenda & patienda eſſent. Vidimus noſtra ætate quàm multi defecerint cum perſecutione, tanquã ſole exiccante ſegetem in petris, fructus verbi impediretur, ſæpe tandem etiam ij cadunt, qui tamen aliquandiu ſteterunt.

Ergò diſcendum eſt, patientiam chriſtianorum, ſicut hoc verſu deſcribitur, eam eſſe, quæ parata ſit præbere dorſum aratoribus, & pati non ad vnum & alterum

diem, sed per omnem vitam. Comparat enim afflictiones, prolixæ orationi in dorso piorũ, sicut Christus idem significat cùm dicit: Qui perseuerauerit in finem, saluus erit. Neq; eñ sufficit incipere, nam eam patientiã quę certis finibus descripta est, etiam inter gentes inuenies. Sed Christianorum patientia æterna est, hoc est eiusmodi est, vt infinita esse videatur, siquidem finis eius non apparet, sicut econtrà finis diuinæ consolationis etiam nullus apparet, vt hîc coniungantur, quæ videntur maximè esse contraria, nempe prolongatio sulcorum in tergo piorum, & victoria piorum canentium de his, qui aratrum ducunt, non potuerunt.

Porrò hęc prolongatio sulcorũ includit illud scandalũ, quod nulla sapientia carnalis potest vincere, nempe, quòd impij diu felices sunt, & videntur quasi præmium ferre persecutionis & odij in Christianos. Si enim vnum aut alterum diem Deus tyrannidem eorum toleraret, & statim pro merito puniret, diceremus omnes, Deum suos respicere, & impijs irasci. Nunc autem cùm ad multos annos impietas felix sit, & impunita, fit quòd Diogenes de Harpalo dicebat, vt videantur dicere vium testimonium contra Deos. Ita tentantur pij quoq; illa mora, vt nõnunquam eo prolabantur, vt statuant, Deum nõ respicere ipsos. Assuescendum itaq; est, vt etiam prolongatio sulcorum sentiatur, tamẽ non ideò offendamur, sed paremus nos, vna tentatione finita ad aliam. Siquidem tergum nostrum ad hoc paratum esse debet, vt feramus prolongationem sulcorum. Psal. 10. Graduum, Tom. 4. fol. 486.

DE DISCRIMINE PATIENTIAE CHRISTIANAE ET PHILOSOPHICAE.

Philosophia quidem docet de patientia, sed simul requirit innocentiã. Hoc igitur diligenter tenendum est, quòd nos vt innocentes & indigentes hac virga paterna castigemur. Sicut Dominus apud Hieremiam inquit ad Edom: Ecce quibus nõ erat iudicium vt biberent calicem, vt Daniel & alij, **die můssen jn trincken**/ bibentes biberent & tu quasi innocens relinqueris. Non eris innocens, sed bibendo bibes. Item ad Hierosolimã, Castigabo te in iudicio, ne videaris tibi innocens, Quasi dicat: ideò corripiam te ne obliuiscaris peccati tui, in quo conceptus & natus es. Alioqui enim diceres: Cur me arguis? Cur hanc pœnam infligis, & non potius Moab & Edom punis, Ego sum populus tuus, sacrifico tibi, confiteor & laudo nomẽ tuum. Propterea igitur hoc facio, ne iactes innocentiam tuam coram me. Non tamẽ in furore, sed in iudicio corripiam te, sicut Pater amat & castigat filium. **Du solt drumb nit verlorn sein.** Gene. 45. Tom. 4. fol. 142. Et Psal. 11. Graduum. Tom. 4. fol. 497.

Expecta anima mea Dominum, à matutina custodia vsq; ad aliam matutinam custodiam. Atq; hæc est Christianorũ patientia. Nota est gentium sententia. Furor fit læsa sæpius patientia. Nam si quid patitur patientia, patitur ex desperatione quadam, vt cogitent animi, frustrà tolerari ista, hinc vertitur patientia in furiã, & opprimitur desperatione. Sed Christianorũ patientia non sinit se opprimi, sed vrget spem de die in diem, de anno in annũ, & sic tandem triumphat & vincit. Magnũ est in Republica, retinere inuictum animũ contra quotidiana incõmoda, quæ incidunt. Sed perseuerare in his malis, quæ Dauid suo exemplo ostendit Christianis, iam consecutis remissionem peccatorũ, imminere, retinere spem in peccatis, & cõscientiæ accusationibus, ferre alias vexationes, quibus Satan cor credens sine modo torquet, Hæc diuina virtus est, & talis pugna, cui promissa est immarcesibilis corona gloriæ.

REGVLA DIVINORVM OPERVM.

Oportet nos humiliari, mortificari, ac granum frumenti iactũ in terram mori, & resurgere cum multiplici fructu. Quia est Deus Ephraim, id est, fructificationum sed in terra Anij, hoc est, mortificationũ. Estq; perpetua & vnica regula diuinorum operum. Omnia ex nihilo facere.

Sic enim sepelimur & mandamur humo, putredini & vermibus, seminamur in infirmitate, corruptione, ignominia & fœtore, adeò abiecta & turpi specie, vt

ferè magis optandũ esset non esse natum, quàm ita ignominiosè corrodi & consumi à vermibus & putredine. Ita redigimur in nihilũ, sed Deus inquit: Ex hoc nihilo & Anij, ex hac putredine, vermibus, fœtore & pulueribus suscitabo te, & faciã non solùm Manasse, sed etiam Ephraim clariorem, quàm sol est. Atq; ita fiet tandem, quia habemus promissionem certissimam. Etsi igitur in hac vita nõ fluunt omnia ad voluntatem & placitum nostrum, tamen in futura id quoq; prædicabimus: Obliuisci me fecit Deus, domus patris, & omnis miseriæ meæ.

Hanc verò obliuionẽ paulatim nobis in hac vita obrepere oportebat. Etsi em̃ nunc dum vermes & putredo ob oculos sunt, nõ possumus non eorum meminisse, tamen erit aliquando cùm omnem lachrymam absterget Deus, vt in Apocalypsi dicitur. Incipiat igitur fides obliuisci lachrymarũ & ignominię, quam ipsa non cernit, tametsi oculi videant putredinem, aures quærelas & gemitus audiunt, nares fœtorem cadaueris olfaciunt: tamen fidei est dicere: Nescio hoc, nihil video, imò multiplicationem & claritatem ipsum solem & stellas superantem aspicio.

Hoc ergò fine proponũtur talia exempla, vt discamus Deũ esse creatorẽ omniũ, viuificatorẽ mortuorũ, clarificatorẽ vermium & turpissimæ putredinis. Idq; in hac vita à nobis fide agnosci & celebrari vult, postea verò in futura reipsa experiemur.

Ioseph nõ fit princeps AEgypti, nec Iacob prius tanti populi semẽ videt, quàm mortificetur vterq;. Idq; didicit Ioseph propria experientia. Ideò dicit: **Es muß dahin kom̃en/das einer vergesse alles was er auff erden zu hoffen hat**/eram primogenitus & hæres ex matre primaria, hoc totum perijt, nec spes illa restat de hæreditate, aut primogenitura in domo Patris adipiscẽda. Ideò appellat filiũ in honorẽ Dei Manassen, eò quòd redegerit Deus ipsum in nihilũ, & effecerit vt obliuisceretur vniuersæ domus patris. Quia autẽ aliquam fructificationẽ concesserat data sobole, alterũ filium nominat Ephraim, qui infrà ab auo Iacob insigni benedictione cumulabitur, ac fuit sanè tribus illa potentissima, sicut apparet ex libris Iosuę, Iudicũ, & Regum. Hieroboam fuit ex tribu Beniamin, & inde denominatur regnũ Israel in Prophetis, quorũ ferè excellentissimi quiq; ex hac tribu orti sunt, vt Helias, Heliseus, Hoseas & alij.

Discamus autem ex hoc loco exaltationem præcedere solere mortificationem. Oportet enim nos prius fieri Manasses, hoc est, redigi in nihilũ, quanquam non sine magno dolore hanc occisionem perfert caro, sicut natura in vniuersum fugit corruptionem & destructionẽ sui, & ne arbor quidem aut frutex sine fragore succiditur. Et Christus ipse in cruce clamat: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 88.

DE VSITATO ARGVMENTO. QVOD IMPIIS BENE EST ET PIIS MALE.

Si Deus habet potentiam, sapientiam & bonitatem, si potest scit & vult iuuare, quare res hoc modo geruntur in mundo, vt impij etiã præmium impietatis ferant, potentiam, opes, dignitates. Contrà pij ob pietatem ab impijs variè affligantur? Sic sunt hæc quasi viuum testimonium, sicut suprà de Diogene diximus, contra Deum. Hoc argumentũ Epicuri & similium planè insolubile est. Itaq; cęca & his quasi nexibus irretita ratio, in eam sententiam inclinat, vt statuat aut nullos esse Deos, aut humana non curare, sicut Velleius ex Epicuri sententia apud Ciceronẽ disputat. Porrò apud ingeniosos etiam ista per se difficillima satan acuit. Quia enim cogimur Deo tribuere omnipotentiam, sapientiam & bonitatem, arguit Diabolus ex concessis principijs contra nos, & hoc ipsum quòd cogimur Deo tribuere, iterũ quasi de manibus excutit, vt victi rerum præsentiũ administratione, statuamus Deum aut nullum esse, aut infirmum ac impotentem esse. Sicut Aristoteles ferè in eam delabitur sententiam, vt etsi Deum non appellet stultum, tamen ignarum omnium rerum statuat, qui nihil nostrorum negotiorũ intelligat & videat, nihil consideret pręter seip-

sum, & tantùm delectetur in speculatione sui ipsius. Hoc autem etsi non est stultitiæ tribuere, tamen certè est adimere scientiam, & constituere ignarum rerum humanarum, sed quid ad nos talis Deus, aut quis eius est vsus?

Contrà hoc scandalum, monet nos Spiritus sanctus, cum Deo tribuit nomen, quòd iustus sit, cui non placet iniustitia & impietas. Ideò etsi finit aliquandiu florere impios, tamen ad extremum concidit funes eorum, hoc est, perdit potentiã eorum cum ipsis. Pios autẽ liberat & eripit, secundum sententiã: Non Deus volens iniquitatem es tu. Ergò discamus respondere ad hoc argumentũ illo vulgari dicto, à multis vsurpato: In fine videtur cuius toni. Iudicandum enim est Christiano, non ex eo quòd sentit in præsentia, sed ex eo, quòd verbum promittit de futuro, quòd scilicet impij cùm prolixè arauerunt, & variè afflixerunt bonos, tandem sint periturí. Quia Deus iustus est. Non igitur patietur iustitia eius, iustos opprimi in finem. Psal. 10. Graduum Tom. 4. fol. 487.

SYLLOGISMVS PLENVS CONSOLATIONE.

Omnis populus Dei benedictus, sanctus, Deo gratus & acceptus est, ita vt non possit rapi ex manibus Dei. Nos sumus populus Dei. Ergò Deus nostri curam agit. Maior est verissima, quia etiam mors & sanguis sanctorum, sunt præciosa in conspectu Domini, placent Deo omnia quę faciunt & patiuntur. Imò errores & lapsus eorum tecti sunt & remissi, vt testatur Psal. 32.

Sed de Minore est quęstio. Nam & Turca, Papa, Iudęi, gloriantur se esse talem populum, placentem & gratum Deo. Videndum igitur est, vt de minore simus certi, quòd nos simus filij Dei, de grege & populo Dei, sub vno pastore Christo. Hoc si firmiter & certò statuere potes, iam es beatus. Sis igitur bono animo, neq; turberis aut trepides, si vel fractus illabatur orbis. Siquidem certus es, te esse sub eo pastore, qui est Dominus cœli & terræ. Difficilè autem est huic propositioni firmiter assentiri, etiam ouibus & pijs ipsis, perpetuò enim luctandum est contra dubitationẽ & diffidentiam. Tam magna & difficilis res est fides. Sed Turca, Iudęi, Papistæ non sentiunt hanc luctam, non pugnant sed sunt certissimi, & securè gloriantur se sine vlla dubitatione esse populum Dei.

Assidua igitur consolatione opus habent pij, vt huic minori credant. Tum enim Maior te nõ fallet, quia testatur Spiritus sanctus, & hoc & alijs exemplis complurib⁹, Dei populum etiam in minimis & leuissimis placere Deo. Omnia enim per te operabitur, mulgebit per te vaccã, & seruilissima quæq; opera facies, ac maxima pariter & minima omnia ipsi grata erunt, sed quibus argumentis probanda erit minor propositio? Quomodo certò sciam me esse de populo Dei? Ante Christo incarnatũ patres, habebant promissionẽ, verbum & vocem Dei, habebant & signum circumcisionis. Nos hodie habemus Claues, Baptismum, Eucharistiam, promissiones Euangelij. Inde colligas argumenta & demonstrationes, quibus certus fias te esse Christianum, esse Baptisatum, & incedere in vocatione sancta & pia. Non blasphemes sed ames verbum, & Deo seruias aliquo honesto munere. Si hoc animo tuo infixum hæret, tametsi fuerit pugnandum contra dubitationem, tamen sic concludas & colligas te esse eum, cuius facta omnia Deo curæ sint & placeant. Cogita, ego sequar vocationem meam, faciam operas seruiles, heriles, pueriles, cum Iacob, scio enim hæc omnia esse in honore & præcio coram Domino Deo nostro.

Hæc propter assiduam luctam aduersus dubitationem repetenda sunt. Diuersum enim à verbo & consolatione diuina obijcitur sensibus. Caro aliud sentit, ita vt pijs omnia in contrarium ferri videantur. Siquidem impij sunt felices, & ipsi adiuuantur. Ideò fides est rerum inuisibilium, donec exitus veritatem promissionum probet, Genes. cap. 31. Tom. 3. fol. 129.

QVAE-

QVAESTIO. CVR DEVS DIFFERAT TVM POENAS tum præmia.

Quomodo verũ est quòd Ham maledictus & Sem benedictus sit? sic scilicet, quòd expectanda fuit veritas promissionis & comminationis diuinæ. Fit autem dilatio hæc ideò, vt & impij impleant mensuram suam, & Deus non possit argui, quasi non dederit spacium pœnitentiæ. Pij autẽ dum opprimuntur ab impijs, & vere seruiunt, tentantur & exercentur in augmentum fidei & charitatis erga Deum, vt per multas vexationes & tribulationes erudiantur, & sic eruditi consequantur tandem promissionem. Nam cùm tempus impletũ esset, non potuit tanta esse posteritatis Ham potentia, quin cogerẽtur posteris Sem cedere. Tum igitur maledictio ab ipso Ham, & tota eius posteritate tam longo tempore magnificè contempta & nõ credita, impleta est. Non dissimilis ratio hodie nobiscũ est. Habemus veram doctrinã, & veros cultus. Itaq; gloriari possimus, quòd simus vera Ecclesia, habẽtes promissiones benedictionũ spiritualium in Christo. Quia autem doctrinam nostram, Papæ Ecclesia damnat, scimus eam non Christi, sed Satanæ esse Ecclesiam, & verè sicut Ham, seruum seruorum. Et tamen res ostendit Papam dominari. Nos autem seruos & peripsemata esse, vt Paulus vocat.

Quid igitur faciemus miseri & oppressi nos? Nimirũ consolamur interim animos nostros dominio spirituali, hoc est, quod scimus nos habere remissionẽ peccatorum, & placatũ Deum per Christum, donec etiam veniat corporalis liberatio in extremo die. Quanquã corporalis liberationis particulam, etiã in hac vita aliquam sentimus. Dum enim Tyranni pertinaciter se opponunt Euangelio, excidũtur radicitus de terra.

Sic pòst omnia mundi regna etiam Romanum imperium perijt. Verbum aũt Domini, & Ecclesia manet in æternum. Sic Papæ potentiã paulatim infringit Christus, vt autem penitus tollatur, & fiat seruus seruorum cum impio Ham, ad hanc rem fide & expectatione opus est. Interim excluſus est ex regno Dei, & possidet ad tempus regnum mundi. Sic Papa ab Ecclesia Dei excluſus est, & tenet ad tempus regnũ corporale, sic tamen vt tandem non maneat.

Hic est processus diuini iuris, vt pij habeant regnum sed in fide, contenti spirituali benedictione, quòd habent propicium Deum, & certam spem regni cœlorum. Interim relinquãt impijs possessionem regnorum mundi, donec Deus etiam corporaliter eos dispergat, nos autem omnium hæredes constituat per Christum. Genes. cap. 9. Tom. 1. fol. 155.

POST CALAMITATEM PLERIQVE OMNES PEIORES.

Mali cùm præmuntur cruce, deteriores fiunt, verum enim prouerbium Germanicum est, Post morbum raro homines meliores fieri, Ad horam quidem pœnitent & anguntur, sicut Aegyptius Pharao, sed postea relabunt in priora vestigia, & peiores etiam fiunt. Hæc impiorum natura est. Sodomitæ hoc flagello eruditi, debebant resipiscere. Sed deteriores fiunt nec cessant, dum funditus deleantur.

Magna omnino hæc humani animi peruersitas est. In calamitatibus & periculis nihil pauidius, nihil deiectius homine impio. Mundus videt eis nimis angustus, acsi possent perrumperent æneos montes, cùm autem tempestas cessat, omni metu excusso, redeunt ad ingenium.

Sicut narratur fabula de nauita, qui correptus tẽpestate, Diuo Nicolao patrono credito nauigantium, vota fecit: si seruaretur, argenteam statuam ei positurum,

seruatus autem ne quidem ligneam posuit. Verum igitur prouerbium est: Post longinquas peregrinationes, & diutinos morbos, homines reddi deteriores. Qui enim non verè sunt mortificati, hi tantùm extrinsecus humiliantur, sicut Comicus seruum Dolos depingit in faciem bonos & obseruantes Dominorum: sed si terga vertant Domini, statim redeuntes ad ingenium.

Meminerimus igitur Deum eo consilio mittere flagellũ, vt humiliati agamus pœnitentiam & emendemus, Qui autem redeunt ad vomitum, hi cum Sodomitis grauius sibi malum accersent. Genes. cap. 13. Tom. 2. fol. 44.

DOCTRINA QVOMODO VINCENDAE SINT TENTATIONES,

EX ESAI. CAP. 36.

QVID IN TENTATIONE SIT FACIENDVM.

Insignis hic locus est, qui maximam doctrinam continet, quomodo in tentationibus nos debeamus gerere. Nam quòd Eliachim & Sobna cõsilium de mitigando Rabsace capiunt, & putant eum fore mitiorẽ, si se humilient & dimittant coram eo pulchrè fallantẽ. Sic enim magis accendunt eum, & quasi frigidã suffundunt, & acuunt linguam Satanæ. Quare etiam Ezechias infrà monebit, vt nihil blasphemo hosti respondeant. Idem nobis in nostris tentationibus est faciendũ, siue corpore siue Spiritu tentemur. Quanquã enim ratiõ non possit nõ circumspicere auxilia corporalia, sicut hîc regij ministri faciũt, assuefacere nos debemus & summo studio cauere, ne Satanæ respondeamus aut cum eo disputemus. Expertus em̃ loquor, quòd quanto magis cogitationibus quibus te fatigat indulseris, eò grauior in te insurgit, donec ad desperationem adigat. Videleuiores illas tentationes libidinis, quibus iuuenilis ætas maximè occupatur. Quantò em̃ plus impurus animus de amore cogitat, eò vehementius accenditur & ardet, & sicut parua scintilla ventorũ vi in maximum incendiũ saepe excrescit, ita languidus amor, si agitetur, vires cogitationibus accipit. Sic odium, sic inuidia, si diligentius de vindicta cogites, in furiã quodammodo humanũ animũ agunt. Sicut igit̃ in his carnalibus tentationibus vna vincendi ratio est, auocare animum à cogitationibus quibus exercetur, ita in spirituali lucta nullum aliud consilium, nullũ auxilium præsentius est, quàm vt quacunq; tandem ratione possis, cogitationes illas animo eijcias, & diuersum potiùs cogites. Quanquam autem hoc longè sit supra hominis vires, tamen possunt quædam viæ præscribi, quibus si non omnino vincuntur cogitationes tamen mitigantur.

1. Præceptũ. Optimum igitur est qualiscunq; tandem tentatio animum turbet, recurrere ad lectionẽ sacrarum literarum & meditationem verbi Dei. Quanquam autem abhorrebit animus à lectione & meditatione verbi Dei (Satan enim impedire conatur, & nauseã legendi obijcit,) tamen ipse te cogas, vt si non animus, tamen lingua, aures, & oculi occupati, interim aliud videant, audiant & agant, quàm animus cogitat. Certò autem sentiet animũ occupatis sensibus externis, verbo Dei facilè postea acquietarum. Atq; hîc inprimis cernit̃ vis & potentia verbi, quòd animũ Satanæ telis saucium restituit & pulchrè sanat. Ideò Esaiæ 9. inter nomina Christi etiã hoc ponitur, q̃ sit consiliarius afflictorum. Consolatur enim per verbũ, sicut dicit Esa. 50. Dominus dedit mihi linguam eruditã, vt sciã verbo eum sustentare qui est lassus. Et Paulus ad Roma. 15. docet, Consolatione scripturarum spem concipi & augeri, quam Satan in tentatione vnicè cupit ereptam piorum animis. Quare cùm in tentationibus nullũ sit præsentius remedium, quàm quoquo modo molestas cogitationes animo eijcere, vna ad eam rem via est, si diligenter verbum Dei legamus. Ita enim commodissimè Satanæ tela restinguuntur.

Hoc consilium, qui sequi nolunt, & indulgent cogitationibus ægri animi, illi nihil

nihil aliud faciunt, quàm vt materiam incendio suggerant, donec fessi ac victi à Satana qui mille artifex est, succumbant. Hoc enim vnum pugnæ genus in nos intendit, quòd cogitationibus irę diuinę fidem nostram conatur labefactare. Ad hanc spiritualem luctam, si tu carnalia auxilia afferas præter verbum Dei, nihil aliud facis, nisi quod nudũ te potenti spiritui obijcis. Hîc igitur si libet, institue collationẽ tuarum virium cum Satanæ potentia, & facilè apparebit quàm impar hic congressus sit, neglecto verbo (in quo solo diuina potentia est, Roma. 1.) humanis viribus & consilijs cum Diabolo, tot ab initio mundi victorijs claro tanto belli vsu docto contendere.

Omitte igitur cogitationes quibus tuum cor occupat, & caue cum eo disputes, potest enim se in angelum lucis transformare, & Christi glorioſam personam induere, & quia etiam sacras literas nouit, sicut apparet Matthæi 4. nonnunquam ipsis Christi verbis quibus nihil suauius est contra Christum & fidem tuã vtitur. Hîc nisi simpliciter animum reuoces, & dicas: Nescio alium Christum, quàm eum qui à Patre datus, datus pro me, & pro meis peccatis est mortuus. Hunc scio non irasci mihi, sed amare me, alioqui non sustinuisset pro me mori, &c. Hæc inquam nisi obijcias, & simulad diligentẽ lectionem scripturæ te conferas, certè succumbes. Facilè enim ei est infirmam fidei nostræ scintillam obruere, nisi eam verbo Dei alamus.

II. præceptũ.

Leue præceptum hoc quoq; est, sed tamen necessariũ & vtile, vt afflicti animi fugiant solitudinem, & captent colloquia amicorũ qualiacunq;. Adferunt enim & colloquia aliquid ad auertendum animũ à grauioribus cogitationibus. Ideò solitudo inprimis pestilens est, & rectè dicit ille, Vę homini soli, si ceciderit nõ erit qui erigat eum. Verba enim Fratrum magnam vim habent, & debent tentati meminisse, vt fratrum voces tanquam Dei voces audiant eisq; credant.

Eccles. 3.

Quod si nemo sit, qui nos de verbo Dei doceat, tamen satius est qualescunq; aliorum sermones audire, quàm audire Satanam, blasphemias, & ignita sua tela in cor nostrum loquentem. Hæc tanquam generalia præcepta spiritualium tentationum proposui, reliquum est, vt vnusquisq; ita instituat animũ contra Satanam, vt se iuuet aliquid hoc nostro consilio adiutũ esse. Neq; enim est quod quisquam putet, qui Christi fidem sequitur, se sine tentationibus victurum esse.

Verum enim est illud Pauli, Omnes qui volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Ac corporales tentationes quidem, vt sunt inopia, cupiditas gloriæ, opum, ignominia, & similes facilius superantur. Hic autem labor hoc opus est cum diuinam iram spectandam Satan nobis exhibet. Ad quam accedit etiam nostræ conscientiæ testimonium, quod Satan deinde auget varijs diuinæ iræ exemplis, quę hinc inde in diuinis literis habentur, & quę quotidie vsus huius vitæ offert. Hæc longè grauissima pugna est, in qua Satan omnes suas vires & artes omnes effundit, secq; in imaginẽ irati Dei transformat. Hîc si incipias sequi, cogitationes tuas quas ipse suggerit, perijsti. Et quia multi hoc faciũt, vidimus quo prolabãtur. Cupiunt enim quoquo modo grauissimo onere harum cogitationum de ira Dei leuari. Quare vel laqueo, vel ferro, vel alia ratione vitam sibi eripiũt. Is finis est cõsiliorum Satanę, hoc spectat, vt cùm Christũ oculis eripuerit in desperationẽ adducat. Quare ejcienda animo cogitatio illa de peccato & ira DEI est, & diuersum potiùs cogitandum est, quemadmodum legimus in vitis Patrum de quodam. Is cum hac tentatione desperationis ob admissum peccatum grauiter vexaretur obfirmato tandem animo dicit: Non peccaui. Non quòd negaret peccatum, sed quòd videret se alia ratione à tristibus illis cogitationibus liberari non posse, quàm si eas abijceret ac diuersum cogitaret. Et sanè si fiducia mortis & meriti Christi hanc vocem edidit, insigne exemplum fidei est, quòd nos in huiusmodi periculis imitari oportet, vt nos quoque dicamus, non esse cum Satana disputandum, alioqui ita obruentur infirmæ mentes cogitationibus, vt sibi mortẽ conscisc ant. Neque enim animus humanus iram Dei, quam Satan nobis obijcit & vrget sustinere, potest. Quidquid igitur suggesse-

suggesserit, simpliciter auertendus est animus claudendi oculi & aures, ne quidquã vel videamus vel audiamus, præter verbum promissionis de Christo & de bona voluntate patris, qui filium suum pro nobis tradidit, sicut dicit Iohan. 3. Sic Deus dilexit &c. Quidquid præter hanc voluntatem placati & fauentis Dei Satan suggesserit, hoc tanquã volatiles & inanes cogitationes animo eijce. Idem ferè Gerson quoque monet, qui solus ex recentioribus de consolandis ægris animis & infirmis conscientijs cogitauit. Reliqui ferè omnes in alto ocio & pace versati, nunquam huius rei meminerunt. Proponit autem illustrem similitudinem, & comparat has Satanæ cogitationes, quibus tanquam ignitis telis pia corda sollicitat, cani latranti, quem si lapide vel ferro petas magis irrites. Idẽ inquit, fit in cogitationibus, si eis indulgeas. Sicut autem tutissimum est, canem latrantem contemnere & præterire, Ita vna vincendi ratio est, contemnere cogationes Satanæ, neq; cum eis disputare diutius, ita fiet vt sua sponte excidant, quantò enim magis eas animo agitas, tantò vehementius regent, neque vlla ratione possunt superari, & Satan nihil minus ferre potest, quàm sui contemptum. Quare rectissimè faciunt, qui hîc fortes esse & contemnere malignum spiritum possunt. Nec dissimile est, quod in vitis Patrũ legimus, ibi cùm quidam se grauibus cogitationibus vexari quæreretur, cõsulit Fratrem. Is in hunc modum monet, vt quemadmodum cogitationes spontè non accersitæ incidunt, ita rursus excidere eas sinat neq; eis indulgeat. Quemadmodum enim inquit, in tua manu non est prohibere aues ne supra caput in aëre volent, hoc autem in tua manu est, prohibere ne in capite nidificent. Ita etiam cogitationes Satanicas cauere non potes, in hoc intende, ne illæ altius animo infigantur, & occupent prorsus animum. Hoc enim si fit, perijsti. Rectè hîc monuit, & omnino nisi periculũ certum adire velimus, idem nobis præstandũ est. Quanto enim plus cogitationibus indulgebis, eò minus patebit exitus, sed ceu in labyrinthũ conclusus nunquã te expedies. Idem hoc loco videmus, volunt Rabsacẽ optima ratione & consilio cõpescere, sed frustrà, redditur enim furiosior. Cõmendo igitur vobis hunc locũ, vt sciatis quomodo vexatis conscientijs cõsulendũ sit. Vidi multos, qui cùm grauissimè tentarentur, hanc artẽ non norant, quod contẽnendæ hæ cogitationes essent. Hinc factũ est vt inciperent furere, cùm scilicet organa sensuum vehementibus cogitationibus essent læsa, quidam etiam sibi consciuerunt mortem. Sunt autem huiusmodi tentationes mera ludibria Satanæ, qui nos non facimus sed patimur, nec sunt actiones humanæ sed passiones. Quod, qui discere nolunt, de ijs actum est, coguntur enim succumbere, Diabolus enim talis calumniator est, qui non fatigatur donec vicerit. Qui igitur eum non contemnunt, sed fiunt eius spectatores, ijs vnum spectaculum post alterum exhibet, vnam cogitationem post aliam obtrudit, donec obruantur. Qui autem effugere eius insidias volunt, dicant, nec spectator neq; actor tuus ero. Sic enim monuit Christus Matth. 18. Nisi fueritis sicut paruuli &c. Sic Rabsaces, quia habet suos spectatores, disputatores, confidentior redditur & furiosior. Ezechias autem infrà obiurgat eos, quare respondetis ei, &c. Et siluerunt, & non responderunt ei verbũ, &c. Est aureus textus, qui docet nos ne cum Satana disputemus. Quando enim videt & loquimini cum corde vestro, inquit psal. non cum Diabolo, &c. Vide locum 9.

ESAI. CAP. 41. IN LOCVM EGENI ET PAVPERES QVAERVNT AQVAS.

Propheta meo iudicio tres tentationes hoc loco descripsit. Prima est carnis, in qua deijcimur cognitione peccati & infirmitatis nostræ, promittit igitur Deus se nos sua iusticia velle sustentare. Secunda tentatio est mundi, qua oppugnamur vi & dolo propter verbum & fidem nostram, promisit autem nos victuros & ventilaturos hostem sicut puluerem &c. His non contentus Satan addit tertiam quoque, & priuatim vnumquemque tentat diffidentia, desperatione odio Dei, & blasphemijs, sicut testantur Hiob & Hieremias. Hanc Christus quoque tangit in Euange-

in Euangelio, cùm dicit, optabilius esse nunquam natũ esse. In hac tentatione incipit vere litire lingua. Ipse enim Satan immediate non per instrumenta pugnat contra imbellem & pauperculum agnũ. Promittit igitur se in his tentationibus grauioribus adfuturum, & quanquam nulla spes aquæ & cosolationis sit, tamen se obruturum nos gaudio & lætitia Spiritus.

DE MIRACVLIS.

MIRACVLORVM VSVS.

Tom. 3. Ienens. fol. 372. Iesai. cap. 35. Fuerunt necessaria miracula in primitiua Ecclesia, ad confirmandam fidem Martyrum, quos præter alia dona Spiritus sancti etiam miracula confirmabant. Et quia nouum verbũ adferebant Apostoli, quo totus ille Iudæorum cultus diuinitus institutus euerteretur, & contempta alioqui Ecclesiæ species erat, necessaria fuit hæc miraculorum gloria, quæ nostro tempore corporaliter non amplius fiunt, quia Christus ad finem mundi infirmus est: Nunc belli quidam homines, quibus tota religio ludus & iocus est, nos rident & obijciunt, ne claudum quidem equum à Lutheranis sanatũ, nosq; prorsus hoc miraculorum dono destitutos. Sed scriptum est, impius non videbit gloriam Dei. Nam & hodie cæci recipiunt visum, cùm reducuntur ad cognitionem Christi obsessæ à Satana mentes, Surdi audiunt Euangeliũ, Claudi qui sedebant in suis superstitionibus & idolatræ, erecta fide, exiliunt, & iucunde ambulant. Nam & Helias Idolatras claudicantes vocat. Multi quoq; iam laudem Dei canunt & prædicant. Quos non mouent hæc miracula, illi ne quidẽ Christo, corporaliter exercenti miracula crederent, nihilo enim minora sunt, quàm excitare mortuos, aut reddere visum.

MIRACVLA SINE VERBO REIICIENDA.

Genes. Tom. 2. fol. 101. cap. 22. Inprimis verbum Dei cõsiderandũ est, & quamuis omnia miracula quis faciat, quin & mortuos suscitet, si venit sine verbo, repudiandus est. Idẽ omnes Apostoli & Prophetæ diligenter monuerunt, & Moses Deut. 13. Pseudoprophetam & fictorem somniorum occidendum dicit. Quia locutus est, inquit, vt auerteret vos à Domino Deo vestro.

Nos nostro periculo moueri & sapere debebamus: Quia pontifex suam tyrannidem eiusmodi miraculis absq; verbo stabiliuit. Sicut nugantur de Papa Sixto, cũ aliquando in mari periclitaretur, imperasse eũ mari, & dixisse: Si sum vicarius Christi, quiescat mare procellosum, idq; subitò euenisse.

Hoc miraculo probauerunt Papam esse vicarium Christi: Sicut multis alijs veris, siue mentitis miraculis, religione item abstinentia, vigilijs laboribus Monachorum miseræ plebi fucum fecerunt.

Hæc meminisse nos, & primæ ætati quoq; inculcare debebamus, vt cauere & odisse hæc monstra, & econtra verbum Dei amare & magnificare discerent. Id enim super omnia est, & creat omnia, pulcherrimum illum solem, animam, corpus & quicquid hic orbis habet.

Quid igitur opera ipsa, quantumuis speciosa tantoperè prædicamus? facto rem potiùs & autorem operum admiremur, & primum omnium certi simus, an per verbum Dei, quæ prædicantur miracula sint facta, an non.

Sed dicunt Pontificij: Quomodo possent ista fieri, si non esset voluntas Dei? Recte sanè. Vult Deus & permittit hoc fieri in pœnam fastidij & contemptus verbi, vt Paulus inquit, 2. Thess. Immisit eis non simplicem errorem, sed vim & ἐνέργειαν erroris, qui penetret & vincat.

Proinde Pontifex ante omnia verbo Dei demonstret Papam Sixtũ esse Vicarium Christi, Scriptum est inquiunt: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo

Eccle-

Ecclesiam meam. Benè: sed hoc ipso vult Christus, vt sit Petrus confessor & minister verbi, non Tyrannus, qui oneret conscientias traditionibus humanis, non deleat noticiam Christi, id enim non est esse vicarium Christi, sed Antichristum.

Itaq; etiamsi mortuos suscitaret, vel Sixtus, vel quicunq; alius, expuerem illi in faciem, & dicerem non sancto, sed immundo spiritu eum agitari, propterea quod non adferret verbum Dei.

Opponimus igitur verbũ contra opera, sicut ipsi vicissim opera contra verbum, & habent quidẽ hanc prerogatiuã, quòd homines specie & pompa illa operum magis mouentur quàm verbo. Sed nos ideò has historias tam diligenter tractamus, vt quid principale in ijs sit, consideretur. Ea ipsi non vident, sed dicunt Abraham fuisse laicum, habuisse familiam, peregrinatum esse in terris pauperem & extorrem. Non vident autem eum plenum fuisse patientia, humilitate, caritate: multò minus ista verba, quæ Deus cum eo loquitur attendunt. Si habitus eius peregrinus & inusitatus, ieiunia, gesticulationes deuotæ celebrarentur, tum applauderent & laudarent. Sed quia habuit vxorem, familiam, pecudes, hominem carnalem esse aiunt. Sed valeant cum suis monstris.

Nos firmiter statuamus & credamus, verbum Dei esse omnia in omnibus, cui si credis, non deerunt opera grandia & admirabilia: sed talia tamen, quæ non incurrunt in oculos prophanorum, non agnoscuntur à mundo.

Nos per verbum & preces, multas arduas res gessimus, precibus adhuc seruamus pacem, & frangimus conatus, & insidias aduersariorum. Sed ista pij tantùm vident, qui habent Spiritum sanctum, & magnificiunt opera illa vere spiritualia & admiranda: Baptismum, Eucharistian, absolutionem, assiduitatem in vocatione, obedientiam erga parentes & superiores, quæ omnia Papistæ fastidiunt, quia sunt vulgaria & quotidiana.

MIRACVLA ASSIDVITATE VILESCVNT.

Genes. cap. 21. Tom. 2. fol. 161. Quod Deus semel dixit: Crescite & multiplicamini, id verbum adhuc hodie est efficax, & miraculosè conseruat naturam: Sed quotusquisq; est, qui credit aut videt? Sicut igitur Augustinus dicit de quinq; panibus, eum qui pauit quinq; millia hominum, adhuc hodie eodem miraculo pascere totum mundum: Ita rectè de generatione hominis dicere possumus, esse eam tam miraculosam adhuc hodie, quàm fuit generatio Isaac.

Sed grandia hæc miracula, vilueruntassiduitate: Igitur Deus aliquando nouũ opus edit, non vt sit maius, sed vt ostendat ista communia & vsitata quæ nobiscum fiunt, illis singularibus similia esse, & nasci ex eadem fonte, hoc est, ex omnipotenti verbo Dei. Quòd enim fruges crescunt & conseruantur species, hoc tam magnum est quàm illud, quòd panes in deserto multiplicati sunt, nec frustrà est, quod Christus vbiq; in Euangelio inculcat creaturarum imagines seu similitudines, sed nos surdi, cæci & stupidi sumus, nec admiramur, nisi illa quæ singularẽ speciem habent.

Transitus per mare rubrum & per Iordanem, magnifica fuerunt miracula: sed quis admiratur hoc, quòd nos quoq; per ipsum oceanũ quotidie transimus? Quid enim hoc aliud est? quod cum natura aquæ sit fluere, & operire terram, tamen virtute verbi, quod Deus dixit: Congregentur aquæ, stat terra & aquę inferiores & superiores quasi suspensæ pendent, nosq; reuera circũ circa inter ipsas aquas habitamus.

Idem de generatione hominis licet dicere, quæ quanta res sit, nemo intelligit, & tamen contemnitur secundum vetus dictum: Vilescit quotidianum. In causa est peccatum originale, ex quo nata est fœda libido, turpitudo, molestiæ, morbi, & alia mala, quæ cùm sentiuntur, obruitur opus Dei, vnà cum verbo, & incipiunt homines abhorrere, ab hoc sancto vitæ genere, quod tam mirabilem benedictionem Dei habet.

habet. Sed est hæc communis fortuna omnium operum Dei, quòd sic contecta & quasi contaminata sunt, multis offensionibus & miseriis.

MIRACVLA ET BENEFICIA CHRISTI CALVMNIATI SVNT SACERDOTES ET POPVLVS.

Genes. Cap. 39. Tom. 4. fol. 52. Cur suscitat mortuos, sanat ægrotos & alia miracula facit? Non alio fine, respondent Hannas & Caiphas, quàm vt fiat Rex, & perdat locũ & nos omnes. Tolle, tolle, crucifige, voluit nobis imponere & nos perdere sua hypocrisi, qua stolidum vulgus dementauit hactenus. Quin etiam populus ipse postea clamauit: Putabamus eum velle nobis benefacere, sed illis ipsis beneficijs perire nos perdidisset. Talis enim hypocrita est Diabolus, qui facit aliquando bona, vt tantò magis noceat. Eam verò notam impingit postea operibus piorum, quasi ea etiam quæ piè & vtiliter gerunt, studio nocendi & euertendi totum orbem terrarum faciant.

Sicut hodie aduersarij nostra bona opera interpretantur: Sunt quidem boni & docti viri, inquiunt, verùm non rectè consulunt rebus communibus & Ecclesiæ Dei, sed magis turbant & impediunt. Proinde clamant non esse hæreticos & pestilentissimos homines, vt iusto titulo persequi, & sanguinem nostrum fundere, atq; adeo infernale illud odium aduersus nos conceptum explere, queant.

DE ANTICHRISTO.

QVID SIT ET QVOTTVPLEX.

Ex Genes. Cap. 17. Tom. 2. fol. 87. Paulus de Antichristo dixit quod scilicet eleuabitur super omne quod Deus est, & omnem cultum. Antichristus, hoc est, Papa, & Turca non extolluntur super Deum in substantia sua, qui est incognitus, & absconditus Deus, vt Esaias appellat: Sed super Deum in prędicamento relationis, qui est Deus prædicatus verbo, & manifestatus cultu.

Vterq; enim verbũ & cultum Dei non negligit solùm, sed odit, & persequitur. Iraq; extulit se Papa supra Deum, & constituit se in locum Dei, ita vt adoretur loco Dei oppresso verbo, & seruiatur ei oppresso cultu diuino.

Inspice enim Canones, & videbis quod longè seueriùs puniuntur transgressiones traditionum Papæ, quàm transgressiones diuinæ. Imò Christum Deum solum adorandum & colendum, hunc conculcat pedibus, & blasphemat, vult autem coli sua dogmata, se vult timeri, vult confidi ijs, quæ ipse docet. Hoc verè est constituere se supra Deum dictum & cultum. Ideo rectè vocatur Antichristus.

Quàm multos fuisse putas ante Euangelij lucem etiam ex doctoribus, qui nossent numerare præcepta Decalogi, aut precationes orationis dominicæ? Premebantur enim ceruices omnium traditionibus humanis, quibus cum satisfecissemus, putabamus cultum perfectè absolutum.

Hoc verè fuit extolli supra Deum, sedere in templo Dei, non in cœlo Dei substantialis, vbi Deus non reuelatus, sed absconditus habitat: Sed in loco Dei prædicati, qui verbo docetur, & Dei culti cui seruitur. Coniugium diuinitùs institutum non solùm abstulit, sed omnino contaminauit, ac si esset genus vitæ profanum & Deo displicens.

Ex Sacramento Eucharistiæ non solùm calicem sustulit, & contra phas ademit Ecclesiæ. Sed testamentum Christi commutauit in sacrificium, & quæstuosum opus, & vt semel omnia dicam, Christum prorsus sepeliuit, & tribuit iusticiam suis traditionibus,

tionibus, & cultibus, præter & contra verbum constitutos. Hoc verè est se eleuare super omne quod Deus dicitur.

Deum autem intelligo relatiuè Deum adoratum, ad quem vertimus faciem, cui gratias agimus, quem inuocamus, tanquam autorem omnium bonorum, corporalium, & spiritualium. Cui denique seruimus in charitate, officijs erga proximum, dum paremus magistratui & parentibus, dum seruimus liberis alimonia conquirenda, & fideli institutione, &c. Hæc enim omnia debent fieri propter Deum, qui se manifestauit in verbo suo.

Hoc Papa, Turca, Iudæi non faciunt, sed super Deum se eleuant contemnendo iussa eius, & cùm sibi maximè videntur sancti, Deum præsumunt colere & intelligere in sua substantia. Sed à tali Deo non potest superari vita, quia talibus Deus nobiscum non loquitur. Deus autem qui se patefecit visibilibus notis, qui dedit verbum promissionis, & instituit Sacramenta, ille est verus Deus, & saluator quem apprehendere, & intelligere possumus.

Cauendum autem hoc est, ne quid vel addas, vel adimas ijs quibus se Deus manifestauit. Quod si à Deo hoc, quem ponimus in prædicamento relationis, discesseris, & scrutatus fueris Deum in prædicamento substantiæ, vel quantitatis, opprimeris à maiestate: Si quæsieris in prædicamento qualitatis, consumeris. Est enim Deus ignis consumens, & habitans lucem inaccessibilem.

Maneto igitur apud Deum in prędicamento relationis, super quem extollitur Antichristus, hoc est, Papa Romanus, & Turca quoq; quanquam Turca veriùs bestia est, quia est extra Ecclesiam & manifestè persequitur Christum.

Antichristus autem sedet in templo Dei: Ideo propriè loquendo, & definitione Dialectica est Antichristus, qui in Ecclesia sedet, vbi visibiles Dei formę apparent, quas ipse conculcat, & fingit nouas formas, &c.

DE NOTIS ANTICHRISTI.

Ex Hosea Cap. 2. Tom. 4. Ienens. fol. 608. Et ponent sibi caput vnum. Nec mihi dubium est quin Propheta istam pestem tempore noui Testamenti grassaturam viderit, quòd Romana bestia se toti mundo esset pro capite commendatura. Recte igitur & prædicatur veræ Ecclesiæ constantia, & numeratur inter præcepta dona Spiritus Sancti, quod non agnoscit plura capita, sed vnum caput sibi ponit Christum, quem prædicat vnicum & verum fontem omnium donorum quæ in Ecclesia sunt. Sed quæ pericula Ecclesiam exceptura sint, tantùm vnum caput Christum agnoscentem, nostra tempora satis ostendunt.

Quia enim negamus pontificem caput Ecclesiæ esse, Christum autem solum prædicamus caput nostrum, qui solus suppeditat corpori suo iustitiam, remissionem peccatorum, Spiritum Sanctum & vitam ęternam, amathemati & omnis generis snpplicijs subijcimur.

Est igitur hæc VNA ET PRAECIPVA NOTA Antichristi quod Christo titulum capitis adimit & se gloriatur caput Ecclesiæ esse. Sed quàm miserum caput? Mancipium Satanæ nimirum, siquidem veram Ecclesiam diris & ferro persequitur. Quale autem caput tale etiam reliquum corpus est. Nam Cardinales, Episcopos, sacrificulos, Monachos, Nonnas, præter impietatem, quam doctrina & Idolatricl cultus habent, etiam vitæ abominanda fœditas deformat. Ac meritò, Cur enim non ponunt sibi verum caput, per quod benedicentur omni benedictione spirituali, sicut Paulus dicit Eph. 1. & essent imprehensibiles & sancti in conspectu Dei per dilectionem. Hęc autem dona veram Ecclesiam inuitant, vt & cupidesc-

cum hoc

cum hoc cupidè coniungat, & magno animo hoc caput contra mundum & portas inferorum confiteatur & prædicet.

Ex Galat. Cap. 2. Tom. 4. fol. 60. Paulus præcipuè tam seuerè inuehitur in Antichristum, quòd gratiam tollit, & negat beneficium Christi, pontificis nostri, qui seipsum dedit hostiam pro peccatis nostris. Hoc modo autem Christum negare, est eum prorsus conspuere & conculcare, ac sese in locum eius cõstituere, & dicere, ego te iustificabo & saluabo. Per quid? missas, peregrinationes, indulgentias, obseruationem regulæ, &c. Itaque Antichristus simpliciter sese tulit, contra & supra Deum seque cõstituit in locum Christi, gratiam abiecit, & fidem negauit. Sic enim docuit. Fides nihil prodest, nisi habeat opera. Et hac falsa persuasione Christi beneficiũ prorsus obscurauit & obruit, & in locum gratiæ Christi, & regni ipsius doctrinam de operibus & regnum cæremoniarum instituit, & meris nugis illud confirmauit. Atque ita totum mundum à Christo, qui tamen solus debebat in conscientia agere & regere, rapuit, & vi ad infernum detrusit.

FABVLA DE ANTICHRISTO ORIVNDO EX TRIBV DAN.

Genes. Cap. 49. Tom. 4. fol. 235. Vulgata opinio est, apud omnes autores Ecclesiasticos, quod ex tribu Dan sit venturus, quem per colubrum intelligunt, & tanquam principalis articulus fidei recepta & approbata est ab omnibus, sed alienissima est ab hoc loco & falsissima. Vnde orta sit nescio, verùm in antiquioribus etiam scriptoribus extat, & semper ab initio Ecclesiæ celebris fama fuit de Antichristo venturo sicut inquit Iohan: Multi sunt Antichristi. Dixerunt nascendum ipsum esse in Babylone, ex tribu Dan, & peruasit hoc cõmentum omnes Ecclesias, adeo vt sæpe optarim maiores nostros ea diligẽtia & studio potiùs doctrinam de Christo inculcasse.

An verò sit petenda allegoria ex nomine Dan, quod iudicium significat, vt Genes. 6. Non iudicabit spiritus meus, &c. non docebo non arguet, ita vt eò torqueatur quòd Antichristus iudicis, non saluatoris officium facturus sit, sanè nescio. Certè Papa repleuit Ecclesiam legibus, & traditionibus commenticijs, & extinxit verbum, & fidem promissionum diuinarum. Dan, hoc est, Papa non aliud potest, quàm cacare decreta & decretalia, & danitica. Sed ad literam nemo rectè senserit, quòd debeat nasci Antichristus in Babylone & circumcidi more Iudaico.

Ac puto diabolum huius fabulæ autorem fuisse & finxisse hanc glosam, vt nostras cogitationes à vero & præsente Antichristo abduceret. Nam ex omnibus scholis & Doctoribus Papisticis nemo est qui sentiat Papam esse Antichristum, omnes opinantur eum ex Babylone venturum. Interea verò dum illum somniant & expectant, à vero Antichristo Romano Pontifice opprimuntur & absorbentur, qui verò est Danica & ex Babylone oriundus, non Assyriorũ illa, sed ex Roma, quæ est Babilon in qua regnat Dan hoc est Papa.

Voluit igitur Diabolus suis præstigijs nobis illudere & meritis, atq; oculorum aciem præstringere, ne in hunc Antichristum, qui sedet in loco sancto, intueri possemus. Ipsius enim consilijs & mendacijs factum est, vt Antichristus in Ecclesia sederet neque tamen diuinis legibus promissionibus & gratia gubernaret (non enim potuit hoc præstare) sed contrario modo, videlicet vbi Christus Sancti remittit peccata liberat conscientias à peccato, morte, inferno, Diaboli potestate, ibi contra Pontifex Romanus infinitis laqueis & mendacijs repleuit orbem, antequam perspicere aut iudicare ea potuimus. Quid enim aliud agit sedens in templo Dei, quàm quòd tis laqueos ponit quibus captiuat conscientias, & occidit stultis infinitis suis legibus & traditionibus minimè necessarijs, de cibo, potu, vestitu, &c. & horribiliter

fulminet & tonat aduersus eos qui non obediunt & tradit eos potestati Satanæ?

Id nimirum est contraria Christo & Euangelio docere. Christus enim liberat nos à vi legis diuinæ, ab accusatione legis seu Decalogi & cæremoniarum abligationibus. Papa verò etiam capillos, cibum, potum, domum, vxorem & quicquid est in rerum natura peccato obnoxium & contaminatum dixit, nisi ab ipso concessum & sanctificatum decretalibus eius.

Ad hunc modum Danita ille extinxit suis legibus Euangelium & natus est altera Babylone, Roma videlicet, vt Augustinus eam alterā Babylonem vocet, quæ cœpit nasci cum illa deficeret. Et Dan seu Papa est coluber super semitā Christi, qui veneno suo, & vi necat ambulantes in ea.

Hæc ideo tantùm recito, vt sciatis reprobare malum, & eligere bonum. Si Parisienses & Louanienses audirent istam explicationem, clamarent me docere hæretica & pugnantia cum recepta opinione Patrum, iam mille annis tradita & propagata in Ecclesia. Sed siue Ecclesiæ, siue synagogæ opinio hæc sit profectò non est vera & propria. Textus enim loquitur de benedictione tribus Dan, non de maledictione. Supra manifestè maledixit Iacob Leui & Simeon, sed hîc contrarium promittitur quod Simson liberaturus sit tribum suam, cum reliquis quæ huic vicinæ erant.

Si cui verò placet Allegoria, is mysticè intelligat de Babylone Romana & monstro illo turpissimo Papa Romano, qui est Dan Diabolicus, quia extinxit & hausit Ecclesiam, præsertim adultorum, qui Monastica & operibus suis contenti sunt, eorumque animas, corpora & res perdidit, & quæ Deus voluit esse bona salutaria & libera, ea fecit noxia & damnabilia. **Der verfluchte tropff zu Rom. Man sol im fluchen.**

Ex Psalm. Grad. Tomo. 4. fol. 479. Qui hoc modo (scilicet propter hypocrisin & vt molestias coniugij fugiant) à coniugio abstinent, verè sunt Antichristi, secundum sententiam Danielis, qui hanc insignem Antichristi notam esse dicit, quod concupiscentiam mulierum non curabit. Id glosa quoque de Antichristo exponit his verbis, quòd simulaturus sit castitatem, vt facilius decipere possit.

PAPAM ROMANVM ESSE ANTICHRISTVM.

Ex Respons. ad librum Catharini Tom. 2. fol. 392. 393. Primùm hoc manifestum est, per Christum sic esse omnia peccata ablata, vt ne occasio quidem peccati reliqua esset, quæ est lex, fecit enim per fidem omnia libera vt Christianus nihil operaretur lege cogente, sed omnia spiritu libertatis, sicut. 1. Timoth. 1. dicit Iusto non est lex posita quicquid enim lege cogente fit, peccatum est, quia non fit volutario spiritu, sed inuita ac per hoc contraria legis voluntate, id quod reuera est peccatum.

Ideo prædicatores noui Testamenti. 2. Corinth. 3. appellat ministros spiritus non literæ, quòd gratiam nō legem doceant. Inde in toto nouo Testamento nō sunt præcepta vrgentia, sed tantùm exhortationes & obsecrationes. Nec Christus nec Apostoli quenquam vnquam coegerunt. Et Spiritus Sanctus vocatur in hoc spiritus paracletus vt exhortetur.

Hæc omnia eò tendunt vt populus Christi sit qui volutariè eum audit, & sequitur, nullo timore legis, sed gratuita libertate & beneuolentia ductus. Non ideo faciens quia præceptum, sed quia placitum, etiamsi præceptum non esset. Qui verò secus faceret, populus legis & synagoge esset, in qua occidebantur prævaricatores legis. Vnde Matthęus. 19. per conditionem dicit: Si vis ingredi serua mandata. Et quinto, non ait, volo vt sitis Pauperes, sed blandè exhortatur dicens beati

dicens beati pauperes spiritu, &c. Breuiter in nouo Testamento ostenduntur omnia, scil. quæ facienda omittendaque sunt, quæ etiam maneant facientes & omittentes & vnde petenda sint quæ facienda sunt. Sed nemo cogitur, omnibus permittitur, vt vel pereant, vel saluí fiant, secundum quod voluerint. Ideo & rebellem Matth. 18. non occidí sed vitarí, sicut Ethnicum docet.

Sic non à lege sed à vi legis (id quod verè est à lege solui) liberauit nos, omnibus donata libertate nostro periculo faciendi siue bonum siue malum, Non tamen per hoc tollens Prophanis Magistratibus suum ius & gladium in puniendis malis. Nam & tales ad regnum suum non pertinent, donec spirituales facti liberaliter seruiant Deo.

Hæc cùm ita habeant etiam in lege decalogi diuini, tum maximè in legibus cæremonialibus valent, quæ prorsus abolitæ sunt, vt nihil in eis peccarí possit, sola fide proposita ad iustificationem sufficientissima.

Cum autem Rex iste facierum Papa, aliud non faciat quàm quod mandat & vrget in vniuersis suis decretis idque vice & nomine Dei, satis claret quàm sit aduersarius Christi, & vastator noui Testamenti, & hostis libertatis Christianæ, cogens inuitos ad opera à se imperata. Qua tyrannide tot peccatorum autor est, quot opera ab inuitis fiunt. Dum enim sese credunt teneri eius mandatis, conscientiam habent si ea omittant. Et tamen quia inuiti faciũt, reuera in corde peccant, nõ peccaturi hac auersante & odiente legem voluntate, si nihil mandasset sed, solùm obsecrasset & exhortatus fuisset. Rursus in ijs, qui sibi obtemperant, autor est falsæ iusticiæ, quia dum sese credunt benè fecisse, & hanc obedientiam reputant pro iusticia, fit vt non fide in Christum, sed ijs legibus & operibus sese bonos fore & esse arbitrentur. Atque hoc est verè vastare fidem & veritatem & conscientias tum malas multiplicare, tum fictè bonas facere.

Cùm autem id faciat toto orbe, patet quàm mirabilis & incredibilis vastator & corruptor sit, Tot enim vastat quotquot legibus & imperijs his subijcit & impellit. Quem verò in toto orbe non subijcit, nisi infantes fortè & simplices, incognito consilio Dei seruatos? O homo Peccati, O filí perditionis, O abominatio, O vastator, O Conscientiarum malarum autor. O falsæ bonarum Magister, O hostis fidei & libertatis Christianæ. Et quis hæc infinita maria malorum huius portentosi Regis complectatur mente, nedum eloquatur verbo?

Sed nondum finis malorum, si has leges tuas statuisset in operibus illis virtutum quales in Decalogo præcipiuntur, aut quales Philosophi & rationalis ratio dictat, vt sunt iusticia, fortitudo, temperantia, castitas, mansuetudo, veritas, bonitas, & his similia, fortè synagogam solùm constituisset, & ciuilem quandam iusticiam in orbem propagasset. Nam per hæc etiam fides fuisset vastata, sicut in Iudæis vastabatur.

Nunc verò intra hos limites non consistit, imò rarius hæc vrget, & fateri cogimur mitiùs eum nocere, his infinitis malorum tempestatibus, ad ea quæ sequuntur comparatis.

Ad cæremonias enim & figmenta sua impellit locis, personis, vestibus, cibis, diebus, gestibus, nos stolidos, stupidos, stultos, imò truncos & stipites alligat, vt meistius abominationis & nauseæ ad mortem vsque penè pudeat & pigeat. Christus enim (vt dixi) vt omnes leges per libertatem suis tulit, ita multò maximè eas quæ locis, personis, vestibus, cibis, diebus, & similibus affixę sunt, vt earum vsus esset omnibus liberrimus & indifferens, nec ad peccatum, nec ad iusticiam formaturus con-

turus conſcientiam, quæ ſola fide in ipſum ſubſiſtit. At Papa non contentus ſaltem eis locis, cibis, veſtibus, diebus, quibus lex Moſi abundabat, ſed propriis à ſe repertis aut ab aliis acceptis, eiſque de die in diem auctis, & pro mera ſua libidine multiplicatis & variatis, orbem Chriſtianum fatigat, corrumpit & vaſtat, Quod vt clarius fiat, per inductionem aliquot exemplis oſtendemus.

CHRISTVS ſublata omnium locorum differentia, vbique vult coli, nec in regno eius alius locus ſacer, alius Prophanus eſt, ſed vbique omnia eadem. Neque enim aut fortius, aut melius credas, ſperes & diligas in templo, choro, altari cæmiterio quàm in area, vinea, popina, cubili, denique in carceribus martyres Chriſtum coluerunt, Sancta Agne etiam in lupanari. At Papa conſecratis Eccleſijs appoſitiſque priuilegijs & diris ſacrilegij conſcientias facit, ſi quis domum à ſe & ſuis conſecratam, vel ludens, vel ſeriò violarit, nihil peccaturus ſi ſuam vel aliam quamcunq; domum læſerit. Rurſum ſi Papæ mandatis obtemperes, Religioſus & obediens filius Eccleſiæ factus es, conſcientiam boni & iuſti operis inueniſti. Compone nunc Chriſtum & Papam, Ille dicit: Nullum poteſt fieri peccatum quocunque vſu, cuiuſcunque loci (niſi fiat ad lædendum proximum) Papa dicit peccatum eſt, ſi in templo aliquod operis prophani feceris, aut non maiore religione, quàm prophanam domum obſeruaueris.

Nonne hic Papa facit peccata in locis & vſu eorum, in quibus Chriſtus nullum peccatum facit? Nonne ſeruitutem, timorem, captiuitatem, laqueos, pericula ſtatuit, Vbi Chriſtus libertatem, & ſecuritatem facit? Nonne ergo Papa Antichriſtus autor peccati & conſcientiarum, per ſuas friuolas, ſtultas, inutiles, impias leges? Quid enim opus habet vllus Chriſtianus his legibus & obſeruantijs ad iuſticiam? O deceptio & illuſio puerilis & ridicula, & tamen tanta ſerie peccatorum & perditionum operari prævalida.

E diuerſo Chriſtus docet non eſſe iuſticiam aut cultum ſuum ſitum in iſtis locis, At Papa docet eſſe iuſticiam & cultum Dei, Eccleſias fabricare, conſecrare, & à Prophanis domibus opinione & conſcientia ſanctitatis ſeparare. O dignam hoc idolo religionem. Quàm dignè, quàm pulchrè Criſtus præuidit vt Eccleſias & campanas conſecrare non pertineret niſi ad Epiſcopos. Digniſsimum inquam officium Epiſcoporum, quales enim Epiſcopi, talia & opera eorum, Idola enim ſunt & laruæ, dum poſito verbi officio, tantùm titulis & veſtibus ſunt Epiſcopi. Ideo non debent fideles animas, veram ſcilicet Eccleſiam Chriſti, ſanctificare verbo & oratione, ſed campanas, ligna & lapides Deo vngere & aqua conſpergere, in quibus mures, araneæ & aues habitent, non Chriſtus. Sic lignum conſecrat ligna, lapis lapides, truncus truncos, ſimulachrum ſimulachra, Idolum Idola, vt habeant ſimiles labra lactucas. Et tamen in ijs docendis, ſeruandis & ornandis: Deus bone quantum eſt legum, & gloſſarum, quanti ſcrupuli, quanti caſus, quantæ pœnitentiæ & ſatisfactiones. Et ſanctiſsimus ille quàm difficilè remittit iſta peccata ficticia, prorſus non niſi pro pecunia, & interim adulteria & impiſsima ſcelera fouens etiam.

Rurſus quantis Indulgentijs has iuſticias remunerat & meritò, Talibus enim remiſsionibus tales peccatores donandi, vt tam veræ ſint indulgentiæ & abſolutiones quàm vera ſunt peccata iuſticiæ, O abominandam abominationem.

Sic Chriſtus nihil diſcreuit in cibis & diebus vt Apoſtolus multis locis docet. Nec voluit in vllius cibi aut diei vſum, peccatū fieri poſſe, Nō enim vſus, ſed cōcupiſcētia cibi in Euangelio reprobatur. At ſanctiſsimus Chriſti aduerſarius, concupiſcentia nihil curata

nihil curata, vsum carnium, lactis, ouorum, butyri, & similium per quadragesimam & dies ieiuniorum prohibet autoritate diuina, seu sub nomine Dei, stultum ieiuniũ, non in cohibenda concupiscentia, sed in cohibendo vsu constituens, sicut de eo prophetauit Paulus, 1. Tim. 4. prohibentium nubere & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarumactione. Igitur & hîc peccata facta sunt arbitrio hominis istius peccati, vbi naturaliter nullum peccatum est. Et alligat his rebus conscientias, diuexatq; legibus stultis, vt nullo opere hodie pertinacius populi metuant & confidant quàm Papistici huius ieiunij. Nam accidisse, adulterasse, fraudasse incomparabiliter leuius habent, quàm oua, butyrum, lac, carnes diebus ieiunij edisse. Et his erroribus impijs conscientiarum, & violata fide Christi adeò non sollicitatur Magister ille Ecclesiarum, fons legum & iusticiæ, pastor vniuersalis Ecclesiæ, caput Ecclesiæ Catholicæ, vt etiam delectetur in ea perditione animarum & vastatione fidei, denique instat & vrget. Neque remittit has quoque iusticias & peccata, nisi pro pecunia.

Cùm ergo Papa peccatum faciat vbi Christus peccatum tollit, & iusticiã statuit, vbi Christus iusticiam tollit, & conscientias illaqueat, vbi Christus conscientias liberauit, & omnia contraria faciat in locũ gratiæ ponens peccatum, & in locum fidei legẽ, adhuc dubitas ipsum esse Antichristum illum legitimum, abominationem stantem vbi stare non debet? An non sunt contrarij? Christus dicit: Hîc nullum est peccatũ. Papa dicit, imò hîc est peccatum. Et ille, hîc nulla est iusticia, At Papa, imò hîc est iusticia. Si enim libera permitteret, aut saltem exhortaretur solùm, Antichristus non esset. At nunc quia præcipit in nomine Christi mendaciter, & sub peccato mortali exigit, prorsus vastat Ecclesiam, corrumpit fidem, peccatum statuit, & perdit conscientias.

Huius generis sunt veneratione illæ vestium, vasorum, reliquiarum. Mulieri etiam sanctimoniali tetigisse pallam altaris (quam vocant) peccatum est, tetigisse calicem peccatum est, sacrificasse calice non consecrato, peccatum est, celebrasse in vestibus nondum consecratis, peccatum est, omissa manipula vel alia parte vestium celebrasse, peccatum est, vocasse puerum, aut locutum esse inter verba Canonis, peccatum est, tetigisse reliquias Sanctas, peccatum est, porrò tetigisse manu vel digito corpus Christi etiam necessitate auellendi à palato, tantùm est sacrilegium, vt viuam carnem ei abradant qua parte tetigit, vt ipsa insania non possit esse tam insana. Futurum fortè est vt & linguas, palatum & guttur & ventrem fortè excorient, propter tactum corporis Christi. At læsisse proximum, contrectasse furtim res eius, aut non adiuuisse, ferè nullum peccatum est. Aut quæ portenta scelerum non perpetrat Papa cum suis istis sancticulis, planè non superstitiosis, sed furiosis, vertiginosis, & deploratæ amentiæ fatuis.

Breuiter peccatum est autoritate Papæ, fermè tota creatura Dei, vniuersusque eius vsus. Christus enim in ijs omnibus nullum esse peccatum voluit, sed nec iusticiam, fortè quia solum sanctus est. Sanctissimo verò Christi vicario conueniebat, vt Christo resistens, peccata & iusticias hîc multiplicaret, & totum orbem deuastata libertate Christiana & corrupta fide, cõscientijs stultè & erroneè pauidis & pereuntibus repleret. En tibi quis sit homo peccati & Filius perditionis. Nec dum verò confertum & legitimum illud agmen exercituum huius Regis recitaui, scilicet, Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, Diaconos, Subdiaconos, nec Tonsuristas (quos vocant) liberos à lege. Hi enim propter suas rasuras, vestes, horas, & gestus tot peccatis scatent, vt nec tot relationes habeant Scotistæ, nec tot realitates Thomistæ, quarum tamen in qualibet re mundi tot ponunt, quot sunt creaturæ & respectus earum.

Deus bone, nihil nisi peccatum est, totũ hoc vulgus hominũ perditũ. Non radi

enim, non legere horas canonicas, non vestiri colore sacerdotali, non gestare cucullum, non indui purpura & byſſo, & aliquid eorum mutare, quæ illis constituta sunt, est prorsus apostatasse. Quis non iudicet Monachum apostatam, si veste laica incedat, si quando liber & radi negligeret? At quot interim à fide apostatant, nulla cura. Hic verò ne Papæ quidem (qui tamen omnia in Deum peccata vilissimè remittit, imò obtrudit remissionem) dispensatio satis est, quantumlibet multa pecunia redempta, adeò insedit conscientijs miseris legum ista tyrannis, verè Daniel dicit. Et mirabilia vastabit. Quid enim non vastatum relinquit? Et sic vastatum vt reparari non possit, conscientijs omnibus nimio infirmatis & captiuatis. Et haud scio si Papa hodie omnes has leges abrogaret, an etiam hac ratione reuelli queant scrupuli ex animis hominum, & conscientiæ sanari, tam incurabilis & crudelis est ista plaga populi, ab isto rege Assur inflicta, vt cum Esaia dicam: Ecce habes fructum facierum & propositionum, scilicet, vastitatem Ecclesiæ, fidei, libertatis Christi, Spiritus veritatis, & vniuersorum bonorum à Christo nobis datorum. Iste est Antiochus ille, Daniel. 8. qui huius regis facierum figura fuisse ibidem dicitur. Ipse est qui contra fortitudinem cœli magnificatus est, & deiecit de fortitudine & de stellis & conculcauit eas. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatus est, & ab eo tulit iuge sacrificium (id est, fidem) & deiecit locum Sanctificationis eius (id est conscientias) Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra. Et prosperabitur & faciet. Nonne hæc Papa facit erectis faciebus & propositionibus suis contra veritatem & fidem? En tibi, hoc est, quod garrit Satan per os eorum. Non esse omnia à Christo ordinata, sed Ecclesiæ arbitrio ordinanda relicta, cùm Christus ordinarit, vt nullum esset peccatum nisi incredulitas, nulla iustitia nisi fides, sicut dicit Iohan. 16. Ille arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Et iterum, qui non crediderit, condemnabitur. Omnia enim quæ extra hominem sunt, non coinquinant hominem, sed sunt libera prorsus, nisi ab intrà procedente mala cupiditate in illis peccetur. At Papa inquinat solùm externis illis vniuersum orbem, & internis inquinamentis nihil prorsus mouetur, scilicet tam clara sunt verba Christi, nec sic tamen aduersarium eius vastatorem videre volumus.

Præter hos mundos peccatorum & perditionum, etiam alia peccata statuit Papa, primùm, falsam fiduciam talium operum, quæ est duplex iniquitas. Qui enim obedierint Papæ in istis, & peccata Papistica vitauerint, benefecisse & meruisse præsumunt & præsumuntur. Et hæc est altera machina vastationis in totum orbem grassabunda. Quia cum hac fiducia Christi fides non subsistit. Deinde, quia multitudine legum grauati, solo opere externo obediunt, auersissima voluntate, vt videmus in tumultibus illis vigiliarum, missarum, horarum, tum legendarum, tum cantandarum, in quibus tanto tædio laborant, vt nullus labor hodie sit molestior. Nihilo tamen minus instant præfecti operum istorum durissimorum, & exactores crudelissimi cogunt, sine intermissione operari talia, quæ coram Deo non nisi grauia sunt peccata, coram hominibus verò bona opera & obsequia Dei. Inuenta sunt hic lenimina quædam sensuum per organa Musica, & cantuũ varietates, sed nihil ad spiritum, qui etiam magis illis extinguitur, istis titillationibus. Ah Christe quanto impetu, quantis exercitibus impelluntur, ad peccandum, & pereundum per abominatam istam abominationem. Horror horrendus est intendere in has crudelissimas voragines conscientiarum, tantis laboribus pereuntium. O quàm puerilia sunt, quæ olim Manasses & alij reges impij lustrationibus filiorum peccauerunt. Nec gentium barbarissimarum, nec Lestrygonum sacrificia execrabilia cum istis nostris conferri possunt. Contigit nobis illud Christi, septem nequiores Spiritus faciunt posteriora peiora prioribus, peiores inquam septies sumus gentes, quàm antè Christi cognitionem fuimus.

Et vt

Et vt finem huius vastationis faciamus quo videas nihil non esse peccatum & perditionem in Papa. Ecce non solùm leges suæ peccatum sunt, non solum opera earum peccata sunt non solum opera simulata earum & cum tædio factam vt dixímus peccata sunt, ipsa etiam præmia peccata sunt, multò omnium maxima, & peccata minora peccatis maximis remunerantur. Quæres quomodo? Dicam. Barrabam latronem dimittunt non contenti Iesum ligasse & perdidisse, hoc est, vulgus hoc clericale, priuilegijs eximit ab omnibus oneribus, & laboribus hominum, vt in otio, securitate, opulentiaq; securissimam Sodomam viuant, Denicq; nec arguere nec accusare, nec corrigere peccantes vlli licet, nisi Papæ, qui, nec si velit posset, nunc autem nec vult. Hinc prodeunt quasi ex adipe iniquitates eorum, hinc stupra, adulteria, fornicationes, immundiciæ, auaricia, fraus, dolus, & vniuersum Chaos scelerum, nõ solùm abundant, sed regnant, impunè, nullo timore, neque Dei, neque hominum. Quòd si quis eos corripiat, hic sacrilegus in priuilegio Papæ, & Cæs. Maiestatis reus est. Huc pertinent illa sacratissima iura, de foro competenti, & omnia illa quibus clerus eximitur, à Laicorum accusatione, iudicio & vindicta, cum omnibus quæ habent. Denique vsuras, fraudes, rapinas, fecit eis licitas sanctissimus Christi aduersarius, dum ad cultum Dei augendum reditus iniquos, contractus illicitos, rapinas donatas admittit, & gratiosè dispensat pro Apostolica benignitate. De cœlibatu verò quantis peccatis & perditionibus augendis, repertus à Satana sit, aliàs dixímus.

An habemus finem huius Tartari? Nonne sola iuramenta, quibus Episcopos, Sacerdotes, Monachos, Principes, Academias, inuoluit, poterant eum facere hominem peccati, & Filium perditionis? Quis enim hic periuria recenseat? Cùm nemo ferè sit, qui ex animo iuret, & tamen iurare cogitur, sine omni necessitate salutis, id est, nomen Dei inuanum assumere. Quod enim cordis affectu non fit, vanè & cum peccato fit. Sic enim facierũ regnum, nõ solùm valere debuit ad vastandum fidẽ, sed etiam ad perdendos optimos mores, vt nihil reliquum faceret non vastatum. Et tamen hæc omnia execratissima monstra, tenuissimo facierum fuco tegere, tueriq; aduersus omnem virtutem, tam verbi, quàm ferri, vt esset Rex facierum, monstrum vltimum & finale mundi, paratum ad magnum aduentum Christi, in quo magnam suam virtutem Christus ostenderet, in magnitudine monstri huius.

Omitto hîc, qui in præceptum quartum & quintum & septimum & octauum peccat, infinita mala. Tollit enim obedientiam filiorum à parentibus, armans filios in parentes, vt in Henrico quarto & multis alijs visum est. Sese enim vult præ ommibus audiri. Item quod orbem cædibus & sanguine replet concitatis pro libidine mera Regibus & principibus in mutua vulnera, vt dubites an ipse Satan regnans talia posset. Iam rapit magnificus latro integra regna & ducatus, deuoratq; Episcopatus, Sacerdotia, & totius orbis, non solùm opes, sed & substantiam, Annatis, palliis, & infinitis alijs artibus, nusquam non fallacibus, dolosis, mendacibus verbis tegens, & retexens omnia prout visum est. Hæc enim omnia sic operatur homo iste peccati & filius perditionis, vt peccata esse neget, imò peccata esse statuat, si quis ei resistat vel ogganniat, etiam nullis infernis satis castigabilia trahitq; secum in hanc sententiam sacrilegam, si non totum orbem, certè saltem vulgus cleri, & magnam partem Laicorum, secumq; consentientes perdit in æternum, vt sic non vno modo, sed omnibus vastet, & corrumpat omnia. Et sit verè mirabilium vastator.

Sed ad maxima omniumq; teterrima veniamus, ea quæ in Sacramentum altaris & Baptismi seu pœnitentiæ grassatur. Primùm tulit ab Ecclesia, vniuersum mysterium Missæ. Hanc sic vastauit in Laicis, vt alteram partem eis penitùs auferret, nec solùm auferret, sed peccatum, imò extremam hæresim statueret, si quis iuxta Christi in-

Christi institutum vtraq; vteretur. Proh Deum viuum quanta audacia abominationis huius. Si enim Christus prohibuisset vtram speciem, hæreticus erat vtramq; accipiens. At nunc cùm nõ prohibeat, ac per hoc nullum peccatum illic ponat, imò instituat vtramq; partem, tamen vicarius in re non prohibita, sed licita & libera, imò à Christo ordinata, statuit summam hæresim, nedum peccatum. Nec sic Antichristus agnoscitur, quin adhuc adoratur vt vicarius Dei. O horror iræ furoris Domini. Plane nè egõ totum arbitror ablatum, cuius partem ablatam video, quãdo panis & vinum vnum sit sacramentum & alteram partem non nisi ad ludibrium relictam. Qui enim in vna parte contra Deum peccat omnium reus est. Nisi fortè Deus aliquos occulto iudicio seruarit in fide integri Sacramenti, quomodo seruare potest multosq; seruauit in fide absque vlla specie sacramenti. Igitur potiùs erat neutram partem quàm alteram accipere, quò tutius euaderemus præuaricationem instituti Christi.

Non isto furore contentus, laqueo omnium cruentissimo & animicidissimo conscientiarum posito, non permittit Sacramenti huius liberum vsum, sed in vnius sum omnes certa die semel in anno cogit communicare. Hîc te obsecro frater Christiane, quot putas communicare, solius præcepti huius necessitate, qui reuera excordes mallent non communicare? At hi omnes peccant, quia non Spiritu, id est, necessitate huius literæ communicant, cùm hic panis esuriem nec voluntate, sed necessitate huius literæ communicant, cùm hic panis esuriem quærat non saturitatem, multò minus fastidium aut odium. Et omnium horum peccatorum autor est Papa, sua hac cruẽtissima lege, omnes in perditionem vrgens cùm debuerit liberam vnicuiq; relinquere communionem & tantum vocare & exhortari, non cogere & impellere. Vide an non hinc totus mundus, peccatis vsque ad colum repletus, vel hoc vno diluuio satis perdatur? Sic non solùm priuat nos Sacramento nostro, sed & illud quod relinquit, non alio cõsilio relinquit quam vt orbem huius occasione peccatis infinitis repleat & perdat.

Sacrificulis verò multò peioribus modis illudit. Primùm, Missam cùm sit Sacramentum & testamentum loco beneficij accipiendum, vertit in opus bonum, quo satisfaciant pro peccatis, succurrantq; viuentibus & defunctis in omni tribulatione. Hoc commento omnes opes, glorias, potestates mundi sibi vendicando, vt prorsus inutilis iam sit missa ad salutem, sed tantùm ad quæstum valeat, sub incredibili hac peruersitate & impietate. Deinde & sacrificium ex ea faciunt quo Deo gratias agunt & benefaciunt, tanquam egenti bonorum nostrorum, à quo recipere debebant. Prorsus superat hæc peruersitas sensum & verba, & tamen strenuè totum obsidet, & opprimit orbem. Tertiò, priuatam rem ex communi facit, missa enim vtraq; parte, nunquam vni soli debet permitti, cùm Christus eam voluerit esse communem, vt Sacerdos celebrans collectæ secum alicui Ecclesiæ communicaret vtramque partem.

Nunc verò solus est, & priuatus sacrificulus sibi soli celebrans, soli sibi vtramque partem communicat. Interim tamen spiritualiter, vt dicunt, participat, applicat, communicat fructum Missæ, quibus volet, id est, somniat se aliquid communicare, tanquam bonum opus & sacrificium, cùm reuera communiter accipiendum ipse solus accipiat, & tamen non vt donum Dei possessurus, sed vt donum suum oblaturus. O quanta Maria peccatorum in solo isto Sacramento abundant, Deus bone quam rari vel nulli potiùs sunt, qui eo legitimè vtantur, quomodo Christus instituit & Apostoli seruauerunt.

Eadem insania in confessione illa peccatorum omnium vastat. Primùm enim, cùm confessio illa, res planè vehementer salutaris, debeat esse libera, & noua lex legem nullam

legem nullam patiatur, sed tantùm exhortationem, tot peccata Papa facit, & tot animas perdit, quot & quoties inuicti cõfitentur. Quia dum non ex animo, sed necessitate Papisticæ legis confitentur, animo stante contra legem eiusdem confitentur, ac ita peccant credentes, infœlici conscientia, sese teneri necessariò confiteri, & tamen inuiti, id est, contraria voluntate confitentur, ac per hoc ore non corde, id est, ficte, id est, dupliciter peccantes confitentur. Tu nunc vide quę Maria peccatorum Papa hac vna lege confessionis impositæ & inuoluntariæ, in toto orbe creet. Quot enim sunt qui liberè confitentur? At hæc nemo putat esse peccata, & securè pereunt omnes, per filium hunc perditionis & hominem peccati abominatissimum.

Quo autem hæc Maria peccatorum & perditionum sint auctiora, cogit etiam peccata suarum legum confiteri imò hęc omnium maximè, ad hæc tot peccatorum differentijs, speciebus, generibus, filiabus, nepotibus, ramis, circumstantijs & infinitis alijs abominationibus vt vel spiritualissimus incipiat hic peccare, & perire, id est, inuitus confiteri. Stat enim vbique sententia firma: Qui inuitus facit non facit. Et iterum, Deo non placent seruitia coacta. Cum ergo Papæ sit nulla harum legum necessitas, nisi stabiliendæ & augendæ suæ tyrannidis, patet, quòd autor est infinitorum peccatorum, infinitarum perditionum, dum legibus positis, causam efficacem præstat inuitis conscientijs, quæ tamen teneri se credunt eiusdem legibus. Credere enim sese teneri & id non ex animo facere, est sine intermissione peccare, sicut Roman. 14. dicit. Qui iudicat si manducat, condemnatus est, omne enim quod non est ex fide, peccatum est. At hoc credere Papa exigit in suis legibus, & tamen animum faciendi præstare non potest, tam nullam necessitatem aut ius habens illud exigẽdi, quàm nullam potestatem hoc præstandi. Ideo nulla causa nisi mera libidine replet orbem peccatis & perditionibus & omnes Christianos deuorat, sicut Petrus dicit, eos qui verè effugerant, ab illis in errorem rapi. Proinde, Christus eum non abominabilem, sed abominationem voluit vocare. Et Paulus non peccatum hominis, & perditionem filij, sed hominem peccati & filium perditionis, vt nihil nisi peccatum & perditionem in eo valere significaret. Atque hæc quidem in Papa videmus, vt nisi Christus abbreuiet dies istos, non fiet salua omnis caro. Et quis scit an dies abbreuiati pertineant ad infantes morientes ante tempus capacitatis huius abominatiõis? Satisfactionum etiam legibus, (Christe saluator) quot animas perdit? Quis has cruces, torturas & mortes conscientiarum percenseat? Primùm enim legibus dat, non modò tollit libertatem in hac re, sed omnibus cõscientiam facit satisfaciendi, quod cùm nemo non faciat inuitus, cogitur, hac sacrilega lege & erronea conscientia in vnum conuenientibus, sine intermissione peccare. Deinde reo legibus etiam satisfactiones alligat, sicut Eucharistiam & confessionem, sed meris suis libidinibus, & sorinio pectoris sui mendacissimi, tantùm enim satisfacies, dabis, patieris, quantùm die & sui satellites volent, aut pecunijs egent. Atq; ita in conscientijs vexandis hic minè ludit Satan, pro omni sua malicia explenda. Vindicat hic victorias martyrum, & pugnat cum semine eorum, qui eum de cœlo eiecerunt, habens iram magnam vt in Apocalypsi visum est. Iram hãc magnam sic explet vt nostris perditionibus ludat & videat, ceu in re contemptissima & ridicula. O nos stertentes intempestiuissimè.

Quòd si Papa hæc omnia liberè permitteret, nec conscientias illaqueret, nihil peccati, & perditionis operaretur. At hoc in regni facioli vastitatem vergeret, Ideo potiùs perdendus est mundus, quàm vt regnũ eius pereat. Sic vides quomodo Christus est autor iusticiæ, nusquam ponens legem, peccatum & perditionem, sed ab ijs quę posita sunt vocans & liberans. Papa autor peccati, vbiq; ponens legem, vastans iusticiam & salutem, & in ea omnes vrgens ac propellens. Hic est non sanctus, sed sanctissimus, non minister Christi, sed vicarius Christi, non socius, sed princeps pastorum. Væ tibi, &c.

QVO-

QVOMODO EXEVNDVM A BABYLONE PONTIFICIA.

Genes. cap. 12. Tom. 2. fol. 12. Papa in omnibus suis decretis, vrget obedientiam qui vult esse summus Pontifex, & Christi vicarius, ac addit horrenda fulmina: futurum, nisi quis obediat, vt vergat in periculum animarum talis inobedientia. Promissiones quoq; addit splendidas, qui currunt ad numina diuorum Petri & Pauli, habituros plenariam remissionem omnium peccatorum. Talibus promissionibus ornat omnia sua opera, cultus sanctorum, inuocationes Sanctorum, Missas, &c. vt inuiteret simplices ad obedientiam: Ac inuenit sanè populum, proh dolor, nimis obedientē. Quot enim hominum millia in hac obedientia, dum se recta via ad cœlum ire iudicabant, demersa sunt ad infernum?

Etsi autem impij Doctores horribile iudicium Dei ob has impostoras sentient, tamen turba quæ eos secuta, non est ideo excusata. Debebant enim circumspicere, num in talibus mandatis esset, quod hic Moses dicit: SICVT DOMINVS DIXIT. Vbicunque enim hoc non est, ibi non est Dei, sed Satanæ obedientia. Ad hunc modum impleuit Papa mundum satanica obedientia: Præcepit enim non quæ Deus iussit, sed quæ ipse excogitauit. Inde accidit, vt tota eius religio, non vera, sed facticia, ac mera hypocrisis esset.

Meminerimus igitur mandati in Apocalypsi vbi dicitur: Exite de medio Babylonis populo meus, ne participes vos faciatis peccatorum eius, & plagarum. Nam peccata eius vsq; ad cœlum pertingunt, & meminit Deus iniquitatum eius. Quo modo autem exibimus? sic nimirum: Si non patiamur nos tanquam vrsum duci naribus. Sed cum aliquid Pontifex mandat, non statim obsequamur: verùm priùs interrogemus & dicamus: Domine Pontifex, audio te hoc præcipere, sed ostende mihi verbum, an etiam Dominus dixerit, tum parebo libens: Sed si Dominus non dixit, & mandatum tuum cum Dei verbo pugnat, sicut cùm vota impia dicis valere, cùm præcipis abstinere à coniugio, à cibis, &c. non parebo. Habeo enim aliud mandatum Dei, id sequar, &c.

Sed inquit: Sum ego Dominus Ecclesię, ac dictum est: Qui vos audit, me audit. Scimus sanè Pontificem vtrunq; affectare, vt & Ecclesiæ, & mundi Dominus sit. Sed hoc Christus manifestè ei negauit, cùm dixit Apostolis: Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Et Petrus dicit: Non dominantes in clerum. Illud autem quòd Ecclesiæ Dominus sit, probet ipse verbo Dei, & credemus ei. Nos autem scimus aliam Christi sententiam. Qui maior est inter vos, sit minor, & seruiat aliis. Vt scilicet totum dominium non penes homines, sed simpliciter & tantùm penes verbum sit. Illud regnare in Ecclesia debet. Hîc enim habemus manifestum mandatum de cœlo: Hunc audite.

Quòd igitur Pontifex etiam Dominus verbi vult esse, quòd vult ligare & soluere omnia ex arbitrio, hoc est, leges ponere & mandare (sic enim Christi verba fallo peccati falsò interpretatur) hoc sanè apud nos nō obtinebit. Imò anathema sunt omnes isti, apud quos hoc obtinet. Non enim à Christo eam potestatem accepit, sed imprudenter & impiè eam sibi arrogat.

Quàm barbarus hic fastus est, quod etiam reges ad pedum oscula bestia cogit. Id tamen si rogaret ex charitate, ad augendam authoritatem suam in Ecclesia fieri, fortasse tolerare posset. Scimus enim contemptum ministerij esse nocentissimam pestem. Sed quod hoc iure petit, & sub articulo fidei & damnationis, hoc simpliciter pugnat cum verbo Christi.

Similia imò perniciosa magis sunt, cùm indulgentiarum autoritatem, suffragia Sanctorum, & alia, tanquam ad remissiōem peccatorum necessaria, mandat. Merito igitur pugnat

igitur pugnamus non tanquam contra Papam, sed tanquam contra hostem, & aduersarium Christi, quia constituit articulos pugnantes cum Euangelio Christi: Quia simpliciter tollit fidem, & hoc tantum agit, vt stabiliat suam Tyrannidem, non communi modo, sicut Tyranni insidiantur bonis & corporibus: Sed Papa etiam animas perdit & tradit gehennæ.

PAPA QVOMODO EXAMINANDVS.

Tom. 4. Ienens. fol. 511 Psalm. 13. Graduum. In Deut. Præcipit Moses vt librum Legis nunquam deponat de manibus, vt perpetuò se in eo Legendo, discendo, faciendo exerceat. Hoc si Regibus in Lege fuit mandatum, quid sentiemus de verbo noui Testamenti? Ibi certè frustra iactabunt Pontifices sua concilia, Patres, Ecclesiam, dignitatem tot seculis vsurpatam. Hæc omnia sic valeant, si iuxta Regulam verbi Dei doceant. Ecclesia enim, quæ autoritatem diuinam vsurpat, ea tantùm est, quæ sequitur vocem & verbum Domini. Ad hanc Regulam examina Pontificem, tuentem se nomine Ecclesiæ, & vide, num secundum Legem diuinitus sibi præscriptam Pontifex doceat. Si contrà docet, nec incedit recta via, & tamen sedet in regno, non ideo deturbes eum de suo loco, Sicut Achas non ideo quia idolatra est, occidi debet à subditis. Hoc autem facias, ne sequaris eius imperium, ne doctrinam impiam approbes, ne facias quæ Episcopus Romanus iubet contra Scripturam fieri. In hoc enim casu absoluit nos omnes Deus obedientia, Sic enim dicit, ordino tibi pastorem, cui obedias tanquam mihi. Sed fieri potest, vt velit abuti Ordinatione Dei contra verbum, Ibi tibi relinquo hoc præsidium, hoc remedium tibi subministro, vt dicas: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Igitur etsi Reges sunt, etsi sunt Pontifices, eatenus audiendi, & eis obtemperandum est, quatenus incedunt iuxta regulam verbi.

Porrò vsu discimus, nihil esse crebrius nec vulgatius, quàm abuti potestate, tum in politia, tum Ecclesia. Itaque rarissimi sunt, qui legitimè vtuntur autoritate, quam siue in Ecclesia, siue Politia habent. Ratio est, quia maior pars hominum seruit cupiditatibus, & patitur se regi & gubernari à Satana. Hinc fit, quod videmus Pontificem & Episcopos de Doctrina nihil esse sollicitos, omnem autem curam eò conuertere, vt augeant gloriam suam, dignitates, opes, voluptates, Hîc quid faciendum est subditis? Num per seditionem eos eijcient, aut occident? Non, sed sinant eos regere, & tantùm obseruent & caueant os eorum, sicut apud Matthæum Christus quoque dicit: Super cathedram Mosi sedent (quanquam longè disparratio est nostrorum Pontificum) Hic relinquit eis sessionem & autoritatem docendi, nec vult eam violari, concedit quoque Clauem scientiæ. Hoc autem damnat, quod dum Clauem scientiæ habent, & sedent in officio, tamen præterquam, quod ipsi seipsos non docent, etiam alios seducunt. Quanquam hic etiam Ecclesia reliqua sui iuris meminisse debet. Quia enim nostri Episcopi neque docent ipsi, nec sanis Doctoribus relinquunt locum docendi, & tamen fruuntur beneficijs Ecclesiarum, atque ijs abutuntur ad fœdissimas voluptates suas, eleganter & verè multi disputant, non esse beneficium separandum ab officio. Ideo reliqua Ecclesia pro suo iure, tantùm potest Papistarum facultatibus detrahere, vt pij Doctores habeant vndè viuant. Hoc enim omnibus modis cauendum est, ne ministerium prorsus oboleatur.

Explodendus itaq; est error ille, quem impij Canonistæ impudentissimè statuunt, cùm dicere audent: Non esse præsumendum, quod apex tantæ celsitudinis erret.

nis erret. Hoc est, quasi primum principium stolidorum Canonistarum, ex quo hoc monstrum erratum est, quod nunc in Papatu videmus & exerceamur, quod si ne fronte quicquid in mentem venit, & ad nutnos parandos idoneum fuit, tan quam articulos fidei statuerunt. Nos autem sic dicimus, vocetur sanè apex cellitu dinis ista Tyrannis, quam contra Scripturam & omnem æquitatem sibi vsurpat, & vt plus tribuam, fingamus eum etiam diuina ordinatione esse Pontificem, & obti nere primatum in Ecclesia. Adhuc plus tribuam, si ita postulat Pontifex, faciamus eum sanè Angelum de cœlo, Quid possum de eo sentire præclarum magis? Sed etiamsi Angelus sit, tamen Anathema eum esse pronunciat Paulus, cùm aliud E uangelium, Euangelisat.

Sic pastor est diuinitus pastor, Rex est diuinitus Rex, hæc sic largiamur Pon tifici quoque, quasi vera autoritate præsit. Sed conditio de qua diximus, necessita tem affert, vt distinguamus inter rem & vsum. Rem voco autoritatem diuinam, eam etsi concedam Pontificibus, tamen vsum non concedo, quia rem diuinam ma nifestè trahunt in abusum. Non vtuntur autoritate sua secundum voluntatem Dei, pro gloria verbi, sed pro sua gloria. Non igitur obligat nos eorum autoritas, etiamsi sit vt dixi, autoritas Angeli de cœlis, Sed cum bona conscientia discedimus ab eis, ne inobedientes fiamus summæ autoritati, & maiestati, quæ est Deus. Quod si Pontifices non pugnarent contra doctrinam Christi, si nobiscum statuerent, iu stificari nos solo precio Sanguinis Christi, & non docerent negociari homines pro prijs meritis & operibus, tunc libenter agnoscerem autoritatem eorum, & confite rer eos re Sancta, sanctè etiam vti. Sed cùm abusus manifestus sit, nihil eos iuuat, quod Sanctam rem habeant, sicut gloriantur. Hæc enim est summa summarum, quod Papa non minus quàm omnes alij homines, etiamsi Angelicam dignitatem haberet, alligatus est ad verbum Dei. Hoc cùm manifestè impugnet, cum extrema crudelitate impietates suas defendat, non subleuat eum sedes, non dignitas, non au toritas, sed est Anathema, sicut Paul. dicit: Vulgatissimum est inter Doctores Pa patus, quod Papa sit supra verbum seu scripturam, & possit pro arbitrio in lege diui na dispensare. Hinc de Ecclesia & conscientijs constituit quicquid voluit. Hoc cũ nos, freti verbo Domini, damnemus, & coacti m dato Domini, grauiter refutemus excomunicamur. Ab hac sententia non debemus discedere, sed cum Pſ. hoc dicere. Quod si Pontifices custodierint Testamentum, & testimonia, quę Dominus docet audiemus eos. Si non custodierint, non audiemus, nec venerabimur in eis, quan tumuis Sanctam rem, qua sic fœdè & impiè abutuntur. Nam etsi Pontifices non sunt, tamen aliqui erunt, qui custodiunt Testamentum, ne Ecclesia planè abolea tur. Sic ante annos centum, cum Pontifices Testamentum Domini proijcerent, Iohan. Huss inuentus est, qui id summa cum reuerentia custodiret. Sic hodie cùm Episcopus Moguntinus, tanquam summus, quo ad dignitatem, Testamentum non vult custodire, sunt alij qui custodiant, & in oculis Dei Pastor contemptissimi pa gi longè gratior & maior est, quàm omnes totius Germaniæ Episcopi, cum omni bus Cardinalibus & Pontificibus. Neq; enim Deus concedit hominibus autori tatem supra verbum. Hoc qui venerantur, sequuntur & custodiunt, sunt Eccle sia, quantumuis in mundo contempti sint. Qui non custodiunt, sunt Eccle tanæ, nec subleuant eos magnifici tituli. Atque hæc causa quoque est, cur diserè in textu ponitur, Testimonia quæ ego docebo eos. Sic enim vult Deus in Eccle sia vti ministerio Doctorum, vt tamen ipse sit summus Doctor, & ministri om nes, etiam Papa, etiam ipsa Ecclesia, regantur & gubernentur verbo, sic enim hæc transferri debent ad præsentem vsum. Neque enim hæc particularis & certi tem poris Disputatio est, sed durat omnibus seculis. In populo Israel Reges & Sacer dotes inflati vocatione, putabant sibi omnia licere, sic hodie Pontifices non putant se subie-

se subiectos esse legibus verbi, sed audent sibi arrogare potestatem supra verbum & Scripturam. Planè similis causa est. Oportet igitur nos hic munitos esse, vt possimus dicere, Credo concilium, credo Papam, credo Principes & Reges, credo Ecclesiam Sanctam & Catholicam, sed sic vt illa Sancta Ecclesia, nedum Episcopi & Pontifices, sit per omnia subiecta suo Deo & sponso Christo, & eius verbo sine vlla exceptione. Atque hoc ita credo, vt non sit necesse Deum mihi de cœlo loqui, & sensibiliter mihi reuelare. Hoc verbum, quod Prophetæ & Apostoli locuti sunt, est id verbum, quod debet credi, cui debet subiectus esse Papa, cum omni Ecclesia Sanctorum, nec quidquam debet sine hoc verbo, multò minus contra hoc verbum suscipere, &cet.

Ad hunc modum in ordinem redigi debet Papa, sed experimus nullum Veneni genus eum sic formidare & odisse, sicut Scripturam. Itaque totis viribus, etiamsi aliud simulet, obnitur, ne fiat Synodus seu concilium, tantùm ideo, quia hanc quæstionem metuit, ne quæratur in Synodo, Vtrum Papa sit iudicandus per Scripturam, an Scriptura per concilium? Nam mala conscientia quæ Papa habet, hoc semper ei acclamat, Quòd Scriptura Sancta sit verbum Dei, futurum itaque vt Verbum Dei viuat, & concilium concludat, quod necesse sit Papam esse sub Scriptura Sancta. Hoc si fiat, de Papa actum erit. Nam quid in omnibus suis decretis, Ceremonijs, doctrina tueri poterit Papa, si iudicium fiat ex sacris literis? Præuidet itaque animo reformationem intolerabilem, atque ideo omnia conatur, ne concilium cogatur, quanquam interim, si quis verba spectet, simulat se nihil optare aliud, quàm Synodum. Sed dum hæc iactat, Regum animos sic implicat & inuoluit, vt ad omnia suscipienda plus ocij & animi habeant, quàm ad concilium instituendum. O Astuciam dignam æternis flammis, & odio omnium bonorum, quod cum tanto Ecclesiæ incommodo, Pontifices suam Tyrannidem volunt stabilitam.

AN PAPA FERENDVS SIT IN ECCLESIA.

Tom. 4. Ienens. fol. 339. Matth. ca. 13. Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Hic quæstio est. An liceat Papam ferre in Ecclesia, & restituere necesse est monasteria? Quia hic dicitur: Sinite vtraque crescere. Hoc volunt intelligi. **Man sol sie lassen frey leben / wie sie wollen / vngestrafft vnd vngehindert.** &c. Sic enim exponunt, Sinite, id est, permittite. Hoc si verum est, tunc iam non liceos arguere, sed teneremur tacere, & illis concedere omnia. Item cur ipsi non sinunt vtraque (id est, nos pariter) crescere? Ipsi enim nos extinguere volunt. Ergo contra Christum pugnant, quod nos euellunt & soli volunt crescere, &c. Et quare etiam non eadem ratione dicunt, Christum esse autorem peccati ipsorum, quia prohibuerit euelli eos, & sic videtur confirmare eos. Igitur ista cogitatio nihil valet. Est enim hoc verbum, Sinite, non confirmationis, & approbationis illorum, sed consolationis & exhortationis nostræ, ad patientiam, q. d. Quia ferre cogimini istos malos, & sine malis Ecclesiam non habebitis, Ideo patientes estote, Sinite, **Last gehen / was jhr nicht halten kundt.** Sic alibi de Pharisæis dicit: Sinite eos quia cæci sunt. Et Matth. 8. Sinite mortuos sepelire mortuos suos, &c. Quare per hoc non prohibet, illos arguere, vitare, excommunicare, &c. Sed quando correptionem ipsi non curant, sinite illos, habete patientiam, nec ideo desperetis de Ecclesia, Quia quod vos iudicare non potestis, mihi relinquite, Qui vos contemnunt, hos ego inueniam, &c.

Et sic sententia huius loci est, de patientia Sanctorum, qui coguntur ferre scandala &

dala & malos in Ecclesia, sicut dicit de nobis exierunt, de nobis non fuerunt. Ideo euellere malos ex Ecclesia, nihil aliud est quàm Ecclesiam sine malis habere velle, quod est impossibile. Simul tamen stat, quod eos non toleramus non probamus, non sinimus cum pace esse Zizania, sed increpamus, excommunicamus, facimus quæ possumus. Sic Adam non sinebat Cain irreprehensum abire, & tamen sinebat eum incorrigibilem abire vias suas. Et Christus non sinebat Iudam sine correptione, & tamen incorrectum dimittebat abire. Et ita verbum Sinendi, nihil pro illis, sed contra illos est, scilicet vt non concedamus licentiam peccandi, neq; consentiamus. Sed si pergunt peccare, nostris monitis contemptis, tunc sinimus eos ire viam suam. Sic Papatum non sinimus facere quòd volunt, id est, non probamus eorum doctrinam & vitam, Et tamen quia nolunt, sinimus eos ire.

Quare ad quæstionem, An Papam licet ferre, & restituere Monasteria? Respondetur, Non licet ita ferre, vt probemus & consentiamus, sed si per vim rapuerint & fecerint, hoc cogimur ferre. Et hoc est, sinere vtraque crescere, & non euellere. Quia si deberemus eos sinere in peccato consentiendo, tunc verè triticum eradicaremus, & ipsos solos crescere faceremus, sicuti volunt. Nunc autem non sinimus eos consentiendo, sed repudiando & separando nos ab eis dicentes, Wolan **wir müssen doch vnter bösen Leuten sein** / Vt 1. Cor. 5. Alioqui de mundo exire oportebit, **So seins ebenso mehr diese als andere.** Iudicet autem eos Deus suo tempore, qui nos contemnunt. Quare illi falsò allegant contra nos, quod illos sinere deberemus, id est, concedere, vt faciant quod volunt, scilicet vt impunes sint etiam à verbo correctionis, quasi benefacientes, Cum Christus velit eos sinere, tanquam incorrigibiliter mala facientes, tanquam reiectos à consortio spiritualium, Illi putunt (hoc verbo) concessam licentiam peccandi, Christus eodem verbo significat punitam & damnatam licentiam peccandi, planè contraria sensu.

Sed hoc est pulchrum & notatu dignum, quod illi ipsi, qui hoc loco nituntur, & causantur oportere Zizania sinere crescere, per hoc ipsum fatentur sese Zizania esse. Quia ad quid per hunc locum volunt defendere sese, vt sinantur crescere nisi quod per os proprium volunt nos docere sese esse Zizania. Et tamen cùm nos contra eos docemus, tanquam contra Zizania & triticum, id est, impij & Ecclesia, Vas **das were ein fein Zwickmülle** / quando periculum sentirent, vtrinque possint sese in Protheum vertere, Et quando velint Ecclesia esse contra, quando velint Zizania esse, & vtrinque liberi & securi, **Wer mocht des nicht? Wie sie es machen / vnd wolten / so muß es recht sein / etc.**

CVR AVTORITATI PAPAE NON PAREMVS.

Tom. 4. Ien. fol. 610. Hoseæ. cap. 2. Iudicate matrem vestram, &cet. Vbi autem inquies, manet hic reuerentia erga parentes? Nam filij iubentur matrem accusare & damnare. Nec leuia crimina sunt, quæ Propheta hic commemorat. Non inquit est vxor mea, nec ego maritus eius, hoc est, adultera. Notum autem est quid Propheta vocet adulterium. An non igitur Parentibus ille honor habendus est, vt tegantur eorum peccata? Cur igitur Propheta hortatur Ecclesiam, vt arguat peccatum matris, & id liberè reprehendat? Respondeo, Debetur Parentibus honos, sed sic, ne dum parentes honoramus, Deus adficiatur contumelia. Nam præceptum de colendo Deo, ordine prius est, illud de Parentibus posterius. Pertinet autem ad gloriam Dei, reprehendere peccata, ac præsertim impios cultus, quibus Deus contumelia adficitur. Rectè igitur facit Ecclesia, quæ non conniuet ad adulterium matris, sed liberè eam traducit. Esi

Etsi enim hoc fit cum contumelia matris, tamen fœlix contumelia illa dicenda est, quæ cum salute animæ coniuncta est. Reprehenditur enim peccatum, vt emendatur, accusatur Synagoga, vt resipiscat, nec pergat Deum contumelia adficere, & sibi accersat exitium.

Sed hæc ipsa causa est ingentis odij & inuidiæ, qua Ecclesia omnibus temporibus grauatur. Augustum enim est nomen matris, & beneficia educationis meritò prædicantur à parentibus, Apud liberos autem rectè in admiratione sunt. Itaq; Synagoga iure sibi quæri visa est, de iniusta desertione filiorum, quos in veteri cultu diuinitus instituto & mandato educauit & instituit, vt mater, ac ius docendi existimauit, non sine graui sua iniuria à filijs, contra matrem vsurpari. Sicut Pontifex hodie & autoritate, quam in Ecclesia habet nos premit, & non vult redigi in ordinem à nobis, sed accusat nos iniustæ desertionis, sibi autem splendidissimum hunc titulum sumit, quem hic Propheta Synagogæ tribuit, dum matrem vocat.

Ac Sycophantæ Pontificij in eo sibi palmarium putant positum, si autoritatem Ecclesiæ verbis in cœlum vsque tollant, & illa veteris disciplinæ vincula commendent simplicibus. Dicite inquiunt, si vos estis Ecclesia, vnde cæpistis esse Ecclesia? An non in Papæ Ecclesia estis Baptisati? Cur igitur nunc ab ea discedi-tis? Cur tanquam filij parentem vultis docere? Quin potius à parente discite, & ei obedite, nisi vultis esse ingrati filij. Hæ Papistarum voces sunt, quibus nos putant obrui posse. At si Prophetas respicimus, hæc ipsa causa fuit, cur Synagoga ab Apostolis doceri nollet, & vellet parci honori suo. Propheta autem hoc in loco diuersum iubet, vt acquiescatur mater à liberis, nulla habita ratione singularis in spe-ciem prærogatiuæ, quod mater est.

Itaque hic regula Petri tenenda est, Deo magis obediendum esse quàm homi-nibus. Amplectatur Synagoga Christum, agnoscat per eum solùm accipi, remis-sionem peccatorum & vitam æternam, & exosculabuntur eam filij, ac omni gene-re honoris & officiornm eam cumulabunt. Sic Pontifices & Episcopi desinant Euangelium persequi & Blasphemare, Curent Ecclesijs veros Doctores, impios au-rem & idolatricos cultus amoueant, & restituant puros & veros cultus, tum non deerunt eis nostra officia, Agnoscemus eos tanquam parentes nostros, & parebi-mus libenter ipsorum autoritati, quam verbo Dei videmus communitam. Sed quia persequuntur Euangelium, ac idolatriam retinent, non tanti apud nos paren-tis nomen esse debet, vt ideo Christum negemus, & nos cum idolatricis coniun-gamus. Deo potius obedimus, qui iubet audiri filium, & non solùm nos ab ido-latris seiungimus, sed liberè quoque recusamus, autoritatem eorum, & idolatriam traducimus, ne exemplo eorum offensi imperiti inducantur in errorem.

Meminerimus itaque à Spiritu Sancto mandari hoc in loco iudicium, Iudi-dicate inquit, hoc est, accusate & damnate. Quos? Matrem vestram. Atqui pa-rentibus debetur honor? Verum id est, sed huic matri non debetur, quæ non so-lum turpis adultera est, sed etiam ad adulterium vult cogere liberos ex se natos. Igitur matris titulis non vos impediat, damnate eam & dicite, quod non sit mea vxor, neque ego maritus eius. Hæc est excommunicationis sententia profectò horribilis, si eam euoluas diligenter, & conferas cum ista opinione, quam mater inter liberos vult retinere. Synagoga enim hunc titulum etiam ferro & igni tueri voluit, quod esset populus Dei, contrà Apostolos damnauit tanquam nocentissimas pestes. Iubentur autem hic liberi Damnare matrem, & excommunicare, quod non solùm non sit Dei Vxor, sed turpis Satanæ adultera.

Sic Pontifex vsurpat nomen Ecclesiæ, nos autem damnat tanquam hæreti-

 cos. Hanc

cos. Hanc Blasphemiam nullo modo vult dissimulari S. Sanctus, sed vult liberè pronunciari à nobis, quòd Pontifex cum suis sit Satanæ Ecclesia. Siquidem Euangelio se opponit, & statuit aliam iusticiam, quàm quæ est per Filium Dei. Hic dupliciter offenditur Ecclesia Satanæ. Primùm non potest ferre hanc de se sententiam. Secundò non vult talem sententiam ab ijs ferri, quorum se parentem esse videt. Itaque mouet pugnas, & hanc iniuriam variè conatur vlcisci. Sed vera Ecclesia non potest abijcere mandatum Dei. Itaq; cogitur pronunciare contra matrem, hanc de adulterio sententiam, quod ista Religio, quam sequitur, nihil sit nisi fœda Idolatria, quam Propheta adulterio comparat, propter causas suprà dictas.

DE PRIMATV PAPAE, ET AN SIT PE- TRI SVCCES- SOR.

Tom. 4. Ienens. fol. 358. Matth. cap. 16. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines filium hominis esse?

Hic locus est caput & fons omnium malorum in Ecclesia. Nam hinc Papa Claues sibi soli arrogauit, & per hoc seipsum constituit Dominum cœli, terræ & inferorum. Christus vt iam dictum est, damnauit fermentem Phariſæorum. Papa econtrà per hunc locum statuit non solùm fermenta, sed etiam excrementa, & quidem excrementa pessimorum ac impijssimorum hominum vt suprà ex parte numerata sunt. Sed res maior est, quàm vt annotatiunculis explicari possit, digna quæ iustis commentarijs tractetur, Interim simpliciter fidem ædificemus.

Primùm interrogat Christus. Quid homines de se sentiant? Moraleexemplum per hoc præbens, vt curemus bonum testimonium habere etiam apud eos, qui foris sunt, quantùm saluo Euangelio fieri potest, ne quis patiatur vt adulter, latro, &c. Iuxta præceptum Petri. Deinde captat occasionem manifestandi se inter Apostolos, quod sit Christus Filius Dei. Ideo post opiniones varias & incertas vulgi, quærit, quem eum ipsi esse sentiant, cum ait, Vos autem, Quem me esse dicitis?

Hîc *Petrus* omnium nomine (omnes enim interrogauerat & cum omnibus loquitur indifferenter sine respectu personarum) respondet. *Tu est Christus, filius Dei viui.* Igitur nihil prodest ad salutem, si de Christo sentias humana opinione, quod sit iustus, Sanctus, bonus vir, aut Propheta etiam maximus, sed addenda est, reuelatio Patris è cœlo, quòd sit Christus Dei Filius, id est, homo verus & Deus verus. Deinde Rex & Sacerdos ille promissus. Et in paucis istis verbis compræhenditur vniuersa Doctrina fidei Christianæ. Quod enim Filius Dei viui est, verum Deum significat, id quod Scriptura alibi latius probat. Quod autem homo est, per se manifestum est, Quia inter homines conuersatus, inuentus est vt homo, Et vt ipse hic dicit, Quem dicunt esse filium hominis? Sed quia Filius Dei simul est, non potuit nasci in peccato, sicut cæteri masculo concepti. Ergo de virgine sine patre ex Spiritu Sancto natus est. Deinde homo inter homines mortalis fuit. Sed quia Deus, necessariò in morte manere aut mori non potuit. Hoc de Filio Dei.

Deinde quia Christus, id est, vnctus Sacerdos & Rex est, necesse est totum hoc quod fuit, oblatum esse sacrificium pro peccatis hominum, vt Prophetæ prædixerunt. Igitur totum Symbolum Apostolorum in his verbis, Tu es Christus Filius Dei viui, includitur, Quod scilicet sit Filius Dei Patris omnipotentis creatoris cœli &

li & terræ, Quodq; Dominus noster Iesus Christus, conceptus sit de S. Sancto, natus ex Maria virgine, passus pro nobis, quod moriens resurrexerit, sedeat ad dexteram Dei Patris, quia Filius, Iudex & Dominus omnium, Quod remissionem peccatorum per Spiritum Sanctum distribuat ad resurrectionem & vitam æternam. Nunc respondet Christus Perro dicens:

Beatus es Simeo Bar Iona, Quia caro & Sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Hic stat sententia, doctrinam fidei non esse Philosophiam, nec rationis humanæ sapientiam, A qua vt neq; inueniri, ita neq; retineri nec iudicari potest, sed est doctrina cœlestis, ab ipso Deo Patre reuelata. Sicut autem candela in nocte, vel facula in tenebris, scilicet absente Sole, quidem lucet, sed Sole in virtute sua fulgente, facula neq; lucet, neq; fulget, sed obscuratur maiestate lucis solaris, Ita fides longè alia lux est, quæ rationis lucem obscurat & extinguit. Gaudeat itaq; omnis, qui potest verbum Petri ex eadem fide dicere, Tu es Christus Filius Dei viui, fide inquam non ficta, Et sciat sese habere reuelationem Patris è cœlo, & verè se esse Christianum, beatum & saluum à peccato, morte & inferno. Quid vis amplius? Caro & Sanguis ista non sciunt neque intelligunt. Quid est autem caro & Sanguis, nisi homines ex carne & Sanguine nati, etiam optimi, sapientissimi, excellentissimi. Hæc non in Philosophorum, Poetarum, Rhetorum libris aut sapientia, non in Iurib. Imperatorum, non in Canonibus Pontificum inuenies, sed Pater meus inquit in cœlis reueuelauit tibi, cum tamen nondum esset euulgatum Euangelium per Apostolos.

Videntur autem ista à Christo dici familiariter, blandè & amicè, sicut cum suis solet suauiter agere, Ac si diceret, Certè Petre tu loqueris grandia & mirabilia, sapiens vir præter solitum mihi videris. Vndè ista sapientia & cognitio rerum arcanarum & cœlestium? Profectò Pater meus reuelauit tibi eam præterea nullus homo. Et tamen seriò affirmat, beatos fore qui hanc sapienti à patre habeant. Nam suauitas & blanditia Christi semper est obseruanda in factis & dictis suis. Sicut & Paulus tribuit ei Philanthropian, Epijkian & praotita, in conuersatione sua inter homines. Quæ tamen sine leuitate aut scurrulitate, cum suauissima gratuitate fuerunt conditæ, simul ad erudiendos & alliciendos homines efficacissimè. Proindè libens credo, quod de S. Petro scribitur, quòd post ascensionem Christi tam sæpe fleuerit, vt oculos lachrymis corrosos, linteolo semper tergere solitus sit. Et cùm interrogaretur, cur ita fleret & oculos læderet? Responderit, sese non posse à Lachrymis sibi temperare, quoties recordaretur illius suauissimæ conuersationis Christi.

Da mihi nunc Petri successorem, qui ita credat & fateatur, qui ita habeat reuelationem Patris in cœlis? Putas ne, quod is præ gaudio istius sapientiæ cœlestis possit ferre, non dico optare, aut quærere istas sordes Regnorum mundi, id est, carnis & sanguinis? Quas ita furenter hactenus quærunt omnibus malis artibus & dolis Romani Pontifices, successores (vt haberi volunt) Petri, cùm verius successores sint Romuli, Iulij, seu carnis & sanguinis. Nam hoc sequuntur quòd caro & sanguis ostendit. Id quod Pater reuelat & Petrus fatetur, etiam riserunt hactenus multis seculis, Et tamen sunt Diabolo fauente, Petri successores.

Statuendum est igitur primùm, Romanos Pontifices planè nihil ad Petrum pertinere, neque Petrum ad ipsos. Nihil enim habent Petrinum, neq; Petrus quicquam Papale. Petrus fatetur & docet Christum Filium Dei viui, Papa docet seipsum & suas glorias & potentias. Ille fidem requirit in Filium Dei, Papa obedientiam in suas Satanicas auariciæ leges & consuetudines, Ille futuram vitam,

Papa temporale m Tyrannidem. Summa, Pontifices Romani hanc fidem & confessionem Petri pulchrè & fortiter transilierunt, non eam in armis suis aut annulo piscatoris sculpi aut pingi fecerunt, sed Claues Tyrannico sensu deprauatas arripuerunt, & ita successores Petri sese fecerunt. Sed rectius & verè fecissent si pro Clauibus Petri loculos aut marsupium Iudæ Ischariotis in armis suis sculpsissent. Huius enim propriè sunt successores, quia sub nomine Christi omnia rapiunt & furantur quæ sunt in orbe, rapturi libenter vel centum (si tot essent) mundorum opes, potentias & glorias, sub nomine Christi. Sicut ille eorum Pater sub nomine Christi furabatur ea, quæ mittebantur.

Secundò, statuendum est Ecclesiam & Episcopos eos, esse verè Ecclesiam & Petri successores, qui (pronunciante hoc ipso Christo) fidem & confessionem Christi Filij Dei viui habent, eamque reuelante Patre in cœlis, id est, reuera & Spiritu Sancto per fidem non fictam docente, id quod postea per verbum Apostolorum fieri debuit. Quia est confessio oris Petrum in orbem vulganda. Qui verò præter hanc fidem & confessionem Petri docent aliud, vel contra eam pugnant, hi manifestè neque Ecclesia, neque Episcopi esse definiuntur. Cùm igitur Papalis Ecclesia, non solùm præter, sed etiam contrà doceat, & eam persequatur, clarum est eam esse non Christi Ecclesiam, nec Petri, sed Diaboli & Iudæ Ischariotis Scholam, lernam & sentinam. De hoc nunc satis pro annotatiunculis. Nunc videamus quid vicissim Christus istis suis Petris, discipulis & confessoribus promittat, & largiatur. Nam eius verba ad omnes pertinent, Sicut Petrus pro omnibus respondet.

ET EGO DICO TIBI, QVIA TV ES PETRVS ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM *meam. Et portæ inferorum non præualebunt aduersus eam.*

Dimissis varijs multorum cogitationibus & disputationibus, sententia Christi in Summa est hæc propositio, Ecclesia mea est, quæ hanc reuelationem habet, quam tu Petre hic confiteris, q. d. **Warlich du hasts troffen / den da stehets alles auff /** Hæc est, Ecclesia mea, quæ hanc reuelationem habet, quod ego sum Christus Filius Dei viui. Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. **Da solß auff stehen / wer da Selig sol werden / Da sols auch bleiben /** Etsi omnes portæ inferorum contrà sæuiant. Quia ego sum Christus Filius Dei viui. Ideo nemo rapiet eos de manu mea, etiamsi portæ inferorum sint raptrices & furant in me & vos, tamen nihil efficient, quia tu Petre dixisti, & rectè, me esse Filium Dei viui & Christum. Beatus ergo es, Beati omnes qui hoc credunt, & ita perseuerant. Eos pronuncio victores portarum infernalium, id est, peccati, mortis & Inferni, quamlibet illæ ipsæ portæ sæuiant, quia ego sum fundamentum Ecclesiæ (id est, tibi similium credentium & confitentium) satis fidele & inuictum. Per me enim vincent, in me pacem habebunt, & omnia poterunt.

Ex istis patet, quod Christus hîc longè de alia re loquatur quàm Papa cum suis somniant. Ipse de æterna vita, de victoria portarum inferi, de Diaboli furijs & Eccle-

& Ecclesiæ Salute & credentium beatitudine loquitur. Contrà Papa intelligit de sua potestate & Tyrannide, siue de obedientia suarum stultissimarum & impijssima rum legum, quæ non de fide in Christum, infernarum portarum victrice, sed de temporalib. rebus, dignitatibus, opibus, & vt optimè de Ceremonijs, cum hac vita perituris nos docent. Quas res etiam Ethnici & Epicuræi docere possunt, sine hac reuelatione Patris de Christo Filio Dei viui. Quare posthabitis etiam vetustis Doctoribus, quos Papa & sui pro se hoc loco allegant, sequamur vnam & simplicem huius loci sententiam S. Augustini, quæ & Analoga est fidei, & Grammaticam quoque testem habet. Nam necesse est vnius loci, tantùm vnam esse propriam, certam & veram sententiam, Cæteræ sunt opiniones dubiæ & incertæ, quæ fugiendæ sunt in sacris literis. Est autem S. Augustini hæc sententia, Quòd Christus distinctè loquatur, Primùm ad ipsum Petrum cùm dicit: Tu es Petrus, Quod sic intelligi debet secundum illam suauem Christi Epijkian inter suos, id est, **Wo lan Du bist doch ja recht** Petrus, **denn du trifft den** Petram, **den Felsen vnd rechten grund/ da es auff stehet vnd stehen muß.** Secundò ad seipsum dicens.

ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM meam.

Super hanc, id est, super me, non super tè. Quia non dicit: Tu es Petrus, & super te Petrum, sed super hanc (id est me) Petram ædificabo Ecclesiam meam. Sic S. Augustinus, Non inquit, me super te, sed te super me ædificabo. Quia necesse est ipsum Petrum, super Petram Christum ædificari. Hæc sententia Augustini satis perspicua & propria est.

Quia ædificare non potest intelligi super Petrum cùm non dicat, super te, sed super hanc Petram. Sed quid multis? Ecclesiam necesse est stare fundatam & ædificatam & victricem inferorum super fundamentum viuum, æternum, & super versantem cum ea Petram vsque ad consummationem seculi. Petrus autem Apostolus præter hoc, quod est homo peccator, mortuus, sicut omnes alij Sancti, etiam ipse super hanc Petram cum Ecclesia ædificatus est. Quare hic locus nihil pertinet ad Tyrannidem papalem.

Quod si allegant Apocalypsin de XII. Fundamentis ciuitatis Ierusalem nouæ, & Paulum ad Ephes. de fundamento Apostolorum & Prophetarum, breuiter dicetur, In istis locis non dici Petrum solum & vnum illud esse fundamentum, sed æqualiter omnes, non solùm Apostolos, sed & Prophetas. Quo argumento tandem & Prophetam aliquem veterem oporteret fingi caput Ecclesiæ totius. Sed Grammatica hic facilè consulit, fundamenta Apostolorum & Prophetarum dici, quod primi prædicarint & confessi sint vnum illud & solum fundamentum Christum. Sicut Paulus Euangelium vocat suum, cum sit Christi vnius & solius, sicilicet, quod ministerio suo illud plantauerit, Ita Apostoli sunt primi lapides, supra Petram illam vnicam, supra quos seu confessionem ipsorum etiam reliqui Sancti ædificentur, vnusquisque in suo ordine, donec domus Dei perficiatur, supra Petram vnicam fundata. Sceleratissimum & impijssimum est dicere, quod Ecclesia Dei ædificetur super Papam, pessimum hominem & Diabolum, hoc est, super traditiones humanas, ab ipso confictas, Quæ non solùm non præualent contra portas inferorum, sed à portis inferorum excogitatio sunt contra Petram & regnum cœlorum. Nam traditiones hominum maximè omnium pugnant contra hanc petram, dum docent operibus nostris adeo fidendum esse, vt & nobis superflua possimus alijs vendere ad salutem. Hæc est Petra

Papalis

Papalis, hanc docent, hanc defendunt, id quod testantur eorum facta, verba, decreta, opera, libri & exempla.

ET TIBI DABO CLAVES REGNI COELORVM.

Bone Deus, quàm ingens tibi & tremendum hoc loco fecit Diabolus per Papam in toto orbe terrarum. Imò etiam in cœlo, si Deo placet. Nam iuxta Grammaticam & Stylum Romanæ Curiæ, sententia huius loci est ista, Tibi Papæ, dabo Claues, id est, potestatem, vt sis vicarius Dei in terris, hoc est, vt possis facere quæ velis. Tolerari poterat, si vicarium Dei sese iactasset, modò non se solùm, sed similes sibi vicarios reliquos fecisset, Maximè verò si vicarij officium fideliter implesset, hoc est, si nihil aliud, quàm quòd Dominus ipse mandauerat, docuisset & curasset, sicut decet & oportet vicarios facere omni iure. Nunc verò non solùm non docet & curat, quæ Dominus ei mandauit, & facienda reliquit, sed aliena imò contraria Domino suo docet & facit, Ideo non vicarius Christi, sed vicarius Diaboli, Antikyrios & Antichristus rectè dicitur.

Quare hoc Tibi, de quo gloriatur, nihil omninò ad eum pertinet, sed ad Petrum confessorem Christi Filij Dei viui, Non ad Petrum piscatorem ex Bethsaida qui paulò infrà ab ipso Domino Satan vocatur. Huius successor certè non vult Papa haberi, nec expediret sanè eius maiestati piscatorem fieri talem. Multò minus pertinet ad Iudam Ischarioth, qui etiam tunc interfuit & volebat fieri Papa, quia fortiter furabatur & rapiebat, exemplum præbens suis successoribus in Romana curia nihil solicitus de confessione Filij Dei, quam Petrus confitebatur. Et haud dubiè etiam risit apud sese stultum istum Petrum confessorem Filij Dei viui, sicut hodie Papa & Cardinales rident Petros veros seu confessores Filij Dei viui, Imò risum & ludum esse putant eos occidere & perdere. Sed quorsum rapit me Zelus & indignatio? Hæc res non annotanda, sed tractanda esset.

Redeamus igitur ab impijs & pessimis hominibus ad ipsum Dominum, qui dicit Petro, id est, confessori Dei Filij: Tibi dabo Claues. Quia verò priuata persona, (vt Petrus) cadere potest, Sicut ipse postea cecidit non semel, Ideo intelligi hoc loco oportet Christum, non de persona priuata, sed de publica confessione, quam Petrus hîc facit, hoc est, de ministerio verbi, quod durat in finem mundi contra omnes portas inferorum. Rectè ergo, Tibi, intelligitur de nulla persona, de nullo Episcopo, sed de ipsa Ecclesia, quæ durat & ministerium verbi durabile habet. Quare contra Papatum mendacem nostram fidem ita tueamur. Primò, Quod Petrus hic, est persona publica totius Ecclesiæ seu ministerij verbi. Nam priuatam personam Petri Christus mox Satanam vocat, id est, non Sanctam. Hoc autem de Ecclesia intelligi non licet, quam Paulus iubet credi Sanctam & Christo subiectam. Hæc est tota sententia optimorum Patrum, qui dicunt, Petrum ore omnium Apostolorum respondisse, sicut Christus non Petrum, sed omnes Apostolos interrogauerat. Quare & illud Tibi, æqualiter & publicè pertinet ad omnes Apostolos, quos interrogauerat.

Secundò, vt maximè ad solum Petrum diceret: Tibi dabo, Ex hoc non sequitur, Romanum Pontificem esse successoreu Petri, Tum quòd Spiritualia bona non sunt hæreditaria, sicut facultates huius mundi. Alioqui sicut Petrus fuit Sanctus & electus: Ita certum & necessarium esset etiam Pontifices Romanos omnes esse Sanctos & electos. Tum quòd Petrus non solius Ecclesiæ Romanæ Episcopus, imò

pus, imò ne Episcopus quidem fuit vllius Ecclesiæ, sed Apostolus fuit plurimarum Ecclesiarum constituens eis Episcopos. Quare ad omnes Ecclesias ab eo constituras pertineret ea successio, quam sibi arrogat Romanus vnus inter cæteros sibi pares Episcopos. Denique si Petri successor Romanus similis esset Apostolo Petro, sequeretur Linum, vel cletum (quos à Petro ferunt ordinatos Romanæ Ecclesiæ Episcopos) post mortem Petri fuisse superiores Apostolo Iohanne & Euangelista, qui tunc adhuc viuebat. Quis autem ferret Episcopum esse supra Apostolum? Alioqui si nunc rediret S. Paulus, vel Sanctus Andræas, cogerentur esse sub Romano Pontifice, etiamsi esset sceleratior ipso Iulio 11. Aut Clemente 7. Constat autem Apostolos non fuisse sub Petro, sed æquales ei. Quæ est igitur furia Papistarum, quod Ecclesias Apostolorum velint (etiam in temporalibus bonis) subiectos esse vni tantùm Ecclesiæ Sancti Petri Romanæ, cùm & ipse Petrus multas alias Ecclesias constituerit, quarum æquè dignis causis Apostolus dicitur, præsertim cùm Romana Ecclesia nec habeat, nec sciat, vbi sit corpus S. Petri vsque in hodiernum diem.

Tertiò, (quod est demonstratio à posteriori, scilicet ab affectu) conuincitur mendacium Papistarum impudentissimum ipsa re & experientia. Nam neque Apostoli fuerunt vnquam sub Petro, nec Ecclesiæ totius orbis vnquam sub Papa Romano, Id quod testantur omnes Historiæ. Dicere igitur, quòd Christus promiserit Petro, & successori suo Romano Pontifici subiectionem omnium Ecclesiarum, idem est, ac si dicas Christus est mendax. Quia promissam illam (vt ipsi volunt) subiectionem nunquam impleuit. Quare sequitur quòd non promiserit, vt Papistæ sceleratissimi impudenter mentiuntur, sed etiam Dominum blasphemant, docendo quod promiserit, quæ non præstiterit, seu potius quod promiserit quæ non promisit, euidenter rerum experientia contrarium testante. Nam quota portio orbis terrarum fuit sub Papa? Imò ne Europam quidem vnquam habuit vsque in hodiernum diem, & tempore Augustini nec Aphricam, imò nec ipsam Italiam, India verò & aliæ maiores orbis partes (in quibus necesse est Christianos esse) nec ipsius Romani Pontificis fortasse nomen audierint vnquam. Has autem partes orbis omnes damnare, & propterea abijcere, quod Romani Pontificis Tyrannidem, vel ignorent, vel recusent, hoc est, paulò maius quàm Satanicum.

Contemnamus itaque ista manifesta & Satanica mendacia Papæ & discamus Christum longè de alia re loqui, quàm de temporali potentia, opulentia, superbia & furia pessimorum hominum Romanæ curiæ. Verba sunt clara: Ego ædificabo Ecclesiam meam. Non dicit se ædificaturum esse Regnum mundi, vel imperium temporale huius vitæ, sed Ecclesiam meam, id est, Regnum cœlorum & futuræ vitæ. Deinde super hanc Petrem, non super hominem aut potentiam perituram, qualem Papa querit. Quia hac potentia Ecclesia non iuuatur, sed ab ea patitur persecutionem, nec ea promouetur vita futura, sed impeditur potius.

Deinde Ecclesia adeo non est regnum temporale, vt nec cum carne & sanguine colluctetur, sed cum portis inferorum. Portæ inferorum autem non sunt potestates mundi, sed potestas Satanæ regnum peccati & mortis. Hos habet Ecclesia hostes, cum his pugnat, contra hos triumphat. Non pugnat pro vrbe Romana, Sicilia, Neapoli, Bononia, non cum potestatibus mundanis, Sicut Papæ faciunt. Quia Roma, Neapolis, Bononia, non sunt peccatum, mors, Diabolus, veri scilicet hostes Ecclesiæ, sed sunt lapides & ligna, terra, aqua, aurum, argentum, &cet.

Desidera-

Desiderabilia hominum infidelium & perditorum, Qualia Deus præstare solet suis hostibus & ipsi Diabolo. Longè melius & excellentius his stercoribus tribuit Ecclesiæ bonum, scilicet iusticiam contra peccatum, libertatem contra Tyrannidem Satanæ, vitam contra mortem, &c. Quas res Papa nihil curat. Et interim hunc locum spiritualissimum Matthæi texit in rete, quo capiat Cetè grandia in hoc mari, id est, regna mundi, per Diaboli virtutes, impulsiones & subuersiones.

Obseruandum igitur hic, quod Christus apertis verbis Ecclesiam suam desinit, esse aciem castrorum ordinatam, & viraginem bellatricem contra ipsas portas inferorum, id est, contra tentationes peccati, mortis, inferni. Nobis igitur Christianis longè maior & difficilior incumbit labor, si seriò hunc titulum gerimus, quàm vt regna mundi dolis & mendacijs subiugemus nostro imperio, contra portas inferorum pugnandum est nobis. Illud alterum potest etiam Diabolus efficacius & longè melius quàm nos, quia est Princeps & Deus seculi, non solùm nunc, sed à principio & semper & vsque in finem mundi. Ecclesia ergo pugnat, vincit, triumphat, regnat contra peccatum, mortem & vtriusque autorem & Dominum Diabolum seu portas inferi, sicut hoc loco Christus promittit, & tales milites hortatur & consolatur, vt sint fortes, certi de victoria, donec in Ecclesia, confitente hanc Petram, & super eam ædificati perseuerauerint.

PAPAE SVCCESSORES PETRI CARNALIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 363. Matth. cap. 16. Abi post me Satan scandalum es mihi. Quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Et est Christi de re seria quidem, sed contra dilectum Apostolum, hæc sententia. Ah Petre, tu rectè respondisti, cùm te & omnes interrogarem, quòd sim Christus Filius Dei viui, sed nunc cùm audis me esse crucifigendum, non intelligens consilium Dei mirabile, labaris in carnem & carnis cogitationes, & loqueris extra reuelationem Patris, nihil nisi tua, id est, stulta & carnalia. Quare retro cede, Absit vt ego istam tuam carnalem sapientiam præferam Patris voluntati, potius te & omnes amittèrem, quàm vt te admonitore Patri non obediam. Hîc planè desipis, & non intelligis quid agatur per Filium Dei viui, quem confessus es. Insigniter hic obseruandum est, quod extra Christum nulli personæ fidendum est in causa salutis, etiamsi sit Petrus ipse summus (vt putant) Apostolus. Nam videmus hic clarè & exemplo manifestè, quod ipse Petrus cum toto Apostolorum Choro, dum extra confessionem Petræ, & de suo loquitur, non solùm stulta, sed contraria Petræ loquitur, & apertè Satan appellatur ab ipso Domino.

In quo potentissima veritate & certissima conscientia, certi reddimur, quòd reiecto omni personatu seu larua, etiam ipsius Apostolatus, tantùm hoc audire debeamus, quod Petrus vnà cum Apostolis, confessor ex reuelatione Patris docet, scilicet Christum esse Filium Dei viui. Contrà quicquid Petrus cum vniuerso Collegio Apostolorum loquitur ex suo sensu, & non ex eadem confessione reuelationis, hoc sit habendum Satanicum & aduersarium Christo. Sic & Paulus 1. Cor. 3. Aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positum est quod est Christus Iesus, &cet. Et 1. Cor. Vltimo. Qui non amat Dominum Iesum Christum, sit Anathema, Maranatha, Hoc est, Quid aliud amat (is etiam docet aliud) sit maledictus. Et Gala. 1. Anathema sit qui aliud docuerit, si etiam ego, Petrus vel Angelus è cœlo sit. Et 2. Petr. 1. Nos firmum sermonem Propheticum habemus.

habemus. Et iterum, interpretatio scripturarum, non fit uoluntate humana & propria &c. Deinde ipse Pater de cœlo: Hunc audite. Et Christus ipse. Ego sum lux mundi, Quotquot uenerunt ante me, fures & latrones sunt. Et Iohan. 8. Si Filius uos liberauerit, uerè liberi eritis.

Tales sententæ passim multæ sunt per totum Euangelium & Epistolas Apostolorum, nec tamen potuerunt, nec adhuc possunt mouere, quin Petri & Apostolorum successores uelint esse Satanæ seu Petri carnalis successores. Nam quid est hodie Papatus aliud, quàm illud ipsum regnum, quod Iudæi de Christo sperant, & Apostoli hunc futurum esse sperabant, scilicet, mundanissimum, superbissimum & tyrannissimum? Deinde, quid est doctrina Papæ, nisi propria hominum opinio, imò contra Petram seu confessionem Filij Dei uiui? Quod si (ut dignum, iustum & uerum est) Christum Dominum nostrum pro summo omnium Prophetarum habemus, ut omnia eius dicta & facta non solùm sunt doctrina seu interpretatio scripturæ, sed etiam Prophetia futurorum, cogimur intelligere, quod in Petro & Apostolis suis hoc loco præfigurauerit totius Ecclesiæ suę historiam futuram, scilicet, quod aliqui sint uerè Christi confessores Ecclesia futuri, optimi scilicet Episcopi & Martyres, qui Christum Filium Dei uiui, purè confessi sunt, & docuerunt exemplo Petri ex reuelatione Patris loquentis. Sed quia idem Petrus & Apostoli statim post carnem sapiunt, imò Satanæ fiunt (ut ipse dicit) Significatur etiam hac historia, quod post successores Apostolorum & Episcopos optimos, uenturi essent Episcopi Satanici. Et tandem ille, qui Petri solius solus & unicus uellet esse successor, qui Satanam pro reuelatione Patris, sequeretur, & non regnum Dei, sed mundi quæreret. Et hanc Prophetiam uidemus palpabiliter & horribiliter impletum.

Quare uerba ista: Abi post me Satana, scandalum es mihi. Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum, debemus constanter fateri contra successorem Petri carnalis, seu Papatum dicta esse. Papatus enim, Satanas, id est Antichristus seu aduersarius Christi est, & scandalum Christianæ Ecclesiæ, plenum sectarum, perditionis, contra confessionem illam unicam & ueram de Filio Dei uiui. Quid enim sapit, quid docet Papatus, dum optimè docet, nisi tyrannidem super Ecclesiam Dei, & super Maiestates mundi, ex capite suo proprio & uoluntate? Hoc est, Nihil sapit nisi humana. Non docet fidem & crucem Christi & mortificationem, sed regnum, licentiam, dominationem, tyrannidem super omnia diuina & humana, & omnia Christo contraria.

Nam ea, quæ Christus abnegauit & defugit, scilicet regnum potentiam & gloriam in hoc mundo, ipse furenter & insanissimè quærit, & requirit tanquam sibi debita, & quidem sub prætextu Christi, qui non solùm non quæsiuit talia, uerùm etiam crucifixus & occisus est per rectores mundi. Sed nunc non est locus nec ocium huius abominationis tranctandæ. Tu ipse lector uerba & facta Christi considera & confer cum Papæ uerbis & factis, tum uidebis fulgente Christi idea, apertam & perfectam faciem Antichristi, sub prætextu nominis Christi superbientem & furentem.

PACTVM CVM PONTIFICE DE PACE PRO PECVNIA AN SIT LICITVM.

Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 24. Hodie Papa habet nomen Ecclesiæ. Nos non habemus, scimus autem nos uerè Ecclesiam esse, quia habemus uerbum, sacramenta, & claues, quas Christus post se reliquit, non ut seruiant nostræ & cupiditatibus huius uitæ, sed ut præparent nos ad aduentum Filij Dei. Ideo sumus uerè Ecclesia.

Papa econtrà nomen & titulum hunc sibi arrogat: Quia est in possessione, & iactat se successorem esse Petri & Pauli. Iam si sic cum Papa pacisci uelim, dabo tibi tot millia aureorum quotannis, ut sinas liberè & sincerè prædicare Euangelium. Esset ne illa Simonia? Non. Quia ego non emo quod antea habeo, scilicet legitimum usum sacramentorum, sinceram doctrinam Euangelij, fidei, spei, expectationes uitæ futuræ, quæ omnia concessa mihi sunt etiam inuito Papa & absq; eius autoritate. Tantùm uerò quæro offerendo mille aureos, ut redimam illam uexationem. Itaq; non emo, sed tantùm obijcio aduersario offam, & rufam lentem, ut possim priuare Papam uocabulo Ecclesiæ, nihil curo bullas & indulgentias illas. Idq; uellem suadere nostræ partis Principibus, ut numerarent illi quotannis aliquot millia coronatorũ, ob eam causam, ut cessaret effusio sanguinis & alia scandala: Ac posset in pace spargi Euangelium. Hæc non est Simonia, sed redemptio uexationis.

Ideo cum dicit Iacob ad Esau: Vende mihi primogenita, non est res uera: Quia primogenitura iam ante penes Iacob est: Et Esau ea est spoliatus. Apud Iacob est possessio, sed sine nomine. Apud Esau est nomen sine possessione. Iam quia uidet Iacob Esau nihil aliud intelligere, aut quærere in benedictione quàm uentrem: Sicut Papa sub prætextu Ecclesiæ, tantùm suam gloriam & potentiam quærit: Ideo obijcit Cerbero offam, ne posthac sibi molestus sit.

Ad eundem modum optarim sanè nostros Principes numerare Cæsari quotannis uiginti millia aureorum, ut in pace & tranquillè Euangelium doceri posset, sed sic pecuniam pro rebus sacris dabitis? Inquiet aliquis: Minimè. Quod enim iam habemus, non emimus, & ipsi non possunt auferre. Sed ideo daremus istam pecuniam, ut missos nos facerent & pacem concederent Papa & Cæsar.

Cæterùm illa bona spiritualia non sunt uestra ô Papa & Cardinales, sed nostra sunt. Etiamsi Papa nunquam daret utramq; speciem, habemus tamen diuinitus. Nec possunt uendere, aut si uelint, mulgebunt hircum, & supponent cribrum. Nos habemus utramq; speciem, repugnante Papa, concedente Deo. Sed si non desinunt nobis molesti esse, persecutionibus, cædibus, rapinis, pacisc emur cum eis, ut uorent rufum pulmentum. Sed non debent eam gloriam obtinere, quod nobis dederint, aut donarint, hoc enim esset consentire in eorum autoritatem. Et est hæc diuina & sacra res, quam pro pecunia non possum emere, ideo nec dari, nec donari à Papa eas uolumus.

Sic Esau ut suprà Ismael, haud dubiè fratri Iacob multùm molestus fuit, & superbè ei imperauit, quod esset ipse Dominus & primogenitus: Iacob autem seruus & stultus habitus est. Ab ista persecutione, & molestia fraterna uoluit se liberare Iacob, ut securè obtinere posset benedictionem spiritualem. Sic hodie multi Christiani cedunt urbibus propter confessionem Euangelij, ne cogantur ferre tyrannidem Papistarum. Et Paulus inquit Roman. 12. Si fieri potest, quod in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habete. Si nolunt aduersarij quiescere, da illis rufum pulmentum, ut dent tibi pacem, hoc est, sinant te frui illis bonis in pace, quæ ante habes.

PAPATVS ABOMINANDVS ET DETESTANDVS.

Genes. cap. 48. Tom. 4. fol. 191. Magnificè nos efferamus & urgeamus contra Papam gloriam nostram, ad destruendum horribile illud regnum, cuius monstra non mihi, si centum linguæ sint, oraq; centum, dicendo possem consequi. Neq;

Necp quicquam tam acerbum & uehemens in ipsum dici potest, quod non impietas & abominatio illa stans in loco sancto superarit. Ego enim laqueis illis pontificijs miserabiliter irretitus hæsi, ac seriò omnia egi ac sustinui, quæ hodie maxima pars in regno Pontificio nec curat, nec seruat amplius. Ideo irascatur, execretur & maledicat Papæ qui potest. Plus enim nocuit regno Christi & Ecclesiæ, quàm Mahomet. Turca corpus occidit & bona Christianorum diripit & uastat, sed Papa longè crudelius urget suum Alcoranum, ut abnegetur Christus. Vtercp quidem est hostis Ecclesiæ, & mancipium Satanæ, quia utercp abijcit Euangelium, sed Papa uult adorari suos Canones, & decretales, ut opprimatur & deleatur lux Euangelij. Pereat igitur in æternum, maledicant omnes Angeli & sancti huic portento. Nam mihi quidem pereundum fuisset in spelunca illa latronum, nisi diuinitus liberatus essem. Nihil enim noram de promissionibus & sacramentorum usu, sicut suprà Monachi uocem recitaui, qui mirabatur tot Doctores in Papatu nihil unquam docuisse de promissione Dei. Quin etiam ad uocabulum illud & nomen Saluatoris nostri Iesu Christi totus cohorrescebam, propterea quod sentiebam eum mihi iudicem propositum esse, non saluatorem. Magis mirabar & suspiciebam sacerdotem in longa ueste, aut sacrificantem pro uiuis & mortuis, quàm doctrinam de Christo, cum promissionibus & sacramentis, quàm nihil quicquam ad me attinere putabam.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS IN ECCLESIA.

QVID SINT.

Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 2. Cæremoniæ externæ tantùm exercitia sunt rudium, quibus ad officia pietatis longè sublimiora assuefiunt. Sicut infantes primùm lacte & cibo tenuiore aluntur. Sed nos, qui gubernamus & docemus alios, discamus uerum cultum Dei esse, non offerre pecudem &c. Sed tenere eius promissionem & credere, quod sit uera & infallibilis. Hanc fiduciam sequitur spes, quæ commonefacit me ut expectem & habeam Deum benignum &c.

SVMMARIA DOCTRINA DE CAEREMONIIS QVAE CAEREMONIAE INSTITUENDAE, TOLERANDAE, QUAE AUTEM ABOLENDAE SINT, &c.

Tom. 4. Ienens. fol. 793. Ioelis cap. 2. Vtile est uidere quales populus Dei habuerit Cæremonias, ac facilè inde potest iudicari, quæ Cæremoniæ tolerandæ, aut instituendæ, quæ autem abolendæ sint. De uera Pœnitentia diximus, incoari eam ab agnitione peccati, quod sua natura cùm uerè nos arripit, aliud nihil potest, quàm terrere, anxios reddere, ac in desperationem adigere. Absolui autem fide Christum, in quod Deus se nobis benignum, ac placatum ostendit, siquidem per eum expiari omnium peccata uoluit. Hæc singulis præstare satis est, nec Deus quicquam aliud à nobis requirit. Nam pauores illi odium peccati instillant & afferunt studium emendationis, quanquam facultatem non præstant. Ea enim

per Spiritum Sanctum confertur. Et fide in Christum iustificamur, hoc est, peccata nobis non imputantur. Deus igitur hoc modo sibi satisfieri sinit, & tamen Propheta post hanc doctrinam etiam de Cæremonijs præcipit. Cur hoc?

CAEREMONIARVM QVIS DEBET ESSE FINIS IN ECCLESIA.

Respondeo. Ecclesia electorum admodum est exigua, habet autem maximam malorum turbam admixtam. Pauciſsimi igitur cum sint, qui uerè præniteant, maior autem pars perpetuò sui manet similis, necesse est ut sicut alij, qui ueræ Ecclesiæ membra non sunt, scandalis nocent: Ita qui sunt uerè Ecclesiæ membra, exemplo suo alios ad pœnitentiam inuitent. Hoc igitur fine institutæ Cæremoniæ, piæ & salutares sunt. Faciunt enim ad salutem proximi & gloriam Dei. Sed res exemplo fiet clarior. Soliti sunt Iudæi in periculis, sicut ex hoc loco liquet, Ieiunium sanctificare, hoc est, publicè mandare ieiunium, ac id sanctificare, id est, tempore eius ieiunij petere, uel synagogas uel templum, & ibi audire uerbum Dei, quo admonebantur de emendatione uitæ & de diligenti oratione. Hoc cùm studiosè fieret à pijs, rudiores exemplo eorum moniti, intelligebant magnam rem agi, & inuitabantur ipsi quoq; ad cætum sanctum, & orationem. Nam inusitata illa spectacula incurrunt non solùm in oculos, sed etiam animos commouent. Ideo iubet Propheta non simpliciter præcipi ieiunium, sed uult clangi tuba de Zion, ut scilicet insolito conuocationis signo plurimi concurrerent ad templum, audierent uerbum Dei, ac preces suas in communi periculo cum alijs coniungerent, ubi si absq; hac Cæremoniali, & celebri conuocatione esset, plurimi templum negligerent, neq; ad audiendum uerbum & faciendas preces conuenirent. Sunt autem utraq;, hoc est, & concliones & orationes publicæ, organa per quæ Spiritus Sanctus hominum animos mouere solet.

CAEREMONIAE PONTIFICIAE CVR ABOLITAE.

Cur igitur inquies, Papæ Cæremonias abiecistis? Nam insignes pompæ, musica organa & festiui cantus, ac quicquid eiusmodi fuit, hoc totum institutum fuit ad uulgus inuitandum in templa. Cur igitur reprehenditis tales Cæremonias? Imò cur aboletis? Respondeo. Fines diuersi sunt Cæremoniarum in Papatu, & quas Propheta hic commemorat. In Papatu enim ministerium docendi prorsus concidit. Ita enim Idolatria inualuit, ut ministerium uerbi inter cultus diuinos non amplius numeraretur. Id quod inde liquet, quod inter mille templa uix erant centum in quibus doceretur populus & extructa essent suggesta. Celebrare & audire Missas, procumbere ad statuas Sanctorum, eas ornare, & adorandas proponere, habebatur summus cultus Dei. Ad hunc, populus inuitabatur Cæremonijs, igitur Cæremoniæ istæ prorsus eodem loco fuerunt habendæ, quo ipsi cultus. Non solùm enim inutiles, sed etiam impiæ erant, & seruiebant impietati, nec ædificabant rudiores, sed altius demergebant in superstitiones. Quæ autem hoc in loco Propheta iubet, ea omnia faciunt ad gloriam Dei, hoc est, ad noticiam Dei, ut homines per uerbum discant uoluntatem Dei, & ad salutem & ad ædificationem proximi. Igitur hæc tuba, qua conuocabatur populus Iudæorum ad templum & uerbum Dei, fuit tuba, hoc est, sancta & benedicta tuba. Contrà campana, qua Pontifex ad suas Cæremonias, quæ sine uerbo, sine doctrina sunt, conuocat, est Satanæ organum & perditionis signum.

Quia

Quia non seruit uerbo, non facit ad noticiam Dei, non emendat homines, sicut uerbum solet, sed demergit altius in impietatem & superstitionem, ac seruit idolatriæ. Regula enim hæc de Cæremonijs ubicũq; sequenda est, ut imperiti, rudes, negligentes, per eas excitentur ad discendam uoluntatẽ Dei in uerbo, & faciendas preces, seu ad inuocationem nominis Dei. Hoc quibuscunq; rationibus fit, rectè fit. Contrà, si hoc negligas, frustra sunt omnia, etiam ea quæ in speciem pulcherrima & sanctissima uidentur. Est autem hoc quoq; notandum, in Papatu multas Cæremonias impias, & contra uerbum institutas fuisse, sicut illa cũ circumferunt in pompa panem, cũm longinqua templa petunt &c. Iudæi autem ieiunij rationem diuinitus præscriptam habebant.

Ostendit autem Propheta hanc Regulam in eo, quòd non simpliciter de ieiunio dicit, sed de sanctificando ieiunio, hoc est, quod præcipit tale ieiunium, quod seruiat sanctis rebus. Sobrij enim ad orationem & ad audiendum uerbum Dei aptiores sumus. Habet plurima ieiunia Papatus quoq;, sed longè alio fine instituta, quàm ut ad audiendum uerbum paratiores simus, Imò finem nullum prorsus habent, sed ipsa abstinentia à cibo per se pro cultu habetur. Tale ieiunium ignorauit populus Dei, qui semper adiunxit preces, & precum causa uoluit Ecclesiam conuenire ieiunam, sicut paulò post Propheta subiungit. Et ostendunt idem alia exempla scripturæ. Hester in tanto periculo sui populi, cũm quærit consilia, quibus tyrannis inaudita impediatur, iubet indici ieiunium. Niniuitæ quoq; ieiunant deprecaturi euersionem suæ Ciuitatis, non quòd Dei cultum existimarent abstinere à cibo. Sed quod hoc uerè perturbatarum mentium esset argumentum, & Deus uult seriam, sobriam & ieiunam orationem.

QVALES CAEREMONIAS INSTITVERE LICEAT.

Tales Cæremonias seruientes uerbo, hoc est, agnitioni Dei & saluti hominum, permissum adhuc hodie est, singuli pastores in suis Ecclesijs ut instituant. Hæc enim cura eis mandata est, ut quàm plurimi inuitentur ad uerbum, & assuefiant ad pietatem, ad eandem cũm uiam sternant Cæremoniæ, non peccant, qui diligenter sui populi mores considerant & instituunt, quæ pro cuiusq; loci commoditate, ad inuitandum uulgus, ut sanctæ congregationi, in qua & uerbum docetur, & instituuntur orationes, interſint, idonea sunt. Deploranda autem meritò hic est ueræ disciplinæ ruina. Quia enim necessitate coacti sumus impias Papæ Cæremonias abijcere, multi in ea opinione sunt, Cæremonijs nullum in Ecclesia relinquendum locum. Itaq; si quis pio animo, cũm aut in magnis aridoribus pluuia, aut in continuis imbribus serenitate, ac solis calore opus est (utar enim hoc exemplo noto) conuentum extraordinarium instituret, aut præciperet ieiunium certorum dierum, aut hortaretur ad emendationem uitæ & seriam orationem, quid hic contumeliarum non audiret, ut nunc mores sunt? Clamarent statim omnes reuocari Papatum, & periclitari libertatem Christianam. Sed tu hunc mihi populum considera, Audi Prophetam, cui non satis est proposuisse purè doctrinam ueræ pœnitentiæ, uult institui celebrem conuentum, uult certa tempora insigniri ieiunio. Cur? Vt hi sint cultus? Minimè. Sed ut his ceu insignibus notis rudes, sacrarum rerum negligentes, addo etiam impij, inuitentur ad audiendum uerbum, & exercendam inuocationem. Hæc enim sunt organa, per quæ Spiritus Sanctus mouere animos solet. Non igitur negligenda sunt. Per-

tinebat autem ad pij Magistratus curam, adiuuare hac in parte ministros Ecclesiarum, sicut extant exempla, quod hæc olim Regum cura fuit. Saul impius Rex minatur mortem gustanti aliquid eo die, cùm à Philistinis esset periculum, ac ne filio quidem parciturus fuerat, nisi à populo esset impeditus. Hæc severitas & disciplinæ custodia in Magistratu necessaria est, propterea quod sine his uinculis indocile & prophanum uulgus retineri in officio, ac coerceri nullo modo potest.

Sicut autem hæc publicè Propheta iubet fieri, ita meminerimus singuli domi nostræ hanc Christianæ disciplinæ rationem diligenter retinendam & conseruandam esse. Multa incommoda pijs patribus familias quodie obijciuntur. Ad horum sensum minimè omnium docet non moueri. Principiò igitur statuas, has esse peccatorum pœnas, & cogites de diligenti & seria emendatione, non pergas securus facere, quæ hactenus solitus es. Deinde petas per orationem ueniam delictorum, & firma fide in promissionem Dei te erigas. Quia autem hæc non sunt nostri operis, aut uirium nostrarum, rogandus Deus est, ut per Spiritum suum corda excitet, ne fuco aut hypocrisi nos ipsos decipiamus. Accedat postea disciplina, de qua Propheta hic concionatur: Hortetur paterfamilias liberos & familiam ad sanctam uitam, Ipse certas orationes instituat, quas subsequantur familia & liberi, cùm aut accedunt ad mensam, aut lectum adeunt, in quibus confiteantur peccata, & quærantur de suo ac publico periculo, ac liberationem petant. Hæc utiliter & piè instituuntur priuatim, nec alia melior uita ostendi potest, qua euadamus pericula, in quæ nos nostra coniecit uel negligentia, uel improbitas.

DE FINE ET VSV CAEREMONIARVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 145. Galat. cap. 4. Quia hæc uita corporalis non potest in totum carere Cæremonijs aut ritibus, oportet enim quandam esse pædagogiam, permittit Euangelium ordinationes fieri in Ecclesia de ferijs, de temporibus, de locis, &c. Vt populus sciat quo die, qua hora, ad quem locum conuenire debeat ad audiendum uerbum Dei, &c. Permittit ut constituantur lectiones uelut in schola, præcipuè propter pueros, & simplices, ut hi commodius doceri possint. Sed hoc fine permittit talia constitui, ut omnia in Ecclesia fiant decenter, & secundum ordinem. 1. Corinth. 14. Non ut seruantes tales ordinationes mereantur remissionem peccatorum, &c.

Deinde etiam sine peccato omitti possunt, modò præter offensionem infirmorum id fiat. Ideo error est dicere, quod Cæremoniæ Mosaicæ post Christum reuelatæ mortiferæ sunt, alioqui peccassent Christiani, quod obseruarunt ferias paschalis & pentecostes, quas uetus Ecclesia exemplo legis Mosaicæ (quanquam longè alio modo & fine) instituit celebrari.

PERTINENT AD HANC TANTVM VITAM.

Tom. 3. Ienens. fol. 454. Iesai. cap. 65. Cæremoniæ & quicquid rerum externarum est, non sunt Christianismus, sed pertinent tantùm ad hanc uitam, in qua iam sumus propter illam carnem nostram. Regnum enim Christi non solùm extra hos cœlos, sed extra omnes sensus est.

TRA-

TRADITIONES A PATRIBVS DISCIPLINAE CAVSA INSTITVTAE *postea in abusum uersæ.*

Tom. 4. Ienens. fol. 350. Matth. cap. 15. Et possibile, imò certum est à Patribus ipsorum (Iudæorum scilicet) lotionem manuum honesta causa, scilicet disciplinæ gratiarum fuisse institutam pro rudi populo, sed ipsi postea uerterunt in religionem & cultum Dei, Nec hoc solùm, sed addiderunt etiam traditiones suas contra Dei præcepta. Sic Patres in Ecclesia multa dixerunt & fecerunt honesta causa, quæ postea posteri in religionem necessariam uerterunt, & addiderunt etiam multa de Missa, uotis, purgatorio &c. Contra fidem & obedientiam Dei, &c. Quibus omnibus effecerunt, ut hic Christus dicit, ut homines amplius non honorent parentes seu ut Paulus ait, Tit. 1. Doctrinæ hominum auertentes à ueritate.

DE EFFECTIBVS CAEREMONIARVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 319. Iesai. cap. 10. Omnis uita & lex, atq; opera omnia, quæ non sunt aut fiunt in Spiritu Dei, fatigant conscientias, & adfligunt corpora sine omni fructu. Rectè igitur humanæ traditiones appellantur leges laborum & molestiarum. Primò enim hauriunt conscientias. Secundò adfligunt corpus, neq; enim sine magna molestia conseruantur. Tertiò etiam rem & opes consumunt. Plus igitur laborant hypocritæ in humanis traditionibus, quàm pij in uero cultu Dei.

Mendaces faciunt & homicidas. Tom. 4. Ienens. fol. 351. Matth. cap. 15. Traditiones humanæ faciunt homicidas. Quia postquam docuerunt operibus confidere (ut est eorum natura) & sic idolatrare contra primam tabulam, mox docent etiam esse occidendos omnes, qui similem idolatriam nolunt sequi. Et habent titulum, quod propter Deum illos occidant, tanquam blasphemos in cultum Dei, sicut Christus dicit, arbitrantur se obsequium præstare Deo, si uos occiderint. Adeo ista duo Diaboli peccata scilicet mendacij, contra primam tabulam, & homicidij contra secundam, non possunt separari, sed sunt conclusiones certissimæ, quas Christus Iohan. 8. ponit: Ipse est homicida & mendax.

Ita omnis traditionis seruus est idolatra seu mendax. Et omnis idolatra est homicida. Quia etiamsi manu non occidat, tamen corde odit omnes pios, qui contra suam religionem pugnant, & consentit & gratulatur illos occidi. Sicut ego ipse fecissem Monachus cunctis pijs, si meam stultam religionem seu traditionem impugnassent, tanquam frustraneam seu idolatriam. Quia ut eram pessimus idolatra: Sta fuissem crudelissimus homicida facto, si fuisset occasio. Denn es kan nicht anders sein/ wer in der meinung ist/ das sein wesen sey Gottes dienst/ der mus auch feind sein allen die solchen Gottesdienst verdamnen. Et tantò magis, quo maiore zelo suum cultum amat. Sicut S. Paulus insaniens in suo Pharisaismo, cogebatur furere & homicida fieri crudelissimus. Sic mendacium (id est idolatria) trahit necessariò homicidium. Dicit etiam S. Gregorius in Homilia (licet tenuiter) uera iusticia compasionem, falsa indignationem habet. Q. D. Falsi sancti sunt omnium maximi homicidæ, ueri sancti sunt suaues & mitissimi.

Sunt fabulæ doctæ ad decipiendum. Tom. 4. Ienenſ. fol. 369. Matth. capit. 17. Totus mundus plenus eſt doctrinis hominum de religione & cultibus diuinis, ſed meræ fabulæ ſunt, doctæ tamen (ſeu ut Pauli uerbo utar) ſpeciem ſapientiæ habentes, ad ſeducendum homines præpotentes, &c.

Non proſunt ad ſalutem & tamen perdunt ueram pietatem. Tom. 4. Ienenſ. fol 348. Matthæi. cap. 15. Iſta duo prædicata humanæ traditionis ſunt benè urgenda, ſcilicet quòd primò ſunt nihili & ridicula, quæ non proſunt ad ſalutem. Secundò quod perdunt tamen ueram pietatem. Notanda (inquam adhuc ſemel) ſunt iſta duo mala. Totum genus humanum capitur iſto monſtro ridiculo & ſimia turpiſsima. Quia habet duo ſpecioſiſsima argumenta, primùm quod eſt ſimile ueris Dei præceptis. Vt quia in lege Moſi multa docentur de lotionibus corporum, ueſtium & uaſorum, quibus illi addiderunt multas & eas infinitas lotiones, tanquam neceſſarias & æquales legi Moſaicæ. Secundum quod procedit ex autoritate Eccleſiæ, ut hic dicit, Traditiones ſeniorum. Seniores autem fuerunt eo tempore quod nunc uocant Eccleſiam, Concilium, Patres &c. Sic & hodie iactant Eccleſiam Catholicam de cibo & potu &c.

Obſeruatione traditionum humanarum non pacificantur conſcientiæ. Tom. 4. Ienenſ. fol. 132. Galat. cap. 5. Vidi multos qui ſummo ſtudio & optima conſcientia nihil non faciebant pro pacificanda conſcientia, geſtabant cilicia, ieiunabant, orabant, affligebant & defatigabant uarijs exercitijs corpora, quibus ſi etiam ferrea fuiſſent, tamen ad extremum deſtruxiſſent ea. Et tamen quò plus laborabant, hoc pauidiores reddebantur. Et præſertim imminente hora mortis, adeo erant trepidantes, ut plures uiderim homicidas, pœna capitis damnatos, confidentius mori quàm ipſos, qui tamen ſanctiſsimè uixerant.

Itaq; ueriſsimum eſt, quod facientes legem non faciunt. Quò plus enim conantur homines ſatisfacere legi, hoc magis tranſgrediuntur eam. Idem ſentiendum eſt de traditionibus humanis, Quò magis conatur homo per eas pacatam reddere conſcientiam, hoc plus reddit inquietam. Ego Monachus ſtudebam ſumma diligentia uiuere iuxta præſcriptum Regulæ, ſolebam, ſemper tamen ante contritus, confiteri & recenſere omnia peccata mea, & ſæpe iterabam confeſsionem, ac pœnitentiam mihi iniunctam ſedulò præſtabam. Et tamen conſcientia mea nunquam poterat certa reddi, ſed ſemper dubitabat & dicebat, Hoc non feciſti rectè, non fuiſti ſatis contritus, hoc inter confidendum omiſiſti &c. Quô igitur longius conabar humanis traditionibus mederi incertæ, imbecilli, & afflictæ conſcientiæ, hoc magis reddebam eam incertiorem, imbecilliorem & perturbatiorem. Atq; hoc modo obſeruando traditiones humanas, plus tranſgrediebar eas, & ſectando ordinis iuſticiam, nunquam poteram apprehendere eam. Quia impoſsibile eſt conſcientiam reddi paccatam, inquit Paulus, operibus legis, multòminus traditionibus humanis, ſine promiſsione & Euãgelio de Chriſto.

Quare cupientes iuſtificari & uiuificari lege, recedunt à iuſticia & uita longius, quàm publicani, peccatores & meretrices. Illi enim non poſſunt niti fiducia operum ſuorum, cùm talia ſint, propter quæ non poſſunt confidere ſe conſecuturos gratiam & remiſsionem peccatorum. Nam ſi iuſticia & opera ſecundum legem facta non iuſtificant, multò minus peccata contra legem commiſſa iuſtificant. Sunt igitur fœliciores hac in parte iuſticiarijs, quia deeſt eis proprio-rum operum fiducia, quæ ſi non penitus tollit fidem in Chriſtum, tamen maximè eam impedit. Econtrà iuſticiarij abſtinentes externè à peccatis, &in

& in ſpeciem inculpatè & religioſè uiuentes, non poſſunt carere opinione fiduciæ & iuſticiæ cum qua ſtare non poteſt fides in Chriſtum. Ideoq; infœliciores ſunt publicanis & meretricibus, qui Deo irato non offerunt ſua bona opera, ut reddat ipſis uitam æternam (ut operarij) cum nulla habeant, ſed ignoſci pro eis ſibi ſua peccata propter Chriſtum petunt, &c.

Qui igitur facit legem hac opinione quod per eam uult iuſtificari, is debitor eſt totius legis faciendæ, hoc eſt, ne quidem unam literam legis fecit. Neq; etiam data eſt lex hoc fine ut iuſtificet, ſed ut oſtendat peccatum, terreat, accuſet & condemnet. Ideo quo magis aliquis ſtudet lege & operibus conſulere conſcientiæ, hoc magis reddit eam in certam & confuſam.

Rogentur omnes Monachi, qui ſeriò laborant acquirere pacem conſcientiæ ſuis traditionibus, an certò ſtatuere poſſint, ſuum uitæ genus Deo placere, ac propter illud ſe in gratia eſſe coram Deo? Si fateri uolunt ueritatem reſpondebunt: Ego quidem inculpatè uiuo & ſumma diligentia obſeruo ordinem meum, ſed certò affirmare non poſſum, an iſta mea obedientia Deo placeat, nec ne. In uitis Patrum legitur de Arſenio, is quanquam longo tempore uixerat in ſumma ſanctitate & abſtinentia, tamen cùm ſentiret iam non longè abeſſe mortem, cœpit uehementer timere & mœrore affici. Interrogatus cur timeret mortem, cùm totam ſuam uitam ſanctè tranſegiſſet & Deo indeſinenter ſeruijſſet? Reſpondit, ſe quidem ſecundum iudicium hominum uixiſſe inculpatè, ſed alia eſſe Dei iudicia quàm hominum. Ille ſanctitate & aſperitate uitæ ſuæ, nihil aliud conſecutus eſt, quàm pauorem & horrorem mortis. Si ſeruatus eſt, oportuit eum amiſſa omni iuſticia ſua, ſola miſericordia Dei niti & dicere, Credo in Ieſum Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum paſſum, crucifixum, mortuum pro peccatis meis, &c.

Præſumtio ſequitur traditiones. Geneſeos cap. 18. Tomo ſecundo fol. 113. Hæc peſtis traditiones humanas ſequitur, quod animi ſecuri fiunt & præſumunt de ſanctitate.

Cæremoniæ ſine fide & charitate noxiæ. Tom. 2. Ienenſ. fol. 156. Pſalm. 14. Quare Cæremonijs in fide, & charitate utendum eſt, ut ſint utiles, ſine quibus non poſſunt non eſſe noxiæ & perditionis occaſiones. Si enim omnia alia opera bona, ſunt pernicioſa extra fidem, quantò magis opera Cæremoniarum humanitus ſtatuta? Tunc autem fiunt in fide & charitate, quando non neceſsitate ſui, nec quia bonæ, nec quia præceptæ ſunt, fiunt, ſed libertate ſpiritus, hoc eſt, ſi quis confidit ſe etiam in his Deo placere, quæ ex ſeipſis in differentia ſunt, faciens hac fide ſua ſibi lucrum, ex re quæ nec lucrum nec damnum eſt, & ex non bona, bonam.

TRADITIONIBVS PAPA TRIBVIT VIM IVSTIFICANDI.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 48. Galat. cap. 2. Papiſtæ excæcati & indurati defendunt contra conſcientiam ſuas abominationes, & perſeuerant in iſta ſua blaſphemia, iactantes etiamnum ſacrilegas iſtas uoces, Qui hoc uel illud opus fecerit, meretur remiſsionem peccatorum. Qui hunc uel alium ordinem ſanctum ſuſceperit, & regulam ſuam ſeruauerit huic certò promittimus uitam æternam, Dici non poteſt, quàm horribilis ſit blaſpemia, hoc tribuere doctrinis Dæmoniorum, ſtatutis &c. Regulis hominum, impijs traditionibus Papæ & operibus Monachorum, quod Paulus Chriſti Apoſtolis detrahit legi diuinæ & eius operibus. Nam ſi nulla

si nulla Caro ex operibus legis diuinæ iustificatur, multō magis non iustificabitur ex Regula Benedicti, Franciſci, &c. in quibus ne ſyllaba eſt de fide in Chriſtum, ſed tantūm hoc urgetur, Qui ſeruauerit iſta habet uitam æternam.

DE CAEREMONIIS ET CVLTIBVS TANTVN EX VERBO DEI STATVENDVM.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 434. Pſalm. 3. Graduum. Hoc eſt donum ſuper omnia dona relinquere certum locum, perſonam, ſignum, ſonum certum diuinitatis præſentis, ne in noſtro arbitrio ſit, quærere locum, perſonam, ſignum, &c. Hoc enim cum fit, ut nos ſtatuamus, Deum rectè hoc loco & cultu inueniri ac coli, actum eſt, ſed cum ipſe uenit & dicit: Hæc eſt requies mea, hic habitabo, hic loquar, hic erit uerbum meum & Spiritus meus, Tum omnia ſalua ſunt, tum in ſpeciem leuiſſima quoq; opera, ſunt præſtantiora omnibus theſauris mundi, tum circumciſio pudendi membri, eſt gratiſsimus cultus leuare de terra ſtipulam, ſi Deus uerbo iubeat, maius & excellentius opus, Deo quoq; gratior cultus eſt, quàm omnia omnium Monachorum & totius Papatus opera, ſine uerbo Dei ſuſcepta.

Hanc ſapientiam Gentes non habuerunt, Ideo facilè eis fuit contemnere Ieruſalem, & cum uiderent certis temporibus anni ad eam concurrere Iudæos, dicere, cur illo potius quām ad alias ciuitates currerent. Sicut Naaman Syrus, putabat initiò Damaſci aquas nihilo deteriores eſſe Iordane, ſed de ijs non habebat uocem Domini, ut in eis lauaret contra lepram. Sic baptiſmi aquam prophani homines iudicant nihil differre ab alia aqua. Sic quidem noſtro tempore ab eloquentia & doctrina præſtantes omnes Cæremonias ridebant, non ex ſacris literis, ſed Lacianico more, & ex ſtultitia cordis ſui, interrogati cur id faceret, nihil afferebant melius, quàm quod Cato dicit: Si Deus eſt animus, ergo eſt pura mente colendus. Inde aſſuebant non ſolūm indoctum, ſed etiam impiū hoc conſequens, Ergo Deus non colitur externis rebus. Hoc ſanè non eſt euertere traditiones, quod tamē conabantur ſapientes iſti, ſed prębere occaſionem infinitis ſuperſtitionibus, erroribus & impietatibus, ut tandem non ſolūm traditiones iſtæ Pontificiæ, ſed etiam Chriſti uerbo inſtitutæ ordinationes rideantur, aut ſaltem non tanti fiant, quanti debebant ā nobis fieri. Sicut haud ſcio an non & Anabaptiſtis & Sacramentarijs huiuſmodi imprudenter dicta occaſionem dederint, contemnendi Baptiſmi & multorum aliorum errorum excogitandorum.

Verūm eſt quidem Catonis dictum, cæteris paribus. Sed dic tu mihi, ubi eſt ea pura mens de qua dicit? aut quid ea eſt? Hic alius moderationem affectuum, alius imaginationes de Deo, ſeu ſpeculationes, alij alia reſpondent. Ergo nihil hoc eſt dicere, externis Deus non uult coli. Sed qui impias ac ſtultas traditiones, ſeu Cæremonias uolunt euertere, oportet ut ueniant pulchrē inſtructi uerbo Dei, & ut uerbi inprimis rationem habeant. Qui uerbum non conſiderat, neceſſe eſt, ut præferat Romam tanquam potentiorem Vrbem Ieroſolymis, Neceſſe eſt ut ſtatuat Græcos ſapientiores eſſe Barbaris Iudæis, ſic enim eos cenſebant gentes. Sed quid quod Roma quantumuis potens caret uerbo & promiſsionibus Dei? Quid quod Græci cum alijs Gentibus, quæ ſapientiæ laudem habent, etiam carent uerbo & promiſsionibus Dei? Ergo pura mens quam cogitant, & de qua diſputant illi, ergo religio & omnia quæ habent, ſunt prophana, quia ſunt ſine uerbo Dei.

Sic Papatus non poteſt euerti in aqua benedicta & ſale benedicto, ſicut ſapientes illi putabant, qui nihil aliud poterant afferre, quàm ſalē eſſe ſalem, aquam eſſe

esse aqttam, Ergo nihil posse facere ad benedictionem animi. Item rasuram in Monacho esse rasuram capitis, ergo ad pietatem nihil posse facere. Hoc est ridere Monachatum, & benedictionem illam Papatus, sed non tollere. Sic autem tolluntur ista, cũm quæro ubi sit promissio Dei, rasuræ, sali illi, & aquæ addita? Vbi sit quod Dauid dicit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi? Oportet enim ut habeas dicentem de cœlo, hoc est, iubentem & promittentem Deum, hunc si non habes, frustra est quidquid tu instituis. In oculis tuis habet speciem sic radi, habet speciem sali & aquæ benedici, sed tu non es, de quo scriptura dicit: Ipse dixit & facta sunt mandauit & creata sunt. Sic Iudæorum sacerdos habebat uestitum suum, Gentium sacerdotes forte uestierunt aut splendidius aut simplicius. Hic non refert, quid ratio iudicet, sed hoc considerandum est, quod Iudæi diuino mandato uestiunt sacerdotem suum, Gentes non uerbum Dei, sed suam rationem sequuntur. Sic Papatus ferẽ nihil est, quàm nugæ illæ ungendorum sacerdotum (sicut ipsi uocant, cúm in nouo Testamento id nomen nemini nisi uni Christo tribuatur) uestium, templorum, uasorum, Vngebantur autem in lege quoq; Sacerdotes, uestes, templum, uasa templi, sed nostri ungunt sine mandato Dei, illi faciebant cum mandato. Hinc Iudæorum unctio fuit in conspectu totius Ecclesiæ & Angelorum, præstantissima res, cúm pontificiæ, istæ unctiones, quouis stercore & oleto in oculis Dei & Ecclesiæ fœdiores sint.

Ergo non ita simpliciter pronunciandum est, Deus exterius non colitur, nec ideo omnia uidenda sunt in cultu Dei, quæ externa sunt, Cum enim Deus de festuca loquitur, tantùm momenti ad festucam affert uerbum, ac si de sole ipso loqueretur. Prophanus itaq; sermo est, aquam Baptismi tantùm dicere esse aquam, cum aqua Baptismi habeat additum uerbum, & similis sit ferro candenti seu igni, to, quod sicut reuera ferrum est, ita etiam reuera est ignis, & omnia facit quæ ignis solet. Sed uerbum in aqua uident & norunt soli pij, Vacca aut canis tantùm aquam uidet. Hos Caninos & uaccinos oculos ad sacra afferunt tales disputatores, qui de cæremonijs tantùm iudicant, ut eas uident, non etiam aures afferunt, ut audiant an habeant promissionem aut mandatum Dei.

DE SVMMO ET PRAECIPVO CVLTV DEI.

Tom. 4. Ienens. 435. in Psalmis Graduum. In testimonium Israeli, & ad confitendum nomini Domini. Hæc dico nihil aliud significant, quàm quod sit locus in Ierusalem diuinitus designatus, ubi doceatur uerbum & oretur. Erant autem hîsce duobus. Non dicit templum ad id diuinitus designatum, ut ibi mactentur uictimæ, ut tibi offeratur incensum, ut ablationes & libamina fiant, ut singuli donis suis se ostendant Deo gratos esse, Horum nihil meminit, quanquam in solo templo ut fierent, præcepta erant, tantùm meminit prædicationis & Gratiarum actionis. Hoc sine dubio à sacrificulis tanquam nocentissima hæresis, in hoc populo damnatum est, non aliter loqui de cultu Dei. Sicut nostri Papistæ non possunt ferre cum docemus extructiones templorum, anathemata, ornatum auri & argenti, non esse cultus Dei.

Itaq; si Dauid de nostris templis sic hodie concionaretur, sicut tamen de suo templo facit, damnaretur & cremaretur, sicut hæreticus, quod pompam illam omnem tabernaculi, omnes externos cultus sic negligit, ac si non

non uideat, & quanquam non reprehendit, tamen pronunciat hoc religionis esse caput, audire & inuocare Deum. De Papistis nostris certum est, quod monasteria & alia templa non ideo ædificant, nec ædificari docuerunt, ut istic uerbum Dei audiretur, præcipuum fuit, ut ibi missaretur, & ipsi congregarent magnas opes, dum irritant oculos ornatu isto magnifico, de quo Daniel uidetur propheta esse, cum inu. dicit: Colet Deum suum Maosim in auro & argento.

Possunt quidem templa ornari honestè, sed debet ea res habere modum. Hoc autē præcipuum est, quod Dauide de suo tabernaculo prædicat, & nos in nostris templis præcipuè debemus spectare, quod Tribus ascendunt ad testificandum Israeli, hoc est, ad docendum & audiendum uerbum Dei. Habent enim Ebræi multa uerba, quibus significatur ministerium docendi, seu doctrina, sicut etiam multa habent, quæ irasci & gaudere significant. Eloqui, promittere, confiteri, sedere, iudicare, testificari, docere, hæc omnia ferè significant idem quod nobis uerbum prædicare seu concionari, At uerbum testificandi habet pulchram etymologiam. Nam Doctores sunt quasi testes populo rei incognitæ, quæ non uidetur nec sentitur, sed tantūm creditur. Deinde testes etiam sūt, qui audiūt uerbum, nam dum audiunt, testificantur contra Diabolum & regnum mundi, contra peccatū & mortē, deinde etiam contra seditiosos adulteros, homicidas, fratres fallsos &c. pro gloria Dei, pro regno Dei, pro pace, obedientia, castitate, charitate &c. Deus enim est inuisibilis. Dum igitur audiuntur qui docent, Deus auditur. Neq; enim potest audiri, nisi per testes, & sicut Paulus appellat, legatos suos, sic enim dicit: Legatione Dei fungimur. Sic res de qua in Ecclesia docentur homines, etiam est inuisibilis & absens, ergo solo testimonio uerbi apprehenditur. Sic totum Euangelium est testimonium, loquitur de persona & rebus absentibus, & est fidei prædicatio. Hæc propter rudiores dico de uocabulo testificandi.

Hoc igitur est, quod Dauid gloriatur suam Ierusalem in hoc ædificatam esse, ut prædicetur ibi uerbum fidei, ut doceantur homines de uoluntate Dei, ut sciant quid Deus cogitet facere cum suis, quomodo minetur impœnitentibus impijs. Hanc prædicationem, uocat testimonium Israelis, hoc est, tale testimonium, quod prædicatur populo Israelitico istic congregato. Distinguit enim hunc populum ab omnibus alijs gentibus, sicut in alio Psalmo ubi dicit: Non fecit taliter omni nationi. Ergo nos quoq; hoc beneficium agnoscere, & summi boni loco habere debemus, quod in nostra Vuitemberga & alijs locis, sicut tum in Ierusalem, docetur uerbum Dei purè, quod audiuntur promissiones Dei, quarum spe & fiducia nituntur pij. Item minæ quibus impij uocantur ad pœnitentiam, pij autem retinentur in timore Dei, & mortificatione ueteris hominis, adiuuante eos Spiritu Sancto, quem per & propter Christum effundit pater in eos, qui testimonium hoc accipiunt.

Hæc est una pars ueri cultus Dei, ut discamus quæ sit potissima ratio seruiendi Deo, & præstandi Deo eum cultum, quo maximē delectatur, nempe docere uerbum Dei, & audire Deum per testes suos. Atq; hæc etiam est causa, cur Diabolus nihil æquè cupiat impedire, quàm prædicationem uerbi & auditum uerbi. Ideo excitat sicut in 120. Psalmo audiuimus, labia iniqua & linguas dolosas, commouet mundum ut gladio & ui conatur opprimere pios, tandem apud & contra nos ipsos, contemptu & fastidio hunc cultum conatur abolere, quæ purat impedire posse cursum uerbi.

Altera pars cultus Dei, est confiteri nomen Domini. Hoc actiuum est, illud passiuum. Primūm enim est accipere uerbum, seu doceri uerbo. Hoc est in mundo contemnitur, tamen Deus tanti fecit, ut uasa omnia & ratio uestiendi tota,

tota, quę in lege & templo fuit, huius ministerij essent figuræ quædã & typi. Post hæc proximum est, cum uerbum audiuimus, ut etiam Deo agamus gratias. Hunc cultum secundum facit Dauid, cũm prædicat suam Ieruſalem. Atque hîc iterum memineris, eum tacere de sacrificijs & mactationibus, Non quidem ut antè dixi, reprehendit ea, sed habet Spiritum distinctionis, & reliqua omnia æstimat tanquam paleas aut testas, & prædicat smaragdos hos, Verbum & eius fructum, gratiarum actionem. Quod si mactationem taurorum & similia nominasset, non fuisset ea singulorum facultas, ut hoc genere officij DEO possent seruire. Itaque hoc exigit, quod omnes habent & possunt sine magnis sumptibus, & tamen paucissimi faciunt. Ædificationem templi per Salomonem futuram non damnabat, sed optabat maximè. Hîc autem causam uides cur optarit, ut scilicet primũm ibi doceretur uerbum, Deinde ut Deus ibi acciperet nostras orationes, gratiarum actiones & laudes de acceptis beneficijs.

Sed cur utitur hac figura docendi, ut potius dicat, ad confitendum nomen Domini, quàm ad confitendum Domino? Ideo quia nihil ibi habebant, quàm nomen Domini & nudum uerbum. Deus non uidebatur personaliter, sed fecerat sui memoriam sui nominis uerbo & promissione, unde etiã appellabatur Domus Domini, quod Deus uerbo suo testatus erat, se ibi habitaturum esse. Ad hunc modum in nouo Testamento, Baptismus rectè dicitur baptismus seu aqua Domini, quia habet additum uerbum Domini, quod Deus ibi esse, & efficax esse uelit. Sic uocale uerbum rectè appellatur uerbum Domini, licet ab homine pronunciatur, quia Dominus promisit se uelle cum uerbo esse & per id operari. Ita definit Dauid præcipuos & summos Dei cultus esse, docere ac audire uerbum, & pro eo agere gratias.

Post hæc sequuntur etiam opera secundæ tabulæ, ut egentes singuli pro sua facultate iuuent, ut inprimis opibus suis potentes ad hoc utantur, ut ministri Ecclesiarum uacare ministerio possint. Hæc opera postea etiam suas promissiones habent, quòd dominus dicit: Quicquid minimo inter suos fecerimus, hoc sibi fieri, & Prophetæ mercedem habiturum, qui Prophetam acceperit benignè. Cõtra iudicium impiorum, ideo grauius erit, quia omnia ipsorum faciunt ad oppressionem uerbi. Ad hunc malum diligenter discernendi sunt cultus, seu partes religionis Principales, animus Principalibus, ut in ordine & loco suo proprio singula collocentur. Hoc enim est purè & rectè docere, & non confundere omnia, sicut indocti atque impij Papistæ faciunt.

LIBERTAS A TRADITIONIBVS PAPAE.

Tom. 4. Ienes. fol. 191. Galat. cap. 6. Papistæ uehementer pugnant hodie pro defendendis traditionibus, de esu carnium, de cœlibatu, de ferijs &c. ac nos qui docemus eas in Christo Iesu nihil ualere excommunicant & maledicunt. Itẽ quidam ex nostris, non minus insulsi quàm Papistæ, adeo rem necessariam putant libertatem à traditionibus Papæ, ut nisi eas omnes statim uiolent atq; aboleãt, timeant se peccare. At Paulus dicit: Nos oportere longè quiddam maius & prestantius habere, quod ualeat ad iusticiam coram Deo consequendam, quàm est lex aut circumcisio, quàm est obseruatio, aut uiolatio traditionum Papisticarum. In Christo Iesu inquit, neq; circumcisio, neq; præputium, neq; cœlibatus neq; coniugium, neq; cibus, neq; ieiunium ualet &c. Esca nos non commendat Deo, Neque abstinendo meliores, neque edendo deteriores simus. Istæ res longè inferiores sunt. Imò totus mundus cum omnibus suis legibus & iusticijs longè uilior est, quàm quod debeat trahi in locum iustificationis.

Ratio & sapientia carnis hoc non intelligit. Non enim percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Ideo contendit iusticiam sitam esse in externis rebus. Nos uerò ita edocti sumus ex uerbo Dei, ut certò pronunciemus, nihil prorsus sub sole esse, quod ualeat ad iusticiam coram Deo, præter unicum Christum, seu ut hîc dicit nouam creaturam. Leges autem politicæ, traditiones humanæ, Cęremoniæ Ecclesiarum, item Lex Mosi, sunt res extra Christum positæ, Non ualent igitur ad iusticiam coram Deo. Vti quidem licet illis, ut rebus bonis & necessarijs, sed suo loco & tempore. Si autẽ uocantur in disputationem de iustificatione, nihil prorsus ualent, sed maximè obsunt. Quia in Christo Iesu, neque Circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed noua creatura.

Et Paulus per ista duo, Circumcisionem & præputium, excludit simpliciter omnia, quæ in tota rerum natura sunt, negatq; ea ualere in Christo Iesu, hoc est in causa fidei & salutis. Accipit enim per Synecdochen partem pro toto, hoc est per pręputium intelligit omnes Gentes, per Circumcisionẽ omnes Iudæos, cum totis uiribus & omni gloria sua, Quasi diceret: Quicquid Gẽtes præstare possunt, cum omni sua sapientia, iusticia, legibus, potentia, regnis, imperijs, nihil ualet in Christo Iesu. Item, Quicquid sunt & possunt omnes Iudæi cum toto suo Mose, lege, circumcisione, cultu, templo, regno, sacerdotio, nihil prorsus ualet. Quare in uel Iudæorum, Num Lex Cæremonialis aut moralis iustificet, sed simpliciter illa Christo Iesu seu in causa iustificationis, non est disputandum de legibus Gentium Negatiua ponenda est: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid ualet, neque præputium.

Ergo leges malæ sunt? Non, Imò bonæ & utiles sunt, sed suo ordine & loco. Hoc est, in rebus corporalibus & ciuilibus, quæ sine legibus non possunt administrari. Deinde obseruamus etiam in Ecclesijs quasdam Cęremonias & leges, non quod illa obseruatio ualeat ad iusticiam, sed ad bonum ordinem, exemplum, tranquillitatem & concordiam, iuxta illud: Omnia decẽter & secundum ordinẽ fiant. Si autem leges ita proponuntur & exiguntur, Quod seruatæ iustificent, omissæ damnent, prorsus abrogandæ & tollendæ sunt. Quia Christus amittit officium & gloriam suam, qui solus iustificat, subministrat Spiritum &c. Paulus igitur his uerbis clarissimè affirmat, neque Circumcisionem aliquid ualere, neque præputium, Sed nouam creaturam &c. Cùm autem in Christo nihil prorsus ualeant, neque leges Gentium neque Iudæorum, impijssimè egit Papa, quòd nos coegit seruare leges suas cum opinione iusticiæ &c.

Noua autem creatura, qua reparatur imago Dei, non fit fuco aut simulatione ullorum operum externorum. (Quia in Christo Iesu neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium) sed per Christum imaginem Dei in iusticia & sanctitate ueritatis creatur. Opera cùm fiunt, nouam quidem speciem afferunt, qua mundus & caro capientur, sed non nouam creaturam. Cor enim manet impium, sicut antea, plenum contemptu Dei, infidelitate &c. Ideo noua creatura est opus Spiritus Sancti, qui fide purificat cor, & efficit timorem Dei, charitatem, castitatem &c. ac donat uirtutem domandæ carnis, & fugiendi iusticiæ & sapientiæ mundi. Hic non est fucus aut tantùm noua externa species, sed res ipsa geritur. Reuera sensus alius & aliud iudicium, nempe Spirituale nascitur, quod ea quæ prius magnifecit, post abominatur. Olim ita capti erant animi nostri Monastica uita, ut eam solam existimaremur uiam ad salutem, Iam longè aliter de ea iudicamus. Quæ igitur ante hanc nouam creaturam prosummè Sanctis adorauimus, de illis cùm redeunt in memoriam, iam erubescimus.

Quare mutatio uestitus & aliarum externarum rerum, ut Monachi somniant,

hiant, non est noua creatura, sed renouatio mentis per Spiritum Sanctum, quam sequitur postea etiam mutatio membrorum & sensuum corporis. Nam ubi cor nouam lucem, nouum iudicium & nouos motus per Euangelium concipit, fit ut externi quoq; sensus innouentur. Aures enim uerbum Dei, nō amplius traditiones & somnia humana gestiunt audire. Os & lingua non sua opera, iusticias & Regulam iactant, sed solam misericordiam DEI in Christo exhibitam cum gaudio prædicant &c. Hæ sunt mutationes, ut sic dicam, non uerbales sed reales, quæ afferunt nouem, mentem uolūtatum, nouos sensus & actiones etiam carnis, ut oculi, aures, os & lingua, non solùm aliter quàm antea, uideant, audiant & loquantur, sed ut ipsa mens etiam aliud probet & sequatur. Antea enim cæcutiens in erroribus & tenebris Papisticis somniauit Deum mercatorem esse, qui suam gratiam nobis uenderet pro operibus & meritis nostris. Iam orta luce Euangelij, Statuit nos sola fide in Christum reputari iustos. Ideoq; abijcit nunc opera electicia, & uocationis & charitatis opera diuinitus præcepta facit, Deum laudat & prædicat, ac in sola fiducia misericordiæ per Christum gloriatur & exultat. Siquid malorum aut periculorum ferendum est, ea libenter & cum gaudio (quanquam caro murmuret) subit.

EXPLICATIO DICTI: QVARE VOS TRANSGREDIMINI MANDATA DEI PROPTER TRADITIONEM VESTRAM &c.

Item, Frustra colunt me &c. Matth. 15. cap.

Tom. 4. Ienēs. fol. 349. Non dignatur eis ad propositum respondere, sed clauum clauo retundit, & odiosè satis inuertit eorum Quæstionem, ac si per compationem dicat: Si ego culpandus sum, qui festucam uobis uideor peccasse, Cur uos non magis estis culpandi, qui trabes meras peccatis? Culicem meum uultis colare, & uestros camelos deglutitis, licet nec festuca, nec culex uerē apud me inueniantur. Deinde hoc tolerabilius foret, si legem Mosi opere non impleretis, Hoc pessimum est, quod ipsam legem tollitis. Nam stante lege, semper sunt alii qui, quitamen conantur eam facere, timore Dei inspirati, sed sublata lege, fit ius & licentia securè peccandi, imò uirtus est non curasse legem. Hoc autem facitis uos pessimi hostes DEI, & tamen iudicatis optimos filios Dei. Nulla alia causa, quàm ut uestras traditiones contra Dei præcepta statuatis. **Pfu/ welch schendtlich verflucht volck seind es/** Qui quum sitis omnium pessimi in terra, tamen audetis etiam damnare Deum ipsum cum omnibus suis præceptis. **Ja ich meine sie sind wol angelauffen/ vnd haben sich an den rechten kessel gerieben / vnd ram gefangen/ Sie wöllen inleren/ wie er vnrecht thue/ vnd geben im eitel grosse vrsache jre eigene laster zu melden.**

Sed hæc hactenus de illorum pessimorum stultitia & nequitia, Nunc erudi-tio hinc est consideranda. Prima, quod flagitium maximum sit coram Deo, uiolare mandatum Dei propter traditiones hominum, Quia hoc est ponere Deum in-fra hominem, sicut sub Papatu factum est, & adhuc faciunt cum utraq; specie, con-tra iugio & alijs libertatis spiritualis articulis. Ideo audendum & summa fiducia contrà eundem est, ubi sentitur premi diuina autoritas uerbi, per autoritatem humanæ sapientiæ, uel religionis. Quia rata est sententia, supra & iuxta DEVM nullius, sed solus DEVS super omnia, & omnia infra eum. **Dahin es doch endtlich kompt/ vnd kommen muß.** Semper enim hæc tentatio est in Ecclesia, semper fuit & erit, Donec Diabolus Princeps mundi est. Quia ipse ab initio mendax, semper uoluit supra DEVM fieri. Ideo semper nobis hæc eruditio necessaria est, ut sciamus DEO esse magis obediendum, quàm hominibus. Et uerbum eius præferendum uerbo hominum. Quia manent semper homines qui contrarium

faciunt, aliqui errore, aliqui malicia, sicut hodie malicia est, quæ fuit ante, error de utraq; specie &c. Et omnes hæretici suum sensum præferunt uero sensui Christi, usq; in finem mundi.

Secundò in his humanis traditionibus, quæ non tollunt, nec pugnant cum mandato DEI, est obsequendum Ecclesiæ uel plebi, in qua uiuimus, sicut dicitur: Si fueris Romæ, Romano uiuito more. Nam CHRISTVS diserte addit. Propter traditiones uestras quasi dicat: Lauare manus pro more Gentis, non esset malum, sed quia uos omnia urgetis pro uestris traditionibus contra mandatum DEI, ideo maledicendi estis cum traditionibus uestris. Qui contra Deum est, Diabolus est, uos & traditiones uestrę contra DEVM sunt. Ergo Diaboli estis. Sed si non contra DEVM essent pro DEO essent, ut si lauares manus, ut mores Gentes serues, ut charitas, pax & concordia maneret in gloriam Dei, Hoc esset pulchrum lauare, & uerè lauare non tantùm manus & pedes, sed & caput & cor, animam & corpus. Iam de textu per ordinem, ut historia benè memoriæ inculcetur.

NAM DEVS DIXIT: HONORA PATREM. ET QVI MALEDIXERIT PATRI ET MATRI, *morte morietur.*

Hic satis patet, quod Christus Decalogum non solùm non abrogat, sed confirmat, Quia parentum autoritatem dicit esse diuinam, & per consequens totam œconomiam & politiam Dei ordinationem esse, quam nullus prorsus traditionibus uult uiolari. Magna certè gloria tam contempti generis uiuendi & in mundo molesti &c. quæ certè consolari debet Politias & domos. Secundò, subindicat illos esse maledicos in parentes, seu seditiosos in politiam, qui docent parentibus non obediendum specie Religionis. Quia & uerè maledicunt, & dissipant istaduo uiuendi genera, per hoc ipsum, quod dicunt, Corban, quasi dicat: Vos rebelles Deo & hominibus, docetis homines credere, quòd parentum & filiorum status non sit Sanctus. Quia præfertis uestrum (Corban) id est, donum seu sacrificium.

Et nota Diabolum quo obsessi erant, quem hic pingit CHRISTVS. Quia ista Disputatio fuit Pharisæorum, Vtrum melius sit largiri parentibus, an offerre Sacerdotibus. Respondent illi, Melius esse offerri &c. Sic honorem parentum docuerunt esse tantùm Cęremonialem, scilicet caput inclinare, assurgere & gestum ostendere reuerentiæ. Hæc docuit eos Spiritus auaritiæ, Nam CHRISTVS hîc docet, hoc esse parentibus maledicere, ut taceam honorare. Quia qui dicit: Melius est Sacrificium, quàm obsequium erga parentes, is dicit parentum statum non esse sanctum, sic Sacrificio comparetur. Hoc est autem uerè maledicere parentibus id est uiliter & irreuerenter de eis sentire & loqui. Contrà (inquit CHRISTVS) Vestrum sacrificium est maledictum & uile habendum collatione parentum. Et parentum autoritas Sacrificijs comparata, est uerè Sacrosancta, benedicta & reuerenda, quia à DEO præcepta, Sacrificia uerò uestra non præcepta.

Multò peiores hodie fuerunt Papistæ. qui Oeconomiam damnauerunt, & secularem & carnalem uitam uocarunt, suos ordines uerò sanctos, Spirituales, Seraphicos

Seraphicos, cœlestinos, & in infinitum prætulerunt, etiam ipsi fidei & uitæ Christianæ. Hi uerè sunt maledici & maledicti, qui maledicunt Dei ordinationibus & operibus. Ideo contra eorum furias, hæc uerba CHRISTI sunt, quantum fieri potest, amplificanda & urgenda. Quia potens hæc illa abominatio per totum orbem, & adhuc satis fremit, etiam accepto nō paruo uulnere. Sed stat Christus fortior, Omnes uos estis malidici in Dei præceptum, quia uestras traditiones præfertis parentum & politiæ autoritati & statui. Huic credamus, & non fallemur illorum maledictis speciosis, etiam si scandalisentur ipsi Pharisæi, uiolatis Patrum omnium traditionibus: Nam fateri cogemur esse scandalum maximum, Patres, Patres, Concilia, Concilia, contemnere. Sed quid facies, si eorum dicta & opera (CHRISTO iudicante ipso) per Pharisæos inueniantur urgeri contra certum DEI præceptum? Hic cūm fiducia illis traditionibus maledictis ualefacia-mus, & cum benedicto uerbo DEI maneamus. Et possibile imò certum est à Patribus ipsorum, lotionem manuum honesta causa, scilicet disciplinæ gratia fuisse institutam pro rudi populo, sed ipsi postea uerterunt in religionem & cultū Dei. Nec hoc solùm, sed addiderunt etiam traditiones suas contra Dei præcepta. Sic Patres in Ecclesia multa dixerunt & fecerunt honesta causa, quæ postea posteri in religionem necessariam uerterunt, & addiderunt etiā multa de Missa, uotis, purgatorio, &c. contra fidem & obedientiam Dei &c. Quibus omnibus effecerunt, ut hic Christus dicit: ut homines amplius non honorent parentes, seu ut Paulus ait Tit. 1. Doctrinæ hominum auertentes à ueritate.

Tamen speciem uide, quàm prætexunt, dicentes: Vt est in Marco, Si dixerit homo patri aut matri, Corban &c. id est, donum seu sacrificium Dei quasi dicat: Ego tibi libenter quidem darem, sed quidem faciam, Iam non est amplius meum, sed Deo datum. **Also muß der Name Gottes ein schantdeckel sein aller Gottesleste-rung vnd Schalckheit/ Gott muß es nu dem Vater genommen haben/ was er vom Son solt nemen.** Ita non homines, sed Deus peccat ipse in 4. suum præceptum, ipsi uero sunt interim Sancti, secundum primum præceptum, tanquam Deo seruientes. **O Schelcke vber alle Schelcke.** Ideo merito indignans dicit ut sequitur.

HYPOCRITÆ, RECTE PROPHEVAVIT DE VOBIS ISAIAS DICENS: POPVLVS HIC APPROPINQVAT MIHI ORE SVO, ET *labijs me honorat, Cor autem eorum longè est à me.*

Primùm fatetur hypocritas uerum Deum quærere, quia dicit: Mc/ **sie meinen mich/ das sehe ich wol/ denn sie füren meinen Namen in jrem maul.** Non uiden tur sibi idola, aut alienum quærere.

Secundum, quòd concedit eorum quærere esse cultum, quia dicit colunt, **oder Ehren mich.** Quæ est mira sententia, quòd colere, sit non colere, sicut dicitur oppositum in adiecto, **Auff deutsch/ Es ist ein Teufel Gott/** uel sicut dicitur: **Ein Türckischer Christ/ Ein Teuflischer Engel/ Ein hürische Jungfrawe/ Ein Jungfrawliche Hure/ Ein frommer Schalck/ Ein schalckhafftiger Heilige/ Ein hoffertige Demut/ Ein reiche Armut.** Qui modus loquendi uocatur oppositum in adiecto. Ita hic Christus cultum uocat Idolatriam. Nam uerè cultus eorum fuit, non cultus, sed Idolatria Sicut etiam Mammon uocatur Deus, Et Paulus uocat Ventrem Deum, & Diabolum Deum.

Quid igitur deest hic? Deus uerus est quem quærunt (ut dicit) Et eorum

quærere est cultus, religio, pietas reuerentia. Quid uis amplius? Vbi est cultus ueri Dei, reuerẽtia ueri Dei, timor ueri Dei? Nam timor Dei hoc loco est in Iesaia, ubi dicitur: Colunt me, id est timent me. Sols den nichts sein/ wenn einer den rechten GOTT ehret/ förchtet/ dienet: was wollen wir den thun? wer wil selig werden? Das hörestu hie wol/ das Christus selbst sagt: Wer kan widerstehen? Er sagt dürr herauß/ sie dienen mir (oder fürchten mich) Mir (sagt er) nicht dem Teufel / Ich bins dem sie dienen/ den sie fürchten. Woran felets denn?

Daran feilets/ Das im andern Gebot stehet: Meinen Namen soltu nicht mißbrauchen. Mein ist der Name / den du nennest / vnd heist meinen Namen genennet/ Vnd nicht des Teufels namen. Ergo hic concluditur, quòd omnis idolatria peccat, non in hoc quod Deus uerus non quæratur, Quia omnes uerum nomen Dei nominant. Et uerum nomen Dei, uerum Deum significat, sicut hic dicit colunt me, sed hic est error, Quod uerum Deum non uero cultu colunt. Ideo non est distinguẽdum de Deo, sed de cultu. Alius uerus, alius falsus. Ieroboam uitulos non adorauit, sed uerum Deum falso cultu adorauit. Volebat enim & quærebat Deũ illum, qui eduxit Israel de Ægypto (ut uerba eius sonant) sed quod non uerè seu uero cultu coluit, dicitur coluisse uitulos, non Deum. Hoc est, quod & Paulus affirmat Roman. 10. Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Et 1. Cor. 5. Gentes quæ immolant, non Deo immolant, sed Dæmonijs. Ecce immolare eos dicit: Immolare est Deo sacrificare. Ideo Roman. 1. dicit: Notum Dei est in illis manifestum, sed non egerunt Gratias Deo. &c.

Quare hic locus insigniter notandus est, quòd cultus Dei (etiam uerj) reprobetur contra omnium hominum sensum, qui dicunt: Wen ichs gut meine/ so wirds Gott gefallen. Sicut & Sophistæ docuerunt: Facienti quod in se est, Deus dat gratiam. Quia ista doctrina seu opinio est fons omnium Idolatriarum, errorum & Sectarum, das die Leute wehnen/ wenn sie den rechten GOTT nennen können/ vnd gut meinen/ so muß es recht sein/ aber CHRISTus verdampt hie sölches alles/ vnd spricht: Es sey mund on Hertz vnd ferre von Gott/ vnd bekennet doch sie ehren/ sie fürchten/ sie dienen/ sie sein from/ sie sein heilig. Quæ est ratio? Respondet quia non uerbo DEI colunt me, sed hominum traditionibus. Hoc est quod dicit: *Frustra colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Ex his uerbis CHRISTI conclude fortiter. 1. Omne quod extra Dei uerbum fit, est idolatria. 2. Omne quod fit in uerbo Dei est cultus uerus, sicut 3. Omne quod sit sine fide, est peccatũ. 4. Omne quod fit in fide, est bonum opus, Quia uerbum & fides est coniugium indissolubile. Hoc clarè definit Christus hic dicens: Frustra me colunt mandatis hominum &c. Iterum coli se uerum Deum dicit; sed frustra. Frustra autem idem est, quod nihil. Ideo in scripturis idolatria uocatur undicq; nihil, uanitas, mendacium, falsitas. Psalm. 4. Vt quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Hic declaranda & distinguenda sunt mandata hominum à mandatis Dei. Quia mandata parentum & principum uidentur esse hominum mandata &c. Hanc distinctionem perfectè tradit Decalogus, ordine ipso præceptorũ. Quia prima tabula præfertur secundæ, & influit ac regit secundam. Exempli gratia, secunda tabula dicit: Honora, audi, sequere parentes, sed ubi parentes iusserint contra tabulam primam, ibi iam est mandatum hominum, Quia est prorsus contra Deum, ut fit in casu Religionis, quando parentes cogunt filios ad idolatriam & impietatem. Hic dicendum est: Magis est obediendum Deo quàm hominibus. Quia in isto casu mandatum parentum, est merum hominum mandatum, sine Deo, extra DEVM, supra Deum, Quia non fluit ex prima tabula, sed resistit primæ tabulæ, Alias ubi non resistit primæ tabulæ, ibi est parentum mandatum uerè diuinum præceptum, Quia ipse iussit obedire parentibus, sed non contra DEVM præcipientem.

Secundò

Secundò extra religionem potest etiam casus esse, ut etiam non sit obedien dum parentibus, & si parentes manifestè contra tabulam secundam præciperent, occidere, adulterari, furari, mentiri, & alia mala facere. Quia ista omnia DEVS excœpit ab obedientia parentum, & subiecit etiam ipsos parentes secundæ tabu= læ. Quare seruatis duarum tabularum præceptis (quia contra has non habent parentes præcipere) quicquid postea præceperint parentes, & magistratus est fa= ciendum. Et tunc sunt eorum mandata non humana, sed diuina. Quia Deus de= dit eis præcipiendi potestatem, saluo Decalogo, cui & ipsi sunt subiecti. Quic= quid igitur contra Decalogum præcipitur, hoc est impium & humanum præce= ptum, iam omnes traditiones humanæ includunt uitium cõtra primam tabulam, quia docent fidere operibus talibus. Quod nisi facerent, nihil nocerent, & tutò possent fieri, sed tunc non diu durarent, sed contempta facerent, ut quibus nihil esset opus, si in eis non esset fidendum.

CAEREMONIAE PAPAE CARENT VERBO, IDEO SVNT NIHIL.

Genes. cap. 3. fol. 66. Papa excogitauit aquam benedictam, unctionem extremam, & similia multa, quibus tribuit remissionem peccatorum. Hic semper cogita: Num Deus præceptum & promissionem suam addiderit? Quod si pro= missio & præceptum Dei non adest, statim iudica esse idolatriam & profanationẽ nominis Dei. Atqui inquiunt: adduntur piæ preces. Extant quoq; exempla san= ctæ ad quorum imitationem ista fiunt. Sed tu neq; præces neq; exempla, nec in= tentionem etiam cura. Hoc solũm cura, an promissio & præceptum adsit. Hæc enim sunt quæ creaturas induunt noua uirtute, præter eam uirtutem, quam natu= ras ua habent.

DE OBSERVATIONE DIERVM FESTORVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 133. Galat. cap. 4. Paulus nullo modo permittit con= scientias lege Mosaica obligari, sed ubiq; eas à lege liberat. Ecce ego Paulus in= quit infrà cap. 5. dico uobis, Quòd si circumcidamini, Christus uobis nihil pderit. Et Coloss. 2. Nemo uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut Neome= niæ, aut Sabbatorum &c. Sic Christus: Regnum Dei non uenit cum obseruatio= ne legis, Multò minus conscientiæ onerandæ & illaqueandæ sunt traditionibus humanis.

Hic dicat aliquis. Si Galatæ peccauerunt obseruando dies & tempora, cur uos idem facientes non peccatis? Respondeo: Nos obseruamus Diem Domini= cum, Natalem Domini, Pascha & similes ferias liberrimè, Non oneramus illis riti bus conscientias, neq; docemus ut Pseudoapostoli & Papistæ, eos necessarios esse ad iustitiam, aut quod per illos satisfacere possumus pro peccatis, sed ut omnia or= dine & sine tumultu in Ecclesia gerãtur, neue externa concordia (in Spiritu enim habemus aliam concordiam) scindatur. Vt olim accidit, ubi Romanus Pontifex Victor, excommunicauit omnes Ecclesias Asiæ, non ob aliam causam, quàm quòd diem Paschæ celebrarent alio tempore, quàm Ecclesia Romana. Hoc Ire= neus repræhẽdit in Victore, ut certè dignum erat repræhensione. Extrema enim fuit insania, ppter rem tam leuiculã Orientis Ecclesias tradere Diabolo. Ideo rara fuit ista cognitio de obseruatione dierum & temporũ etiã in sumis uiris. Hieron. non tenuit eã. Neq; Augustin. intellexisset, nisi p Pelagianos uexatus & exercitat9 fuisset. Potissimũ aũt obseruamus huiusmodi ferias, ut cõseruetur ministeriũ uer= bi, ut populus cõueniat certis diebus & tẽporibus ad audiendũ uerbum, ut discat

cognoscere Deum, ut communione utatur, ut oret publicè pro omnibus necessitatibus. Item, ut agat gratias Deo, pro Spiritualibus & corporalibus ipsius beneficijs. Et propter hanc causam, præcipuè credo institutam esse à Patribus obseruationem diei Dominici, Paschæ, Pentecostes, &c.

QVATENVS SERVARI POSSINT TRADITIONES PAPAE.

Tom. 4. Ienens. fol. 32. Galat. cap. 2. Nos offerimus Papistis quæ offerenda sunt, & plura quàm debemus, solùm excipimus libertatem conscientiæ, quam habemus in Christo Iesu. Nolumus enim cogi, aut conscientias nostras alligari ad ullum opus, ut hoc uel aliud facientes, iusti, amittentes uero, damnati simus. Libenter unà cum eis utemur ijsdem cibis, seruabimus item ferias & ieiunia ipsorum, modò nos ista omnia uoluntate libera seruare premittant, & istos minaces uoces, quibus hactenus conterruerunt & subiecerunt sibi totum orbem, omittant, mandamus, aggrauamus, reaggrauamus, excõmunicamus &c. Sed ut hanc nobis libertatem permittant, non possumus obtinere, Sicut nec tum Paulus potuit. Ideo idem facimus quod ipse. Nam cũm illam libertatem obtinere non posset, nec Pseudoapostolis uel ad horam saltem cedere uoluit.

Sicut igitur aduersarij hoc saluum nobis relinquere nolunt, quod sola fides in Christum iustificet: Ita nec nos uolumus, nec etiam possumus, in hoc cedere ipsis, quòd fides formata Charitate iustificet. Hic uolumus & debemus esse rebelles & pertinaces, alioquí amitteremus ueritatem Euangelij, amitteremus nostram libertatẽ, quam non Cæsare, Regib. Principibus, non in Papa, mundo, carne, sanguine, ratione &c. Sed in Christo Iesu, habemus, amitteremus fidem in Christũ, quæ ut suprà dixi: nihil aliud appræhendit, quàm Christum gemmam. Hanc fidem qua renati iustificati & Christo inserti sumus, si nobis saluam reliquerint aduersarij, offerimus nos omnia facturos, modò cum ea fide non pugnent. Quia uerò hoc impetrare ab eis non possumus, uicissim ne tantillum quidem eis cedere uolumus. De re enim seria & magna hic agitur, nempe de morte filij Dei, qui uoluntate & iussu Patris caro factus, crucifixus & mortuus est pro peccatis totius mundi. Si Fides hic cedit, illa mors resurrectio &c. Filij Dei manus est. Item, fabula est Christum esse saluatorem mundi. Deniq; Deus ipse mendax inuenitur, quia quod promisit non seruauit. Pia igitur & sancta est hac in re nostra pertinacia. Hoc enim quærimus per eam, ut conseruemus libertatem nostram, quam in Christo Iesu habemus, utq; ueritatem Euangelij retineamus, qua amissa, amissimus Deum, CHRISTVM, omnes promissiones, fidem, iusticiam & uitam æternã.

Et paulò post eodem folio. Si Papa exigeret à nobis traditiones suas ut nudas Cæremonias, non grauaremur eas obseruare. Qualis enim esset labor gestare cucullum? raso uertice incedere? cum alioquí Cæremonijs utamur. Addere autem hoc grande malum, quod in ista leuicula, imò nihili re consistat, aut uita & salus, aut mors & damnatio æterna, hoc Satanicum est & blaphemum. Quicunq; hic non reclamat, Amathema esto. Edam, bibam, gestabo cucullum, faciam quæcunq; præscripserit Papa, modo sinat ista omnia libera esse. Sed cũm ista exigere uolet tanquam necessaria ad salutem, ad ea conscientias astringere, & in istis culpetum Deo gratia instituere, ibi omninõ repugnandum est. Nihil noceret sculperé lignum, lapidem, statuam, sed cultum instituere, & ligno, lapidi aut statuæ diuinitatem tribuere, hoc est idolum pro Deo colere.

CVR SVPERBIAMVS CONTRA PAPAM.

Tom. 4. Ienens. fol. 35. Galat. cap. 2. Pauli superbia, qua dicit alios Apostolos nihil contulisse sibi, non est uitiosa, sed ultra modum necessaria. Nã si hic cessisset, peri-

perijſſet ueritas Euangelij. Multò minus debemus nos credere aduerſarijs noſtris, qui iactãt autoritatem idoli ſui Papæ, contra nos, cum Paulus hic uoluerit cedere Pſeudoapoſtolis, qui contra ſe uerorum Apoſtolorum autoritatem iactabant. Scio in pijs debere eſſe humilitatem, ſed contra Papam uolo & debeo, ſancta ſuperbia, nempe ſic, Papa nolo tibi ſubijci, nolo te Magiſtro uti, quia certus ſum, doctrinam meam eſſe ueram & diuinam. Sed Papa hanc non uult audire, imò cogere me uult ut ſuis legibus & decretis paream, & niſi paruero excommunicat & damnat me, ut hæreticum & Eccleſiæ deſertorem. Ideo ſuperbia noſtra contra Papam maximè eſt neceſſaria, Et niſi ſic ſuperbiremus, & contemneremus in Spiritu Sancto ipſum cum ſua doctrina, & Diabolum mendacij patrem in eo loquentem, Nullo modo retinere poſſemus articulum iuſticiæ fidei. Quare non cõtemnimus autoritatem Papæ ideo, ut dominemur ipſi, neq; hoc agimus, ut extollamus nos ſupra ſummas maieſtates, cũm palam ſit nos docere omnem hominem debere humiliari, ſubijci, ſeruire poteſtati, ſed hoc quærimus, ut maneat gloria Dei, & iuſticia fidei illæſa conſeruetur, ut ſimus nos ſalui & ipſi.

Si igitur Papa nobis conceſſerit, quòd ſolus Deus ex mera gratia per Chriſtum iuſtificet peccatores, non ſolùm uolumus eum in manibus portare, ſed etiã oſculari pedes. Quia uerò hoc impetrare non poſſumus, uicíſsim ſuperbimus in Deo ultra omnem modum, neq; omnibus Angelis in cœlo, neq; Petro aut Paulo, neq; centum Cæſaribus, neq; mille Papis, neq; toti mundo, latum digitum ceſſuri. Longè abſit hic omnis humilitas, quia uolunt nobis rapere gloriam noſtram, ipſum Deum qui nos creauit, & omnia dedit, ipſum Chriſtũ, qui nos ſuo ſanguine redemit. Hæc rei Summa eſto, ſinemus nobis eripi bona, nomen, uitam & omnia quæ habemus, Euangelium, fidem, Chriſtum &c. non patiemur nobis auferri, Et maledicta ſit humilitas, quæ ſic ſe demiſerit, hic quilibet ſit ſuperbus & pertinaciſsimus, niſi uelit Chriſtum negare. Quare Deo dante mea frons durior erit fronte omnium. Hic durus & eſſe & haberi uolo, hic gero titulum: Cedo nulli, Et exanimo gaudeo hic rebellis & pertinax dici. Hic palam fateor me eſſe, & futurum dum, & ne pilo quidem cedam. Charitas cedit, quæ omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, contrà fides non cedit, Imò nihil omnino tolerare poteſt, Iuxta hoc uulgare dictum: Nõ patitur ludum, fama, fides, oculus. Quare Chriſtianus, quod ad fidem attinet, ſuperbiſsimus & pertinaciſsimus ſit, nihil planè patiatur, nulli ne pilo quidem cedat, Fide enim homo fit Deus 2. Petr. 1. Deus autem nihil patitur, nulli cedit, eſt enim immutabilis, ſic fides eſt immutabilis, Igitur nihil pati, nulli cedere debet. Per Charitatem autem Chriſtianus cedat & toleret omnia, tunc enim eſt merus homo.

DE SCANDALO.

DVPLEX EST.

Tom. 2. Ienenſ. fol 439. Ex Actis Vuormatienſib. Scandalum duplex eſt, Charitatis & fidei. Charitatis, quod in moribus & uita conſiſtit. Fidei uero ſeu doctrinæ, quòd in uerbo Dei conſiſtit, & hoc uitare iam non poſſum. In mea enim poteſtate non eſt, ut Chriſtus non ſit petra ſcandali.

SCANDALVM OPERIS ET VERBI.

Tom. 4. Ienenſ. fol. 374. Matth. cap. 13. Hoc eſt quod ſolemus docere ſcilicet Duplex ſcandalum, operis & uerbi, ſeu uitę & doctrinæ. Scandalũ uitę, eſt priuatũ ſeu

seu personale scandalum. Scandalum doctrinæ est publicum & reale scandalum. Et de hoc publico scandalo (ut infinitis modis nocentiore quam priuatum sit) potissimum Christus hîc loquitur. Quia Doctores impios maximè designat, quos & horribiliter odi, & eis tam seueriter minatur. Den sie sind es/die den rechten schaden thun/ heissen gleichwol Pastores/Patres/Ah heilige Vetter der Kirchen, etc.

SCANDALVM INFIRMORVM ET SVPERBORVM.

Tom. 3. Ienens. fol. 56. Galat. cap. 6. Scandalum infirmorum est, quando ea fiunt quę infirmi non capiunt, & speciem mali distinguere non possunt, de quo Rom. 14. latissimè. Exempli gratia. Quando infirmi uidebant alios uesci cibis omnibus, qui in lege prohibiti erant ceu immundi, & orgenti conscientia non audebant, & ipsi manducare, & tamen nec exemplum aliorum improbare.

Hîc cum Iudæis Iudæus fiebat Paulus, cum infirmis infirmus, ut seruiret eis per charitatem, donec firmarentur in Christo. Vnde Roman. 14. si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Sic de omnibus alijs Ceremonijs, dierum festorum, uestium &c. sentiendum.

Aliud est superborum, qui rursum offenduntur in infirmis, impatientes eorum tarditatis & crassitudinis, ita nulla habita ratione infirmorum, nimis liberè utebantur libertate Christi, contra legem. Quod cum scandalo infirmorum hæc agebant, cùm potius omnem legem debuissent seruare, antequam unum scandalizarent, sic enim ambulatur Spiritu. Quid enim prodest Spiritu libertatis contra Spiritum & charitatem uti? licet (inquiunt) Ita sanè, Sed tua licentia debet postponi fraternæ infirmitati, quòd tibi non noceat impedita tua licentia, nocet autē fratri offensa sua, per tuam libertatem infirmitas. Charitatis autem est, ut ea, quæ alterius sunt consideres, non tam quantum liber tibi sis, quàm quantum fratri prosis. Huic enim seruituti te charitas subijcit, dum te à seruitute legis liberat.

SCANDALVM ACCEPTVM.

Tom. 4. Ienes. fol. 138. Galat. cap. 4. Non sumus scandalorum autores, sed quod impij offenduntur, non nostra, sed sua ipsorum culpa fit. Nos mandatum Dei habemus, ut doctrinam Euangelij sine ullo respectu scandali doceamus. Ea quia damnat aduersariorum impiam doctrinam & idolatriam, irritati ipsi ex se generant scandala, quæ in scholis uocauerunt scandala accepta, quæ dixerunt non esse cauenda, nec etiam posse caueri. Reliqua quæ huc pertinent, quere in loco de Ecclesia.

SCANDALORVM ET TVMVLTVVM AVTOR SATAN.

Tom. 4. Ienens. fol. 752. Psalm. 2. Causam ostendit Christus in Euangelio, cùm dicit: Satanam tanquam fortem armatum, tenere atrium in pace, sed cum fortior, tum fremere ac tentare omnia, sicut etiam historiæ ostendunt. Quoties enim Christus conatur eijcere Satanam, quantus furor, quantæ intemperiæ exagitant obsessos? Odit enim Satan Christum, odit uerbum eius, nec uult ei cedere, aut locum dare uerbo. Igitur cùm instat Christus & cogit, indignatur ac furit & experitur omnes uires suas, commouet Reges & Principes, Pontifices & Episcopos, ciues & rusticos, ut se opponant uerbo. Hoc aduersarij nostri non uident, atq; ita ostendunt, quod prorsus nesciāt, quale sit Regnū Christi, tantūm intelligūt qd regnū mūdi sit, Itaq; cum in Christi Regno, pacem illam non uident, sine

sinè qua regna mundi consistere non possunt, damnant & obijciunt tum uerbum, tum regnum Christi, & anteferunt mundi regna. Psalmus autem diuersum nos docet, ut regno Christi adhæramus, etiamsi tumultuẽtur omnes homines. Quid enim hoc ad nos? Nostra enim pax est extra illum tumultum, & consistit certa, ac Rex noster manet Rex etiam inuitus inferorum portis & mundo. Hoc mundus & qui sapientia mundi pollent, non uident, igitur magno studio id agunt, ut nos ab hoc rege auocent, & ad suas cogitationes nos abducant, ut nos quoq; solicitè cogitemus de retinenda pace mundi. Hoc qui tentant, conferunt consilia, & sentiunt humana industria pacem retineri posse. Sed reuera irriti & stulti hi conatus sunt, quia ideo suscipit mũdus, quia huius Regni noticiã nullam habet. Quemadmodũ enim frustra te tuis consilijs fatigas, ut Diabolum coerceas, ne insurget contra Christum, sic quoq; frustra conaris, cohibere eius manus, oculos, linguas, pedes, hoc est, principes mundi & impios Doctores. Cũm enim uix hiscere ac mutire Christus incipit, mox Satan in suis membris furit, scintillant oculi, ardent manus & uoluntates, ac commouet quicquid in mundo potentiæ & opum est ad uerbum opprimendum.

Hanc tu disce causam esse, quod & nostro seculo seditiones, & tot in Ecclesia impiæ opiniones emerserunt. Est enim impatiens uerbi Satan. Igitur cum Christus per Euangelium suum nunc tonet, in toto mundo, & idolatriam ac abominationem pontificiam reuelet, scilicet faceret aut dissimularet tantùm sui regni detrimẽtum Satan, quem uidimus tam atrociter sęuijsse, cum à sancto uiro Iohanne Hus tantùm moralia quædam reprehenderentur. Non enim ille sicut nos, missæ sacrificium, non merita, non alios cultus damnabat, uocabat in dubium Primatum Põtificis, Indulgẽtias contendebat non uendendas, negabat purgatorium, quod uidebat in tanto quęstu esse. Et tamen ita commotus est Satan, ut simul Germaniam & Bohemiam horribili & diuturno bello inuolueret.

SCANDALIS AD IMPIETATEM PII NON PATIANTVR SE ABDVCI.

Tom. 4. Ienens. fol. 582. Michæ cap. 7. Ne credatis amicõ, ne confidatis in Principe. Ab ea quæ in sinu tuo iacet, custodi ostium oris tui. Nam & filius in patrem contumelijosus est, & filia consurgit aduersus matrem suam, & nurus aduersus socrum suam, Et inimici cuiuslibet domestici eius. Hanc admonitionem subijcit, ne talibus scandalis pij se quoq; ad impietatem patiantur abduci. Magnũ enim periculum est in illa scandalorum multitudine, sicut tot Prophetarum conciones resonantur. Psalm. 125. dicit: Non relinquet Dominus sceptrum impiorum super sortem iustorum, ne fortè iusti quoq; extendant ad iniquitatem manus suas. Et Christus Matth. 18. grauiter monet, si manus tua, aut pes tuus te scandalisat excinde eũ & abijce. Melius est tibi, ut claudus & mancus ingrediaris ad uitam, quàm ut amborum manus & pedes habẽs proijciaris in æternũ ignem. Et si oculus tuus te scandalisat, eximè eũ, & abijce. Melius enim tibi est unoculo in uitã ingredi, quàm duos oculos habentẽ proijci in gehennã ignis. Hoc est, non patiaris te à quoquam induci in scandalũ, etiãsi eo tam non uidearis carere, quàm oculo aut pedibus, Erue oculum, excinde pedẽ, & quacunq; ratione potes, te libera, noli sentiri &c.

Ad hunc modum Propheta quoque hoc in loco concionatur, ne amicorum ne Principis, ne denicq; nobis coniunctissimorum tantam rationem habeamus, ut eorum exemplis inuitati à uerbo discedamus, aut contra uerbum faciamus. Sunt enim homines, quicunq; tandem sunt. Deo igitur potius gratificandum, & eius uerbum sequendum est. Is enim maior est homine, & ex calamitatibus, quas homines struunt, eripere potest, ubi contrà homines fallunt, & si non in pericula inuoluunt, tamen in periculis deserunt.

Et

Et Tom. 4. Ienenſ. folio 373. Matth. cap. 18. Si manus tua ſcandaliſat te &c. Hoc dicitur & intelligitur, ſicut illud de Eunucho, qui ſeipſum caſtrare debet. Ita igitur manus & pedes & oculos excidere intelligitur, non ſeipſum corporaliter truncare, ſed cohibere per Spiritum ſeu fidem. Eſt duplex hic ſenſus. Prior eſt de membris corporalibus, ſeu propriis, hæc ſunt amputanda, id eſt Spiritu cohercenda, ne manus, oculus, pedes faciant quæ peccatum poſtulat. Rectè enim dicitur, illum non habere manus homicidij, qui opus homicidij cohercet in ſe. Ita oculos adulterij non habet, qui adulteria odit. Hoc eſt uerò amputare membra, cùm ea non ſinimus eſſe arma iniquitatis ad iniquitatem Roman. 6. Sicut è contrario poſſes dicere eadem figura, ſi cæcus es, ſi cares manu & pede, rape ſeu accipe oculos, manus, pedes, id eſt, facut Spiritu oculos tuos uidere iubeas caſta, manibus beneficia, pedibus innoxia facias. Igitur de uſu membrorum, non de ſubſtantia loquitur. Quia Spiritus eſt uſus rerum. Quia quid eſt ſubſtantia ſine uſu, niſi mors & nihil? Quid eſt manus, quæ facit nihil aut poteſt? Inde Spiritui Sancto uiuificatio ſeu uſus. Nam uita quid eſt aliud, quàm uſus ipſius rei, ſine quo res eſt mortua & uelut nihil? Vt oculos non uidens, eſt ſicut non oculus, imò & inanimata, quod ſint ſine motu & uſu quaſi nihil ſunt, ut terra non germinans, aut uſu aliquo ſeruiens eſt terra illa informis & uacua. Geneſ. 1. donec ornetur herbis & acquiratur uſum.

Poſterior ſenſus eſt de membris allegoricis ſeu politicis. In quo ſenſu oculi ſunt gubernatores, Doctores, & omnis generis ſuperiores, etiam parētes, Manus ſunt omnes quorū adiutorio, fauore, opera, opus habemus, ut ſunt omnes amici, uxor, propinqui, ciues, ſocij, pedes, ſunt ſubditi nobis, & omnia quæ gubernare debemus filij, familiæ, poſſeſsiones &c. Nunc concludit: Melius his eſt omnibus carere, ut ſaluus fias, & intres ſine illis in cœlum, uelut monoculus, mutilus, claudus, quàm ut cum iſtis omnia, ſcilicet utroſcp oculos, manus, pedes, hoc eſt, propter nullum hominem eſt negligendus Deus. Significat ſimul iſtis uerbis, quàm multi, imò totus nundus, propter oculos iſtos & manus contemnat Regnum Dei, & potius ad infernum iſtis ſaluis uadant, quàm iſtis neglectis ſtudeant intrare Regnum Dei. Nam tantus Doctor non loquitur de re parua, aut de paucis aliquibus hominibus, ſed de maximis rebus, ut ſunt iuſtitia, ſapientia, lex &c. & de optimis in mundo hominibus, Et tamen hi perdunt ſe propter talia.

Ideo etiam exclamat dicens: Veh mundo à ſcandalis, **Ah wie weit fiehet hie der Man in die Welt/vnnd klagt wie es daſelbſt zugehe/** ſcilicet **das auch die hende ergerniß geben.** Non tantūm priuati oculi & manus (quod minimū eſt malorum) ſed etiam Eccleſiaſtici ſeu politici, ſcilicet quod illi, qui alios docere & regere debent, ipſi ſcandala ponunt, non ſolūm exemplo (quòd etiam minus eſt) ſed & uerbo, dum docent Eccleſias & populos impia & peruerſa dogmata. Et difficile eſt hos oculos eruere, manus amputare, id eſt, eos uitare, quia ipſi ſunt in regimine & uolunt audiri, uel occidunt qui reſiſtunt. Hos igitur terret iſtis horribilibus minis. At ipſi fortiſsimè eas contemnunt, præſumentes ſeſe eſſe non ſcandaliſatores, aut diſſipatores, ſed ædificatores & ſeruatores, Et in obſequium Dei occidunt uros ædificatores, & ſeruatores Eccleſiæ. Sed Veh illis.

NECESSE QVIDEM EST SCANDALA VENIRE, &c.

Neceſsitas non eſt coactionis, ſed conſequentiæ (ut dicitur) ſcilicet hoc modo. Neceſſe eſt habere oculos & manus, id eſt, neceſſe eſt habere in officio & miniſterio aliquos. Quia Eccleſia nō poteſt eſſe ſine miniſtris, ſicut nec corpus ſine oculis & manu. Miniſterium neceſſarium eſt, ſed inter iſtos neceſſarios miniſtros, ſeu neceſſarium

necessarium ministerium, impossibilè est caueri, quin oriantur sectæ, sicut & Paulus dicit: Oportet hæreses esse, &c. Es kan diß leben nit anders sein / denn es müssen böse vnd gute Engel in Ecclesia sein / wie Apocal. sagt / Sicut etiam ab initio in cœlo fuit, Aber doch Wehe den bösen Engeln. Ergo vita istos malos Angelos.

DE SCANDALO SANAE DOCTRINAE ET QVOD PRIMA TABVLA SIT *præferenda secundæ.*

Tom. 4. Ienens. fol. 318. Matth. cap. 10. Veni separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, &c. Mira est ista separatio quæ non solùm videtur esse seditiosa, sed etiam sacrilega & impia, quia contra 4 Dei præceptum. Sic enim oportet doctrinam Christi scandalosam videri, tam contra Deum quàm contra homines, vt sit maledictum & abominatio mundi, sicut Psalmus dicit: Opprobrium hominum & abiectio plebis. Igitur Deus præcipit, Filius obediat Patri, filia matri, nurus socrui, familia hero. Nonne hoc est soluere obedientiam filiorum & obedientiam familiæ, & per consequens tollere Oeconomiam & politiam, vt religionem taceam? Allegat autem tacitè Micheam Prophetam cap. 7. Qui dicit sic: Inimicis hominis domestici eius. Respondetur autem, quod prima tabula est supra secundam tabulam, & Deus supra creaturas. Igitur quando casus venit, vt vel Deus negandus sit vel creatura, Tunc potius neganda est creatura. Ideo cùm secunda tabula præcipiat de creaturis, cedere & omitti debet, quando contra primam tabulam pugnat.

Hæc obseruanda sunt contra nostros hodie Diabolos, qui clamant Ecclesiam & Magistratum esse audiendum, supra & contra scripturam & verbum Dei, vt omnes Papistæ hodie vociferantur. Horribilis est iste furor, præferre secundam tabulam primæ, & hominem seu creaturam Creatori, & docere, quod Ecclesia sit audienda, etiamsi manifestè contra verbum Dei præcipiat, &c. Sed rata est sententia: Deo magis obediendum quàm hominibus. Et hic Christus: Ego filium contra Patrem separabo, id est, ego volo præferri etiam parentum obedientiæ, & omnium Regum præceptis, &cet. Plura quære in loco de Ecclesia & loco de Cruce, &cet.

DE CONIVGIO.

QVID SIT.

Genes. cap. 24. Tom. 2. fol. 227. Canonistæ frigidissimè definiunt coniugium. Est coniunctio masculi & fœminæ, secundum ius naturæ. Hæc tenuis admodum & infirma definitio est, ideo ad dijudicandam hanc controuersiam sunt inepti, quia non considerant magnitudinem rei.

Theologia aliter definit. Coniugium est coniunctio vnius maris & vnius fœminæ inseparabilis, non tantùm iuris naturæ, sed etiam voluntatis & voluptatis vt sic dicam, diuinæ. Voluntas enim & approbatio, ac beneplacitum illud Dei tergit mileram turpitudinem libidinis, & remouet iram Dei imminentem illi concupiscentiæ & peccatis. Ad hunc modum coniugium cum reuerentia tracta-

Papa nihil aliud intelligit quàm si duo concurrant, & dicant: Ego sum tuus, tu mea, illud esse matrimonium: Non cogitat de beneplacito diuino, de consolatione coniugum, & quomodo doceantur masculus & fœmella, de temperando ardore libidinis, de gubernatione familiæ, de benedictione diuina, deinde de ferendis infirmitatibus in vxore, de tolerantia periculorum à liberis, & iniuriarum à vicinis. Tantùm respicit in turpem illam coniunctionem carnis, quam copulam vocant, promissionem & ordinationem Dei negligit.

VNDE SIT.

Genes. cap. 2. fol. 38. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam sumpserat de Adamo in Mulierem, & adduxit eam ad Adam. Est descriptio quædam sponsalium in primis digna obseruantione. Nam Adam conditam Heuam, non rapit ad se ex suo arbitrio, sed expectat adducentem Deum. Sicut Christus quoque dixit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Est enim legitima coniunctio masculi & fœminæ ordinatio & institutio diuina.

Ideo Moses retinet hîc suam propriam phrasin, adduxit inquit, Quis? Nimirum Iehoua Elohim, Hoc est, tota diuinitas. Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Hi dicunt ad Adam: Ecce hæc est sponsa tua, cum qua habites, cum qua generes liberos. Ac sine dubio Adam eam cum magna voluptate accepit, sicut adhuc in hac corrupta natura sponsi & sponsæ amor mutuus, egregius est, sed tum fuit sine vlla Epileptica & apoplectica voluptate, quæ hodie in coniugio est, fuit castus & suauissimus amor, & ipsa quoque copulatio fuisset honestissima & Sanctissima. Nunc verò vbique oculis atque auribus, denique sensibus omnibus peccatum se ingerit & offert.

Notandus itaque præcipuè hic locus est, non solùm contra omnes horribiles abusus libidinum, sed etiam pro confirmatione coniugij, contra impia conuicia, quibus Papatus coniugium deformauit. An non enim magnum est, quod etiam in innocentiæ statu, Deus coniugium ordinauit & instituit? Tantò autem nunc hac institutione & ordinatione magis est opus, quantò hæc caro per peccatum magis infirmata & corrupta est. Stat igitur hæc consolatio inuicta, contra omnes Dæmoniorum doctrinas, quòd scilicet coniugium est vitæ genus diuinum, hoc est, ab ipso Deo ordinatum.

Quid igitur in mentem venit Satanæ organis & hostibus Christi, qui negarunt castitatem esse in coniugio, & dixerunt eos aptissimos ministerijs Ecclesiarum qui viuant cœlibes, quia Scriptura dicit: Mundi estote. An immundi sunt, qui sunt coniuges? Deus igitur immundiciei autor, & institutor est, qui ipse Heuam adducit ad Adamum? Adam igitur malefacit, quòd ad immundiciem perluaderi se patitur, qui coniugio in innocenti natura carere poterat? Sed an non meritas pœnas harum Blasphemiarum impius Papatus exoluit, quòd non solùm multitudine scortorum se polluit, sed etiam alijs nefandis sceleribus ad abominationem vsque indulgent, iamdudum maturi pœnis Sodomorum & Gomorræ.

Me puero sic infames propter impium & impurum cœlibatum habebantur nuptiæ, vt putarem sine peccato de coniugum vita me non posse cogitare. Hoc enim persuasissimum erat omnibus, si quis sanctam & Deo acceptam vitam vellet agere, hunc non coniugem debere fieri, sed cœlibem viuere, & votum cœlibatus suscipere debere. Itaque multi, qui coniuges fuerant, post vxorum mortem aut Monachi aut sacrificuli fiebant. Necessarium igitur Ecclesiæ, & vtilem operam omnes illi sumpserunt, qui in id incubuerunt, vt coniugium per verbum Dei cohonestaretur iterum, & meritis laudibus ornaretur.

Vnde

Vnde factum est, Dei gratia, vt nunc bonum & sanctum omnes esse statuant, cum coniuge vnanimiter & tranquillè viuere, etiamsi sterilem habeat aliquis, aut alijs incommodis laborantem vxorem.

Non autem nego quin aliqui sint, qui sine coniugio possint castè viuere. Sed hi quia maius vulgo donum habent, nauigent suo vento. Illa autem castitas, quam Pontifex in suis Monachis, monialibus & sacrificulis commendat, horribilibus peccatis contaminata & polluta est, præterquam quòd cœlibatus sine verbo Dei institutus est. Imò sicut præsens historia testatur contra verbum Dei. Quos enim triumphos agerent, si suum cælibatum ex verbo Dei sic possent probare, sicut nos probamus coniugium diuinitùs institutum esse? Quanto molimine tum omnes ad cœlibatum suum cogerent? Nunc hanc vnam veram commendationem cælibatus habent, quòd sit traditio humana, seu, vt cum Paulo loquamur, Doctrina Dæmoniorum.

CONIVGIVM ARCTISSIMVM VINCVLVM.

Genes. cap. 2. fol. 39. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, &c. Christus & Paulus referunt hoc etiam, tanquam communem Regulam ad nostra coniugia, post amissam innocentiam. Si itaq; Adam in innocentia perstitisset, nati liberi etiam essent facti coniuges, & tum deserta mensa & cohabitatione parentum, habuissent proprias arbores, sub quibus vixissent separati à parentibus. Nonnunquam veniissent ad patrem Adam, ceciniissent hymnum, prædicassent Deum, postea redijssent ad sua. Nunc per peccatum, etsi reliqua sint mutata, tamen hoc arctum vinculum coniugum manet, vt vir citiùs deserat patrem & matrem quàm vxorem. Vbi autem diuersum fit, sicut nonnunquam coniuges se mutuò deserunt, Ibi non solùm fit contra mandatum hoc, sed etiam sunt ista signa horribilis corruptionis, quæ per peccatum in homines venit, & à Satana diffidiorum omnium parente, augetur.

Viderunt autem Gentes quoq;, hac consuetudine coniugum nihil esse aptius nec vtilius. Itaq; dicunt: Naturali Lege esse concluſum, quod necessaria sit vxor, quæ indiuiduam consuetudinem retineat vsque ad mortem. Ad hunc modum Christus quoq; dicit: Diuortium à Mose concessum propter duriciem cordis Iudæorum, ab initio autem non sic fuisse. Hæc incommoda per peccatum postea enata sunt, sicut adulteria, veneficia, & similia, quæ nonnunquam inter coniuges oriuntur. Itaque vix millesima pars istius primæ institutionis manſit reliqua, & tamen propter prolem, maritus & vxor suum proprium nidulum habent adhuc hodie, secundum hanc sententiam, qua gloriosè & magnificè confirmatur hoc genus vitæ per primum parentem, imò per ipsum Deum, sicut Christus allegat.

Porrò desertio non est sic intelligenda, quasi prorsus non visitaturi fuerint parentes suos, liberi coniunges, pertinet enim tantùm ad cohabitationem, quod libere coniuges suum proprium nidulum sint habituri. Hodie in istis peccati incommodis, etiam hoc est, quod liberi parentes senio confectos & egentes coguntur alere. Sed in Paradiso fuisset alia & melior conditio nostra, tamen tum quoq; hoc ita esset seruatum, vt maritus propter amorem coniugis, sicut auiculæ solent, suum proprium nidulum deligeret, & cohabitationem parentum desereret.

Et Genes. cap. 29. Tom. 3. fol. 102. Coniugium post peccatum originale carni valde molestum & graue est, propter coniunctionem indissolubilem. Etsi enim manet appetitus, & amor sexus ad sexum, tamen vinculum illud, de quo Moses dicit, quod debeat vxor esse coram marito inseparabili vitæ socia, est admodum durum & difficile.

Quæcunque enim calamitas acceſſerit, ſiue corporum, ſiue fortunarum ſiue prolis: Manet tamen firmum illud, & indiſſolubile vinculum. Et tollitur omnis electio, nec conceditur vlla permutatio, nulla reiectio aut repudium.

FINES CONIVGII.

Geneſ. cap. 2. fol. 33. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciam ei adiutorium, quod coram eo ſit. Hîc quæſtio eſt, cùm dicat Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, de quo nam bono loquatur, cum Adam eſſet iuſtus, & mu-liere non haberet opus, ſicut nos qui carnem peccato leproſam habemus?

Reſpondeo, loqui Deum de bono communi ſeu ſpeciei, non de bono perſonali. Perſonale bonum eſt, quod habet Adam innocentiam, ſed commune bonum nondum habet, quod habebant reliqua animalia, quæ propagabant ſpecieum per generationem. Erat enim Adam adhuc ſolus, nec dum habebat ſocium ad illud præclarum opus generationis, & conſeruationis ſuæ ſpeciei. Significat itaq; bonum hoc in loco, multiplicationem generis humani. Ad hunc modum, quamuis innocens & iuſtus Adam, nondum habebat illud bonum, ad quod erat conditus, nempe, immortalitatem, ad quam ſi in innocentia manſiſſet, ſuo tempore à Deo eſſet translatus. Sententia igitur eſt, quod Adam pulcherrima creatura, quod ad ſuam perſonam attinet, ſatis habet, ſed deeſt ei adhuc aliquid, nempe donum multiplicationis & benedictionis, quia eſt ſolus.

Hodie poſtquam natura peccato corrupta eſt, eſt mulier neceſſaria non ſolùm ad multiplicationem, ſed etiam ad vitæ ſocietatem & defenſionem quoque. Nam miniſterio muliercularum opus habet Oeconomia. Imò quòd miſerabile eſt, opus eſt muliere etiam ad remedium peccati. Itaque in muliere non ſolùm Oeconomiæ ratio, ſed etiam medicina conſiderari debet. Sicut Paulus dicit, propter fornicationem habeat vnuſquiſque vxorem ſuam. Et Magiſter ſententiarum eruditè dicit: Coniugium in Paradiſo eſſe inſtitutum ad officium, poſt peccatum autem ad remedium quoque. Itaque cogimur hoc ſexu vti ad vitandum peccatum. Hoc quidem penè turpe dictu eſt, ſed tamen verum eſt. Pauciſſimi enim ſunt, qui tantùm propter officium vxores ducunt.

At reliqua animalia iſtam neceſſitatem non habent, itaque maxima ex parte ſemel tantùm in anno conueniunt, ac ea conſuetudine ſunt contenta, quaſi reipſa dicant, ſe propter officium conuenire. Hominum alia ratio eſt, hi conſuetudine vxorum in matrimonio coguntur vti, vt vitent peccatum. Ergo generamur & naſcimur etiam in peccatis, quia parentes non conueniunt tantum officij gratia, ſed quoque remedij, ſeu peccati vitandi gratia.

Et tamen ſub iſto remedio, & in tam miſero ſtatu implet Dominus benedictionem, vt homines in peccato, & cum peccato generentur. Hoc in Paradyſo non ſic fuiſſet, Nam generatio fuiſſet Sanctiſſima, ſine omni furore libidinis, qui nunc eſt, & eſſent filij nati in iuſticia & rectitudine Originali. Statim non admoniti agnouiſſent Deum, prædicaſſent, gratias egiſſent, &c. Sed hæc omnia nunc amiſſa ſunt, & tamen expedit de his cogitare, vt teneamus diſcrimen aliſquod eius ſtatus, in quo nunc ſumus, hoc eſt, originalis peccati, & eius in quo Adam fuit, ſeu originalis iuſticiæ, quam ſperamus cùm omnia reſtituentur, Actor. 3.

Et Ge-

Et Geneſ. cap. 28. Tom. 3. fol. 75. Deus non inſtituit coniugium propter voluptatem & delicias carnis. Hæc non eſt finalis cauſa, ſed duplex finis eſt coniugij: Primus vt ſit remedium aduerſus libidinem. Secundus & magis principalis, vt ſit fons & origo generis humani, vt naſcatur proles, & propagetur genus hominum: Siue vt Iureconſulti dicunt, ad replendam ciuitatem. Sed ex ſacris literis hic finis addi debet, ad ædificandos liberos in diſciplina & timore Domini, vt ſint idonei ad gubernationem Eccleſiæ & politiæ.

Hoc igitur caput diligenter tenendum & obſeruandum eſt pijs, quod vterque Sexus à Deo conditus eſt, ad coniunctionem & conſuetudinem indiuiduam vitæ. Hoc eſt, Dei voluntas eſt, qua vult nos maſculos & fœmellas legitimè coniungi, vt educemus prolem, quæ Eccleſiæ & Deo ſeruiat. Hoc vbi firmiter retinebimus, facilius etiam feremus & ſuperabimus omnes moleſtias & difficultates, quæ in hac calamitoſa vita coniugibus obijciuntur.

DE POLYGAMIA IACOB.

Geneſ. cap. 30. Tom. 3. fol. 111. Exemplum aut factum hoc, quo traditæ ſunt ancillæ pro Dominabus, quæ erant ſteriles, non debet trahi in conſequentiam. Non eſt quòd dicat aliquis: Fecit hoc Iacob: Ergo mihi quoque licebit. Sicut de Monetario dictum eſt, hortante ruſticos, vt ad exemplum Ioſuæ & Simſonis Principes trucidarent. Sed memineris tibi manendum eſſe in hac Regula: Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat. Si vis eſſe ſimilis Ioſuæ & Simſoni, facessiam vt circumſtantiæ omnes te, ad mutationem Rerumpublicarum, & cædem Magiſtratus, impellant. Sicut illi Heroes ſingulari vocatione moti ſunt. Alioqui exemplum non valet. Quia habes plura & maiora exempla, quæ teſtantur non occidendum eſſe Magiſtratum, non eſſe mutandas Reſpublicas. Sis igitur obediens Magiſtratui, ſicut alij ſubditi. Non enim es exceptus à Regula: Ideo mane in obedientia, ne fias heroicus, ſicut Monetarius & alij.

Hæc itaque traduntur, non in exemplum, ſed vt abſtineamus ab exemplo, & imitatione. Admiremur ea, ſed non imitemur. Alia enim ſunt quæ imitari, alia quæ admirari debemus. Spera, crede, inuoca, ſicut Lea. Non autem quatuor vxores ducas ſicut Iacob. Id enim ad ſolum Iacob pertinet, & ad eos, quos voluit Deus exemptos eſſe à regula. Nos in fide, patientia, & ſpe in Patribus propoſita exerceamur, & ab Heroicis illis exemplis abſtineamus.

DE COELIBATV.

Geneſ. cap. 4. Tom. 1. fol. 69. Et cognouit Adam Heuam vxorem ſuam, &c. Non ſolùm multa turpitudo eſt, quod loquitur Moſes hic de creatione & benedictione Dei, ſed etiam neceſſe fuit, vt hæc doceret & ſcriberet, propter futuras Hæreſes, Nicolaitas, Tatianum, &c. Maximè autem propter Papatum. Videmus enim Papiſtas nihil moueri, quod ſupra ſcriptum eſt: Creauit autem eos Dominus maſculum & fœminam, ſic enim viuunt, ſic votis ſe obligant & inuoluunt, vt neque maſculos nec fœminas ſe eſſe norint.

Nihil mouet eos quod ſuprà ſcriptum eſt: Adduxit autem Dominus Heuam ad Adam, & Adam dixit: Hoc os ex oſſibus meis, &cet. Nihil mouet promiſſio & benedictio: Creſcite & multiplicamini. Nihil mouet eos Decalogus: Honora Patrem & Matrem. Nihil mouet eos origo ſua, quod ex copulatione maris & fœminæ nati ſunt.

His omnibus præteritis, neglectis & abiectis, cogunt sacrificulos, Monachas & Monachos suos ad perpetuum cœlibatum, quasi coniugum vitia, de qua hic Mose loquitur, damnata & reproba vita sit.

Sed Spiritus Sanctus habet purius os, & oculos puriores quàm Papa, Ideo non veretur meminisse copulæ, seu congressus mariti & vxoris, quem isti Sancti ceu fœdum & impurum damnant. Nec facit hoc Spiritus Sanctus vno in loco, tota Scriptura talium hostoriarum plena est. Itavt etiam hanc ob causam nonnulli à lectione sacrorum Bibliorum iuuenes Monachos & Monachas reuocarint. Quid multis? Tantus fuit furor Diaboli contra creaturam Dei & Sanctum coniugium, vt coegerint Papistæ homines abiurare coniugium, vt instituerint ordines cœlibis vitæ, & damnauerunt præ cœlibatu suo coniugum vitam. Itaq; hæc impietas non caruit suis pœnis, Nam exempla ob oculos sunt, qui fructus impurum cœlibatum sint secuti, Et etiam in libris extant vestigia horrendorum scelerum.

Testatur Sanctus Vdalricus Episcopus Augustanus postquam cœlibatum Gregorius Pontifex stabilitum vellet, & interdixisset vsu coniugum, etiam illis qui iam ante decretum de cœlibatu, coniuges essent facti. Cùm fortè piscarivel. let in Viuario quòd Romæ habebat inuenta in eo esse amplius sex mille capitum infantilium. Scribit autem idem Vdalricus, vehementer consternatum eo spectaculo Gregorium, impiam de cœlibatu Sanctionem iterum sustuliisse. Sed successores Gregorij, facilè & fœditatem huius rei, & piam abolitionem decreti de cœlibatu suppresserunt. Cùm ipsi quoque existimarent, non ad opes solùm parandas cœlibatum aptum esse, sed etiam ad dignitatem conciliandam.

Simile exemplum nostra ætate accidit. Cùm Moniales in Austriæ vico **Kloster Neumburg** / propter turpem vitam, cogerenter mutare locum, & Monasterium Franciscanis habitandum concessum esset, atque illi pro sua commoditate, quædam ædificia mutarent, inuentæ sunt in fundamentis nouis duodecim olæ, quarum singulæ cadauer infantis habebant.

Huiusmodi infinita alia passim acciderunt. Rectè igitur Gregorius, qui sicut Episcopus Vdalricus refert, verbum Pauli eleganter mutauit. Paulus inquit: Melius est nubere quàm vri. Sed ego addo: Melius est nubere quàm mortis occasionem præbere.

Romæ quoque propter copiam puerorum expositorum erecta sunt monasteria, quorum Pontifex Pater dicitur, & antecedunt eum proximè in processionibus publicis. Taceo infinita alia, quæ dicere animus reformidat.

Cauere itaque doctrinas istas Dæmoniorum decet, & discere, vt reuerenter habeamus coniugium, & reuerenter loquamur de hoc genere vitæ, quod videmus Deum instituisse, quod audimus in Decalogo commendari, vbi dicitur: Honora patrem tuum & matrem tuam. Cui addita est benedictio: Crescite & multiplicamini, de quo audimus hic Spiritum Sanctum loqui, cuius os castum est. Vicia autem & turpitudinem illam, quæ per peccatum ad creationem Dei accessit, non debemus exagitare aut videre. Sed potius debemus tegere, sicut videmus Deum Adam & Heuam nudos post peccatum, vestibus tegere. Honorificè enim coniugium tractari debet, ex quo omnes nascimur, quod seminarium est, non solùm politiæ, sed etiam Ecclesiæ & regni Christi vsque ad finem mundi.

Hanc gloriam coniugij Gentes & alij profani homines non intelligunt, colligunt tantùm vicia, quæ tum in ipsa coniugum vita, tum in fœminino sexu sunt. Et

Et sic separant immundum à mundo, vt immundum retineant, quod autem mundum est, non videant. Sicut etiam quidam profani Iureconsulti de hoc ipso libro Geneſis profanè iudicant & dicunt: Nihil continere qnàm ſubagitationes Iudæorum. Hi an non digni ſunt, ſi etiam coniugij contemptus, & impurus cœlibatus accedat, qui etiam Sodomorum ſceleribus & pœnis ſubijciantur. Sed omittamus hos & Moſen audiamus.

Non ſatis eſt Spiritui Sancto dicere: Adam cognouit Heuam, ſed addit etiam, vxorem ſuam. Non enim probat vagas libidines & promiſcuos concubitus. Vult vt vnuſquiſque viuat contentus ſua vxore. Etſi autem illa ipſa coniugum conſuetudo, neutiquam ſic eſt pura, Sicut in innocentiæ ſtatu futura erat, Tamen in medio illo vicio libidinis, & reliquarum omnium calamitatum, benedictio Dei conſiſtit, ſicut hic ſcribitur: Non propter Adam & Heuam, hi enim cùm ſcriberentur hæc à Moſe, iamdudum in cinerem erant reſoluti, ſed propter nos, vt qui ſe continere non poſſunt, viuant contenti ſua Heua, & alienas mulieres non attingant.

DE CLANDESTINIS SPONSALIBVS.

Geneſ. cap. 24. Tom. 2. fol. 226. Hæc diſputatio hoc tempore vt vſitata, ita odioſa maximè eſt cùm officia illa mutua diuino & humano iure mandata, hominum improbitate penè abolita ſint. Nos igitur dum ea reuocare, & hominibus docendo perſuadere conamur ſponſalia citra conſenſum, ac voluntatem parentum contracta, nec licita eſſe, nec rata haberi poſſe, multorum odia & calumnias incurrimus,

Aduerſantur enim nobis Canoniſtæ Pontificij acerrimè. Iuris ciuilis profeſſores egregiè conſentiunt, illos verò aduerſarios habemus implacabiles & capitales toto orbe terrarum. Etſi igitur ingrata hæc ſunt, tamen veritatis defenſio & profeſſio deferenda, aut abijcienda propterea non eſt. Habemus enim hic illuſtro exemplum noſtræ ſententiæ, tametſi nulla Lex ſanciatur. Nam aliàs quidem legum autoritas non deeſt, non diuinarum tantùm, ſed earum etiam, quæ bona conſequentia ex fontibus Iuris naturæ eliciuntur, quales ſunt Leges & iura ciuilia. Stant pro nobis exempla Scripturæ, Leges ſcriptæ, & iura. Cur igitur infectantur nos Iuriſtæ & Rabulæ?

Muniamus ergo nos contra eorum obſtinatam maliciam Scriptura Sancta. Idenim ſolent iactare apud ſuos auditores, ſe non poſſe à Canonibus recedere, & pronunciare ex noſtris ſcriptis quæ contemptim & ignominiosè **Catônichen** / vocant, quaſi verò nos aliquid noui, & ex noſtro capite comminiſcamus aut ſanciamus. Voluntatem diuinam habemus, rationem naturalem, exempla Patrum, & Ius ciuile pro nobis.

Atque hoc norunt ipſi, ſed moneri & reprehendi nolunt, verum ferendum non eſt, vt corrumpant & inficiant animos adoleſcentum ſuis flagitioſis opinionibus. Nec vnquam feremus Canones impios, nefarios, ſceleratos, pugnantes cum verbo Dei, nobis quicquam præſcribere. Et propterea hæc moneo, vt muniant ſe pij contra calumnias & Blaphemias eorum.

Quæ est enim malitia nosse veritatem & tamen dicere : In meo libro aliter Scriptum inuenio: Ergo aliter pronunciandum est, non habita ratione legum, iuris ciuilis, & verbi Dei, quæ diuersum decernunt. Ita ne ludendi & naso suspendendi sunt homines, vt quicquid ipsi pronunciant impiè secundum canones ratum habere cogantur.

Scelerata hæc amentia est, aliena à ratione & sensu communi, fatenturse scire hanc nostram sententiam esse piam & honestam, & tamen contra conscientiam & agnitam veritatem aliter pronunciant, quia scilicet libri ipsorum aliter præscribant.

Eadem ratione mihi quoq; dicere liceret. Sum Doctor promotus in Theologia Scholastica, sed in Biblijs inuenio plurima, quæ cum illa pugnant, tamen sequar Cardinalem Cammeracensem, vt maximè sacræ literæ diuersum doceant. Quis hæc ferat, & non execretur tales Doctores ? Significant autem se alere intus ingens odium Spiritus Sancti, quia Spiritum Papæ animo infixum gerunt, & vergit hæc improbitas eorum ad manifestam Blasphemiam.

Contra illam impudentiam & maliciam, non humanam, simus obfirmati Spiritu Sancto, & eos contemnamus securissimè. Qui errauit hactenus cum illis, discat sapere rectus, & meliora dicentes. Quando vides erroneos Canones, dicas, sed eius Canonicum veritati Spiritus Sancti.

Ideo tractamus hunc locum quamuis odiosum : Quòd Isaac non ducit vxorem, vbi ipsi libet, sed prohibetur à patre ducere Cananæum, & pater ipse solicitè prouidet filio de vxore, filius summa voluntate obtemperat parenti.

Experientia enim quotidiana testatur clandestina illa & furtiua sponsalia materiam esse summorum malorum, assiduarum rixarum, contentionum, periuriorum & cædium, adeoque fœdissimam pestem & turbationem Ecclesiæ & rerum ciuilium.

Ita nihil aliud agunt Canonistæ, quàm vt lacerent Ecclesiam, & turbent orbem terrarum, propter stultos & indoctos Canones. Tot verò mala in nostras Ecclesias & respub. inuehere eos sinemus ? Diabolus hoc ferat, nemo alius : Quin potius excommunicabo ego omnes illos Doctores, quam feramus in Ecclesia nostra, eorum sententias impias.

Vide enim quàm nihili eorum argumentum sit, quod iactant: Non possum aliter pronunciare, quia non est aliter Scriptum in Canonibus. Simul ratione argumentari posset Turca aut Mahometista aliquis, non possum suscipere Euangelium, quia non extat in Alcorano. Sic Iudæus non conuerteretur ad fidem Christianam, quia non docetur ea in Lege Mosi. Romani & Ethnici nunquam amplexi essent Euangelium, cum in ipsorum libris nihil simile doceretur. Sic omnia vera sunt, quæ in Canonistarum libris continentur, & ea quidem sola, e contrà verò falsa sunt omnia, quæ in ijs non traduntur, alios libros abijciamus oportet.

Mouere autem nos inprimis dignitas coniugij debet, vt sobriè & piè de coniugio doceamus. Non enim leuis res est, sed grauissima & maxima in toto mundo, quia fons est rerum humanarum, & generis humani. Tota vita nihil habet eo præstantius, aut dignius. Tractandum igitur est cum summa pietate grauissimis argumentis & rationibus. Aliàs enim satis deformatum est concupiscentia carnis libidine.

Proindè ante omnia benigna Dei voluntas est respicienda. Deus sic voluit sic ordinauit & instituit, non licet inde nostram gloriam quærere, multò minus contumelia adficere ordinationem Dei. Ac experientia ipsa ostendit non esse

esse ludum aut iocum contrahere matrimonium primo anno omnia quidem læta & iucunda sunt, teritur tempus illud risu & blandicijs. Sed postea quando sequitur illud Comici, Quam ibi non vidi miseriam? Ibi necessaria est consolatio ex certitudine voluntatis & coniunctionis diuinæ, vt certò statuas: Hæc puella est mea vxor quam duxi, Deo ipso approbante & ridente, & assentientibus Angelis. Deinde accedat imploratio auxilij Diuini, & præsidij de cœlo, atque ita grauissima quæque pericula & molestias superabis. Et paulò post. Quanquam pertetua hæc eorum ratio est iudicandi nostram doctrinam, fatentur se scire esse purum & verum Euangelium & tamen non curant. Albertus Episcopus Moguntinus solitus est dicere, esse nostram doctrinam fundatam in Scriptura sancta, & esse ipsissimam veritatem, se nolle tamen nec posse amplecti. Similes prorsus sunt Canonistæ, veram esse aiunt sententiam damnantem clancularia coniugia, sed diuersum statuentibus Canonibus, esse repudiandam.

Horrendæ voces sunt, nec putaui vnquam me viuente talia me auditurum, aut quenquam fore, qui horribiles istas Blasphemias loqueretur: Se audire quidem & intelligere veritatem, Et tamen negare eandem propter opinionem incertam hominum. Id ne est viri boni & integri? Imò ne Turci quidem aut Ethnici cuiusquam. Vir bonus decipi & labi potest, seductus aliorum erroribus, sed si admonetur, agnoscit errorem & resipiscit, abijcit & damnat opinionem erroneam. Ego igitur non approbabo vnquam, nec defendam errorem & stulticiam Canonistarum, sed percacabo Canones & Papam: Siquidem ipsum ius ciuile diuersum, & honestius statuit de hac ordinatione Dei.

Memorabilis igitur hæc Historia est, Abraham mortua gubernatrice suæ domus amisit dextrum oculum, & cogitat de Oeconomia aliter disponenda. Talis enim familia, tali Sara opus habet, aut aliter eam disponi oportet. Commendat itaque totam familiam seruo seniori, & constituit eum Moschel, id est, Dominum Psalm. 8. Pius senex antea totum onus gubernationis suauissimæ vxori suæ Sarę imposuerat, ea defuncta cum ipsa sustinere cogeretur, reclinat in seruum, donec prospiciat de matrefamilias scilicet Vxore filij.

Deponit igitur omnem administrationem mortua Sara, noluit sibi tantum oneris imponi in extrema senectute, quanquam postea vxorem duxit: Ideoque cogitat de persona idonea ad regendam familiam, interea verò senioris serui operatur, qui triennium familiæ præfuit.

Nam trigesimoseptimo anno ætatis Isaac, moritur Sara, quadragesimo anno duxit Rebeccam, illud triennium vterque Pater & Filius transegerunt in luctu & mœrore. Non enim Saxeis animis fuerunt, recordatio dulcissimæ consuetudinis, & pulcherrimarum virtutum in suauissima coniuge sæpe renouauit dolorem Abrahæ. Isaac autem charissimę matris non potuit subitò obliuisci: Fuerunt enim homines φιλόστοργοι. Ideo Pater, vt consolaretur Isaac, quærit ei sociam vitæ.

Doctrina igitur huius loci est, quod parentes debeant prouidere filijs, & filiabus de honesto coniugio. Quanquam non prætereundum illud est, quod in vita sæpe vsu venit, vt parentes quandoque iure & autoritate sua abutantur, & velint liberos cogere, vt cum ijs contrahant, quos non amant, quod in magnis familijs nobilium sæpe accidit, illi reprehendendi sunt, quia nihil paterni animi aut affectus habent, sed sunt trunci & stipites, non habent illam στοργὴν erga prolem. Ibi interponat suam autoritatem pastor Ecclesiæ, aut Magistratus ciuilis: Quia hæc non est patria potestas, sed Tyrannis.

Nos

Nos ideo rem diligenter vrgemus autoritatem parentum, primùm propter mandatum & ordinationem Dei, exempla Scripturæ, & Leges ciuiles. Deinde propter insignem illam improbitatem, quę omnibus ætatib. in mundo grassata est, pijs & honestis parentibus admodum grauis: Quandò liberos piè & honestè educarunt, vt essent hæredes Patrimorum bonorum, postea ipsis insciis & inuitis inuenti sunt, qui virgines aut adolescentes honestos fraudibus & dolis circumuenirent, vt coniungerent se furtim cum ijs, qui & parum honesti, & ipsis indigni, & parentibus ingratissimi erant.

Hisce flagitijs Papa fenestram & ianuam patefecit, & aditum fecit lenonibus vt possent furari mihi, tibi, & singulis nobis filios & filias. Hæccine ferenda aut defendenda putabimus? Atqui custodiendos liberos, & curam eorum diligenter gerendam aiunt. Quomodo potest id fieri in tanta malicia & peruersitate hominum? Quàm facile corrumpitur, & in fraudem illicitur simplex animus?

Meminerint igitur parentes ius & autoritatem elocandi liberos sibi diuinitus attributum esse Nec rata esse sponsalia sine ipsorum consensu facta, nec diuino nec humano iure.

Deinde liberi sciant se hanc reuerentiam debere pijs parentibus, vt eorum consilium requirant, & voluntatem explorent: Adolescens cuius ætas idonea est coniugio, non vereatur animum suum aperire parentibus: Amare se honestam puellam, & rogare vt dent sibi eam in Vxorem. Quanquam enim videtur significatio esse libidinis parum verecunda, sciant tamen diuinam clementiam, tegere eam in coniugio, & addidisse remedium huic morbo.

Humilient igitur sese coram parentibus, & ingenuè dicant: Mi pater, mea mater, da mihi illum adolescentem, aut virginem: Quod si digna est coniunctione aut affinitate tua aut parentum, non denegabunt honesti parentes, etiamsi dos aut opes non despondeant.

Talia coniugia non possunt non esse fœlicia & fortunata, ac Deus immensa bonitate benedicit, indulget, & tegit tanquam operculo coniugij, arborem libidinis. Quin etiam Scriptura Sancta approbat, & adducit pro exemplo amorem & vocem sponsi & sponsæ. Ita turpitudinem in qua nati sumus, & miseram libidinem condonat Deus, quin & ornat, & cohonestat licitis nuptijs.

Caueant verò adolescentes ab illa vsitata contumacia & contemptu parentum, quo prorsus insaniunt quidam, & cæco impetu contrahunt inhonestas nuptias, sed & suis maioribus & parentibus indignas. Hic enim exemplum contrarium, & longè honestius imitandum proponit Scriptura Sancta, cum Isaac de patris sententia, voluntate & consilio Rebeccam ducit.

Sic Papa & Canonistæ non docent, nec iubent ducere, sed rapere vxores, quasi liberi suæ potestatis sint, aut coniunctio tam Sancta sine ordinatione Dei legitima fieri debeat. Scriptura Sancta inquit: Prudens vxor à Domino. Ergo præcedat imploratio auxilij diuini? Domine Deus vides me non posse carere coniugio absque peccato, consule tu mihi, & da piam & honestam vxorem.

Sicut hic seruus qui mittitur ab Abrahamo, orauit, & Abraham haud dubiè docuit eum orare, Isaac quoque orauit. Postea accedat consilium, voluntas & consensus parentum, neque quicquam ijs inuitis, aut repugnantibus suscipias. Cogita enim quantis beneficijs cumulatus sis, quantum ijs debeas, quàm indignum sit eorum animum turbare aut offendere, qui te benignè fouerunt, educarunt &, ardentissimè amant.

Hæc adolescentes sibi proponant, & assiduò memoria repetant: Ita enim assuescent ad honorandos parentes: Idque non modò honestum & pium est, verumetiam

rumetiam præceptis & exemplis Scripturæ consentaneum, & per omnem vitam in primis vtile.

Pontificij Canones detestandi sunt, qui hæc officia non docent, sed contra hæc omnia simplices animos inuoluunt furtiuis & clancularijs contractibus, iubent dare mutuam coniugij fidem, inuicem, inscijs, inuitis & repugnantibus parentibus, seducente lena aut lenone, & rapiente inimico aut nebulone.

Quid potest homini accidere tristius & indignius? Ac si filius aut filia, sanctè & pudicè educta, optimis moribus imbuta, collocanda sit homini impuro, sacinoroso, insidianti bonis & possessionibus tuis, cum illo scilicet contrahenda est affinitas, habendus loco filij, & hæredis omnium bonorum. An non id morte ipsa est tristius?

Non frustra igitur toties inculco & moneo, qua via ad rem tantam & tam sanctam aggrediendum sit, vt conseruetur autoritas parentum, & reuerentia erga eos liberorum. Filius aut filia ab ijs consilium petat, qui & consilio valent, & diuina institutione & benedictione Dei consulere possunt. Parentes vicissim non sint duri & asperi, non vrgeant liberos, vt contrahant cum ijs, quos non amant, nec temere ab amore honestorum abstrahant, nisi elegerunt se indignos: Meminerint σοφῶν & inclinationis diuinitus inditæ, nec repugnent honesto amori.

Sic parentes Simson cùm filium mulierem Philistinam amare intelligerent, & ipse peteret eam sibi vxorem dari, permittunt vt ducat eam, quamuis gentilem.

Rursus autem moneo, ante omnia ad ineundum coniugij fœdus necessariam esse inuocationem Dei, vt is vxorem aut maritum deligat, ac donet: Id si fit, sequitur benedictio Dei, & omnia secunda in coniugio, dat Dominus marito hanc gratiam, vt patientiam habeat, & boni consulat infirmitatem vxoris, & ipsa vicissim se possit accommodare moribus mariti. Econtrà vbi non accedit timor Dei, & inuocatio, facillimè incidunt offensiones, vnde oriuntur odia, rixæ, inimicitiæ, & simultates perpetuæ, cuiusmodi connubia admodum infœlicia ego sæpe vidi, & contingunt plerunque ijs, qui sequuntur Papam & Canones.

Qui verò legitimè & sanctè contrahunt matrimonium, secundum ordinationem & institutum Dei, & certi sunt de Dei & parentum voluntate, ibi sæpe summæ offensiones, & pericula sine omni negocio & difficultate superantur, auxilio Dei & bona conscientia, quæ certa est, si quid mali accidat, non id casu fieri, sed bona Dei voluntate, cuius iussu id genus vitæ ingressi sunt. Nihil horum vident Papistæ, non spectant neque causam materialem, nec efficientem, nec finalem coniugij, sed talem copulationem esse ducunt, qualis in scortatione est.

In Lege Mosi adeo seuero fuerunt interdicta & damnata clandestina sponsalia, vt licuerit ea parentibus rescindere, etiamsi accessisset copula. Illud ius tametsi nos sequi nec possumus, nec debemus, non enim ligant nos forensia & iudicia Legis Mosaicæ, tamen est ius scriptum & promulgatum diuinitus, cuius exemplo & testimonio nostra sententia potenter confirmatur.

Deinde pro nobis est ius ciuile, cui ex æquo parere Canonistæ, & pariter omnes huic imperio subditi debebant.

DE DI-

DE DIGAMIA SACERDOTVM.

1 SAnctus Paulus Episcopum in Ecclesia Dei sanciteum esse constituendum, qui sit & viuat irreprehensibilis.

2 Non quod absque peccato possit vllus hominum viuere, Sed quod sine crimine, seu honestè conuersari debeat.

3 ἀνέγκλητος enim Græcè id sonat, quod sine crimine, quem non possit homo accusare.

4 Quod ipsemet non vno loco exponit, vbi omnes fidelium Ordines docet cautè ambulare.

5 Hoc est, vt honestè viuant, ne aduersarijs criminandi, maledicendi, opprobrandi præbeant occasionem.

6 Sic Samuel & Moses sese irreprehensibiles coram populo testantur, dum nemini Bouem aut Asinum abstulisse, aut calumniam fecisse gloriantur.

7 Manifestum est igitur, Paulum de eiusmodi criminibus loqui, quæ sint etiam mundo reprehensibilia.

8 Qualia & ipse exempli vice numerat, scilicet, si non præsit familiæ, non castiget liberos, si vinolentus, superbus, auarus, sæuus, &c. fuerit.

9 Vt quale crimen est, filios non castigare, familiæ non præesse, tale aut par, aut maius necesse est prohiberi vnitate vxoris.

10 Quod esse aliud non potest, quàm ne limites honesti coniugij & thori immaculati transgrediatur.

11 Sed sit vna & sua contentus vxore, ne aut virgines vitiet, aut alienas permolat vxores, aut cum quauis scortetur.

12 Nam vt libidinem possit in alijs arguere, oportet ipsum primo ab ea purum esse.

13 Et vt laudatam castitatem prædicet fœliciter, ipsum in primis castum esse decet.

14 Nec enim credi potest, cum tot in Episcopo dotes requirat, vnam castitatem voluisse omittere.

15 Idèo non est dubium, Apostolum vnitate vxoris, castitatem docere, non nouum Cęremoniæ periculosæ laqueum & scandalum ponere voluisse.

16 Eam castitatem sanè, quæ tutissima sit, absque illo singulari dono præstari queat, nempe coniugalem.

17 Cùm enim reliquæ dotes sint omnes Spirituales, & nulla Cæremonialis, consonum est, & castitatem non cęremonialem, id est, Monogamicam esse.

18 Vt (vnius vxoris Vir) idem sit, quod illud 1. Cor. 7. Vnusquisque Vxorem suam habeat.

19 Quod illic suam, hîc vnam Vxorem vocat, volens scilicet, ne diuersas aut alienas vxores polluat.

20 Sic & Diaconos præcipit vnius vxoris Viros esse, hoc est, quemlibet cum sua vna vxore castum viuere.

21 Alioqui quanta sit absurditas, quod multos Diaconos vnius vxoris, velut communis scorti, Viros esse, videretur statuere.

22 Neq; Paulus aliud istis duobus vocabulis (vnius vxoris) intelligit, quàm quòd Latinè simpliciter Vxorem dicimus.

Græcè

Græcè enim γυνὴ non dicitur propriè Vxor, ſed etiam mulier in Genere, quemadmodum Weib Germanicè.

Vbi ſi dixiſſet: Oportet Mulieris eſſe Virum, non potuiſſet de vxore intelligi, & Aduerſario dediſſet cauillandi occaſionem.

Ideo, vt vxorem propriè ſignificare, vnius mulieris Virum, penè Periphraſi quadam, placuit dicere.

Nam & vſus Scripturæ habet, adulteros & ſcortatores dici Mulierum Viros, Iohan. 4. Quem, inquit, iam habes, non eſt tuus Vir.

Sic vnitate vxoris ſimul Chriſtianam nubendi libertatem Epiſcopis confirmat, Magis tamen vagam libidinis licentiam ex verbo prohibet.

Studio enim præuenire voluit Dæmoniacas doctrinas eorum, qui erant nuptias Epiſcopis prohibituri.

Ideo viſum eſt Spiritui, ſic dicere: Vir vnius vxoris ſit potius quàm ſic: Ne ſit adulter, ſcortator aut immundus.

Nec defuiſſet Paulo, alioqui componendæ vocis ſtudioſo, etiam hoc loco, vox Monogami, ſi Digamos voluiſſet damnare.

Scilicet Philagathon, Philoxenon, & id genus multa vſurpat, Monogamum tamen vitat, & vnius Vxoris virum mauult dicere.

Vt non de ſingularitate Coniugij aut nuptiarum, ſed de ſingularitate mu lieris ſeu vxoris cogeret ſeſe intelligi

Vocabulum enim (vnius) non tam affirmatiuè quàm negatiuè neceſſariò accipitur.

Si enim affirmatiuum eſſe Præceptum, non liceret vnquam Epiſcopum cœlibem eſſe, ſed neceſſariò vnius ſemper vxoris virum.

Mortua ſcilicet vna, ſine fine Polygamus duceret aliam, ne quando Epiſcopus non eſſet vnius vxoris vir, contra Paulum.

Sicut enim nunquam non debet eſſe ſobrius, vigil, ſuauis, &c. Ita nunquam non cogeretur eodem virtutum Catalogo, eſſe vir vnius Vxoris.

Mortua vna vxore, Epiſcopus quidem eſſet, ſed non vir vnius vxoris, quod tamen Paulus præcipere dicitur.

Ridiculum verò eſt, Epiſcopum à defuncta vxore, id eſt, à non Vxore, virum vnius vxoris dici, & vt talis ſit, præcipi.

Eadem facilitate diceres, Epiſcopum eſſe adulterum, auarum, & impium, à defuncta adultera, rapina & impietate.

Nec minus Iudæum aut Gentilem eſſe diceres, à mortua circumciſione & idolatria.

De viuente igitur & cohabitante Vxore loquitur, quando mortua non magis eſt vxor, quàm lapis & lignum.

Et Paulo moris ſit, defunctæ vxoris Virum potius liberum & ſolutum ab vxore dicere Rom. 7. 1. Corinth. 7. Quod & res ipſa loquitur.

Nec Paulus dicit: Oportet Epiſcopum fuiſſe vnius vxoris Virum, Sed eſſe oportet vnius, inquit, vxoris virum.

Stat igitur, Pauli verbum eſſe magis negatiuum, non de Digamia, ſed de vaga libidine prohibenda.

Si aliud his verbis extorquetur, neceſſe eſt, violentum, dubium, infidumque pro fulcienda conſcientia torqueri.

Imò falſum eſſe conuincet vel vnica hæc vox, ἀνέγκλητος, hoc eſt, inaccuſabilis.

Quo verbo neceſſe eſt crimen prohiberi, quod Gentes offendat, & malæ ſit apud eas ſpeciei.

48 Nunquam verò factum aut auditum est, Digamos apud gentes crimino-
sos, ac non potius honoratos haberi

49 Simul constat, Digamiam opus Dei esse, à Paulo probatum, & in benedi-
ctione Dei, Gen. 1. Comprehensum.

50 Si verò scandalum est, apud impios Papistas scandalum est, quibus om-
nia verba & opera Dei, nihil nisi scandalum sunt.

51 Huc valet ipsiusmet Pauli exemplum, qui sese inter viduos numerat. 1.
Cor. 7. dicens: Eos velle omnes esse sicut seipsum.

52 Et tamen 1. Corin. 9. Sibi & Barnabæ copiam facit sororculæ Vxoris
circumducendæ, exemplo aliorum Apostolorum.

53 Quæ copia nihil esset, frustraque iactata, si Digamia prohiberet Apostо-
lum aut Episcopum esse.

54 Et ipse Hieronymus, alioqui nuptiarum secundarum penè hostis, tamen
defendit Episcopum illum Hispanum, qui Digamus fuerat.

55 Et rectè colligit, Si scortator multorum scortorum vir, potest fieri Episco-
pus, non prohiberi meliorem vnius secundæ vxorculæ maritum.

56 Nec Sancti Augustini contraria sententia, licet recepta, quidquam habet
momenti, qua dicit: Episcopum debere Christum vnius Ecclesiæ sponsum re-
præsentare.

57 Eadem ratione quilibet coniunx cogetur monogamus esse, cùm totum
coniugium (Ephe. 6.) Christum & Ecclesiam repræsentet.

58 Quin virginem cogeretur Episcopus seruare suam vxorem, vt Christo vir-
ginis Ecclesiæ sponso, responderet.

59 Simul & repudiare aliquam priorem teneretur, sicut Christus repudiauit
Synagogam.

60 Deinde mortua vxore, qua forma erit Agamus Episcopus, Christo Eccle-
siæ viro similis.

61 Si igitur necesse esset Symbolum Christi & Ecclesiæ præstari, latis in sin-
gularitate vxoris, etiam à Digamo & Trigamo præstaretur.

62 Dato & nondum concesso, inter Gentes pro crimine & scandalo censeri,
pluralitatem vxorum Mosaica Lege statutam.

63 Vt inter Gentes liberas à Lege Mosi, propter scandalum apud eas, Episco-
pus vnius Vxoris Vir esse cogatur.

64 Tamen inter Iudæos, hoc instituto Episcopum ligari, non potest certò
demonstrari.

65 Siquidem nota sunt iura Mosaica de Fratris defuncti vxore, & de filia cor-
rupta inuito Patre, quæ cogunt plurium esse vxorum virum.

66 Quæ non magis sunt abrogata, quàm reliqua omnia, id est, libera, nec
prohibita, nec præcepta.

67 Nisi permissam illam pluralitatem prohiberi dixeris, quæ ex repudio ve-
nit etiam à Christo reuocatam & damnatam.

68 Alioqui nullam pluralitatem vxorum prohiberi diceret talis Episcopus,
nisi quæ non coacta per Legem, aut vulgata per vsum, sed quæ libidine peteretur.

69 Quod autem in vna vxore Patres Monogamiam intellexerunt, simile est
illi, vbi quinque talenta, quinque sensus, & fructum centesimum, virginitatem
intelligunt.

70 Cùm fides non ferat, vt Gentes talentum Christi & fructum Euangelij
habeant, quæ tamen quinque sensus & virginitatem habent.

71 Digni scilicet venia, quod studio castitatis in hanc partem excesserunt
dum in partem libidinis deficere timuerunt.

Quis

Quia indignum videbatur, id inter fideles non excellentius inueniri, quod in aliquibus gentibus cernebant vtcunque præstari.

Quod autem de vnius vxoris viro dictum est, Idem de vidua vnius viri vxore intelligendum est.

Vt vidua hæc sit honesta fœmina, quæ suo & vno viro contenta, adulteris & scortatoribus se non prostituerit.

Aut si de Iudæis inter Gentes loqui libet, de repudiata & alijs, iure Mosaico, vxoribus recipiendis, ne Gentes offenderentur, intelligitur.

Turpè enim est, vt mulierem omnium (vt dicitur) virorum alat Ecclesia, aut Episcopum omnium mulierum virum præficeret ministerio.

Errant igitur, qui Digamiam à Paulo damnari in Episcopis hoc loco sentiunt.

Rei quoque sunt Blasphemiæ, & in opus Dei, & in verbum Pauli, quod Digamiam inter crimina censent.

Multò fœdius errant, qui honestam viduam Episcopo vxorem prohiberi à Paulo docent.

Quin, si scortatorem Episcoporum faciunt, Non video, cur scortum post pœnitentiam membrum Christi factum, vxorem Episcopi fieri nolint.

Ego nec corruptam prohibere ausim Episcopo, si vi aut dolo corrupta, post honesta vixerit.

Quantò iniquiores sunt Papistæ, omnium libidinum lernæ & sentinæ, reijcientes eum, qui ignarus vitia tam virginem duxerit.

Cùm interim mille scortorum virum suscipiant, & publicum scortatorem in officio etiam defendant.

Euidens operatio Satanæ est, quod cùm omnes alias dotes in Episcopis negligant, solùm castitatis laqueum Tyrannicè vrgent.

Atque hæc est illa Gloria, quam aduersarius iactat, quod Papistæ nunquam cum Digamis dispensare voluerunt, pro pecunia, licet sint auarissimi.

Eiusdem Gloriæ & pudoris esset, si diceres: Papistæ, cum superent libidine Zodomam & Romam, nunquam tamen in castam saltem Monogamiam Episcopi consentiunt.

Et Phalaris cùm detestetur omnem virtutem & honestatem, nunquam tamen flectitur, vt miseris cruciatum remittat.

Quasi non sit impudentia turpissima, à turpissimis impiorum hominum moribus, dogmata pro Ecclesia Dei trahere.

Eadem prudentia pro instituenda virgine, à Lupa & Lena mores & exempla petere doceas.

Aut adolescentem ad virtutem & honestatem horteris, Absalom & Nero eius exemplo.

Hinc certum fit, istarum Propositionum artificem, non veritatis studio moueri, sed magno Euangelij odio ardere.

Sed & ipsimet Christo & Paulo impiè pugnant, qui Digamiam Episcopo prohiberi, pertinaciter asserunt.

Christus enim absque personarum differentia, etiam ad ipsos Apostolos loquitur: Qui potest capere, capiat. Et: Non omnes capiunt hoc verbum.

Anathema verò sit, verba Christi personatu adiecto deprauare, quæ ipsemet sine personatu dicta & intellecta voluit.

Et Paulus 1. Cor. 7. Vnumquenque præcipit sua vxore contentum esse, nec Episcopi, nec vllius personam excludens.

96 Et melius esse nubere, quàm vri, planè omnibus, qui Corinthi erant (vt Epigrapha monstrat) consuluit.

97 Nec laqueum vlli vult inijcere in periculum conscientiæ, sed quod honestum & vtile sit, indicare.

98 Imò cùm nuptiarum interdictores, ad Timotheum, palam asserat dæmoniacos Doctores esse, certum est, liberam Digamiam Episcopo concedi.

99 Denique verbum illud: Crescite & multiplicamini, generaliter omnibus, qui homines sunt, ac creatum & necessariò impositum est.

100 Contrà quòd nulli statuere aut viuere licet, nisi alio certiore verbo facto, aut dono Dei excipiatur.

101 Sicut enim nulli licet seipsum occidere, aut manu propria castrare. Ita nulli licet sexum suum (nisi volente Deo) extinguere, aut ab officio cohibere.

102 Cùm verò nulla stet promissio Dei, Episcopos fore ab illo generali verbo exceptos.

103 Patet, non posse vllo statuto Episcopos ad cœlibatum vllum cogi, nisi per Doctores dæmoniacos & aduersarios Dei.

104 Si Papistæ reprobant eos, qui seipsos castrant corporaliter, tanquam ministerio & Episcopatu indignos.

105 Multò magis reprobare deberent eos, qui sexu repugnante (Id est, Deo nolente) sine vxore viuere præsumunt.

106 Hoc potius in Pauli Catalogo spectandum erat, vt inter dotes ipsas Episcoporum, iustus & pius delectus haberetur.

107 Vt quæ dotes plurimum commodarent Ecclesiæ, priuatis & personalibus præferrentur.

108 Summa enim iniquitas est & peruersitas, si priuatum bonum publico præferatur, & propter rem personalem pereat communis salus.

109 Vt fit, si Episcopus doctrina præ cæteris salutaris & verbo potens, propter priuatum coniugium à ministerio reijciatur.

110 Et alius verbo minus vtilis, propter priuatum cœlibatum in illius loco, ceu lapis statuatur.

111 Vt ille propter rem priuatam & innoxiam cogatur, relicto verbo, & animarum salute, mensæ seruire.

112 Imò contra Dominum, in perniciem animarum, acceptum talentum interram defodere.

113 Iste verò truncus, propter solam castitatem, in ludibrium Satanæ & ignominiam Ecclesiæ, velut idolum in Episcopi loco sedere.

114 Quantò rectius ille doctus & salutaris, licet Digamus aut Trigamus, etiam de media plebe ad Episcopatum raperetur.

115 Cœlebs verò iste cum sua inutili castimonia in mediam plebem detruderetur.

116 Et cauendum, ne, qui sit aptus regno cœlorum, per Doctrinam promouendo, cogatur aduersus Christum retro respicere, & mortuos sepelire.

117 Igitur longè maior habenda est ratio talenti accepti & verbi tractandi, vt publici & necessarij boni.

118 Quàm Monogamiæ aut cœlibatus, vt priuati & non necessarij boni.

119 Vndè si scandalum Episcopos deponere debet apud Papistas, ignorantiæ & indocibilitatis potius, quàm coniugij, deponere debebat.

Etsi

120 Etsi ferendum erat alterutrum scandalum, potius Digamiæ, quàm indocibilitatis, ferendum erat.

121 Crudele quoque & impium est, vt Episcopus sine culpa, consilio & remedio Pauli frustretur, & vel cœlebs viuere, vxore mortua, vel ministerio cedere cogatur.

122 Frustrari autem necesse est, tum remedio, tum consilio Pauli eum Episcopum, Qui metu libidinis Vxorem duxit, quæ biduo vel triduo post moritur.

123 Tum verè Paulus non consilium (cùm sit mors vxoris incerta) sed lubidrium, Nec remedium coniugij, sed certum periculum & laqueum posuisse videretur.

124 Tutius enim esset, prorsus non fieri Episcopum, aut non vti consilio Pauli, quàm tanto periculo vel libidinis, vel ministerij relinquendi fluctuari.

125 Sicut in primitiua Ecclesia laudabile fuit, virginitatem & cœlibatum extollere, contra licentiam Iudaici coniugij & gentilis scortationis.

126 Ita nunc laudabile est, coniugium extollere contra cœlibatum Ecclesiæ deriuatiuæ, id est, contra prostibulum papisticæ abominationis.

127 Cùm enim cœlibatus hodie sit ferè vocabulum sine re, pernicioſissimi scilicet exempli.

128 Rectè facient etiam ij, qui non valde vruntur, si exemplo suo coniugij causam iuuent, ad illius condemnationem.

129 Nam cùm Daniel & Paulus Antichristum prædicent, fore hostem coniugij, autoremque libidinis & omnis peccati.

130 Consultum & salutare est, sub hoc impuriſſimo libidinis regno, quocunque coniugio liberari.

131 Sanctius scilicet est, vel Trigamia vel Hexagamia viuere, quàm in publicoisto & impunito omnium libidinum Chao perire.

132 Atque si Digamus etiam verè esset criminosus, tamen deponi nullo iure posset, nisi primo criminosiores Papistæ cum suo impuriſſimo cœlibatu funditus eradicati essent.

133 Alioqui seditionis periculo punirentur Digami tolerabiles, Et liberi permitterentur intollerabiles Papatus scortatores.

134 Proindè aduersarius noster trabem apud suos considerare debuit, antequam festucam apud nos fingeret inueniri.

135 Ne, dum ficto crimine insontes maculat, Patronum & participem sese tiusabominationis Papistarum faciat.

136 Quid multis? Nullius Gentis aut linguæ vsu Digamus dicitur, qui pluresfuccessiuè vxores seu viduam duxerit.

137 Sed natura vocabuli, Digamus is tantùm dicitur, qui simul plures vxores habuerit.

138 Qualis fuit Lamech ille Gene. 4. Ahraham quoque & Iacob, non tamtùm Sacerdotes, sed & Christi & Prophetæ Dei appellati.

140 Logomachia igitur & profana Papistarum Cenophonia est, Digamum deprauato vocabulo dici, qui vnius secundæ, aut viduæ, aut corruptæ maritus est.

ERRANT QVI DAMNANT SECVNDAS NVPTIAS.

Genes. cap. 25. Tom. 2. fol. 251. Singulari Dei consilium hoc loco apparet. Spiritus Sanctus enim, qui longè ante prospicit & præuidet futuros errores, studet eos præcauere & refutare: Vt scilicet Hæretici pudore suffunderentur, qui aliquando damnaturi erant secundas nuptias, quorum vnus est Hieronymus, qui secundas nuptias adeo vituperat, vt pro adulterio habeat.

Proposuit igitur hoc loco exemplum & testimonium insigne suæ voluntatis Deus, quod non damnet secundas nuptias, quæ fiunt mortua prima coniuge, quin potius iusserit per Patriarcham suum Sem, vt senex decrepitus duceret vxorem.

Et videtur hoc voluisse docere & testari Deus, sibi mirabiliter gratam esse generationem prolis, vt sentiamus eum tueri & defendere verbum suum CRESCITE. Non est inimicus proli sicut nos, quorum multi non quærunt prolem. Sed Deus adeo vrget suum verbum, vt aliquando det prolem etiam ijs, qui non expetunt, imò oderunt: Nisi quòd aliquibus interdum vehementer expetentibus tendi causa non dat. Et quod magis est, ita videtur vrgere generationem, vt etiam adulteris & scortatoribus nascantur filij contra voluntatem ipsorum.

Quanta ergo malicia est humanæ naturæ? Quàm multæ puellę sunt quæ impediunt conceptionem, & necant atque expellunt teneros fœtus? Cùm generatio sit opus Dei. Ac coniuges quidem qui honestè contrahunt, & cohabitant, diuersos fines, sed rarò prolem spectant.

Primus gradus coniugum eorum est, qui quærunt prolem, & ideo hoc vitæ genus appetunt, vt fiant parentes: Quanquam etiam peccatum Originis accedit, tamen illa est Principalis causa. Hi quidem sunt Angeli collatione aliorum, quia cupiunt vti coniugio ad generationem, eorum exiguus admodum numerus est: Ac simpliciter inter Angelos eos refero, non inter homines. Magnum enim donum Dei est, si spectem & petam tantùm prolem ex muliere, præcipuè si intelligam molestias coniugij: Morsus & tela Diaboli. Talis fuit Abraham, quem numero inter Angelicos maritos, qui quærunt Semen Dei, vt Malachias inquit.

Secundus gradus eorum est, qui ducunt Vxores vitandæ fornicationis causa, non auersantur aut oderunt prolem, sed Principalis eorum finis est, vt castè & pudicè viuant. Hi quoque boni sunt, sed non sunt pares primis: Si dat Deus prolem delectantur, & diligunt Vxorem & prolem, & faciunt officia vocationis sedulò.

Tertius gradus est eorum, qui appetunt Vxores tantùm voluptatis causa, quibus non est curæ proles, sed molliter & suauiter viuere volunt, & habere pulchram puellam qua se oblectent.

Quartus gradus est eorum, qui ducunt vetulas & dominas propter opes aut gloriam. Illis dat Deus calicem passionis vt Bernardus loquitur, quia simpliciter quærunt opes & gloriam, non generationem prolis, & tamen non sunt reprobandi, propter reuerentiam & gloriam nuptiarum.

Sed monendi sunt homines diligenter, eiusmodi exempla Patrum, non tradenda in exemplum & imitationem, quia magnum discrimen est inter libidinem Abrahæ & vetulæ, quæ nubit adolescenti: Quanquam enim est sub peccato libidinis æquè ac alij, tamen est Dominus, non seruus libidinis, imò puritas in eo est, & sine-

& sincera dilectio prolis. Vincit enim amor prolis & seminis, sicut inter gentiles pariter & Christianos, multi sæpe ob varias causas, valde desiderarunt sobolem.

Primùm igitur sentio Keturam non esse Hagar. Deinde neutiquam reprehendendam duco Abraham, sed honestissimè tractandam castitatem coniugij, & laudandum eius amorem, quem habet erga prolem, propter multiplicationem, Oeconomiæ, Politiæ & Ecclesiæ, quod si quæ aliæ infirmitates concurrunt: Tamen non sunt principalia.

REFVTATIO HIERONYMI CONTVMELIOSE TRACTANTIS *coniugium.*

Tom. 4. Ienens. fol. 478. Psal. 128. Porrò supra attigi, Hieronymum, & post eum, alios quoque disputare de hoc Psalmo, cur Dauid tantopere commendet, beati viri vitam si Vxorem habuerit, cùm tot in sacris literis sint Sancti, qui cœlibes vixerunt, qualis fortè fuit Elias, Elisæus & similes, quanquam de his affirmari id certò non possit, de Ieremia potest, In nouo autem Testamento longè speciosius exemplum est, omnium ferè Episcoporum, præsertim si posteriora tempora spectes, Imò etiam quorundam coniugum, sicut de Rege Henrico & Kunigunde, commemorant, qui abstinuerunt à copula carnis, vt loquuntur & vixerunt casti. Tales igitur omnes an non sunt beati, dicunt, cum Spiritus Sanctus hic tantùm coniuges beatos prædicet? Hieronymus hic se ad allegoriam vertit, & sequitur suum magistrum Origenem, & ex Vxore facit Ecclèsiam, sicut postea celebris hæc sententia fuit, cùm Paulus dicit: Episcopus sit maritus vnius Vxoris vt exponerent, id est, vnius Ecclesiæ, Item habeat filios honestos & obedientes, hoc est discipulos seu auditores honestos. Ad hunc modum respondent isti. Quidam cùm vident, quàm hoc ridiculum sit eò decurrunt, vt dicant Propheram locutum esse pro ratione suorum temporum, quibus frequentior coniugij fuit vsus, sed ne hoc quidem satisfacere potest ingenioso homini.

Sic itaque respondemus, Psalmum hoc solùm agere, vt erudiat homines pios de hoc genere vitæ diuinitus instituto, non hoc agere vt cogat aut præcipiat pariter omnibus, quod oporteat Vxorem ducere, sed vt qui duxerunt, aut sunt ducturi, intelligant quid habeant, cùm Vxores habent. Ita vt libertas sua maneat, tum cœlibatui, tum coniugio. Quis enim ad coniugium cogat non indigentem coniugio? Qui tales sunt vt hoc verbum possint capere, maneant cœlibes, & glorientur in Domino, sicut qui non vocantur ad Rempubl. priuati manent, qui non vocantur ad ministerium Ecclesiarum, manent inter auditores. Par omninò hic ratio est. Cùm per infirmitatem naturæ suæ non cogantur ad coniugium, sed ex eorum numero sint, qui coniugio carere possunt, rectè faciunt, quod coniugio abstinent, & ijs molestijs se non onerant, quibus carere possunt. Econtrà qui non sic robusti sunt dono Dei, sed sunt propriæ infirmitatis sibi conscij, quod non simul castè & extra coniugium possint viuere, hi pluris facere necessitatem suam debent, quàm incommoda & molestias coniugij.

Nunc facilis responsio est ad disputationem illam, si prius statuas Psalmum tantùm ornare & commendare donum hoc, non vrgere & cogere ad coniugium. Ne insaniamus sicut primus Phanaticus Spiritus qui in Schola nostra extitit, is ex loco Pauli ad Timotheum hoc volebat euincere, Non posse pastorem esse, nisi etiam maritus esset, quasi dicat, non posse esse Principem, aut Magistratum nisi Vxorem habeat.

Hæc neque Pauli ſententia eſt, nec Pſalmi huius, in quo Spiritus Sanctus laudat coniugium, & docet, qui in eo ſunt, quomodo rectè eo poſſint vti. Cæterùm vnus Spiritus alijs ſic, alijs aliter diſtribuit dona ſua. Sumus quidem in vno corpore, & ornamur ab vno & eodem Spiritu, ſed non eodem modo. Itaque qui ſine coniugio non poſſunt caſtè viuere, vxorem ducant, & ſciant ſe habere inſigne & excellens donum, à Deo conditum, ad infirmitatem ſuam medicandam ſicut Scriptura fœminam vocat adiutorium viri. Qui autem Caſtitatis donum habent, viuant cœlibes, vt ita quanquam donis ſumus diſpares, tamen ſinguli in noſtris donis ſeruiamus Deo, & viuamus ſine ſcandalo, ad vtilitatem proximi.

Hæc itaq; vera eſt ſolutio, quod Pſalmus hoc vitæ genus commendat. Non itaque negat nos eſſe beatos, qui extra coniugium Sanctè & caſtè vixerunt, ſed hoc manifeſtè prohibet, ne coniugium vituperetur. Oculus ſanè præſtantius eſt membrum quàm auris, & tamen non poteſt nec debet officium aurium aſpernari. Sic ineptum eſſet ita laudare Theologum profeſſionem ſuam, vt profeſſionem legum damnaret, Sic & Iureconſultus non debet cum contumelia Medicinæ, Poeta cum contumelia Rhetorices, profeſſionem ſuam ornare, diuerſa ſunt dona. Hoc igitur faciendum eſt, vt vnuſquiſque in ſuo dono laudet & honoret Deum, atque eo vtatur ad reipub. vtilitatem, & ſinat alios quoque in ſuo genere pro viribus adiuuare Rempub. Theologus ſanè maior eſt Grammatico & Aſtronomo, ſed non ideo Grammaticum & Aſtronomum contemnere, multò minus in eum contumelioſus eſſe debet. Ament inter ſe tanquam fratres, & ſint pia familia ſummi patriſfamiliàs, ac ſinguli in ſuo vocationis genere ſeruiant Domino. Hoc non norunt, qui putant, cùm Dauid coniuges laudet, ac beatos prædicet, alios, qui extra coniugium ſanctè viuunt, negare beatos eſſe. Nam Spiritus Sanctus purè laudat donа Dei, ſine contumelia aliorum donorum, nec ſic prædicat coniuges beatos eſſe, vt eos damnet, qui in coniugio non viuunt. Sed cùm coniugium in mundo variè vituperetur, & obſcurentur eius veræ laudes, primùm ſenſu carnis, Deinde etiam ſuggeſtionibus Diaboli, & ſugillationibus mundi, vult Spiritus S. hoc donum, ſic contemptum ab ijs, qui id habent extollere & amplificare, ita tamen ne alijs donis aliquid detrahat. Maneant viduæ, maneant virgines in ſuo loco. Spiritus Sanctus enim nunc inſtituit dicere non de viduis, non de virginibus, ſed de coniugio, vt qui in coniugio ſunt, norint donum ſuum.

Quod igitur Hieronymus ſatis indoctè obijcit, Abraham, Iſaac, & alij Patriarchæ, ætate plus ſatis matura duxerunt Vxores, & multos annos vixerunt in coniugio ſine liberis, Ergo non fuere beati ſecundum hunc Pſalmum, Neganda eſt conſequentia. Nam Abraham, Iſaac & alij fuere beati, etiam ante ductas vxores, & ſuſceptos liberos, ſicut omnes credentes & Baptiſatæ tum viduæ, tum virgines, beatæ ſunt. Quod autem ad Pſalmum attinet, ſimpliciter de dono loquitur, & docet, non vrget ad donum, ſed donum in mundo ſic conſpurcatum ornat. Ergo id ex Pſalmo non ſequitur, quod iſti conantur efficere odio quodam coniugij. Fingunt quidem Monachi, ſe coniugium ideo fugere, vt caſtitatem amare videantur, ſed non eſt verum. Diuo Paulo potius credendum eſt, dicenti, quod Spiritus erroris, non ſtudio caſtitatis, coniugium damnabunt, præſertim nunc poſita Lege, qua coniugium prohibent. Ambroſium multa arguunt ſpontè abſtinuiſſe à coniugio. Huius exemplum fortaſſe alijs quoque certo conſilio ſecuti ſunt. Sed Hieronymus ita contumelioſè de coniugio loquitur, vt prorſus non poſſit excuſari, ſicut nec hodie noſtri Papiſtæ, ſic neque Gregorius excuſari poteſt, qui Legem de cœlibatu & coniugijs ſoluendis propagauit etiam in alias Eccleſias. Loquun-

Loquuntur vterque mendacium in Hypocrisi, quando dicunt, quod amore castitatis coniugium detestentur. Non enim sunt, nec possunt esse casti, sicut quotidiana scelera ipsorum ostendunt, sed hoc sectantur, vt sint liberi & securi ab illis molestijs, & simul specie ac Hypocrisi opinionem Sanctitatis apud vulgus colligant, vt videantur tanquam spectacula & Angeli in mundo esse, non homines, & ideo digni habeantur, qui labores alienarum manuum manducent. Hæc est, præsertim nostrorum Papistarum, Monachorum, sacrificulorum, & monialium sacra, hoc est, execrabilis castitas.

Qui hoc modo à coniugio abstinent verè sunt Antichristi, secundum sententiam Danielis, qui hanc insignem Antichristi notam esse dicit, quòd concupiscentiam mulierum non curabit. Id glosa quoque de Antichristo exponit his verbis, quod simulaturus sit castitatem, vt facilius decipere possit. Nos autem hanc quoque causam addimus, vt delicatum hominum genus, molestiam, curas, & solicitudinem istam effugeret, quam coniugium secum affert, dignam quidem pio viro, si ita ei Dominus dederit. Sed qui sine peecato coniugio carere possunt, fruantur ij suo dono, sine aliorum contumelia, quibus id donum non est. Alij omnes potius, quàm impurè viuant sine coniugio, deligant castitatem coniugalem, puriorem & meliorem, & Deo magis gratam, quàm omnium Papistarum castitas esse potest, etiamsi in totum à mulierum congressu abstinerent, quod tamen quomodo faciant notum est. Si igitur sunt quidam, qui donum castitatis habent, vt sine coniugio ardoribus carnis careant, hi maneant in suo dono. Contrà qui vruntur, hi imbecillitati suæ consulant, secundum Pauli verbum, & ordinationem Dei, qui homini voluit fœminam esse adiutorium, vt etsi dona sint differentia, tamen eiusdem Domini serui maneamus, retinentes bonam conscientiam, & nemini scandalum præbentes.

Sic coniugium sanctum, laudabile bonum & vtile genus vitæ est, quare meretur, Sicut Psalmus hîc facit laudari, etsi caro & mundus, propter incommoda quæ habet, non possit id laudare, sed potius admiretur ac prædicet cœlibatum. Sed hoc non est verbum Dei sequi. Caro enim prædicat & distinguit dona secundum suum iudicium, & statuit melius & purius seruire Deo, in cœlibatu, quàm coniugio. Sicut Hieronymus facit in pestilentibus libris contra Iouinianum, quem tamen apparet plus eruditionis & iudicij habuisse in vno digito, quàm Hieronymus in toto corpore. Neque enim virginitatem cum contumelia coniugij laudare debuit, sed sic potius dicere, vt qui virgines sint, seruiant Deo in suo dono, non ideo coniugium damnandum esse, sed prædicandum tanquam genus vitæ à Deo conditum, etiam tum, cum natura adhuc esset integra, & peccato nondum vitiata. Sed Hieronymus neque pietatis, nec iudicij tantum habet, sed simpliciter, sicut indocti Monachi adhuc solent, prorumpit, Bonum est homini sic esse. Ergo coniugem esse malum est. Item, Bonum monile Ecclesiæ, Eustachium virginem esse. Ergo coniugem esse malum est. Qualis quæso hæc vox? Monile Ecclesiæ est, credere in Christum, esse Baptisatum & communicatum, sed virginem aut coniugem esse, sunt diuersa dona, Deo æque grata. Nam quod de coniugio obijciunt, Tribulationem carnis habebunt eiusmodi, hoc nos libenter concedimus, sed ea non coniugij culpa est, sed peccati, quod habent etiam isti, qui non sunt coniuges Genes. 3.

Hæc respondere volui ad Hieronymi sententiam, nugantem cum Origene suo, & fingentem per Allegorias ineptos patres & filios spirituales, Quibus sermonibus occasionem dederunt Papæ, vt se faceret sponsum seu maritum Ecclesiæ. Hæc error errorem peperit. Ego autem optarim sponsum hunc cum Iuda ex arbore pendere, & inferno sepultum esse, potius quàm vt hoc modo Christo nomen suum eriperet.

Vnus

Vnius enim sponsus & maritus Ecclesiæ tantùm est, Iesus Christus, Reli-
qui omnes Sancti sunt amici sponsi, sicut se Baptista vocat, Ecclesia est sponsa seu
vxor, filij sunt fideles, qui quotidie accedunt. Hi per fidem etiam fiunt sponsa,
communicant enim cum bonis sponsi, & consequuntur fide iusticiam Christi &
merita. Si Papa bonus est, est in horum numero, non sponsus, non maritus, sed
sponsa accipiens de bonis sponsi, sin malus est, est sponsus Satanæ, & amicus Iudæ.

Summa igitur responsi nostri est, Quod hic Psalmus non cogat ad coniu-
gium, tanquam necesse sit omnes in Coniugio viuere, neque enim præiudicat
Christi verbo, dicentis: Qui potest capere, capiat, Sed simpliciter laudat coniu-
gium aduersus carnem, & pestilentia exempla mundi, quæ omnia hoc genus vitæ
impugnant, propter molestias quæ coniugibus obijciuntur, eas qui decreuerunt
fugere, polluuntur scortatione & adulterijs, & sic etiam exemplo nocent.

Aduersus has viperinas linguas, & exempla plena scandali, munit hic Psal-
mus animos. Mundus vocat vxorem necessarium malum, ac Petrus ob certam
causam, & tamen sine contumelia, vocat vas infirmum, Sed vide, quid hic Spiritus
dicat, quomodo ornet ac prædicet vxorem, dum eam comparat viti fœcundæ, &
liberos quos marito parit, plantulis oliuarum. Dic verò an in vllis literis extent
tam elegantes & significantes ac iucundæ similitudines duæ, sicut hæ sunt? Imò
an etiam in alijs locis sacræ Scripturæ inueniantur? Apprehendit enim duas
nobilissimas arbores, vitem & oleam, vnde duo præstantissimi liquores colligun-
tur, atque his comparat illas, scilicet coram mundo contemptas res, Vxorem, &
fructus eius liberos. Si conditionem consideres, Vxor est infirmum vas, & fe-
xus longè infra masculam virtutem positus, præsertim si compares ad eas res, quæ
per masculos geruntur, per mulieres autem geri non possunt, Sed Spiritus San-
ctus donum considerat, & amplitudine doni abscondit, quicquid in sexu incom-
modi est, idque splendidissimis similitudinibus obruit.

Vt autem aliquo modo possimus videre causas, cur tantopere prædicet hunc
sexum Spiritus Sanctus, fingamus nos omnes non esse coniuges, siquidem coniu-
gium mundus detestatur, sed cœlibes, imò fingamus neque masculum nec fœmel-
lam esse, sed quiddam vnum quod neutrum sit, vt ideo cœlibatus possit fingi perfe-
ctior, Quid quæso cum tali mundo, & fœlici ac puro cœlibatu futurum est?
Quàm diu subsistet species? An non intra annos viginti totus mundus deserti
& vastæ solitudinis imaginem habebit? Quis tum erit vsus auri? Quis argen-
ti? Quis argenii? Imò quis erit vsus Solis, Lunæ, & onimum terra nascenti-
um? Deficiente subitò genere humano, si hoc modo coniugium abolitum, &
beatus, si dijs placet, cœlibatus statuatur?

Quin huc vide, vbi tum erit ministerium verbi? Quis fructus erit benefi-
cij Christi? Cur igitur cœlibatum sic laudas, vt extenues dignitatem & maxi-
mos fructus coniugij? Quin vtrumque lauda pro sua dignitate & merito, ac
præsertim considera hoc in loco, quomodo Spiritus Sanctus te doceat tuam inspi-
cere vxorem, Nempe non sicut infirmam carnem, quæ saluo pudore, sic cogor
loqui propter Blasphemos contemptores creaturæ Dei, mingat, sudet, & reliqua
naturæ faciat. Cur enim hoc non etiam in vite facis? Cur eam non contem-
nis propter stercus, quod ad radices ponitur? An non potiorem rationem ha-
bes succi, qui hoc modo ex vite producitur? Sic in olea neminem offendit aspe-
ritas corticis, & quòd fimo curanda ac quasi saginanda radix est. Nam fructum

Quis

potissimum spectamus omnes.

Quis igitur non seriò indignetur, eam hominum esse prudentiam, vt deligere in alijs vilioribus rebus optima, & mala aut tegere aut negligere soleant propter maius bonum seu commodum, & tamen hoc non faciant in nobilissima Dei creatura fœmina? Quasi verò non etiam vxores eiusmodi fœditates (sic enim delicati isti vocant) in maritis reprehendere possint.

In prole possumus discernere inter prolem & stercus, vlcera, morbos, & si quid aliud dici potest. Quis enim abijcit filium, quod stercore se defœdarit? Imò quis abijcit, quod aut scabie deformatus est, aut peste, aut alio contagioso morbo infectus? An non stercus abluitur? An non in morbo solicitè curatur, vt nobis maneat incolumis? Sic naturalia vitia obruimus magnitudine eius boni, quod putamus nobis in incolumitate liberorum esse positum. Hic quis non videret, imò quis non execraretur eum, qui diceret, propter stercus aut morbum etiam grauissimum, puerum abijciendum, sicut tamen belli & delicati homines odiosè exagitant ista officia, quæ non grauatim mariti præstant vxoribus, cùm ita postulat earum valetudo. An non enim cogitabimus Dei esse creaturam, & participem beneficij Christi, præterquam quod nobis addita est à Deo, vt sit adiutorium nostrum.

Diabolicæ igitur illæ voces sunt, quibus impij exagitant consuetudinem coniugum inter se, vt scilicet videantur viri esse, & meritò ista contemnere. Si digni essent tales vt fierent patres, intelligerent quam etiam dignitate præstanti patri nihil noceret, osculari ægrotum filium, & curare eius vlcera. Si enim aut ægroti, aut stercore defœdati infantes abijciendi essent, te quæso, vbi ego, vbi tu essemus? Dignissimus igitur est mundus reprehensione, quòd etiam in optimis rebus, tantùm solet considerare vitia, non etiam virtutes. Et cum vsu virtutum istarum non possit carere, atq; eas quasi in manu quotidie habeat, tamen ita cæcus est, vt eas videre non possit. Sed hoc est peccatum originis, etiam in præstantissimis creaturis cæcutire, & non intelligere quid in eis boni sit. Sed magis offendi longè inferioribus incommodis. Adeo vt opus sit contra istam cæcitatem docere, & tamen homines id agere credant.

Est igitur hic faciendum, quòd Cicero dicit, se solere in causis agendis, vt si quid mali sit, id dissimulet, vbi autem in causa insit boni aliquid, id vrgeat, ibi totus sit, & quasi ibi habitet. Quis enim ideo sui corporis minorem rationem habet, quod aut vlcus in pectore, aut aliud vitium in alia corporis parte habet? an non ideo maiore diligentia corpus curamus? Quin vides aulicos nostros, hi cum benè pasti stercore refertum ventrum circumferant, tamen neglectis sordibus & contemptis, incedunt aurati ac sericati, ac si totum corpus esset merum balsamum. Sic celamus vitia studiosè, honesta autem ostendimus. Sed quare idem non etiam facimus in coniugio, vt obruamus & tegamus vitia, & inspiciamus in virtutes & commoda? Hic omnes faciunt diuersum, non rerum culpa, sed propter peccatum originis, sic id excęcat hominum animos, vt in rebus optimis & sanctissimis, tantùm ea diligamus, quæ calumniari possumus. Idem facimus in verbo Dei, & omnibus, quæ ad regnum Dei pertinent. Nam cùm solem dat, cùm dat annonam, corpus sanum, sanos oculos etc. nemo considerat, nemo gratias agit pro his donis. Quum pri nùm autem pestis ingruit, aut annonæ difficultas, aut saltem vnus dens dolet, tunc fit vt hoc quasi centrum seu punctus doloris, totam spæram beneficiorum Dei nobis obscuret, aut prorsus adimat. Sic est mundus & ratio nostra, vno malo plus mouetur, quàm mille bonis, sicut papistæ nostri etiam solent, hi ex optimis donis & virtutibus, quas nostræ Ecclesię habent, tantùm ea diligunt, quæ calumniari possunt, ea sic amplificant, vt obruant vniuersas virtutes verbi.

Sed

Sed Spiritus Sanctus contrarium facit, vitia tegit, & hoc quod boni in re est ornat meritis laudibus. Ideo vxorem sic pingit, vt iubeat eam considerari, tanquam vitem plantatam & donatam tibi à Domino, in domo tua, cuius fructus verè diuinę plantæ sunt, longè iucundiores aspectu & vsu præstantiores quàm oleæ. Etsi enim degenerat & mali sunt, tamen non potest negari esse Dei donum, idagnoscendum est, hoc est, verè erudire coniugem. Qui autem donum castitatis habent, illi hac vite careant, & delectentur sua alia arbore & alijs fructibus. Nos autem nunc sumus in hoc vitæ genere laudando, in eo vxor est sicut vitis, & proles sicut olea, ita enim nos docet Spiritus Sanctus, & res idem testatur, etsi scriptura sancta hoc non traderet. Nam etiam Gentes rectè prædicauerunt σοφὰς γυναῖκας, & testantur idem etiam nostrorum hominum Germanica cantica, quibus iusmis laudibus prædicatur fides coniugum, quòd hæc vita nihil habeat suauius & præstantius, quàm est vxor mariti amans. Idem vno ore omnes sani homines fatentur, non quidem propter voluptatem carnis, quæ in scortatione, adulterio, pollutionibus, maior est. Ibi enim incenditur libido, In matrimonio autem extinguitur, sed quia summa voluptas est, Vxorem esse paterno, materno, filiali, hoc est, summo affectu erga maritum. Hoc illud excellens donum est, & dignum quod in Mulieribus admiremur ac prædicemus, de quo porci illi nihil norunt, qui sentiunt vxorem tantùm porcile, volutabrum esse voluptatum. Est longè melius & dignius instrumentum, diuinitus plantatum, vt in domo tua sit tanquam frugifera vitis. Quare etiam magis, quàm vitam suam, vxorem & liberos mariti amare debent.

Pertinent igitur hæc Encomia magnifica contra virulentas linguas Satanæ, & hominum, quibus hoc genus vitæ incessant, item contra carnis nostræ depraua tum iudicium, quo fit, vt aut ad fastidium, aut ad impatientiam solicitemur, cùm scilicet oculi cæcutiunt ad æstimanda commoda, & tantùm hærent, aut in vitijs, aut molestijs. Atqui hoc ne quidem saniores inter Gentes fecerunt. Viderunt enim istam naturalem affectionem erga prolem & mutuum amorem ac fidem coniugum inter se, & vtrumque laudauerunt egregijs testimonijs. Ita Deus per paucitatem sanorum hominum, etiam inter gentes superauit illam multitudinem linguæ viperinæ contra hoc genus vitæ. Quantò autem magis nos decet coniugio patrocinari, inuitante Spiritu Sancto, his tam claris & illustribus similitudinibus, quibus ostendit Deum sic delectari vita coniugali, vt det non solùm benedictionem suam ad sustentandam vitam, sed etiam benedictionem ventris & vberum, sicut Mose appellat. Hoc profectò Deus non faceret, si coniuges odisset. Atqui ad Adam dixit: Omne quod prouenit è terra, sit vobis in cibum, post diluuium etiam concessit vsum animalium mundorum. Imò coniugio donat quicquid est thesaurorum & opum in mundo, & quicquid omninò hæc natura habet. Hæc omnia viua testimonia sunt, quòd Deus hoc genus vitæ approbat, etiamsi non hoc ostenderent sacræ literæ. Postremo ipsa propagatio speciei, quis non videt quòd creata & condita sit à Deo. Meminerimus igitur harum similitudinum aduersus calumnias nostrarum cogitationum, Diaboli, & viperinarum linguarum, quæ extollunt vanitates, & impurissimas impunitates suas, hæc autem Dei summa donа vituperant.

AN LICEAT AMARE AMBI-
RE HONESTAM VIR-
ginem.

Gen. ca. 26. Tom. 3. fo. 35. Papistæ & hæretici fecerunt peccata mortalia ex om-

ex omnibus dictis, & factis coniugum. Atque ipse ego cũm essem Monachus, idem sentiebam, coniugium esse damnatum genus uitæ: Disputamus an liceret amare aut ambire honestam uirginem. Item, An esset peccatum ludere cum uxore. Ac ualde mirabar Bonauenturæ sententiam, qui fuit inter Monachos sanctissimus cũm dicit: Non est hoc peccatum, si quis ambiat aliquam in uxorem. Imò uerè licet. Non igitur de hoc disputandum, aut dubitandum est. Dicit item licere marito iocari cum uxore. Ego longè aliã sententiam, & ipsius professione digniorem expectabam, quia non aliter ac Iudæi ista interpretantur, accipiebam.

Vos igitur adolescentes, qui crescitis iam ad futura coniugia, & publica negocia, estote grati pro diuina luce, & benedictione: quod scimus cõiugium esse rem sacram, & licere nobis ridere, ludere & amplexari nostras coniuges, siue nudas, siue uestitas: tantũm ab aliis abstineamus. Hæc nobis insignem cõsolationem adferunt. Accedit huc & testimonium diui Pauli, qui tametsi uellet, nos in totũ abstinere à coniugio, ut caro munda esset, tamen indulget, quia Deus indulget.

Sed sumi inde admonitio de modestia & continentia coniugum potest. Quidã enim usq; adeo porci sunt, ut quiduis sibi in coniugio cum uxoribus licere putent. Illi ualde errant. Ac sciãt sibi tantũm indultã esse istam miseram uoluptatẽ & amplexum. Non tanquam purus sit in carne. Ambo enim coniuges sunt infecti peccato originis & morbo, ac furore concupiscentiæ. Sed quia dixit Deus. Non imputabo tibi istam impuritatem: modò maneas cum adiutorio, quod est coram te. Oportet ergo ut in reuerentia & timore Dei uiuamus. Ego quidem per indulgentiam diuinam habeo uxorem, Sed tamen peccatum est in utriusq; carne, Illa fœda libido non est bona. Quanquã enim naturaliter maritus meliore conscientia cum uxore coniũgitur, quàm si semen frustra effundatur: uel si scortationibus & adulteriis deditus sit, tamen illud quoq; non fit sine immundicia. Reprehendendi igitur sunt, qui cum uxoribus turpia & nefanda in cubiculis exercent. Quia concessit Deus securitatem quandam: Sed secundum indulgentiam.

Et sic intelligenda est Augustini sententia. Qui amat uxorem, securus expectat extremum diem. Quando? Secundum indulgentiam. Si abesset illa, esset adulterium & pollutio. Sed quia diuinitus coniunctio hæc ordinata est, ideo non imputat Deus, quicquid ibi fœdum est aut immundũ. Sed malum illud in coniugio & in copula, non est defendendum pro bono. Ethnici dixerunt, esse secundum naturam, necesse inhonestum adolescentem amare, ut ait senex apud comicum. Sed requirit Deus intelligentiam nostram in coniugio, ut simus sensati & sciamus, nos quidem non damnari, aut reos agi in iudicio extremo. Sed tamen nõ excusemus concupiscentiam & turpitudinem, quæ est in coniugio. Non dicamus bene actum est, quod dormiui cum uxore. Sed agnoscamus impuritatem, & tamen statuamus propter coniunctionem diuinam esse omnia munda, ut in timore & reuerentia possideamus uasa nostra, & si quid mali est commissum, maneat tamen intra limites coniugij.

Sic rectè intelligimus & intuebimur regnum Christi. Aliud enim est iustificari ex lege, & aliud iustificari ex gratia. Fruor coniugij lege & ordinatione, non quia dignus sum: Imò indignus sum pane quo uescor, pecunia & omnibus bonis. Quia creatura seruit corruptioni Roman. 8. Vxor seruit mihi indignissimo, in omnibus prædicamentis substantiæ, quantitatis, qualitatis. Sed in prædicamento relationis sum dignus. Non sum dignus ut habeam uxorem aut liberos secundum substantiam, & rei ueritatem. Quia sum peccator. Sed tum efficior dignus, quando Deus dicit: Volo indulgere & conniuere, quia sic ordinaui. Tu tamen teipsum agnosce, & uiuas in timore & reuerentia.

Si nos omnes non sumus digni, nec cõiugali, nec politica, nec Ecclesiastica administratione. Non sum ego dignus, ut unam lectionem aut concionẽ habeam. Sed habemus propitium, indulgentem, & ignoscentem Deum, qui nos transtulit

ex regno iræ in regnũ gratiæ, & iussit nos tectos illo uelamento gratiæ, ad ipsum quanquam indignos, accedere, & frui beneficijs diuinis.

CONIVGIVM INCIPIENDVM A TIMORE DEI ET AB ORATIONE.

Tom 4. Ienens. fol. 475. Tom. in Psal. 9. Graduum. Si uis esse fœlix & beatus, & adiecisti animum ad coniugium, hoc experieris, Deus tibi dabit uxorem, dabit liberos & alia, sed hoc primum da operam, ut Deũ timeas, & in nomine Dei id uitæ genus incipias. Hæc utilis doctrina est, quam statim initiò tradit Spiritus Sanctus, ut is, cui non datum est ut contineat, incipiat matrimonium à primo præcepto, & diuinam imploret opem, ac in conspectum Dei prodeat & dicat: Domine Deus, tu dicis ad me in uerbo tuo, quod sis & esse uelis Dñs & Deus meus, creasti igitur me masculum, & creasti fœmellam, hæc tua creatio & hoc opus tuum est, ego me sic non feci, nec fortuitò ita sum factus. Adde igitur creaturæ tuæ successum, & da ut sim fœlix maritus, ut sim uxor fœlix, &c. Vt sic incipiamus, in timore Dei, non simus securi, aut præsumentes, nec sicut rustici, & imperiti homines temere in hoc uitæ genus irruamus, sed inuocemus illum, qui ad uitæ genus nos creauit, tunc fiet ut fœliciter eueniant omnia.

Longè igitur alio modo Epithalamiõ suum Spiritus Sanctus ordítur, quàm alij poetæ. Hortatur enim ut inuocemus. Primũm Deum & fiduciam misericordiæ eius animo concipiamus. Non enim Deus inuitus audiet, si appelles eum creatorem tuum, sed uicissim agnoscit te creaturam suam esse, nec negabit, se tibi dedisse ut esses masculus, aut esses fœmina. Præsumptionem prohibuit, necuult priuato consilio hoc uitæ genus incipere, sed uult, ut tua consilia tibi sint suspecta, & quod ea Deus nõ sit fortunaturus, nisi ipsum in consiliũ adhibueris. Rectè igitur dicit: Beatus uir qui timet Dominum. Nam exempla quotidie sunt obuia, quod sæpe uehementissimus amor initiò inter coniuges est, quia postea facilimè extinguitur, ut aut uiuant inter se hostiliter, aut alter alterum deserat. Non nunquam ita immerguntur uoluptatibus aut opibus ut planè sine omni Dei metu uiuant in se hostiliter, ea duplo maior est infœlicitas & miseria. Sed meritò hoc eis accidunt, cur enim non addunt timorem Dei?

Disce igitur hìc, ut uiuas in timore Dei, qui te creauit, ut possis esse maritus, uel uxor, & uult etiam coniugium tuum gubernare. Quod si eum gubernatorem nõ adhibueris, & ipse uxorem & familiam pro tuo arbitrio sine oratione ad Deũ, gubernare uoles, fiet ut aut euertas omnia, aut perpetuo successu dementatus in grauiora mala incidas. Vult timeri & coli Deus, hoc est, uult ut confiteamur nos nihil posse fœliciter incipere aut gubernare sine ipsius auxilio & consilio. Hanc doctrinam utile est inculcare iuuẽtuti, ut si qui futuri sint coniunges, discantista & sequantur. Ratio est, quia coniugium in mundo & in carne, hoc est, in medio inter Dæmones uersatur, caro citò fastidit uxorem, Sicut quidam nequam senex dixit ad sponsum subinde in nuptijs respicientem ad sponsam, Amice, ne itaréspicias sæpe, fiet non post multos menses, ut magis cupias cum famula, quàm cum coniuge cubare. Huius rei quæ causa est? Hæc scilicet, quod coniugium uersatur in carne, quæ tota peccato est corrupta. Hanc postea accẽdit Satan uel odio, exlege uissimis offensionibus, uel Zelotypia. Nisi igitur respicias ad uoluntatem Dei, non potest esse coniugium aut stabile, aut iucundum diu.

Ergo debent iuuentus rectè de cõiugio edoceri, ut, si quis ducit uxorẽ, possit cum ea uiuere in fauore & benedictione diuina, ac dicere: Domine, dedisti, ut essem masculus, dedisti etiam hanc uxorem, sumus autem ambo in mundo & carne hac infirmissima, & inter medios Dæmones, turbatores coniugalis amoris, Da igitur benedictionem tuam, ut etiamsi quę offensiones incidunt, eas tua benedictio, & admiratio donorum, quæ in hoc coniugio sunt, uincat &c. Hęc ratio est, curàti more Dei carmen hoc incipiat, ut præsumptionem nobis adimat, ne cogitemus omnia,

omnia, eo modo euentura, quem nos animo concepimus. Non enim ita fiet, aut si fit, fit cum maiore malo, nempe ad suppressionem uerbi & cognitionis Dei. Media autem uia est Deum timere, & ei confidere, in nomine Dei, cum humili oratione, in omnem euentum coniugium incipere.

DE OFFICIIS CONIVGVM.

Viuendum cum uxore cum ratione & secundum scientiam. Geneseos cap. 26. Tom. tertio folio 34. Cum ea, quæ mihi diuinitus coniuncta est, licet iocari, ludere, & colloqui blandius, ut cum ratione & secundum scientiam cum ea uiuã. Sicut monet Petrus quasi infirmiori uasculo muliebri impartientes honorum, tanquã cohæredibus eiusdem gratiæ, & quæ sunt matres, ac generis humani altera pars, licet infirmior quô ad corpus. Nos sumus robustiores, ideo etiam maiora officia nobis commissa sunt, in quibus tamen animum muliebrem sæpe ostendimus. Differunt tamen animus uirilis & animus muliebris. Ipsæ oneratæ sunt œconomicis officijs, partu, educatione prolis & cura domestica, nos politica & Ecclesiastica administratione cũm simus fortiores. Sed quomodo nos in Ecclesia & politia geramus, satis cernimus. Sæpe non minus inbecillitatis in gubernatione uirili deprehenditur.

Sequar igitur hasce cogitationes, & concedam, quod Isaac Rebeccam amplexus sit, non tam consolationis gratia, quàm ut ostenderet gestum illum maritalem, quo solet uti erga honestam coniugem, honestus maritus, ridiculum & blandum. Cuiusmodi sæpe uidere est in maritis, qui sunt moribus cõmodioribus. Rex nõ fuit tã sapiens ut intelligeret adeo graues causas amplexus, quas ante dixi. Sed maritales intellexit, quos decorum est publicè ostendere. Ac ualdè pulchrũm est quando maritus etiam moribus præfert beneuolentiam erga coniugem. Et contrà turpe & scandalosum est, si qui præbent se difficiles, morosos, & asperos erga coniuges, & nullã significationem edunt amoris, & beneuolentiæ, siue uerbis, siue factis. Ea grauitate erga alienos, aut erga familiam utendum est. Sic sæpe audiui à mulierculis collaudationes & gratulationes, si quando uident maritum cum uxore suauiter, & unanimiter uiuere. **O ein gute Ehe ist das!** O fœlix & faustũ coniugiũ. Ibi est mutuus amor & fœlicissima concordia, idem & mariti prædicãt. Vnde uerò scient, nisi uidissent tales lusus maritales inter multos coniuges admodum raros?

Neque uerò ulla acerbior & horribilior dissensio ac discordia est, quàm inter coniuges & fratres. Econtrà si est mutuus amor, mutui lusus & blandiciæ, id coniugium amatur & prædicatur passim ab omnibus. Quia rarum est propter Diabolum, quem habet hostem perpetuum, qui conatur coniunctionem diuinam turbare, quibus modis potest. Quanquam mundus non intelligit, sed somniat coniugium nihil aliud esse quàm concubitum, oscula, & amplexus. Verũm non est tantum corporum legitima coniunctio, sed & animorum, quæ certis indicijs & signis se prodit, quanquam ineptis & ridiculis, tamẽ decoris & dignis bono coniugio. Ego sæpe ab honestissimis matronis audiui cũm collaudarent alios maritos propter facilitatem, commoditatem & moderationem, & prædicarent quasi singulare miraculum, si cui talis maritus, aut uxor commoda contigisset.

Iuxta hanc sententiam, ludum istum Isaac interpretabor: Quãquam priores cogitationes non reijcio, nec defendo, nisi in odium turpissimorum Iudæorum. Verũm hæ sanæ & piæ cogitationes sunt, quod maritus non solùm in cubiculo, sed etiam in publico in laudem coniugij blandum & placidum se gerere debeat erga uxorem. Non sit morosus, iracundus, difficilis. Quia exempla dissidiorum & offensarum ualde incurrunt in oculos, & uehementer offendunt. Præsertim si accedat Zelotypia, tum est infernus ipse. Expedit ergo extare eiusmodi exempla

blandiciarum & amabilitatis inter coniuges, ut alij adsuefiant ad suauitatem, comitatem, & patientiam, siquid incidit offensionis aut incommodi. Quia coniugiũ est diuina ordinatio. Et de uxore dictum est: Faciamus ei adiutorium coram ipso. Necesse igitur est, ut sit etiam externa significatio beneuolentiæ propter alios, præsertim cũm excellentissimos sanctos, qualis est Isaac, habeamus in nostra societate. Plena enim est hæc uita offensionum infinitarum, quod in rebus domesticis in primis uidere est. Parent igitur se ad mutuam condonationem & obligationem offensarum, quantumuis grauium, & redeant ad blandicias usitatas etiam externas.

Ideo enim Spiritus Sanctus non dedignatur celebrare eiusmodi nugas, ut occurrat primũm porcis istis, qui tantùm quærunt uoluptatem carnis. Cæterũm difficiles & asperos se præbent erga coniuges. Deinde hostibus cõiugij Papistis, qui prohibuerunt coniugium, tanquam damnatum à Deo, ut habeamus exemplum, quod Deo non displiceat etiam leuitas aliquantula in cõiugio, quòd alioqui deformatum est peccati originalis impuritate, Vnde furor iste usitatus existit, & ardor in sexum. Sed Deus utitur ea ad copulandum marem cum fœmina, & uocat auxilium coram eo. Est ergo coniunctio diuina, sicut ait Christus: Quod DEVS coniunxit, homo ne separet.

Estq; ingens cõsolatio, quod scimus Deo displicere separationem coniugũ, & requirere amabilitatem & mutuam suauitatẽ, amplexus, oscula, & iocos in odiũ Diaboli, qui est omnium dissensionum autor. Sed obijcient impuri illi cœlibes. Bonum est non tangere mulierem. Coniugium est genus uitæ immundum &c. Item alij, Deberem ego blandiri mulieri, ferre eius mores incommodos? metuo uolo ab ipsa, & cum autoritate gubernare, ut sentiat me uirum esse. Egregiam uere laudem referns, si fregeris infirmum uasculum, & oneraueris conscientiam iniusta acerbitate erga sororem & cohæredem regni Dei, quę est in eadem cõmunione baptismi, omnium beneficiorum Dei, & totius Ecclesiæ, cogita quid sit uxor, quid tu sis. Aut si uis pugnare, Cur non cum pari congrederis? Quid laudis indè reportabis, si sœuieris in uasculum infirmum? Certè indignum est, quouis homine multò magis Christiano. Et leuissima imò nulla gloria est, in sexu tam imbecilli domando. Ideo ualde odi eos, qui erga mulieres sunt animosi, & ut dicitur: Domi Leones, foris lepores. De improbis & turpibus mulieribus non loquor, quæ nulla ratione corrigi possunt.

Cæterum Deo gratias agere debemus, quod certi sumus coniugium diuinitus institutum esse, placere Deo, Angelis & omnibus creaturis. Placet DEO quod uxori blandior, displicet morositas & acerbitas. Multò minus hi placent, qui prohibent & damnant coniugium. Et prohibitio illa horribiliter punita est, cum Diabolus loco diuinæ ordinationis, immisit uagas libidines, & infanda scelera Sodomitica. Idq; iusto iudicio Dei factum est, quia detraxerunt sanctissimo generi uitæ, quod ordinauit Deus eoq; benedixit. Non caret id quidem suo uicio & immundicia, sed Deus tolerat & dissimulat eam. Si seruetur naturalis ordo ad generandam sobolem, tum Deus dissimulat & ignoscit, siue ut Lucas in actis eleganti uerbo usus est: τροποφορεῖ, Ich wil mir diese weiß gefallen lassen/ propter conseruationem generis humani. Scio te in peccatis esse conceptum, sed ignosco & concedo, ut tu tuam coniugem habeas in adiutorium, ea solo te oblectes, & deuores, etiamsi quid obijcitur triste aut molestum: Ego quoque patientiam habebo, siue nudam in nocte, siue uestitam in die amplectaris.

Si non instituisset Deus singulari beneficio hanc coniunctionem, unius maris & unius fœminæ, quãto desiderio eam totus mundus exoptaturus esset, ut posset liberari à libidinibus & pollutionibus hoc remedio? Iam uerò auersamur legitimam istam coniunctionem, quam sanxit lege perpetua & immota, qua prohibet stupra & uagas libidines, iubet ut unam tibi eligas, quæ placeat, cum qua uitã tuã transigas.

transfigas. Est quidem peccatum. Sed concedo inquit DEVS, ut ludas, ut rideas cum tua, & ab alienis abstineas. Sicut scriptum est Prouerbior. 5. Exhilaret te uxor, quam adolescens ducis, ceu iucunda cerua, & uenustus himulus. Illius amore perpetuò contentus esto, & amore eius semper fruere.

Sic consolatur nos iste locus, quo scribitur Isaac in senectute lusisse, cum sua dilecta Rebecca: non tantùm necessitatis & consolationis gratia, sed etiam maritali quadam ineptia, quæ decet hoc genus uitæ, ut externis blandicijs daret significationem mutui amoris, & scribitur in consolationem coniugum, & in odium, contemptum, ac refutationem reproborum ac phanaticorum, qui damnant coniugium. Memini ego ante hæc tempora renati Euangelij, sæpe in confessione maritos tanquam grauissimum peccatum deplorare lusus istos coniugales. Imò quod est indignissimum & cum contumelia Creatoris: Si quando aliqua honesta matrona aut uirgo transierat cœmiterium Franciscanorum, mox scopis purgabant, & flamma lustrabant locum sacrum Monachi. Atqui matres nostræ sunt. Neque scopis aut igni flamma libidinis concepta per peccatum originis expurgari potest. Sed incenditur magis & irritatur hoc modo, & negata mulier auget furorem. Sed non intellexerunt hypocritæ isti peccatum originis. Ideo remedia diuinitus monstrata, ignorarunt. CHRISTVS primùm uult nos baptisari, ut animus corrigatur & purgetur. Postea si non potes donari uirginali castitate, at uidualem siue coniugalem delige. In utroque enim sexu, in masculo & fœmella est caro. Igitur etiam semen in eis est, & ardor incitans ad procreationem. Quid ibi consulendum est? Respondeo. Si habes castitatem mane in ea. Sin minus duc uxorẽ, ne uagis & cardinalicijs libidinibus polluaris, & pereas.

QVOMODO TOLERANDAE AERVMNAE CONIVgij.

Genesis cap. 28. Tomo tertio folio 75. Atqui inquiunt, nimis miserabile & minus molestum uitæ genus est? Respondeo. Est duplex genus uitæ, alterum est peccati: alterum est pœnæ. Iam considera utrum sit melius, uiuere in pœna sine peccatis: an econtrà peccatis sine pœna. Ratio sic corrupta est, ut pœnas illas peccati non possit æquo animo ferre. Ideo appetit ea quæ suauia, lęta & iucunda sunt: crucem autem & molestias fugit. Sicut Socrates interrogatus utrum melius esset, ducere uxorem an non? Respondit, Vtrumuis feceris pœnitebis. Si duxeris deformem, habebis pœnam, si formosam duxeris habebis communem. Ille in pœnam tantùm & abusum respexit.

Christianus autem sic in animum inducat suum. Contemnenda est pœna, & omnis molestia ex oculis remouenda, atque audendum est in nomine DOMINI, quia cogitandum est de uita sine peccatis, sine immundicia, sine pollutione, & maculis, ut possis habere bonam conscientiam coram DEO. Non enim sperandum est regnum, non beatitudo aut uita æterna in hac uita. Non sinunt hoc peccatum originis, infirmitas carnis, & Diabolus. Si autem omnino ferenda est miseria, cum DEO potius perferamus, quàm cum Diabolo. Qui enim fugiunt coniugij onera, uiuunt quidem suauem & iucundam uitam, habent sua scorta, quæ modò abijciunt, modò recipiunt pro arbitrio, sed cuiusmodi conscientiam tales habere putabimus? sanè pessimam: Et quod longè est grauissimum, sustinent hi quoque eadem imò plures molestias, quibus adficiuntur à scortis indignius, quàm à coniugibus. Ita duplicem pœnam sustinent, communem illam, & illi addunt pœnam æternam.

Hæc igitur post Ecclesiastica dogmata de coniugio quoque docenda & diligenter inculcanda sunt in Ecclesia, ut sciant homines, quomodo uiuant in hac uita sine peccato. Deinde etiam piorum animi erigendi & exhortandi sunt, ad contemnendas illas molestias coniugij. Oportet enim coniugem se uirum prebere non noctu tantũm, sed aliâs etiam ad pœnas, & ad uoluntatem DEI sustinendam, ad ferendam & deuorandam improbitatem familiæ, iniurias uicinorum, & alia quæcunque incidunt commoda. Ideo deligendi sunt ad coniugium optimi uiri & optimæ mulieres. Sicut Abraham & alij sancti Patres fuerunt robore & corporis & animi præstantes. Alij qui onera & molestias coniugij metuunt, & propterea ab eo abstinent, idem faciunt quod in prouerbio dicitur: Dant fumo ad flammam tendunt. Quia quærunt aliud genus uitæ, quàm id, quod natum est in peccato, Ibiuerò inueniunt Diabolum & infernum, quia non possunt effugere concupiscentiam, morbum originis, peccatum & mortem in carne & animo hærentem.

Sume igitur animum, & cogita hanc uitam nihil aliud esse, quãm ipsam miseriam, cuius ærumnas, labores, & difficultates, ita superabis, si respexerit in DEVM creatorem & Patrem tuum, cuius uoluntati & ordinationi te cum humilitate & patientia submittas, sic statuens: Ego credam in DEVM, qui creauit me masculum, agam ei gratias, quod habeo eius uerbum, quod placuit ei me esse maritum, esse uxorem, ut educarem sobolem, gubernarem familiam, quod per Euangelium habeo promissionem uitæ æternæ, & consolationem in hac præsenti uita. Sicut inquit Paulus 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens uitæ, quæ nunc est & futuræ. Et Roman. 15. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus.

Ad hunc modum rectius de coniugio sentire & iudicare discamus, quàm caro & mundus solet. Ac hortemur iuuenes, ut æquo animo patiantur & ferant, si qua incidunt mala. Adsuefaciant se ad inuocationem & dicant: DOMINE DEVS ego sum tua creatura, à te conditus masculus, & ordinatus ad hoc genus uitæ, in quo iam hæreo multis malis & difficultatibus implicitus, sed da ut uerè agnoscam me esse creaturam tuam, te mihi esse Patrem & conditorem, utq; à te auxilium & defensionem expectem.

Talis præcatio necessaria est omnibus coniugibus, quia omnes experimur crucem & molestias nobis impositas. Atque utinam tolleretur aliquando cœlibatus è collegijs Sacerdotum & Episcoporum, & concederetur, aut mandaretur eis coniugium. Sicut nostrarum Ecclesiarum ministri piè & honestè in coniugio uiuunt: non ita inhiarent ad Episcopatus & Canonicatus. Neque enim tanta foret potentia, & opulentia collegiorum. Sed frustra hæc optamus, sunt pecora campi & feces terræ.

CONIVGII INCOMMODA PENSANTVR MAIORIBVS COMMODIS.

Genesis cap. tertio Tomo 1. folio 58. Contra impiorum sententiam (non qui coniugij ærumnis offenduntur) pij se consolari, & per ueram sapientiam opponere his incommodis certa & maiora commoda debent. Sicut etiam Pindarus ad Hieronem in stultis hoc reprehendit, quod cũm DEVS, ita soleat bona dispensare, ut semper aliquid incommodi admixtum sit, non possunt ut ipsi ait:

ait: νήπια κόσμω φέρειν ἐπήματα, ἀλλ' ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω, hoc est, homines stulti non mitigant incommoda ista, commodis quæ habent. Boni autem & sapientes ornant commoda sua, & ijs quasi abeunt incommoda, quibus exercentur, dum commoda ceu in illustri loco conspicenda collocant.

Ita hic quoque faciendum erat sint sanè magnæ pœnæ quibus propter peccatum mulieres subiectæ sunt. An non autem hoc maius est, & infinitis modis pœnas istas uincit, quod in illis ipsis calamitatibus, habent spem certam immortalitatis, & æternæ uitæ? Deinde illæ ipsæ calamitates non sunt sine fructu. Pertinent enim ad humiliandam & deijciendam naturam, quæ sine cruce nõ potest domari.

Tertiò manet in istis calamitatibus corporalibus etiam excellens illa gloria maternitatis, & benedictio uentris, quam etiam gentiles sapientiores admirati sunt, & magnificè prædicarunt. Manent reliqua dona, quod omnes alimur, fouemur, gestamur in utero matrum, sugimus ubera, & matrum studio & cura conseruamur, hoc est, τὰ καλὰ ἔξω τρέπεσθε, & non solũm intueri mala, Sed delectari bonis & benedictione DEI, ac obruere pœnas, fœditates, dolores, afflictiones & alia.

Sed hoc norunt & faciunt pij tantũm, hi mulieribus tanquam infirmiori uasi, suum honorem habent, Siquidem uident eas socias esse immortalitatis, & participes hæreditatis in cœlis. Deinde, uident quod sint ornatæ benedictione & gloria maternitatis, quod omnes concipimur, nascimur, fouemur ab eis.

Ac multi quidem sæpe magnæ uoluptati & admirationi est, quod uideo corpus muliebre totum ad id factum, ut foueat infantes. Quam decorè etiam paruæ puellæ gestant in sinu infantes? Ipsæ matres quàm aptis gestibus ludunt, quoties aut placandus est infans uagiens, aut in cunas ponendus? uerùm adhibe, facturum eadem & dices camelum saltare, adeo in decorè omnia faciet cum uel digito attingendus erit infans. Taceo reliqua officia, quæ nisi à matribus præstari non possunt.

Hæc omnia qui rem rectè æstimat, accipiet tanquam certa benedictionis DOMINI uestigia, quibus testatur DEVS, sexum muliebrem, etsi propter peccatum grauiter punitus est, sibi tamen curæ & charum esse.

Ex Genesi cap. 24. folio. 247. 248. Vituperant passim coniugium, Latinorũ & Græcorum autorum scripta: & quod mali est, excerpunt, quod boni inest obscurant.

MALA ET MOLESTIÆ IN CONIVGIO.

Sunt autem duplicia mala in coniugio, quæ inflixit peccatum & Diabolus. Vnum est peccatum & uicium: alterum mors est. Illa duo mala adeo deformarunt totam naturam & corruperunt, ut ratio in sexu muliebri nihil possit uidere, quàm infirmitatem & molestias, Huc accedunt pœnæ & morbi & calamitates infinitæ: quæ offendunt homines, & magnos uiros etiam iniquiores faciunt huic ordini: quasi ista duo in solis mulieribus hærerent: Cùm quidem nos masculi multò turpiores næuos habeamus, superbiam, auaritiam & similes, quibus turbamus politias & Ecclesias: adde & pœnas & morbos omnis generis.

Si itaque conferenda hæc inter se essent, & referenda in Catalogum aut librum, longè maiora mala in masculis, quàm in mulieribus deprehendercntur. Sed hæc nostra miseria & stultitia est, ut nihil boni deprehendere & uidere queamus, tantùm illa cernimus, quæ intulit Diabolus sensibus & uiribus animæ & corporis. Inde orta sunt tot conuicia in sexum muliebrem, magis quàm uirilem.

Danda igitur est opera, ut quantum Diabolus ordinationem diuinam obscurauit, tantum nos illustremus, & ornemus opus DEI, & gloriam diuinam in illa. Hæc enim necessariò fatebuntur omnes, esse hunc sexum creaturam Dei: dicit autem scriptura: Vidit Deus & erant ualde bona. Illa bona obruit Diabolus conuitijs, & mala proferre & ostendere solet, nos econtrà usum & bona colligamus s Tantò enim hæc bona superant uicia & mala, quantò maior est bonitas Dei, Diaboli malitia. Quod si possemus perspicere bonitatem naturæ, sicut est creata, tum essemus beati, sicut in æterna uita perfectè intelligemus. Sunt quidem ut antea dixi, huius sexus uicia certa: Mors, hoc est, omnes pœnæ, morbi & molestiæ, quæ ad mortem pertinent, tam in matre quàm in prole, ipsa morosa liberi contumaces & dissoluti, uicini improbi & malcuoli. Loquimur autem de his uitijs, quæ infra fines coniugij sunt, ac coniuges non dirimunt, quale est adulterium.

Hæc uerò omnia obruenda sunt bonis & commodis contra prolatis. Tametsi enim muliebris sexus est infirmior, circumferens cum animo, tum corpore plurima uicia: *tamen unum illud Bonum tegit & obruit omnia uidelicet matrix & partus.* Hæc dialecticum argumentum & demonstratio firmissima est, quæ penetrat & uincit. Nihil est quod tam potenter concludat ac persuadeat atq; illud: Non forma, non mores, non opes, aut quæcunq; dotes aliæ in mulieribus.

Hoc beneficio Adam quoque texit omnia uicia, & incommoda, cumindit uxori suæ nomen Heua, id est, uita, quæ uincit omnes alias res, siue malas, siue bonas, & à muliere initium sumit. Nihil enim uiuit sine matrice, partu, lacte, uberibus, Omnia regna, imperia, Prophetæ & Patres hinc orti sunt. Posuit igitur DEVS in muliere creationem suam omnium hominum: & usum creationis, hoc est, concipere, parere, alere, educare prolem, seruire marito & administrare domum. Sic inter pessima quæque uicia & mala, hoc inenarrabile bonum elucet. Hoc breuissimum Encomion est, quod omnia complectitur, & quod Adam uno uocabulo comprehendit, appellando uxorem Heua.

Est ergo mulier mater omnium hominum, quæ gestat homines in utero, edit in hunc nundum, alit lacte, fouet balneis, & alijs officijs. Quid essent reges, principes, Prophetæ, & omnes Sancti, nisi fuisset Heua? Non enim facit DEVS homines ex lapidibus, sed ex masculo & fœmella.

Hoc argumentum opponatur Papistis Theomachis, & omnibus qui contemnunt muliebrem sexum. Et simul producantur exempla Patrum, & Sanctorum, qui fuerunt in coniugio. His ornatur coniugium quod totus mundus uilipendit & uituperat. Sicut in Poetis Iuuenali & Martiali uidere est. Sed quid est, quod de incommodis tantùm querulantur, & non etiam uitam in morte & pœnis considerant, quod generantur, aluntur, & conseruantur homines in hanc & æternam uitam? Id bonum inæstimabile, imcomprehensibile & uerè diuinum remouere ex oculis nequaquam debebant, & rectius de hoc sexu iudicarent.

In Gellio extant uerba memorabilia ex oratione Metelli, qui fuerat hortatus ciues Romanos ad ducendas uxores: & cũm sciret defugere omnes molestias communes peccati & mortis, ita instituit exhortationem: Si sine uxore possemus Quirites esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniam natura ita tradidit, ut nec cum illis satis commodè, ne sine illis ullo modo uiui possit, saluti perpetuæ potius, quàm breui uoluptati consulendum.

His uerbis sapientes tum offensi sunt, qui putabant dissimulandas fuisse molestias & tegendas: ac sanè suadendo dissuasisse eum non immeritò dixeris. Sed est idem argumentum quod Adam habuit: Non negat molestiam, sed apponit bonum. Si non ducitis, magna molestia carebitis: Sed si uultis imperare orbi terrarũ, bella gerere, & propagare fines imperij, oportet esse homines qui uiuãt. Primùm omnium igitur de uita cogitandum est; Quia non uiuentes non regnabunt, non debellabunt alias nationes. Vita igitur est summum bonum sexus fæminei, quæ sola illa conuicia Iuuenalis, & aliorum explodit & refutat. Ad replendam ciuitatem liberis & ciuibus, opus erit ut contrahant matrimonia. Hæc cum illa una appellatione primi parentis pulchrè congruunt: quæ appellat Heuam matrem uiuentium, quæ pariat liberos, qui postea gubernent Rempublicam, Ecclesiam, & domum, qui agnoscant Deum & salui fiant in æterna uita. Etiam Patriarchæ senserunt molestias & difficultates coniugij. Abraham, Loth, & alij, fuerũt peregrini in terra, iactati multis magnis ęrumnis & calamitatibus: Sed hæc omnia tulerunt æquo animo, & deuorarunt, memores solatij illius summi, quòd Heua est mater uiuentium, quæ parit & educat prolem.

Luctandum igitur est cum hisce molestijs, quia præsentia mala magis incurrunt in oculos & sensus nostros. Nondum enim sumus in beata illa uita, quam expectamus, Sed in qua luctamur & conflictamur multis malis: ea uerò obruere discamus agnitione Dei, creationis, & ordinationis bonæ & diuinæ, & prima ætas assuescat ad pias & ucras opiniones, de sexu muliebri & coniugio.

Sed inquis totus mundus, & multi sapientes detestantur hoc genus uitæ? Respondeo, illo ipso produnt suam stultitiam, quia tantũm uitia attendunt, non aperiunt oculos, ut aspicerent maternitatem, qua redigit in nihilum omnium malorum. Præterea DEVS ipse prædicat, & ornat quarto præcepto. Honora patrem & matrem: Quicquid autem condidit & ordinauit præceptis suis, id neutiquam uituperandum aut blasphemandum est: Quipotest continere contineat, nihil ominus tamen honorificè de coniugio, & maternitate sentiat, & loquatur, quæ est benedictio & ordinatio diuina, qua Deus conseruat totum genus humanum in uita.

DE VIRTVTIBVS OECONOMICIS ET QVOD PLACEANT DEO OPERA OECONOmica.

Genesis

Gene. cap. 18. Tom. 2. fol. 112. Ecce Sara in tabernaculo est. Hoc ociosus animus legit & negligit. At Spiritus Sanctus his breuibus uerbis, uoluit proponere exemplum omnibus mulieribus quod imitentur, ut sicut Abraham quasi regula fidei & bonorum operum ubiq; proponitur: Ita Sara doceat de summis uirtutibus, Sanctæ & laudatæ matris familias.

Nota enim huius sexus uel infirmitas, uel innata leuitas est, ferè solent discurrere, & turpi curiositate omnia inquirere, aut stant in foribus ociosæ, captantes uel spectacula uel sermones nouos. Ideo de malis in prouerbijs dicitur, quod habeant instabiles pedes, propter curiositatem uidendi & audiendi, quæ tamen ad ipsas nihil pertinēt. Leuitas igitur in moribus, garrulitas & curiositas in hoc sexu reprehenduntur.

In Sara autem hoc in loco commendantur contrariæ uirtutes, idq; uno uerbo quod Abraham dicit, eam esse in tabernaculo. Si enim reliquarum exemplo fuisset curiosa, prosilijsset ad fores, uidisset hospites, audiuisset eorum sermones, interpellasset eos &c. Sed nihil horum facit. Occupatur suis studijs, quæ œconomia requirit, de cœteris secura est.

Sic Paulus præcipit ut mulier sit οἰκουρος, quasi dicas domestica, quæ suæ domi maneat, & sua curet. Sic gentes pinxerunt Venerem, stantem super testudine. Sicut enim testudo quocunq; repit secum suam domum fert: Ita uxor debet occupari suæ domus studijs, neque longius ab ea discedere. Id non solūm opere, quæ huius sexus propriæ sint, postulant, sed etiam liberorum & familiæ necessitas, quæ diligenti inspectione opus habet.

Magna igitur hæc Sarę laus est, quod in hac occasione, suas res curat, nec peregrinatur curiositate, manet ceu testudo in sua testula, nec tantum sibi sumit temporis, ut paululum prospiciat quos & quales habeat hospites.

Hæc seu uerecundia seu continentia, præstat omnibus omnium monialium cultibus & operibus, ac debebant hæc uerba (Ecce Sara est in tabernaculo) scribi in omnium matronarum peplis, sic enim admonerentur officij, ut cauerent curiositatem, discursiones, garrulitatem, & assuescerent ad diligentem rei familiaris curam. Breui enim uerbo Moses descripsit uniuersas uirtutes bonæ matris familias, quæ libenter domi sit, ac habeat curam œconomiæ, ut quæ à marito comparantur, rectè dispensentur ac gubernentur.

Aduersarij nostri Papistæ gloriantur de magnis & mirabilibus operibus. Nos autem cūm talia œconomica aut Politica commendamus, rident. Exigua enim hæc & uulgaria esse existimant. At ieiunare certis diebus, uestiti certo colore, abstinere ab esu carnium, suscipere peregrinationes longinquas &c. Hæc plenis buccis deprædicant, his cœlum & beatitudinem promittunt.

Etsi autem indigni sunt, ut ad has ipsorum nugas & ineptias respondeamus, tamen nobis prodest, hæc ciuilia & œconomica opera rectè intelligere, & æstimare: Hospitalitas est opus domesticum & ciuile, sed profectò anteferendum omnibus Eremitis, imò etiam ieiunio sancti Iohannis Baptistæ, quod tamen suscepit ex dispositione seu ordinatione diuina.

Et hæc Saræ uerecundia seu continentia est œconomicum opus, sed quæ uirgo uel uidua, poterit cum ea conferri? Sed mouet sanctulos ista coniunctio masculi & fœminæ, ut non solūm hoc genus uitæ non putent Sanctum esse, sed etiam impedire sancta exercitia. Ideo enim Papa cælibatum suis imposuit. Deinde est hoc genus uitæ nimis uulgare, & omnibus commune: ideo specie caret, & negligitur ab his maximè, qui uolunt esse sanctissimi.

Arqui

Atqui oculi erant coniiciendi in autorè politię & œconomię, hoc si facerent Pontifici, profectò magnificentius de utriusq; actionibus sentient. Deus creauit eos masculum & fœminam. Item, benedixit eis, hæc num tu exigua esse putabis?

Si autem finalem causam respicias, quod & Deo paratur Ecclesia, & morbus carnis tam fœdus sanatur per coniugium, ac peccata præcluditur uia, ne nos illaqueat, profectò hæc quoq; coniugium magnificè commendant.

Statuamus igitur præstantissima & quoque Deo gratissima opera esse illa œconomica & politica, quæ Papistæ cæu uulgaria & nihili contemnunt, ut enim de hospitalitate dicamus, quod quæso opus inter omnes Pontificiorum cultus, ei comparari potest.

Leue esse apparet, poculũ frigidæ aquę dare sitienti, sed tu Christũ audi, quàm id commendet magnificè, & quæ promittat præmia. Iudicabimus autem idem de alijs in œconomia, si fideles parentes liberos suos rectè educent, & assuefaciant ad pietatem, si familiam per seueram disciplinam retineant in officio, uulgaria opera sunt fateor, sine specie, sine opinione aliqua sanctitatis, Sed ex uerbo, non ex ratione sumendum erat iudicium.

Abrahæ non fuisset difficile certis diebus ieiunare, id quod sine dubio fecit, sed de ieiunio eius nihil scribit Moses, uoluit enim ueras uirtutes eius scribere, non talia opera, quæ hypocritæ imitari possunt & solent.

Sed indigni sunt Papistæ, quibus respondeamus prolixius. Nos igitur DEO agamus gratias, quod eruditi uerbo, intelligimus quæ sint uerè bona opera, obedire præpositis, honorare parentes, gubernare familiam, præstare officia communia, quæ fratrum necessitas postulat &c. Hæc enim uidemus à Mose, Prophetis, ipso Christo & Apostolis tanti æstimata, ut non puduerit eos sæpius de eis concionari & præcipere.

Viderunt enim quos laqueos ratio ipsa sibi nectat, quibus inuoluta ad cognitionem uerorum cultuum peruenire non potest: Nam opera hominum seu traditiones humanæ hoc perpetuò solent, ut sua specie abducant homines, à ueris pietatis operibus & exercitijs.

Vide enim Monachum, is fugit obedientiam omnium Magistratuum, etiã parentum, nõ educat prolem, non laborat, erga neminem est beneficus, erga suos autem odio & inuidia plenus, saginatus sudore pauperum, & tamen superbit uoto paupertatis.

Sed prius patersamilias Abraham, uerè pauper est. Paret enim DEO uocanti in exilium, nusquam habet certum locum, & quanquam benedixit ei DEVS, tamen inter incredulas gentes omni hora expectat incursiones, uim, rapinam. Socia eius Sara, uolens in exilium sequitur maritum, curat familiam & domum, officiosa est erga uicinos, erga maritum obediens

Hæ sunt summæ uirtutes, quarum nihil simile est in omnibus traditionibus humanis. Ergo discite eas magnifacere, & tanquam DEI ordinationes anteferre humanis traditionibus, quantumuis splendidis & speciosissimis. Hæ enim corrumpunt fidem & ordinationes DEI, & cauponum instar miscent uinum aqua.

Obseruemus igitur exemplũ hoc, quod Sara prædicatur solicitè facere officiũ suũ domi suæ: Nã materfamilias si cupit placere & seruire Deo, non faciat quæ in Papatu solent, ut discurrat ad templa, ieiunet, preces numeret &c. Sed curet familiam, educet & doceat liberos, & faciat opus in culina, & si quid simile est,

hæc

hæc si facit in fide filij Dei, & sperat se propter Christum Deo placere, Sancta & beata est.

Quos Deus coniunxit inquit Christus, homo non separet: Ideo disiunctio seu cœlibatus, qualis in Papatu est, ex Deo non est. Econtra officia quæ illa diuina coniunctio requirit, sancta & uerè bona opera sunt, utcunq; in speciē leuia & uulgaria esse iudicentur. Vbi enim est uera erga Deum obedientia in fide, ibi quicquid uocatio exigit, Sanctum & Deo gratus cultus est. Quod si qui uel uiduitatē uel uirginitatem magis amant, & coniugio sine peccato carere possunt, hi id faciant. Sic tamen, ne ideo œconomiam & politiam damnent. Sunt enim uitæ generatim diuinitus ordinata & instituta. Glorientur igitur Monachi & Moniales de suis operibus, Marito satis sit, si rectè præsit domui suæ, Vxori satis sit, si liberorum curam agat nutriendo, lauando, sopiendo, si marito obediens sit, & domestica curet studioiè. Hæc longè omnium Monialium opera excedunt, De quibus tamen mirè superbiunt.

Hæc enim pestis traditiones humanas sequitur, quòd animi securi fiunt & præsumunt de sanctitate. At pia materfamilias non superbit, uexatur enim & humiliatur uariè dum infinitæ molestiæ obijciuntur à familia, marito, liberis, uicinis &c. Itaque occasiones nusquam desunt exercendæ tum fidei, tum inuocationis.

GRAVIDARVM DILIGENS CVRA HABENDA.

Gene. cap. 30. Tom. 3. fol. 126. Hieronymus & Physici recitant exemplum Reginæ, quæ enixa fuit infantem forma & facie Æthiopis depicti in tabella ad lectum. Aliam item narrant fuisse accusatam de adulterio, quod deformis ipsa peperisset formosum infantem, Vtriq; parenti & toti generi dissimulem & damnata esset, nisi Hippocrates eam liberasset, monens, ut ex ea quæreretur, an habuisset pictam aliquam tabellam in cubiculo, cuius aspectu esset delectata, quæ cum esset inuenta, absoluta est à iudicibus. Sic in facie, oculis, genis, ceruice infantum spargas interdum maculas sanguineas, aut alterius coloris uidemus. Quando nimirū grauidæ subito aspectu aut terrore rei inusitatæ percitæ, manus illis membris admouerunt. Videmus hic Vuitebergæ ciuem facie cadaueroſa, qui dixit, matrem ferentem uterum subitò oblato oculis cadauere ita fuisse exterritam, ut faciem fœtus in utero cadaueris formam indueret.

Idem fieri studioſè solet in admissione pecudum & iumentorum, sicut affirmat Hieronymus, apud Hispanos generosissimos equos statui ante equas in admissura, ut illis similes pulli procreentur. Ideo non est iocandum cum pregnantibus, sed diligens cura earum habenda est, propter fœtum. Infinita enim sunt periacula abortuum, monstrorum, deformitatum uariarum. Maritus igitur tum maximè secundum scientiam, ut inquit Petrus, cum uxore habitet. Memini me puero, Isenaci formosam & pudicam matronam eniti glirem: quod eò accidit, quia ex uicinis aliquos glires suspenderat nolam, ad cuius sonitum reliqui fugarentur. Is occurrit mulieri grauidæ, quæ ignara rei, subitu occursu & aspectu gliris, ita est conterrita, ut fœtus in utero degeneraret in formam bestiolæ. Talia exempla nimis usitata sunt quando prægnantes sæpe subitis adfectibus, & pauoribus concitantur, cum uitæ discrimine.

Cauendum itaque est, ne accidant eis uehementiores cum corporis, tum animi

animi cõmotiones. Qui enim grauidarum nõ habent rationem, nec parcunt tenero fœtui, fiunt homicidæ & parricidæ, ſicut quidam vſq; adeò crudeles ſunt, vt etiam verberibus ſæuiant in grauidas: fortes ſcilicet & animoſi, in ſexum imbecillẽ, alioqui verò ignauiſſimi. Nam nuper audiuimus Principẽ quendam, multis alijs ſceleribus & flagitijs nobilẽ, in coniugem languentẽ, & adfixam lectulo, ſtrinxiſſe gladium. Egregium verò Heroem & militem ſtrenuum. Atqui id minimè Heroicum, ſed flagitioſum eſt & turpiſsimũ. Si enim vires, inuenies parem cum quo congrediaris. Heroes ſunt fortes contra fortes, & infirmi erga infirmos. Quid eſt quòd aduerſus puerum & mulierẽ prægnantem pugnam cies. Satis ſuperq; ſatis alioqui periculorũ eſt huic ſexui, etiam apud moderatos maritos, à vicinis, à Diabolo, à varijs ſpectris, & imaginibus brutorum. Sceleratum eſt illa etiam tua crudelitate augeri.

Quia etiam Ethnici hanc virtutem in ſuis Heroibus prædicarunt, quòd fuerint placidi & blandi erga vxores. Id enim teſtantur deſcriptiones in Homero, Achillis, Hectoris, &c. Hector armatus oſculatur filiolũ. Ita fuerunt mulieres cum mulieribus, adeò vt nihil videretur magis muliebri heroibus illis apud cõiuges. Sed in prælio Achilles aliter ſe gerit aduerſus Hectorem, quàm cùm ludit cum Briſeide. Digni igitur odio ſunt, qui aduerſus inermẽ & imbecillem ſexum ſunt fortes & pugnaces. Nos viri ſumus nati non ad lædendum, ſed ad defendendum ſexum imbecilliorem. Mulier enim habet corpus conditum, ad ferendum vterum, ad nutriendum fœtum, & plurimis periculis expoſita eſt. Ideò prudenter & moderatè eſt tractanda.

APPARATVS NVPTIARVM.

Geneſ. cap. 24. Tom. 2. fol. 238. Moſes pompam & apparatũ ad nuptias deſcribere voluit, cùm narrat ſeruum accepiſſe & duxiſſe decem camelos: nõ fuit admodũ ſplendida pompa, quia non adfuerunt equites, & fortaſsis vſus camelorem fuit, vt mundũ muliebrẽ & ornamenta apportarent, vult enim ſponſam honorificè adduci.

Igitur nõ reprehendendus eſt in hac re apparatus, ſi ſit mediocris & ſine immodico ſumptu, vt habeatur ratio honeſtatis, & decori in nuptijs, & fiant omnia in timore & reuerentia Dei. Monachi hæc omnia damnant, ipſas etiã nuptias, quæ tamẽ non tam propter conſuetudinem aut voluptatem celebrantur, quàm propter finem & vſum, videlicet Oeconomiam, Politiam, & Eccleſiam quæ inde exiſtunt, ſuntq; eorum quaſi anteprædicamenta nuptiæ. Ideò addit Abraham camelos, & alia dona ſponſæ, & parentibus offerenda.

HIERARCHIAE COELESTES QVAE?

Geneſ. cap. 21. Tom. 2. fol. 166. Sunt igitur tres cœleſtes Hierarchię, de quibus aſini Sophiſtę tam multa nugantur, aliud nihil, quàm vita Oeconomica, Politica, & Eccleſiaſtica. Extra hos tres ordines qui viuunt, viuunt in electitio vitæ genere, quod Deus in omnibus Prophetis reiecit & damnat.

MODICVM IVSTI MELIVS QVAM INGENTES OPES INIVSTORVM.

Geneſ. cap. 26. Tom 3. fol. 43. Iniuſtæ rapinæ, vindictam & pœnas ſecum trahunt. Sicut teſtatur dictũ Auguſtini: Lucrum in arca damnum in conſcientia. Nullum iniuſtum lucrum eſt ſine iniuſtiſsimo damno. Qui enim rem rapuit, perdidit fidẽ. Diabolus cum reacquiritur, & Deus cum fide & iuſtitia amittitur. Si tu rem tollis, & mihi fidem relinquis & bonã conſcientiã, Ibi tu quiſquilias, ego verò grana habeo. Quicquid rapueris, quo iure, quaq; iniuria, iam amiſiſti fidẽ, & habes aduerſarium Deum, & cum ipſis paleis in æternum exitium præcipitaberis. Illa dicuntur & inculcantur ſæpe: Sed non audiuntur, nec creduntur. Cõmunis ſententia eſt omnium gentiũ: Male parta, male dilabuntur. Male partum, male diſperit. De male quæſitis nõ gaudet tertius hæres. Germani dicunt, **Vbel gewonnẽ böſſlich zerronnen/ Vnrecht gut wudelt nicht**/ Et tamen non deſinimus rapere & furari falſa menſura, falſis ponderibus, & omni genere fraudum.

Ego ipse postquam egressus sum vigesimum annum, Nam antè id tempus homo in cōmunibus rebus nihil videt, nec intelligit, postea verò in quadraginta annis multos vidi rapaces, auaros & vsurarios, qui cùm ingentes opes corrasissent, tamen vix triginta annos eas tueri potuerunt.

Ad eundē modum parum emolumenti aut voluptatis ex hoc iniusto lucro ad regē Abimelech & proceres redijsse puto. Retinenda igitur est sententia Psalmi 36. Melius est modicum iustè, super diuitias peccatorū multas. Quia iniusticia nō concedit læticiam aut pacem conscientiæ. Congregans non lætatur, Hæres depauperatur. Quia in domo impij erosio. Est ibi quidē corrasio diuitiarū, sed est erasio. Quia Deus sufflat, & qui congregat, in marsupium pertusum congregat, perindè vt poētæ de cribro Daneidum fabulantur.

Qui igitur pius est contentus sit modicò, iuxta Psal. 36. sententiā, eoq; fruatur, & lætetur cum coniuge & liberis, ac abstineat ab iniusto lucro. Idem docent omniū gentium historiæ & libri: Satius esse multò, vt vno aut altero aureo honesto parto victites, quàm multis milibus cum iniuria aliorū, turpiter acquisitis. Et audiui ego historiā admodum memorabilem, de ciue quodam honesto & bono, qui cùm in desponsatione filię additurus esset dotem, dixit ad generum: En habes triginta aureos, quos ego piè & honestè acquisiui, sine vllius iniuria aut fraude. Hanc dotem ego accepissem pro triginta milibus aureorum. Deus enim benedicit rectè partis: Ita vt vnus obulus plus conferat, quàm aureus raptoris, aut vsurarij.

CONIVGIBVS MANDATVS EST LABOR, &c.

Tom. 4. Ienens. fol. 477. In Psal. 9. Graduum. Laborem manuū tuarum comedes, beatus tu & benè tibi erit. Hoc etiam docendi sunt coniuges, vt laborent. Quia iuris naturalis est, vt maritus alat vxorem & liberos. Postquam enim hoc sciunt coniuges, quòd debeant timere Deum creatorē suum, qui fecit ipsos, & addidit benedictionem tanquam creaturæ suæ, debet hoc secundum esse, vt tale aliquid instituant, ne ociantur. Sicut etiam admonuit Hesiodus, ἄκορ μὲν πρώτιστα, γυναικά τε εὖν τ' ἀροτῆρα. Vult enim primùm certā deligi sedem, vbi cum vxore & liberis habitare possis, deinde vxorem quęri, sed ita si habeas bouem aratorem, hoc est, si habeas quote & tuos alere possis. Etsi enim neq; studium nostrum, nec opera satis ad alendā familiam, tamen Deus nostro studio & opera nostra tanquam medio vtitur, per quod nobis vult benedicere. Sic corium non sutori, satio non agricolę, Doctori non prædicatio dat vnde viuat, & tamē Deus per hæc seu potius cum his dat victū. Vult igitur omnem maritum viuere in sudore vultus sui, & exerceri labore ad præmendam carnem, & mortificandas cupiditates carnis. Nam qui in ocio viuunt, ambulant non in Domini, sed in Diaboli vijs. Non enim sunt, nec viuunt in ordinatione diuina, siquidem laborem ordinauit Deus.

Atq; hîc vide Spiritus sancti consilium. Labor est etiam vnum de incōmodis vitæ coniugalis, sed quàm bellè abscondit hoc incommodum, cùm primum & mandatum Dei esse ostendit, & postea promittit Deum per laborē, quantūuis dura & incōmoda res esse videatur, velle benedicere. Hoc verè est absynthiū saccaro miscere. Sicut etiam Iesus syrach laborem hoc nomine ornat, quòd dicit esse conditum à Deo & beneplacitum in oculis Dei. Est autem hoc quoq; admonitione opus propter nostram corruptam naturam. Verum enim est quod comicus dicit: Omnium hominum ingenium à labore procliue esse ad libidinem. Ideò etiam quarundam barbararum gentiū mos fuit, prostituere vxores & liberos, tantùm vt possint in ocio viuere.

Monet igitur hoc Epithalamion sponsum & sponsam in nuptijs, primùm vt timeant Dominum, & credant ei, nec præsumant de sua opulentia aut sapientia. Deinde vt sciant, hoc habituros incommodi, vt laborent, & labores manuum comedant. Quod igitur libido in carnem sparsa est, quæ coniuges coniungit, id non est principale vinculum, sicut etiam cito dissoluitur alijs incōmodis. Hæc autem vera vincula coniugij

coniugij sunt, scire quòd etiam iste labor manuum & solicitudo pro familia, sint sacrificium Dei gratum, quòd vxor cùm præbet mammã infanti, maritus cùm ad sudorem vsq; corpus defatigat laboribus domesticis, Deo talem cultum exhibeant, qui omnium Monachorum cultibus, & quantumuis asperis studijs longè præstet. Quid enim dicat Propheta quæso vide, Beatus es tu, & benè tibi erit.

Hæc an non est satis magna & suauissima cõmendatio laborum & totius coniugij? Es maritus, inquit, & laboras vt te & familiam possis honestè alere. Audi quid iste tuus labor sit, Est res sanctissima, qua Deus delectatur, & per quã vult benedictionem suam tibi donare, hoc Encomiũ laboris debebat scribi, in omnium opificum instrumentis, in fronte & in naso sudante ex labore. Mundus enim laborẽ non iudicat benedictionem esse, ideò eum fugit & odit. Hinc illæ querelæ & diræ imprecationes, quas per impatientiam impij coniuges effundũt, cùm iam ad hoc, iam ad aliud negocium rapiuntur. Sed pij & qui Dominũ timent, animo alacri & lætõ laborant, quia agnoscunt mandatum & voluntatem Dei, Sic pius agricola in curru & aratro suo, sutor in corio & acu, faber in ligno & ferro scriptum videt hunc versum: Beatus es, & benè tibi erit: Mundus inuertit & dicit: Miser es, & malè tibi erit, siquidem ista semper toleranda & ferenda sunt. Felices autẽ sunt, qui in ocio vitã tolerant, & sine labore habent vnde viuant, sicut Martialis commendat rem non partam labore, sed relictã. Talia conuicia spargit Diabolus in coniugium magis, quàm in Magistratũ politicum. Quia etsi ibi quoq; sunt incommoda aliqua, tamen illa facilè deuorant homines ambitiosi, ob gloriæ & dignitatis accessionem.

Opus igitur est hac consolatione contra scandalũ hoc mundi, vt coniuges sciant Deum hoc vitæ genus ordinasse, in quo sudent ac laborent, & ferant peccati originalis maledictionẽ, in Paradiso inflictam. Deinde, vt præter id hoc etiam sciant, Spiritum sanctum hîc pronunciare, beatos eos esse qui officium faciunt & strenuè laborant. Hæc tanta sunt, vt facilè pij molestias laboris sint toleraturi. Quid enim amplius vis? Primùm audis Deum velle per laborem, victum & alia ad tuendam vitam necessaria per benedictionem suam largiri, Deinde etiam tuo labore delectari, eumq; approbare, ac sacrificij & gratissimi cultus loco habiturum esse. Siquidem non simpliciter labor est, sed opus obedientiæ seu vocationis. Hæc impij nesciunt, ideò aut sectantur ocium, aut impatientissimè ferunt laborandi necessitatem. Quia non vident oculis Spiritus sancti, sed simpliciter secundum oculos carnis iudicant, qui oculi nihil præter incommoda & molestias vident, & meritò, sed Spiritus pios erigit & consolatur, quòd & Deus per laborẽ velit benedicere (ociosis enim etiam si quid dat, dat eis in perniciem) & quòd sudor iste ac labor, Deo placeat. Hoc duplex commodum est, pro vno incommodo, quod caro tantùm videt.

Sed est hîc etiam admonendum, laborẽ dici non tantùm, cùm fatigantur membra, sed etiã solicitudinẽ & curam. Nam Propheta eiusmodi vocabulo vtitur, quòd nõ solùm sic significat laborare, vt aliquid agas manu, sed incõmoda etiam cõplectitur, quæ inter laborandum patimur, cuiusmodi in Oeconomia plurima occurrunt, sæpe cum maritus magno conatu facit officiũ, molesta est vxor & lites mouet, liberi implicant morbis, familia nõ solùm negligentia peccat, sed sæpe perfida est, & clam pecunias aut supellectilem furatur. Magistratus quoq; difficilib. temporibus enecat exactionibus & seruitute. Hæc nos nõ labores, sed molestias vocamus, & tamẽ Propheta vtrunq; cõplectitur vocabulo laboris, vt siue agendo, siue patiendo nobis afflicti esse videamur, æquo animo id feramus, & cogitemus Deũ hanc vitam non condidisse ad voluptates. Ideò enim ad mulierẽ dixit: Multiplicabo ærumnas tuas dum gratuida es, in dolore paries filios tuos. Nam & tẽpus ante partũ plenissimũ est maximarum molestiarũ. Ipse partus autem quantillũ à morte differt? Sic viro dixit: Maledictus sit ager propter te, in dolore comedes fructus eius omnibus diebus vitæ tuæ. Hîc audis non diem, nõ annum vnũ dolori & labore, sed omne vitæ tempus destinatum esse.

Ergò inquis, cùm hæc sic sint, præstat viuere cœlibem vitam & scortari. Facpericulum, & vide an sic te euoluere ex his incommodis possis. Imò magis te inuolues, & grauioribus periculis onerabis. Nam hoc modo iratũ Deum, & malam conscientiam tibi comparabis, ac ipse damnabis te & vitã tuam. Dum enim sectaris gaudium carnis, & voluptates, incidis in amaritudinem Spiritus, quæ quid sit, suo tempore experieris. Nam vna guttula malæ conscientiæ, vt sic dicam, totũ mare mundani gaudij absorbet. Quid fiet, vbi per impiam tuam vitam, nõ vnius diei, sed multorum annorum malam conscientiam sustinere cogeris? Econtrà vbi est læta conscientia, & certa de fauore ac benedictione Dei, ibi etiam est æterna lætitia, quæ illas guttulas humanorum incommodorum & molestiarum, ita haurit & absorbet, sicut Sol meridianus rorem.

An non igitur turpe est, illas guttulas ac scintillas laboris sic metuere & fugere, cùm videas Deum eas melle & saccharo suauissimo condijsse, nempe, quòd hic in Psalmo omnibus sic laborantibus & ferentibus communes coniugij molestias dicit: Beatus es, & benè tibi erit? Hoc est, quòd in isto vitæ genere es, quòd laboras, quòd variè tentaris, & iam hanc iam aliam molestiam deuoras, hoc non solùm mihi placet, sed tibi quoq; vtile est, vt hoc modo caro mortificetur, & peccatum originale vexetur, & tu in coniugio tanquam Schola, hanc perfectissimam Philosophiam discas, vt Dei voluntatem patienter feras, & mille occasiones declarandæ patientiæ & dilectionis habeas, quas extra coniugium in vita cœlibe non haberes. Qui hoc modo in coniugio viuunt, etiã cùm calamitosissimi sunt, tamen verè beati sunt. Et contrà, qui hoc modo non viuunt, verè infelices sunt. Nam labores & molestias, quibus simpliciter hæc vita carere non potest, eo modo ferunt, vt dolorem doloriad dant. Hinc inter ipsos coniuges oriuntur lites. Hinc oritur fastidium, vt vnà ire, colloqui, edere, bibere pigeat, hæc planè Diabolica vita est. Ergò hæc exhortatio diligenter discenda & exercenda est, vt laborem & omnes molestias æquo animo feramus, & per patientiam vincamus, contenti hoc dono, quòd scimus Deo nostrum vitæ genus gratum esse, & ideò ipsum benedicturum esse nobis. Hoc modo cum bona ac læta conscientia, familia regi, & omnia incommoda deuorari possunt.

DE MAGISTRATV.

APPELLATIONES.

Rephaym. Genes. cap. 14. Tom. 2. fol. 39. Rephaym appellantur à (Raphat) sanauit, quasi dicas, Saluatores terræ, Patres patriæ. Hoc nomen illis temporibus regum fuit.

Sicut Saxones nobiles appellant Gutman. Nobilitas enim debet studere virtuti, & prodesse suis. Ideò enim opes tenẽt, & dignitate antecellunt vulgus, quod nihil nisi sua commoda quærit, & ideò indulget cupiditatibus.

At nobilitas altiores spiritus gerat, occupetur publicis negocijs, & defendat fortiter suos, exemplo suos inuitet ad virtutem, non vt nunc solent, heluetur, latrocinetur, expilet, spoliet suos.

Eximia igitur appellatio est Magistratus, quòd sint Rephaym, saluatores seu medici, qui vlcera & pestes corporum sanent: qui fures & latrones iugulent, & defendant ab iniurijs suos.

Sed sicut nunc fit, ita etiam tum factum est: Potentia facit insolentes & tyrannos. Caro enim nostra infirmior est, quàm vt gloriam & potentiam rectè ferre possit. Igitur suauissimum hoc nomen, malè audire cœpit, & Rephaym, propter degenerantem nobilitatem, sunt dicti Gygantes & Tyranni. Ideò excitauit Deus hos quatuor Reges, ad illos Rephaym puniendos, qui oblitì sui muneris, non medici & saluatores, sed oppressores libertatis & rerum publicarum erant.

Et eodem cap. fol. 40. Zuzim, significat robustos. Sicut Germanicè vocamus, Die tewren Helden, contemptores periculorum, qui pro patria vitam profundere parati sunt. Emim

Emim, significat reuerendos, tremendos, metuendos, quos vulgus obseruare & colere debet.

Nimrod robustus venator coram Domino. Genes. cap. 10. Tom. 1. fol. 160. Nomen fatale est: Nimrod enim dicitur à Marad, quod significat apostatare & rebellare, Siue quòd inuaserit bello fratres, & maximè piorũ familias, vt amplificaret fines suos, siue quòd natio hæc tum cœperit descíscere à filijs Sem, & religione eorum, ac quæsierit sibi singulare imperium supra omnes filios Noah.

Ideò Moses addit, ipse cœpit potens esse in terra. Non iussu diuino, nec voluntate patrum Sem & Arphachsad, sed per tyrannidem. Non autem sine cæde & sanguine putabimus hæc gesta esse. Hîc igitur primus siue Turca, siue Papa fuit in terra post Diluuium. Fuit enim eius manus contra omnes tum Ecclæsias, tum Politias, donec per tyrannidem sibi parauit imperium, quod tamẽ non ad ipsum, sed ad Sem pertinebat, sicut etiam Sacerdotiũ, sed filium Diaboli oportuit patris símilem esse, Satan enim homicida est.

Porrò potentem in terra esse, non est per se malũ, licuit enim ei suo loco regnare, ac tenuit sine dubio optimam partem terræ, sed non contentus suis finibus inuadit vicinos.

Et quod pessimum est, non vult tantùm esse fortis venator in terris, sed etiam coram Domino, hoc est, non tantùm in Politia voluit esse potens, sed etiam regnum tenere voluit in religione, eam inuadit, & in ea tyrannidẽ exercet, sicut Papa hodie. Hanc tyrannidem qui habet, non sicut venatores sectatur lepores, ceruos, apros, sed insidiatur Iustis, Sanctis, Prophetis & Sacerdotibus Dei, hos venatur, capit & occidit, qui chari Deo sunt, qui fidem habent, in quibus Deus ipse per Spiritũ suum habitat.

Nam quis de illo dubitabit, quin sancti Patres habuerint semper cœtus suos, & conuenticula sua, vbi docerent iuuentutẽ, vbi concionarentur, orarent, prophetarent, laudarent Deum? Non enim Ecclesia sine verbi assiduo vsu existere potest, & semper habuit Ecclesia Sacramenta sua seu Symbola gratiæ, & Cæremonias. Sic Habel & Cain ad sacrificia à patre assuefacti, qui tum cultus Dei erat sacrificabant. Ad hunc modum Sem conuenticula, conciones, cultus, sacrificia & alias ceremonias habuit, quæ vsq; ad Abraham durarunt.

Hæc quæ Sem administrabat à Deo iussus, inuadit venator hîc, & non contentus tyrannide in Republica, etiã in Ecclesia vult dominari, erigit nouos cultus, eos qui coram Deo sunt opprimit. Nam Moses diserte distinguit duos conspectus, alterum coram Deo, alterũ coram hominibus. Quòd igitur coram Deo bonum & iustum est, id mundus semper iudicat malum & iniustum.

Sic Nimrod in suis oculis, & coram toto mundo habitus est, quòd coram Deo sit fortis venator, hoc est, habitus pro Sacerdote sumo, pro capite Ecclesiæ, & omninò talis, qualem se hodie Papa vult haberi. Nam oculi carnis Papatum nõ possunt iudicare, quod malus sit. Qui autem Spiritum sanctum habent, & verbum retinent, hi iudicare possunt. Sicut autem Papæ hoc nostrum iudicium intolerabile est, vult esse caput Ecclesiæ: Ita Nimrod quoq; hunc titulum ferro & vi sibi vendicauit, quòd voluit coram Deo esse fortis venator, hoc est, Dominus in Ecclesia.

Ad hunc modum pingit scriptura Tyrannum, qui non tantùm aliena Regna, sed Religionẽ quoq; inuadit, idq; pulcherrima specie, vt nemini subolescat hoc agi, vt coram Deo venator sit, seu vt in Ecclesia Dominium quærat: Sicut Papa fecit, qui se seruorum Seruum appellauit.

Hac specie Nimrod quoq; texit consilia sua, vt haberetur pius, clemens, Reipublicæ vtilis, & Ecclesiæ necessarius, alioqui nõ erat habiturus tantùm applausum vulgi. Sed verè est Nimrod, apostata & tyrãnus, vexator & direptor generis humani, ac postea persecutor & occisor Sanctorum hominum & verorum Sacerdotum, qui conati sunt ei titulum tam magnificum eripere, & hominum saluti consulere. Nam pij qui verbum retinent, nec possunt, nec debent impiorum consilia & conatus dis-

tus dissimulare. Hoc cùm faciunt, intentatur eis gladius & arma, & exercetur inui-
sta Tyrannis in Ecclesiam.

Quod igitur Nimrod appellatur venator, hoc neutiquam intelliges de illa vsitata Principũ venatione, cui tamen quidam insano studio sic indulgeant, vt etiam seriis negocijs eam anteponant, & malint strenui venatores, quàm sapientes gu-
bernatores æstimari. Sed ostendit Moses, Nimrod homines nõ feras venatũ & per-
secutum, ac præcipuè eos, qui Ecclesiam gubernabant doctrina.

Hic igitur titulus addendus erat impiorum Principum titulis, & pingẽdus in ipsorum insignibus: sicut Moses facit, qui ab hoc dicit natũ prouerbium. Quasi di-
cat, hic postea generalis titulus fuit omnium Tyrañorum & Principũ: Huius enim exemplum secuti, non solùm inuaserunt Respub: & Regna, vt augerent dignitatem & potentiam suã, sed etiam vsurparunt ius in Ecclesiam. Sicut nostro tempore Mo-
guntinus Episcopus, præterquam quòd expilauit Episcopatum suum, etiam Eccle-
sias perturbat, dum sanam doctrinam excludit, & cogit homines ad impios & idola-
tricos cultus. Vocat autem Moses: Robustum venatorẽ, cui nemo resistere potuit. Habent enim cum Apostasia & perfidia coniunctam potentiam Tyrañi, qua muni-
ti facilè perficiunt quod volunt. Mihi nõ dubium est, quin Moses voluerit hoc qua-
si pictura complecti legendam omnium Tyrannorũ, qui etiam posterioribus tem-
poribus in Rempublicam & Ecclesiam erãt grassaturi, quòd vocat Nimrod poten-
tem persecutorem Sanctorum Dei, & hostem verbi ac Ecclesiæ.

Murus, Fons in arido loco, & vmbraculũ. Tom. 3. Ienens. fol. 364. Iesai. cap. 32. Et erit vir sicut qui absconditur. Obserua hîc insignem cõmendationem Magistra-
tus, quòd sit ceu murus, qui defendat à ventorum & pluuiæ. Item quòd sit ceu ri-
uus in arido loco, & petra vmbræ. Has similitudines diligenter considera, & vide-
bis quàm magnifica res sit Magistratus, vt rectè à Christo ἐυεργέται sint dicti. Nam Magistratus officium est, vt sit honori bono operi, & timori malo operi, Hoc est, vt sit quasi tutela aduersus Diabolũ, & omnia eius membra, quæ nihil cogitant, quàm seditiones, furta, adulteria, homicida, &c. Aduersus hos ventos, procellas ac tempe-
states, Magistratum in mundo constituit Deus.

Hæc si considerarent Principes, essent beati. Sed hoc non faciunt nisi pij, qui Deum timent. Ita propriè sunt Dij appellandi in terris Heroes & Saluatores popu-
li. Alij qui gladio & potentia, quam habent contra Deum & proximum vtuntur, & cogitant de perturbanda Republica, & vexandis hominibus, sunt quasi furiosus qui gladiũ tenet, sed iustus Magistratus est plenus misericordia & bonis operibus, Ideò etiam concitat in se Satanam, cum omnibus membris suis.

Sicut riui aquarum siti, &c. Est suauissima figura, Magistratum esse quasi fon-
tem in arido loco & in siti, quòd restinguat sua defensione omnia incommoda, & re-
creet oppressos.

Et in vmbra petræ prominentis in terra deserti. Non solùm est refrigerium, sed etiam tutela contra æstum. Est enim graue malum pati æstum sine vmbra. Vocat au-
tem bonum Magistratum petram, & firmam rupem, quæ sit immota & stabiliter præ-
stet vmbram, nec muneribus, nec præcibus corrumpi se sinat, quin faciat iustitiã & iudicium.

Quinta autem virtus sit hæc præstare, potestis per circumstantias dilatare. Si enim Magistratus talis esse conatur, qualis hîc describitur, tunc irritat cõtra se infer-
num, cum omnibus Diabolis, cum tota sua ciuitate seu principatu. In hoc periculo tanto tamq; præsenti paucissimos habet fidos amicos, Reliqua tota turba eum odit, etiam qui vel propinquitate, vel affinitate, vel ministerijs eum proximè attingunt. Hîc imponitur ei fucatis officijs amicorum, callidis consilijs aduersariorum, adula-
tionibus, calumnijs, & alijs mille nocendi artibus.

Qui igitur vnus contra tot aduersarios, contra tot fraudes & adulationes con-
sistere potest, eum necesse est bonum virum esse, qui sæpe videbitur sibi solus tan-
tum

tum onus sustinere, & vnus contra omnes suos stare. Si igitur est pusillanimis, abiecto clypeo fugiet, & indignabundus dicet, vt imperent qui velint, se non velle. Adeò misera res est Magistratum esse, vt necesse sit animo frangi, impatientia ac indignitate rei motos, nisi diuinitus sustententur.

Pingit igitur hîc Magistratum quasi petram, qui habeat saxeum cor, quod nullis precibus, nec minis, nec adulationibus moueatur, sicut muliercula illa dicit de Dauid 2. Reg. 14. Sicut Angelus Domini, sic est meus Dominus Rex, vt nec benedictione nec maledictione moueatur. Fatetur enim fuisse, qui florentissimo & optimo Regi maledicerent, alios qui benedicerent, nihil tamen his eum motum perrupisse, quasi clausis oculis, & fecisse quod iustum erat. Ad quam rem non animus solùm ingens, sed & magna sapientia ac patiẽtia requiritur. Quia omnis qui regit tanquam lignum, in quod omnia iacula Satan & mundus dirigunt. Ergò qui assumit Magistratum, is animum sibi sumat, non ex se, sed flexis genibus oret, vt Salomon, vt ipse Deus regat. Benè igitur dictum est, Magistratus virum ostendit, ac meritò, pij reges ceu victores omnium malorum coronas gestant.

QVID SIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 461. in Psal. 8. Graduum. Magistratus tantùm instrumentum est, per quod Deus pacem & iura conseruat. Maritus & vxor in domo instrumenta sunt, per quæ domus & res familiaris augetur.

Hæc scire magnam consolationem affert. Si enim res aliter cadunt, nec pertingimus ad finem præstitutum, possumus dicere: Ego tantùm instrumentum quoddam sum, nec sunt ista in manu mea, sed gubernantur ab alia maiore potentia & sapientia. Si igitur vxor moritur, si moriuntur liberi, si turbatur pax, aut aliud quiddam incommodi accidit, dic: Non sunt ista in manu mea, instrumentum sum, quantum omninò possum facio, laboro, curo, mando, vigilo: Tu Domine, in cuius manu omnia hæc sunt, da successum, alioqui frustrà est omnis conatus, labor omnis, &c. Nisi enim adsit prima causa, secunda causa per se nihil agit.

DE CAVSA EFFICIENTE MATERIALI, FORMALI ET FINALI, MAGISTRATVS SEV POLITIAE.

Tom. 4. Ienens. fol. 459. Psal. 8. Graduum. Materialem & formalem causam solùm, tum Politiæ, tum Oeconomiæ norunt (Philosophi & ratio.) Finalem autem & efficientem causam non possunt, hoc est, nesciunt vnde veniant Politia & Oeconomia, & à quo conseruentur, item quò tendant.

Aristoteles igitur in Ethicis & de Republica, item Xenophon, Plato, Cicero, & alij, quanquam de Repub: præclarè scripserunt, tamen veram efficientem & finalem causam non attingunt. Causam enim finalem optimam & præcipuam, putant esse pacem Politicam, honestum, gloriam, &c. Efficientem autem causam constituunt, virum sapientem seu prudentem Magistratum, vel vt ipsi loquuntur, virum & ciuem bonum. Sed Salomonẽ audiemus, aliter & propriè magis disputantem. Philosophi igitur formalẽ causam rectè tenent, quomodo sit gerenda Respublica, quod alicubi iustitia commutatiua, alicubi distributiua sit sequẽda, quod secundum hanc puniendi sontes, defendendi insontes, sint, secundum illam constituendi contractus, &c.

Hanc causam pulcherrimè & optimè tractant, sed hæc nõ satis est. Nã cùm hæc ita instituta sunt, requiritur etiã successus. Videmus sapiẽtissimos viros grauiter commoueri, cùm pulcherrimis suis consilijs successum deesse vidẽt. Leges enim habent iustissimas & honestissimas, & summa vi in id incumbunt, vt leges illæ seruentur, sed in efficienti & finali causa hærẽt. Quia enim statuũt finẽ, gloriam, pacẽ, opulentiã, hæc autem nõ semper eueniunt, sæpe etiã diuersum accidit. Manifestũ ergò est, hos euentus nõ esse causam finalẽ. Econtrà alius quispiã, quò est peior & negligentior, eò est fortunatior, ea res magis cõmouet bonos ad impatientiã. Quare in hoc omnia sunt,

vt sciamus vnde ista sic fiant, quod boni plerunq; pessimè habent, econtrà pessimi optimè. Sicut multi dissoluti & maligni Oeconomi florent, optimi autem egent.

Ergò apparet, quòd non possint Philosophi & Gentes de Rebuspub: & Oeconomia sic dicere, vt Spiritus sanctus. Nam ipsi tantùm habent & sequuntur rationem, Salomon autem & Spiritum sanctum habet, qui eum de finali & efficiente causa Imperiorum & Oeconomiæ docet. Habet item rationem & experientiam, quia & Rempublicam & domum gubernauit. Quare non tantùm ex Spiritu sancto loquitur, sed etiam ex experientia, quòd est in maximis causis versatus, & magnum grauissimarum rerum vsum habuit. Debet autem hoc nomine cõmendatior nobis hic Psalmus esse, quòd eũ vir tantus de Politia, & de re familiari composuit. Qui quam breuis est, nã sex tantùm versiculi sunt, tamen est singulari doctrina refertus, ac formalem item materialem causam nõ vrget. Videt enim iam adesse domos, constitutas esse Respublicas, ac munitas optimis legibus & Magistratibus. Sed sunt ne satis? Minimè. Duæ enim principales causæ adhuc desiderantur. Nam quod ad formalẽ causam attinet, fieri potest, vt leges meliores fuerint apud Gentes, quàm apud Iudæos, Et fieri potest, vt Magistratus quidam Gentium fuerint meliores ijs, qui in populo Dei fuêre. Sed hæc tantùm sunt materia & forma. Quare eò peruenien dum est, vt principales causæ Rerumpub: & Oeconomiæ, cognoscantur, quis sit quisciat Rempub: & domum, & quare faciat. Has Gentes & ratio non vident, sed ratio tantùm in materiam & formam intuetur, & quia causa efficientem non nouit, conatur ea gubernare secundum eum finẽ, quem ipsa constituit ex sua virtute, quasi ipsa sit, quæ tantas res possit cõstituere, fit igitur vt impingat & fallatur. Sic Demosthenes accedit ad Rempublicam, quam inuenit benè institutam legibus & moribus. Irruit igitur tanquam illotis manibus & pedibus, & conatur fieri causa efficiens Athenien sis Reipub: hoc est, hoc vult eam gubernare tanquam sapiens vir suis consilijs. Ad quem finem? vt scilicet publicam pacẽ stabiliat, & sibi ac patriæ gloriam & tranquillitatem pariat, & omnia sic eueniant, vt à se prudenter excogitata & delibe rata videt. Sed Deus, quia superba consilia odit diuersum facit. Ergò in materia & forma nihil vitij est, In fine autem & efficiente causa sapientissimus vir fallitur.

Idem in Romana Repub: Ciceroni summo viro, idem Iulio Cæsari euenit. Fit igitur, vt cùm neq; efficientem causam cernant, nec finalem attingant, vt clamitent, omnia casu & fortuna ferri, quæ rectis consilijs ferè semper aduersentur. Quia enim neq; virtute, nec sapientia, nec diligentia eum finem quem optabant, attingere possunt, & vident quoq; insciti am & malitiam hominũ Rebuspub: plus nocere, quàm nonnunquam rectis consilijs adiuuantur. Finxerunt tertium & medium quiddam, fortunam scilicet, quæ incerta causa esset, & alibi recta consilia successu iuuaret, alibi impediret, Ac coacti sunt dicere, maiorem rem esse administrationẽ Rerumpub: quàm quæ humanis consilijs regeretur. Nam præter consilia etiam fortunam requiri, quæ diuinitùs iam huic, iam illi contingeret. Atq; hæc est ratio, cur summi viri inter Gentes, neq; de Oeconomia, nec de Politia rectè docere potuerunt. Ergò subit hic Doctor, qui habet alium Spiritũ, cum experientia coniunctum, & docet vnde, & quò, hoc est, quæ vera causa efficiens, tam Politiæ, quàm Oeconomiæ sit, & quis earũ sit finis. Nam vtrãq; complectitur, & docet, vt si quis velit vel domũ, vel Rempub: feliciter gubernare, ne is se principalẽ causam constituit, alioqui fore vt euertat omnia. Tot enim pericula, tot molestiæ & curæ, in vtroq; genere vitæ occurrũt, quæ ita perturbant animum, vt defatigatus ac desperans, omissis omnibus indigne tur, & Satana duce se in has molestias præcipitatũ dicat. Et meritò. Quare enim præsumit de eo gubernando, quod est supra vires suas? Sic Demosthenes iactatus in Repub: variis casibus, tandem dixit, si duæ viæ præpositæ essent, altera ad Rempub: altera ad Inferos, se citius eam ingressurum, quàm alteram. Sic in Oeconomia, qui coniugium ingreditur, omnia sibi expedita & suauia promittit, putat enim se certam rationem & vxoris assuefaciendæ, & educandæ sobolis, ac gubernandæ familiæ secuturũ. Hæc cùm in experiundo diuersa accidunt, & vel

& vel vxor minus est morigera, vel liberi ingrati, & inobedientes sunt, familia est negligens, vicini graues & molesti, (sunt enim infinita cõiugij onera) Ibi indignantur, & serò queri incipiunt, hoc si scissent, nunquam ducturos fuisse vxorem. Suauiorem Monachorũ vitam esse, qui carent his molestijs, &c. Talibus vocibus deplorant conditionẽ suam stulti homines, Quasi verò, si Monachus fias, omnia incommoda simulabiecerís, Imò etsi in Monasteriũ te abdas, tamen non carebis omnibus molestijs. Quia sicut sub cœlo & in terra es, quocunq; in loco sis, ita vel sub Oeconomia vel Politia necesse est vt viuas, vbicunq; tandem viuas, aliter non potest fieri.

Quare compara te, vt vincere & deuorare molestias istas possis, & eas in aliam causam extra te reijcere discas, quæ sit robustior quàm tu es. Solus autẽ Spiritus sanctus Doctor ille est, qui docet & monet, vt reijciamus nos totos in sinũ diuinæ maiestatis, & confidamus illi, & in nomine eius ducamus vxorem, curemus familiam, gubernemus Respub: figamus leges, &c. Quæ si succedunt, benè est, si non succedunt, etiã benè. Quia illa est voluntas Dei, vt cùm semel vocante Deo, vel ad Rempub: vel Oeconomiam sis ingressus, tamen illo inuocato, in ea perstes & perdures.

Atq; hæc est doctrina principalis huius Psalmi, quẽ Papistæ in omnibus templis canunt, & tamen omnium minimè res de quibus agit intelligunt. Fugiunt enim & Oeconomiã & Politiã, & tamẽ in vtramq; immersi sunt, Nemo enim magis Politicus vel Oeconomicus est. Nã Papa & Monachi etiã magnos Monarchas & Principes impudentissimè gubernauerunt, & ab officialibus coniugiorum causæ iudicatæ sunt, tũ confessionibus tã domus priuatas, quàm Imperia & Magistratus rexerunt. Ita autẽ accidit, vt per homines imperitos vtrumq; vitæ genus penè extinctum sit. Nam eos, qui in politia viuebant & coniugio, damnabant tanquã status seculares, & consulebant, vt vitã Monasticam potius sequerentur. Sicut Philosophi gentium, qui priuatã vitam, hoc est, extra coniugium, & politiam positam tanquã optimam prædicabant. Deinde tales leges præscripserunt, quas nec ipsi seruauerunt.

Contra hanc stultam & impiam vitam Papistarum & Philosophorum, consolatur nos Deus in Scriptura sancta, in qua videmus, quòd nullus sanctus vnquã extiterit, qui nõ versatus fuerit vel in Politia, vel Oeconomia. Maximos enim viros intrusit Deus in aulas Principum, Eliam, Elisæum, Esaiam, Danielẽ, &c. Taceo iam de sanctissimis Regibus, Dauide, Salomone, Ezechia, & alijs. Quin Iohannẽ Baptistã oportuit aulicum fieri, & regium consiliariũ, sicut textus dicit: Herodes multa faciebat audito Iohanne, sic omnes sanctos suos coniecit, vel in Politiã, vel Oeconomiã, excepto vno Christo, qui erat sapientia Patris, is nec vxorem duxit, nec gubernauit politiam. Quia oportuit eum aliquid singulare esse præ reliquis, & tamen vtrumq; vitæ genus honorauit, nempe nuptias & Magistratum.

Monachorum igitur vita verè est Diabolica, quòd Oeconomiã & Politiam fugiunt. Ac sapiunt quidẽ. Quis enim non longè malit aliquo in solitudinẽ fugere, & sibi viuere, de alieno victitare, frui ocio, pace, quiete, voluptate, & alijs bonis, cũ opinione sanctitatis, quàm in mũdo iactari inter illas miseras & calamitosas curas, quibus humana hæc vita plenissima est? Hoc verè est decerpere quod est lautissimũ, & relinquere alijs fæces, relinquere alijs grauissimos labores educandorũ liberorum, gubernandæ domus, administrandi Imperij, &c.

Sed ex hac ignauia meritum præmium ferunt, quòd sunt homines imperiti, qui nullam rerum humanarum cognitionem habent, sicut hypocrisi & nugacibus suis speculationibus mundum perturbarunt, & perplexos reddiderunt, tam eos qui in Oeconomia præerant, quàm in Politia. Imò fecerunt, vt inuiti sustinerent officia, ad quæ diuinitùs vocati erant, hi qui vel in coniugio vel politia viuebant. Si quis enim vel Oeconomus vel Magistratus accedebat ad eos, & de illis incommodis domesticis vel publicis querebatur, non solùm nõ consolati tales sunt adferenda onera illa, sed quasi phanatici ab his optimis vitæ generibus, ad Monasticen eos vocabant, donec eò tandem ventum est, vt mortuos cucullo indutos sepelirent.

sepelirent. Nesciebant ista genera vitæ Coniugium & Magistratum à Deo creata & condita esse. Nesciebant quòd oporteret tales ad constantiam & patientiam potiùs adhortari, nempe quòd essent diuinitus constituti in Coniugiũ & in Rempub: placere igitur Deo officium ipsorum, neq; deserenda esse hæc vitæ genera, sed si qua aliter quàm vellent, euenirẽt, paterentur ea incommoda propter Deum, & Deo cõmendarent omnia. Hoc verè fuisset docere & cõsolari mentes, sed Papistæ neq; ante hoc tẽpus id potuerunt, nec hodie possunt facere. Ratio est, quia sunt positi extra officiũ, vsum & experientiã harũ rerum, & tantùm ociosè de his cogitant, pręterquàm quòd sunt quoq; destituti Spiritu sancto. Salomon autem vtrunq; habet, & maximã experientiam Politiæ ac Oeconomiæ, & Spiritum sanctum. His Doctoribus didicit non posse res administrari humana sapientia, sed omnia diuinitus gubernari.

Naaman Syrus non tantùm afferebat ad Rempub: magnam sapientiam, sed textus dicit, quòd Deus eum dedit in salutem Syriæ, hoc est, magna illa sapientia infelix erat futura, nisi diuinitus esset donatus successus. Sic si quis magnus & bonus est futurus Princeps, non habet id naturæ dono, neq; ex institutione aut doctrina, sed donum Dei est.

Hoc autem postea docet experientia ac vsus, res sæpissimè aliter cadere, quàm animo præuideris. Idem marito accidit. Quoties enim fallunt consilia? verum igitur est, quod vulgò dicitur: Homo proponit, Deus autẽ disponit. Et quod Salomõ dicit Prouerbijs 16. Cor hominis disponit viã suam, sed Domini est dirigere gressus eius. Instituis tecum consilia, qua ratione rebus tuis mederi velis, Res aliter cadunt, & his ipsis consilijs, quibus tantùm confidebas corrumpis causam tuam præter opinionẽ tuam & aliorum. Parit autem hæc res ingentem impatientiam. Quare discas, quòd sapientia & consilijs tuis, ne tuum quidem corpus possis regere, quomodo ergo regeres aliorum corpora & voluntates in vna aliqua domo, ciuitate, Ducatu, Imperio? Disce ergò quod sicut Ieremias dicit: Via hominis nõ est eius, ita hoc ipsum corpus, quod sustines & circumfers, non esse in manu tua.

Hoc verè est docere de Politia & Oeconomia, ostendere scilicet causam efficientẽ & finalẽ. Est autẽ eò magis necessaria hæc doctrina, quòd omnes vel in Politia, vel Oeconomia sumus. Etsi enim non sis maritus, tamen necesse est, te esse in aliqua Oeconomiæ parte. Nam aut es filius, aut seruus, aut habes liberos, seruos, vicinos, aut alia quadã conditione in domo, vel societate hominum es. Caueri autem nõ potest, quin multa molesta tibi accidant. Discendũ ergò est, quomodo in istis vitæ generibus sit versandum, vnde ista sint, & quis eorum finis esse debeat. Longè autem maximè hac cognitione opus est ijs, qui in aliquo superiore vitæ gradu sunt, & vel Rempub: vel domum gubernare debent, vt sciant quis eius gubernationis sit finis.

Pertinet igitur Psalmus hic propriè ad Ecclesiasten Salomonis, & non solùm doctrinã eandem, sed verba quoq; ferè eadem habet. En Ecclesiaste dicit: Vidi vanitates, quod nec in Oeconomia, nec in Politia succedebat, sed afflictio spiritus in vtraq; erat. Quare nihil est melius quàm lætari in Deo, & cum gratiarum actione seu donis præsentibus, quæ largitur, facere quantum possis. Hic igitur Psalmus videtur quasi Compendiũ & Epiphonema eius libri esse, quo docet, & quæ sit efficiens causa Politiæ & Oeconomiæ, siue Reipub: siue rei familiaris, & ad quem finem gubernatio ista tendere debeat, nempe quòd tantùm simus ministri & cooperatores Dei, nec simus causa efficiens sed instrumentalis causa, per quam Deus operatur & facit illa. Sicut sapientia dicit: Per me regnant Reges, &c. Et paulò pòst.

Eodem modo de finali causa docet, vt intelligas omnia esse donũ Dei, & pertinere ad gloriã & cultum Dei, nõ ad nostrã pacem, voluptatẽ, gloriam & vt dicamus: Hoc fecit Dominus, is dedit hunc felicem finẽ, Ei sit laus & gloria in seculum, ego tantùm instrumentũ fui, eius igitur est donum nõ meum opus. Agrũ debeo colere, possum esse instrumentum, sed quòd proueniunt fruges, hoc Dei donũ est, nõ labor meus,

meus. Si enim nostrum opus esset, nunquam perirent segetes exundationibus, æstu, imbribus, &c. Sic in coniugio tum demum apparet liberos donum Dei esse, quando vxor non parit. Harum causarum cognitio necessaria est Christiano.

DE POTESTATE POLITICA ET IVRE GLADII, &c.

Genes. cap. 9. Tom. 1. fol. 144. Quicunq; effuderit sanguinem, illius sanguis effundetur per hominem. Hîc nouam legem instituit Dominus, & vult homicidas ab hominibus occidi. Id quod in mundo hactenus non fuerat vsitatum, nam totum iudicium sibi Deus sumpserat. Ideò cùm videret mundum quotidie magis ac magis corrumpi, tandem diluuio pœnas ab impio mundo exegit. Hîc autem communicat suam potestatem Deus cum homine, & tribuit ei potestatem vitæ & mortis inter homines, sic tamen si sit reus effusi sanguinis. Qui enim non habet ius occidendi hominis, & occidit tamen hominem, hunc subijcit Deus, non solùm suo iudicio, sed etiam gladio hominis. Itaq; si occiditur, etsi hominis gladio occiditur, tamen à Deo recte dicitur occisus esse. Si enim absq; hoc Dei mandato esset, tam non liceret occidere homicidam, quàm non licuit ante diluuium.

Hîc igitur fons est, ex quo manat totum ius ciuile & ius Gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem, profectò etiam concedit potestatem super id quod minus est, vt sunt fortunæ, familia, vxor, liberi, serui, agri. Hæc omnia vult certorum hominum potestati esse obnoxia Deus, vt reos puniat.

Nam hîc inter Dei & hominum potentiam hæc differentia retinenda est, Deus habet potestatem occidendi nos, etiamsi mundus accusare nos non possit, sed coram mundo innocentes simus. Nam peccatum omnes nos coram Deo reos statuit. Homines autem tum demum potestatem occidendi habent, cùm coram mundo rei sumus, & de peccato cõstat. Ideò instituta iudicia sunt, & certus actionũ modus præfinitus, quibus crimen inquiratur & probetur, priusquã feratur sententia de capite.

Ergò locus hîc diligenter notandus est, quo Deus Magistratum constituit, non tantùm vt de vita iudicet, sed etiam de inferioribus seu infra vitam positis, vt Magistratus puniat inobedientiam liberorum, furta, adulteria, periuria, In summa, vt puniat omnia peccata, quæ in secunda tabula prohibentur. Qui enim vitæ iudicium concedit, etiam inferiorum rerum iudicium permittit.

Insignis igitur hîc textus est, & dignus obseruatione, quòd Deus Magistratum instituit, & ei gladiũ dat in manus, vt restringat licentiam, ne tùm sæuicia, tùm alia peccata progrediantur in infinitum. Hanc diuinam potestatem, nisi Deus contulisset hominibus, qualem quæso viueremus vitam? Quia igitur præuidet semper maximam malorum copiam futuram, hoc externum remediũ instituit, quod mundus hactenus non habuerat, ne licentia immodicè cresceret. Atq; hoc tanquam septo, his tanquam parietibus, munijt vitam & res nostras Deus.

Est igitur hoc quoq; non vilius argumentum. Summi amoris Dei erga hominem, quàm quod promittit non amplius grassaturum Diluuium, & concedit vsum carnium, ad sustentandam hanc vitam.

Quoniam in imagine Dei fecit Deus hominem. Hæc est insignis ratio, cur nolit hominem occidi priuato arbitrio, quia sit nobilissima creatura, non condita sicut cætera animantia, sed ad Dei imaginem, quàm etsi vt suprà diximus per peccatum amisit homo, tamen eiusmodi est, vt reparari possit per verbum & Spiritũ sanctum. Hanc imaginem vult, vt alij in alijs reuereantur, non vult vt per tyrannidem fundamus sanguinem.

Qui autem non vult reuereri imaginem Dei in homine, sed vult parere iræ & dolori, pessimis consultoribus, vt quidam dixit, huius vitam Deus Magistratui concedit, & iubet vt eius quoq; sanguis fundatur.

Ad

Ad hunc modum constituit hic locus politiam in mundo, quæ ante Diluuium non fuit. Sicut Cain & Lamech exemplum ostendit, qui non occisi sunt, cùm tamen arbitri seu iudices essent publicarum actionũ sancti Patres. Hîc autem iubentur qui habent gladium, vt gladio vtantur contra eos qui fuderunt sanguinem.

Soluitur itaq; hic argumentum, quòd Platonem & omnes sapientes exercuit, hi enim cõcludunt, Imperia sine iniustitia administrari nõ posse, Ratio est, quia homines inter se æquali dignitate & conditione sint. Cur enim Cæsar imperat orbi? Cur alij ei parent, cũ æque, vt alij, sit homo, nihilo melior, nihilo fortior, nihilo durabilior? omnibus enim humanis conditionibus subiectus est, sicut alij homines. Videtur igitur Tyrannis esse, cùm alijs hominibus sit similis, quòd vsurpat imperium in homines. Si enim similis est aliorũ hominum, summa iniuria & iniustitia est, quòd non vult similis aliorum esse, sed per tyrannidem alijs se anteponit.

Ad hunc modum ratio colligit, nec potest habere quod opponat. Sed nos qui habemus verbum, videmus opponi debere mandatum Dei, qui sic ordinat & instituit. Igitur nostrum est diuinæ ordinationi parere & eam ferre. Ne ad reliqua peccata etiam hoc accedat, vt in hac parte simus inobedientes voluntati Dei, quam tamen tot modis videmus huic nostræ vitæ esse vtilem.

AN CHRISTIANO PROHIBITVM SIT BELLIGERARI.

Tom. 4. Ienens. fol. 563. Michæ cap. 4. Non eleuabit gens contra gentem gladium, & non studebunt amplius bello. Eadem sunt Iesai. 2. Sed priusquam de Prophetæ sententia dicam, eorum error reprehendendus est, qui legitimam armorum tractationem putant Christianis prohibitam esse, sicut Anabaptistæ non solùm impium esse ducunt belligerari, sed etiam hanc sanctitatis laudem putant, si quis sine telo & inermis incedat. Atqui primũ constat, Prophetam hoc in loco, nihil agere de Magistratu ciuili, sed de regno Christi. Relinquit igitur, Magistratui politico suam administrationem integram, vt pax publica conseruetur, qua etiam Ecclesijs opus est. Porrò sine armis pax retineri nequit, Et bella eo fine geruntur, vt non solùm depellantur iniuriæ, sed vt firma pax constituatur.

Si quis igitur ita sacrarũ rerum imperitus est, vt hæc eò accommodet, ne Christiano aut arma gerere, aut ijs legitimè vti liceat, is sententiam Prophetę ineptissime peruertit. Nam transfert sententiam à Christi regno spirituali ad regnum corporale, Idq; contra manifestam scripturam, quæ Magistratui necessitatem imponit, defendi subditos, ab iniusta vi, & custodiendæ pacis. Sicut Abraham armis defendit Lot, & Regum historiæ ostendunt, non solùm maxima bella gessisse pios Reges, sed etiam consilia eorum fortunasse Deum. Et manifesta sententia est in concione Iohannis de pœnitentia, vbi iubet milites contentos esse stipendijs suis. Probat enim armorum legitimum vsum, vel cõcessum vel mandatum à Magistratu, nec iubet abijcere arma.

REGNA MVNDI NON IDEO MALA QVIA MVNDVS ijs abutitur, &c.

Tom. 4. Ienens. fol. 753. in Psalm. 2. Memineris autem non damnari Regna, nõ Principatus, non alia dona. Non enim sequitur, regna mundi pugnant contra Christi regnum, ergò sunt mala per se. Sicut non sequitur, ferrum, quo latus Domini in cruce apertum est, non fuisse bonam creaturam, sed est cõstituenda differentia inter creaturam, seu rem & abusum. Creatura bona est, etsi in abusu sit. Oritur enim abusus non ex re, sed ex prauo animo. Sic iustitia ciuilis, iura ipsa, artes, studia, sunt res sua natura bonæ, sed abusus est malus, quòd mundus his donis abutitur contra Deũ.

DE OFFICIO ET VIRTVTIBVS MAGISTRATVS.

Genes. cap. 26. Tom. 3. fol. 48. Necesse est Ecclesiam habere defensionem, & hospitium in hac vita. Ideo Abimelech reducitur per verbum ad principale & summum officium Regis, quod est legem tueri, pacem custodire, seruare iusticiam & iudicia. In primis autem cultum Dei defendere, tueri Prophetas, alere Isaac, vt cognitio Dei maneat in suo regno. Illud summum est & præclarissimum omnium operũ humanorum, quod implet animos vero gaudio, & gratia apud Deum & homines. Sicut Dauid mirificè sibi de hoc gratulatur, cùm ait Psalm. 60. Lætabor & partibor Sichimam, & conuallem Saccoth metibor. Quare? Quia Deus locutus est in Sancto suo, id est, nos audimus verbũ in regno meo. Ecclesia habet suum tabernaculum, cultum, sacerdotes in meo regno. Ideo principale & verè regium officium Regis est, vt verbum defendat, & curet id propagari ad posteros.

Sed horum exiguus numerus est. Semper enim maior pars principum & Regũ in mundo, oderunt & persequuntur verbum, dissipant Ecclesias, & adfligunt pios. Proponuntur igitur hæc nobis in exemplum & consolationem, vt sciamus Deum ex tanto numero principum, qui sunt hostes verbi, eligere vnum atq; alterum, qui curam gerant Ecclesiæ, ament & discant verbum Dei.

Cura populi ad magistratus officium pertinet. Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 73. Hæc politica & necessaria doctrina, est hoc in loco tradita principibus, ad quos pertinet cura populi, vt prouideant illi necessaria, ad vitam, carnes, frumentum, vinum, præsertim in difficultatibus annonæ. Hoc regium officium est, de quo admonetur Pharao à Ioseph: quia debent esse patres patriæ, & pastores, non vrsi aut lupi. Estq; Spiritus sancti ordinatio, qui mandat principibus curam annonę & rerum necessariarum. Et memorabile est exemplum, illustrissimi Principis Fiderici ducis Saxoniæ, qui non tantum horrea & granaria publica, sed & fossas ad eundem vsum in campis paratas, frumento, & cellaria quoq; vino repleri curauit. Cum autem à Staupicio & consiliarijs, ob id reprehenderetur: respondit se non auariciæ aut quæstus studio hoc facere, sed propter ignauiam ciuium & rusticorum, qui nihil cogitarent de futura fame, sed in diem viuerent, colligere frumẽtum, vt haberet populus vnde viueret in difficultate annonæ. Ac fuit sanè sapientissimum, ac toti ditioni vtilissimum consiliũ, prohibuit enim sua prouidentia, ne vnquam viuo & gubernante ipso fieret annona arctior.

Talia officia digna sunt principibus, & nostris moribus in primis necessaria. Nos Germani enim sumus ventres, ac proci Penelopes, fruges consumere nati: Postea vero famis tempore, nihil reliquum est, vnde egestatem & nostram & aliorum sublevemus. Principes igitur decet prospicere pauperibus, ac præcipuè primæ ætati, ne fame pereant. Sicut Ioseph consulit Regi, non vt rapiat quintum partem, sed emptam precio congreget, propter futuram sterilitatem, vt Aegyptus & vicinæ regiones ali possint.

Nos qui tali prudentia non vtimur, nec cogitamus de periculo famis, tempore fertilitatis, sæpe subitò caritatem annonę experimur: desunt enim nobis horrea & promptuaria, ita fit vt statim accrescat precium frumenti, si vel mediocres tantùm prouentus sunt. Ita non est auaritia, sed sapientia & pietas digna Principibus prouidentia hęc, quam docet Spiritus Sanctus in hoc exemplo.

VIRTVTES MAGISTRATVS.

Cum timore Dei accedendum ad Rempublicam. Genes. cap. 41. Tom. fol. 68. Homines stolidi & arrogantes non intelligunt, quanta res sit seruire ordinationi diuinæ in imperijs. Aut enim comicum illud somniant. Me regem esse oportuit: aut cùm reges & principes se natos esse intelligunt, simul etiam sapientiam & vires idoneas ad regnã-

dum sibi arrogant. Profectò non est humani consilij & prudentiæ imperare alijs. Et manifesta stultitia & furor est impiorum, qui ambiunt & ingerunt se Rebusp. quas tandem etiam euertunt, nisi Deus fortuitò miseratus rerum communium obijciat, Alexandrum, aut similem aliquem Heroem. Tamen non valet ratiocinatio à talibus exemplis. Illi sine luce diuina fœliciter & magna laude præfuerunt alijs, ergo eodem successu & ego vtar, quia est dissimilitudo infinita.

Itaq; qui accedunt ad Rempublicam, aut quacunq; aliam gubernationem, qui adhibentur ad consilia aularum, ad humilitatem & timorem Domini se parant. Sicut Pharao ethnicus Rex, non nititur sua prudentia, sed cum reuerentia consulit alios, qui valent iudicio in rebus politicis & religione. Multò magis verò Ioseph reueretur & timet Deum, ac modestissimè respondet ad petitionem Regis. **Ach waß bin ich? Gott kans wol durch ein andern machen.**

Hæc exempla diligenter obseruãda sunt, nec dubitãdum est politicã potestatem esse rem diuinã ordinatam ad vtilitatẽ huius vitę & Ecclesię quoq;, cui seruit, quãdo colit & conseruat pacem, quanquam ipsa aliam administrationem habet, quæ pertinet ad futuram vitam. Deinde cùm constet esse ordinationem dei, non in manibus & consilijs nostris positam, debemus flectere genua, & cum reuerentia & timore inuocare Deum: Domine Deus ego sum princeps, magistratus, consilia rius, prefectus, cõcionator, Doctor, tua autem est gubernatio, tuum est regnum, iudicium & consilium omne, da mihi hanc gratiam & facultatem, vt sint fœlicia consilia & actiones meę. Non sic sentiendum est, vt multi gloriantur insulsissimè, se tantùm valere iudicio consilio & eruditione, vt vel decem imperijs præesse queant. Hæc iactantia sanè causa est tot confusionum & tumultuum in Republica.

Nostri Monachi non habent hoc donum, vt pecuniam, robur, arma & exercitus suos vertant in externum hostem, in Turcas pro Ecclesia, sed mutuis cædibus in viscera patriæ grassantur, quia non orant sed præsumunt. Norunt se esse Reges, & somniant Regnũ in sua potestate **Darumb fallen sie ineinander / vnd schlagen einander selbs todt / so recht / also solls es gegen /** nituntur sua sapientia sine timore dei. Ibi non habet locum vox sapientię: Per me regnant Reges & decernunt iusta. Decernunt quidem hi, sed iniusta inutilia, & pernicioſa patriæ & rebus communibus.

Si hodie gubernacula huius imperij teneret Dauid, oraret & propagaret regnũ cõtra hostes. Nostri Reges sinũt Turcicos exercitus grassari in Pannonias & Germaniam, nec tuentur subditos. Quia non cogitant gubernationẽ imperij esse Dei opus, sed potiùs sui ingenij & prudentiæ. Hinc natum est tritum illud prouerbium. Aut regem aut fatuũ nasci oportuit. Nõ enim potest aliter fieri, nisi Deus fortuitum donũ dispergat in mundum, & donet principem aliquem sapientem & fœlicẽ sine verbo.

Hæc est doctrina quæ proponitur in exemplo Ioseph, qui se humiliat & iudicat indignum, qui vocetur ad hoc munus, vt sit interpres somniorum, & consiliarius tanti Regis. Q. d. Deus non indiget mea opera, potest inuenire alium, qui sapientia & doctrina me longè antecellat, tamen faciam quod potero. Ad hunc modum accedendum est ad Ecclesiam, ad imperia, & ad quamcunq; gubernationẽ, cum humilitate & timore dei. Nisi enim Dominus rexerit consilia, non erunt exitus prosperi & salutares. Sicut inquit ipse: Penes me est consilium & successus. Itẽ: Ego sum intelligẽtia, mea est fortitudo, siue efficacia & victoria. **Mein ist beide rat vnd that / weñ ich nicht rat / so geht man irr / Wenn ichs nicht thu / so richt man nichts auß.**

Patientia. Genes. cap. 41. T. 4. fo. 83. Omnes sapiẽtes de difficultate gubernationis cõquesti sunt, atq; inde solent tyrãni existere, qui cũ vident consilia & actiões suas pulcherrimè ordinatas carne successu, aut alios ijs resistere, agũtur in rabiẽ, & fiunt exitiosis principibus tyrãni, qui vi & iniurijs aliorũ, quos putãt sibi obstare, perrũpere, & suã autoritatem tueri conãtur, quia non sunt heroes, sed indulgent iracũdiæ & cupiditatibus suis. Talis non fuit administratio Ioseph.

Memini

Memini Doctorem Staupicium de sua gubernatione dicere, se primo triennio secundum nemesin voluisse regere, sed ea via non succesisse, Alterô iuxta leges & consilia maiorum & seniorum, ne id quidem cesisse fœliciter. Tertiò secundũ volũtatem dei, adiuncta inuocatione, verũ id quoq; fuisse infœlix. Tandem igitur, inquit: Faciebam quod poteram cùm desperassem de hisce consilijs & rationibus omnibus. Etsi enim vult Deus inuocari, tamen non exaudit secundum vota & cogitationes nostras, quibus ei sapientissima & pulcherrima consilia præscribimus. Faciamus igitur quantum possumus, & cùm obijciuntur impedimenta, paremus nos ad Patientiam, ac retineamus tritum illud sermone prouerbium: Mitte vadere sicut vadit, quoniam vult vadere sicut vadit. **Wer den schweren stein nit heben kan / der lasse jn ligen.** Nulla enim gubernatio sine querela & sine maximis difficultatibus vnquam fuit. Ac Ioseph haud dubiè sæpe optauit, vt liceret sibi relicto curru aureo domi inter opiliones latitare. Quia Diabolus odit & turbat omnem administrationem & Magistratum, qui destruit opera principis huius mundi, prohibet & punit homicidia, violentiã, furta. Ibi opponit se Diabolus totis viribus. **Du solst mir nit wehren /** quia officium meum est, miscere omnia odijs, inuidia, stupris, adulterijs: huic cùm tu resistas, scias me perpetuò tibi aduersaturum. Ibi sanè gubernatores, qui sunt imbecilli animo præditi, statim labascunt, & dormitant in vtramuis aurem, posthabita omni cura administrationis. Sed hi grauiter peccant contra præcepta & doctrinam traditam à Salomone in Ecclesiaste.

Ferunt & Fridericum ducem Saxoniæ Electorem tandem mole illa curarum admodum defatigatum dixisse: sæpe numero se consideratis omnium ordinum hominibus quæsiuisse quæ nam vita verè beata esset in genere humano, quod ipsum etiam omnes eruditi & Philosophi magno studio inquisiuerunt. Idem verò iudicauerat quod Virgilius in Georgicis, cùm inquit: O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas. Miserrimam enim vitam & conditionem bonorum principum & Magistratuum esse dixerat, illorum verò, fœlicissimam, eò quòd securi sub aliena clientela, domi cum suis vxoribus & liberis viuerent.

Magistratus enim vbique est & nusquam est, quando rectè & fideliter vult officium facere. Qui verò sibi tantùm regnat, is haud vnquam honestè & fœliciter gubernabit. Non enim satis est esse torquatum aut purpuratum, vehi curribus aut equis vt turis cupiditatibus indulgeas, sed vt seruias Reipublicæ & subditis.

Alij verò cùm vident plus oneris quàm honoris in gerendo Magistratu esse, de fugiunt hanc molestiam, tametsi sciant se ad hoc vitę genus natos & diuinitus vocatos esse, vt sunt Nobiles, Principes, &c. Cur enim inquiunt tantum laborem frustra, aut in euentum incertum suscipiam? Potiùs solitariam & quietam vitam degam, induam cucullum, &c. Vide autem quid inde cõsequatur, quid effecerint hac fuga Monachi Diabolus enim horribiliter illis illusit, ac verissima vox est, quę vulgò iactatur: Desperatio facit Monachum. Non solùm enim propter peccata desiderarunt, sed etiam de Oeconomia & Magistratu gerendo.

Sic in coniugio videmus multos tantùm voluptatem somniare, aut expectare: ea verò cùm non licet frui, sed tristissima quoq; quotidie obijciuntur, ibi tum coniugium detestari, & seriò se spe sua frustratos esse, queri incipiunt.

Contra has offensiones, quę solent incidere in singulis ordinibus, docet scriptura, nequaquam fugiendam esse administrationem rerũ. Sicut inquit Paulus: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, hoc est, vtile & gratum Deo: Tibi fortassis molestum, iniucundum & malum, sed Deo placens & vtile Ecclesiæ & Reipublicę. Non vt Canonici & Monachi Episcopatus aut sacerdotia ambiunt, qui sunt præda Diaboli, nec possunt saluari in hoc vitæ genere, quo viuunt extra diuinam ordinationem, luxu, delicijs & helluationibus diffluentes.

Non est igitur ociosa, delicata, & Epicurea vita degenda, remota ab omni administratione. Sic enim dixit Deus: Replete terram & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, &c. Sed vt frenum tuis cupiditatibus & ambitioni injiciam, spinas & tribulos germinabit tibi terra: In sudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.

At verò quis aculeos illos spinarum, tristiciam, asperitatem, molestias, & difficultates omnis generis ferat? Fugiam potiùs. Non fugies, imò à teneris statim assuefaces non ad voluptatem, sed ad vtilitatem communis vitæ. Ideo enim versaris in literis, vt seruias Reipublicæ siue in Ecclesia, siue in politica. Ibi requiritur vir eruditus, patiens & fortis. Ad has virtutes adsuefacies, & exuscitabis animum tuum. Quod si Monasticam vitam potiùs delegeris, ibi Satan certissimè ex Paradyso, in infernum te præcipitem agit: quia nihil aliud sunt Monachi, quàm inutilia pondera terræ, qui deuorant domos viduarum, & facultates pupillorum. Id non est diuinum vitæ genus, sed Diabolicum.

Cogita igitur te ad hoc natum & vocatum esse à Deo, vt seruias proximo. Aestimè inter pœnas peccati originalis, non est minima gerere Magistratum, & facilè secunda post mortem: Quin ex Ethnicis aliqui, vt Demosthenes, mortem minus acerbam duxerunt, quàm Reipu: administrationem. Et Augustus qui fuit fœliciss imus & sapientissimus imperator, cogitauit de Imperio deponendo. Alij verò vt Nero & Caligula Satanico furore prorsus effœminati suis cupiditatibus frenum laxarunt.

Nos natura quidem & vitio originis dominationis cupidi sumus, ac venenum hoc imbibimus inspirante Satana paradyso (eritis sicut dij, quando comedetis hoc pomum) Ibi dixit Deus. Age explebo cupiditatem tuam, siquidem ambis locum & similitudinem Dei, & cupis alijs præesse & dominari, **Ich wil dir zu regieren geben.**

Itaq; regere Magistratum est reuerà, non leuis & exigua, sed acerbissima & seuissima contra peccatum originale, vt discamus quanta sit malicia hominum, quiretiguntur, & Sathanæ. Id enim nemo intelligit, nec credit nisi Magistratus, cui tota vi resistit Diabolus. Et Michael pugnat nõ tantùm in Ecclesia, sed & in politia cum malis Angelis: quia rapina, furta, fraudes, cædes sunt opera Diaboli, quæ Magistratus quidem ex animis hominum non potest tollere, sed externa tamen delicta vtcunque coercet gladio & pœnis, quem in hunc vsum gestat mandato & autoritate Dei.

Meminerint igitur officij sui, ac viros se præbeant, ideo enim dignitate, purpura auro & ornamẽtis eos cumulat Deus, interrorem Diaboli & sceleratorum: quia peccatum originis furit, & Sathan impellit homines ad omnis generis flagitia.

Hoc verò illud est quod inquit Deus: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. **Daß vnus hat ein gut jar.** Omnes quidem delectantur purpura, auro, titulis: Verùm cùm incidunt quæstiones, casus, negocia, tum demum magnitudinem oneris perspicimus. Ibi verò virili & magno animo opus est, qui sciat se gerere onus & pœnam peccati originalis, non molli & effœminato.

Sæpe igitur solatio mihi fuit textus in Actis, vbi dicitur Dauid administrasse voluntati Dei, cùm tamen miserrima esset eius gubernatio, plena seditionibus ac confusionibus omnis generis in politica & oeconomia, ita vt non multùm differret ab Imperio Herodis. Quoties ingemuisse eum, & dixisse putabimus? O si nunc liceret mihi domi oues patris mei pascere: Quàm libens cederem alteri sceptrum & coronam.

Veruntamen hæc consolatio nostra est, quòd scimus hanc pœnam nos in Paradyso commeruisse, vbi diuinitatem adfectauimus. Iubet igitur Deus nos esse Deos & Magistratus, & vertit tamen in gratiam & misericordiam, non in iram: imò etiam reputat in

reputat in obedientiam, & officium sibi gratissimum. Tu mihi seruies inquit, sic volo te præesse Reipub. Ibi mala illa & ærumnæ grauissimæ aliquo modo mitigantur, imò magnificè ornantur: Siquidem certi esse possumus de voluntate Dei, quòd acceptet suam ordinationem in Magistratu pro gratissimo obsequio. Sic igitur scio me administrare voluntati Dei, quando pro virili officium facio: & si quando conatus & consilia impediuntur, ibi frenum injcitur cupiditati meæ, quæ verò prosperè succedunt, ea cedunt in gloriam Dei.

Hæc dico propter carnalia somnia Iudæorum, qui prædicant voluptatem illam & externam speciem gubernatorum: Cupiunt vehi curribus aureis, audire acclamationes, & applausum populi, onera autem & molestias, nec cogitant, nec ferre volunt. Atqui oportet gubernatorem esse virum, qui magno animo difficultates & onera Reipub. perferat. **Er můß sawr suppen essen / vnd in ein sawrn Apffel beissen können / wie wir im Paradeis in ein süssen bissen haben.** Deus sanciuit hanc pœnam satis grauem in Paradiso, & tamen in suum cultum conuertit, & remedium peccati esse voluit, quo mortificaretur superbia & ambitio, qua volumus esse Dij. Non igitur quærenda est voluptas in administranda voluntate Dei, sed mortificatio nostri, ordinatio diuina, & salus proximi.

Nec dubito ipsum Ioseph hunc honorem & dignitatem multa magis excruciasse, quàm carcerem & exilium, Itaque nobis in exemplũ est propositus, ne frangamur animis, in gerendo Magistratu, neue nostris cupiditatib. indulgeamus, & fugiamus gubernationem, sed cùm ad eam vocati sumus cõstanter officium nostrum faciamus rebus aduersis & secundis. Ac ab ineunte ætate adolescentes sic animum inducant suum. Nauabo operam studijs doctrinæ cœlestis & bonarum artium, vt meo loco possim seruire Deo. Quia vnus sum de peccatoribus in Paradyso, ideo oportet me quoque tribulas & spinas habere in agro: Interea acquiescam hac gloria, quòd de gratia & beneuolentia diuina in hoc munere & obedientia certus sum.

Non nitatur fiduciæ propriæ sapientiæ. Tom. 4. Ienens. fol. 464. In Psalm. 8. Graduum. Lapsu Adæ sic corrupta est natura, vt dona Dei non videat esse dona, sed Iure consultus, aut alius politicus vir putat se omnia ex seipso habere, nec respicit sursum, nec glorificat Deum largitorem talium donorum, sed dicit: hæc ego feci. Ex hoc feci verè fiunt fæces. Ergo cùm conditæ sint politiæ & oeconomiæ, cum leges & artes diuina ordinatione cum homine concreatæ sint. Natura ferè his abutitur, in eo, quòd dicit: ego faciam, ego gubernabo, & perducam ista dona in hunc finem, quæram inde meam voluptatem, gloriam, pacem, &c. Hac præsumptione Deus summè offenditur, quare non addit successum & meritò. Sicut enim Solem condidit, vt eo fruereris, non vt eum pro tuo arbitrio regeres. Sic dedit agrum vt eum coleres, non vt pro tuo arbitrio ferret quid, & quantum tu velles, sed quid & quantum ipse donaret. Sic dedit Rempub. rationem, vxorem, familiam & reliqua. Sed hoc perpetuum est vicium humanæ naturę, quę peccato Adę sic est corrupta, vt dona Dei non agnoscat, de dono debebat cum gratiarum actione dicere, hoc accepi, sed superbè & blasphemè dicit: Hoc feci, debebat dicere: Hęc Dominus Deus meus dedit & conseruat, sed dicit: Hęc ego homo peperi, & gubernabo mea sapientia.

Quare particula, Dominus, in primo & secundo versu cum Epitasi est legenda vt respiciat Antithesin. Nisi Dominus ędificauerit, custodierit, &c. Dominus dixit, non homo aut nos. Non enim nos sumus, qui generamus filios, qui gubernamus vxorem & familiam, sed Dominus. Sicut textus in Genesi quoque probat. Adduxit ea ad Adam Dominus, vt videret, quid vocaret ea, &c. Adam quidem vocauit creaturas omnes, & accepit Dominum sed accepit à Deo. Ipse nec creauit eas, nec ad sese adduxit, sed creatas & adductas nominauit, & positus est Dominus, sic tamen vt gubernaretur à superiore Domino. Ita hic Psalmus dicit, Dominus est,

qui ædificat domum, qui dat vxorem, liberos, victum, qui ciuitatem custodit, pacem publicam donat, leges tuetur, &c.

Quare voces, NISI DOMINVS grandioribus literis sunt scribendæ, Quia natura humana maximè contras eas pugnat, idque vitio lapsus Adæ, quòd omnia in nos transferimus, quæ à Deo accepimus, quæque Deo tribuenda sunt, arripimus tanquam nostra. Et Satan quoque naturam sua sponte huc inclinatam, magis impellit. Fit igitur, vt & infœlices simus, & nunquam simus quieti. Si enim absque hoc vitio præsumptionis essemus, plus quietis & fortunæ haberemus. Deus enim diceret: Tu habes me pro creatore & donatore, ego igitur tibi benedicam. Quia autem hoc non facimus, ideo variis ærumnis & calamitatibus nos obruit, emittit in nos Diabolum, & quasi recludit infernum, vt in Oeconomia excitentur turbæ, in politia bella & cædes: Quia enim monentem per verbum audire nolumus, pœnis & clamitatibus nostris docere nos vult, vt phrygum more icti sapere incipiamus & discamus nos non esse Dominos rerum istarum.

Sic Cicero ad extremum cantabat illud: O me nunquam sapientem, & aliquando tamen, id quod non eram, frustra existimatum, quantum te popule Romane de me fefellit opinio, &c. Sic enim gubernabat consilijs suis Rempub. Romanam, vt plecteretur tandem capite. Hoc est vitium nostrum, & non Creatoris, quod habemus ex primo & originali peccato Adæ, dum non agnoscimus donantem, & gubernantem Dominum, sed omnia agimus sine timore, fiducia propriarum virium. Sic in Oeconomia dat superbo cuidam iuueni formosam vxorem, quæ aut fit adultera, aut ad omnes res domesticas est inepta, & est perpetuum quoddam onus mariti. Idē in politia principibus accidit, vt nullis consilijs se ex periculis euoluere possint, Et rectè. Cur enim volunt Dominum habere largientem, sed ipsi volunt esse ædificatores. Sed mundus hæc etsi audit, tamen non curat, nec credit.

Quare solis pijs hæc dicuntur: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra laborat, qui custodit eam, quasi dicat. Dominus est custos, qui si non adest, infœlix est, quicquid in Repub. agitur. Ego cùm discerem Erfordię, audiui hanc vocem Martini Sanger hausen/ viri periti, celebrari, Erfordiam mansuram inuictam, quod ad opes & munitiones attineret, sed defuturos potenti & opulentę Reipub. homines. Sapientissima vox fuit, qua testatus est, Respub. opibus & potentia non teneri, si desint moderatores periti. Aedificent igitur homines, et si fieri possit, ferreis muris muniant vrbes, colligant auri montes, frustra sunt hęc omnia sine gubernatore.

Primùm igitur hoc det Deus, vt ciues sint boni. Deinde vt ij qui præsunt, quoque sint boni & periti viri, Item, vt principes eiusmodi sint, qui colant ac metuant Deum. Hæc vera & solida munimenta Imperiorum & Rerumpub. sunt, quæ cùm diuinitus contigerunt, tum etiam de muris & vallis cogitari poterit, sed hoc quia non fit, ideo regna & imperia ruunt, vnum post aliud. Et ego planè in ea opinione sum, Monarchias longè diutius fuisse duraturas, si Monarchę hoc vnum pronomen EGO, omisissent, hoc est, si non fiducia potentiæ & sapientiæ suæ superbiuissent. Iam cum Monarcha Babylonis Nabuchodonosor, præsumptione virium suarum inflatus dicit: Ego hoc feci, septem annis tanquam bestia, herba vescitur & in agris erat. Sic Persarum, sic Græcorum, sic Romanorum Monarchia ob præsumptionem vastata est, cùm canerent ego Feci, mox secutum est illud Ego perij. Circumspice hic omnia Regna, Principes & Respublicas omnes, quando rebus gestis addiderunt hanc vocem. Hoc ego feci, corruerunt. Quia excludunt per hanc superbiam Deum tanquam stultum, & se in eius locum collocant. Fit igitur vt consilia humana, potentia & vires nostræ deficiant. Sic hodie non deessent nobis muri, non alia munimenta, si non deessent homines. Horum maxima penuria iam est, & qui præsunt, hi præsentem fortunam non possunt ferre, sed insolescunt potentia & opibus, munitionibus fidunt quas

fidunt quas habent, quasi verò difficile sit Deo dissipare etiam ferreos muros, & montes auri.

Neq; autem hæc eò dico, quòd non sint muniendæ vrbes, & paranda præsidia contra vim, quod non sint constituendæ leges & retinenda disciplina publica. Hæc rectè fieri & debere fieri dicimus. Non damnamus iureconsultos, non damnamus milites, sed additamentũ illud, quod assuunt damnamus, quod scilicet in frontibus suis pingunt, EGO. Hanc additionem neq; vult ferre, nec potest ferre Deus, nec debet etiam ferre. Mundus autem quia non potest omittere, ideo Monarchia post Monarchiam, Princeps post Principem, Respub. post Rempub. corruit. Sic Senacherib apud Esaiam gloriatur de manu sua inuicta contra omnes Deos, sequitur igitur nobilis illa cædes, qua opprimitur. De Cyro autem dicit textus: Apprehendi manum eius, vt aperiam ianuas ferreas. Nulla enim tanta vis, nulla tanta munitio est, quam non expugnet Deus. Quàm difficile putas ei esse, Venetias potentissimam Rempublicam, ad extremam paupertatẽ redigere, vel bello, vel fame, vel peste, vel etiam exiccando mari? Paranda igitur sunt illa præsidia, est ædificanda domus, ducenda vxor, instituenda œconomia, &c. Hæc non damnat Spiritus Sanctus, sed vult ne addamus peccatum originale. Quare serua creaturam, ac vtere ea, tolle autẽ tuum vitium Originis, quo Deum offendis. Creaturæ sunt, vxor, liberi, familia, leges, opes, &c. Sunt res bonæ, & verè Dei dona, quorum vsum nobis concedit Deus. Verùm tu addis his tuum peccatum originale, & vis ea gubernare sapientia tua, contempto & non inuocato, non credito Deo, qui ea tibi concessit, vis simpliciter incedere in hac præsumptione, ego sum qui ista rego. Meritò igitur fit vt & vxor & liberi & familia sint inobedientes. Proficiat vobis domine Rector, qui volebatis ista gubernare, Deo non prius salutato.

Idem accidit in politia. Dicit igitur Psalmus: Nisi Dñs custodierit &c. Ponetur nomen Dñs in prædicamentum relationis, contra nostrum originale peccatum, & contra naturalem præsumptiõem nostram. Q.d. Ego quidem sic dico, infœliciter custodiri ciuitatem, nisi Dominus custodiat. Sed est alius quidam Dominus qui vult gubernare ista, nostra scilicet sapientia & præsumptio, quæ contempto Deo, præsumit gubernationem tantarum rerum, & excludit Dominũ, Et quidem succedit aliquando, sed ea duplex est ira, quando Deus impijs dat successum. Est enim scandalũ quod & pios offendit, & infinitos alios illaqueat, qui spe eadem efficiendi accedunt, sed frustrantur. Sic Augustus Rempub. benè constituit, & euasit illos tragicos casus regum, quod ad ipsius personam attinet, quanquam quod ad domesticos attinet, infœlicissimus fuit. Eius exemplo alij postea Rempub. capessunt, & existimãt se idem præstare posse, sed vide quàm paucis successerit, vt verissimum sit illud Iuuenalis.

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges & sicca morte Tyranni.

Commemoro autem hæc ideo, vt discamus nos non esse rectores eorum istarum sublimium, politiæ & œconomiæ, multò minus autem Ecclesiæ, vbi omnia infinito sunt maiora & difficiliora.

Custodire conseruare est. Non autẽ loquitur hîc sicut suprà etiam admonui, de condendis legibus, Nam has quia ratio ferre potest, præsupponit in Repub. esse, sed admonet & erudit Magistratus, vt inuocent Deum, & cum timore administrent negocia, vt sicubi nõ succedunt consilia, sentiant Deum id facere ad frænendam superbiam, ne fidant sua sapientia & potentia. Esset enim occasio infinitorum malorum, si succederent omnia. Nunc autẽ cùm fallitur sapientia, & frustratur potentia, discunt propria experientia, alium esse Dominum inuocandum & præficiendum Rebusp. qui adsit & gubernet, ac sapienter cogitatis addat successum, vt ita confugiant ad orationem & dicant: Adsis ô Dñe, ipse gubernes &c. Deinde sciant se habere promissionem

missionem largam, quod Dñs inuocatus velit exaudire & adesse, Particula igitur. Nisi Dominus custodierit, posita est contra illos, qui non inuocant, sed ipsi sua sapientia & viribus suis ædificare domum, custodire ciuitatem volunt. His dicitur quòd frustra laborabunt & custodient.

Custodem vocat Regem, Principem, Magistratum. Paruo enim vocabulores grandes & summas in mundo complectitur. Est enim Deus magnus Dñs, qui amplũ os habet, & exilibus verbis ac tenuibus, res nobis maximas effert. Reges igitur & principes custodes appellat, qui constituti sunt ad gubernandas Respub. Sed frustra, vigilant, inquit, nisi Dñs ipse adsit, nec perueniunt labore & sudore suo quò volunt, sed si Dominus absit, nihil aliud inde habent, quàm quod se frustra crucifigunt & flagellant. Quod Propheta suis verbis dicit, Frustra laborare. Sic ego cum essem adolescens, vidi quosdam, qui diu noctuq; assiduo labore se fatigabant, neq; tamen inde suppeditabat, vnde tolerarent vitam, Nullum ocio, nullũ ludo tribuebant tempus, & tamen miserè egebant cum vxore & liberis. Hos cùm alij patresfamilias lautiores viderent, & dolerent vicẽ eorum, admonebant eos nunquam fore, vt labore isto assiduo ditescerent, Adhibendam industriam ad laborem esse, in ea plus positum ad parandas opes, quàm in labore. Nam Oeconomus in quo paululum modò industriæ est, melius vti vno aureo, quàm alius duobus potest. Natura enim sic comparatum est, vt industria sit fœlicior.

Sed illi ipsi, qui hoc consilium dabant illis egentibus, non videbant industriam quoq; donum Dei esse, & diuinitùs homini donari. Sicut apparet quod mulier perita œconomię & industrię, ijs sumptibus totum annum cum familia sua viuit, qui aliæ non industriæ vix suppeterent ad semestre. Ideo autem tantùm momenti in industria est positũ, quod obseruat personas & loca & tempora, neq; quidquam temerè agit. Hæc qui non obseruant, vel in Oeconomia vel politia, necesse est sæpe falli. Nihil igitur mirum est, si etiam magnæ opes non sufficiant omisso homini & negligenti, non obseruanti tempus & locum opportunum. Illi igitur sicut dixi, hoc cõsilium dabant, Industriam labori addendam esse, quia labor sine industria sit infœlix.

Salomon aũt magis propriè loquitur, & non industriam, sed Dñm dicit esse causam. Nam hoc ipsum donum Dei est, per industriam administrare Rempub. vel parare aliquid, ne temerè irruas sed expectes occasiões omnes. Tale ingenium erat laudatissimi Principis, Friderici Saxoniæ Ducis, Electoris. Is erat vir verè industrius, qui non dicebat, non faciebat omnia, quæ poterat in præsens dicere & facere, sed expectabat tempus, personam, locum, commodum, dissimulabat multa, suo autẽ tempore & loco, vno verbo plus efficiebat, quàm multi alij sine hac industria, porentia & virib. summis. Tales sunt industrij homines qui possunt dissimulare & expectare oportunum tempus, quo vnum verbum magis ferit, quàm alio tempore multi gladij ferirent. Est autem hæc sapientia humana & non diuina, Quare etiam non satis est, ad tantas res gerendas, sed adhibenda est ad eam oratio, vt Dominus adsit & vigilias obeat, alioqui frustra vigilabit, quantumuis magna industria.

Sic Ducem Fridericum quanquam sapiẽtissimum virum multa fefellerunt quæ cauere non potuit, quæ res etiã vehementer eum sæpe cõmouit. Fortè enim non fuit in eo primis temporibus hæc sapientia, vt diceret: Dñe adsis, & adiuua laborantem. Nam Monachi qui tum principum animos cœperant, nihil tale docere poterant: Postquam autem ex hac nostra doctrina didicit, Magistratum diuinitùs esse institutum, mirabilem ex ea re voluptatem cœpit. Nostri homines hodie audiunt quidem & sciunt hæc, & tamen incedunt secundum peccatum originale, & secundum affectus & fines suos, quos sibi constituunt. Fiet igitur vt aliquando ita se inuoluant suis consilijs, vt inde se expedire non possint. Eò autem maius peccatum, hoc est, quod hanc diuinam sapientiam, quam audiunt, ita superbè contemnunt. Data enim

Data enim est hæc lux, vt homines eam cognoscant, & inde meliores fiant, sed fiunt deteriores & duplo arrogantiores. Fiet igitur aliquando, vt pœnam satis grauem luant suæ præsumptionis, sicut textus minatur, frustra vigilat, id est, se & alios homines frustra affligit. Quia enim volunt omnia gerere suo consilio, neq; rogant à Deo auxilium. Ideo cùm nõ succedit, furiunt. Sciunt se esse Magistratus, & constitutos in officio, inde existimant se omnibus terrori esse, & vrgent consilia sua, sic fit, vt impingant.

QVALES PERSONAE ELIGENDAE.

Tom. 3. Ien. fol. 81. Deut. cap. 1. Date ex vobis viros sapientes. Bestiæ reguntur viribus & arte. Homines regi oportet sapientia & intelligentia, quia ratione viget homo, quæ non potest fune aut gladio iniecto peti, sed verbo per aurem misso, Apprehensa aũt ratione per verbum, totus homo trahitur, & regitur quocunq; velis. Et hic vides Magistratum suffragijs populi debere eligi, quod & ipsum ratio dictat. Ideo & hic populus hac ratiõe per verbum Mosi captus, libens obsequitur ac laudat Mosen. Nam inuito populo obtrudi, periculosum aut pernicioſum est. Notos appellat qui sint cogniti in populo, multò aũt magis qui sint experti & rerum gnari, vt eosdẽ notos & scientes intelligas. Sapientes sunt, qui diuina & humana sapiunt, nempè, qui leges & iura, ac omnia necessaria pro hominum vita sciunt. Intelligentes Ebraicè vocantur, qui intenti & acri iudicio obseruantes, ceu animo vigilanti sunt, & qui de omnibus rectè & sanè iudicent, & Epijkiam calleant. Siquidem multa imponunt sapientibus, nisi & intelligentes sint, & multa fallunt, nisi experti ac scientes sint.

Vides itaq; diuino iure nullam haberi rationem diuitum, potentum, nobilium, fortium, amicorum, in gerendo Magistratu, vt mundus solet, ad sapientum, intelligentium, & expertorum, etiamsi sint pauperes, despecti, infirmi, &c.

Et sanè quæsitum est, an melior sit bonus princeps & imprudens, vel prudens tamen & malus. Certè vtrumque hic Mose requirit, tamen si vtrumque haberi non potest, melior est prudens & non bonus, quàm bonus & non prudens. Quod bonus prorsus nihil regit, sed solùm regetur nec nisi à pessimis. Prudens etsi nocet bonis, tamen malos simul regit, id quod mundo magis est necessarium & commodum, vt qui est aliud nihil, quàm quoddam malorum vulgus. Hanc sententiam & hic Moses probare videtur, dum primùm de sapientia disputat principum, deinde de bonitate.

Non agnoscetis personas, Item, neq; reuereamini vllius personam. Hæc est summa & difficillima virtus Principum, Aequitas scilicet & simplicitas iudicij. Nam pauperes & ignobiles iudicare facilè est, sed potentes, diuites & amicos, posthabito sanguine, honore, timore, fauore, lucro, damnare, sola inspecta causa, hoc virtutis diuinæ est, nec hoc facit vllus Princeps, nisi Spiritu Sancto per fidem Dei animatus. Ideo mundus plenus est principibus, sed fidelem quis inueniet ait Salomo? Quoties ista sententia in Prophetis repetitur, vbi arguuntur appressionis & iniustitiæ in pauperes, orphanos & viduas.

Quia Dei iudicium est. Et hic locus est pro Magistratu ciuili fortis, sicut enim vindictam suã esse dicit. Hoc autem pro solatio & exhortatione dicitur magistratus, vt sciat sese gerere non suam rem, sed diuinam, certiq; sint sese esse ministros Dei, & operari opus diuinum, esseq; in salutis statu, vt eò magis audeant rectè & simpliciter iudicare. Hoc etiam vide, vt ante leges datas constituit iudices, vt cõmendet nobis Epijkian. Nam iudices sunt leges viuæ seu anima legis. Ideo priores & superiores sunt legibus, sicut & gladio. Itaque quamuis secundum leges iudicare debeant, & per gladium exequi, tamen in manu habere debent, tam legem quam gladium, ne

legibus

legibus contra leges vtantur, sicut stulti illi, qui fixis oculis, in legem, posthabita circumstantia causæ, solùm hoc habent in ore, Sic scriptum est, sic fiat.

QVOMODO MAGISTRATVVM ANIMI ADFECTI ESSE DEBEANT CONTRA SVPERBIAM.

Genes. cap. 41. Tom. 4. fol. 79. Sed quid facias, cùm natura omnium hominum ad superbiam procliuis sit, & eam plerunq; excitet & augeat in nobis honorum aut potentiæ, siue in gubernatione, siue alijs ordinibus dignitas & eminẽtia, an propterea fugienda erit rerum administratio, cùm ad eam legitimè quis fuerit vocatus? Nequaquam, Nam Ioseph dignitate & omnibus ornamentis, quæ sunt in administratione, abundat, vehitur curru regis, exhibentur ei & honores Regij, denicq; gillum regni à Pharaone ei traditur. Et talis omninò hæc vita est, vt indigeat Principibus, Regibus, Nobilibus, Magistratibus, hominibus eruditis in Theologia, artib. Philosophia: Sicut Aegypto opus fuit Principe qualis erat Ioseph. Sed danda est opera, vt exemplum & mores ipsius oculis & animo tuo perpetuò obuersentur, vt memineris timoris & reuerentiæ Dei, neque obliuiscaris tui, sed reputes tecum qui sis, qui fueris, qui futurus sis. Nullius enim tantus splendor & magnificentia fuit vnquã quem non tãdem vermes absumpserint. Quid superbis ergo cinis & puluis? fili maledictionis & iræ? Atqui natus sum præclaro & illustri stemmate, sum Doctor Iuris, sum Philosophus. Rectè sanè. Sed his omnibus vtendum est, non fruendum iuxta distinctionem Augustini, & vt Paulus de Dauide inquit, Actor. 13. cum administrasset voluntati Dei.

Sic Ioseph non superbit propter pompam illam regiã & personam quæ est princeps Aegypti, sed administrat voluntati Dei. Quæ est autem voluntas Dei? Nimirũ ad cõseruationem huius vitę, opus esse Magistratu, Doctoribus, Principibus, ad frenandam licentiã vulgi, & ad tuendos miseros, & puniendos improbos. Si enim esset absq; his statibus, nulla posset esse tranquillitas & pax. Voluntas igitur Dei est, vt per discrimina illa ordinum in administratione politica vitam trãquillam degamus, sine iniurijs, cædibus & rapinis.

Magistratus est velut virga Dei, sicut appellatur Roman. 13. minister Dei, vindex in iram, ei qui malè agit. Sic igitur in hoc vitæ genere degendum est, vt cogites de Dei timore, & humilieris coram eo, ac memineris te esse filium Adæ, peccati, mortis, damnationis, æquè atq; alij sunt, sicut docet Moses in suo Psalmo: Ita tamen vt seruias Deo vocanti te ad gubernationem, qua conseruetur pax in ciuitatibus & prouincijs, coerceantur & puniantur fures, latrones, homicidæ, item, bella gerantur aduersus hostes, qui turbant politicam pacem & tranquillitatẽ, atq; hæc omnia fiant cum modestia & inuocatione humili: Domine Deus, ego sum filius bubulci, & filius peccati, sed quia tu vis regi mundum, conseruari pacem, corrigi inordinatos, & ad illam administrationem me vocas, libenter parebo: malim equidẽ latere priuatus, sed quia tuæ voluntati & mandato obsequẽdum est, faciam officium in timore & humilitate, Da bleibet die demut vnter der schönen gülden ketten/kron/ringen/etc. Non enim mihi sum princeps, sed voluntati Dei & necessitati hominum: mihi nõ opus regno, cathedra, cœtu Ecclesiastico, ministerio verbi, possum enim priuatim domi meæ legere ea quæ doceo in publico. Cur igitur concionaris? Quia Deus hoc voluit, qui me constituit pastorem & Doctorem verbi, & populus opus habet institutione & doctrina. Sic verè ambulabis in timore Dei, ac caritate proximi.

Verùm hoc tempore paucissimos inuenias, qui actiones suas ad Deum referãt. Omnes enim sibi sunt Principes, & inflectunt omnia ad suas voluptates & cõmoda priuata. Itaq; Harpyæ, imò Diaboli sunt, qui debebãt esse principes & patres patriæ. Quia

Quia efferuntur & inflantur, dignitate & nobilitate generis, aut alijs dotibus animi, quæ requiruntur ad politicam administrationem. Jch bin von Königlichem stamm/bin vom Adel/ich hab auch ein kopff/ sum Doctor, sum iuriscõsultus. Tales scilicet sibi docti, sibi reges, sibi nobiles sunt, sed titulis eorum quos tantopere prędicant, inscriben dum erat: Terq; quaterq; furiosus. Quia arrogantia sua excæcati, ignorant hoc quod omnib. debebat esse notissimum, nimirum, miseriam in qua concepti & nati viuunt, rei mortis, & iræ æternæ, quæ super eos est: non vident etiã quantùm in eo peccent, quod persona & munere suo abutuntur ad perniciem subditorum aut auditorum.

Itaq; non est calamitosior homo in terris, quàm superbus Doctor, Rex, Princeps. Præter cõmunem enim miseriam, cui omnes sumus obnoxij, etiam persona, quæ debebant voluntati Dei obsequi & inseruire, ipsos damnat & reos facit infinitorum malorum. Ergo ego concludo mundum nihil aliud esse, nisi carcerem furiosorum, & cæcorum hominum, qui nec communes, nec priuatas miserias agnoscunt.

Quanta verò virtus est moderatio animi in magnis viris? humilitas serui obscurior est & exilior, sed quando Rex, Princeps, nobilis, Doctor, diues humilis est, ea pulcherrima res est, ibi fulget humilitas sicut sol & luna. Quando Magistratus aut alius dignitate reliquos antecellens, sic statuit: Ah quis ego sum? Cur alijs me anteponam? nisi quòd grauius onus gubernationis mihi incumbit, maior est splendor & dignitas, at propterea maior reddenda ratio officij, quod gessi.

Sed quotusquisq; est, qui sic est adfectus? Rarissimum equidem donum est humilitatis, quod tamen meretur benedictionem Dei & hominum: Cùm econtrà superbos, siue Tyrannos, siue Doctores oderint Deus & homines, quæ odio sibi suis moribus studiosè conciliare & augere videntur, quia extremè amentes & furiosi sunt.

Habes igitur insigne & memorabile exemplum moderationis in Ioseph, post tantam exultationẽ. Etsi enim magna dignitatis & splendoris externi accessio facta est, tamẽ cum dignitate, etiam humilitas aucta esse videtur, ideo præclarè seruat hoc, quod Syrach monet cap. 3. Quantò maior es, eò te geras summissiùs.

Ista autem humilitas in sublimibus non est in mundo, sed in Abrahamo, Ioseph, Dauide, Iosaphat, quorum officium quidem nõ videtur differre ab administratione Tyrannorum, gerunt enim bella, puniunt sontes, ac sunt instrumenta iræ Dei: & tamen in corde sunt placidiores, & mansuetiores, quàm vllus alius in vulgo, Die auch mit den leuten weinen/ Sicut Ioseph humanissimum se præbet erga fratres, collachrymat ad conspectum eorum, & facilimè ignoscit.

Hoc igitur exemplum instar machinæ & arietis est, qui in horribilem superbiam mundi torquetur, & omnes Principes, Reges, Doctores confundit. Hæc enim vera virtus longissimè antecellit reliquas omnes, quibus superauit tribulationem & angustias carceris. Hic lucet timor & reuerentia Dei, contemptus sui ipsius, & charitas erga proximum. Scit enim se circumferre carnem plenam peccatis, maledictioni & iræ Dei obnoxiam, instar aliorum hominum, deinde premitur grauissimo onere gubernationis vniuersæ Aegypti spiritualiter & politicè, cuius nouit sibi fore reddendam rationem sui muneris & administrationis. Si enim id in mentem nobis veniret, longè submissiùs nos gereremus.

Sunt quidem necessariæ laruæ illæ Iudicum, Magistratuum, Præceptorum, Doctorum, Iureconsultorum, sed hisce omnibus vtendum est duntaxat, non fruendum. Non enim tu is es, qui à reliquis adoretur, sed diuina voluntas est, vt gubernetur & conseruetur hæc vita, vt dissoluantur opera Diaboli, & vt retineatur pax & disciplina. Hic debet esse finis omnis gubernationis. Non enim respicit Deus illam personam in conferenda salute. Cur igitur creat & constituit hos ordines & gradus societatis humanæ?

Ideo vt

Ideo vt te sub onere hoc humiliet, & deducat ad agnitionem imbecillitatis ac miseriæ tuæ. Hoc dei consilio tu abuteris, & vertis in contrarium ad superbiam & fastum: cum sit voluntas dei, vt sub istis laruis seruias ordinationi eius, & necessitati humanæ, cui voluit succurrere hac ratiõe, ac propterea mandauit honorem haberi Magistratui, sicut scriptum est: Cui timorem timorem, cui honorem honorem. Qui sine his laruis non posset conseruari pax & disciplina.

Vtere igitur ijs ad gloriam Dei, & communem vtilitatem & sic cogita: Domine Deus ego malim priuatus latere absque sceptro, corona, auro, argento & omni pompa ac splendore, sed tu vocasti me ad hoc genus vitæ, voluisti me reliquis superiorem esse, obtemperabo igitur voluntati tuæ, & seruiam communi vtilitati, non meis cupiditatibus aut voluptati.

Ac diligenter memineris conditionis humanæ, quàm fragilis & calamitosa sit, in quibus verseris periculis, quantum onus sustineas in hoc munere, quod geris, vt humilieris, & ad implorandam opem diuinam exciteris, sicut docet excellentissimũ hoc exemplum humilitatis Ioseph, in tanta gloria & sublimitate, quod longè est illustrius, quàm patientiæ & tolerantiæ illius, quam præstitit in rebus aduersis. Longè enim difficilius fuit retinere verbũ post liberationẽ, quàm in calamitate & tẽtatione, in qua quidem ferenda inuictus fuit, nec defecit à Deo, nec peccauit impatientia & indignatione aduersus Deum. Sed longè maius robur animi requitur, cùm seipsum vincit, ea enim summa & pulcherrima virtus est, sicut inquit Salomo prouerb. 16. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.

Gloria rei militaris summa est in hac vita, sicut præclarissima dona fuerunt in Achille, Alexandro Magno, Scipione, sed fortissimis illis hæroibus, præfert Salomõ Ioseph, Dauidem, Mosen. Neque quisquam illorum conferendus est ad Ioseph, si quidem est dominator animi sui per humilitatem.

Primùm igitur hæc exempla diligenter consideranda sunt, deinde memoria originis & miseriarum cõmunium, quibus omnes sumus obnoxij, animis nostris infixa esse debet, vnde simus oriundi, qui fuerimus, & quid futuri simus, deniq; quàm difficilem & duram prouinciam, quilibet suo loco sustineat. Sic paulatim ad molestiam & humilitatem assuescemus. Verùm in plerisq; omnibus illud deprehendes quod ait Virgilius: Nescia mens hominum, &c. Et tamen proponẽdum est hoc exemplũ, quòd Ioseph ornatur dignitate summa, auro, gẽmis, & potentia amplissima, quę omnia solẽt homines incẽdere ambitiõe, fastu, & superbia, sed hęc mõstra irritãtia superbiam hominũ, potuit domare, quod nec Achilles, nec Alexander vnquam præstitit.

Cogita enim in quanto honore fuerit. Omnium oculi & animi in eum intenti fuerunt, qui maxima reuerentia & obseruantia ipsum coluerunt, incessit purpuratus & torquatus, vectus est curru regio, & tamen sic adfectus fuit: Tibi Domine & necessitati proximi seruio. Sum quidem princeps, sed verius seruorum, imò Diaboli seruus sum.

Atq; sic statuere debet Princeps, Pastor Ecclesiæ, Magistratus, &c. Quid enim aliud est præceptor, quàm seruus discipuli? hic Dominus est, ille seruus. Sic vult nos Deus cõmuni vitæ & societati hominum inseruire. Quando honorem exhibeo aut pareo magistratui, non filio opilionis, aut principi, vel nobili, sed voluntati Dei, & necessitati hominum obtempero. Et cùm sit necessaria in vulgo reuerentia & obedientia erga superiores, oportet eiusmodi laruas aut personas constitui, eaque ornare purpura, bisso, curru regio, titulis, & id genus honoribus, non vt is superbiat, cui honor hic exhibetur, quasi ipsi proprius & peculiaris sit, sed opus & administratio Dei in eo respicienda est.

Nisi enim coluero Magistratum, non possum viuere incolumis, & tutus à latronibus, imò etiam à vicino aliquo improbo. Honoro igitur principem aut Pastorem propter

propter meum commodum, vt vitam tranquillam & honestam degere, pietatem & bonas artes discere queam. Sic omnia hæc referenda sunt ad voluntatem Dei & publicam necessitatem. Qui hæc cogitant ac sequi student, cùm in Repub. tum in Ecclesia laudatissimi gubernatores & Doctores erunt, qualis fuit Ioseph.

MAGISTRATVS EXEMPLA LATISSIME PATENT.

Genes. cap. 34. Tom. 3. fol. 183. Extant tales voces: Sanctitas, pietas, fides, priuata bona sunt, Reges quo libet eant. Rusticum est principem parere pietatis & iustitiæ legibus, **Herrn sollen einen vortheil haben.** Principes sunt exempti legibus, habent sua priuilegia. Ideo quicquid libet, licet, **ja blitz vnd donner.** Imò minus licet Magistratibus, quàm priuatis. Et libido illorum & licentia seueriùs punienda est: Quia sunt gubernatores & custodes disciplinæ, & debent alijs exempla esse omnium virtutum. Sed clamant: Ego sum princeps & Dominus terræ, cur non possim mihi indulgere? Imò quo maior es, hoc magis te humilia, vt & virtute & bonis exemplis alijs præire possis. Iuxta sententiam vsitatam. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Magnatum & principum praua exempla sunt omnium pestilentissima & latissimè patent, quia multos corrumpunt, & ad licentiam peccandi pertrahunt. Priuatorum exempla minus nocent, & facilius corriguntur. Principum delicta sunt planè Diabolica. Ideo puniuntur atrociter. Sicut Sichem, dum putat sibi tanquam principi, quiduis licere, horribiles pœnas luit. **Es kost im sein halß.** Et ipse & parentes, & tota ciuitas miserabiliter pereunt.

MAGISTRATVI CVR TRIBVTVM DANDVM.

Tom. 4. Ienens. fol. 483. In Psalm. 9. Grad. Cùm certum sit seruire principes & Magistratus patribus familias, debere eis vicissim pro officio hoc beneficij, vt dentur tributa, vectigalia, & si quid aliud est, quo Magistratus opus habet, dum vigilat pro conseruatione pacis. Sunt enim ministri Dei, sicut Paulus quoq; appellat, in hoc à Deo donati, vt tu possis pace frui. Quàm magnum autem beneficium pax sit, commune Germanorum prouerbium testatur, quo dicunt, patrem familias qui duas vacas habet alteram debere dare, vt altera in pace frui, & eam retinere possit. Quid enim profuerit, si domum habeas refertam opibus, & eam contra prædones aut fures tueri non possis? Hoc igitur cùm Magistratus præstet, imò cùm iudicia & leges iterum vendicent Domino, quod iniustè ereptum est, meritò ei honor debetur, & iustè penditur tributum, tanquam administro benedictionum Dei, quas coniugibus destinauit. Nam hæc tertia coniugij benedictio, hic à Dauide numeratur, vt coniuges videant bona Hierusalem, hoc est, vt videant Hierusalem florere. Primò, per veram religionem & sanam doctrinam. Secundò, per bonos Magistratus. Hæc enim sunt bona non vnius tantùm domus, sed totius Hierusalem. Sic pulcherrimo ordine Spiritus Sanctus nobis commendat dona Dei. Primùm, est timor Dei, postea donat & conseruat Deus domum & œconomiam, Tandem propter œconomias rectè institutas, & in timore Dei administratas, sequitur etiam tertia benedictio, fœlix scilicit politia.

Porrò caro de his politicis benedictionibus, planè eodem modo iudicat, sicut de Oeconomicis. Est enim impatientissima legum. Hinc sequuntur vulgi odium, maledicta, conuicia in Magistratus, etiam cùm officiũ diligentissimè faciunt. Quando enim vulgus non est impatientissimum, etiam cùm iustissimis de causis exigunt pecuniæ? Quasi verò hoc solùm sit quod agat, vt pecunias colligat, & ijs pro

voluptate sine omni molestia & onere vtatur? Quis quæso est, qui gratis seruit sine mercede? Quæ igitur illa tandem est ingratitudo, Magistratui seruienti Reipub: cum maximo periculo, & in laboriosissimo vitæ genere, non velle reddere, quod ipsorum labor meretur? An putas tibi gratis hoc officij præstandum esse, vt in hoc vel alio oppido habites, fruaris pace, foro, Ecclesia, sine vllo sumptu tuo? Pij sanè hoc non postulant, sed agnoscunt Magistratum propter pacem à Deo constitutum esse, ideo prompti sunt ad honorem, tributum, vectigal eis pudendum, tanquam Angelis pacis, nos custodientibus & pro nobis vigilantibus.

Hinc scriptura etiam de grauiore etiam officio admonet, & id nobis imponit, vt etiam pro magistratu oremus. Hoc qui non faciunt, & publica onera etiam impatienter sustinent, merentur vt loco bonarum principum tyrannos habeant, qui ad grauiora eos cogant, & non ordinaria onera exigant, vbi ordinaria, aut cum molestia susceperunt, aut malignè executi sunt. Hæ sunt iustæ pœnæ inobedientium ciuium & vulgi, quod in periculis vnicum refugium habet ad Magistratum in eos quasi euomit quicquid animo dolet & ægrè est. Ibi Magistratus suis rebus relictis, singulorum incommoda audire, ijs remedia quærere cogitur, ac maximè tum curæ oriuntur, cùm publica incommoda sunt. An non igitur digni tyrannis sunt, & sumptuosis ac negligentibus Dominis, qui pio & solicito Magistratui non student reddere gratiam? Nam Tyranni postea faciunt, vt tales discant quid sit bonus Magistratus, vt ipsi se reprehendant, quòd peccarint per obedientiam, quòd peccarint dum malignè soluerunt ordinaria tributa, dum reprehenderunt Magistratum, &c.

Hæc si per Tyrannos Deus hoc modo non punit, at facit id per seditiones & bella, ne istis porcis impunè sit, non obedisse, & non honorasse Magistratum. Sicut enim porci tantùm hoc agunt, vt ingluuiem suam expleant, ita rustici putant se tantùm in hoc natos, vt pace fruantur ad colligendas opes, & explendam auaritiam suam, vt autem de collectis opibus aliquid in commune conferant, hoc aut cum molestia aut malignè faciunt.

Quare assuefaciamus nos, vt rectè intelligere discamus illa Magistratus beneficia, & pro ijs grati simus, ne sicut vulgus, offendamur oneribus, quæ Reipub. causa libenter sunt subeunda. Deinde vt discamus hoc beneficium boni Magistratus donari propter pios coniuges, quo etiam impij postea fruuntur, tanquam porci esca, sine gratiarumactione. Sicut enim Sodomorum exilium propter Lot differebatur, ita sæpe propter vnam & alteram piam domum toti Reipub: benedicit Dominus, propter vnum & alterum pium principem totum imperium fortunat Dominus.

QVATENVS PARENDVM MAGISTRATVI.

Tom. 4. Ienes. fol. 635. Hose. Cap. 5. Magistratui præstanda est obedientia in ciuilibus, & quæ sui (vt loquuntur) fori sunt. Cùm autem Magistratus est extra suum forum, prosilit in forma Dei, & vult mandare, quæ verbo Dei prohibita sunt, hîc si quis obedit, peccat. Agnoscendum enim est mandatum superioris Domini, & ei parendum, Sicut Petrus dicit, Deo magis obediendum esse quàm hominibus.

Vrgetur Germania hodie, hoc quoque peccato. Non solùm enim Episcopi cogunt suos ad Idolatriam, sed faciunt idem principes. Ac iudicamus nos plerumq; illud Magistratus peccatum ipsis nociturum, non subditis. Sed Prophetam hic audi, is disertè

diserte dicit, puniendum Israel, quod ierit post mandata suorum Regum. Quid igitur faciendum erat? Erant ne Reges eijciendi regno, aut paranda contra eos? Non sed iniuste imperantibus non erat parendum, ac potius patienda extrema. Sicut exemplum Danielis, & suorum coniunctorum ostendit. Ad hunc modum suis Episcopis & principibus Idolatriam retinentibus, & ad eam cogentibus suos, subditi non parere debebant. Dei enim mandatum maius est, quàm hominis. Et est obedientiæ maius præmium. Nam hic corpus tantùm ad breue tempus relinquit illæsum, Ille autem corpus & animam seruat in æternum.

Genes. Cap. 27. Tomo. 3. fol. 55. Atqui verè & necessariò id dicitur obediendum esse Magistratibus, parentibus & omni potestati? Rectè, concedo regulam. Cur igitur non seruas regulam, siue Magistratus, siue parentes mandent, vt religionem ipsorum secteris? Respondeo, est exceptio. Prima tabula debet præferri secundæ tabulæ. Si parentes aliquid contra Deum statuunt, aut iubent, ibi quartum præceptum tollitur, quod antea ratum & firmum erat. Quia in primo præcepto dicitur: Deum diligendum & honorandum esse super omnia. Act. 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

Ad hunc modum nos in negocio Euangelij decidimus, contra imperium Cæsaris & Papæ, contra vniuersam impietatem Papæ, sine præcedente strepitu Iuris. Non accusauimus Papam, nec potuimus: quia nullus erat Iudex. Honorauimus Papam, parentes, Cæsarem. Sed quia Christus dicit: Oues meæ vocem meam audiunt: Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt, non fuit expectandum, donec decerneretur humano more, vtrum benè an malè faceremus, seiungentes nos à Pontifice. Quia cognita voluntate diuina, non est disputandum de iuribus, de præscriptionibus, aut similibus. Sed obtemperandum est sine vlla deliberatione mandato diuino. Quia neque Papa, neque parentes, nec Cæsar hunc titulum habent: Ego sum Dominus Deus tuus.

Item Genes. Cap. 31. Tomo. 3, fol. 135. Ego doceo principem nostrum non debere obedire Cæsari, & absoluo eum ab obedientia, non tantùm Papæ, sed & totius Imperij & Cæsaris. Sed quo iure? Ibi enim videndum mihi est, vt rectè definiam & distinguam obedientiam. Hoc iure, quia Cæsar & Papa iubent & mandant contra primam tabulam. Igitur nec Princeps nec populus tenetur obedire mandatis, contra Dei obedientiam. Papa etiam absoluit ab obedientia Cæsaris, & sæpe Imperatores regnis & imperio amouit. Quare? Quia mihi non obediunt, inquit: Ego sedeo in prima tabula. Sed est hypocrita malè intelligens, & deprauans doctrinam primæ tabulæ, & falsò sibi arrogans quod non habet. Nos verò rectè absoluimus: quia Cæsar & Papa non amplectuntur verbum Dei, sed præcipiunt ea, quæ ex diametro cum verbo pugnant. Ideo docemus obedientiam illam detestandam esse, discendum autem est, vt rectè distinguamus inter verbum Dei, quo immediatè colitur Deus, & inter obedientiam humanam, qualis est parentum, præceptorum, Dominorum, Magistratuum. Hę enim sunt creaturę, Ecclesia verò non habet alium Doctorem nisi Deum. Igitur nec aliam obedientiam. Quando igitur creator immediatè dicit: hoc mihi præstabis, mihi soli obedies, me pro Deo habebis, crede in Christum. Hunc audi. Ibi nemo alius audiendus est. Vbi hoc audieris, tum demum descendo ad obedientiam creaturarum, & obedias parentibus, & Magistratui, quę cessant vbi cultus creatori præstandus est, manent autem firma & integra, postquam satisfactum est creatori.

CHRISTIANIS LICET MAGISTRATVS DEFENSIONE VTI.

Geneſ. Cap. 21. Tom. 2. fol. 184. Locus hic notandus eſt etiam contra Anabaptiſtas, quod liceat contra iniurias, Magiſtratus auxilium implorare. Bonum quidem eſſet, vt Magiſtratus ſua ſponte officium faceret, nec expectaret, donec implorare-tur eius auxilium, ſed pauci hoc faciunt, & ne quidem crebris ſupplicationibus ad debellandas iniurias impelli poſſunt.

Tales ſunt ex illorum numero, de quibus ſupra dixi, quòd optent gloriam, reuerentiam & obedientiam, gaudẽt ſe appellari Deos, ſed ſi mores & vitam eſtimes, ſunt Diaboli & Tyranni habentes non ſolum re alia, ſed etiam perſonalia peccata. Talis Abimelech non fuit, qui peccat ignorantia. Talia peccata excuſanda, & oratione coram Deo leuanda ſunt, non exagitanda, multò minus concitandæ ideo ſeditiones: Peccat Abimelech non ſolùm ſicut homo, ſed etiam ſicut Magiſtratus. Non enim poteſt ſcire, quid vbique à ſuis fiat, & tamen eſt hoc peccatum coram Deo, vt, ſcilicet, nemo ſuperbiat. Soleo igitur hoc peccatum comparare cum peccatis legalibus, ſeu cæremonialibus potiùs.

Pertinet autem ad conſolationem noſtram, ne cogitemus fuiſſe ſanctos viros ſtatuas monaſticas, mutas, & ſine ſenſu. Hæc enim offendicula arguunt, fuiſſe homines, & habuiſſe paſsiones ſimiles nobis, ſpirituales quidem fuerunt, ſed tamen vixerunt in carne.

Quod igitur Abraham implorat regis auxilium propter raptum fontem, clarum exemplum eſt, quod liceat nobis quoque implorare auxilium Magiſtratus, & vti eius defenſione, quam ſcilicet leges & vſus fori permittunt: quòd ſi Magiſtratus ope ſua nos deſtituit, ferenda eſt iniuria, ſciendum tamen, ſæpe peccare etiam bonos: etſi enim voluntas non deſit, tamen ſæpe deeſt cognitio, quanquam voluntas quo que in multis infirma eſt. Honorandi tamen ſunt, & ferenda incommoda: Sed in quibus peruerſa voluntas eſt, in his deteſtanda eſt malicia, & ſunt redarguendi.

Abimelech pulcherrimè ſe excuſat: non cognoui, inquit, non audiui, nec tu indicaſti. Nam pius Magiſtratus non offenditur admonitione, ſed requirit, vt indicetur à ſubditis, ſi quid peccatum alicubi eſt. Quomodo enim ſcire poteſt, quid vbique agatur? Qui autem ſuperbi ſunt, & offenduntur indicijs, ac admonitionibus ſubditorum, quaſi dedecus ſit ignorare aliquid, hi parum memores ſunt ſuæ conditionis, neque vnquam humiliantur coram Deo, nec inuocant Deum, talia peccata vt condonet.

Et autem vt dixi ineuitabile peccatum Magiſtratus ignorantia, & tam innatum Magiſtratui, quàm omnibus innata eſt concupiſcentia, ſine qua certè nemo viuere poteſt. Agnoſcant igitur ſinguli defectum ſuum: ita enim fiet, vt humilientur & non ſolùm implorent auxilium Dei, ſed etiam expoſcant veniam occultorum peccatorum.

Præclarè igitur Bernhardus ad Eugenium Papam ſcribit. Multa cogeris ignorare, multa cognita diſsimulare. Ignorantia eſt error in voluntate, qua toleramus ea quæ non volumus. Abimelech quidem rex eſt, ſed non ſcit omnia, quæ ſubditi faciunt, hæc enim laus non hominis, ſed ſolius Dei eſt, qui omnia ſcit & falli non poteſt. Hanc laudem ſuperbi tyranni ſibi vſurpant, qui admoneri nolunt.

Sciendum igitur, quod ipſe Deus, deinde etiam ipſum ius poſtulant, vt magiſtratui indicemus, ſi quid publicè peccatum eſt: Sicut enim Magiſtratus ignorando peccat, ſubditi non indicando. Retorquet igitur Abimelech culpam in Abrahamum, quòd non citiùs detulerit ad ſe aulicorum iniurias, & reuera Abraham in culpa aliqua eſt:

qua est: non tamen prorsus iniustus eius motus est, vidit Regum animos mirabiles & mutabiles esse, nam sunt in officio mirabili, & res, quas gubernãt, sunt mutabiles. Cum igitur affectus esset iniuria ab aulicis, suspitione hac carere non potuit regem conscium esse.

Sic vterque humiliatur, Abrahamus suspicando & non indicando. Abimelech autem ignorando, ne enim sineret Abraham errare regem admonere debuit. Id charitatis officium fuit. Iustè igitur queritur Abimelech, Abraham nihil indicasse, nec se à quoquam quicquam audiuisse. Quàm peruersa igitur hodie res est, quòd ferè omnes necessarium hoc officium Magistratui negant. Si enim de cuiusquam peccato ad Magistratum referas, proditionis nomine ab omnibus appellaris: peccatum igitur illud pro heroica virtute celebratur, nihil Magistratui indicare, quid enim hic faciat Rex, si tu indicare recusas, quod nescire ipse cogitur, nonne videtur innocens & excusatus?

Vult tamen Deus implicatum eum peccato ignorantiæ, vt agnoscat se non habere vniuersalem gubernationẽ, quæ homini est impossibilis, propter ignorantiæ peccatum, sed partialem, & Deum agnoscat vniuersali gubernationi præesse: is enim est, qui habet vniuersalem oculum, & intuetur omnia, ac nihil ignorat, sed Magistratus vtcunque bonus, habet tantum partialem oculum.

Adiuuandus igitur est, quando aliquid publicè peccatur, concurrere omnes debent, tanquam ad commune incendiũ restinguendum. Debent enim singuli pro suo modo adiuuare Rempublicam.

Sic describit sanctos Spiritus Sanctus in prædicamento actionis & passionis, quòd secuti sint ciuilem hominum consuetudinem, deferendo iuramentum Magistratui, & implorando auxilio eius, ac passi non solum iniurias aliorum, sed etiam, vt sic dicam, culpas & ignorantias suas, ne, scilicet, deesset occasio orandi: Sanctificetur nomen tuum. O Deus, cur enim me facis Magistratum? Cur concionatorem? Cum scias me satisfacere non posse voluntati tuæ: Sed ades tu adiutor, adsunt etiam Angeli tui, tu autem vis hoc modo superbam meam ceruicem humiliare, ne scilicet me tibi æquem, qui es iustus & omnia scis.

Notabilis hic locus est de implorando Magistratu, & indicanda rapina, quanquam hoc posterius pauci præstant, nemo enim vult subire inuidiam, vicinorum, nobilium, potentum, sed statuendum erat hoc nostro officio valde indigere Magistratum, alioqui suum officium facere non potest. Quod si indicasti iniuriam, nec tamen à Magistratu adiuuaris, feras incommodum, & scias te sine culpa esse, ac fecisse quod debebas. Non autem carebit pœna sua negligens Magistratus.

DE VINDICTA ET AN LICEAT CONTENDERE IN IVDICIO.

Tomo. 4. Ienens. fol. 297. Matth. Cap. 5. Sic sentio Christum hoc loco de vindicta loqui, vt etiam meus commentarius habet. Primò, contra Pharisæorum falsam opinionem, qui priuatum odium & vindictam, seu iram, licere putabant, sicut & homicidia, modò non fiat manu & opere manifesto. Secundò, simul contra piorum opinionem, qui nouam politiam contra receptam sperabant institui per Euangelium. Contra hos allegat politiam legem, dentem pro dente, &c. Imò inquit, si ad iudicium tractus fueris, patere omnia, hoc est, si Magistratus hostilis fuerit, & iudicio publico abiudicauerit tibi tunicam, patere, nec priuatim nec publicè, seu nouo & seditioso Magistratui, ei resistas.

Vt sic doceat non modò ferre priuatorum iniuriam, sed Magistratus vim vel iniusticiam. Quicquid enim iniuriæ in publico iudicio fit, hoc à Magistratu patimur. Sic omninò intelligendum puto, doceri potentiam, tam à priuatis quàm publicis hominibus, præsertim in persecutione. Hinc non sequitur, Non licere implorare Magistratus opem, qui non persequitur, non sit hostis, sed in pace nobiscum viuit. Quia Christus non dicit, Nolite defendi, aut implorare defensionem, Sed vosipsos nolite defendere, vosipsi nolite resistere malo, scilicet, publico, Nolite vosipsi dentem pro dente, neque exigere priuatim, neque facto per seditionem alio Magistratu publicè, vindicare. Quia non veni vt nouum Magistratum conderem, sed vt docerem vos ferre quaslibet iniurias, priuatas & publicas, & non resistere vtrique malo priuata vindicta.

Hoc sanè vellem, vt hoc vocabulum, licet iudicio contendere, omninò tollatur. Quia sonat pro licentia litigandi. Neque Christus loquitur hîc, de his qui in iudicio accusant, seu implorant iudicis defensionem, sed de patientibus, qui in iudicium vocati vexantur & condemnantur: Hi non contendunt iudicio, neque litigant sed patiuntur. Has personas passiuas, Christus docet patientiam. Non armat actiuas personas ad litigandum. Hoc verbum malè sonat, tollatur igitur & loco eius ponatur an liceat, &c.

AN CHRISTIANO IVRARE LICEAT.

Genes. Cap. 21. Tom. 2. fol. 183. Quod Moses diserte dicit Abrahanum iurasse, id videtur esse contra Euangelij sententiam, & Christi mandatum. Sed necessarium hoc exemplum est, quòd Abraham non recusat iuramentum, & docet suo facto, moralia & ciuilia ista nec contemnenda, nec negligenda à sanctis prætextu religionis. Ac Spiritui Sancto agendæ sunt gratiæ quod ita describit sanctorum Patrum historias, vt sint exemplaria, non solùm fidei & superiorum virtutum, sed etiam in ciuili genere vitæ contra insensatas statuas Monasticas, quę omnem humanitatem & ciuilitatem exuunt, hoc scilicet pacto mortui mundo, & tamen viuacissimi in omnibus generibus vitiorum. Dicit igitur Abraham viuum testimonium contra tales, quòd scilicet, vita ciuilis, & actiones ciuiles Deo non displiceant.

Quod autem ad mandatum Christi pertinet, Omninò non iurabitis, ea quæstio facillimè dissoluitur, si causas inspicias, quas Moses in hac historia pulchrè ostendit. Potest verè & simpliciter responderi, iustum non peccare etiam cùm iurat, sed gratum officium facere Deo & hominibus, sed causarum explicatio facilior est. Efficiens causa est, quòd Abraham non temerè, sed à rege sic iussus iurat. Non enim detrectanda hîc est Magistratus ciuilis autoritas, sicut stultum Anabaptistarum vulgus delirat. Conuenit igitur iuramentum à Magistratu impositum cum mandato Dei, qui iusserit Magistratui obedire.

Altera causa finalis ostenditur etiam hîc, vt hoc pacto pax inter familiam Regis & Abrahæ sanciatur: Sicut enim sacra scriptura dicit, iuramentum est finis omnium controuersiarum, hoc est, finit controuersias & lites, hoc quis negauerit sanctum & bonum opus esse?

Pertinet autem ad secundum præceptum, qui enim verum iuramentum Magistratui deferunt, honore afficiunt Dei nomen, & veritatem ornant, suspitiones autem tollunt. Pij igitur benefaciunt, cùm per iuramentum dant testimonium veritati. Contrà impij nihil rectè faciunt, quia semper habent annexũ titulum: hi errãt corde.

Respondemus ergo ad quæstionem, qui temerè iurant, & veritati non patrocinantur, horum iuramentum ex abundanti & malum est: Vbi autem iuramentum seruit veritati, & ad retinendam beneuolentiam ac concordiam vtile est, ibi rectè iurare

rectè iurare, non est contumelia nominis Dei, sed honor, vt scilicet, timeatur Deus, & maneat pax & tranquillitas.

Gubernat igitur etiam ciuiliter sanctum Patriarcham Dominus & defendit cõtra inuidiam, permittens vti eum legibus, & moribus ciuilibus, & vt se vsitatis ritibus hominum accommodet ad seruandam pacem publicam. Non enim resistit in hac parte Philosophiæ & legibus scriptura sancta, sed confirmat eas, & ex iuramento ceu sacramentum quoddam facit, siquidem coniunctum est cum nomine Dei. Et pertinet ad reconciliandos animos & tollendas lites ac suspiciones.

MAGISTRATVS ADMONENDVS OFFICII SVI.

Tom. 4. Ienens. fol. 553. Michæ cap. 3. Non solùm tyrannis veritatis impatientissima est, sed causas fingit, cur hęc doctorum libertas coherceri debeat, Sicut nostro tempore, proh dolor, nimis multa exempla extãt, quæ, alioqui tolerabiles, Magistratus veritate offensos esse ostendunt. Fit enim, quod Aristoteles bellissima fabula ostendit, vt leones ægrè patiantur sibi à leporibus quasi leges præfigi, ad quas consilia & facta sua dirigant. Dum igitur lepores pio studio concionantur Leonibus, aut leonum vngulas cum discrimine experiri, aut vitam fuga tueri coguntur.

Vsitatum autem est hodie in aulis, vt liberiores conciones, in quibus Magistratuum vitia notantur, seditiosas esse dicant. Sed si seditiosum est Magistratuum vitia notare, quæso te, quid de Micha dicemus, qui non dixit, sed scripsit quoq; hęc: ac palàm ostendit se non cum rusticis, sed cum ipsis principibus & capitibus domus Iacob & Israel agere. Sed impudentissima oratio est, Micham & alios idem cum Micha facientes, seditiosos vocare. Num enim veritas seditionis causa est, quæ & Deo grata est, & peculiariter ministris verbi commendata? Sacræ literæ & experientia quoq; prolixè testantur, seditiones esse pœnas diuinitùs immissas, non propter veritatem doctoribus mandatum, sed propter peccata Magistratuum, quæ ob certas causas notanda sunt, non dissimulanda aut tacenda. Nam dissimulatio Deum vltorem & tra ductorem talium peccatorum excitat.

primùm, enim cùm Magistratus in Repub. sit, quasi caput in corpore humano, non potest cum fructu medicina adhiberi reliquo corpori, nisi priùs caput sanatum, fit. Sicut enim ferè frustra hortamur vulgus ad pietatem, vbi ipse Magistratus nullam religionis curam habet, Ita si Magistratus rectè institutus sit, sua sponte vulgus seueritate pœnarum, ad moderationem & studium virtutis reuocat. Quare pio Doctori prima cura debet esse, de Magistratu, vt admoneat officij, vt reuocet eum ab vsitata licentia, quam propter potentiam sibi sumit. Hoc autem quæso quomodo poterit fieri, si Doctor ad omnia peccata conniueat, & dissimulet omnia?

Deinde verum est quod Satyricus dixit: Omne animi vicium tantò conspectius in se crimen habet, quantò qui peccat maior habetur. Sicut enim persona publica est, ita etiam peccata Magistratus publica sunt, & latiùs patent quàm priuatorum, non solùm ratione scandali, quòd vulgus procliue est ad principum vitia imitanda, sed quòd Magistratus postea languidior redditur, ad ea reprehendenda & castiganda in subditis, quæ ipse in se agnoscit. Hoc verò illud est ingens malum, cui omni studio pij Doctores cum Micha debent occurrere. Quoties enim testatur Dominus, se quasi placatum esse, seuera animaduersione in flagitiosos? Ergo vbi Magistratus in hac parte suum officium non facit, ipse Dominus, cuius iudicium est, iudicium cogitur exercere. Sed id nunquam ferè fit sine publicis calamitatibus,

sicut hoc in loco Propheta testatur, propter huiusmodi Principum peccata, Zion vt agrum arandam, & Ierusalem funditùs delendam, vt nihil sit nisi aceruus lapidum.

Tertiò, Prophetarum hæc singularis vocatio erat, vt, quę Dominus per visiones aut alio modo reuelarat, fideliter nunciarent. Etsi autem hæc hodie ferè deserit, tamen exemplum ostendit, Deum velle, ne dissimulentur Principum peccata. Et in nouo Testamento generale mandatum est, prædicandam esse pœnitentiam. At hanc principibus quomodo prædicabis, nisi manifesta ipsorum peccata, quæ cum ingenti subditorum scandalo committunt, arguas.

DE MORTE.

QVID SIT.

Tom. 1. Ienens. fol. 354. Concion. Quomodo animus sit præparandus ad mortem. Mors est huius vitæ omniumq; operum humanorum finis. Necesse igitur est, vt, quantum ad fortunas attinet, sua bona vnusquisq; ijs deleget, quos & leges & sua voluntas iubent succedere, ne aliqua litigandi & contendendi occasio relinquatur successoribus, ad quos redire debet hæreditas.

Item Genes. cap. 22. Tom. 2. fol. 194. Mors naturalis, quæ est separatio animæ à corpore, simplex mors est. Sed sentire mortem, hoc est, terrorem & pauorem mortis, ea demum vera mors est. Sine pauore mors non est mors, sed somnus vt inquit Christus: Qui credit in me non videbit mortem, ablato pauore, ablata est animæ mors.

Proinde hanc descriptionem mortis constituamus. Mors habet animam & corpus. Corpus est extinctio mortis animæ. Animæ mors est ipse pauor & horror mortis. Quod si anima mortis est mortua, corporis mors est somnus. Hic in Abrahamo animæ mors fuit, quia nihil dubitauit, sed certò sciuit immolandum & illo momento occidendum esse Isaac. Quandocunq; autem homo, in terrore mortis constitutus est, hoc est, in ea persuasione, quòd debeat mori, ibi tantam violentiam veræ mortis sentit, vt sustentare se non possit, & tum verissimè moritur, non quando fit separatio animæ à corpore.

VNDE SIT.

Tom. 4. Ienens. fol. 521. Psal. 90. Vniuersum genus humanum ita lapsum & excæcatum est peccato originis, vt homo non solùm se & Deum ignoret, sed ne calamitates suas, quas sentit & patitur, has nec vnde sint, intelligit, nec videt quorendeant. Tanta est miseria illa, quam ex peccato contraxerunt nostri primi parentes, & in posteros propagarunt. Nam vide illam grauissimam & horribilem pœnam, quæ est mors, & tantis calamitatibus inundat in totum genus humanum, quàm stultè de ea sapientissimi homines disputarunt, dum alij suadent vt contemnatur, sicut ille dixit, Summum nec metuas diem nec optes. Alij dum sentiunt, nimis esse graue rem, eo inducunt homines, vt præsentibus voluptatibus, ad leniendum malum hoc indulgeant liberius. Sicut extat notus, sed deprauatus versiculus, ex Sardanapali Epitaphio sumptus, Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Sic sapientes mundi, dum pœnæ peccati mederi volunt, in maiora peccata inuoluuntur. Neque enim mors contemnendo vincitur. Sicut latrũculi & milites putant fortitudinis speciem esse ędere, cùm etiam per iocum, pestem, pustulas Gallicas, & similes calamitates alijs imprecantur. Alia arte, alijs remedijs opus est.

Ferè idem

Ferè idem recentiores Theologi faciunt, cùm exemplo gentilium disputant, in funebribus orationibus non esse dolendum tanquam in re mala, Mortem esse portum quendam, in quem conclusi, tuti simus à laboribus & calamitatibus, quibus hęc cõmunis vita subiecta est. Porrò, hęc extrema est cæcitas, & miseria alia superaddita peccato originis, quod ipsum peccatum & mortẽ, cùm reliquis calamitatibus generis humani, sic extenuamus, & expugnamus contra communem sensum, cõtra ipsam experientiã, ac nobis blandimur leuissimis & vanissimis cogitationibus. Non enim iste est modus disputandi de morte, sed sunt, vt sic vocem, gentiles cæcitates & fructus peccati originis, quòd sua mala defendit non esse mala, cùm tamen diuersum sentiat & experiatur.

At Moses noster longè aliter in hoc Psalmo de morte disputat. Hoc enim primum agit, vt mortem & reliquas huius vitæ calamitates, quàm potest maximè exaggeret. In ea re, secundũ officiũ suum legale, est Mosissimus Moses, hoc est, seuerus minister mortis, iræ Dei, & peccati. Egregiè igitur fungitur officio legis, & pingit mortem horribilissimis coloribus, quod ira Dei sit, qua occidimur: Imò ostendit nos iam ante occisos, & ingentibus calamitatibus oppressos. Ac vtitur hic noua Rhetorica, vocans mortẽ, iram Dei. Addit ex sua Dialectica causam efficientem & finalem mortis & omnium calamitatum huius vitæ, opponit nobis Deum iratum. Quis, inquit, norat tantam esse potestatem iræ tuæ? Nam quòd morimur, accidit ex intolerabili ira Dei aduersus peccatum. Porrò si respicias ad consequentia, facilè intelliges eum non simpliciter loqui de morte corporali, si enim ea sola expectanda esset, diceremus cum Poeta, summum nec metuas diem, nec opes. At nos sustinemus ęternam mortem, siquidem iram Dei, quę à nobis vinci nequit, sustinemus.

OMNES HOMINES SEMEL MORI OPORTERE VEL POTENTI MORTI SVBIECTOS ESSE.

Tom. 4. Ienens. fol. 526. Psal. 90. Qui facis homines mori. Et dicis reuertimini filij hominum. Sententia huius loci hæc est, Quod Moses vult nos docere, per peccatum esse factum, quòd homo gratia excidit, & pœnam mortis sustinet. Tu vertis, inquit, hominem in contritionem, & redigis eum in nihilum. Hæc an non horribilis sententia & grauissima ira est? Hominem per iram Dei mori, tam nobilem creatura, quæ omnibus animantibus præstat, & non Angelis, non Dæmonibus subiecta fuit, sed soli maiestati diuinæ: Imò quæ ad similitudinem Dei condita fuit, vt viueret & dominaretur. Hæc profectò grauior mors, & tristior casus est, quàm cùm vacca mactatur, præsertim si respicias propagationem mali. Hominem (inquit) vertis in contritionem, hoc est, *totum humanum genus*. Haurit enim vno verbo, omnem posteritatem primorum parentum. Ergo quod ad vitam creatum erat, morti eam destinatur, idque Deo irascente, & est totum humanum genus prolapsum ex immortalitate in mortem æternam.

Vide autem quàm prudenter Moses loquatur, cùm hanc iram simpliciter refert in creatorem, Ne veniat Manichæus, cum insana sua turba, & faciat duos Deos, vnũ propitium & bonum, alterum malũ. Non enim dicit, Diabolus redigit homines in nihilum, sed tu ipse, qui fuisti, antequam cœlum & terra essent. Hoc enim Manichęi deliramentũ fuit, & non dubiũ est, multos nunc in eodẽ errore esse positos, qui imaginãtur omnia bona à bono Deo, mala aũt à malo Deo oriri. In hoc errore vixit Augustinus annis ferè nouẽ. Sed impietas est fingere nouũ Deũ, & hoc modo effugere ac declinare velle irã Dei iure nobis propter peccatũ irrogatã, sicut milites qui palã contẽnunt mortẽ. Sed quid profecisti etiamsi mortẽ extremè contẽnas? Num ideo eriam mortẽ vicisti? Quare meminerimus, hic nõ disputari de Epicuri cogitationib. quomodo mitigentur mala, qnę nõ possunt caueri; Sed doceri nos, vt bona & mala

referamus

referamus ad vnum Deum, & discamus, quomodo illa mala vinci possint. Hoc enim est quod Moses præcipuè instituit facere.

Prudenter itaque dixit, *Tu facis Homines mori*, hoc est, tuum opus, imò ira tua est, quod vniuersum genus humanum per mortem absorbetur. Non temerè fiunt homines, non temerè nascuntur, non temerè patiuntur, non moriuntur temerè. Nam ne pecudes quidem temerè moriuntur, sed nostro arbitrio. Sunt enim ipsorum calamitates in dominio hominum, Quantò minus mors & finis hominum sine certa ratione est. Sicut igitur vita diuino & certo consilio conceditur, sic etiam mors est opus iræ Dei, quo vertit creaturam hanc in cõtritionem & protrudit ex vita in mortem. Ita propriè refert hunc effectum ad ipsum Deum, vt admoniti non aliundè accersamus auxilium, quàm ab eo qui inflixit malum. Qui enim percussit idem & sanabit. Hic enim est titulus Dei nostri, Quòd occidit & viuificat, Quòd ducit ad inferos & reducit, Quòd (sicut hîc dicit) vertit homines in contritionem, & iubet reuerti filios hominum, vt sicut per ipsum initio accepimus vitam, ita per ipsum quoq; tandem vincamus mortem, quæ mors non simpliciter concupiscentiæ, sed totius peccati causa est. Vtitur quidem Deus Diabolo ad affligendos nos & occidendos, sed Diabolus id non potest, nisi Deus hoc modo vellet puniri peccatum. Sumus igitur oues occisionis, subiecti morti propter iram Dei, ob peccatum.

Secunda pars versiculi, Et dicis, reuertimini filij hominum, eò pertinet, Quod sicut moriuntur homines quotidie propter peccatum: Ita quoque interea nascuntur alij, sed eadem conditione, qua illi, qui defuncti sunt. Sic seculum illud ante diluuiũ perijt, dixerat enim Dominus: Delebo omne animal viuum, Et tamẽ ad Noah dicit Dominus: Fac tibi arcam & ingredere tu & filij tui, & eorum vxores. Sic ad Adam dixit: Morte morieris, quacunq; die comederis de ligno hoc, & postea, Terra es, & in terram reuerteris. Hic enim locus est, qui haurit vniuersum genus humanum, Et tamen semper alij in hanc vitam nascuntur, eisdem calamitatibus obnoxij.

Hæc est sententia diuina quam aperuit nobis Moses, ratio per se videre hęc non potuit. Itaq; non Gentes solùm, sed Monachi quoq; multa disputarunt, de contemnenda morte, sed malè. Nam homines hoc modo aut securi fiũt, aut blasphemi, dum exuunt timorem Dei, ac commouentur aduersus Deum, quasi Deus tyrãnum agat, & sine ratione morti exponat hanc miseram creaturam. Longè melius Moses docet, Quòd, etsi abiecerit Deus hominem propter peccatum, tamen non sic abiecerit, quin etiam misereri & iuuare eum velit. Ratio vtrunq; nescit, primùm, quòd mors propter peccatum, per iram Dei homini irrogata sit. Deinde, quod contra iram hanc sit remedium in misericordia Dei, quod ille iratus Deus sinat se flecti precibus & vinci, vt renouet nos per verbum gratiæ, & Spiritum suum in vitam æternam.

DE PRAEPARATIONE AD MORTEM.

Tom. 3. Ienens. fol. 381. Iesai. cap. 38. Porrò Monachi multa de præparatione ad mortem scripserunt, sed summa fuit, discedere à mundo, hoc est, in solitudinem aut monasterium abire, & istic nescio quas fingere cogitationes, sed hæ sunt vanæ nugę. Vera enim prępara tio ad mortem est, exercitium fidei, scire quòd mors, peccatum, Infernus, Satan, in Christo crucifixo, victi & prostrati sint. Ne scilicet mortem, qualis in se aut nobis est, respiciamus, sed qualis est in Christo. Hic aspectus ænei serpentis seruabit nos, nec vlla alia salutis spes aut ratio vsquam esse potest, quàm si spectes in victorem, in quo mors est conculcata, victum peccatum, prostratus Satan. In cuius cruce pendent trophæa de nostris hostibus, & tyrannis deuictis. Ita cor tutò inspicere mortem potest, nec tenetur eo spectro. Aliâs extra Christum mortem inspicere, & cum ea pugnare, est quasi in medio mari natare, quin potiùs ascẽde in nauim, & mane

& mane ſuper iſtum malum, è quo ſuſpenſa trophæa ſunt. Neq; reſpicias aut te aut merita tua, alioqui mergeris. Sed exi à te, & abi ad Chriſtum, qui eſt agnus Dei, & victima pro peccatis noſtris, quæ omnium noſtrum peccata ſuſtulit, & in ſuo corpore vicit, in quo crucifixus Diabolus & mors eſt. Hæc eſt vera & vnica ratio cõtemnendæ mortis. Nam qui ita conſolantur moribundos, quòd mors finem calamitatum & periculorum huius vitæ afferat: Ea conſolatio non eſt firma, neque erigere cor in pugna poteſt, videntur enim ijs maiora mala reſtare poſt mortem.

CVR MORS EXPETENDA.

Tom. 3. Ienenſ. fol. 384. Iſai. cap. 39. Si nullæ aliæ eſſent calamitates, quæ hanc vitam nobis inuiſam facerent, certè peccata, & in primis facilis hic in præſumptionem lapſus, odium huius vitæ afferre nobis debebant. Singulæ ætates ſua ſentiunt incommoda. Iuuenes libido vexat, quæ vix vxore ducta extinguitur. In virili ætate opes queruntur & cumulantur, & creſcit auaricia. Si quis benè & honeſtè vixit, reſtè adminiſtrauit officium ſuum, fuit bonus Magiſtratus, Parochus bonus &c. Phílautia oritur, quæ propriè ad ſenes vltra auaricíam pertinet. Sic vita noſtra non ſolùm peccat, ſed eſt ipſum peccatum. Ad hæc accedũt tot alia mala. Puerilis ætas omnium iniuriæ obnoxia eſt. Iuuenilis omnibus periculis: Virilis omnibus morbis & vitijs, & tamen tot malis non poteſt dura hominum ceruix frangi & domari, quantumuis oppreſsi calamitatibus & peccatis, ſuperbimus, præſumimus, Deum & iudicium Dei ſecuri contemnimus, Ruimus in varia & grauia peccata. Deſperandum igitur eſt nos ſine peccatis in hac carne viuere poſſe, & ſimplici confeſsione dicendũ: ô Domine Ieſu quoties & quàm grauiter peccaui, tu vides, ego non poſſum omnia videre, ignoſce, &c.

DE MORTE CHRISTIANORVM.

Geneſ. cap. 25. Tom. 2. fol. 253. Et deficiens (Abraham) mortuus eſt in Senectute bona, ſenex & ſatur dierum, collectusq; eſt ad populos ſuos. Hic igitur primus locus eſt in tota ſcriptura ſancta, qui teſtatur Sanctorum mortem eſſe placidam, & pretioſam in conſpectu Dei: non guſtare eos mortem, ſed ſuauiſsimè eos obdormire. Hunc locum & legit Eſaias, & diligenter euoluit, inde enim natæ ſunt ſententiæ illę inſignes cap. 56. Propter maliciam colligitur iuſtus, Viri miſericordiæ intrant in pacem, & quieſcunt in cubilibus ſuis, & 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec tranſeat indignatio mea.

Iuſti coram mundo contempti ſunt, ſpreti & abiecti, & mors eorum triſtiſsima videtur, ſed dormiunt ſuauiſsimum ſomnium. Quando decumbunt in lecto & agũt animam, moriuntur, non aliter ac ſi ſomnus paulatim membris ac ſenſib. illaberetur. Priùs enim varijs tentationibus humiliati, ac placidi & tranquilli facti ſunt, vt dicant Domine Deus libens moriar, ſi ſic tibi viſum fuerit: non exhorreſcunt mortem, ſicut impij, qui trepidant & anguntur horribiliter. Hæc ad nos excitandos faciunt, vt diſcamus Deo euocanti nos ex his miſerijs parere, & poſsimus dicere: non optarim vltam horam vitæ meæ addi, Domine Ieſu Chriſte, veni quando vis: ſicut moritur Abraham ſatur dierum, Da er wol zu frieden war.

FIDES EST VICTORIA MORTIS.

Geneſ. cap. 22. Tom. 2. Ienenſ. fol. 194. Victoria autem Abrahæ & Iſaac, & omnium Sanctorum eſt fides, hanc qui habet, is ſuperat pauorem mortis, & vincit & triumphat

triumphat in æternum. De ea loquitur Paulus. 2. Cor. 1. Speramus in Deum viuum qui ſuſcitat mortuos. Huius fidei nos quidem vix vnicam ſcintillam habemus. Tam diu enim credimus, quandiu mortem non ſentimus, vbi ea apparet, ſtatim pauor & horror ſubſequuntur.

Illud igitur admirandum, eſt, & rationi impoſsibile creditu. Quod Deus poſsit & velit mortem abolere, & mutare in vitam. Sed hoc multò mirabilius, quod Abraham & Iſaac perſuaſum habuerunt iſtam totam actionem eſſe ludum & non mortẽ. Ac Deo quidem mortem ludum eſſe quiuis facile credit, ſed ſi idem mihi, & in meo corpore ſtatuendum ſit: mortem non eſſe mortem: Hoc nec Medicus, nec Philoſophus, nec Iureconſultus vnquam perſuadebit.

Quis enim iſta coniunget & conciliabit: Mors non eſt mors, ſed vita: Moſes ipſe contrarium affirmat. Si enim legem audias dicet. Media vita in morte ſumus, iuxta veterem illam & piam cantionem in Eccleſia, ſed eſt legalis tantùm. Euangelium autem & fides, inuertunt hanc cantionem & ſic canunt: Media morte in vita ſumus, te redemptorem laudamus, ſuſcitaſti nos de morte & ſaluaſti nos. Quia Euangelium docet, quòd in ipſa morte ſit vita, quod legi, & rationi ignotum & impoſsibile eſt. Hinc Paulus triumphat Coloſſ. 2. expolians principatus & poteſtates, oſtentauit eas palàm. Item. 2. Cor. 6. Quaſi morientes & ecce viuimus. Hæc fidei vis eſt, quæ ita mediat inter mortem & vitam, & tranſmutat mortem in vitam, & immortalitatem, quam ſcit donatam per Chriſtum.

Id Deus oſtendere voluit hoc facto, tanquam ſpectaculo quodam, mortem coram ipſo nihil eſſe præter ludum, & inane terriculamentum generis humani, imò vexationem quandam & tentationem, veluti ſi pater aliquis cum filio ludat, auferat ei pomum, & interim cogitet de hæreditate integra ei relinquenda. Sed difficile id creditu eſt, ideo gentes, quæ ignorant hanc voluntatem Dei, quam reuelat in verbo ſuo, nihil prorſus ſperant. 1. Theſſ. 4.

Chriſtiani autem qui habent verbum, omni ſtudio id audire & meditari debebant, quo excitarentur corda eorum, vt quantumuis grauentur peccati, & Satanæ impedimentis, tamen aſſurgant in gloriam & cognitionem mentis diuinę & immortalitatis, vt poſsint credere veram & immotam hanc ſententiam eſſe. Mors eſt ludus, id quod credidit & ſenſit Abraham, & vicit mortem hac fiducia. Sic enim animum induxit ſuum. Filius meus Iſaac quem iugulo, eſt pater promiſsionis, quæ propoſitio ſimpliciter vera eſt: Ergo filius viuet in æternum, & erit hæres. Etſi igitur iam moriendum ei eſt, tamen reuera non morietur, ſed reſurget.

Fides igitur conciliat contraria, nec eſt ocioſa qualitas, vt Sophiſtæ dicunt: Sed virtus eius eſt mortem occidere, infernum damnare, eſſe peccato peccatum, Diabolo Diabolum, adeo vt mors non ſit mors, etiamſi omnium ſenſus teſtetur adeſſe mortem. De hoc Abraham certiſsimus eſt, & cogitat: Redigo filium in cinerem, tamen non moritur. Imò iſti cineres erunt hæres. An non id ludere eſt in tam magna & ardua cauſa: in qua omnes hominis bis pueri ſunt.

Hæc verò non propter Abraham ſcripta ſunt, qui iam defunctus eſt: Sed ad confirmandos nos & animandos, vt diſcamus apud Deum mortem eſſe nihil, & canamus: Media morte in vita ſumus, quem laudabimus niſi te Deum noſtrum. Hæc Euangelica cantio, altera legalis eſt. Patriarchæ & ſpirituales homines præclarè iſta intellexerunt. Nos quotidie iſta tractamus & magna luce. Sed quotuſquiſque eſt qui credat aut attendat? Ac ſanè tales nihil diſperant, ab iis qui non audiunt. Imò rudientes non audiunt, quia ſunt mortui in peccatis, & in auaritia. Horum ſimiles fuerunt etiam veteri Teſtamento, ſcribæ, ſacerdotes & impij qui hæc non intellexerunt. Sed Dauid, Eſaias, Samuel, Ieremias habuerunt intellectum Spiritus Sancti, & potuerunt hoc videre: quod Iſaac & pater Abraham morientes, tamen viuunt.

Abraham

Abraham septies hîc occidítur, & tamẽ manet in vita, & quidem corporali, vno momento Abraham pater & Isaac filius occiduntur & viuunt.

Ista nos non assequimur, & tamen cogitanda sunt, vt assequamur quantum possumus. Ego sanè tarditatem meam agnosco, meus asinus infrà resistit, nec potest ascendere in montem. Sic omnes qui non sunt eruditi in doctrina fidei, manent asini, non possunt istas cogitationes apprehendere, quod mors sit vita. Sic Petrus negans Christum in periculo mortis, ignauum pecus fuit, imò ne asini quidem similis. Non solùm enim non consistit infra montem: sed resilit prorsus & fugit.

Meminerimus igitur hoc spectaculum, quod Moses proposuit, & lusum illum diuinæ maiestatis in morte, vt discamus credere, mortem esse vitam. Quot enim quæso sunt qui hoc sciunt? Vide quid faciamus, quando aspicimus, aut adsumus ijs, qui animam agunt, aut cùm nostra vita periclitatur. Si ita adfecti essemus, quemadmodum Abraham & filius, diceremus: Non moriar, sed viuam, Castigando quidem castigauit me Dominus, sed morti non tradidit me, etiamsi sepeliar, & corrodar à vermibus, tamen viuam. Atqui morieris? obijcit caro. Non, sed castigatio est.

Hæc discamus nos quoq; vt possimus in media morte dicere: Ade laub vñ graß. Non moriar, sed viuam, sicut Isaac quando petebatur eius iugulum. Quod si adhuc pauemus & trepidamus cogitatione & conspectu mortis agnoscamus inscitiam nostram, nec gloriemur nos esse Theologos.

Videre mortem possunt omnes homines, Gentiles & impij intelligunt, quod mors sit mors. Hæc autem Christianorum sapientia & doctrina Ecclesiæ peculiaris est, quam Abraham tenet: Ego occidens filium habeo eum viuentem. Et Isaac: moriens non moriar, vtcunq; iugules & in cineres me redigas, fiam quidem cinis; nihilominus tamen viuam, & generabo hæredes totius orbis terrarum.

Rectè verò antè dictum est: Illi duo simul pergebant. Nam in toto mundo cogitatio ista de morte non fuit, præterquam in istis duobus. Iugulandus cogitauit: In manus tuas commendo Spiritum meum, Non moriar, sed viuam, & redibo, quia Deus non mentietur. Filius promissionis sum: necesse igitur est vt generem liberos, vel si cœlum ruat. Vide an non sit hoc mori certa morte, & tamen certiore vita viuere? Hinc Prophetæ in scriptura sancta passim prædicant resurrectionem mortuorum. Et hic locus manifestè ostendit resurrectionem etiam in hanc vitam corporalem, quanto magis in futuram?

Manant autem hæc omnia ex primo præcepto, Ibi enim est doctrina fidei & resurrectionis mortuorum. Ego creator omnipotens cœli & terræ, sum Deus tuus, id est, tu debes viuere ea vita qua ego viuo. Si cum bobus loqueretur hæc in æternum viuerent. Nobis autem nobis inquam, hæc dicuntur. Non illud: Tu debes comedere paleam, triticum, gramen, sed sum Deus tuus.

Porrò Deum esse, est liberare ab omnibus malis, quæ nos premunt, vt sunt peccatum, infernus, mors, &c. Sic enim Prophetæ inspexerunt & interpretati sunt hæc verba. Gentiles tantùm Deum creantem norunt. Sed in primo præcepto inuenies Christum, vitam, victoriam mortis, & resurrectionem mortuorum in vitam æternam, totum denique vetus & nouum Testamentum. Illi verò soli hæc vident, qui habent Spiritum Sanctum, & attendunt quid Deus dicat & faciat, Alij, etiamsi assiduò ista audiunt, tamen nihil curant.

Sint igitur hi duo: Abraham & Isaac huius articuli de resurrectiõe mortuorum exempla. Quia ambo credunt, quod Deus non solùm possit, sed certissimè velit resuscitare mortuos, & quod agat cum hominibus de occidenda morte, quæ tamẽ ipsi non mors est, sed somnus, qui est quasi frater & consanguineus mortis. Quando enim homo sepelitur, Deo non est mortuus, sed dormit.

Sic potest dici de Isaac, quando redigitur in puluerem vnde sumptus est, non est cinis mortuus, sed filius promissionis generans reges. Sic de nostris mortuis & corporibus cogitemus. Istud pabulum vermium, non manebit puluis, sed reuiuiscet, quia audiuimus scripturam dicentem, quod mors coram oculis Dei pueriliis quidam lusus sit, & omnibus Christianis etiam talis, qui credunt in Deum, viuificantem mortuos, & reputantem defunctos pro viuis.

Hæc est doctrina Christiana & sapientia Dei, scientia sanctorum, sublimis cognitio supra captum mundi: Mors vbi stimulus? Vbi victoria tua? Media morte in vita sumus: Non moriar, &c. Qui hanc artem nouit, gratias agat Deo. Sed danda est opera, vt non solùm speculatiuè in ore, sed virtualiter eam & toto pectore teneamus.

Quod si quæritur vnde hanc sapientiam hauserint Patres: respondet Paulus: de comitante populum in deserto petra spirituali, hoc est, ex agnitione Christi promissi liberatoris.

Lex & sapientia carnis hæc non intelligunt: Sicut tunc spectaculum illud duorum fuit absconditum toti mundo: Deo autem & Angelis notum & longè iucundissimum. Hominibus & Dæmonibus horrendum & expauescendum. Quia Diabolus cùm videt hominem in fide agẽtem, tenetur, iuxta illud. 1. Cor. 4. Facti sumus spectaculum mundo & Angelis & hominibus. Id si de malis Angelis intelligitur, horribile spectaculum est. Si de bonis, est iucundum spectaculum, vt. 1. Pet. 1. dicitur In quæ desiderant Angeli prospicere. Libenter enim inspiciunt Deus & Angeli illa miranda opera: victoriam mortis, destructionem peccati, Isaac redeuntem & resuscitatum ex cinere, & ex nihilo factum patrem Gentium.

Magna enim lux fidei fuit in illo adolescente. Credidit in Deum creatorem, qui vocat ea quæ non sunt, vt sint, & iubet cinerem, qui non est Isaac, vt sit Isaac. Qui enim hoc credit: Deus est creator qui ex nihilo facit omnia, necessariò concludit. Igitur potest Deus mortuos suscitare. Quid incredibile iudicatur apud vos? Si Deus mortuos suscitat inquit Paulus Actor. 26.

Id ergo agitur istis exemplis, vt discamus credere vitam & mortem iuxta esse pijs. Si viuunt, moriuntur, si moriuntur, viuunt: sicut docetur per totum nouum Testamentum, & ostenditur, omnia Christianorum opera esse miracula. Psal. 4. mirificat Dominus Sanctum suum. Item, Iohan. 14. Maiora his faciet, qui credit in me, & ego vado ad patrem vt sim omnipotens in vobis. Ista mirabilia opera terrent Dæmones exhilarant Angelos, consolantur pios.

Impius verò tollatur ne videat gloriam Dei. Quia mundus non videt spiritum veritatis, nec cognoscit Iohan. 14. Vos autem videtis, quia in vobis est & manet. Videbant quidem Iudæi Christum resuscitantem Lazarum, Petrum sua vmbra sanantem. Sic nostri aduersarij vident nos velle consulere omnibus hominibus Euangelio, cernunt item opera nostra dilectionis, humilitatis, patientiæ. Sed videntes non vident: Etiamsi Spiritus Sanctus eiusmodi opera exhibet, quæ in ipsos oculos, & in aures manifestè impingunt, vt palpari possint manibus, tamen non vident. Ideoque nos blasphemant, & spiritum qui in nobis loquitur & operatur, & clamitant esse Diabolica omnia.

Atqui clarè eorum oculis expositus est Spiritus Sanctus, cernuntur eius opera & mirabilia in verbo, & sacramẽtis, vt vel lapides, nisi sensu carerẽt, videre & testari possent, tamen nõ videt. Quare? Quia Christus dicit: Mundus non potest eũ capere.

Qui autem potest credere iuxta primum præceptum, quòd Deus sit creator cœli & terræ, is non disputabit, nec dubitabit de resurrectione mortuorum. E contra qui non credit, quod Deus possit & velit suscitare mortuos, ille nihil prorsus credit, sicut Papa, Cardinales, Episcopi, non credũt resurrectionem mortuorum, ideo infallibili consequentia

cõsequentia colligitur, quòd non credant esse Deum, quia negant eius opera, nihil credunt de eius maiestate & potentia quę conspicitur in resurrectione mortuorum.

CONSOLATIONES CONTRA HONINEM ET FVGAM MORTIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 308. Matthæ. Cap. 9. Hoc est omnium lætissimum, quòd Christus mortem ipsissimam sic ridet, & vocat eam claris verbis somnum. Hic locus valde insignis est, quod Dominus ipse rerum, vocat mortem aliud nihil quàm somnum, Quæ est consolatio mirifica omnibus fidelibus. Nam Christus hîc non solùm Puellam mortuam dormire, sed facto ipso quoq; ostendit, Mortuam dormire, quia alloquitur eam facilibus verbis, velut dormientem excitans. Hanc sapientiam nulli Philosophi assecuti sunt, Et cùm infinitæ apud eos sint opiniones, hîc vno verbo solluuntur omnium quæstiones, scilicet, dormit, O dormit, Mors vbi es? Mors non est mors sed dormitio apud Christianos, Imò locus sepulturæ Christianorum vocatur κοιμητήριον, id est, dormitorium. Sic non possunt Gentes appellare sua sepulchra, soli Christiani dicunt, sepulchrum meum est meus lectulus, meum dormitorium. Non morior sed dormio, Iohan. 11. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Et Lazarus dormit, &c.

Vides autem hîc, quòd sint impedimenta huius fidei de vita æterna. Nam hoc quod hîc geritur in puella suscitanda, hoc etiam in quolibet fideli agitur morituro. Primò, est desperatio, quasi non victuri in æternum. Ad id consonant turbæ (ideo exempla totius mundi) quæ dicunt: Quid tu vnus dubitas? quum sis, sicut omnes nos, in æternum mortuus? Secundò, Tubicines etiam rident promissiones vitæ, hoc est, lex & sapientia carnis dictat, mortem esse mortem, contrà promissiones vitę æternę esse nihil & merè frustra, Quia lex occidere nouit & aliud nihil, sic enim conscientia sentit. Ideo hîc in istud verbum Christi (dormit) tot turbis & scandalis obrutum, est acriter intendendum, Et contra tibicines, contra legem, contra omnia argumenta conscientiæ, in os Christi intendendum & hærendum, dicendo. Ecce iste dicit, quod dormiat, non curo quid obstrepent vniuersæ cogitationes, Nihil audio inter tot turbas, nisi illum vnicum, qui obscurè auditur præ turbis, sed mihi clarè sonat dicens: Cedite, dormit puella, imò non est mortua.

Hæc sunt verba digna tali Doctore, Et ipse dignus cui credant fideles. Ipse debet dicere, Mors mihi non est mors, sed somnus, Mihi nemo moritur, sed omnes dormiunt tantùm, Nos debemus respondere amen, **Mein herr** / credo **hilff gelcuben mein** Christe, Tu non mentiris, Tantùm est, vt ego mihi non mentiar, & fortiter credam, me non posse mori in æternum, sed quòd morior, hoc est, quòd ad tempus dormiam, verùm tu da hanc mihi fidem: Tu dic istis turbis & tubicinibus cedite, vt cedant, vt cessent meam hanc fidem turbare & ridere. Nisi tu dixeris eis vt cedant, ego non resistere potero. Interim credam me morientem non mori, sed sopiri, me mortuum etiam viuere. Quia tibi viuo cui credo. Et viuificas qui dicis de me, Non est iste mortuus, sed viuit mihi, dormiens interim, donec eum suscitem, vt etiam sibi viuat. Et vtinam (vt textus dicit) hæc fama virtutis Christi suscitatoris emanaret in omnẽ terram, imò in omnium corda, vt omnes crederent eum esse talem, qui nos mortuos habet pro viuis, & à somno excitandis, vt lęti contemneremus mortem, securi quòd ipse non mentitur, excitaturus nos, qui nobis videmur mortui, at illi dormientes sumus.

Genes. Cap. 23. Tom. 2. fol. 217. Et mortua est Sara, &c. Pertinent hęc non tam ad Saram, quæ iam defuncta est, quã ad nos qui sumus adhuc superstites. Maxima enim consolatio est audire exitum & mortem istius sanctissimæ Patriarchæ & omnium

patrum, quorum collatione nos nihil sumus, nihil differre à nostra morte, sed æquè deformem & ignominiosam fuisse, ac nostra est. Corpora eorum sunt sepulta, corrosa à vermibus, defossa in terram propter fœtorem, non aliter ac si non fuissent sanctorum exuuiæ, cùm tamen fuerint sanctissimi homines, & quamuis defuncti, tamen verè in Christo viuunt.

Propter nos igitur hæc scribuntur, vt sciamus sanctissimos patres & matres eadem passos, quæ nos pati solemus, de quibus tamen certum est, quod in oculis Dei viuant, & quos ego credo resurexisse cum Christo, Abraham, Isaac, Iacob, Adam, &c.

Atq; hęc videtur fuisse causa Abrahamo, cur tantopere laborauerit de sepultura, ne mortua sua Sara sepeliretur in aliena terra. Sicut idem de Isaac postea audiemus: Iacob item & Ioseph noluerunt in Aegypto sepeliri sed in terra Canaan.

Hęc cupiditas argumento est, indidisse eis Deum hunc animum, vt cuperent & vellent sepeliri in hac terra sibi promissa, certa spe resuscitandos se esse cum Christo. Ideo ibi locum sepulchri esse voluerunt, vt non procul à venturo semine quiescerent. Hebron enim distat duobus aut tribus milliaribus ab Hierosolyma. Igitur haud dubiè cum Christo resurexerunt, nobis in consolationem, ne timeamus mortē quando videmus illam horribilem figuram corporum nostrorum post mortem.

Hi qui nullam spem habent resurectionis futuræ. 1. Thess. 4. nihil curant, nec cogitant de futura vita. Nobis verò hæc scripta sunt, vt recordemur quomodo ab initio mundi omnes sancti extincti sint, & redacti in eosdē fœtores & cineres, sicut 1. Cor. 15. Paulus ait: Seminatur in ignomina, eandem corruptionem & ignominiam passi sunt, non obstante eo, quòd fuerunt sancti carne & spiritu.

Sic enim visum est Deo, ex vermibus, ex putredine, ex terra corruptissima & plena fœtoris, excitare corpus pulcherrimum, supra omnem florem, balsamum, solem ipsum & stellas.

Hęc ideo moneo vt adficiant nos exempla istorum sanctorum. Nam qui infirmi fide sunt magis mouentur, & dulciùs quasi trahuntur ad consolationem hisce exemplis inferioribus, quàm exemplo Christi. Quia enim Abraham, Isaac, Iacob, Sara, sic moriuntur, cogitat pius animus, quamuis infirmus adhuc, cur ego recusem, aut abhorream à communi omnium sanctorum sorte?

Infirmis enim incurrit in oculos, nō tam inbecillitas propria, quàm horribilis illa species cadauerum. Ideo cogitant: Si haberem tale corpus, quale Christus habuit, quod mors non potuit corrumpere, nec vermes arrodere, maiore animo summum diem expectarē. Mors Christi quando in exemplū proponitur, videtur quodammodo non esse mors, quia tertia die resurexit. Magis igitur adficiuntur, & confirmatur infirmi, quando vident corruptionem corporum Patriarcharum similem esse nostræ corruptioni.

Sed qui sunt fortiores in fide, contemnunt simpliciter mortem, & ei superbè illudunt & insultant. Quid est mors? inquiunt, Quid infernus? Christus filius Dei mortuus est, & sub legē factus, is moriendo mortem deuicit, & vitā nobis restituit.

Si sic firmi essemus, & indubitanter credere possumus Christum pro nostris peccatis esse mortuum, & resurexisse ad nostram iusticiam & vitam, nihil terroris aut pauoris in nobis hæreret. Est enim nos Christi Sacramentum quoddam certificans nos, mortem nostram nihil esse. Sed infirmi magis exemplis mouentur, quàm Sacramento: Magnitudo enim personę Christi, facit vt non tam facile penetret animos, & persuadeat contemptum mortis.

Hæremus igitur in similitudine exemplorum, sicut ipse ego aliquando plus delector exemplo Saræ, quàm Christi. Causa est infirmitas fidei: Dulcius arridet & magis consolatur me mors Saræ, cùm sciam fuisse sanctissimam fœminam, & tamen audio tam

audio tam turpiter mori, sepeliri, obliuioni tradi, tanquam raptam à conspectu, non tantùm hominum, sed & Dei & Angelorum. Id si ipsi contigit, non mouebor, etsi mihi idem accidat.

Sed quibus plus animi, roboris & fidei est, amplectuntur Sacramentum & quia credunt pro se filium dei esse mortuum, insultant morti, & ludibrio habent Satanam & infernum. 1. Cor. 15. Mors vbi stimulus tuus? Colos. 2. Expolians principatus, &c. potestates traduxit confidenter, palàm triumphans de illis in semetipso. Ibi Paulus admodum ridiculè & contemptio de morte loquitur.

Quia Christus illi non solùm est exemplum, sed etiam Sacramentum, quod plenius & multò sublimius est exemplo. Quicquid enim deest in exemplo, multiplicitèr & in infinitum supplet Sacramentũ. Sara non est pro me mortua, nec potest mihi vitam conferre. Hæcautẽ maiestas & pondus est Sacramenti quod habet vim viuificatiuam, quæ mihi reddítura est vitam in resurrectionem mortuorum.

Sarræ exemplum est quasi Rhetorica, trahens, allíciens & suadens contemptum mortis. Sacramentum verè id facit & operatur in meo corpore, quod in Abrahamo & multis sanctis resuscitatis factum est. Ideo exempla non sunt reijcienda: quia suauiter Rhetoricantur, sed Christi exemplum, quia simul est sacramentum, est in nobis efficax, non tantùm docet sicut Patrum exempla. Sed efficit id quod docet, dat vitam, & resurrectionem & liberationem à morte.

Sanctorum exempla docent moriendum esse, & persuadent vt mortem æquo animo feramus. Christi autem exemplum vltra hoc dicit: Surge, sis viuus in morte, putredo tua fiet clarior & speciosor sole, Quia est Sacramentum, quod testatur & certos nos facit, non tantùm docet aut suadet, sed necessariò probat & concludit Christi mortem nobis largiri vitam.

Genes. Cap. 37. fol. 16. Tomo. 4. Ex hac vita discessurus hac consolatione me sustento, quod credo in filium Dei. Atqui sepelior, corrodor à vermibus & putredine fœdissima absumor, sicut ait Hiob cap. 17. putredini dixi, Pater meus es, mater mea & soror mea vermibus: Ibi consilium Dei non cerno, quod morienti & putrefacto mihi sit aliquando reuiuiscendum, sed promisit Deus & dixit: Tu viues. Ego enim viuo & vos viuetis. Ego sum Dominus Deus tuus. Quomodo? Vita æterna & corpore pulchriore & clariore, quàm est corpus solis. Hæc in præsentia nec video nec sentio, sed credo & sustineo moram hanc admodum exiguam: iam enim parata est vita, illa & paratur interea corona regni & gloriæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex vt inquit Paulus, non solùm aũt mihi, sed & ijs qui diligunt aduentũ eius.

Sed hæc omnia fiunt occulto modo, ideo ferenda & sustinenda est mirabilis, Dei abscõsio.

Genes. cap. 49. Tom. 4. fol. 191. Papa ad purgatorium remittit adflictas conscientias, neque quicquam certi de salute earum promittit, sed contritionem, confessionẽ, & satisfactionẽ exigit, si fortè illis Deus flecti & reconciliari queat. **Dein rew möcht so groß sein / Gott möchts ansehen.** Ita relinqui animos in perpetua dubitatione, ac tandem ad desperationem ac odium Dei adigit.

Nos igitur ad hunc modum erigimus pauidas mentes: Crede te baptisatum esse in Christum. Ego absoluo te à peccatis in nomine Christi, pro te mortui & resuscitati, qui dixit: Ego viuo, & vos viuetis. Hæc solida & firma consolatio est, qua sola possunt acquiescere pij. Ideo Diabolus eam perpetuò impugnat. Sicut nuper asini Louanienses ausi sunt defendere purgatorium ęditis articulis sub sigillo Imperatoris Caroli, quibus stupiditatem & amentiam suam produnt, ac manifestè declarant Deum ipsorum cæcitatem centuplicasse, cùm extinguere conentur lucem illam promissionis, quam Deus mirabili bonitate & misericordia rursus accendit in Ecclesijs nostris.

Diligenter igitur hæc verba fidei plenissimè & perfectè obseruanda sunt quibus statuit Iacob se & posteritatem suam Deo curæ fore, etiam in exilio & morte, vt opponantur dubitationi, quã adferunt Sophistę pontificij. Morior quidē inquit, sed non vt Epicuri de grege porcus, quasi nihil aliud in me sit, nisi mors & cadauer, imò prædico vobis vera & immota fide Deum viuere, & vobis viuentibus, ac mihi mortuo adfuturum esse, quia credo in eum.

Vnde apparet fidem nihil aliud esse, nisi vitam veram in ipso Deo, & ex his verbis discenda est vita æterna, & resurrectio mortuorum. Ego morior, sed Deus viuit. Sic non loquuntur Epicuræi aut desperabundi. Sed est vox credentis & expectantis certissima fide ac spe vitam futuram, & resuscitationem à mortuis. Nec mihi, inquit, nec vobis mea mors nocebit, quia Deus erit vobiscum & mecum, imò ego ero cum ipso. Adeo certus est Deum ipsos consolaturum, & reducturum in terram Patrum, quasi iam vna omnes ascenderent, & res ipsa coràm ob oculos posita esset.

Tanta vis est fidei, quæ nos viuos facit ex mortuis. Ac sanè ea ipsa hora qua incipimus credere & verbum apprehendere, etiam viuere incipimus vita æterna, quia verbum Domini manent in æternum, & Deus qui loquitur nobiscum, æternus est, & nobiscum erit perpetuò. Proprius igitur sibi coniuncta sunt mors & vita, quàm non possumus perspicere. Iacob enim moritur, sed mors est proxima vitæ, imò est vita præsentissima. Econtrà Adam in Paradyso viuebat ignarus mortis, tametsi præ dixerat Deus, quàm propinqua ipsi esset mors, quocunq; die comederis ex eo, morte morieris. Non autem poterat credere, cùm adhuc sentiret vitam & bonum, nec dum malum experiretur. Sed Deus eum admonet de vtroque. Quasi dicat, Vitam sentis, mortem non sentis, malum impendens non vides, sed caue: certè mors non procul abest. Scias enim ea ipsa die te moriturum, qua comederis ex arbore, adeo propè & prorsus vicinæ sibi sunt mors & vita. Sed non poterat ei hoc persuadere, neque vnquam moriturum se statuebat. Regnabat ibi fides, ideo non metuebat mortem.

Sic nos sumus in morte, videmus nos mori & exhalare animam, corpus putrescere & consumi à vermibus, tamen quod Adam in vita hoc nos in morte facimus. non credebat tam vicinam esse mortem, sed erat securus, & securitas eius & superbia sancta erat & gloriosa, sine omni sensu mali & perditionis. Ita nos contriti & humiliati sumus in morte, & tamen vitam æquè vicinam habemus atque Adam mortem habuit. Quia certa & infallibilis promissio est: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Ibi vita & salus nobis qui sumus in morte, proxima est, sicut mors Adamo vicina erat, sed qui credit, sicut hìc Iacob plena fiducia vitam sibi promittit, is mortem pro nihilo habet, quia fides repræsentat propinquissimam vitam, & sic statuit: quantumuis morior, tamen baptisatus sum & credo, igitur viuus & saluus sum.

Quemadmodum igitur Adam potuit gloriari se viuere, & tamen debuit credere huic verbo (Quacunque die comederis ex arbore, morte morieris) & mortem metuere: Ita nos econtrà mortem non pertimescere, sed vitam sperare debebamus. Deus enim qui dixit ad Adam: mors tibi proxima est, idem ad nos dicit: Vita, pax, salus, vobis vicina est. Nec potest mentiri aut fallere Deus, qui hæc nobiscum loquitur, verax est qui promisit, sicut inquit Paulus Tit. 1. Qui non mentitur Deus, quæ est vox fidei, habentis iam in se vitam, licet absconditam. Fides enim inchoat vitam, & habet eam in semetipsa.

Atq; hoc initium habemus, qui credimus, quod in ipso sensu mortis, eam tamen non formidamus, sicut alij qui cruciantur mala conscentia, etiam ad mortis vocabulum pallescunt. Pij verò & scancti martyres contemnunt & rident mortem. Sicut Agnes

Agnes cùm raperetur ad carcerem & supplicium, dicebat, non aliter se adfectam esse, ac si choreas duceretur. Vnde obsecro tantus animus puellæ non pauens, non trepidans, sed exultans, quasi ad lautissimas epulas adhiberetur? Non fuit Epicureus contemptus mortis, sed vera sapientia & intellectus, quo statuit vitam sibi esse viciniſsimam. Ideo Diabolum & mortem risit, & ludibrio habuit, quia fuit ei mors absorpta per vitam.

Hæc nostra Theologia est, quam docemus, diuersissima ab ea, quàm cæci & stulti Scholastici & Papistæ retinent, qui hęc prorsus ignorant, & fidem contemnunt.

CONSOLATIO CONTRA MORTEM TEMPORE PERSECVTIONIS.

Tom. 4. Ienens. fol. 315. Matth. cap. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eũ, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Consolatio est contra mortem, Hic iubet contemnere homicidas nostros superba fide in Deum, & valde extenuat & vilem reddit, munidi furorem & vim, quasi irridens eorum ferociam, dicit: Quid rogo, possunt qui vos occidunt, &c. Scilicet corpus occidere possunt, quod per se erat moriturum. Grandis verò potentia, occidere id quod iam moriturum est, ac planè iam mortuum est. Quis tales occisores formidet, qui non vitam tollere possunt, sed tantùm accelerare mortem, ac mortem solùm istius partis, quæ alias moritur? Nolite ergo timere eos, quia animam non possunt occidere.

Hic locus consolatione plenus est, & obseruatione dignus, scilicet, Quòd Christus hîc apertè confitetur, suos fideles viuere, nec posse occidi in æternum, etiam tunc cum corpore occiduntur. Viuit, inquit, anima vestra, imò vos viuitis etiam in ipsa occisione corporis vestri. Quia animam, inquit, non possunt occidere, At anima est vita corporis. Quid ergo possunt occisores? Animam, id est, vitam separare possunt à corpore, sed occidere planè non possunt, velint nolint anima viuit, nec occidi potest. Sicut si Cæsar morte ciuili occidat ciuem (vt Ouidium) id est, in exilium mittat, hic non occiditur persona secundum substantiam, sed secundum corpus, id est, secundum conuersationem politicam, id est, separatur à domo, coniuge, liberis, amicis, &c. Domus est mortua ei, non ipse ciuis, domus est deserta, sed ipse viuit. Sic Paulus dicit, se cupere peregrinari à corpore & esse cum Domino, id est, vellet esse corpore mortuus, & cum Christo secundum animam viuere.

Quomodo vero ista vita sese habeat, occiso corpore, credi potest, comprehendi non potest nec debet, sufficit scire, nos viuere, etiam occiso corpore. Quomodo autem viuamus nunc ignoramus. Quia ista vita est in Deo abscondita, sicut Habel vixit, occisus, & Cain viuum accusauit, sic Abraham viuit mortuus Matth. 22. Quia non est Deus mortuorum, sed viuorum, omnia enim ei viuunt, Ideo & nos cùm occidimur, tamen ei viuimus. Quæ cum ea sint cur timemus mortem, nos qui mori nõ possumus, sed necessariò immortales sumus? Et homicidæ nostri aliud non possunt, quàm animam, id est, vitam nostram separare à domo sua, scilicet à corpore, & expellere ex hoc mundo tanquam ex carcere, in locum suum, vbi in Deo semper viuit. Quare superbi estote & medium digitum ostendite istis vestris occisoribus, qui minantur plus quàm possunt, scilicet mortem, cùm tamen non posint mortem inferre, nec vitam auferre, sed tantùm vitam transferre in aliam domum. Hîc inferenda sunt exempla & dicta Sanctorum, qui mortem riserunt, vt Vincentius, S. Agatha, Athanasia, Lucia, S. Vincentius enim ridens occisores suos dixit, Mortem & cruces

Christianis esse quædam iocularia & ludicra, Et super prunas incedens gloriabatur se super Rosas ire. S. Agatha ad epulas & nuptias ire se dixit, cùm ad carceres & tormenta iret. Sic multi alij.

Miscet huic consolationi minas, dicens, per concessionem: Finge quòd timendi sint occisores corporis & eis cedendum, Quid prodest iste timor? Imò quid non noceat? Primùm, ex larua mortis veram mortem facit & ex occisione corporis, occisionem animæ infert, & sic ex momentanea & simulata morte, æternam & verã mortem facit. Ideo consulo vobis, vt auersis ab occisore tyranno oculis, illum intueamini, qui vtrumq; occidere potest in æternum. Si hunc spectetis, nihil erit in oculis vestris ille laruatus & momentaneus occisor. Sic S. Polycarpus dixit suis tortoribus: Iste ignis extinguitur (quo comburebatur) sed ille futurus non extinguetur, &c. Ideò cùm causa vestra sit iusta, Deum propicium habeatis, & vita vestra certissima æterna sit, fortes estote & contemptores, ne causa negata Deum iratum & æternam mortem inueniatis. Quid enim occisores illi prodesse possunt, si ipsorum gratia Deum offenditis, cùm nec vobis, nec sibijpsis vnum vitæ momentum possint præstare, sed omni momento vita, tam corporis, quàm animę vestræ, in solius Dei manu sit, sicut & illorum.

Cur ergo illum offendetis ęternum viuificatorem & mortificatorem, propter istos ad momentum interfectores, & nullo momento viuificatores? Sic legitur de quodã, qui cum quadraginta martyribus passus, in fine defecit & negauit, sed mox post negationem Spiritum emisit.

QVOD LICEAT LVGERE MORTVOS.

Genes. cap. 23. Tom. 2. fol. 218. 219. Venit Abraham, vt Moses inquit ad plangendum Saram: Non potest eam reuocare in vitam, nec vocat eam amplius vxorem suam, sed mortuum suum, quod admodum patheticum est. Obseruata est haud dubiè oculis & animo ipsius virtus, pietas, cõsuetudo totius vitæ, mores placidi & suaues, ingenium mite, reuerens & amans mariti, quæ omnia insignia in eo fuisse toties dictum est.

Sed quid hoc? Moses dicit venisse Abraham ad plangendum & flendum. Tantus ne vir plorauit, luxit, induit vestem lugubrem, incessit tristi & demisso vultu? Vbi ille victor, & triumphator tot exiliorum & peregrinationum, per Syriam, Aegyptum, & per totam terram Canaan? qui profligauit quatuor Reges, & Loth liberauit, filium dilectissimum obtulit, cuius nihil simile in vlla historia extat, voluit fieri mactator eius filij, qui erat spes futuræ posteritatis & promissionis, atque ita illum summum adfectum fortiter vicit & occidit. Quare ergo flet? Quare hic non virum se præbet? Non aliter se gerit, ac si absque illo tanto spiritu, & motibus heroicis esset, non exercitatus vllis vnquam periculis, aut aduersitatibus.

Respondeo. Probat hoc exemplo scriptura sancta, Deo non displicere, plangere aut flere mortuos parentes, coniugem aut amicos. Imò vicium est non flere, sicut mundus qui totus est leprosus ἀστοργίαν, quæ est non moueri adfectu & amore coniugis liberorum, aut propinquorum, appellat fortitudinem. Sed insania est & furor, non virtus.

Sancti Patres fuerunt tenerrimi homines, & natura puriores, ideoq; στέργας excellentiores habuerunt, quàm alij insensati. Quò enim sanctior quis est, & quò propius Deum cognoscit, hoc magis intelligit, & adficitur creaturis.

Ad luctum autem pertinet, vt ex animo doleas & tristeris, adeò vt tristis vultus, lachrymę, gemitus, ploratus dolorem ostendant. Ideò clarè scribit Moses, & commenda

mendat in Abrahamo planctum & fletum. Ac vide quomodo ploret Iacob propter Ioseph. Moti igitur sunt sancti Patres, humanæ naturæ casibus & calamitatibus, fleuerunt cum flentibus, non fuerunt stipites & trunci, sed habuerunt motus & adfectus tenerrimos. Quia habuerunt agnitionem Dei. Qui autem cognoscit Deum, etiam creaturam nouit, intelligit & amat. Quia diuinitatis vestigia sunt in creatura.

Cùm in principio crearet Deus cœlum & terram, primum vestigium patris erat substantia rerum, postea accessit forma, Tertiò bonitas, Istam differentiam in creaturis, obseruant soli pij, impij non agnoscunt, neq; enim Deum, nec creaturas norunt: multò minus vsum earum.

Pertinet autem ad vsum rei Spiritus Sanctus. Qui vsum rei videt, Spiritum Sanctum videt, qui formam rei siue pulchritudinem cernit, filium videt. Qui substantiam & durationem rerum considerat, videt Patrem. Hæc tria non possunt separari, substantia, forma, & bonitas.

Auarus verò tantùm videt in pecunia substantiam, figuram, pondus: non autem quod sit vestigium filij animaduertit, nec vsum rei, hoc est, ad quid prosit cogitat, nimirum ad gloriam Dei principaliter, deinde, ad vtilitatem proximi. Impij non cernunt bonitatem rerum, tametsi substantiam & formam aliquo modo aspiciunt. Sic ἄστοργος non videt vsum coniugis aut liberorum.

Abraham autem intellexit in quem vsum data sit ipsi Sara, non ad libidinem, sed in adiutorium regendę familiæ, generationis, & educationis liberorum. Impij quia hoc non intelligunt, non adficiuntur, sed tantùm saxa sunt. Ac sanè stupor & astorgia talis, signum est leprosæ naturæ.

Scribuntur ergo hæc in commendationem Abrahæ, & vt discamus laudabile esse plorare pro amicis. Sicut suprà cap. 19. plorauit pro Sodomitis quamuis frustra. Quia cum simus homines, sentire nos oportet inclinationem conditam à creatore, & inditam cordi nostro, ne simus bestijs similes.

Diligenter igitur notanda est hæc descriptio Patriarcharum, quos ita ob oculos nobis posuit scriptura sancta, quòd sint similes nobis, moueantur humanis adfectibus, loquantur sicut homines. Quia humana loquela, adfectus, cor & anima sunt creaturæ Dei, licet per peccatum originale viciata.

Spiritus Sanctus laudat naturales adfectus, & quidem in summis viris, qui fuerunt clari virtute, pietate & rebus gestis: Non fuerunt stipites aut trunci, aut τετυφωμένοι, quales non mouentur vlla re siue læta, siue tristi. Piorum est adfici, calamitatibus, gaudijs, fortuna bonorum, & dolere etiam de aduersariorum periculis, & hosce adfectus gubernat in pijs Spiritus Sanctus.

Sicut ergo quilibet alius dolet de amissa vxore, sic & Sancti luxerunt suorum interitum. Et est honestus & pius luctus. Alij non lugentes, gloriantur de quadam fortitudine & constantia animi, hodie ἄστοργοι sunt, & imperiti, & negligentes rerũ, hoc est, creaturarum Dei. Luget igitur Abraham, quia amisit Saram coniugem suam piam & honestam matronam, quæ rexit familiam & totam domum, satis magnam & amplam amisit lucernam domus suæ, quæ domesticis præluxit omni genere virtutum, fuitq; regina reginarum, & mater matrumfamiliâs. Hæc de adfectibus humanis & luctu, de defunctis præsens exemplum Abrahæ docet.

QVID AGANT VEL PATIANTVR MORTVI DONEC VENIAT FILIVS HOMINIS, & de Purgatorio.

Genes. Tom. 4. Ienens. fol. 367. 368. Matth. cap. 16. Quæstio, Quid faciunt vel patiuntur

patiuntur interim mortui, donec veniat filius hominis? Certè de his qui sine dolore moriuntur, nec mortem gustant, non est dubium, quin interim donec Christus venerit, nihil mali patiantur. Quia necesse est Christum hic vera dicere, Mortem non gustabunt, donec viderint, &c. Idem testatur etiam Esaias cap. 57. Ante faciem calamitatis tollitur iustus, intrant in pacem in cubilibus suis recti. Et hoc satis est scire de sanctis, qui dormiunt in Christo. Nam quæ sit ista pax & securitas ipsorum, nos non possumus intelligere, Et sine verbo Dei temerarium est asserere, quod nobis videtur bona consequentia trahi. Non enim sequitur, Petrus viuit, ergo comedit & bibit, Anima eius viuit, ergo credit vel sperat. Potest enim viuere & neq; comedere neq; bibere, sed dormire, vel aliud quod nesciam facere. Sic de alijs.

De ijs verò, qui non sine dolore moriuntur & gustant mortem, quid dicemus? Hic Papistæ facerent duos ordines. Vnum damnatorum, qui perpetuo manent in gustu, seu potiùs ebrietate mortis, id est, qui cum diuite Epulone in inferno torquentur. Alterum saluandorum, qui in purgatorium vadunt, gustaturi mortem ad tempus, donec liberentur. Sed de Epulone nihil ad propositum nostrum, quia hîc de saluandis loquimur. Nam siue damnati mox incipiant suum infernum, siue in die iudicij, nihil ad quæstionem & ad nos, cùm sint iudicati suo iudicio æterno. De alijs verò, quia purgatorium probari non potest certa autoritate scripturę aut patrum (quam Patrum autoritas in tanta causa non sit satis) sine periculo licet sentire. Quod post gustum mortis, soluto corpore, desinant gustare mortem, & requiescant etiam ipsi tunc in pace & securitate vsq; ad Christum iudicem. Ad quod satis alludit, illud Apocal. 14. Amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis. Loquitur enim de ijs, qui in domino moriuntur, siue cum gustu mortis, siue absque gustu mortis. In Domino enim mortui salui sunt. Quare si requiescunt, vt textus dicit, sequitur nullum esse purgatorium. Nisi velis dicere eos qui cum gustu mortis moriuntur, non in Domino mori, sed in Diabolo, & extra ac contra Dominum mori, sicut ille Epulo. Si autem in Domino moriuntur (etiam cum gustu mortis) certè requiescunt à laboribus suis, multò magis à cruciatibus suis, Aut nega verba Apocalypsis.

Purgatorium à me assertum iactant Papistæ & Antilogistę, Et ad hucusque assero, sed illud, quod in Psalm. frequentatur, vbi sancti laudãt Deũ, quòd ab inferno inferiori, de tenebrosis & vmbra mortis, de manu inferni, de periculis inferni, de finib. & portis, mortis & quæ sunt similia libertati sunt, sed non sacrificijs, aut operib. sacrificulorum, pessimorum, impurissimorum, impijssimorum hominum, qui suas Missas pro pecunijs scelerate vendiderunt, & operibus operatis Deum & homines deriserunt. Denique hoc purgatorium non est fictum purgatorium (quale est ipsorum) opinionibus assertum, sed res ipsa & nimium serium, his qui cum Prophetis & sanctis omnibus in schola Christi discunt hanc duram lectionem, deducit ad inferos & reducit, mortificat & viuificat. Sed satis aliàs de purgatorio Papistico & mendaci dixi. Nam patres, quos iactant, non habuerunt cogitationes istorum pessimorum hominum, nec docuerunt, multò minus sperauerunt, fore aliquando vt docerentur in Ecclesia.

At Abraham & Lazarus certè viuunt, & Epuloni videntur, & inuicem loquuntur? Respondeo, Viuunt vtiq;, sed qua lingua loquantur, quibus auribus audiant, quibus oculis videant, qualia sint brachia & sinus Abrahæ, quis intelligit? Cùm corpora ipsorum cum suis membris iaceant in sepulchro redacta in pulueres, denique quis nouit, quale sit illud tempus, cùm non sit hoc nostrum sub Sole tempus, ex quo sunt translati. Quicquid sit hoc satis est nosse, Abraham & Lazarum esse in pace & quiete. Quare ex ista visione non probatur Purgatorium illorum, qui obdormierunt in Domino,

DE STATV

DE STATV ANIMARVM POST HANC VI-
TAM DE PVRGATORIO, INFERNO ET VITA AETER-

na ex Geneſi. Tom.2.cap.25.fol.253.254.255.

Hic articulus nobis ſit perſuaſiſsimus, quod non tranſeamus à ſuaui vita ad calamitoſam, ſed ex adflictionibus ad quietem. Eam enim conſolationem cum habuerint patres, multò ante Chriſtum ex paucis iſtis locis, quantò æquius eſt nos eandem & longè ampliorem tueri & conſeruare.

Chriſtus poſtea in Euangelio appellauit ſinum Abrahæ, in quem congregati ſunt Lazarus, & omnes alij Sancti, de cuius explicatione aut definitione cuilibet ſuũ relinquo iudicium pro ſingulorum captu, neq; quicquam aſſeram, cum & Auguſtinus dicat ſe neſcire. Sed non rectè facimus, ſi ſeruamus ſinum Abrahæ in nouo Teſtamento. Sicut enim ante mortem Abrahæ non fuit ſinus Abrahæ, ita nullus amplius eſt poſt Chriſti aduentum. Non facio igitur hoc tempore ſinum Abrahæ, nec ſentio vllum locum eſſe, in quo tanquam gremio nos amplectatur Abraham. Sed ſinus Abrahæ quo fouet, & amplexus eſt omnes Sanctos morientes vſq; ad mortem Chriſti, eſt promiſsio facta Abrahæ. In Semine tuo benedicentur omnes Gentes. Sic ſinus Adæ fuit promiſsio edita in Paradyſo: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, & qui in fide illius promiſsionis deceſſerunt, ſeruati ſunt: quia verbum Dei ſpacioſius & amplius eſt cœlo & terra.

Sinus igitur Abrahæ, eſt promiſsio de venturo Chriſto, cuius promiſsionis pater eſt Abraham. Sed hodie verſa eſt in verbum de Chriſto manifeſtato in carne, & qui diuerſum crederet, eſſet Iudæus & damnatus: quia Abrahæ ſinus poſt reſurrectionem Chriſti deſtructus eſt, & ſucceſsit melior ſinus, ſcilicet Chriſti, quãdo enim emigramus ex hac vita, rapimur in Chriſti ſinum. Et ſicut patres mortui ſunt in fide venturi Chriſti, atq; ita collecti in ſinum Abrahæ, hoc eſt, in expectatione futuri ſaluatoris: ita mori nos oportet in fide Chriſti ſãluatoris exhibiti, & poſt hanc vitam in ſinum Chriſti nati, paſsi, crucifixi, & reſuſcitati pro nobis colligimur, nihil ſollicite amplius de ſinu Abrahæ.

Porrò hoc loco quæſtio agitari poteſt de ſtatu animarum poſt hanc vitã. Corpus cõſumitur putredine & vermibus, & quid de anima fiat ante diẽ illum iudicij queritur. Ego quidem propterea eam diſputationem attingo, vt præcidam & remoueam curioſas aliorum quæſtiones & diſputationes. Simplex autem reſponſio eſt quam Chriſtus præſcribit, cùm inquit Matth. 22. Deus non eſt mortuorum Deus, ſed viuẽtiũ. Inde certi ſumus viuere animas & dormire in pace, nec torqueri vllis cruciatibus.

Idq; multi loci ſcripturę ſanctę comprobant, quod poſt mortem non morimur, ſed viuimus ſimpliciter, ſicut ſententiæ admodum clarę ex Eſaia teſtantur: Viri miſericordiæ colliguntur, & nemo attendit nec curat. Iuſtus ſublatus eſt ante calamitatem, & antequam veniant ærumnæ, intrat in pacem ſuam, requieſcit in cubiculo ſuo. Hæc admodum inſignia verba ſunt, & clarè ſignificantia mortuorum poſt hanc vitam, ſtatum & conditionem. Ingrediuntur, inquit, non in mortem, purgatorium aut infernum, ſed in pacem. Et ingens conſolatio eſt, quod dicit iuſtos euocari ante calamitatem. Sic nos moriemur in pace, antequam veniat malum & calamitas ſuper Germaniam.

Congruunt ergo teſtimonia Prophetæ cum iſto loco Geneſis, vbi dicit Moſes, collectum eſſe Abraham ad populos ſuos: nec de horum autoritate ambigamus, non enim mentitur aut fallit ſcriptura ſancta. Quieſcunt ſancti molliter & tranquillè, ſicut in Apocalypſi idem teſtatur vox de cœlo. A modo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.

Hæc requies dicta eſt illo tempore ſinus Abrahæ, & ab initio ante Abraham Adæ.

Adæ. Sancti enim qui credebant promissioni de Christo, sic moriebantur, vt ex ærumnis & laboribus huius vitæ euocati intrarent in cubiculum suum, ibi dormirent & in pace quiescerent. Hæc vera & plana sunt, consentanea scripturæ & dicto Christi, quod sit Deus, non mortuorum Deus, sed viuentium.

Iam vero alia quæstio nascitur, cùm certum sit viuere & esse in pace animas quales illa vita aut quies sit. Hæc verò sublimior & difficilor est, quàm vt à nobis possit definiri. Deus enim noluit id à nobis cognosci in hac vita. Sufficit igitur nobis hæc cognitio, non egredi animas ex corporibus in periculum cruciatuum & pœnarum inferni, sed esse eis paratum cubiculum, in quo dormiant in pace.

Differunt tamen somnus siue quies huius vitæ & futuræ. Homo enim in hac vita defatigatus diuino labore, sub noctem intrat in cubiculum suum, tanquam in pace, vt ibi dormiat, & ea nocte fruitur quiete, neque quicquam scit de vllo malo, siue incendij siue cædis. Anima autem non sic dormit, sed vigilat & patitur visiones, loquelas Angelorum & Dei. Ideo somnus in futura vita profundior est, quàm in hac vita, & tamen anima coram Deo viuit. Hac similitudine, quam habeo à somno viuentis hominis, contentus sum: In illo enim pax est & quies, putat se dormiuisse vix vnam aut alteram horam, & tamen videt animam ita dormire vt etiam vigilet.

Sic anima post mortem intrat suum cubiculum & pacem, & dormiens non sentit suum somnum, & tamen seruat Deus vigilantem animam. Ita potest Deus excitare Heliam, Mosen, &c. & sic regere vt viuant. Sed quomodo? Nescimus, sufficit similitudo somni corporalis & quod Deus affirmat, esse somnum quietem & pacem. Qui somnum naturalem dormit, nihil eorum scit quæ geruntur in domo vicini, & tamen viuit, licet contra naturam vitæ, nihil sentiat in somno, idem in illa vita fiet, sed alia & meliore ratione.

Proinde sicut mater defert infantem in cubiculum, ponit in cunas, non vt moriatur sed vt dormiat & quiescat suauiter, ita ante Christum & multò magis post Christum ingressę sunt, & ingrediuntur omnes animæ credentium, in sinum Christi.

Disputarunt quoque de receptaculis animarum. Augustinus abdita esse dicit in Enchiridio ad Laurentium, vbi inquit: Tempus autem quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne cùm viueret.

Deprehenditur ibi imbecillitas humani intellectus. Sed respiciendum est ad verbum & omnipotentiam Dei. Si enim tribus digitis ponderat cœlum & terram Deus, vt Esai. 40. dicitur, certè verbum eius longè maius & amplius est. Verbum est spacium infinitæ amplitudinis. Ideo receptacula animarum sunt verbum Dei, siue promissiones in quibus obdormimus. Leue quidem & exile apparet quando per os hominis pronunciatur. Sed quando fide id apprehendimus, & in verbo obdormimus, venit anima in spacium infinitum.

Hæc dixi ad compescendas cogitationes inutiles & superuacaneas, de hisce quæstionibus. Abundè enim satis est scire nos securos & quietos emigrare in sinum Christi, hoc est, verbo & promissione nitentes effugere adflictiones & ærumnas, & frui perpetua pace & securitate, iuxta sententiam Christi Iohan. 8. Amen, Amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Igitur viuet in æterna vita.

Verùm hîc Papistarum quoque stultitia taxanda est qui post mortem fecerunt quinque loca. Primum infernum damnatorum. Secundum infantium non baptisatorum. Tertium purgatorium. Quartum librum Patrum. In nouo Testamento addiderunt Paradysum, propter dictum Christi: Hodie mecum eris in Paradiso. Quintum cœlum apertum.

Primùm

Primùm locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus ignis æterni. Verùm an animæ impiorum torqueantur statim post obitum, non possum adfirmare. Quanquam exemplum diuitis Epulonis huc facit. Sed contrarius locus est. 2. Pet. 2. de malis Angelis, qui seruãtur ad iudicium, & verba Pauli. 2. Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi: Vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gesit siue bonum, siue malum, Apparet eos etiam dormire & quiescere, sed nihil adsero.

Secundus locus est, non baptisatorũ infantium, illos dicunt quidem damnatos esse, sed non pati pœnam ignis aut vermium, sed tantùm carere visione Dei. Illam lucem non habent, qua Deum & Angelos viderent, & tamen non cruciantur.

Tertius circulus est purgatorij, in quod nec damnati, nec infantes ingrediuntur sed qui credunt quidem, & tamen non satis fecerunt pro peccatis, horum animæ redimuntur indulgentijs. Hinc illa colluuies indulgẽtiarum, & tota religio Papistica.

Quartus est limbus patrum, ad quem discendisse Christum dicunt, & effregisse & Patres liberasse, non ex inferno sed ex limbo, qui adfligebant desiderio & expectatione Christi, non pœnas aut cruciatus sustinebant vllos.

Hisce nugis repleuerunt Ecclesiam & orbem terrarum. Nos radicitus ista omnia euertimus. Et dicimus infantes non baptisatos, non habere talem circulum, in quo statu sint, aut quid de ijs fiat comnendamus diuinæ bonitati, non habent fidem, nec baptismum, tum verò singulari modo eos recipiat Deus, & det fidem non extat in verbo, nec nos statuere audemus: Priuari visione diuina est ipse infernus, concedunt quod habeant voluntatem & intellectum, præsertim de visione diuina & vita. Sed fabulæ sunt.

Ac purgatorium maximè est fabulosum, quia innititur impietate & incredulitate. Negant enim fidem saluare, & statuunt causam salutis satisfactiones pro peccatis. Qui igitur in purgatorio est, in ipso inferno est. Sic enim cogitat: Ego sum peccator, & debeo satisfacere pro peccatis meis, ideo condam testamentum, legabo certam pecuniam ad ædificia templorum, ad redimendas preces, & sacrificia Monachorum & sacrificorum pro defunctis: tales moriuntur in fide operum & ignorant imò oderunt Christum. Nos in fide Christi morimur, qui mortuus est propter peccata nostra, & satisfecit pro nobis, is meus Sinus, Paradisus meus, consolatio & spes mea est.

De limbo Patrum impropriè locuti sunt: rectius sinum Abrahæ dixissent, quia mortui ante Christum seruati sunt in promissione verbi, in quo vixerunt in hac vita, & morientes quoq; ingressi sunt vitam, & verè viui fuerunt.

Verborum Christi ad latronem hæc sententia est. Hodie mecum eris in Paradiso, id est, in meo sinu vbi ego sum, similiter & tu eris, ibi cœlum & Paradisus idem sunt, nisi quòd adhuc apud sanctos, quies & pax est, non regnum: Christus est in cœlo vel paradiso, vt gubernet, iudicet & regat Ecclesiam, mittat Angelos ad ministerium Ecclesiæ, distribuat dona hominibus, exaltet humiles, &. Semper enim operatur, non quiescit: sicut sancti dormientes, de quibus Esa. 63. dicitur, Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos.

Magnum itaq; discrimen est inter sanctos dormientes, & Christum regnantem: Illi dormiunt & nesciunt quid agatur, & tamen quiescunt: Impij verò quando moriuntur, siue olim ante Christi aduentum descesserint, siue hodie post exhibitũ Christum simpliciter vadunt ad damnationem. An verò statim incipiat damnatio post mortem nescimus, quia scriptum est sistendos esse omnes ad tribunal iudicis & Iohan. 5. prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò malè egerunt in resurrectionem iudicij.

Meminerimus igitur post Christum cessasse sinum Abrahæ, & impletas esse

promissiones omnes de venturo semine. Nos alias promissiones, & longè ampliores habemus ęditas à filio Dei incarnato, passo & resuscitato, quibus qui non credunt, in æternum damnantur. In quo autem statu sint, qui damnantur in nouo Testamento, nihil possum adserere, in medio relinquo. De pijs certissimum est, quòd viuant & ingrediantur in pacem, cuius rei nos quidem multò plura & illustriora exempla & testimonia, habemus in nouo testamento ex cõcionibus Christi & Apostolorum, quàm Patres, qui paucos quosdam locos habuerunt, apertè significantes resurrectionem, & vitam æternam. Locus sapientię tertio ex Esaia desumptus est, Iustorũ animæ in manu dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, &c.

Sed hæc & patrum, & nostra vna & eadem fides est, quòd restet alia & melior vita post hanc, de qua quidem Christianos dubitare in tanta luce turpissimum fuerit. Amplectamur igitur & conseruemus firma animi adsensione hanc doctrinam, inmenso Dei beneficio multis illustribus testimonijs nobis patefactam. Insurgit enim nunc seculum pestilentissimum, & multiplicantur Epicurei, quod est argumentum certissimum confusionis omnium rerum, & appropinquantis iudicij. Si enim non credo futuram vitam & resurrectionem, quorsum opus haheo Deo & agnitione Christi? aut quomodo possum statuere esse Deum punientem malos & benefacientem bonis? Negatio enim futuræ vitæ tollit simpliciter Deum. Sic similes erimus prorsus equis & mulis qui nihil curant, nec mortem, nec vitam. Et id sanè in Epicureis animaduertere est, quibus iam ridiculum est, & inanis fabula quicquid de Deo, vel promittente, vel comminante audiunt. Verùm nos Christiani horribilem illam securitatem fugiamus, & retineamus firmiter testimonia vitæ æternæ & resurrectionis ab initio mundi tradita.

Item Genes. cap. 42. Tom. 4. fol. 113. 114. Disputant hoc loco Hebraistæ de voce (scheolah) quam accipiunt pro sepulchro, & foueam interpretantur, nos verò idem qui gehennam exponimus. Sed nihil moramur indoctos istos asinos, qui traditi sunt in sensum reprobum, & tenebras exteriores, ita vt linguam, quę ipsis vernacula est, non intelligant.

Necesse autem est, aliud esse Keuer, & aliud (scheolah) sicut autem sepulchrum (Keuer) commune est tam pijs, quàm impijs, Ita & (scheolàh) Hæc certa res est, & petita ex vsu sacrarum literarum, nisi quod hęc est differentia. Sepulchrum, Keuer, propriè terra est, quæ effoditur, & in qua conditur corpus mortuum, multi enim moriuntur, qui non humantur, vt qui laniantur à bestijs, aut in crucem aguntur, aut crematur, illis non conceditur sepultura, & tamen omnes dicuntur descendere ad infernum ex hac vita.

Rectè igitur hęc distinguuntur, ita vt sepulchrum sit locus in quo corpus, ossaq; demortuorum reconduntur, certo tempore, certa persona & loco. Scheola autem commune quoddam receptaculum, non corporum tantùm, sed & animarum, vbi omnes mortui congregantur. Augustinus vocat abdita recepta cula animarum, in Enchiridio ad Laurentium. Est igitur chaos illud nobis quidem incognitum, in quo non est differentia locorum, temporum, personarum, quo descendunt etiam hi qui carent sepulchris. Est locus communis, si modo locus dici debet, non pro corpore sed pro anima.

In Symbolo Apostolico dicimus. Christus mortuus passus, & sepultus descendit ad infernum. Vbi hæc duo iuxta hębream phrasim discernũtur sepultura, & descensus ad infernum. Et psal. 16. inquit Christus: Non derelinques animam meam in inferno. Propriè igitur & definitiuè (scheolah) locus vel receptaculum est animarum. Qualis autem ille locus sit, infinitis quæstionibus à veteribus disputatum & quæsitum est. Nobis hæc differentia sufficiat, quòd sicut corpus seruatur in terra, ita anima resoluta venit in suum scheolah. Nec traduntur diuersæ scheolah piorum & impiorum,

impiorum, Alij acutè sanè disputant, & sunt varia argumenta in vtramque partem, quæ me parum mouent.

In parabola de Diuite & Lazaro, dicitur diues sepultus esse in inferno, non corporis, sed animæ sepulchro, & tamen de pijs aliter sentiendum est, quàm de impijs in eadem scheolah existentibus.

Sicut hic inquit Iacob, & suprà etiã: Descendã lugens ad filium meum in infernum. Et de morte piorum certus & clarissimus locus est apud Esaiam, cùm inquit: Intrant pij in pacem, requiescunt in cubiculis suis. Item Gen.15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, & sepelieris in senectute bona. Et cap.25. Abraham collectus est ad patres suos. Hic est schola, id est, locus quidam in quem colliguntur pij, quem appellat Esaias pacem cap.87. Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulauit in directione sua. Ibi sanè loquitur de mortuis. Sic ad Iosiam dicitur.2.paralip.24. Iam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulchrũ tuum in pace, nec videbunt oculi tui omne malum, quod inducturus sum super locum istum.

Hæc omnia ex scriptura sancta manifesta & certa sunt, quòd sancti secundum corpus vadunt in Kefer, sicut Abraham in agro Ephron, è regione Mamno sepelitur. Secundum animam verò ingrediuntur cubicula sua, in scheola, vbi congregantur cum patribus suis. Ac habent quidem pij infernum in quem descendunt, sed vt requiescant in eo. Et quanquam cum mœrore descendunt, tamen ad quietem & pacem transeunt, Atque adeo nihil aliud est descensus iste piorum, quàm mutatio huius vitę in alium statum, vbi amplius non viuitur sub sole, & super terram, sed relicta vita hac intrant in cubiculum, siue stratum suum, in quo dormiũt, & requiescunt donec corpus & anima rursus copulentur futura & æterna vita.

Itaq; scriptura prorsus nihil habet de purgatorio, sed ait sanctos & iustos trãsire in suum scheola, vbi suauissima pace & quiete fruuntur.

Iustus autem est, qui licet sit peccator, tamen si credit in filium dei, & accipit absolutionem à peccatis per ministerium verbi, baptisatus est, & sacramento altaris participauit, verè absolutus & iustus est. Huic verò non est paratum purgatorium, sed sepulchrum animæ, scheola piorum, pax & quies cubili suo.

Ante Christum dictus est sinus Abrahæ, & eadem appellatione ipse quoq; vtitur, quam haud dubie & sermonibus piorum & patrum mutuatus est, cùm dicit, Lazarum translatum esse in sinum Abrahæ. Scheola autem diuitis erant flammæ, atq; is status & conditio impiotum soli Deo cognitus est, qui à nobis comprehendi non potest. Corpus vero diuitis repositum fuit in Kefer, hæc mea sententia est, de his appellationibus.

Porrò de anima Christi, quę descendit ad inferna vnita diuinitate alia quęstio est. Atq; eius descensus qui fuerit modus, nos sanè nescimus. Nam id singulare in eo fuit quod dicit in Psalm.16. Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem. Neq; enim infernus tenuit animam eius dormientem, & quiescentem, nec sepulchrum tenuit corpus eius vt computresceret, sicut Martha de Lazaro dicit: Domine iam fœtet, quatriduanus enim est. Ideo dicitur primogenitus ex mortuis.

Resuscitati verò à Christo, nihil aliud potuerunt testari, quàm se dormiuisse & decubuisse in lecto, & seruatos esse in sinu Abrahę, vt nunc in sinu Christi seruantur.

Ac tantùm quidem nos de receptaculis corporum & animarum cognitum habemus, Kefer esse locum pro corpore: Scheolah verò pro anima dormiente, siue piorum siue impiorum, sed diuersa conditione, & qualis ea quies sit, nos nescimus.

Sępe autem mihi in mentem venit, non posse nos hæc assequi & intelligere, cùm nequeamus capere quomodo viuat homo in hac vita, quando dormit. Nisi enim

assiduitate & vsu quotidiano assueuissemus somno, æquè ac mortem ipsum exhor-
resceremus, siquidem nihil aliud est somnus, quam quędã veluti migratio ex hac vita
vt nescias vbi aut qui sis. Dum viuo, non dormio: sed animo prędenti sum, & incedo
vigilans & erectus, Cùm verò somnum capio, me ipsum & locum vbi sim ignoro,
& videor in aliud vitæ genus translatus. Iam quia vsitata res est somnus, nemo ab eo
abhorret, sicut ad conspectum, aut mentionem alicuius inusitati & horribilis morbi
expauescere solemus, qualis est Epilepsia, qua correpti homines etiam omni sensu &
motu huius vitæ destituuntur, imò in aliam vitam descendisse videntur, adeo vt siue
igne adusti, siue in vndas mersi, prorsus nihil sentiant, nihil videant, neque audiant,
ideoq; Epileptici viuentes mortui sunt.

Ad hunc modum infantes in vtero materno perpetuò dormiunt, quę miracula
nemo, aut cogitatatione, aut verbis potest consequi, ac nisi sciremus somnum esse vti
lem & salutarem, & sine omni incommodo, non minus atque mortem auersaremur.
Multò verò mirabilior est, quies illa defunctorum, quam scriptura sancta somnum
appellat.

Cùm igitur in hoc mundo viuentes, quandoque nihil minus, quàm viuere nos
sentiamus, & seruat tamen Deus vitam dormientibus & expertibus omnium actio-
num. Quare non tantam sapientiam & potentiam ei tribuemus, vt possit animam
quoque seruare in morte? Ea quidem dum adhuc in corpore habitat, variè in som-
nis luditur obiectis speciebus inanibus somniorum, quæ non sunt res veræ, sed
tamen viuit, quanquam oppressa somno, vt non possit exercere actiones & opera-
tiones suas. Corpus verò velut truncus iacet sine omni sensu. Ideo nemo facilè dixe
rit, quid sit somnus, quid vigilia, quid anima, &c.

Hactenus quidem de Inferno sanctorum & impiorum, de quibus quidem difficile est aliquid certi adfirmare, neque magnopere nostra interest scire, qualis sit status impiorum, cùm oporteat nos credere & assentiri verbis Christi dicentis de puella defuncta. Non est mortua puella. Ea cognitio & fides sufficit pijs.

Theologi scholastici faciunt quatuor sphæras inferorum. Primam appellant limbum patrum, in quem collocauerunt defunctos ante Christi natiuitatem, passione & resurrectionem, expectantes redemptionem Christi, & descensum ex hac vita ad infernum, quia cœlum nondum erat apertum sed non intelligunt illi quid dicant aut sentiant. Nos vocamus sinũ Abrahę, ex doctrina Euangelij, quod ipsi limbũ patrum, in quem translati sunt omnes sancti & pij ante Christi aduentum. Nec pugno de nomine, cùm de re constet fuisse sinum Abrahæ, qui nunc Christi sinus est.

Quia Moses & Helias cum Christo in monte colloquuntur, vnde apparet eum omnes istos sanctos, habere in manu & potestate sua & esse Deum ipsorum, dormiunt verò & quiescunt, sicut de omnibus pijs constat, ita vt possit eos Christus excitare, quandocunq; ipsi libitum fuerit. Itaque non est necessaria oratio pro ijs, multò minus profusio illa pecuniarum ad redimendas animas ex purgatorio.

Quòd si Augustinus aut alij ex patribus aliter sentiunt, sciamus eos legendos esse cum iudicio, nec articulos fidei ex patrum dictis & sententijs faciendos, sicut superioribus seculis ea dementia horribiles tenebræ in Ecclesiam inuectæ sunt.

Vnus Gregorius fons & autor est fabularum de purgatorio & missarum pro defunctis. Narrat alicubi fuisse Oeconomum quendam in Monasterio suo, qui fortuitò & negligentia quadam inter chartas reliquerat tres aureos, quos cum post mortẽ inuenisset Gregorius, miras tragedias egerat in demortuũ, & propter scelus furti maledictũ, & ęternis pœnis obnoxium fore clamitarat, cùm quidem verisimile esset. Monachum illum maiorem copiam furandi habuisse in alijs, neque quicquam tamen ab eo surreptum fuisse, sed hanc pecuniam ipso nescio inter chartas latuisse.

Eo tamen

Eò tamen exemplo, & clamoribus Gregorij relinquos ita consternatos esse adfirmat vt nemo eorum ne teruncium quidem deinceps retinere vellet. Tandem verò iussit pro eo recitari triginta Missas, quibus peccatis scribit sibi apparuisse Oeconomum illum, & maximas gratias egisse pro tanto beneficio, quo pœnis & maledictione diuina liberatus esset.

Hæc nimirum ἐνέργεια seu efficacia erroris fuit. 2. Thess. 2. & ab eo exemplo Gregorij, manauit in totum orbem terrarum infinita illa multitudo abominationum, & oblationis Sacramenti pro mortuis, fuit autem spectrum illud quod apparuit ei nequissimus Diabolus, exortus ab inferno ad illudendum toti generi humano. Nam horribile & temerarium commentum Purgatorij & Missarum pro defunctis superat omnem sensum & eloquentiam.

Longa fabula, longè ambages nundinationum, quibus infinitas opes acquisiuerunt, Papa & Cardinales. Fuerunt enim innumerabilia monstra, sacrilegia & rapinæ, quin omnia monasteria & templa vide, quæ nõ alijs sumptibus extructa sunt, quàm pecunia in redimendas oblationes pro defunctis impensa. In eum vsum totus mundus suas opes congessit ad liberandas animas ex cruciatibus purgatorij.

Nec dubium est Christum præcipuè & singulariter loqui de prophanatione cœnę Domini, qua fecerunt ex Missa sacrificium pro viuis & mortuis, quãdo inquit Matth. 24. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quę dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, Qui legit, intelligat, &c. Fuit enim id delubrum ac monstrum Diabolicum, sed ipsis ad quæstum, ad parandas opes, regnum & potentiam super omnia regna terræ accommodatissimum.

Totam autem impietatem hanc de oblatione corporis & sanguinis Christi faciendi pro mortuis, refutat & tollit doctrina Euangelij, quę testatur pios dormire & quiescere in Christo. Non igitur vllas pœnas purgatorij metuunt, quas viui auro & argento pro ipsis possint redimere.

Scriptum est enim Iesai. 57. Qui ambulauit in directione sua, requiescat in cubili suo Item Apocal. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur, A modò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Quam sententiam ipsi quoque crebrò allegant, & tamẽ ad redemptionem animarum ex purgatorio detorserunt. Sathanę igitur ingens malicia in Pontifice & Apostolis ipsius fuit, & deploranda cęcitas hominum fatorum, ac omni sensu carentium, qui nimis faciles ad credendum, & erogandam pecuniam, ad abusus tam fœdos, & incredibiles fuerunt.

Muniendi verò sunt animi aduersus hęc portenta opinionum testimonijs scripturę sanctę, quòd non hęreant in pœnis sanctorum animę post hanc vitam, sed requiescant à laboribus suis. Sicut inquit Christus: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in ęternum. Item: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet, & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in ęternum. Dominus ipse creator cœli & terrę missus est à patre in hunc mundum, vt doceret ista, quę firmiter apprehenda & retinenda sunt. Sin fallimur, benè equidem nobis erit, cùm per saluatorem, & credendo in filium Dei, fallamur.

Hęc monenda sunt propter adolescentes, qui nesciunt quantum caliginis & miserarum fuerit in religione Papistica, quam adhuc quidam tueri & defendere cogitant, ac inprimis purgatorium & abominationem missę mordicùs retinent, propter quęstum vberiorem omnibus regnis Europę.

Tertium locum attribuunt scholastici damnatis, qui nihil ad nos attinet. Quia Christus suos tãtùm sanctos liberat à gustu mortis, reliquos verò nos non volumus,

nec possumus liberare, sed permittimus eos iudicio diuino. Non est autem scheolah piorum, sed infernus impiorum, de quorum conditione etiam nihil adfirmare licet. Et hunc locum propriè gehennam vocant, quod vocabulum Hieronymus inuētum dicit ab ipso saluatore. Etymologia autem est à valle aut prato in suburbano Hierosolomitano amœnissimo, & nemoroso, ad orientem, cuius mentio fit Hier. 7. vallis filij Hinnam.

Ibi enim crebrò & libenter sacrificant, neglecto sacerdotio & templo, quod erat in vrbe, & habebat verbum & promissionem, Deum velle acceptare oblationes & vota huius populi. Sed magis delectabantur valle illa amœna, & consita arboribus, qui perpetuus furor est omnium temporum, & gentium, extra templum & ordinationem diuinam sectari amœnitatem lucorum, fontium, fluminum, quasi gratiores ibi Deo sint oblationes, quàm eo in loco, ad quem ipse cultum suum verbo allegauit.

Ibidem verò & altaria & sacella ædificabant, sicut videre est in Prophetarum concionibus passim. Et ante hæc tempora contemptis parochijs & ministerio verbi, currebatur ad lucos, & reliquias diuorum. Et Papistæ etiamnum doctrinam verbi persequuntur, & ab Euangelio, à vocatione domestica cursitant ad S. Iacobum, ad Mariam, &c.

Ita nemo nostrum acquieuit suo baptismo, aut templo vbi habebat verbum Christi, & sacramenta, vbi erat vocatus, baptizatus, absolutus, vbi habebat, audiebat, sentiebat in verbo Deum cum ipso loquentem, sed vbique locorum extruebantur sacella, & altaria, relicto verbo & sacramentis, perinde vt Iudæi vallem illam præferebant templo Hierosolimitano, & ad eam confluebant, rex, regina principes, sacerdotes, Prophetæ, populus magno numero.

Tanta est potentia Sathanæ, cui hoc permittitur à Deo, vt ludibrio habeat templum, cultum & populum Dei. Nec sanè mirum est multos homines ita offendi hac confusione, vt aut negent esse Deum, aut clamitent eum ignauum & negligentem esse rerum humanarum, quòd tam diu indulget Sathanæ, nec vindicat tantam abominationem, & prophanationem sui nominis & cultus.

Vide enim pontificum impudentiam & impietatem, quanta audacia adhuc tueantur missas, peregrinationes, Monachatum, &c. quibus omnibus Deum horribiliter offendi nihil est dubium. Et tamen sinit Diabolum infinita petulantia & rabie ludere in sui contumeliam & ludibrium.

Talis igitur fuit vallis illa, quam habuerunt Iudæi pro vera Ecclesia & vocarunt Topheth, filiorum Hinnam, & prope eam fuit mons oliueti, & vallis Rephaim fertilissima, qualis in Thuringia Iouis est qui appellatur die gulden awe. Condiderunt autem ibi templum, quod reuera fuit prostibulum ad fallendas animas aptissimum, atque ita insanierunt in cultum illum, vt non pecudes, capras, oues, boues, sicut in templo Hierosolomitano solebat fieri, & tum pro nihilo ducebatur, sed tanquam loco sacratiore victimas humanas offerrent, adeoque filios & filias suas mactarent.

Narrant etiam Iyra & alij fuisse in templo ibi condito idolum Moloch, quod colebant tanquam Deum, aut regem suum, siue iudicem seuerum, qui placandus esset filijs & filiabus oblatis, sicut Achas obtulit aut traduxit per ignem omnes filios suos, ne hærede quidem regni relicto. Fuit autem idolum æneum & concauum, factum ad imaginem humanam, ac retro repletum igni, donec totum incalesceret, ac veluti arderet. In eius manus ponebatur puer idolo consecratus, & sacerdotes crepitacula, tintinnabula & tympana pulsabant, ne parentes, pueri, morientes clamorem exaudirent, & addebant acclamationes quibus, parentibus gratulabantur & gratias

& gratias agebant, quod Deus suscepisset puerum sine dolore & cruciatu. Horrendam verò & immanem crudelitatem: Et tamen certa res est fuisse eis hæc sacrificia vsitatissima, sicut testatur Psalmus 106. Et immolauerunt filios suos & filias suas Dæmonijs. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Canaan.

Ideo minatur Deus se locum illum funditùs excisurum, sicut inquit Ierem. 7. Aedificauerunt filij Israel excelsa Tophet, quæ est in valle filij Hinnam, vt incenderent filios suos, & filias suas igni, quæ nec præcepi, nec cogitaui in corde meo. Ideo Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius Topheth, & vallis filij Hinnam, sed vallis occisionis. Sepelient enim in Topheth, eò quod locus alius non sit, &c. **Es sol heissen ein todtenthal / ein würgenthal /** vt locus ille sacer sit in sepultuam interfectis propter idolatriam.

Topheth verò à (Toph) tympano deducitur, quasi dicas templum tympanorum, quæ pulsabantur ad puerorum cædem, **Ein trummelkirchen / ein Pfeiffenkirchen.**

Sic Esaias cap. 30. Poeticè depingit pœnas & cruciatus impendentes Regi Assyriorum in inferno. **Machet jm ein singentanz in der Hell.** Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis, & bello circumquaque expugnabit eos. Præparata est præterea iam olim Topheth &c. quod de gehenna ferè omnes interpretes intelligunt.

Atque ea appellatione Christus æternam damnationem significare voluit, sumpta à cæde corporali. Sicut enim fuit ibi gehenna, seu mactatio puerorum, ita postea sanguinem eorum vltus est Deus maxima strage Iudæorum, qui eodem loco à Chaldæis interfecti sunt. Arbitror autem pueros, qui perierunt in talibus sacrificijs esse saluatos. Siquidem Psalmus inquit: Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum. Et sicut paruuli ab Herode trucidati, ita illi quoque mactati & exusti sunt. Vesanos autem parentes, qui eiusmodi victimas obtulerunt, horribiles pœnæ tandem exceperunt.

Vocabulum (Hinnam) significat gratis, ab (Hanan) aut (Hin) vt Exod. 21. Seruus anno septimo egrediebatur liber, & gratis absq; pecunia. Et Isai. 52. Gratis venundati estis, gratis redimemini. Item Psalm. 69. Oderunt me gratis sine causa. Inde (Hen) aut (Hamnah) gratia & misericordia, à quo Ioannes nomen sortitus est. Arbitror autem ideo hanc vallem sic dictam esse, quod esset locus publicus, in quem cuiuis liberum esset gratuitò expaciari, sicut sunt apud nos nemora, quę nemo sibi priuatim vendicat, præter principem terræ, & patent omnibus eius subditis.

Iosua verò cap. 15. cùm assignat terminos tribui Iudæ, ducit limitem per vallem filij Hinnam, propè Hierosolymam, ea tamen excluſa & relicta in Aquilone, quia non in tribu Iuda, sed Beniamin sita est. Alij Hinnam dicunt nomen esse viri. Sed hæc relinquo Grammaticis.

Ego malim exponere Ben pro filio, non hominis alicuius, sed iuxta consuetudinem scripturæ sanctæ, quæ peculiari phrasi solet dicere filium mortis, filium pharetræ pro sagitta, filiam vitæ, item filias carminis Eccle. 12. pro auribus, & Psal. 80. Visita vineam istam & perfice eam quam plantauit dextera tua, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Ibi loquitur non de homine, sed de loco. Item Esaie 5. Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, hoc est, in colle editiore, & fertili siue pingui. Nam filius olei nihil sonat, neque nos ea figura vti solemus. Exponitur itaque pro loco pinguedinis. **Ein Schmaltzgrub / darinnen alles wol wechßt.**

Idem significat Gehennam locus vbi Christus traditus & prehensus est, quod reddidit Hieronymus vallem adipeam siue pinguissimam, & scribit fuisse ibi miras deliçias hortorum, & meminit eius Iosephus quoque.

Arbitror autem Christum loco illo amœnissimo sustinuisse dolores inferni, ideo eum odit, & vocauit gehennam. Cum enim erant in horto fuit in gehenna & inferno. Fortassis etiam ibidem stetit arbor scientiæ boni & mali. Ad illam vallem oportuit saluatorem accedere, & sanguinem sudare, qui sudor abundè testatur, eum gustasse mortem, quæ est infernus. Ideo non vocat vallem pinguedinis, sed inuertit vt Hieremias, & appellat gehennam, seu vallem occisionis.

Ita Christus Dominus & liberator noster pro nobis omnibus fuit in ipsissimo inferno. Verè enim sensit mortem, & infernum in corpore suo. Post egressum autem ex corpore quid egerit aut senserit, nos sanè nescimus. Sed in vita & corpore gustauit verè infernum.

Nec opinor passionem in cruce tantam fuisse, quanta hæc fuit in horto, quia natura non potuisset sustinere. Et illud sanè magnum fuit, quòd potuit ferre tantùm agonem, qui sanguinem ex corpore eius eliceret, sicut inquit Lucas: Erat sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, non fuit aqua tãtùm, sed purus sanguis, manans de corpore in terram.

Qualis autem fuerit tentatio nemo scit, ac orandum est, ne vnquam eiusmodi terroribus & angustijs conflictandum nobis sit: Non enim possemus sustinere, quin anima cum corpore subitò extingueretur.

Sciamus igitur Christum tum oportuisse ferre pœnam gehennæ, sed tamen in carne. Nam quid anima fecerit in inferno multi multa disputant, an spoliauerit inferos, & liberauerit suos, qui ante ipsum in sinum Abrahæ congregati fuerant, nihil attinet querere & rimari curiosiùs. De hoc nobis certò constat, omnes sanctos in æternum liberatos esse, à potestate inferni, & illam gratiam reuelauit nobis in Euangelio. Interea verò manet Scheolah pro pijs defunctis. Gehenna autem nõ est piorum, sed impiorum receptaculum. Vbi Tòpheth seu locus ille tympanorum vetetur in fletum & stridorem dentium, sicut inquit Christus. Impiorum infernus non est (Scheolah) non dicitur pax, quies, cubiculum, nec scimus an vel quomodo dormiant post mortem. Hæc de differentia sepulchri & Gehennæ hoc in loco dicere volui, ne aliâs singulari, aut vberiore tractatione opus esset.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

QVOD FVTVRA SIT RESVRRECTIO *post hanc vitam.*

Genes. cap. 25. Tom. 2. fol. 253. Quò transiuit Abraham? Collectus est, inquit Moses ad populos suos. An ergo restant adhuc populi post hanc vitam? Sic enim sonant verba, quasi migrasset de populo ad populum, de vna ciuitate in aliam. Id verò insigne & memorabile testimonium est resurrectionis & vitæ futuræ, quod proponendum est in consolationem omnibus qui credunt in Deum. Quanquam enim nobis in nouo Testamento proponuntur excellentiora & illustriora testimonia, tamen operepretium est videre quid sancti Patres in veteri Testamento habuerint & crediderint.

Nos ha-

Nos habemus gratiam & donum, ac manifestam & multiplicem scientiam de morte & vita. Siquidem certi sumus saluatorem nostrum Christum Iesum sedere ad dexteram Dei Patris, & expectare nos decedentes ex hac vita. Quandocunq; igitur excedimus è viuis ad Episcopum animarum nostrarum egredimur, qui recipit nos in manus suas. Is noster Abraham est, cuius complexu fuimur, is viuit imò regnat perpetuò.

De Patribus aliter dicendum est, & nostra consolatio longè glorioſior est & amplior, quanquam illud ipsum testimonium, & solacium de vita æterna & resurrectione mortuorum habuerunt, sicut hîc testatur Moses, quòd collectus est Abraham ad populos suos: & suprà audiuit in promissione, quòd iturus esset ad Patres suos. Atque isti duo primi loci sunt in tota scriptura sancta, qui loquuntur de mortuis post hanc vitam, supra cap. 5. de omnibus dicitur, mortuus est, præterquam de Henoch, qui translatus est à Domino. De Abraham dicitur, iturum eum ad Patres suos, & collectum esse ad suum populum.

Hæc verba Spiritus Sancti neutiquam ociosa sunt, nec dicuntur bestijs, quæ non eunt ad Patres & populos suos. Sed hominibus, & testantur restare post hanc vitam aliam & meliorem: quin etiam ante Christi aduentum fuisse populum viuentium, qui habitauit in terra viuentium, & ad quos emigrarunt pij. Inde ergo Patres intellexerunt, resurrectionem & vitam æternam. Et propriè & significanter verba vtriusque loci posita sunt: Colligeris ad reliquos Sanctos, qui ante te sunt mortui; Patres ergo viuunt & populi sunt. De impijs hoc non dicitur, sed est sermo de iustis & Sanctis.

In libris Regum loquitur alia figura Dauid: Ecce ego ingredior viam vniuersæ terræ. Sed postea eandem formam retinet Moses de Ismaele, Isaac & Iacob, defecit & collectus est ad populos suos. Collegerunt itaque Patres ex his locis restare aliam vitam, & Sanctos non interire sicut pecudes, & congregari ad populos in terra viuentium. Atque hæc causa est cur tam reuerenter & honorificè sepeliuntur à filijs suis, quod bestijs non solet fieri, nimirum propter expectationem certam alterius vitæ.

Item, Tom 4. Ienens. fol. 369. Matth. cap. 17. In historia transfigurationis Christi primùm ostenditur mortuorum resurrectio, & futura gloria seu claritas etiam corporum nostrorum. Nam hoc admirabile fuit, quod Christus in corpore adhuc mortali & passibili clarificatus est, & ostendit immortalitatis claritatem, adhuc in ipsa mortalitate. Quid fiet cùm mortalitas absorpta, nihil nisi immortalitas & gloria erit? Secundò additur huic facto per se admirabili, apparitio Mosi & Eliæ, qui etiamsi pro mortuis habeantur, tamen sua illa apparitione ostendunt se non esse mortuos, sed in aliud quoddam vitæ genus translatos. Deinde ostendunt etiam aliam esse vitam extra istam mortalem, ex qua sublati sunt, & tamen viuunt. Nam neq; Moses, neque Elias, petuissent in hac mortali vita durasse, vsque ad istam horam, in qua apparuerunt, cùm iam tot centenarijs annorum fuerint extra mundum, seu hanc vitam. Et tamen adhuc viuunt, & se viuos ostendunt, nec vnquam verè fuisse mortuos. Tertiò, duos fidelissimos hîc testes habemus, Mosen & Eliam, quòd mortui non sint mortui, quodque morientes tantùm migrent ex hac misera & calamitosa vita in aliam meliorem. Nam si Moses & Elias simpliciter extincti in nihilum redacti essent, non hîc apparerent.

Quartò, docet ergo ista apparitio, Mortem esse cõtemnendam & habendã simpliciter pro migratione quadam ex hoc ergastulo, ad claritatem melioris vitæ, sicut Moses & Elias migrauerunt potiùs, quam mortui sunt, vt & aliâs scriptura mortem somnum

somnum vocat, summa summarum, Ista apparitio ostendit, hanc vitam esse nihil ad futuram, quæ certissimè veniet nobis huic seculo mortuis in Christo. Et magnis laudibus Deo gratias agere debemus, qui tanta benignitate nobis ista reuelare dignatus est, & tam pulchra, manifesta, potenti apparitione nos certos voluit reddere de spe futuræ vitæ. Nam vide quod optimi inter gentes quæsierint suis disputationibus, de animę immortalitate & futura vita, & tamen nihil certi inuenerunt. Soli filio Dei reseruata est hęc tam certa & clara apparitio, vt per ipsum solum mundo hęc spes vitæ futuræ certò promitteretur & aperta ista apparitione ostenderetur. Hæc de morte vincenda per vitam post ostendetur etiam.

Quintò, ostenditur hac historia peccatum esse victum. Quia consequentia necessaria sequitur, vbi mors victa est, ibi & peccatum victum est, cùm sit mors nihil nisi stipendium peccati. Roman. 6. Sine peccato enim mors non esset, &c. Ablatis autem peccato & morte per Christum, liberi sumus à potestate Diaboli, & expectamus absorpta ista mortalitate, gloriam claritatis æternæ, &c. quam Christus tum in corpore adhuc passibili & mortali exhibuit.

Item Tom. 4. Ienens. fol. 565. Michæ cap. 4. Et regnabit Dominus super eos in monte Zion, à modò vsque in seculum. Est testimonium clarum de resurrectione mortuorum & alia vita post hanc vitam, si enim Dominus regnabit super eos, non solùm in hac vita, sed in æternum, profectò necesse est, eos in æternum viuere. Deus enim est Deus non mortuorum, sed viuentium. Et cur prædicaretur hîc tam magnificè regnum in mortuos, qui nihil sunt? Si regnum est, est viuorum regnum. Sicut igitur necesse est omnes homines semel mori, Ita huius regni ea vis est, vt in eo mortui, viuant iterum & non moriantur. Sicut hæc in nouo Testamento clariùs dicuntur. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet. Item, Vt omnis qui credit in Filium Dei, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Item Genes. cap. 25. Tom. 3. fol. 4. Hæc sunt testimonia Patrum de resurrectione, immortalitate & vita æterna, Quia scilicet illic sunt populi. Igitur necesse est nos viuere & resurgere. Huic verbo qui credunt, nunquam Epicuri deliramentis mouebuntur. Ratio verò neq; intelligit, neq; amplectitur ista: imò quod maius est, videt ob oculos, generationem fieri ex nihilo, & tamen non concludit esse diuinum opus. Video Isaac nasci ex sterili matre, matrice emortua, & tam dura, quàm sunt ossa in cranio: Non video pilos, non corpus, non animam, & tamen ex lumbis Abrahæ, ex matrice Sarę matris, prodit filius habens ista omnia: an non ex nihilo hæc oriuntur? certè res mortua est semen, & matrix, & magis mortua, quàm granum in terram cadens. Ideo cogitare ratio debebat, non esse hanc operationem naturalem, sicut somniat, Sed cæcitas & malum Diaboli est, quòd ista non inspicimus, aut consideramus, atq; ita neutrum intelligimus, si rationem ducem sequimur, neq; resurrectionem futurã, neq; generationem. Qui enim nõ credit resurrectionẽ mortuorum, is etiã non credit aut cernit miraculũ generatiõis, quod homo ex homine bos, ex boue nascitur.

Atqui plenus est totus mundus testimonijs de resurrectione. Ex arbore & ligno durissimo enascitur pulcherrimus flosculus, nascuntur folia, rami, fructus suauissimus. Quia verò frequens & vsitata res est, ideo vilescit, & tantus stupor est humanarum mentium, vt si Lazarus quotidie resuscitaretur, nihil tamen mouerentur infideles. Inde tamen non sequitur, quòd non sit sperandum aliud vitæ genus melius & beatum. Sed differtur sensus & manifestatio illius æternæ lætitię, donec cessabit populus hostilis, & manebit populus noster, qui nobiscum credidit resurrectionem mortuorum.

Gen. cap. 26. To. 3. fol. 45. Vulgato Prou. dicitur: Principũ literas ter esse legendas, ita multò magis diuinæ literę, vel millies relegẽdę sunt. Scimus Abrahã esse mortuũ & sepultum à filijs suis, Isaac & Ismaele, Iã verò dicit Deus: Ego sum dij Abrahã. Et Chri-

Et Christus: Deus non est mortuorum Deus. Ergo viuificat hic, & suscitat Abraham à mortuis. Hic est ille Syllogismus, Matth. 22. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum Deus sed viuentium. Non est Deus, eius Deus quod nihil est. Nullus & nemo non adorant Deum, & Deus non regnat super eos. Abraham est mortuus, & Deus est Abrahæ Deus: Ergo Abraham viuit. Est quidem mortuus & sepultus, sed mihi Deo viuit Abraham & cognouit Trinitatem personarum, & Christum Semen suum. Quia Deus non est nihili Deus.

Hanc argumentationem Prophetæ illuminante Spiritu Sancto præclarè viderunt & intellexerunt. Turca ista non videt, Nec Papa & Doctores ipsius vnquam intellexerunt, quia ingrediuntur in scripturam intellectu muli & asini, iuxta Psalm. 32. Si quando legerunt Matth. 1. Abraham genuit Isaac &c. cogitarunt fuisse istos bonos viros & simplices, fuisse coniuges: nihil esse in eis admiratione dignum. Sed si accedit Spiritus Sanctus illuminator, ibi effulget lux ista de immortalitate & vita æterna. Si enim Abraham habet Deum & econtrà: necesse est Deum & Abraham simul viuere. Quia illa se mutuò ponunt & tollunt, siquidem Deus non agit cum mortuis.

RESVRRECTIONIS TRIPLEX GLORIA IN CHRISTO ET BEATIS.

Tom. 2. Ienens. fol. 182. In Psalm. 16. Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsq; in finem. Describit gloriam resurrectionis tribus partibus, vita immortali, lætitia interna, & iucunditate æterna. Via vitæ dicitur, quod sit à morte ad vitam, quasi illud Apostoli Roman. 6. dicat, Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Christus enim antea non nouerat viam vitæ experimentaliter, cùm hæc vita sit, non nisi via mortis, seu cursus potiùs ad mortem, sed resurgere ad vitam immortalem, hoc verè est nosse viam vitæ, quod solius est virtutis & dexteræ Dei, sicut hîc dicit, Notas mihi feciſti vias vitæ, & Psal. 89. Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferni? Q. d. nullus. Sic Psal. 68. vocatur Dominus, Dominus exitus mortis, & Deus saluos faciendi, Quòd absorpta morte, per victoriam educat in vitam æternam sicut promisit, Ose. 13. De manu mortis liberabo eos, Ero mors tua ô mors, morsus tuus inferne, consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet, Adducet ventum vrentem Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas eius, & desolabit fontem eius, id est, peccatum, quod est vena, fons, stimulus, virtusq; mortis, &c.

Lætitia interna, Quam Hieronymus plenitudinem lætitiarum ante vultum Dei, non malè intelligit, Ea est, qua videtur Deus Deorum in Zion, sicuti est, à facie ad faciem, vbi est sacietas plena cordis nostri, vt digna Emphasi, plenitudo lætitiarum appelletur. In hac enim vita ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, ita ex parte lætamur, & omnia ex parte habemus. Cùm autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, 1. Cor. 13. Vbi non miscebitur risus dolori, nec luctus consolationi, sicut necesse est in hac vita fieri, dum peregrinamur à Domino, & per speculum videmus in ænigmate.

Quare lætitiam huius vitæ, lætitiam ænigmatis, illius verò lætitiam vultus seu faciei Domini, appellare possumus. Sic enim Ebraicè sine præpositione, cùm, & antè dicitur, plenitudinem lætitiarum faciei tuæ. Vt plenitudinem lætitiarum è facie & reuelata gloria Dei pendere intelligamus, Sicut Psalmo sequente dicet, satiabor cùm apparuerit gloria tua. Et Christus Iohann. 14. Qui diligit me, diligetur

à Patre

à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Hæc est lætícia æterna, quía plenitudo lætíciarum, cùm lætíciæ in hac miseria sanctis impartitæ sint stillæ quædam & tenues prægustus, qui citò transeant. Plenitudo autem reuelata facie Dei, perfecta est, manens in æternum. Hæc enim est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum, Iohan. 17.

Iucunditates in dextera tua in finem, quas Hieronymus decores æternos posuit, significare mihi videntur dotes reliquæ corporis & animæ & omnium rerum, seu, vt nostri vocant, obiectiuas delectationes, quas Christus ex sua gloria habet. Sicut enim in sinistra Dei, id est, in hac vita, in omnibus est tristatus. Ita in dextera, id est, futura vita in omnibus delectatur. Qui enim in Dei visione beatus est, in omnibus simul iucundatur, nullum hic triste spectaculũ, sed omnia iucunda, omnia cooperantur, applaudunt, fauent, arrident. Sícut canit Lactantius: Ecce renascentis restatur gratia mundi, omnia cum Domino dona redisse suo.

Eadem hîc dictio est fœminino genere Neimoth, quæ superius masculíni, Neimim posita est, Funes ceciderunt mihi in pulchris seu iucundis, vtrobique Christi iucunditatem in rebus extra Deum existentibus, docens. Ac Ebræus vltimam dictionem Nezah, quod nos in finem, Hieronymus æternos reddidit, ambigua constructione habet, vt ad omnes tres partes queat aptari, ad vías vitæ, ad plenitudínem lætíciarum, & iucunditates in dextera Dei, vt singulas æternas accipere possimus, vel ad solas iucunditates, quas decores Hieronymus vocat, fortè quòd decoris & formosis delectemur & iucundemur. Hæc erunt cùm corpora nostra, cœlum & terra in nouam creaturam mutabuntur in fine mundi, vbi omnia erunt iucunda & dulcia: Interim expectatio creaturæ ingemíscit & parturit, donec & ipsa liberetur à corruptione & vanitate in libertatem gloriæ filiorum Dei, Rom. 8.

DE EXTREMO IVDICIO SEV NOVISSIMO DIE.

REPENTINA DIES ERIT.

Genes. Tom. 2. Ienens. fol. 349. In Explícat. Euang. Lucæ 21. Quanquam terríbília futura sint signa (præcedentia) sic tamen perficientur, vt dies iudicíj, antè veniat quàm intelligantur hæc signa completa, Præsertím apud insensatos: Quía dicit in sequentibus: Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curís huius vitæ, & superueniat in vos dies illa repentina, Tanquam laqueus enim superueníret in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Quare etiamsi signa viderint, deinde quoque audierint ea extremi iudicíj signa, non tamen credent, sed ad huc futurum diem illum cogitabunt. Vnde probabimus hæc.

Primùm, qui dictum est, forè repentinam illam diem, & tanquam laqueum superuenturum. Cui illud accedit Lucæ 17. Sícut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, ita erit Filius hominis in die sua. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit in diebus Filíj hominis. Edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptías, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Loth, Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua autem die exijt Loth à Sodomis

Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo & perdidit omnes, secundum hæc erit, qua die reuelabitur filius hominis. Clarùm est his verbis, tales fore homines, vt signis illis nihil moueantur, forte & irrideant, sicut Noe & Loth contigit. Deniq; sic & in nouissima Ierusalem vastatione contigit, vbi tot portentis & signis (quæ Iosephus recenset) non crediderunt instare diem perditionis, quin eadem in contrarium interpretabantur.

Sed & Paulus 1. Thess. 5. Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Et 2. Petr. 3. Manifestè hos incredulos & insensatos prædixit, dicens: Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Aduenier autem dies Domini sicut fur, in quo cœli magno impetu transibunt, elementa verò calore soluentur, & terra & omnia quæ in ea sunt opera exurentur.

QVOMODO COELVM ET TERRA SINT TRANSITURA.

Tom. 2. Ienens. fol. 351. In Enarrat Euang. Lucæ 21, Torquentur aliqui, quomodo cœlum & terra sint transitura, Non quoad substantiam (inquiunt) sed quo ad formam, quasi non sint verba Christi aperta. Transibunt, non abeunt aut peribunt aut nihil erunt, sed transitum facient, hoc est, mutabuntur. Vndè 2. Petr. 3. Cœli qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni. Et infrà. Aduenier autem dies Domini, in quo cœli magno impetu transibunt. Item per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent. Nouos verò cœlos & nouam terram & promissa ipsius expectamus, in quibus iusticia habitat. Sic Ebre. 1. & Psalm. 101. Opera manuum tuarum sunt cœli, Ipsi peribunt, tu autem permanebis, Et sicut vestimentum mutabis eos & mutabuntur.

Et Iesai. 30. Hanc mutationem prædixit: Et erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die qua alligauerit Dominus vultus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit. Eiusdem, 65. Ecce enim ego creo cœlos nouos & terram nouam, & non erunt in memoria priora, sed gaudebitis & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo. Igitur omnia immutabuntur, verba Christi non mutabuntur, hoc est, non transibunt, quia vera & fidelia in æternum.

Hoc dicit vt fiduciam nostram stabiliat, quæ in verba eius nititur, quod videlicet, hæc omnia sint ventura, vt tum capita leuemus & gaudeamus, quod redemptio promissa certissimè instet, qua liberemur ab omnibus malis peccatorum & pœnarum, AMEN.

DE VALLE IOSAPHAT.

Tom. 3. Ienens. fol. 510. Ioel. cap. 3. Tunc congregabo omnes gentes: Id quod nunquam factum est corporaliter, & quomodo etiam fieri posset, vt omnes Gentes in locum illum tam angustum cogeret? Est enim vallis Iosaphat inter Hierusalem & montem oliueti angusta omninò, comparatione omnium Gentium. Quare non possum cùm illis sentire, qui referunt hunc locum ad extremum iudicium, quod Dominus in valle Iosaphat sit iudicaturus omnes Gentes.

Quos cum vrgemus angustia loci, referunt se ad totam regionem illam circumiacentem Hierosolymam. Quod vt maximè concedamus, tamen manet eadem absurditas. Totus enim orbis terrarum vix sustinere poterit innumerabilem illam omnium hominum, qui vnquam à principio mundi vixerunt copiam, nedum Iudæa. Siquidem alij in terris erunt, alij in nubibus vocabunt, vt Paulus describit. Ergo absurditate cogente, ad mysterium est referendus locus, litera enim non constabit.

Quare nos de prædicatione intelligemus, quæ congregat omnes Gentes, & vocat eas ad iudicium, annunciat eis terrorem, & iudicat eos esse damnatos, ostenditque Christum salutem. Et hoc factum est, indiesque fit à die, quo missus est Spiritus Sanctus cœlitus, de quo suprà dixit in capite secundo, vt sic vocatæ ad iudicium, agnoscant peccatum suum, orentque veniam. Omninò enim vocabulum Iehosaphat, Iosaphat, non est nomen substantiuum, sed proprium, quo tamen abutitur hic Propheta pro substantiuo. Sicut & Oseas facit, quando nomen Galaad ciuitatis, accepit pro Synagoga. Significat autem Iosaphat vallem iudicij. Congregare igitur in vallem iudicii, idem est, quod dicit Christus Iohan. 16. Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato &c.

Loquitur ergo Propheta de vocatione omnium Gentium per Euangelium ad Ecclesiam Dei.

DE INFERNO.

QVOS MANEAT.

Tom. 3. Ienens. fol. 199. De Seruo arbit. Maneat enim impios Infernus & Iudicium Dei, necessaria sequela, etiamsi ipsi talem mercedem pro suis peccatis, neque cupiant, neque cogitent, imò vehementer detestentur, & vt Petrus dicit execrentur.

INFERNALIS POENA.

Tom. 4. Ienens. fol. 525. Psalm. 90. Rectè dicunt, qui existimant hanc Infernalem pœnam fore, quod optabunt impij manum Dei effugere & non poterunt, sicut etiam Paulus ostendit 1. Thess. 5.

RATIONIS COGITATIONES DE INFERNO.

Tom. 4. Ienens. fol. 529. Psalm. 90. Ratio aut viam contemptus ingreditur, aut viam Blasphemiæ. Extat in colloquijs Erasmi Dialogus, quem inscripsit Epicurum. In eo disputatur de religione Chtistiana, quod habeat lapidem Tantali. Siquidem post calamitates huius vitæ, etiam ignem æternum minatur.

Huic malo inquit, quod potest aptius remedium esse, quàm incredulitas aut clementia, vt non credas hæc vera esse? Ad hunc modum ratio disputat. Intolerabile enim videtur esse, & indignum diuina sapientia & bonitate, quod post incommoda huius vitæ, etiam æterna mors metuenda sit, idque ex ira, quod Deus hominibus

hominibus sic calamitosis etiam irascitur. Has cogitationes ratio sustinere non potest sine blasphemia. Consulit itaque Epicurus, vt aut demens, aut incredulus fias, sicque deliberes ab isto sensu iræ & peccati in calamitatibus & morte. Sed ò triuolum consilium.

Quid enim si aut non possis esse incredulus, & metuas, ne quæ hic contemnis, post vitam hanc sentias vera esse, Aut non possis esse demens, vt nunquam de hoc futuro periculo cogites. Ergo natura aliud nihil potest, quàm horrere, & frendere quòd reliquus sit supra nos talis Dominus, quem etiam post mortem cogitur metuere. Sicut Velleius apud Ciceronem loquitur, Imponit hoc modo ceruicibus nostris sempiternum dominum.

Diligenter itaque Mosi exemplum notandum est, ut discamus moderari & gubernare gemitum hunc cordis nostri, positi in sensu iræ Dei & mortis. Neque enim malum est hoc modò sentire iram Dei, modo ne vertamur ad stulticiam & præ tribulatione, vel contemnamus Deum, vel Blasphememus. Quanquam fieri non potest, quin etiam Sanctorum gemitus in talibus tentationibus habeant partem aliquam Blasphemiæ. An enim Hiob excusabimus, cum maledictum diem vocat in quo natus est? An Ieremiam succensentem, quòd non mortuus sit in vulua matris suæ? Sic Hieronymus satis duro verbo vtitur, cùm dicit: Homines omnibus pecudibus infœliciores, siquidem post cæteras calamitates huius vitæ, æternam mortem expectare, vel saltem metuere coguntur. Hæ sunt voces profectæ ex corde irato, & perturbato sensu malorum. Non autem malum signum est, sic irasci, modò gubernes hunc motum, & regas certa ratione. Sicut enim Adolescens sentit libidinem, Deus autem id ignoscit, si aut moderetur & gubernet sensum hunc, aut Vxorem ducat. Ita in Christianis quoque hærent illi motus, murmurantis, Blasphemantis, dubitantis cordis. Sed gubernari debent, ne sicut in impijs, aut in contemptum Dei, aut desperationem abeant. Plura de hoc loco suprà in loco de Morte commemorata sunt.

&cet.

DE VITA AETERNA.

QVOD CERTO POST HANC VITAM AETERNA VITA FVturа sit.

I. Genes. Tom. 1. cap. 2. fol. 23 Omnia quæ in Sabbato Deus voluit agi, sunt euidentia signa alterius vitæ post hanc vitam. Quid enim necesse est, Deum per verbum suum nobiscum loqui, si non viuendum est, in futura & æterna vita? Nam si non est speranda futura vita, cur non viuimus, sicut quibus cum Deus non loquitur, & qui Deum non agnoscunt? Sed quia diuina maiestas cùm solo homine loquitur, & solus homo agnoscit & appræhendit Deum, necessariò sequitur esse aliam vitam post hanc vitam, ad quam consequendam nobis opus sit verbo & cognitione Dei. Nam hæc temporalis, & præsens vita, est vita animalis, qualem viuunt omnes bestiæ, quæ verbum & Deum non norunt.

Hoc significat Sabbatum seu quies Dei, in quo Deus nobiscum loquitur per verbum suum, & nos vicissim cum eo per inuocationem & fidem. Bestiæ quidem audire & intelligere quoque vocem hominis discunt, sicut canes, equi, oues, bo-

ues, & conseruantur quoque ab homine ac aluntur, sed nostra melior conditio est, qui Deum audimus, & scimus voluntatem eius, ac vocamur in certam spem immortalitatis. Sicut testantur manifestæ promissiones, de vita æterna, quas Deus nobis post illas obscuras significationes, qualis hæc de requie Dei & Sanctificatione Sabbati est, per verbum suum reuelauit. Quanquam hæc de Sabbato satis clara sunt. Finge enim nullam esse vitam post hanc vitam, An non sequitur nos non opus habere Deo, non verbo eius? Nam hoc quod in hac vita requirimus aut agimus, etiam sine verbo habere possumus. Sicut bestiæ pascuntur, viuunt, saginantur, licet verbum Dei non habeant, nec audiant. Quod enim verbo ad cibum & potum, iam antea creatum est opus? Quòd igitur Deus dat verbum, quod præcipit exercitium verbi, quod mandat Sabbati Sanctificationem, & cultum suum, Hæc omnia arguunt, restare vitam post hanc vitam, & hominem esse conditum non ad corporalem tantùm vitam, sicut reliquas bestias, sed ad æternam vitam, sicut Deus qui hæc mandat & instituit, æternus est.

HABELIS MORS TESTIMONIVM FVTVRAE VITAE.

II. Gen. cap. 4. fol. 28. Tom. 1. Hic clarè ostenditur resurrectio mortuorum. Siquidem Deus, se mortui Habel Deum esse testatur, & mortuum Habel requirit. Ex hoc enim loco conteximus firmissimam rationem. Quod si nullus esset, qui curam nostri haberet post hanc vitam, Habel occisus non esset requisitus. Sed Deus requirit Habel sublatum ex hac vita, non vult eius obliuisci, retinet memoriam eius, quærit vbi sit? Ergo Deus est mortuorum Deus, hoc est, Ergo etiam mortui viuunt, & habent Deum curantem & saluantem eos in alia vita, quàm hæc corporalis est, in qua Sancti affliguntur.

Dignus ergo obseruatione hic locus est, quod Deus mortui Habel curam habet, & sic propter mortuum Habel excommunicat & perdit Cain primogenitum viuentem. Magna profectò res. Habel mortuus viuit, & ab ipso Deo Canonisatur in alia vita, melius & verius quàm omnes, quos Papa canonisauit vnquam.

Cain viuus excommunicatur & moritur perpetua morte. Est quidem Habelis mors horribilis. Non enim sine magno cruciatu, non sine multis lachrymis mortem est passus. Sed est uerè salutaris mors, siquidem iam meliorem vitam uiuet, quàm antea, Corporalis enim hæc vita, viuitur in peccatis, & est obnoxia mor ti. Sed illa vita est æterna, sine omnibus molestijs, tum corporalibus tum Spiritualibus.

Non requirit Deus oues & pecora mactata. Homines autem occisos requirit. Ergo habent homines spem resurrectionis, & talem Deum qui eos reducit ex morte carnis ad æternam uitam, qui requirit sanguinem eorum tanquam rem pretiosam. Sicut Psalmus etiam loquitur: Pretiosa mors Sanctorum in conspectu eius.

Hæc est gloria humani generis, parta à Semine conterente caput serpentis. Hoc enim primum exemplum est, istius promissionis Adæ & Heuæ factæ, in quo ostendit Deus Habeli non nocere serpentem, etsi is hoc perficit, ut Habel occidatur. Hoc scilicet est, quòd insidiatur calcaneo seminis mulieris, sed caput eius, dum mordet, conteritur. Deus enim propter fiduciam in promissum semen requirit Habelis mortui sanguinem, & ostendit se esse Deum eius.

HE-

HENOCH ET ELIAS RAPTI IN COELVM TESTANTVR RE-

ſtare aliam vitam.

III. Geneſ. cap. 5. fol. 102. Tom. 1. Memorabilis hæc eſt Hiſtoria (de rapto Henoch) per quam Deus voluit primo & originali mundo commendare ſpem melioris vitæ poſt hanc vitam. Poſtea in ſecundo mundo, qui habuit Legem, dedit Deus exemplum Eliæ, qui etiam in ſpectante ſeruo Eliſeo, à Domino raptus eſt.

Nos in nouo Teſtamento ſumus tanquam in tertio mundo, habemus autem illuſtrius exemplum ipſum Chriſtum liberatorem noſtrum, aſcendentem ad cœlos cum alijs multis Sanctis. Voluit enim Deus omnibus ſeculis extare teſtimonia reſurrectionis mortuorum, vt ab hac vita fœtida, ac multis modis calamitoſa, abduceret animos noſtros. In qua tamen Deo, quàm diu ipſi viſum eſt, ſeruimus, obeundis politicis & ciuilibus officijs, ac inprimis inſtituendis alijs ad pietatem & noticiam Dei. Sed hîc manentem locum non habemus. Ebr. 13. Abijt enim Chriſtus ad Patrem, vt nobis pararet manſiones æternas Iohan. 14.

Sicut autem apud nos inuenias, quib. hæc ridicula & non ſatis digna fide iudicentur. Ita non dubium eſt tum quoq; à maiori parte pro ridiculo hanc hiſtoriam eſſe habitam. Mundus enim ſemper ſui ſimilis eſt, ſunt itaq; hæc diuina autoritate commendata literis, & Scripta Sanctis ac fidelibus, vt ea legerent, intelligerent crederent & ſequerentur. Oſtendunt enim manifeſtam victoriam mortis & peccati, oſtendunt certam conſolationem victæ Legis, iræ & iudicij diuini de Henoch. Quare pijs hac hiſtoria nihil potuit eſſe iucundius aut gratius.

Sed in nouo Teſtamento verè exundat miſericordia Dei, etſi enim huiuſmodi hiſtorias non abijcimus. Tamen habemus longè maiores, nempe ipſum filium Dei aſcendentem ad cœlos, & ſedentem ad dexteram Dei. In eo videmus caput ſerpentis planè contritum eſſe, & vitam iterum reſtitutam, quam in Paradyſo amiſimus. Hoc longè plus eſt, quàm quod Henoch & Elias translati ſunt. Et tamen voluit Deus hoc hoc modo Originalem mundum & ſequentem, qui Legem habuit, conſolari.

Hæc igitur Principalis doctrina eſt, in his (prioribus) quinq; capitibus (Geneſis) propoſita, quod homines ſunt mortui, & reuixerunt. Per Adam enim omnes ſunt mortui. Qui autem crediderunt, hi per Semen promiſſum reuixerunt, ſicut teſtatur hiſtoria Habelis & Henoch. In Adam Seth & alijs mors eſt deſignata, ſic enim ſcribitur: Et mortuus eſt, ſed in Habele & Henoch oſtenſa eſt reſurrectio mortuorum & vita immortalis.

Omnia autem eò pertinent, ne deſperemus in morte, ſed vt certò ſtatuamus, quod qui credunt in Semen promiſſum, viuent & rapientur ad Deum, ſiue ex aqua, ſiue igni, ſiue ex patibulo, ſiue ex ſepulchro. Volumus igitur & debemus viuere, ac quidem æternam vitam, quæ poſt hanc vitam reſtat, per Semen promiſſum.

RATIO HVMANA QVID SENTIAT DE RESVRRECTIONE MORTVORVM

& vita æterna.

Tom. 3. Ienenſ. De Seruo arbitr. fol. 186. 187. Hæc autem vita vel ſalus æterna res eſt incomprehenſibilis captui humano, ſicut Paulus ex Ieſaia refert, 1. Corinth. 2. Quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis

ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Nam & is inter summos articulos fidei nostræ numeratur, vbi dicimus: Et vitam æternam, Quid verò in isto articulo valeat liberum arbitrium Paulus testatur, 1. Corinth. 2. Deus inquit nobis ea reuelauit per Spiritum suum, quasi dicat. Nisi Spiritus reuelarit, nullius hominis cor quicquam de ea re nosset aut cogitaret, tantùm abest, vt sese applicare ad id vel appetere possit.

Vide experientiam, quid excellentissima ingenia inter Gentes de vita futura & resurrectione senserint. Nonne quò excellentiores ingenio fuerunt, eò magis ridiculum illis fuit resurrectio & vita æterna? Nisi non fuerunt ingeniosi Philosophi illi & Græci, qui Athenis Paulum hæc docentem Spermologon & nouorum Dæmoniorum assertorem dicebant. Portius Festus. Actor. 24. Paulum insanum clamabat, ob prædicationem æternæ vitæ. Quid Plinius de ijs rebus latrat libr. 7. Quid Lucianus tantum ingenium? Stupidi ne illi fuerunt? Denique adhuc hodie plerique, quò sunt maiore ingenio & eruditione, hoc magis rident eum articulum, & fabulam esse putant idque palàm. Nam occultè nullus planè hominum, nisi Spiritu Sancto perfusus, nouit, credit aut optat salutem æternam, etiamsi voce & stylo iactitent. Atque vtinam eodem fermento & tu & ego liberi essemus mi Erasme, tam rarus est in hoc Articulo fidelis animus.

FINIS.

LIMA.

Copularet 64. *persona* 66. *quadrages.* 67. *possessione* 70. *Sol* 86. *Dominari* 19. *occaluerint* 193. *vrgenda* 263. *mera* 268. *vlla* 269. *primus* 281. *decimatio* 277. *figuli* 337. *item confringere. ibidem abijciunt. quem* 348. *Ibidem metueret. ibid. lectuusl.* κα-θάρματα 303. *qua* 364. 340. *Cæremoniarij* 372. *apertia* 445. *ibid.* ἐπινίκιον. ἀναπόκρυτον 414. *negligat.* 649. πρεσβύτερος 656. *firmißimæ* 696. *Christum* 702 *referens* 784. *indicando* 820. *nulla* 761. *gerere* 880 *HORROREM* 831. *ego* 572. *opera* 790. *exitium* 818. *tentauit.* 470. *Gregorij* 762. *maledici* 740.